THEOLOGIAE SCHOLASTICAE IN PRIMAM [-TERTIAM] PARTEM DIVI...

Augustin Reding, Emilio Bonaventura Altieri

37
28 E
4

Clementi protegit umbrâ

B. Schramman del. B. Kilian Sculp.

A. R. P.

AVGVSTINI REDING

HELVETO-EINSIDLENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI,

THEOLOGIA SCHOLASTICA.

THEOLOGIAE SCHOLASTICÆ IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMÆ,

AD NORMAM THEOLOGORUM SALISBURGENSIUM

TOMUS PRIMUS

DE { DEO UNO. DEO TRINO. ANGELIS.

CUM DUPLICI INDICE.

AUTHORE
A.R.P. AUGUSTINO REDING
ORDINIS S. BENEDICTI
PROFESSO, ET DECANO
EXEMPTI MONASTERII EINSIDLENSIS, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, ET
Ordinario olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis
SALISBURGENSIS
EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS ET ARCHIEPISCOPI
DOMINI, DOMINI
GUIDOBALDI,
SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ CARDINALIS
CONSILIARIO.

Typis Monasterii EINSIDLENSIS,
Per IACOBUM AMMON.

ANNO CHRISTI M. DC. LXVII.

AD DIVAM VIRGINEM THEOLOGIÆ INCREATÆ MATREM ET SAPIENTIÆ CREATÆ Fontem inexahustum.

SI totius orbis Flumina, unde exeunt, in Maria redundant, ut iterum fluant, cur ad te O Maria non redeant fluenta Sapientiæ Divinæ, mente priùs, quàm ventre à Te conceptæ, & ex Te redundãtis in universum orbem. Te in primo statim Gloriosæ Nativitatis Tuæ momento, dum vix edita esses in lucem, Divinæ Gloriæ lumine illustratam mentis intuitum in ipsâ Divinitatis Primævâ & infinitâ luce fixisse, imò oculis corporeis adhuc intra obstrusum ventris Materni cubile clausis omnisque adeò lucis expertibus, mentis Tuæ aciem Essentiæ Divinæ luce perfusam, in ipso Verbo increato immensa Deitatis arcana intuitam esse, pia & probata sententia est. Quis igitur dubitet, omnes quoscumque Propheticorum, aliorumque sacrorum librorum sensus reconditos in Verbi Divini speculo increato Tibi tunc pervios fuisse? Et verò dũ Virtus Altissimi in tantũ Tibi obumbrabat, ut Carne ex purissimo Tuo sanguine per Spiritum Sanctũ efformatâ Divinæ Verbi æterni Hypostasi substantialiter unitâ, Sacramentum hoc Magnum, quod sola per se Trinitas cum & in Te solâ operabatur, Tibi soli daretur nosse, & experiri, ambigere non licet, increatum Verbi Divini splen-

ſplendorẽ carni ex Te aſſumptæ perſonaliter coniũ-ctum & intra Uteri Tui Virginei clauſtra Divina fidei Myſteria in ſe tanquàm vivâ Patris æterni imagine exemplantem puriſsimæ menti Tuæ eatenus reſplenduiſſe, ut ſub uno huius Gloriæ ſplendoris radio increato non univerſum duntaxat mundum prolis à Te conceptæ ex Te communicato ſanguine colligendum conſpiceres, ſed omnes Divinæ Sapientiæ theſauros ſeptẽ ſigillis clauſos, & per Filii tui Evangelium recludendos, imò ex agro Evangelico eruendos in ipſomet Divinitatis ſpeculo infinito haberes apertos. Cùm proinde Divinæ ſpeculationis non quidem in Te adhuc firmatæ, ſed obſcuræ Fidei Ænigmatico ſpeculo in viâ adhuc ambulanti ſuccedente per tranſitũ quandoque illuceſcentis rememorativâ ſpecies impreſſa fuerit, manifeſtè evincitur, vi huius impreſſæ ſpeciei in Divinæ illius intuitionis rememorativâ imagine ſanctiſsimæ menti Tuæ fuiſſe repræſentatos quoslibet Divinorum non ſub modio duntaxat Propheticæ Revelationis latentiũ, ſed ſuper Evangelicæ lucis candelabro reſplendeſcentium Myſteriorum ſenſus. Si ergo ea, in quibus ceu Patris æterni Myſteriis oportebat eſſe Filium Tuũ, conſervabas in corde, imò ſi ea conſervans in mente, cum illâ utique Divinorum in Eſſentiæ Divinæ luce aliquando illuceſcentium Myſteriorum rememorativâ ſpecie conferebas, oportet ex ipsâ per primam Veritatem, & ſcientiam Dei increatam Intellectui tuo vi illius rememorativæ ſpeciei affulgente Veritate manâſſe Theologicum diſcurſum, Filii tui Apoſtolis deinceps communicatum, & his mediantibus toti orbi manifeſtatum. Imò

cùm

cùm Apoſtolorum & Evangeliſtarum Magiſtræ nomine Cœtus fidelium Te ſalutet, cùmque Evangeliſtam, qui Evangelii fluenta de Sapientiæ Increatæ ex Te Genitæ pectore hauſit, idem Filius tuus commendàrit Tibi tanquàm Matri, Divini utique per Evangelium poſtea edendi fœtûs Genitrici; clarè conſtat, Sapientiæ Theologicæ flumina ex Te tanquàm Mari fluxiſſe in Eccleſiæ ſanctæ Doctores, ut meritò in Te redundare debeant; quinimò fateri neceſſum ſit, veram & Orthodoxam Theologiam Sapientiæ Theologicæ mente Tuà conceptæ ſubalternatam eſſe. Etenim Doctoris Angelici Divinam ſuam doctrinam ex uberibus tuis haurientis ſententia eſt, Theologiam eſſe ſubalternatam ſcientiæ Beatorum. Hoc autem eo ſenſu accipiendum eſt, quòd, cùm Divina Prophetarum oracula mediantibus Angelis ſint revelata, Principia Theologica per Fidem Divinam ex antiqui Teſtamenti ſacris litteris eruta fuerint priùs firmata in Theologià Beatorum Angelorum, ipſomet Verbo Divino per lumen Gloriæ intelligibiliter unito mentibus Beatis, ſintque exinde per Revelationes Divinas derivata in mentes humanas fide Theologicà inſtructas, vi huius infuſæ fidei expeditas ad diſcurſus ex illiſmet in ſcientià Beatorum firmatis ac per fidei actum expreſsis principiis eruendos. An non igitur iure potiori Theologiam noſtram ad pedes tuæ Theologiæ ſubiicimus, ſiquidem, Filio tuo ſui in ſcientiæ Divinæ communicatione fundati regni medietatem Tibi communicante, conſtituta ſis in Matrem Divini per Evangelium editi fœtûs, dum nimirum theſauris omnium tam novi, quàm antiqui

Teſta-

Testamenti Mysteriorum in perspicuo Divinitatis speculo exhibitis Apostolos & Evangelistas unà cum Filio Tuo illustrasti Divinæ veritatis radiis, ex quibus Orthodoxæ Sanctorum Ecclesiæ Doctorum Theologiæ lucerna proditura fuerat. Quamobrem ubi non ex proprio, sed sacræ obedientiæ instinctu aliquas Theologicas elucubrationes edere statui, ad sacros Tuos pedes provolutus, primo post Deum iure Tibi consecrandas meritò existimavi, siquidem intra Einsidlensis Divinitùs Tibi consecrati Sacelli gremium educatus & in Theologia sacrà enutritus, haud ambigam, quidquid lucis ex Divinà veritate participatæ in hoc opere meo elucet, ex illis, quibus sub ipsamet Sacelli illius consecratione Divinà instar fulguris splendebas, radiis emanàsse. Cujus à me conceptæ spei firmitatem eò magis teneo, quòd ipsamet increata ex Te Genita Sapientia, ministrantibus sanctis Evangelistis & Ecclesiæ Doctoribus, sacrum illum locum Tibi dicàrit, evidenti utique argumento, quòd Primæ super Evangelii Candelabrũ positæ veritatis radii ex Te prodituri essent in illos, qui veram Theologicã Sapientiam in illo sanctuario per tuam intercessionem postulàrent. Quà proinde spe fretus, istas meas quantumlibet exiles elucubrationes supplex Tibi offero, ut quidquid de luce Theologicæ veritatis illis continetur, in Te tanquã Sapientiæ Divinæ Pelagus redundare velim, hoc unicè rogans, ut, si aliquid de ignorantiæ meæ tenebris irrepsit, hoc Divinæ tuæ lucis Radiis abstergere digneris.

Infimus Cliens

P. AUGUSTINUS REDING ad Einsidlensem Divinitùs consecratam SS. Deiparæ Ædem Ord. S. Benedicti Professus.

SANCTISSIMO
ET
BEATISSIMO PATRI
AC
DOMINO. D. N.
CLEMENTI IX.
PONTIFICI
OPT. MAX.

P. AUGUSTINUS REDING PRINCIPALIS HEREMITANI, VULGO B.MÆ MARIÆ VIRGINIS DE EINSIDLEN, ORDINIS S. BENEDICTI PROFESSUS ET DECANUS

OMNEM FELICITATEM.

INter innumeros applausus, quos Reges & Principes, quosque etiam modò Helveticæ Nationis Orthodoxi Proceres, imò totus Orbis Christianus de S.[ts] Tuæ factâ ad summum Apostolici culminis apicem evectione gratulantes deferunt, *Heremus Nostra Mariana* grandi impietati sibi verti vereretur, vel longè à Tuorum SS. Pedum osculo abesse, vel suorum obsequiorum Officia non præstare. Enimuerò, B.[me] PATER, quâ fronte ista se ab hoc sive communi Orthodoxæ nostræ Patriæ gratulationis munere, sive suorum quoque oblatione Votorum subduceret, dum & communibus sese cum Helvetiâ, & privatis etiam obligationum titulis ut plurimùm obstrictam esse fatetur? Communes sunt Orthodoxis Helvetiis Cantonibus cum nostrâ Heremo accepti à SS. Apost. Sede favores & gra-

tiæ; communia pariter sint & debita. Illi quondam pro eiusdem Aris, sic dicam, & Focis contra Invasores ac Hostes strenuè[a] dimicantes à diversis Summis Pontif. gloriosis titulis DEFENSORUM, & PROTECTORUM Apost. Sedis, ipsiusque Ecclesiæ, condecoratos se esse deprædicant; Istam verò Leo VIII. & X. Pius II. & IV. Nicolaus V. Julius II. Clemens VII. & VIII. aliique Pontifices Rom. de syncero, constanti, ac sedulo in dictam S.mam Sedem devotionis affectu, Sanctæque Fidei Catholicæ Zelo tantoperè commendare dignati sunt, ut, si gloriari oportet, in hoc ut plurimùm non dubitet gloriari, se ex ipsius feliciss. record. Leonis PP. X. scriptis litteris asseri, [b] de eâdē Summâ Sede *in omnibus rebus & benè meritam, & in sinu paternæ eiusdem Charitatis esse receptam.* Accepit olim Helvetia à Iesu Christi Vicario Gladium & Pileum, Liberæ Potestatis, & potentis Libertatis insignia auro gemmisque pretiosa: accepit & Heremus Helveto-Mariana spiritualia Pilei & Gladii, Libertatum videlicet ac Exemptionum, aliarumque memorabilium prærogativarū munera. Illa communibus simul, & particularibus pro quolibet Oppido, nomine tàm Pontificis quàm Ecclesiæ, Vexillis per Christi Liberatoris Sacra Passionis Mysteria insignitis donata est: Hæc autem eadem communia Helvetiæ Vexilla à Confœderatis Cantonibus unanimi consensu Cælitum Reginæ oblata, suo templo intulit, & tanquàm perennia Apost. liberalitatis monumenta è tholo & fornice supra Altare maius visenda suspendit. Quid plura? inter Helvetiorum Orthodoxos Cantones & Sacram Heremum tam est indissolubilis nexus, ut in gravissimis hactenùs, propter irrequietos hæreticæ Vesaniæ assultus, periclitantis non solùm S. Rom. & Apost. Fidei, sed & Patriæ Universæ publicis quibusvis necessitatibus per potentissimam suam Virginem Inquilinam, Heremus fiat commune pariter cœlestis

(a) *Anno* 1512. (b) 1518. 4. *M. Decemb.*

auxi

auxilii Promptuarium, Armamentarium quoddam spirituale, & omnium calamitosorum Asylon. Unde iure meritò Heremus unà cum Orthodoxà Helvetià sua tùm gratulationis, tùm devotissimæ servitutis anathemata ac vota ad Beatitud. Tuæ Pedes deponit.

Patiaris etiamnum Clem.[me] & S.[me] Pater, ut quid & quantùm specialis obligationis erga Apost. Solium, Tuamque S.[em] Heremo nostræ incumbat, vel verbo dicam: Si etenim illius Sacellum, quod Christus summus Sacerdos olim assistentibus B. Petro Apost. & SS. Quatuor Evangelistis, nec non Ecclesiæ Doctoribus, aliisque Divis Ministrantibus, & Angelis succinentibus, Matri suæ Virgini Solis instar super Aram fulguranti visibiliter Ipsemet inspectante S. Conrado Constant. Episcopo consecravit [eàdem Apostolicà Sede divinam hanc Consecrationem confirmante] Istud, inquam, Sacellum quàm plurimi deinceps Romani Pontifices immensis indulgentiarum, gratiarum ac Privilegiorum, pro innumerabilium animarum salute, thesauris nobilitarunt, quanta non, prò Deum immortalem! Heremitanum hoc Monasterium cum suo Cœlesti Sacello erga hoc Apostolicæ Munificentiæ Gazophilacium debita contraxit? Et maximè, quòd eapropter, non modò apud Helvetici fæderis populos, sed totius quoque Germaniæ incolas & accolas ita fuerit illustre redditum, ut nobilis Scriptor Sacri quondam Lateran. Palatii, Aulæque Imperialis [c] Comes publicà editione testatum reliquerit, præ illo, *nullum in Germania neque Cælorum Reginæ præsentiâ Religiosius, neque Antistitum nobilitate illustrius, neque summorum* PONTIFICUM *ac Regum privilegiis honoratius, ac denique omnium propè Nationum peregrinationibus frequentius, atque miraculis esse insignius.*

Unde & Rev.[mus] Fridericus Fornerus Bambergensis Antistes in sua Mariæ Palmà Triumphali asseverare non dubitavit, [d] *quòd Lauretana Domus est Italiæ, id Heremitanam esse Ger-*

(c) D. Magnus in sua Advocatâ armatâ t. 4. n. 406. (d) lib. 3. c. 14.

maniæ

maniæ. Fatentur hoc publicis devotionũ, donorum, & Anathematum monumentis, quotquot annuatim ultrà centum millia Peregrinorum ad percipienda SS. Sacramenta huc confluunt: fatentur ipsimet à Fide Orthodoxo-Romana alieni, tanto huc numero ad suam Conversionem accurrentes, ut, [si *opera* (c) *DEI revelare, & confiteri honorificum est*] sub moderno solùm istius Abbatis mei regimine plures quàm undecies centum Animas Heremus nostra è sinu Hæreticæ Novercæ, obstetricante quasi manu avulsas in gremium veræ, Sanctæque Romanæ aggregarit Ecclesiæ, & in dies aggregare indefessa laboret.

Hæc verò, S.me Antistitum omnium Antistes, si alicuius affectatæ laudis notam sapere videri possent, illam sanè nullatenus sibi vendicat Heremus, sed totum Deo ac Deiparæ, totum acceptis ab Apost. Sede ad ea præstanda gratiosissimis Indultis, Privilegiis, & Gratiis, totum visibili Christo, Tuæ nimirùm Clementiæ & Clementissimæ Paternitati, tanquàm Increati Verbi Dei Verbo creato, tanquàm omnium meritorum principio, ac totius Heremitani ædificii, illiusque augmenti & incrementi Fundamento ac Petræ in acceptis refert huc affluens cum finitimis populis Germania; refert Orthodoxa Protectrix Helvetia; refert denique & per omnes referet seculorum æternitates Tuis SS. Pedibus advoluta supplex Heremus, per me S.tis Tuæ devotissimum servum hascè Theologicas à me elaboratas Lucubrationes ac Tomos, in signum perpetuæ subiectionis, ac filialis devotionis offerens, Tuamque B.MAM Maiestatem osculo pietatis adorans; minimè dubia, Te huic S.MÆ Virginis Heremo, uti eius consecrationi Christus suâ Clementi præsentiâ immediatè affuit, ita quoque futurum esse æternè

C L E M E N T E M.

(c) *Tob. c. 12. v. 7.*

FACULTAS

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI

DOMINI, DOMINI

ABBATIS EINSIDLENSIS.

PLACIDUS

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ABBAS

Monasterij Einsidlensis Exempti, & Sacri Romani Imperij

PRINCEPS.



CUM præsens Sacræ Theologiæ Tomus primus ab Admodùm Reverendo, Clarissimo & dilecto nostro Patre AUGUSTINO REDING SS. Theologiæ olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis, ad instantiam eiusdem Magnifici Patris Rectoris Alphonsi Stadelmayr in lucem publicam edendus per tres Theologos respectivè Sacræ Theologiæ Professores fuerit recognitus & approbatus: idcirco tenore præsentium facultatem concedimus, eundem Typis mandandi. Actum in Monasterio nostro Einsidlensi, die 4. Septembris, 1667.

PLACIDUS ABBAS.

FACULTAS

REVERENDISSIMI PRÆSIDIS
UNIVERSITATIS SALISBURGENSIS.

***

NOS Raymundus Ord. S. Benedicti Abbas Admontensis, sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principis Archiepiscopi Salisburgensis &c. Consiliarius respectivè Intimus, per superiorem Styriam Archidiaconus, Benedictinæ Universitatis Salisburgensis p. t. Præses, Facultatem damus, ut primus Tomus Theologiæ Scholasticæ Admodùm Reverendi & Clarissimi P. AUGUSTINI REDING olim in præmemoratâ nostrâ Universitate publici Theologiæ Professoris, priùs à Theologicâ nostrâ facultate lectus & approbatus bono publico evulgetur. Actum Admontes, die 17. Novemb. 1667.

RAYMUNDUS ABBAS
Admontensis p. t. Universitatis Præses.

APPRO-

APPROBATIO

FACULTATIS THEOLOGICÆ in Universitate Benedictino-Salisburgensi.

NOS infrascripti Tomum primum Operis Theologici de DEO UNO, & TRINO Admodum Reverendi P. AUGUSTINI REDING Monachi Einsidlensis, quondam in hâc prædictâ Universitate nostrâ Theologiæ Scholasticæ Professoris relegimus, nihilque in eo Orthodoxæ Fidei, probisque moribus contrarium: sed in hoc sacro studio magnam Auctoris alacritatem, multam lectionem, & cum subtilitate profunditatem doctrinæ deprehendimus. Idcirco æquum judicamus, ut Tomus iste, quem suo sibi merito peperit, cum laude lucem publicam adspiciat. Actum Salisburgi die 20. Decemb. 1667.

P. DESIDERIUS SCHAPPERGER Monachus Benedictinus in Seon, SS. Theologiæ Doctor & Professor Ordinarius, ac p. t. Facultatis Theologicæ Decanus.

P. MAURUS OBERASCHER Monachus Benedictinus in Monsee, SS. Theologiæ Doctor & Professor Ordinarius.

P. FRANCISCUS METZGER Monachus Benedictinus ad S. Petrum Salisburgi, SS. Theologiæ & J.U. Doctor, ac Moralis Theologiæ Professor Ordinarius.



APPROBATIO
Theologorum Monasterii Einsidlensis.

HOs in 1. p. D. Thomæ Commentarios abs Adm. Rev. ac Clariss. Dn. AUGUSTINO REDING olim in florentissimâ Academiâ Salisburgensi SS. Theologiæ Professore adumbratos attentè & fructuosè perlustravi, nihilque in iis sive puritati Doctrinæ Apostolicæ, sive moribus Christianis dissonum deprehendi; quin potiùs annotavi, opus esse singulari & proprio Authoris studio, non alieno labore partum, in quo & antiquorum orthodoxorum Patrum, & gravissimorum virorum vestigia feliciter premit. Quamobrem, ut in lucem & bonum publicum prodeant, dignos iudico. Actum in Monasterio Einsidlensi. 6. Septembris. 1667.

Ego P. BONIFACIUS TSCHUPP Monach. Einsidlensis, & ibid. SS.Theol. Professor Ord.

CUm in hoc primo Tomo Adm. Rev. & Clarissimus D. Dns AUGUSTINUS REDING & Deum Unum & Trinum, nec non & Angelos velut in Rubo ardente, tam doctrinæ puro, quàm morum sincero oculo aspexerit, æquum omnino iudico, ut hanc visionem magnam, quam ipse iuxta Doctrinam verè Angelicam vidit, & inflammato amans corde omnibus offert conspiciendam, omnes per lucem publicam oculos admovendo videant, & videndo inflammentur. Actum in Monasterio Einsidlensi. 6. Septembris. 1667.

P. ÆGIDIUS EFFINGER Monachus Einsidlensis & SS. Theol. Professor Ordin.

PRimus hic de Deo Uno, Trino, atque Angelis Tomus Admodùm Reverendi, ac Clarissimi P. AUGUSTINI REDING Tomus nullibi vel Orthodoxæ Fidei, vel bonorum morum regulis contrariatur, imò multam lucem & claritatem doctrinæ Theologicæ continet. Quare ne sub medio lateat, ad multorum emolumentum & imitationem supra Candelabrum boni publici meritò per typum ponitur. Actum in Monasterio Einsidlensi 6. Septembris 1667.

P. DIONYSIUS HARTMAN Monachus Einsidlensis & Theologus.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

Xhibet, Tibi Lector, Benevole hic primus Sacræ Theologiæ Tomus materiam de Deo Uno ac Trino, atque de Angelis. Si Theologiam ipsam contempleris, eam quasi prolem Divini æterni luminis conspicies, Doctore Angelico *1. p. q. 1. a. 2.* attestante, quòd sit scientia ex principijs superioris Scientiæ Dei & Beatorum derivata. Quam equidem derivationem sic deduces, ut Prima Veritas omnis veritatis in se formativa & expressiva sub obscurâ revelatione per supernaturale voluntatis, prælucente prudentiali credibilitatis evidentiâ, à Spiritu sancto motæ imperium applicata Intellectui, hunc captivet in sui obsequium. Quare Intellectus supernaturali virtutis Fidei lumine Intellectuali elevatus vi illius imperij captivatus ad credendum, ex speciebus creatis, sub quibus Mysteria fidei Divinitùs, sed obscurè revelata proponuntur, mediante actu fidei format in se Verbum creatum supernaturale, per quod Veritatis revelatæ sub ipsomet Increatæ ac Primæ Veritatis Motivo fit expressio Intelligibilis. Vi cujus proinde Verbi illucet Intellectui supernaturale lumen Intelligibile, in Caliginoso quidem loco sub obscuræ scilicet Revelationis Divinæ Speculo Ænigmatico repræsentativum Veritatis quatenus in ipsomet Dei Intellectu per Essentiæ Divinæ Esse in se Intelligibiliter expressum firmatur. Vnde Verbi per fidem infusam efformati, nec non Veritatis per hanc expressæ firmitas & certitudo non tantùm Efficienter, sed in Quarto perseitatis modo Formaliter derivatur ex Increato Divinæ scientiæ lumine Intelligibili, tanquàm suo Formali specificativo. Quod adeò ex Divino Intellectu, ejusque increato Intelligibili lumine non quidem instar Verbi increati in Primo, sed Quarto duntaxat Perseitatis modo specificatum actu fidei expressum Verbum Intellectum creatum locat in Veritatibus immobilibus tanquàm primis Theologizandi Principijs. Exinde quia supernaturales virtutes Intellectuales Intellectûs humani conditioni & naturæ eatenus accommodantur, ut in hoc habeant vim discursivam, consequens est, infusum Fidei Theologicæ lumen posse Veritatem in Verbo per fidem expresso repræsentatam conferre cum aliâ veritate vel Divinitùs creditâ, vel naturaliter scitâ. Ex hâc verò collatione illucet novum Intelligibile lumen Extremorum cum aliquo medio sub Primæ in Verbo per fidem expresso repræsentatæ Veritatis ratione eatenus combinativum, ut ista combinatio duas sub fidei Intelligibili lumine inter se collatas præmissas continens, Intellectûs creati ad tertiam quandam in ipsis virtualiter contentam, & vi talis collationis ex ipsis deductam veritatem ceu conclusionem sit intrinsecè determinativa. Hæc igitur Conclusio est Formaliter Theologica, cujus assensus pro

)?( )?(motivo

Motivo Formali secundùm Quartum perseitatis modum spectat illâ duplicis præmissæ sub Intelligibili fidei lumine collatæ combinationem non Materialiter spectatam, sed Formaliter, ita ut ipsummet increatum Primæ veritatis lumen assensûs præmissarum motivum ac specificativum, sit quasi anima seu forma, sub quâ præmissarum Veritas specificat assensum conclusionis, Veritate Præmissarũ sub illo Divino lumine revelatarum se habente tantùm Materialiter per modum substrati, in quo Veritas Divini luminis increata ad intellectum fide Theologicâ instructum applicata est determinativa ad illationem discursivam ex ipsomet Divino per ænigmaticum fidei verbum expresso Intelligibili lumine specificatam. Ex quo fit, Theologiam eatenus esse in Substantiâ supernaturalem, ex discursibus intrinsecè supernaturalibus generatam, ut eo ipso sit scientiæ Dei strictè subalternata; siquidem istius Increatæ sapientiæ principia, per creatum fidei Divinæ Intelligibile verbum firmata in Intellectu viatoris, sub Primæ Veritatis Dei scientiam Formaliter identicè specificantis Motivo faciant resultare lumen Divinæ revelabilitatis, ceu Rationis formalis *sub Qua* determinatur intellectus ad Theologicæ conclusionis illationem, ut adeò Theologia non tantùm ex parte Principiorum, sed suarum quoque conclusionum eodem, quo Increata Dei Sapientia objecto Formali, diversimodè licèt applicato, nitatur, indeque certitudinem Metaphysicâ certitudine majorem derivet in suas conclusiones. Et quia Intelligibile Fidei Verbum in ipsâ Primæ Veritatis, ipsiusq; adeò Deitatis Luce immobiliter firmatum quamlibet in hoc Divinitatis lumine Veritatẽ tum Formaliter, tum Virtualiter contentam contemplari nata est, idcirco Intellectus tali lumine instructus in Pace in idipsum dormiendo in Veritatis Essentialiter, vel Participativè Divinæ speculatione eatenus requiescit, ut sub hâc ipsâ tamen speculationis quiete legem æternam ex Divinæ revelationis luce Intellectui nostro illucentem intuendo, Moralis quoque rectitudinis regulas ex Divinâ mente ideatas statuat: unde Theologia non speculativi duntaxat, sed Practici quoque habitûs eminentiam sub unâ indivisibili ratione continet. Etsi verò omnis Formalitas Divina ex naturâ rei Formaliter sit de Essentiâ & Quidditate Dei, nihilominùs quia Verbum virtute fidei licèt supernaturalis, attamen species Intelligibiles naturales utentis expressum ex formis creatis est abstractum, atque adeò finitum, & limitatum, nec Deitatis, ut est in se, intuitivum, sed in speculo Ænigmatico contemplativum; idcirco plena DEI sub omnimodæ perfectionis formalitate per summam simplicitatem subsistens actualitas non uno verbo exprimitur in Intellectu Viatoris, sed hic ex speciebus creatis diversa formando verba de formalitatibus Divinis, istarum unam instar Essentiæ, alteram instar attributi intelligit, ipsomet Deo *Exodi 6.* attestante, se Abraham apparuisse in Deo Omnipotente, non tamen ipsi, sed Moysi indicasse nomen Adonai Essentiæ Divinæ significativum sub formalitate Esse subsistentis, cujusmodi Essendi actualitatem ipsummet ex se Formalissimè Hæcceitatum seu suppositatum Esse involventem optimè exprimit nomen *Qui est.* Nec obstat, quòd ultimè actuati sive à se & ex se subsistentis, atque adeò Hæcceitati Esse ratio Transcendentaliter imbibatur in omni Formalitate Divinâ: sicut enim in creatis subjectum in secundo Dicendi modo

per se

per se dicitur de suis proprietatibus tanquàm Essentiale quid accidentium propriorum in concreto sumptorum; sic quia omnis Formalitas Divina est una purissima actualitas, oportet, Essentiam Dei specificam & propriam etiam in abstracto Essentialiter importari in quâvis perfectione Divinâ, Notionali quoque & Attributali, licet talis econtra nō includatur in conceptu objectivo Esse subsistentis sive Essentiæ Dei. Cum porro cuivis Essendi formalitati Transcendentaliter conveniat ratio veri importantis ut sic formalitatem Intelligibilitatis objectivæ, oportet, Purissimam Divini subsistentis Esse actualitatem hoc ipso in ratione Veritatis ac Intelligibilitatis ex se ipsâ formaliter actuatam, atq; adeò in ratione Verbi Intelligibilis expressam, esse suiipsius formalissimam intellectionē. Quæ proinde intellectio ceu Prima in Esse pure subsistente conceptibilis operatio rectè sortitur nomen Naturæ Divinæ, in cujus similitudinem ex vi processionis suæ Formaliter in Quarto etiam perseitatis modo procedit Filius Dei, cùm econtra Spiritus Sanctus in primo duntaxat perseitatis modo Essentialiter sit procedens in similitudinem Intellectionis & Naturæ Divinæ. Ex quo tamen Filij ac Spiritus Sancti Processionis discrimine non fit consequens, quòd Amor Dei increatus in processione Spiritûs Sancti habens rationem Principij *Quo*, per se in Quarto perseitatis modo tendens in sui similitudinem Formaliter ex Naturâ rei sit distinctus à Naturâ Divinâ habente rationem principij *Quo* in æternâ Filij Generatione. Hæc enim ex subtili Scoti ingenio fluens formalis ex naturâ rei distinctio pugnat cum purissimâ Divini Esse actualitate: siquidem ista omnimodæ potentialitatis exclusiva inferat in Deo infinitatem in ratione formali non tantùm Entis, sed Entitatis: ejusmodi verò infinitas sub unâ simplicissimâ formalitate & quidditate à parte rei formaliter dicat omnimodam Entitatis actualitatem & perfectionem simplicem. Quare Divinarum Formalitatum distinctio formalis non est à parte rei, sed ratione duntaxat ratiocinatâ secundum præcisiones objectivas fundatas tamen in reali Virtuali Attributorum & Personalitatum à Divinâ Essentiâ distinctione. Hæc enim distinctio est quædam unitatis Eminentia, per quam Formalitates propter immersionem potentialitatis in substantijs creatis distinctæ per actualitatis puritatem elevantur in simplicissimam ex naturâ rei formaliter indistinctam quidditatem, seu Entitatem. Quæ unitatis Eminentia suæ intelligibilitatis luce intellectum creatum infinitè excedens facit, ut Intellectus creatus formalitates Divinas ex formis creatis per species abstractivas intelligens non uno simplici intuitu, sive uno verbo in se Intelligibiliter exprimat, sed aliam formet Intelligibilitatis rationem objectivam de Essentiâ, aliam verò de Attributo, aliam de Hypostasi. Unde fit etiam, quòd Essentia ut sic communicabilis negetur esse formaliter Hypostasis, quæ per rationem suam formalem est incommunicabilis, tametsi negatio ejusmodi non se teneat ex parte rei ut est in se, sed prout subest nostro conceptui, ac secundæ intentioni objectivè præcisivæ. Ex vi quarum præcisionum unius formalitatis ab alterâ intentionaliter distinguentium formari possunt veræ ac propriè dictæ Divinorum Attributorum ex essentiâ demonstrationes. In cujusmodi adeò demonstrationibus, dum nobis viatoribus non in lectulo, dormiendo in pace in idipsum Verita-

)?( )?(2 tem

tem plenè invenire, & in hâc quiescere licet per discursus indagandis, omnium Theologicæ Facultatis Scholarum vicos & plateas circumire placuit, Vigiles Civitatis Jerusalem, Sanctæ Ecclesiæ Doctores studiosè perscrutando, num, quam diligit anima mea, veritatem Divinam, viderint. E quibus spero tam copiosam Divinæ Doctrinæ lucem ex æternæ per Verbi Divini revelationes nobis communicatæ Gloriæ spendore nobis affulsuram, ut Claritas Meridiei in Angelici Doctoris ex universorũ ferè Ecclesiæ Doctorum libris Quintam quasi Essentiam extrahentis summa Theologica, quam in almâ Universitate Salisburgensi tandem didici, habere pro matre, lucis suæ faces præferendo, Veritatem unicè dilectam sit manifestatura. In cujus proinde Veritatis investigandæ studiosâ inquisitione, quam unà cum prætactâ Salisburgensi Archiepiscopali Academicâ, de quâ ceu Genetrice meâ, indignus olim sacræ Theologiæ ibidem Professor gloriari non erubesco, ineam viam, ut Lector Benevolus in primâ statim facie nosse valeat, Generalem in certos Articulos, & pro re natâ in Controversias subdividendarum Quæstionum Indicem hîc attexere libuit, dum interim de hoc unicè solicitus sum, ut ne quoquo modo extra Domûs Matris meæ sanctæ Ecclesiæ limites egredi videri possim, pro non dictis habere vellem, si vel minimus apex irrepsisset, qui cum Romanæ Ecclesiæ doctrinâ aliquatenus non concordaret.

VALE ET FAVE.

INDEX

INDEX QUAESTIONUM, ARTICULORUM, ET CONTROVERSIARUM.

QVÆSTIO I.

QVÆSTIO II.

ARTI-

CON-

QVÆSTIO VII.

DE

Actibus, & virtutibus Divinae voluntatis. 311

QVÆSTIO VIII.

DE

Potentiâ, & Providentiâ Dei. 328

QVÆSTIO IX.

DE

Divinâ Electorum ad salutem aeternam Praedestinatione. 360

CON-

QUÆSTIO XVII.

DE

IN PRIMAM PARTEM
DIVI THOMÆ AQUINATIS.
QUAESTIO PRIMA
DE
SACRA DOCTRINA, SEU
THEOLOGIA.

1. NON est sermo de naturali Theologiâ, cujus semen naturâ nobis inditum asseritur *Psal. 9. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hæc enim, ceu Philosophiæ pars ac species præcipua traditur ab *Aristotele 6. Metaph. c. 1.* in eaquè Platonicos à magnitudine speciei, & creaturæ vi prædicti luminis discurrendo ad invisibilia Dei, ejusquè virtutem, ac Divinitatem; cæteris Philosophis antecelluisse; ait S. Augustinus *lib. 8. de Civit. Dei c. 11.* Agimus ergo in præsenti de Theologiâ supernaturali, quæ sub altiori divinæ revelationis lumine supernaturalibus Mysterijs innixa, Deum non quà naturæ duntaxat, sed gratiæ, & gloriæ auctorem, ac finem indagat.

2. Hujus triplex est acceptio: Prima pro doctrinâ immediatè innixâ divinæ revelationi, quæ Fidem, ac Prophetiam complectitur; quo maximè sensu Isaias Propheta à D. Dionysio. *cap. 13. celest. Hierarch.* & S. Ioannes Evangelista à D. Cyrillo *lib. 1. de rectâ Fide* vocatur Theologus. Secunda Theologiæ acceptio latior est, pro cognitione à Deo sive *formaliter*, sive in suis principijs *Virtualiter* revelatâ abstrahendo à ratione crediti, & sciti: sub quâ significatione S. Thomas *præsent. q. 1. a. 1.* de Sacræ Doctrinæ ultra Philosophicas disciplinas necessitate differens loquitur, prout tenet Cajetanus *ibid. §. ad hoc dicendum; &* Serra. *eod. art. in principio.* Tertia Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis communis acceptio Theologiæ est pro Doctrinâ, quæ ex principijs divinitus revelatis fide infusâ cognitis discurrendo conclusiones deducit.

3. Cujus si quæratur initium & progressus, Franciscus *de Lugo 1. par. in prolog. n. 3. & 4.* probat ex Sanctis Patribus, præcipuè Theodoreto & Augustino, à primâ statim mundi Origine cum Ecclesiâ Sanctâ, & fide infusâ extitisse in Sanctis Patriarchis, sed varia successu temporis incrementa sumpsisse, Divo Gregorio *Homil. 16. in Ezech.* attestante, quòd *plus Moyses, quàm Abraham, & plus Propheta, quàm Moyses, & plus Apostoli, quàm Propheta in Dei scientiâ eruditi fuerint. Quis enim nesciat, quod Abraham cum Deo locutus est, & tamen Moysi dixerit Deus, Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotenti, & nomen meum non indicavi eis. En igitur, quòd plus Moysi, quàm antiquioribus innotuerit.*

4. Ne verò hanc Dei scientiam ex solâ immediatâ Dei revelatione sine hominum studio atquè discursu propagatam quis arbitretur, ipsæmet sacræ Litteræ exhibent Theologici studij in Lege etiam naturæ frequentatas scholas; dum *Gen. 25.* dicitur *Iacob habitasse in Tabernaculo,* id est, (velut alij apud Lyranum ex Hebræo legunt) *in domo doctrinæ.* Quod Hebræi, adstipulante Chaldaicâ versione, accipiunt de scholis Theologiæ, quibus *ajunt* Iacob assiduum fuisse, Doctoribus Sem, Heber, & Melchisedech; *uti videre est apud Cornel. de Lapide cit. c. 25. Gen. vers. 27.*

5. Porrò Moysen ante legem Dei scriptam egisse Theologum, *dum veniebat ad eum populus inquirere sententiam Dei. Exod. 18.* probatur ex S. Augustino *lib. 2. qq. supra Exod. q. 67.* ita dillerente. *Numquid enim Moyses, quamvis cum illo Deus loqueretur, per singula credendus est, quòd consulere soleret Deum, si quis esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc judicandi negotio à mane usque ad Vesperam detinebat? Et tamen, nisi suæ menti præsidentem Dominum consideraret, legemquè ejus æternam sapienter attenderet, quid justissimum inter disceptantes judicare posset, non inveniret.* Ex quo evincitur, Moysen non semper ex immediatâ Dei revelatione respondisse populo, sed tum ex lege Dei æterna, tum ex Doctrinâ Dei menti suæ præsidentis deduxisse judicium Dei. Ergò in quæstionibus, præsertim concernentibus cultum, ac legem Dei, nec non supernaturalia Fidei Mysteria; (cujusmodi ad ipsius judicium delata esse constat ex *cit. cap. 18. Exod. vers. 16. & 20.*) Theologicè inferebat sententiam Dei, eam deducendo ex Doctrinâ divinitus inspiratâ & revelatâ.

6. Etsi verò Theologia solis traditionibus Fidei Mysteria in Ecclesiæ filios illibatè transferentibus niteretur usque ad Moysen, qui primus sacram doctrinam litteris consignavit, nullo ante

 ipsum

ipsum existente scriptore tum sacro, tum prophano, uti affirmant *Iustinus in Apol. 2. ad Antonin. Tertullianus in Apolog. cap. 19. Clemens Alexandr. lib. 1. strom. August. lib. 18. de Civit. Dei c. 37.* Nihilominus ab isto legis scriptæ tempore majora fecit incrementa institutis tunc Sacerdotibus, Scribis, ac Legisperitis, qui sacram doctrinam publicè profitebantur.

7. Nec parum eam promovit Propheta Regius, qui *supra senes intellexit, quia mandata Dei quæsivit. Psalm. 118.* Salomon quoquè Regum sapientissimus publicam Academiam extruxit juxta illud *Proverb. 9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Sub his enim columnis intelligi quasi suggesta & cathedras docentium, docet Pineda *lib. 3. de reb. Salomonis. c. 28.* indicatquè *Optatus Millevit. lib. 3. cont. Parmen.* Quam proinde docendæ Theologiæ normam scientificam ad Christi usquè tempora fuisse retentam, sed Legisperitorum malitiâ tandem depravatam, & in fundamento fidei eversam, probant Christi Domini verba *Luc. 11. Va vobis Legisperiti, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introierunt prohibuistis.*

8. Tandem plenitudine temporis adveniente, ubi Deus misit Filium suum ad Evangelizandum verba salutis, ac vitæ æternæ, non tantùm Fides in revelatione Doctrinæ Patris æterni consummata est, sed Theologia ab ipsomet Christo Domino consecrata fuit, dum per discursum verè Theologicum ex veteris testamenti Sacris Literis aliquoties confutavit Saducæos & Iudæos, nominatim ex eo, quòd Deus *Exod. 3.* se dicat *Deum Abraham, Isaac, & Iacob,* nequè verò *sit Deus mortuorum*; Theologicè inferendo *Mathai. 22. vers. 32.* & *Marc. 12. v. 27.* articulum fidei de resurrectione mortuorum. Insuper *Ioan. 7. & 22. ac seq.* ex eo, quòd Circumcisio posset exerceri in sabbato, quin solveretur lex Moysis, Theologicè demonstravit; licuisse sibi in Sabbato sanum facere hominem.

9. Hunc proinde Theologizandi modum suis etiam Apostolis imperavit *Luc. 5. Laxate retia vestra in capturam.* Hæc enim *ait D. Ambr. in comment. cit. c. 5.* quæ Apostoli jubentur laxare retia sunt verborum, & quasi sinus quidam orationis, & disputationum recessus, quibus fideles, quos cœperint, non amittant. Quod Apostoli egregiè executi sunt, ac se ipsos Theologos ostenderunt, dum ad fidem illustrandam, ejusquè dogmata stabilienda, vel ex sacris scripturis consequentias & argumentationes conficiebant, vel scripturas vero sensu explicatas erroribus opponebant, atque argumenta contraria expositione veritatis revelatæ dissolvebant: *prout videre est Actor. 2. v. 17. 31. & 34. Actor. 3. v. 22. & 23. Actor. 8. v. 25. Actor 10. v. 43. Actor. 13. v. 33. & passim in Apostolorum epistolis.*

10. Nec in hac Divinæ Sapientiæ Palæstrâ segniores erant reliqui Patres Orthodoxi, quibus Divin. Dion. Areopagita *in libris de cælesti, & Ecclesiasticâ Hierarchiâ, de Divin. Nominib. de Mysticâ Theolog. & aureis suis epistolis,* facem prætulisse meritò dicendus est. Constat porrò ex D. Hieronymo *catalogo Scriptor. Eccles. in Pantæno, & Eusebio lib. 5. Hist. Ecclesiast. c. 10. & 11. & lib. 6. c. 3.* à temporibus Marci Evangelistæ extitisse Alexandriæ scholam Ecclesiasticam, cui successivè præfuerint Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, alijque non divinarum duntaxat rerum; sed etiam Philosophiæ peritissimi, quos tanquam Philosophos omninò verisimile esse, Theologiam methodicè secundùm artem Dialecticam tradidisse, velut de Clemente Alexandr. insinuat Sanctus Hieronymus.

Et quia variæ, & gravissimæ, præsertim Atriana, Nestoriana, Eutichiana, Manichæa, Pelagiana hæreses exortæ contra Divina Mysteria graviùs in Ecclesiâ grassari cœperunt, exeruit Deus Theologos excellentissimos, qui Theologiam super candelabrum Ecclesiæ clariori luce illustrârunt, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Epiphanius, uterquè Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Hilarius, Prosper, & plures alij, inter quos refulsit Augustinus dialecticæ artis apprimè peritus, ob præcipuas Theologiæ materias *de Sanctissimâ Trinitate, de Prædestin. de gratiâ & libero arbitrio* eleganti normâ concinnatas jure merito vocandus Theologiæ Scholasticæ Antesignanus, cujus præcipuè Doctrinæ institisse constat Petrum Lombardum in libris sententiarum methodo Scholasticâ construendis. 11.

Ne autem Laudes viro glorioso Patri nostro BENEDICTO ex sacra suâ generatione partas prætereamus, en semen ipsius, quod in testamentis tam antiquæ, quàm novæ legis stetit Ecclesiæ Doctores, Gregorium Magnum, Leandrum, Leonem secundum & alios templi altitudinem in profundo doctrinæ Theologicæ circa sextum sæculum fundantes, atquè divinæ sapientiæ columnis fulcientes, inter quos elucebat S. Isidorus Hispalensis Antistes, qui *teste Francisco de Lugo Soc. Iesu Theologo cit. Prol. n. 14.* in Hispaniâ Sacras Scholas instruxit, ac Theologiam professus est. Nec minorem gloriam septimo sæculo Benedictinæ Familiæ comparavit Venerabilis Beda sacræ Theologiæ in Angliâ professor, è cujus scholâ prodierunt præstantissimi Theologi, inter quos eminebat Alcuinus à Carolo Magno adhibitus ad instituendam Academiam Parisiensem, unde magnus Theologiæ splendor emanavit, præcipuis Theologis octavò, & nono sæculo inde progredientibus, nominatim Rabano, Angelomo, Haimone, Strabone Glossæ ordinariæ auctore, & alijs. Ut denique brevitatis causâ taceamus quàm plurimos viros sacrarum literarum scientiâ apprimè instructos, ex sacro Benedictino Ordine progressos ad fidem Orthodoxam in plerisquè regnis ac provincijs disseminandam, unius tantùm, vel alterius, qui decimo & undecimo sæculo in doctrinâ Theologicâ florebant, mentionem facimus, Algeri, Gratiani, & Lanfranci, è cujus scholâ processit S. Anselmus, quem apud Latinos, ut S. Damascenum apud Græcos (quorum prior indubitatò, alter ex aliquorum opinione inter Benedictinæ prosapiæ lumina censetur) extitisse authores methodi ex quâ Theologia Scholasticæ nomen sortita est, testantur Societatis Iesu Theologi *Franciscus de Lugo in cit. prolog. n. 15. & Ioan. Martinon. in 1. p. disp. 1. sect. 6. n. 47.* potestquè facilè demonstrari ex illorum Doctorum libris nominatim Ioannis Damasceni *de Fide Orthodoxâ* & S. Anselmi *Monologio, item libris de Incarnatione Verbi, cur Deus Homo, de libero arbitrio, de casu diaboli, de peccato Originali, & concept. Virg. de processione Spiritûs Sancti, de similitudinibus.* 12.

Hisce jam progressibus Theologiæ factis, Mellifluo Doctore Bernardo, ejusque sacrâ Progenie 13.

salu-

salutaris Doctrinæ aquâ Ecclesiam irrigantibus undecimo, & duodecimo sæculo. Nova ex Sanctorum quoq; Dominici, & Francisci familijs lux Ecclesiæ illuxit, dum inprimis Petrus Lombardus (*ut loquar cum Francisco de Lugo cit. n. 15.*) videns Theologiam Græcorum Patrum varijs libris dispersam à S. Damasceno collectam, & certis locis distinctam, ejus æmulatione inductus fuit ad Patrum Latinorum, præsertim Augustini sententias in ordinem redigendas, ex quo præclaro facinore Magistri sententiarum nomen promeruit. Hunc subsecuti Albertus Magnus, Divus Bonaventura, Alexander Alensis, Scotus, Vincentius Belvacensis, & alij tum ex Familiâ Dominicana, tum ex Seraphico Ordine, tum alijs Religiosis Cœtibus præclarissimi Theologi à sæculo duodecimo ad nostra usquè tempora Ecclesiam egregiè illustrârunt.

14. Inter hos semper eminuit Angelicus Doctor Sanctus Thomas de Aquino, qui summam Theologicam quasi quintam essentiam ex libris sententiarum alijsquè labore suo editis monumentis arte, & methodo sanè Angelicâ extractam in Scholas induxit, in quâ elaborandâ, & illustrandâ compertum est omnium Religiosorum Ordinum & Academiarum Theologos esse intentos. Inter quos, universis ferè Bibliothecis testantibus, illustrem obtinet locum Societas IESU ex singulari Dei providentiâ contra turbulentos hæresum motus in subsidium Ecclesiæ militantis destinatâ.

15. His adeo de ortu, & progressu Theologiæ præmissis ad præsentis quæstionis materiam quatuor Articulis distinctam procedimus in Primo acturi *de Necessitate ac Divisione Theologiæ.* In Secundo investigaturi *An & Qualis sit Scientia.* In Tertio *de ejus Objecto.* In Quarto denique. *Qualiter & ex quibus locis ac Sacra Scriptura sensu argumentetur Theologia?*

ARTICULUS I.

DE

Necessitate ac Divisione Theologiæ.

Quod Scotus *in 1. q. 1. Prolog. n. 3.* ait de Philosophis, hoc temporibus nostris de subtilioris judicij Atheis, sive Pseudopoliticis non immeritò dixerimus verificari, qui à lumine supernaturali gratiæ & Fidei in actionibus Politicis eatenus abstrahunt, ut perfectionem naturæ cum lumine sibi congenito, & scientiâ atquè prudentiâ inde partâ sufficere censeant pro præsenti statu regiminis saltem Politici, atquè Civilis. Ex quâ, imaginariâ, & falsâ persuasione præcipuè oritur, quòd personæ in sublimioribus dignitatibus constitutæ, sacris libris neglectis, vacent plerumquè cum animarum suarum jacturâ, & non undequaquè laudati Regiminis normâ, veterum Ethnicorum Philosophorum, vel recentiorum Politicorum, quin imò & hæreticorum consultis, atquè doctrinis. Contra quos proinde majoris erga sacram Fidei doctrinam conciliandi amoris causâ in prima statim fronte Theologiæ Sancti Augustini *lib. 14. de Trinit. c. 1.* scientias Philosophicas, seu politicas Divinæ sapientiæ, seu Theologiæ sale non conditas de supervacuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis insipidâ admixtione arguentis vestigia secuti Divus *Tho. 1. p. q. 1. a. 1. & Scotus cit. q. 1.* instituunt quæstionem: *An homini pro statu isto sit necessaria doctrina supernaturaliter inspirata, ad quam non possit attingere lumine naturali intellectûs?* In cujus quæstionis resolutione duas pro sacrâ doctrinâ necessitatis rationes adducit Angelicus Doctor *in corp. cit. art.* tum ex elevatione ac ordinatione hominis ad finem supernaturalem, tum ex defectu luminis naturalis absquè divinæ revelationis subsidio ut plurimùm errantis circa veritates de Deo naturaliter etiam cognoscibiles.

CONTROVERSIA I.

An Sacra Doctrina sit necessaria ad finem supernaturalem, nec non ad investigandas veritates de Deo Naturaliter noscibiles.

1. SCOTUS *cit. quæst. 1. n. 19.* rationem Angelici Doctoris *cit. a. 1.* ex elevatione hominis ad finem supernaturalem probantis necessitatem sacræ doctrinæ, ac divinæ revelationis, asserit insufficientem; adhuc enim restare ait probandum, tum quòd homo ordinetur finaliter ad cognitionem supernaturalem: tum quòd cognitio naturalis pro statu isto non disponat sufficienter ad cognitionem supernaturalem consequendam.

2. Subtilis Doctor *cit. n. 19. in fine* movet ex hoc etiam capite adversùs Angelicum Doctorem asserendo, ut sacræ Doctrinæ necessitas ad veritates de Deo naturaliter noscibiles investigandas evinceretur, probandum fuisse; tum, quòd necessaria sit quarundam veritatum cognitio, quæ investigari non possunt per viam sensuum: tùm, quòd lumen intellectûs agentis ad talia cognoscibilia sit limitatum.

CONCLUSIO I.

3. Ex naturæ humanæ ordinatione ad finem supernaturalem efficaciter demonstratur, homini præter naturales, & Philosophicas scientias simpliciter esse necessariam Doctrinam supernaturalem procedentem ex divinâ revelatione.

4. Probatur ratione S. Thomæ *ubi supra* Sacræ doctrinæ necessitatem probantis *ex Isaia 64. v. 4. Oculus non vidit, Deus absquè te, quæ præparasti expectantibus te.* Hunc namquè sacrum textum procedere non præcisè de Verbo Dei incarnando, *uti aliqui volunt*; sed de ultimo hominis Fine ac gloriæ Coronâ, patet tum ex contextu; subditur enim *v. 5. Occurristi lætanti, & facienti justitiam.* At Christus quà Redemptor occurrit ambulantibus in tenebris & umbrâ mortis. *Isaia 9.* Ergo etiamsi illa verba sint de expectatione Christi, seu Verbi incarnati, exponi tamen debent de Christo quà glorificatore seu ultimo Fine hominis, ut sic enim occurret cum spirituali gaudio justitiam facientibus.

Tum ex Pauli expositione. *1 ad Corinth. 2. v. 8. 9. & 10.* ita differentis, *Loquimur Dei sapientiam in Mysterio, quæ absondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus seculi cognovit; sed sicut scriptum est (num. Isaiæ 64.) quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum, nobis autem revelavit per spiritum suum.*

6. Ex quibus ita licet argumentari: Illa sapientia, quam Deus prædestinavit in gloriam nostram, est finis ultimus hominis. Hæc autem sapientia nobis à Deo prædestinata in gloriam est supra vires luminis naturalis, utpote quæ sit in Mysterio, & ita abscondita, ut non ascenderit in cor hominis. Ergò est supernaturalis: nec adeò ad eam disponi potest homo per naturalem cognitionem, sed juxta Apostolum opus est revelatione per Spiritum Sanctum. Constat igitur ex allegato textu *Isaiæ*, junctâ expositione *Pauli*, efficaciter à Doctore Angelico probari necessitatem divinæ revelationis ad finem supernaturalem æternæ gloriæ. Unde patet etiam responsio ad Scoti *n. 1.* factas oppositiones.

Conclusio II.

7. Divina revelatio seu sacra doctrina est secundùm quid necessaria ad veritates aliquas lumine naturali de Deo cognoscendas. *S. Thom. cit. a. 1.*

Probatur. Tam error, quàm ignorantia de Deo alijsque perfectionibus Divinis naturali viâ demonstrabilibus adversantur homini considerato tum secundùm naturalia, tum in ordine ad finem supernaturalem salutis æternæ: vix enim culpâ carent, cùm non detur invincibilis de Deo ignorantia. Atqui rationem humanam in rebus divinis plurimùm deficere probat experientia Philosophorum, qui acrioris, licèt ac sublimioris judicij paucas de Deo veritates non sine multorum errorum admixtione, longo studio investigare potuerunt.

8. Cujus rationem eleganter describit Sapientia. *9. cap. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus, quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?*

9. Cum proinde expulsio seu evitatio tum erroris, tum ignorantiæ de Deo formaliter fiat per formam oppositam, seu cognitionem Divinarum veritatum: hæc autem si solo nitatur lumine naturali, erroribus plurimùm obnoxia sit, consequens est, lumen Divinæ revelationis esse homini quodammodò necessarium ad veritates lumine alioquin naturali de Deo demonstrabiles. Quod *D. Thom. 1. cont. gent. c. 4.* pulchrè expressit. *Salubriter ergo*, inquiens, *Divina providit Clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse, & absque dubitatione & errore.* Ex hinc patet responsio ad Scoti *n. 2.* oppositum argumentum.

***

Controversia II.

An & quomodo Theologia Ecclesiæ sit necessaria.

Agemus deinceps de Theologia strictè sumptâ pro habitu ex revelatis discursivo, qui considerari potest vel secundùm substantiam, prout *in init. præsent. q. à n. 2.* diximus cum Ecclesiâ natum, & progressum esse in Patribus non Novi duntaxat, sed antiqui etiam testamenti, imò & legis naturalis. Vel potest considerari secundùm methodum Scholasticam ex norma Dialectica magis polita exactiùs hodie concludentem, quam moderni hæretici non minùs, atque vespertiliones lucem oderunt, varijs convitijs eam proscindentes, ac redarguentes. 1.

Referuntur argumenta opposita.

Primum desumitur ex novitate, quòd Theologia Scholastica nata sit primùm à Petro Lombardo ante annos quadringentos. 2.

Secundum. Quòd sacram fidei doctrinam per Dialecticam propinet, eamque mixtam cum prophanâ Philosophorum doctrinâ contra admonitionem Pauli ad *Coloss. 2. Videte, nè quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Ad 3. quod facere videtur Tertullianus *lib. cont. Hermog.* Philosophos vocans *Patriarchas Hæreticorum.* Et Theophilus Alexand. *in Epist. 2. Pasch.* inquiens: *Origenem fecisse jocum ex doctrina Christianâ, eò quòd in libris suis miscuerit Philosophorum argutias.* Denique S. Epiphanius *hæresi 69.* affirmans, Arianos *ex Aristotele, & alijs mundi Dialecticis venenum sibi affricuisse.*

Conclusio I.

Theologia secundùm substantiam est simpliciter necessaria Ecclesiæ non quidem in singulis, sed pro singulis fidelibus. *Ex communi Theologorum consensu.* 4.

Probatur: Illa scientia est simpliciter necessaria in Ecclesiâ, per quam fides saluberrima gignitur, nutritur, roboratur, ac defenditur. Sed talis est sacra Theologia. *Ergo.* Major patet, tum quia sine fide impossibile est placere Deo, utpote quæ sit substantia sperandarum rerum ad *Hebr. 11.* Tum quia Fides est forma Ecclesiæ quidditativa ac essentialis. Ergo scientia, quâ fides gignitur & conservatur, est Ecclesiæ necessaria tum ad salutem fidelium, tum ad generationem, & conservationem formæ, ejusdem constitutivæ. *Minor Probatur*

Primò authoritate S. Augustini *lib. 4. de Trinit. c. 1.* asserentis *sermonem scientiæ*, quem Apostolus *1. Corinth. 12.* numerat inter gratias gratis datas, esse scientiam illam, *quâ Fides saluberrima ducens ad veram beatitudinem gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.* At idem Ecclesiæ Doctor *ibid.* clarè asserit; hanc scientiam à fide eatenus distingui, quòd Mysteria Fidei non simpliciter doceat, sed ostendat rationem, quemadmodum & *pijs opitulentur, & contra impios defendantur.* Constat igitur, illam scien- 5.

ſcientiam *de mente Auguſtini* ratiocinari circa, & ex revelatis. At ſcientiam ex revelatis diſcurſivam vocamus Theologiam. Ergo niſi quis contendat de nomine, fateatur neceſſum eſt, Theologiam Eccleſiæ eſſe neceſſariam, utpote quâ Fides gignatur, & defendatur.

6. *Secundò* Ratione probatur: quomodo Theologia ſit *Fidei generativa & nutritiva.* Nam habitus fidei non infunditur adultis abſquè præviâ diſpoſitione Fidei Actualis. Ad hanc autem prærequiritur ratio ſupernaturalis Prudentiæ, ſeu *ut loquuntur Theologi*, Credibilitatis judicium: alioquin citò, ſeu abſquè ratione prudentiali credens arguitur à Spiritu ſancto tanquam *levis corde. Eccleſiaſtici 19.* At licèt iſtud credibilitatis judicium in paganis noviter converſis aliquando fundatum ſit in opere aliquo miraculoſo; hoc ipſum tamen miraculum eſt quaſi vox, ſeu locutio Dei: Nam quia Chriſtus Verbum Dei eſt, & factum Verbi, Verbum nobis eſt. *S. Auguſt. tr. 24. in Ioannem.* Ergò illud judicium credibilitatis fundatum ſuper miraculo eſt diſcurſus ex evidentiâ facti miraculoſi, ceu Verbi Divini inferens Doctrinæ Chriſtianæ credibilitatem. Quod Chriſtus Dominus inſinuavit *Ioan. 10.* dicens, *Si facio opera Patris mei; & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ecce opera æterni Patris per Chriſtum facta, erant Verbum Dei, cui eſſet credendum. Ex hoc autem quaſi Verbo Dei docet Chriſtus inferre credibilitatem illius Myſterij, quo fatemur Patrem eſſe in Chriſto, & Chriſtum in Patre. Conſtat igitur, ejuſmodi credibilitatis judicium eſſe diſcurſum Theologicum, ſiquidem ex opere miraculoſo, tanquam Verbo Domini procedat ad inferendam Fidei Myſteriorum credibilitatem. Deinde in convertendis hæreticis
7. ad fidei articulorum, quos negant, credibilitatem adſtruendam argumentamur ex Verbo Dei, ſeu ſacris libris, quos ipſimet concedunt. At indubitatum eſt, hunc diſcurſum procedentem ex principijs divinitùs revelatis eſſe Theologicum.

8. Denique Patres Orthodoxi fidei articulos virtualiter contentos in Verbo Dei, non niſi per diſcurſum Theologicum eliciebant, atque definiebant: Velut Patres ſextæ Synodi General. *act. 4. 8. & 9.* ex duabus in Chriſto naturis diſcurrendo, inferebant duas diſtinctas Chriſti operationes, Divinam & Humanam. Et Patres Concilij Trident. *Seſs. 13. de Euchar. c. 4.* ex veritate Verborum Chriſti diſcurrendo, definiebant fidei articulum de Tranſubſtantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti. Ex quibus adeò manifeſtè concluditur, per diſcurſus Theologicos ex veritatibus divinitùs revelatis deductos non tantùm *gigni fidem* in cordibus Infidelium, ac hæreticorum, ſed maximè *Nutriri*, ac *Augeri* in Eccleſiâ, ac mentibus credentium. Ergò Theologia, ceu *medium gignendi, & nutriendi fidem* eſt Eccleſiæ neceſſaria.

Tertiò Ratione probatur, quomodo fides *de-*
9. *fendatur, & roboretur* per Theologiam. Nam in ſacris litteris, nominatim *Epiſtolis Pauli ſunt multa intellectu difficilia. 2. Petri. 3.* Hæc igitur ab indoctis, & inſtabilibus facilè depravantur. *eod. c. 3.* Ergò ad veritatem ejuſmodi quæſtionum ſtabiliendam opus eſt eas conferre cum alijs Scripturæ locis, cujuſmodi collatio importat diſcurſum ex revelatis. Deinde *1. Petri 2.* exigitur à fidelibus, ut ſint parati *ad ſatisfactionem omni poſcenti ex ipſis* 10.
rationem de eâ, quæ in eis eſt, ſpe & conſequenter fide, utpote ſuper quam fundetur Spes Theologica. Hæc autem ratio rerum ſperandarum, & credendarum à ſimplicioribus quidem redditur ſufficienter ex generalibus principijs credendi, quòd *nimirum ita teneat Eccleſia Sancta.* Nihilominus iſta ipſa ratio in fundamento examinata ſupponit Eccleſiam eſſe fundatam ſupra firmam petram, adeò ut ſingulorum articulorum rationes ex infallibilibus Divinæ veritatis principijs reddere, contra oppugnantes defendere, in ſpeciem repugnantia inter ſe conferre, & adverſariorum Sophiſmata luce ratiocinationis diſpellere poſſit. Quam proinde Fidei ac ſpei rationem Petrus *ubi ſupra*, exigebat præcipuè adverſus fidei calumniatores, *Nè ſcilicet in horum nequitiâ fideles tanquam parvuli fluctuantes circumferantur omni vento doctrinæ: ad Eph. 4.* At manifeſtum eſt, rationum ejuſmodi redditionem formaliter importare diſcurſum Theologicum. Hic ergo Eccleſiæ defenſioni, & fidelium roborationi ſimpliciter neceſſarius eſt. Confirmatur ex *Matth. 23.* ubi, nè arbitrentur homines, caſu vel humanâ tantùm provi- 11.
dentiâ ſubmitti Eccleſiæ Doctores; ait Chriſtus, *à ſe mitti ſcribas, & ſapientes.* Et Paulus *ad Eph. 4.* ſcribit, quod *Chriſtus aſcendens in altum dederit quoſdam Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus Miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.* Ex quibus Gammachæus *Comment. in 1. par. q. 1. c. 3.* rectè concludit, eſſe Iuris Divini, ut ſint Doctores, ſeu Theologi in Eccleſiâ. Quod Ius Divinum primariò tangere Epiſcopos, & Paſtores animarum, innuit Paulus *Titi. 1. Epiſcopus*, inquiens, *ſit potens exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt, arguere.* Conſtat igitur Theologiam, utpote cujus Doctores ſecundùm S. Auguſtin *lib. 2. cont. Iulian. c. ult. poſt tempora Apoſtolorum ſint Eccleſiæ Plantatores, Rigatores, Ædificatores, Paſtores, ac Nutritores*, non tantùm ex generali neceſſitatis ratione, ſed ſpeciali Iure Divino Eccleſiæ neceſſariam eſſe *pro ſingulis*, non tamen *in ſingulis* ſuis membris: alij enim in Corpore Chriſti Myſtico *ſunt oculi, alij pedes, alij manus, ſuntque gratiarum Diviſiones, ita ut Deus aliquos* duntaxat *ponat in Eccleſiâ Doctores. 1. Corinth. 12.*

CONCLUSIO II.

THeologia ſecundùm methodum Scholaſticam non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed valdè utilis Eccleſiæ. *Ita Theologi communiter.* 12.

Probatur. Theologia Scholaſtica non differt ſecundùm ſubſtantiam, ſed tantùm ratione methodi à Theologiâ antiquorum Patrum, quia totam Doctrinæ revelatæ maſſam indigeſtam exactiùs pro utraquè contradictionis parte ponderatis difficultatibus, ac diſtinctis quæſtionibus, redegit in unum Corpus, quod antiquitùs in varios erat diſperſum Tractatus, nullo inter ſe or-
dine connexos. Deinde licèt Patres antiqui 13.
pugnando adverſùs hæreſes, ac errores, non tantùm claris Scripturæ verbis uſi ſint, ſed ex principijs Fidei argumentando, multas deduxerint veritates, in his tamen ad captum æquè inſipientium atquè ſapientium proponendis amplectebant

ctebantur ordinem potiùs Oratorium, quàm Dialecticum. At Theologia Scholastica breviorem ac firmiùs concludentem methodum Dialecticam apprehendens, singulas Doctrinæ revelatæ quæstiones ita expendit ad fidei normam, & rationis trutinam, ut earum principia & consequentias exactissimè scrutetur. Unde fit, quòd Theologia Scholastica non se contineat intra fidei fundamenta, & veritates ex his deductas, ac definitas ab Ecclesiâ, sed ad alias remotiores aliquando evidenter, aliquando probabiliter inferendas descendat. In quo, si absit quorundam fortè vitium, (qui ut subtilitates non admodùm utiles ad ostentationem magis rimentur, utiliores, vel substantiales quæstiones aut resecant, aut jejunè pertractant, aut per nimiam licentiam ad assertiones fidei, ac bonis moribus vix consonas declinant) non parum utilitatis & laudis esse ostenditur sequentibus rationibus. Tum quia consequentijs etiam remotioribus exactiùs penetratis, faciliùs est occurrere erroribus in fidei doctrinâ pullulantibus. Tum quia hac ratione elucidatur Sapientiæ divinæ veritas, quæ *Eccles. 24.* ait, *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Tum quia consequentiæ probabiles incitant ad disputationem, quæ juxta commune adagium, est Cos veritatis. Neque parum juvat discussio singularum, etiam probabilium rationum ad certam tandem veritatem statuendam: cùm etiam Apostoli *Actor. 15.* magnam habuerint inter se conquisitionem de Legalibus Cæremonijs, priusquàm facerent aliquam definitionem. Tum quia non superficiem duntaxat, sed profundum veritatis scrutatur sapiens, *Exquirendo sapientiam antiquorum, vacando in prophetis, conservando narrationem virorum nominatorum, occulta proverbiorum exquirendo, & in versutias parabolarum introeundo. Eccles. 39.* At verò aliqua istorum mediorum indagandi veritatem niti doctrinâ Philosophorum, narratione ac interpretatione Doctorum, perscrutatione occultorum ex viribus proprij judicij informati sapientiâ prophanâ & divinâ, constat ex ijs, quæ fusiùs tradit Cornelius à Lapide *in Eccles. cit. c. 39. v. 1. 2. & 3.* Consequens igitur est, laudis esse, argumentis ac medijs non certis duntaxat, sed authoritate etiam humanâ, vel proprij judicij lumine plerumquè probabili tantùm nitentibus exquirere sapientiæ divinæ veritatem. Ex quibus manifestè evincitur Theologiæ Scholasticæ utilitas, cujus adeò intuitu, ac respectu Innocentius Tertius *in Concil. Lateran.* laudavit Magistrum sententiarum ex Theologiâ in ordinem, ac Methodum Scholasticam redactâ. Et Urbanus IV. *in Extravag. Laudabilis Deus*, summopere deprædicat Summam Theologicam à Divo Thomâ Aquinate compositam. Deniquè sacra Cardinalium Congregatio in *notis sess. 5. Conc. Trident. de reform. c. 1. n. 16.* declaravit: præcepto de habendâ lectione Sacræ Scripturæ in Ecclesijs Cathedralibus, ac Metropolitanis, nec non Monasterijs ac Conventibus Regularium, satisfieri per Theologiam Scholasticam.

14\. 15. 16. 17. 18.

Responsio ad Argumenta opposita.

19\. Ad primum *num. 2.* oppositum Respondetur, Quærendo ex istis Novatoribus, ex quo veritatis fundamento Theologiam Scholasticam arguant Novitatis, cum *Ecclesiastis. c. 1. v. 10.* scriptum sit: *Nihil esse sub sole novum, nec quemquam valere dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessisse in sæculis, quæ ante nos fuerunt.* Hoc enim exponens S. Tho. *1. p. q. 73. a. 1. ad 3.* ait: *Nihil esse adeò sub sole novum, quin præcesserit vel in sua specie, vel in causis suis, vel in simili.* Quod de Theologia Scholasticâ vel maximè procedit, cujus substantia est discursus *circa, & ex revelatis*, cujusmodi cum Ecclesia natum, & ad nostra usquè tempora progressum fuisse, constat *ex præs. quæst. init. à. n. 2.*

20\. Neque Theologia Scholastica ab antiquâ Patrum scientiâ Divinâ differt, nisi quòd universa doctrina revelata priùs dispersa cum illationibus exinde deductis in unum Corpus jam redacta, & pluribus progressu temporis circa Divinitus revelata discurribus aucta sit: quod non est innovare doctrinam, sed in studio Divinæ sapientiæ excolendo imitari Patres antiquos, atque *doctum scribam in regno Cœlorum* seu Ecclesiâ agere, cujus secundùm parabolam Christi *Matth 13.* est, de *Thesauro* sacræ scripturæ *Vetera & Nova* in antiquis tamen fundata *proferre.*

21\. Cujus figura eleganter præsignata fuit per visionem *Ezechielis 47.* ubi cum propheta vidisset aquas redundantes à latere dextro, vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu suâ, & mensus erat mille cubitos, traduxit eum per aquam usquè ad talos; rursumquè mensus est mille, & traduxit Prophetam per aquam usquè ad genua; & denuò mensus est mille, & traduxit eum per aquam usquè ad renes, iterum mensus est mille, & intumuerant aquæ torrentis, qui non poterat transvadari. In quod S. Hieronymus, aquas Salvatoris, ait, significare doctrinam, quæ successu temporis crescat, nec possit unquam omninò pertransiri. Si ergo Divinæ doctrinæ pelagus non potuit ab Antiquioribus esse exhaustum; immeritò succensent Hæretici Theologiæ Scholasticæ, mediante quâ *hauriunt* fideles *aquas de fontibus Salvatoris*, id est, juxta Chaldaicam versionem *addiscunt Novam* in antiquâ tamen fundatam *Doctrinam ab Electis Justorum*, nimirum Ecclesiæ Doctoribus, ac Theologis.

22\. Verùm prætermittendum non est, quin Novitatis contra Theologiam reprehensio in Novatores illos retorqueatur, nisi doctrinam suam eatenùs antiquam astruere velint, quòd imitentur serpentem antiquum, qui à mundi statim principio Verbum, ac Præceptum Dei *Gen. 3.* commentatus falso commento, *Evam decepit.*

23\. Ad secundum *n. 3.* oppositum *R.* Non posse Paulum *ad Col. 2.* veram Philosophiam vocâsse *inanem fallaciam*, quam aliàs dixerat, esse à Deo. *Quod notum est DEI*, inquiens, *manifestum est in illis sc.* Philosophis Ethnicis: Deus *enim in illis manifestavit. ad Rom. 1.* Idem Apostolus Athenienses de idololatriâ redarguens, usus fuit tum formâ, seu consequentiâ Dialecticâ, tum principio ex Philosophiâ ipsorum desumpto. *In ipso enim* sc. Deo inquiebat, *vivimus, movemur & sumus: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Genus ergò cum simus Dei, non debemus æstimare*

æstimare auro vel argento aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis Divinum esse simile. Act. 17. v. 28.
24. *& 29.* Hoc igitur Apostoli exemplum imitati Sancti Patres *Clem. Alexand. lib. 1. & 6. strom. Aug. lib. 2. Doct. Christ. c. 16. & 31. Item epist. cont. Crescon. l. 1. c. 13. ac seqq. Hieronym. Epist. 146. ad Damas. & dialog. cont. Luciferianos Damasc. lib. 4. de fide Orthod. c. 18.* disertis verbis commendarunt, imò & usi sunt in tractandis rebus divinis subsidio Dialectices, atque scientiarum naturalium, ita tamen castè & cautè, ut sapientia Divina supernaturali fidei lumine nixa exhiberet se Dominam, cui tanquam Ancillæ inservirent scientiæ luminis naturalis. In quem sensum *S. Thomas præsent. q. 1. a. 5. arg. Sed contra.* adducit illud *Prov. 6. Sapientia misit ancillas suas*, scientias scilicet naturales, *ut vocarent ad arcem.*

25. Quem proinde Theologicæ Sapientiæ super lumen naturale, ac scientias Philosophicas principatum evertentes Hæresiarchæ, antiquorum Philosophorum doctrinas ad altiora fidei Mysteria minùs sobrie, ac incautè applicando, varia adversùs Divinam Doctrinam commenta inducere conati sunt in Ecclesiam, Stoicis errori Manichæorum, & Priscillianistarum, Platone hæresi Arrianorum, Aristotele malè intellecto delirijs Apollinaris semina subministrantibus. Sic ergò fidei lumine supernaturali posthabito naturali lumini ac proprij judicij instinctui, Doctrina Christiana tracta fuit in jocum, Philosophis factis Patriarchis Hæreticorum, dum isti per proprij judicij pertinaciam falsa dogmata ex illis sibi affricabant.

26. Non igitur sobrius ad regulas fidei, ac Theologiæ moderatus Dialectices, ac Philosophiæ usus in rebus divinis tractandis damnatur à Sanctis Patribus, sed luminis naturalis & proprij Iudicij adversùs Orthodoxam, & divinam Doctrinam pertinax hæreticis propria inhæsio: ex quâ non nisi fallax, & inanis Philosophia & Fidei doctrinæ perversa interpretatio consequitur. Unde non minor morum dissolutio aperitur, atque ex Philosophiâ Epicureorum, quam Apostolus *sup. ad Colos. 2.* tanquam deceptoriam & fallacem præcipit evitandam, prout illum locum interpretatur *Clemens Alexandr. lib. 1. strom.*

CONTROVERSIA III.

Quotuplex sit Theologia.

Conclusio I.

Theologia latiùs accepta dividitur in Theologiam Dei, Beatorum, ac Viatorum, *ex S.*
1. *Th. præsent. q. 1. a. 2.* Theologia Dei est visio divinæ essentiæ actuantis Intellectum Dei ad sui, & omnis cognoscibilis comprehensionem *uti conformiter ad mentem S. Th. 1. p. q. 14. tradit Scotus. q. 3. prol. n. 23.* De hac docet Navarretus. *1. p. q. 1. a. 2. cont. 4. §. 1.* in ratione specificâ Theologiæ esse univocam cum Theologiâ Beatorum, & Viatorum, & analogari tantùm in ratione entis. Sed hoc tanquam Doctrinæ Divi Thomæ *1. p. q. 13. a. 5. & q. 32. a. 1. ad 2.* contrarium reijciemus infra *q. 3. art. 2. cont. 2.* Movet etiam Arriaga. *1. p. disp. 18. sect. 4. subsect. 1.* Deum cognoscere creaturas non tantùm *in se*, sed etiam *ex se*, adeoquè ratione nostrâ posse in Deo consignari formalitatem discursûs; de quo infrà *q. 5. a. 1.* Si tamen ista sententia subsisteret, consequens foret, Theologiam Dei sub ratione specificâ scientiæ quâ ex lumine divino discursivæ convenire analogicè cum nostrâ Theologiâ.

In Beatis duplicem distinguit Theologiam 2.
Nazarius *1. p. q. 1. a. 2. cont. 2. §. Tertiò notandum.* Matutinam sc. ac Vespertinam. Hanc consistere *ait* in speciebus acquisitis per hujus vitæ discursum ex principijs divinâ fide creditis, ac in intellectu Beati manere formaliter quà discursivam. Illam verò, negat, esse discursivam, utpote, quæ formaliter sit Divinæ essentiæ, & in hâc creaturum visio intuitiva, seu quidditativa. Secùs Scotus *cit. q. 3. prolog. n. 27.* arbitratur, Intellectum Beatorum posse ex quidditatibus creatis in essentiâ Dei visis discurrere ad veritates seu proprietates in eis inclusas, adeoquè in Beatis posse esse scientiam verè Theologicam quoad omnes scientiæ conditiones. Verùm de his non modicas difficultates continentibus differemus *seq. art. & infra de Visione Dei q. 4.* Theologia Viatorum strictè sumpta est scientia ex obscuris principijs fide supernaturali cognitis illativa veritatum seu conclusionum.

Conclusio II.

Theologia Viatorum dividitur in Symbolicam, & Demonstrantem.

Explicatur hæc divisio, & probatur non esse 3.
se in membra intrinsecè, ac essentialiter differentia. Nam Symbolicæ Theologiæ *secundùm Divin. Dion. de Myst. Theolog. cap. 3. n. 1.* est, à formis sensibilibus in sacrâ Scripturâ Deo attributis ascendere ad divinas Dei nominationes contentas sub Mystico sensu figuræ v. g. corporeæ, furoris, insaniæ, ebrietatis, crapulæ, somni, vigilationis, vel aliarum Symbolicæ Deiformationis sanctarum formationum.

Econtra Theologiæ Demonstrantis *in Theo-* 4.
logicis Hypotiposibus, & lib. de divinis Nominibus ab eodem Divino Doctore explanatæ est, Divinas perfectiones Bonitatis, Sapientiæ, Vitæ, Potentiæ, &c. emanationes Filij, & Spiritûs S. circuminsessionem, seu mansionem Divinarum Personarum in se ipsis explicare non figuratis, & translatis, sed propriè usurpatis vocibus.

At utraque hæc Divinarum veritatum in- 5.
dagatio procedit ex uno fidei infusæ, ac Divinæ revelationis lumine: nec aliud Mysticus, & figuratus sacræ Scripturæ sensus, quàm litteralis, & apertus de Deo enuntiat. Ergò utraquè Theologia tam Demonstrans, quàm Symbolica constat ijsdem principijs ac lumine fidei infusæ, easdemquè de Divinis perfectionibus infert consequentias. Ergò in ratione scientiæ Theologicæ non differunt essentialiter ac intrinsecè, sed in vocibus duntaxat, & in modo extrinseco tractandi divina.

Conclusio III.

Theologia tam Demonstrans, quàm Symbolica subdividi potest in Mysticam, & Scholasticam.

Explica-

6. Explicatur hæc diviſio, & Probatur. Nam 1. Theologiæ Myſticæ actus eſt contemplatio. *Div. Dion. lib. de Theolog. Myſt. c. 1. n. 4. & 6. juxta expos. Alberti Magni. ibi. S. Bonav. de Luminaribus Eccleſiæ. ſer. 2. Dion. Carthus. de fonte lucis. c. 13.* At contemplatio eſt actus Doni Sapientiæ. *S. Th. 2. 2. q. 45. a. 3. S. Bonav. de ſeptem itineribus æternitatis. diſt. 2. & lib. de ſeptem Donis Spiritûs ſancti. §. de Dono Sapientiæ.* Ergò Theologia Myſtica pertinet ad Donum Sapientiæ, *uti rectè probat Ioan. à Ieſu Mariâ de Myſt. Theologiâ. c. 1. & innuit* Div. Dion. *cit. c. 1. n. 1.* Theologiam Myſticam vocans Divinam Chriſtianorum Sapientiam. Sed donum Sapientiæ eatenùs differt à fide, quòd hæc propter authoritatem Dei ſimpliciter aſſentiatur Veritati Divinæ: illud verò Divinam Veritatem fide infusâ præcognitam judicet, ac æſtimet, unde fides præſupponitur ad Donum Sapientiæ, *S. Tho. 2. 2. q. 8. a. 6. & q. 45. a. 2. ad 2.* At verò Theologia Scholaſtica nititur fide infusâ. Ergò alia ratio luminis divini eſt in Theologiâ Scholaſtica, quàm Myſticâ, lumini Doni Sapientiæ innixâ.

7. Secundò Theologia Scholaſtica ex principijs fide Divinâ creditis diſcurrendo, deducit concluſiones. At contemplatio, ceu Myſticæ Theologiæ actus ex fide aut diſcurſu circa Divina præſuppoſito altiùs aſcendit, figendo intuitum in ſimplici conſpectione Divinæ Veritatis. *Div. Dion. c. 4. de divin. Nom. & S. Th. 2. 2. q. 180. a. 6. ad 2.* Ergò Theologia Scholaſtica diſtinguitur rea-
8. liter & formaliter à Theologiâ Myſticâ, etſi illa ſuis diſcurſibus huic aperiat viam ad contemplationem, adeoquè in Theologis Scholaſticis ad puritatem, & ſanctitatem vitæ aſpirantibus ſint comites individuæ: non enim diſcurrit Theologia Scholaſtica ſine fide, hæc autem in juſtis operatur per Dilectionem *ad Galat. 5.* Dilectio autem excitat contemplationem, ſeu ſapidam Dei notitiam. *D. Thom. 2. 2. q. 45. a. 2.* Quod inſinuavit Albertus magnus. *1. p. Sum. Theol. tract. 1. q. 2.* definiens Theologiam *ex Sap. 10.* quòd ſit ſcientia Sanctorum inclinans ad pietatem, ſeu perfectionem fidei, Spei, Charitatis, & Religionis.

9. Tertiò Probatur, rationem Theologiæ tum Symbolicæ, tum demonſtrantis convenire utriquè Diviſionis membro. Nam æquè Myſtica, atquè Scholaſtica procedit, altera contemplando, altera diſcurrendo ex ſenſu tam litterali, quàm Metaphorico Sacræ Scripturæ. Ergo ambæ participant de Theologiâ Symbolicâ & Demonſtrante: etſi Myſticæ magis innatum ſit, ex figuratis Dei formationibus introire in Divinitatis ſuperlucentem caliginem. Unde videtur *Myſtica* nomen ſortita, ac per denominationem à potiori plerumquè confunditur cum *Symbolicâ*.

Conclusio IV.

Theologia, prout in ſcholis tractatur, non ex differentiâ eſſentiali luminis, vel materiæ ſaltem adæquatæ, ſed ob diverſitatem methodi in exponendis Divinis revelationibus & applicandis ad diſcurſus Theologicos diſtinguitur in *Poſitivam, Scholaſticam, & Moralem.*

Explicatur & Probatur: Nam Theologiæ 10. ratio formalis objectiva conſiſtit in Deducibilitate ex principijs revelatis. At inprimis poteſt veritas per diſcurſum deduci ex principijs revelatis, loci alicujus Sacræ Scripturæ ſenſum inveſtigando ex collatione diverſorum ſacrorum textuum, ac Idiomatum, nec non interpretatione SS. Patrum; quod ſpectat ad *Theologiam Poſitivam.* Deinde concluſio per formalem conſe- 11. quentiam ex revelatis deducta quandoquè pertinet ad mores, & praxin, ſeu obſervantiam Dei, ac Eccleſiæ mandatorum. Quòd ſi fiat ſimpliciori Dialectices methodo, pertinet ad *Theologiam Moralem.* Denique in eruendis ex fide, ſeu 12. revelatione Divinâ veritatibus Theologia quandoque utitur accuratiori, & ſubtiliori formâ Dialecticâ tum ad explicandam, & nutriendam fidem, tum ad iſtam propugnandam contra adverſarios, tum ad concluſiones virtualiter in articulis fidei contentas mediantibus conſequentijs etiam remotioribus deducendas. Quæ methodus *Theologiæ Scholaſticæ* propria eſt. Nam *Secundùm Ciceronem 2. de Oratione.* Vir ſubtilis, & apprimè peritus vocatur *Homo de Schola*, in quo adeò ſenſu nomen *Scholaſticus* uſurpârunt S. Auguſtinus *lib. de Cathechizandis rudibus, & S. Greg. apud Tſambertum. 1. p. q. 1. diſp. 5. n. 3.*

Dices: Hac diviſione non continetur The- 13. ologia Controverſiſtica. Ergò non eſt adæquata. Reſpondetur Theologiam Controverſiſticam aliquandò procedere ex methodo *Theologiæ Poſitivæ*, aliquando, ac frequentiùs ex norma *Theologiæ Scholaſticæ.* Ergò ad has eſſe reducendam.

ARTICULUS II.

An, & qualis Scientia ſit Theologia?

Scotus *prol. q. 3. n. 26.* quatuor ad Scien- 1. tiam requirit conditiones, ut ſit cognitio certa, ſit de cognito neceſſario, ſit cauſata à cauſa evidente intellectui, applicatâ ad intellectum per diſcurſum ſyllogiſticum: ſit denique effectus æquivocus reſpectu cauſæ applicatæ per diſcurſum, atque adeò ex parte intellectûs recipientis ſupponat imperfectionem potentialitatis. Quas proinde conditiones unà cum Doctrina Angelici Doctoris *præſenti ſecundo, ac ſequentibus articulis* expoſitâ, diſtinctis aliquot controverſijs circa Theologiam expendimus.

CONTROVERSIA I.

An Theologia Viatorum propter inevidentiam deficiat à ratione perfectæ Scientiæ?

Scotus *cit q. 3. Prol. n. 4. & 30.* Richard. *in 1.* 2. *q. 2. prol.* Ocham. *q. 3.* Mayron. *q. 14.* Durand. *q. 1.* Aureolus *ead. q. 1. a. 3.* Vaſq. *1. p. diſp. 4. c. 6.* Franciſcus Amicus *to. 1. Curſ. Theolog. diſp. 1. ſect. 1.*

ſect. 4. n. 29. Puteanus *1.p.q. 1. a. 2. concl. 1.* Arriaga *1. p. diſp. 1. ſect. 2.* negant; Theologiam, utpote obſcuro fidei lumine nixam, adeoq̀ue inevidentem participare rationem perfectæ ſcientiæ. Fundamentum hujus ſententiæ olim refutatum à Doctore Angelico *præs. a. 2. ad 1.* deſumitur ex Philoſophis, præſertim Ariſtotele. *1. poſt. c. 2.* ſecundùm quos evidentia principiorum Demonſtrationis eſt de eſſentiâ ſcientiæ.

3. S. Thomas *præs. q. 1. ar. 2.* Albertus Magnus. *1. p. ſum. tr. 1. q. 1.* Francis. de Marchiâ *apud Greg. q. 1. prol.* Henricus *in ſum. a. 6. q. 1. & a. 13. q. 6. & 7.* Alenſis. *1. p. q. 1. a. 1. ad 3.* Canus *de Locis Theologicis. c. 2.* Bannes *1. p. q. 1. a. 2.* Hieron. de Medices. *ibid.* Nazarius. *præs. a. 2. contr. 1. concl. 1.* Faſolus. *ibi. dub. 14.* Petrus à S. Ioſeph. *in Proœm. reſol. 2.* ſimpliciter affirmant; Theologiam eſſe veram, & propriam ſcientiam, non obſtante inevidentiâ fidei, cui innititur: in cujus tamen aſſignandâ ratione plurimùm diſcrepant illi Doctores.

4. Franciſcus enim de Marchiâ exiſtimavit, Principia Theologiæ, ſuppoſito fidei aſſenſu, poſſe ſolo naturæ lumine evidenter cognoſci ex penetratione terminorum, ex quâ evidente notitiâ procedere intellectum ad concluſiones Theologicas demonſtrativè inferendas. Heinricus aſ-
5. ſeruit, ex fide naſci intelligentiam juxta lectionem *Septuaginta Iſaiæ. 7. Si non credideritis, non intelligetis.* Hanc verò intelligentiam eſſe lumen ſupernaturale ad generandam evidentiam principiorum ſupernaturalium non minùs efficax, atq̀ue ſit lumen naturale ad progignendam evidentiam principiorum naturalium. Ergò ex illo lumine ſupernaturali derivari evidentiam in concluſiones Theologicas deductas ex principio fidei.

6. Canus, & Faſolus *loc. cit.* maximè *n. 86.* tenent, ſi abſque evidentiâ ſalvetur certitudo aſſenſûs, prout ſit in Theologiâ, ſubſiſtere totam ac perfectam ſcientiæ rationem.

7. Doctor Angelicus *cit. a. 2. ait*, Theologiam eſſe ſcientiam, eò quòd procedat ex principijs lumine ſuperioris ſcientiæ Dei, & Beatorum notis.

CONCLUSIO I.

DEmonſtrationes Theologicæ non conſtant principijs lumine naturali evidenter præcognitis.

8. Probatur. Propoſitiones lumine naturali evidenter cognoſcibiles ſunt notæ vel per ſe, vel per cauſas, vel per effectus evidenter præcognitos. At ſuppoſitâ etiam fide, Myſterium fidei in ſubſtantiâ ſupernaturale nequit lumine naturali adeò penetrari, ut ejus natura cum prædicatis intrinſecis ex ſe ipsâ pateat intellectui creato: quin potiùs talia Myſteria v. g. Unitas eſſentiæ Divinæ in Trinitate Perſonarum, & Unio Verbi omninò immutati cum humanitate videantur pugnare cum principijs luminis naturalis *1. Corinth. 1. Prædicamus Gentibus ſtultitiam.*

Neq̀ue vero lumine naturali ſunt cognoſci-
9. biles effectus aliqui, ſeu cauſæ cum intrinſeco ordine, ſeu proportione ad Myſteria ejuſmodi. Conſequens proindè eſt, quamdiu ambulamus *per fidem, non per ſpeciem. 2. Corinth. 5.* Myſteria ſupernaturalia mediante fidei ſpeculo etiam præcognita manere adhuc *in ænigmate 1. Corinth. 13.* Ergo ex iſtâ obſcurâ & ænigmaticâ fidei cognitione non poteſt intellectui tantum lucis affundi, ut Myſteria ſuo innato lumini improportionata cognitione naturali evidenter cognoſcat.

Oppones: Suppoſitâ fide certò novit intel- 10.
lectus Myſterium v. g. Trinitatis eſſe Divinitùs revelatum. At naturali lumine notum, ac evidens eſt, Deum utpote ſummam Veritatem mentiri non poſſe. Ergò ſuppoſitâ fide vi luminis naturalis evidenter notum eſt, Deum eſſe Trinum. Ergò ex hâc luminis naturalis evidentiâ poteſt intellectus demonſtrativè inferre concluſiones.

Contra: Suppoſitò principio naturaliter 11.
præcognito *Deus revelans mentiri non poteſt*, traheretur intellectus ſuâ innatâ neceſſitate ad aſſenſum Myſterij Divinitùs revelati, ſi hujus revelatio evidenter eſſet propoſita. At intellectum non innatâ vi rapi ad Myſteria fidei; ſed his aſſentiendo redigi in captivitatem obſequij Chriſti, conſtat ex *2. Corinth. 10.* Ergo ſuppoſito etiam illo principio naturaliter noto, Myſteria fidei propter obſcuritatem Divinæ revelationis non ſiunt evidentia.

Inſtabis: Myſteria fidei debent eſſe evidenter credibilia *Pſalm. 92. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Sed teſtimonia Dei ſunt credibilia formaliter, quà revelata. Ergo per evidentiam credi-
bilitatis mediantibus præſertim miraculis mani- 12.
feſtatæ intellectui evidenter patet Veritas Articulorum fidei, utpote Primæ Veritati revelanti innitentium. Sicut enim effectus naturalis evidenter arguit cauſam naturalem, ſic effectus ſupernaturalis ad confirmationem fidei factus Deum revelantem evidenter demonſtrat quà Cauſam ſupernaturalem, velut argumentatur *Dionys. Carthus. & alij apud Franc. de Lugo. cit. c. 1. n. 2.* Hâc igitur Veritatum fidei evidentiâ ſuppoſitâ conſequenter concluſiones Theologicæ ex ijs deductæ ſunt evidentes.

Contra. Evidentia credibilitatis fundat Iu- 13.
dicium practicum, quo intellectus judicat, attentis circumſtantijs alicujus v. g. miraculi hîc & nunc eſſe honeſtum; articulo tanquam Divinitùs revelato aſſentiri propter infallibilem Dei ceu Primæ Veritatis auctoritatem. At hoc judicium cùm pendeat ex circumſtantijs particularibus, & ſecundùm Theoriam contingentibus, nō poteſt eſſe ſcientificum; quia circa contingentia ut ſic non datur diſcurſus ſcientificus, ſeu ratio phyſicè certa, licèt circa ea ſub Moralis regulabilitatis certitudine ſubſiſtere poſſit ratio prudentialis duntaxat, practicè certa & moraliter evidens. Et licèt illud credibilitatis judicium quandoq; fundetur in miraculo, nè tunc quidem ſit abſoluta & phyſica evidentia Divinæ revelationis. *Uti probat Card. de Lugo. tract. de fide. diſp. 2. ſect. 1. n. 22.*

Tum quia ex *Ioan. 12.* conſtat, cùm ad ora- 14.
tionem Chriſti *Pater clarifica nomen tuum*, veniſſet vox de cœlo, *Et clarificavi, & iterum clarificabo*, ex hoc ſigno adeò licèt manifeſto non fuiſſe Deum Patrem loquentem evidenter manifeſtum turbæ audienti, quin potiùs aliqui dicerent, tonitruum
eſſe factum. Tum quia licèt Beatiſſima Virgo de 15.
Verbi Divini in ſe perficiendâ Incarnatione non tantùm à Deo Patre per Angelum eſſet edocta,

ſed Virtus Altiſſimi ipſi tunc obumbraret, quatenus hoc Sacramentum, quòd ſola per ſe Trinitas cum ſolâ, & in ſolâ Virgine operabatur, ipſi ſoli dabatur noſſe, cui ſoli datum erat experiri, uti *eleganter diſcurrit Albertus magnus in. 20. ſuper Miſſus eſt. q. 44.* Nihilominùs hanc ipſam experientiæ, ac Divinæ contemplationis lucem obductâ revelationi Divinitùs factæ quâdam caligine & obumbratione ita temperavit Deus in Virgine, nè fidei meritum ipſi deeſſet, ſed potiùs in conceptione Filij Dei fides MARIÆ eſſet uxor Spiritûs Sancti. *Albertus Mag. de Laudib. Beatiſſimæ Virginis. lib. 4. c. 15.* Unde etiam Eccleſia ex hoc eam dicit Beatam, quòd crediderit.
16. Conſtat igitur, Miracula & Opera ſupernaturalia in conteſtationem & confirmationem fidei facta, ita reddere teſtimonia Dei credibilia, ut hæc tamen non fiant evidentia in Deo atteſtante, ſed Deus ex ejuſmodi ſignis motione gratiæ format judicium duntaxat prudentiale, & practicum de honeſtate aſſenſûs hîc & nunc Divino teſtimonio præbendi. Ergò ſicut articuli Divinâ fide crediti manent obſcuri, ita concluſiones Theologicæ ex ijs per conſequentiam Syllogiſticam deductæ ſunt nevidentes.

CONCLUSIO II.

EX fide nullum naſcitur lumen ſupernaturale, à quo veritates Divinitùs rerevelatæ ſeu principia Theologica reddantur intellectui evidentia.

17. Probatur: Nam Evidentia definitur à Philoſophis Determinatio ad aſſenſum; Hæc autem determinatio in eo ſita eſt, quòd Veritas vel in ſe ipſâ, vel in ratione aliquâ & medio objectivo patens intellectui, hunc ex innatâ ad veritatem propenſione determinet ad aſſenſum. Atqui dum ſumus viatores, ambulamus per fidem *2. Corinth. 5.* Hæc autem eſt argumentum non apparentium. *Hebr. 11.* Ex quâ proinde Myſteriorum credendorum inevidentiâ fit, quòd intellectus non innatâ ſuâ neceſſitate, ſed libero voluntatis imperio determinetur ad fidei aſſenſum. Imò libertate hâc remotâ, ceſſaret fidei meritum, adeoquè ſtatus Viæ. Ergo illud lumen ſupernaturale deſtrueret fidem, ejuſque meritum, ac Viæ ſtatum, ſi Myſteria Divinitùs revelata redderet evidentia, ſeu apparentia.

18. Oppones: Præter habitum fidei dari Dona ſupernaturalia Intellectûs & Sapientiæ. Hæc autem eatenùs à fide diſtinguuntur, quòd hujus ſit, veritatibus revelatis aſſentiri propter authoritatem Divinam: Intellectûs autem ſit, penetrare intima rerum credendarum; & Sapientiæ ſit eas judicare, atquè æſtimare. *S. Thom. 2.2. q.8. a.1. & q. 45. a. 2.* Atqui cognitio eſt formalis quædam objecti in intellectu repræſentatio, ac illuminatio. Ergò res credendæ fiunt formaliter notæ ac illuſtratæ, ſeu evidentes intellectui, quatenùs earum rationes interiores penetrantur, ac æſtimantur à Dono Sapientiæ, ac Intellectûs.

19. Contra: Nam Donum Intellectûs præſupponit fidem *juxta allegatum Iſaiæ 7. Niſi credideritis, non intelligetis.* At verbo Dei per fidem ſupernaturalem attendimus quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat. *2. Pet. 1.* Ergò operatio Doni quoquè Intellectûs ſuperſtructa fidei non tantum lucis habet, ut dies illuceſcat, ſed manet juncta caligini, ſeu obſcuritati. Hinc etiam S. Thomas *2.2. q. 8. a. 2.* docet, Donum Intellectûs in ſtatu præſenti non ita penetrare veritates divinas, ut eas cognoſcat ſecundùm rationes Quidditativas, quatenus ſunt in ſe ipſis, ſed tantùm ſecundùm rationes extrinſecas, quatenùs diſſolvendo argumenta contraria infert, 20.
non eſſe recedendum à fide. Et licèt Intellectûs & Sapientiæ Dona rationes æternas conſpiciendo, & conſulendo, vel etiam contemplando Divinæ Bonitatis Abyſſum, poſſint in hâc vitâ eò uſquè penetrare, ut homo ſupra ſe à Spiritu Divino elevatus, & à ſenſibus abſtractus remoto etiam rationis diſcurſu, rapiatur ad ſimplicem intelligibilis Divinæ veritatis contemplationem, *uti ait S. Tho. 2. 2. q. 180. a. 6. ad 2.* Hoc tamen non fit per intuitivam, vel aliam evidentem cognitionem, ſed per imperium virtutis voluntati inexiſtentis, Charitatis nimirum ſeu Religionis, cum ſuavi divinæ dulcedinis benedictione prævenientis, & captivantis intellectum ad conſpiciendum Bonitatis divinæ abyſſum, ut eo mens fruatur per altiora ſupernaturalium actuum exercitia. Nulla igitur evidentia ex Donis Sapientiæ, & Intellectûs non niſi cum fidei caligine operantium transfundi poteſt in principia, & concluſiones Theologicas.

Inſtabis: Suppoſito, quòd vis intellectiva per aſſenſum tum luminis naturalis, tum fidei 21.
certò conſpiciat intrinſecam, ac neceſſariam duorum extremorum cum medio connexionem, evidenter ac neceſſariò infert, extrema ejuſmodi eſſe etiam inter ſe connexa ſeu eadem. v. g. ſuppoſito aſſenſu, quòd operatio ſequatur naturam, non verò Hypoſtaſin; in Chriſto autem ſint duæ naturæ in uno ſuppoſito, evidenter ſequitur, in Chriſto eſſe duas operationes Divinam, & Humanam inconfuſas & diſtinctas. Conſequens proinde eſt, ex principijs fide Divina creditis derivari quandam evidentiam in concluſiones inde illatas.

Contra: Nam alia eſt Evidentia *Conſequentis*, alia verò *Conſequentiæ*. Hæc enim conſiſtit in 22.
bonitate conſequentiæ & illationis, vi cujus ſuppoſito aſſenſu præmiſſarum, neceſſitatur ac determinatur intellectus ad concluſionis aſſenſum. At iſta *Conſequentiæ* Bonitas & evidentia poteſt eſſe in Syllogiſmo Topico: Ergo non ſufficit ad rationem ſcientiæ, ſed opus eſt aliquâ evidentiâ *Conſequentis*, ſeu objecti ſcientifici, quæ in eo ſita eſt, quòd objecti veritas ex ſe ipſâ convincat, ac determinet intellectum: Eſt autem ſcientifici aſſenſûs objectum *materiale* Connexio extremorum concluſionis; *formale* verò objectum eſt connexio extremorum cum medio quà explicata in præmiſſis demonſtrationis. Ergò ad diſcurſum ſcientificum, ac demonſtrativum requiritur, Veritatem connexionis extremorum cum medio ita eſſe propoſitam, ut ex ſe ipſa rapiat intellectum ad ſui, & conſequenter Concluſionis aſſenſum.

Atqui connexio extremorum cum medio in 23.
Diſcurſu Theologico non ita proponitur, ut ex ſe ipſâ determinet, ſeu convincat intellectum, ſed tegitur ſub obſcurâ Dei revelatione, in cujus adeò obſequium captivari debet intellectus fide infuſâ inſtructus, Ergò objectum formale aſſenſûs Theologici nec in ſe ipſo, nec in medio, ſeu ratione aliquâ objectivâ eſt evidens intellectui Viato-

Viatoris, sed in lumine duntaxat superioris scientiæ. *De quo infra concl. 4.*

Conclusio III.

ASsensus Theologicus quà ex principijs per fidem Divinam certò, sine tamen evidentia cognitis discursivus est strictè ac propriè scientificus.

24. Probatur. Evidentia principiorum in scientijs etiam naturalibus ad scientificum assensum se habet *Causaliter*, non autem *Formaliter*, ac *essentialiter*. Ergo ratio scientiæ potest secundùm quidditatem, ac essentiam adæquatè subsistere absque principiorum vel conclusionis evidentiâ. Probatur tam Antecedens, quàm Consequentia ex Aristotele *1. post. c. 2.* ita dilserente: *Perfectè rem scire unusquisque censetur, quando causam, per quam res est, ita ipsius rei causam cognoscit, ut non posse omninò aliter rem se habere credat.* Ex quo patet, scientiæ rationem Quidditativam *formaliter* & *adæquatè* consistere in certitudine causæ, & effectûs per

25. causam cogniti. At certitudo nihil aliud est, quàm necessitas veritatis, distinguiturque in *Objectivam*, vi cujus veritas objecti est æterna & immutabilis, ita, ut aliter se habere non possit, & *Formalem*, vi cujus intellectus cognoscit certò objecti veritatem non posse aliter se habere. Hanc igitur duplicem veritatis infallibilitatem, seu certitudinem in perfectâ scientiâ exigit Philosophus (priorem; asserendo; *Rem, quæ sub scientiam cadit, ita esse certam ut omnino aliter esse non possit*: posteriorem, affirmando: *Scientem debere ita rei causam cognoscere, ut non posse aliter se habere credat*: sumpto *li credat* pro certitudine cognitionis, prout inferiùs *circa fin. dict. cap.* exponit dicendo; *Neminem alijs rebus majorem fidem habere, quàm ijs, quæ certò scit.* Illa proinde certitudo *formalis* tum principiorum tanquam causæ, tum conclusionis tanquam effectûs in scientijs naturalibus fundatur, & radicatur in evidentiâ, non enim potest intellectus connexionem prædicati cum subjecto, & extremorum Syllogismi cum medio vi luminis naturalis judicare quà necessariam, & infallibiliter veram, nisi vel in se, ac per se nota sit lumini intellectuali, vel evidenter deducatur ex per se notis. Quod præter Philosophum *loc. cit.* expressit S. Thomas *q. 14. de Verit. a. 9.* *Quæcunque* inquiens, *sciuntur propriè acceptâ scientiâ, cognoscuntur per resolutionem in principia, quæ per se præstò sunt intellectui.*

26. Quæ porrò evidentia ita transfunditur in conclusiones scientificas, ut hæ dicantur non *immediatè*, sed *mediatè* duntaxat evidentes *non in se*, sed *in suâ causâ*. Ista verò Mediata conclusionum in causis seu principijs saltem remotis evidentia in eo sita est, quòd veritas principiorum, in quæ saltem remotè, & ultimatè fit resolutio, habeat ex se vim determinandi intellectum tum *immediatè* ad sui, tum *mediante discursu* ad conclusionum certum, & infallibilem assensum. Constat igi-

27. tur, evidentiam se habere tantùm *Causaliter* ad assensum scientificum, hujus autem rationem *formalem*, & *Quidditativam* consistere in certitudine notitiæ discursivæ ex principijs certò, & infallibiliter cognitis; velut *Aristot. cit. c. 2.* in fine clarè asseruit, *Scientem hominem*, inquiens, *ita esse immutabilem, ut omnino labi, atque errare non possit.* Atqui totam hanc certitudinis & infallibilitatis rationem convenire Theologiæ ex eo, quòd nitatur lumine superioris ac Divinæ scientiæ, *seq. Conclus.* demonstrabitur. Ergò Theologia secundùm rationem essentialem in rigore etiam Philosophico est propria & perfecta scientia.

Conclusio IV.

RAtio certitudinis, atque adeò scientiæ derivatur in Theologiam Viatorum ex lumine superioris scientiæ Dei, & Beatorum. *S. Tho. cit. a. 1.*

Probatur, & explicatur 1. Scientia enim generatur per discursum Demonstrativum. *Aristot. 1. post. c. 2.* At discursus importat tum præmissas, tum conclusionem, ita, ut præmissæ, si non physico efficientiæ influxu, saltem formaliter determinando intellectum causent, ac inferant conclusionem: hæc verò sit ipsamet forma actualis scientiæ. Unde præmissæ Demonstrationis *Causaliter* & *efficienter*, Conclusio verò *formaliter* facit *actu* scire. Atqui Demonstrationis seu Discursûs Theologici præmissæ objectivæ sunt connexio extremorum syllogismi cum medio, quà credita per fidem infusam, illa verò conexio, quà certo, & infallibiliter credita nititur tanquam *ratione Formali objectivâ* revelatione Dei quà Primæ Veritatis. At hæc ipsa extremorum connexio est ratio formalis propter quam assensûs & conclusionis Theologicæ. Ergo hujus certitudo, & infallibilitas resolvitur in primam Veritatem quà revelantem. Hæc verò ut sic formaliter importat infallibilitatem scientiæ Dei, quà communicatæ per revelationem. Ergo ratio certitudinis adeòque scientiæ in Theologiâ derivatur ex lumine Divinæ scientiæ. 28.

2. Veritates per fidem in viâ creditæ per claram cognitionem vel Matutinam, vel Vespertinam videntur in patriâ. Ex his autem veritatibus saltem quà cognitis per cognitionē Vespertinam anima beata est discursiva. At discursus ejusmodi, utpote procedens ex lumine supernaturali est Theologicus. Ergò in patriâ discursus Theologicus nititur lumine scientiæ Beatorum. At *infra* probabitur, conclusiones, ac illationes objectivas talium in patriâ discursuum posse attingi à Theologiâ in statu viæ comparatâ, & quoad substantiam realiter manente in intellectu Beatorum. Ergò scientia beatorum potest respectu nostræ Theologiæ esse habitus principiorum. At tota certitudo, & ratio scientiæ ut sic est ex habitu principiorum. Ergo Theologia nostra quà scientia potest in patriâ esse derivata ex lumine scientiæ Beatorum. 29.

Responsio ad fundamenta Adversariorum.

AD argumentum *sup. num. 2.* oppositum Respondetur. Ex Philosopho citato *& supra conclusione 3.* inducto constare, quòd evidentia non formaliter ac quidditativè, sed Causaliter se habeat ad assensus scientificos. Quod etiam insinuavit S. Thomas *cit. q. 14. de Verit. a. 9.* ubi scientiarum naturalium evidentiam resolvit in prima, ac per se nota principia tanquam earum causas. In quo sensu videtur etiam locutus *Scotus q. 3.* 30.

tus q. 3. Prolog. n. 26. ſcientiam ſtrictam ex Ariſtotele deſcribens, quòd ſit cognitio certa de cognito neceſſario cauſata à causâ cognitâ intellectui evidente, & applicatâ per Diſcurſum Syllogiſticum. Unde evincitur, evidentiam, ex doctrinâ Subtilis quoquè Doctoris, ſolùm Cauſaliter ſe habere ad ſcientiam, cujus ratio formalis conſiſtat in cognitione certâ de objecto neceſſario per diſcurſum Syllogiſticum infallibiliter cognito. Cùm proinde iſta certitudinis ac infallibilitatis ratio ex principijs obſcuris, ſed ſupernaturalibus, ac non minùs certis, quàm ſint propoſitiones lumine naturali evidentes, per diſcurſum ſyllogiſticum derivetur in concluſiones Theologicas; non videtur Scotus ſatis conſequenter locutus *cit. q. 4. Prolog. & in 3. diſt. 24. q. un. n. 16.* negans, Theologiam eſſe ſcientiam propriè dictam.

32. Inſtabis: Theologia verſatur circa contingentia. v. g. Sacramenta, Incarnationem Verbi, & ſimilia. At ſcientia verſatur circa neceſſaria, æterna, & immutabilia. Ergò Theologia non eſt ſcientia.

Reſpondetur ex Scoto *cit. q. 3. Prolog. n. 28.* In ſcientiâ eſſe perfectionis, quòd ſit certa & evi-

33. dens *Evidentiâ nimirum mediatâ*, & radicatâ *in lumine ſuperioris ſcientiæ, vel habitûs principiorum:* quòd autem ſcientia ſit de objecto neceſſario, eſſe conditionem objecti, non cognitionis, Si proinde cognitio aliqua contingentium ſit certa, & *in lumine ſaltem ſuperiori* evidens, eſſe formaliter in ratione

34. ſcientiæ perfectam. At contingentia quatenùs pertinent ad Theologiam Dei, & Beatorum ſunt nata videri in primo objecto Theologico, Eſſentiâ nimirum Divinâ, in quâ habent evidentiam perpetuam, & veritatem æternam, atquè immutabilem. Eadem porrò contingentia quatenus ſubſtant Theologiæ Viatorum in prætactum ſcientiæ Divinæ lumen reducuntur mediante ſuo principiorum habitu, Fide nimirum Theologicâ *quæ eſt lumen locans credentes in primâ Veritate & primam Veritatem in ipſis immobilibus, ex Diu. Dion. lib. de Divin. Nom. c. 7.* Ex quo proinde lumine Theologia diſcurrendo circa objecta alioquin contingentia, certiùs hæc ſcit, quàm ea, quæ intellectus humanus ex lumine ſibi connaturali cognoſcit: *velut eleganter differit Albertus Magnus 1. p. ſum. Theolog. q. 1. ad 2. & 3.*

35. Replicabis. ex Scoto *cit. n. 28.* Scientia *ſecundùm Ariſtot. 1. poſt. c. 2. ac ſeqq.* requirit non tantùm certitudinem, & evidentiam cognitionis; ſed objecti neceſſitatem. Ergò Theologia quatenus verſatur circa contingentia, non eſt ſcientia ſecundùm rationem ſcientiæ *à Philoſopho ſupra* poſitam; quamvis poſſit dici ſcientia, prout ab *Ariſtotele 6. Ethic.* dividitur contra Opinionem & ſuſpicionem. Imò Theologia de contingentibus non habet evidentiam ab alijs prioribus mendicatam, ſed de eis, prout in ſe ipſis videntur in objecto Theologico, habetur evidentia immediata, adeoquè eorum notitia magis aſſimilatur intellectui principiorum, quàm ſcientiæ concluſionum.

36. Reſpondetur. Contra Scotum ex Ariſtotelé *cit. 1. poſt. c. 2* ad rationem ſcientiæ ibi poſitam non tam requiri, quòd res ſcita ſeu objectum ſcientiæ materiale ſit in ſe neceſſarium, quàm ejus neceſſitas derivetur ex principijs Demonſtrationis tanquam causâ motivâ ſcientiæ, Philoſopho ubi *ſupra* atteſtante: *Tunc rem perfectè ſciri, quando cauſa, per quam res eſt, ita cognoſcitur ipſius rei cauſam eſſe, ut non poſſe rem aliter ſe habere credatur.* Ex his enim patet, ad ſcientiam ſufficere, ac requiri, quòd immutabilitas, æternitas, ac neceſſitas rei ſcitæ derivetur ex causâ, ita ut propter hanc ſciatur, rem omninò aliter ſe habere non poſſe. Atqui Cauſa, in quam reſolvitur Theologia, eſt Prima Veritas, in quâ, & propter quam Contingentia ſunt æterna, immutabilia, & neceſſaria. Unde Albertus Magnus *cit. q. 1. argum. ſed Contra. 1. & 2.* ait, Theologiam ſcire ex primo per altiſſimas cauſas, ac ex immobiliſſimis, adeoquè eſſe veriſſimè ſcientiam, imò & ſapientiam. Hinc ulteriùs ſequitur; haud ſubſiſtere, quòd Subtilis Doctor Theologiam, quatenùs eſt de contingentibus imaginariè aſſimilarit habitui Principiorum, quaſi rationem ſapientiæ ſolùm participaret, prout agit de neceſſarijs. 37.

Nam de ſingularibus & Contingentibus v. g. Binâ Chriſti operatione, & Tranſubſtantiatione Euchariſticâ, quatenùs in individuis conditionibus ſunt Myſteria ſecundùm ſe contingentia, & neceſſaria duntaxat in Prima Veritate revelante; Patres Orthodoxi ex divinis revelationibus diſcurrendo in Oecumenicis Concilijs aliquas ſubinde veritates definierunt. At omnis veritas cauſata in intellectu per aliquid prius ſive naturaliter ſive ſupernaturaliter cognitum, cauſatur per diſcurſum. *Ex Scoto. cit. q. 3. Prolog. n. 27.* Veritas autem illata per diſcurſum habet certitudinem mendicatam ab alijs prioribus. Ergo non pertinet ad intellectum principiorum, ſed ſcientiam concluſionum, *uti contra Subtilem Doctorem ex ipſiuſmet doctrinâ cit. n. 28. argui poteſt.* Conſtat igitur, Theologiam, quatenus per altiſſimas cauſas ex principijs Primâ & increatâ Veritate nixis diſcurrit etiam de contingentibus ac ſingularibus, ſortiri rationem tum ſcientiæ, tum ſapientiæ. 38.

Urgebis ex S. Thom. *in 3. diſt. 33. q. 1. a. 2. quæſtiunculâ 4.* ita diſſerente. *Si eſſet aliqua ſcientia, quæ non poſſet reduci ad principia naturaliter cognita, non diceretur univocè ſcientia.* At ejuſmodi eſt Theologia. Ergò tantùm analogicè, vel æquivocè dicitur ſcientia, utpote cui non conveniat definitio Ariſtotelis, *1. poſt.* tradita, *velut allegatis Capreolo, & Sylveſtro* arguit Nazarius. *1. p. q. 1. a. 2.* & aliquâ ratione inſinuat Cajetanus *eod. art. §. ad evidentiam hujus difficultatis.* eò quòd verſetur circa contingentia, etiam ſingularia, quæ non ſiunt certò intelligibilia, niſi per abſtractionem conditionum individuantium. 39.

Reſpondetur. Scientiæ quâ *in lib. poſt. ab Ariſtotele expoſita* rationem Formalem & quidditativam conſiſtere in cognitione certâ concluſionis propter Cauſam. Hæc autem certitudo quâ derivata ex lumine naturali à Philoſopho ſupernaturalis elevationis experte *cit. lib. poſt.* reducitur in principia per ſe nota ac evidentia intellectui. At quia mens humana divinis informationibus illuſtrata ex altiori, ac Deiformi lumine diſcurrendo certitudine longè perfectiori firmatur in veritatibus ex ſe quidem contingentibus, ſed omninò neceſſarijs, quà innitentibus æternæ, ac Primæ Veritati; Idcircò diſcurſus ejuſmodi ex lumine ſupernaturali procedentes pariunt ſcientiam, quæ ſortiatur quidditatem ſcientiæ, non quidem ſub ratione *ad lumen naturalem concretâ*, 40.

& unica

& unicè cognitâ ab Aristotele, sed *sub altiori abstractione* Philosopho incognitâ, simpliciter tamen comprehensa sub verbis, ac sensu Definitionis A-
41. ristotelicæ. Unde, quando Angelicus Doctor *ubi sup.* ait, si quæ scientia non possit reduci ad principia naturaliter cognita, non univocè, sed analogicè vel æquivocè dici scientiam, *ex contextu* clarum est, hanc æquivocationem seu analogiam esse à *S. Thom.* præcisè assertam ex naturalitatis, ac supernaturalitatis specificis differentijs in eo sitis, quòd supernaturales tum scientiæ, tum virtutes non proveniant ad instar naturalium ex rationalis naturæ seminarijs. Quemadmodum igitur hæc differentiarum essentialium æquivocatio seu diversitas non obstat, quò minùs virtutes supernaturales simpliciter, ac perfectè sortiantur rationem virtutis; ita nullatenus impedit, quò minùs Theologia absolutè, & adæquatè obtineat rationem scientiæ.

Tum quia conclusiones Theologicæ ex lu-
42. mine Divinæ scientiæ majorem fide mediante trahunt certitudinem, quàm scientiæ naturales ex principijs naturali lumine notis: Neque verò principiorum evidentia ingreditur formalem Scientiæ constitutionem, sed ad istam se habet tantùm *Causaliter.* Tum quia singularia & particularia sacræ Scripturæ sunt *potentiâ* universalia, ita, ut ex ipsis, sicut ex Universalibus arguatur. Si enim Fides, Spes, & Charitas in Abraham accepta fuit, in omnibus accepta erit. Et si revelatum à Spiritu Veritatis in uno verum est, in omnibus verum erit. Quamvis ergò Theologia quandoque discurrat in particularibus, verissimè tamen est scientia universalis *Albert. Magn. cit. q. 1. ad. 1.* Tum denique licèt contingentia singularia non nisi per abstractionem fiant respectu luminis naturalis intelligibilia: Attamen quatenùs per divinam revelationem sunt credibilia, fiunt per inductionem luminis supernaturalis intelligibilia, juxta illud. *Isaiæ 7. Nisi credideritis, non intelligetis.* Ergò sub hoc divino, & supernaturali lumine possunt ut sic, secùs, quàm sub naturali lumine scibilia esse *ex Alberto Magno supra ad 3.*

CONTROVERSIA II.

An Theologia Viatorum subalternetur Theologiæ Dei & Beatorum.

1. NEgant Scotus. *cit. q. 3. prolog. n. 30.* Argentinas & Durand. *ead. q.* Rada in *Controvers. Theolog. 2. art. 3.* Vasquez *præsent. disp. 6. c. 2.* Franc. de Lugo *disp. 3. c. 3. n. 10.* Gammachæus *hic q. 1. c. 3.* Ysambertus *ead. q. 1. disp. 3. a. 1.* Petrus à S. Ioseph. *in Proœm. Resol. 5.* Arriag. *præsent. disp. 1. n. 20.* Fundamentum hujus sententiæ desumitur ex naturâ subalternationis, cujus tres sunt proprietates. *Prima*, ut principia subalternatæ probentur in subalternante. *Ex Aristot. 1. poster. tex. 13.* Ex quo videtur inferri, subalternatam non posse de objecto suo facere demonstrationem à priori, nisi sit in uno intellectu juncta cum subalternante. *Secunda*, ut objectum materiale subalternatæ ab objecto subalternantis sit partialiter, & inadæquatè diversum. *Tertia*, ut objectum formalè subalternatæ differat à subalternantis formali objecto secundùm differentiam duntaxat accidentalem. *Ex Aristot. cit. l. 1. post. tex. 20.* v. g. Musica subalternata Arithmeticæ respicit numerum non in totâ latitudine acceptum, sed quà sonorum: Et Medicina subalternata Physicæ respicit Corpus naturale non simpliciter, sed humanum sub ratione sanabilitatis, quæ ratio reipsâ, & essentialiter non differt à natura & proprietatibus, seu virtutibus substantiarum naturalium.

Referuntur argumenta Adversariorum.

HIs proinde ex Philosophiâ suppositis, allegati Doctores argumentantur, quòd nulla illarum conditionum sit in Theologiâ Viatorum, quà comparatâ ad Theologiam Dei & Beatorum. Ergò subalternatio Theologiæ nostræ ad Theologiam Dei & Beatorum est fictitia & nulla. Consequentia est evidens: Antecedens autem Probatur 1. Principia enim Theologiæ Viatorum sunt principia revelata, quatenus per fidem Divinam credita. At inter fidem & scientiam Beatorum est intrinseca repugnantia, ita ut non possint simul stare in uno subjecto. Ergò etiam Theologia Viatorum essentialiter innitens Fidei quà habitui principiorum repugnat cum scientiâ Beatorum. Ergò non potest huic esse subalternata. 2. Objectum Theologiæ, scilicet Deus, est omninò simplex ac indivisibile: Ergò scientia de Deo non potest esse, nisi una. At scientia subalternans, & subalternata non sunt primò de eisdem veritatibus, vel prædicatis scitis. Cùm proinde Theologia Viatorum easdem cum scientiâ Dei, & Beatorum veritates respiciat, non potest istis esse subalternata. 3. Etsi Deus possit respici sub diversis luminibus, nimirum Increato formaliter actuato per Divinam essentiam; Creato lumine gloriæ Beatorum, & Obscuro fidei lumine Viatorum. Ex his tamen luminum differentijs resultant diversæ rationes formales, sub quibus divinæ veritates sunt cognoscibiles. Ergò Theologia Dei, Beatorum, ac Viatorum, quatenus essentialiter nituntur his diversis luminibus, habent objecta formalia essentialiter & non tantùm accidentaliter diversa. Ergo non potest esse subalternatio propriè dicta Theologiæ Viatorum ad Theologiam Dei, & Beatorum.

Ex opposito Theologiam Viatorum esse 3.
simpliciter subalternatam scientiæ Dei, & Beatorum *ex S. Th. præs. q. 1. a. 2.* affirmant Caietan. *eod. art. §. Quoad secundum.* Bannes *ibi. dub. 2.* Serra *ad 2.* Medices *eod. art. 2.* Philippus à SS. Trinitate *ibi. dub. 4.* Nazarius *Controv. 2.*

CONCLUSIO I.

THeologia nostra verè, ac propriè subalternatur Theologiæ Dei.

Probatur. Principia nostræ Theologiæ sunt 4.
veritates à Deo revelatæ, quà per fidem infusam creditæ. At fides Primâ Dei Veritate *in cognoscendo, & dicendo* nititur tanquam motivo formali. Prima autem veritas in cognoscendo est formaliter infinita, & actualissima sapientia, atque adeò Theologia Dei. Hujus verò ratio formalis objectiva, & adæquatum intelligendi quasi prin-

 tipium

cipium motivum est essentia Divina. *Ex S. Thomâ q. 14. a. 2. & 5.* Ergò à primo ad ultimum infertur, Principia nostræ Theologiæ ultimatè resolvi in principium Theologiæ Dei, imò Theologiam nostram accipere immediatè sua principia à Theologiâ Dei, Sapientiâ nimirum infinitâ revelante. Ergo Theologia nostra est subalternata Theologiæ Dei.

5. Dices: Ad subalternationem scientiarum requiri, quòd subalternata ita accipiat sua principia à subalternante, ut quoad rationem formalem objectivam nulla sit essentialis differentia. Nam licèt Metaphysicæ secundùm *Auerroem. 3. de cœlo comment. 4.* munus sit, unicuique scientiæ suum præscribere objectum, demonstrando ejus essentiam vel existentiam saltem quà possibilem: *Et secundùm Aristotelem 1. post. c. 7. item 4. Metaph. c. 3.* sit ejusdem, prima principia, quibus omnes nituntur disciplinæ, confirmare, ac defendere ac denique secundùm *S. Thom. Contra gentes cap. 52. ad 6.* Physica accipiat sua principia à Metaphysica. Nihilominus nulla est, strictè loquendo naturalium scientiarum subalternatio ad Metaphysicam, eò quòd abstractiones à materiâ intelligibili, sensibili & individuâ, secundùm quas specificè distinguuntur Metaphysica, Mathematica, & Physica, inferât rationes objectivas formaliter diversas. At verò ratio formalis motiva Theologiæ Dei est increata Dei Essentia formaliter actuans Divinam scientiam: econtrà respectu Theologiæ nostræ est veritas à Deo revelata quà per fidem infusam credita. Atqui maior in his videtur subesse ratio differentiæ, quàm inter objecta Physicæ, & Metaphysicæ. Ergo minùs Nostra subalternatur Theologiæ Dei quàm Physica Metaphysicæ,

6. Contra. Nam subalternatio requirit unitatem in *subjecto scientiarum*, non verò *in Motivo seu ratione Formali propter quam assensuum scientificorum* nisi *quoad lumen intelligibile*, sub cuius ratione motivum assensûs scientifici constituit conclusionem in *Esse Scibilis*. Etenim subalternata conclusionibus subalternantis utitur tanquá præmissis, seu principijs. At demonstrationis conclusio est objectum materiale assensûs scientifici, hujus autem motivum Formale, seu ratio propter quam assentiendi sunt præmissæ objectivæ. Ergò quòd in scientiâ subalternante respectu assensûs scientifici est objectum materiale, hoc *sub ratione tamen luminis intelligibilis seu scibilis subalternanti proprij ac specificativi* in scientia subalternata fit Motivum formale. Atqui Physica & Metaphysica sub di-
7. versis abstractionibus, atque adeò *objectivis luminibus* attingunt in suis subjectis formalitates ratione essentiali, & quidditativa differentes, *Entis nimirum: ut sic, & Corporis naturalis.* Neqùe Metaphysica *directè*, & *ostensivè* demonstrat principia Physices, sed ista sunt immediata, & per se nota, atqùe per accidens tantùm contra negantes probantur à Metaphysicâ per reductionem ad impossibile. Ergò Physica & Metaphysica neqùe conveniunt in subjecto; neqùe in objectis formalibus suorum assensuum ac discursuum directam habent inter se subordinationem
8. *Secùs est in Theologiâ Dei, & Viatorum*: Nam ista Veritates à Deo revelatas habet pro principijs: Hæ autem Veritates non possunt sub aliâ formalitate esse à Deo assertæ, & revelatæ, quàm subsunt ejus scientiæ, Insuper eiusmodi Veritates à Divinâ scientiâ acceptæ sunt ratio formalis propter quam assensûs Theologici. Ergò Theologia Dei, & Viatorum conveniunt in subjecto, quatenùs utraque attingit Deum sub ratione Deitatis, atqùe circa istud subjectum taliter versantur, ut Theologia Viatorum veritates in divinâ scientiâ certificatas, & quasi demonstratas sub Primæ Veritatis per revelationem communicato ac per discursum applicato lumine Divino accipiat pro principijs suarum demonstrationum. Ergò Theologia Viatorum respectu Theologiæ Dei omnimodam habet subalternationis rationem.

Replicabis: Veritates à Deo revelatæ sub- 9.
stant Theologiæ Dei sub ratione evidentiæ: respectu autem Theologiæ Viatorum habent rationem inevidentiæ. At hæ sunt formalitates objectorum specie differentes. Ergò objectum Theologiæ Dei & Viatorum est specie diversum. Ergò inter illas nulla est stricta subalternatio.

Contra: Evidentia, & inevidentia se ha- 10.
bent *tantùm extrinsecè* ad objecta intellectûs. Ergò non mutant objecta secundùm formalitates intrinsecas. *Antecedens Probatur.* Evidentia objectiva consistit in eo, quòd veritas objecti intellectui proposita convincat, & necessitet ad assensum: Hæc autem vis necessitandi intellectum includit partim ipsam intellectûs naturam, partim objecti applicationem mediante specie intelligibili, vel alio æquivalente. Etenim fidei 11.
habitus ex hoc præcisè dicitur obscurus, quòd, licèt in ratione luminis intellectualis sufficienter perficiat intellectum ad Veritatis à Deo assertæ assensum, non tamen habeat adjunctam speciem Divinæ revelationis in se immediatè repræsentativam, ex quâ in actu primo determinetur intellectus ad ejus notitiam.

Patet igitur, objectum aliquod respectu lu- 12.
minis tum naturalis, tum supernaturalis dici inevidens ex negatione, evidens verò constitui ex connotatione adæquati principij intelligendi importantis *formaliter* lumen actuale, ac speciem intelligibilem, sive aliud æquivalens. Ergò evidentia & inevidentia non sunt formalitates objecto intrinsecæ. Ergò non est, cur ob rationem allegatam negetur Theologiæ nostræ ad Theologiam Dei subalternatio, quin potiùs magis stabiliatur. *Probatur istud assumptum.* Nam hæc in tribus consistit. 1. In subjecti, seu ob- 13.
jecti scientiæ unitate specifica, cujusmodi respectu Theologiæ tam Dei, quàm Viatorum est Deus sub ratione Deitatis. 2. In subjecti differentiâ accidentariâ, & extrinsecâ, cujusmodi in proposito reperitur ratio evidentiæ & inevidentiæ. 3. In eo, quòd veritates, seu conclusiones in subalternante demonstratæ sint principia subalternatæ. Hoc autem ita se habere in Theologia nostrâ respectu scientiæ Dei constat *ex dictis.* Ergò Theologia nostra est simpliciter subalternata Theologiæ Dei.

CONCLUSIO II.

Theologia Viatorum quoad substan- 14.
tiam, & entitatem intrinsecam manet in Patria subalternata scientiæ Visionis Beatificæ.

Proba-

Probatur. Assensus scientificus Theologiæ Viatorum fertur in conclusionem quà deductam ex principijs fide divinâ creditis: In ejusmodi autem assensu objectum materiale est Veritas conclusionis: ratio autem propter quam seu Motivum formale est connexio extremorum conclusionis cum medio sub divinæ revelabilitatis lumine exposita per præmissas fide divinâ cre-
15. ditas. Ex quo patet, actum fidei in viâ se habere ad assensum Theologicum tanquam applicationem Motivi formalis. Ergo actus fidei comparatur ad assensum Theologicum *solùm extrinsecè*, uti etiam ad actus Charitatis, & Donorum Spiritûs Sancti in via præsupponitur fides tanquam applicatio obiecti. Si proinde contingat, quòd ratio formalis Motiva assensûs Theologici per alium, quàm fidei actum supernaturalem repræsentetur intellectui, tunc poterit habitus Theologicus à præsuppositâ fide derivatus, ex tali supernaturali cognitione formare discursum, sicut Charitatis, seu Donorum Spiritûs Sancti actus in ultimo vitæ hujus instanti elicitus, potest idem numero continuari cum visione luminis gloriæ.

16. At verò quæ in via sunt à nobis credita, sunt in Patria videnda in Verbo *S. Tho. 2. 2. q. 1. a. 5.* Insuper habitus Theologicus in viâ comparatus secundùm substantiam, seu entitatem, & rationem formalem habitûs, ac virtutis intellectualis manet in intellectu animæ Beatæ *S. D. 1. p. q. 89. a. 5. & 1. 2. q. 66. a. 2.* evinciturque ex illo *S. Hieronymi in Epist. ad Paulin. Talem scientiam discamus in terris, quæ nobiscum perseveret in cælis.* Hæc igitur scientia Theologica comparata in viâ quà perseverans in Patriâ potest ex veritatibus in Verbo visis scientificè discurrere ad inferendas alias veritates. Unde consequens est, Theologiam in viâ comparatam, quatenùs manet in intellectu Beatorum, accipere suarum Demonstrationum principia ex visione in Verbo, seu Theologiâ Beatificâ. Ergò potest esse subalternatio perfecta in Theologia viæ & patriæ, *uti ex prætacto fundamento advertente Francisco de Lugo 1. p. disp. 24. c. 3. n. 1. arguit Doctor Angelicus præsenti q. 1. a. 2.*

CONCLUSIO III.

THeologia in statu viæ acquisita subalternatur in animâ beatâ potiùs Theologiæ Matutinæ, quàm Vespertinæ.

17. Probatur, & Explicatur. Nam 1. animabus Beatorum connaturale est uti collatione & discursu. *S. Tho 3. p. q. 11. a. 3. ad 3.* Hic verò discursus potest fieri ex veritatibus visis in Verbo, seu Essentiâ Divinâ, *uti probant Scotus cit. q. 3. prolog. n. 27. & Bannes cit. a. 2. dub. 3. concl. 2.* At ista visio in Verbo, quam *præced. a. 1. dub 4. concl. 1.* vocavimus Theologiam Beatorum Matutinam, succedit fidei seu habitui, sive notitiæ principiorum nostræ Theologiæ. Ergò hæc, quatenùs manet in intellectu animæ beatæ, suorum
18. discursuum principia accipit à Theologiâ Beatorum Matutinâ. Ergò huic subalternatur. 2. Theologia Beatorum Vespertina inprimis accipitur pro speciebus infusis, per quas Beatis præsertim in inferiori Beatitudinis gradu constitutis extra Verbum revelantur à Deo aliqua Mysteria. Ex his autem Mysterijs taliter revelatis intellectus animæ Beatæ discurrendo, easdem potest inferre veritates, quas nata est suis discursibus attingere habitus Theologicus comparatus in viâ. Ergò Theologia viæ potest subalternari etiam Vespertinæ Beatorum Theologiæ.

Deinde sub hâc Theologiâ veniunt etiam 19.
species ex discursibus luminis supernaturalis acquisitæ ac inexistentes intellectui animæ Beatæ. Hæ autem species quoad intrinsecam suam entitatem partim coincidunt cum speciebus per habitûs Theologici exercitium comparatis in viâ, partim resultant ab exercitio luminis gloriæ; cui proinde seu visioni in Verbo quoad discursus ex se procedentes simpliciter subalternatur. Constat igitur Theologiam viæ *simpliciter* subalternari in Patriâ Theologiæ Matutinæ: at Vespertinæ subordinari *tantùm secundùm quid.*

Responsio ad fundamenta Adversariorum

AD argumentum n. 2. oppositum Respondetur. Negando antecedens. Ad cuius pri- 20.
mam probationem dicendum est, Theologiam Viatorum posse considerari vel quoad substantiam ac entitatem suam intrinsecam, vel quoad denominationem Inevidentiæ in se derivatæ ex obscuro fidei lumine. Hæc namque inevidentiæ ratio in eo sita est, quòd Motivum principijs Theologicis assentiendi in viâ non sit per se, vel mediante specie intelligibili applicatum intellectui ad eum necessitandum, seu convincendum, sed potiùs intellectus à Voluntatis imperio determinari debeat ad eiusmodi principiorum assensum. Ergò Inevidentiæ ratio in principijs Theologici viatorum discursûs non se tenet ex parte objecti seu Motivi formalis, sed ex parte causæ Efficientis assensum illorum prin-
cipiorum. Consequens proinde est, quòd evi- 21.
dentiæ, ac Inevidentiæ repugnantia in Theologia Beatorum & Viatorum sit tantùm ab extrinseco, adeoque separabilis. Ergò non obstat, quò minùs Habitus Theologicus viæ possit quoad substantiam & entitatem suam intrinsecam stare cum evidente lumine gloriæ, atque ex veritatibus in Verbo visis tunc discurrendo participare respectu Theologiæ Beatificæ perfectam subalternationis rationem.

Ad secundam Antecedentis probationem 22.
Respondetur; Illud argumentum omninò inefficax esse & facilè everti ex Adversariorum doctrinâ. Etenim Divina essentia non tantùm à diversis luminibus potest diversimodè attingi, & ut sic fundare scientias specie, ac genere, imò se totis diversas; sed insuper in simplicissimâ Divinitatis substantiâ sunt formalitates *secundùm Scotum* à parte rei formaliter, vel potiùs virtualiter, & ratione ratiocinatâ actualiter distinctæ. Hæ proinde formalitates ita possunt ad se invicem comparari, ut una nostro intelligendi modo sit Causa seu ratio alterius. Ergò circa Divinæ substantiæ perfectiones ac formalitates potest dari discursus, cuius principia sint accepta ex revelatione superioris luminis. Hoc autem formaliter importat subalternationem scientiæ inferioris ad scientiam luminis superioris. Ergò simplicitas divinæ substantiæ non impedit

impedit Theologiæ Viatorum ſubalternationem reſpectu Theologiæ Dei, ac Beatorum.

23. Ad Tertiam Antecedentis probationem Reſpondetur: Ex illâ diverſitate luminum, quibus mediantibus Deus cognoſcitur, non oriri differentiam in objecto, ſed in modo attingendi objectum. Ex hoc autem conſequens eſſe, quòd Theologia Dei, Beatorum, & Viatorum differant in ratione ſcientiarum; ſed conveniant in unitate objecti: At ſubalternationis naturam exigere ſcientias ita diſtinctas, ut diverſis modis idem attingant ſubjectum, ſeu objectum. Ergò ex illo argumento firmari potiùs, quàm everti ſubalternationem noſtræ ad Theologiam Dei & Beatorum.

24. Replicabis: Ex iſtâ luminum differentiâ inter Theologiam Dei, Beatorum, & Viatorum tanta eſt diverſitas, ut ſe totis differant, non tantùm in ratione ſuâ formali, ſed etiam ſubjectis, ſeu ſuppoſitis. At ſubalternatio ſcientiarum præter unitatem ſpecificam ſcientiarum exigit identitatem ſubjecti, cui inexiſtant. Ergò inter Theologiam Dei, & Viatorum ob infinitam luminum, quibus nituntur, diſtantiam nulla intercedere poteſt propriè dicta ſubalternatio.

25. Reſpondetur: Negando minorem. Nam ſcientia ſubalternans non tam excludit ſpecificam ſcientiarum ex diverſo attingendi modo differentiam, quàm obiecti Formalis ac luminis ſcibilis diverſitatem, ut adeò ſufficiat Concluſiones ſubalternantis ſub eodem lumine intelligibili eſſe *obiectivè* in intellectu, cui ſubalternata inexiſtit. Cuius ratio deſumitur ex natura ſubalternationis, quæ exigit ſcientiarum diſtinctionem, & ſubordinationem principiorum Demonſtrationis circa idem objectum. *ex dictis præs. dub. n. 11.* Hæc autem principiorum ſubordinatio in eo ſita eſt, quòd ſubalternata ex concluſionibus ſubalternantis tanquam ſuarum Demonſtrationum principijs diſcurrat circa objectum accidentariâ duntaxat differentiâ contractum. Ad hoc verò ſufficit, concluſiones ſubalternantis quà demonſtrationis principia eſſe certò cognitas ab intellectu, cui inexiſtit ſubalternata, adeoquè cum hâc eſſe *objectivè* in uno ſubjecto, ſeu intellectu.

26. At lumen increatum Dei Veritates in Eſſentiâ ſuâ tanquam principio motivo intuens, has ipſas mediante fidei lumine ſub primæ veritatis lumine revelante conſpiciendas communicat intellectui creato: Hic verò ex talibus Divinæ ſcientiæ veritatibus per actum fidei *objectivè* ſibi inexiſtentibus diſcurrendo ſcientificè infert concluſiones Theologicas. Patet igitur ex illa differentiâ luminum Increati in Deo, & Fidei in intellectu creato eſſe quidem infinitam in ratione ſcientiarum diſtantiam, inter Theologiam Dei, & Viatorum; eſſe tamen *ſub uno primæ Veritatis lumine intelligibili* ſubordinationem principiorum, & concluſionum de uno objecto, *ſcilicet Deo* demonſtrabilium. Ergò illa diverſitas luminum non tollit ſubalternationem Theologiæ Dei, ac Viatorum.

27. Urgebis: Lumen increatum Dei ſimplici comprehenſionis intuitu in Divinâ eſſentiâ attingit omne ſcibile: econtra lumen fidei creatum, & Theologia Viatorum per abſtractionem, ſeu formalitatum præciſionem, & rationis ratiocinatæ diſtinctionem cognoſcit Divinas perfectiones. At ex ejuſmodi abſtractionibus reſultat in ordine ad noſtrum intellectum quædam diverſitas in objectis, ſic enim ratio entis & Corporis naturalis tanquam Metaphyſicæ & Phyſicæ objecta formalia non in re, ſed ſecundùm abſtractiones intellectûs diſtinguuntur. Ergò ex differentiâ illorum luminum in objectis Theologiæ Dei & Viatorum oritur ſecundùm intellectum noſtrum formalis ac eſſentialis differentia, & conſequenter nulla inter Theologiam Dei, & Viatorum eſt ſtricta ſubalternatio.

Reſpondetur. Rationes formales objectorum Phyſicæ ac Metaphyſicæ in ordine ad noſtrum intellectum omninò *adæquatè* ac ſecundùm luminis objectivi ſeu intelligibilis rationem *formaliter* eſſe diſtinctas. Econtra impoſſibile eſſe, quòd Theologia Viatorum in Deitate, vel alio quovis objecto ullam veritatem ſecundùm rationem ex Primâ Veritate revelante Deducibilitatis attingat ſub aliqua formalitate, quin hæc à Theologiâ Dei in ipsâ Primæ Veritatis eſſentiâ tanquam unico divini Intellectûs ſpecificativo lumine intelligibili ſit cognita. Ergò objecta materialia Theologiæ Dei, & Viatorum non niſi *inadæquatè* diſtinguuntur, ut tamen in ratione objectivâ luminis indelligibilis Primâ Veritate nitentis conveniant. At ſcientiarum ſubalternationem non exigere, niſi inadæquatum objecti materialis, & eſſentialem objecti formalis unitatem, conſtat *ex dictis præs. dub. n. 1.* Ergò ratio objectionis potiùs firmat, quàm evertat ſubalternationem Theologiæ Viatorum ad Theologiam Dei. 28.

CONTROVERSIA III.

An Theologia ſit Habitus quoad Subſtantiam Supernaturalis.

Quatuor de hac re ſunt Doctorum ſententiæ.

PRima eſt Vaſquezij *1. p. diſp. 1. n. 9.* Coninch. *de actib. ſupernat. diſp. 4. n. 118.* Turriani *2. 2. diſp. 44. dub. 2. §. Tertiò ſi habitus.* Suarezij. *diſp. 3. de fide ſect. 11. n. 8.* Granadi *in proœm. Theolog. diſp. 5. ſect. 4.* Franciſ. de Lugo *1. p. diſp. 9. c. 4. n. 9.* aſſerentium; Theologiam eſſe in ſubſtantiâ naturalem.

Fundamentum hujus ſententiæ eſt 1. Quia Theologia non eſt habitus per ſe infuſus, ſed ſtudio & labore acquiſitus. *S. Thom. 1. p. q. 1. a. 6. ad 3.* Ergò eſt in ſubſtantia naturalis. 2. Poteſt manere in hæreticis, ſed iſtis nullus ineſt habitus ſupernaturalis. 3. Motivum, & ratio *propter* quam aſſenſûs Theologici eſt connexio extremorum ſyllogiſmi cum medio. Ex hoc autem motivo determinatur intellectus ex vi ſuæ naturæ ad aſſenſum concluſionis. Ergò aſſenſus Theologicus eſt ex principijs naturæ. Ergò eſt in ſubſtantiâ naturalis. 4. Si Theologia eſſet habitus ſupernaturalis, aut referri deberet ad gratiam gratum facientem, aut cenſenda foret inter gratias gratis datas. At neutrum horum dici poteſt. 5. Concluſiones Theologicæ quandoque inferuntur ex unâ tantùm de fide, & alterâ præmiſſâ naturaliter evidente. At concluſio quoad certitudinem ſequitur partem debiliorem. Ergò in illo ſaltem caſu nequit diſcurſus Theologicus eſſe quoad certitudinem, & entitatem ſuam ſupernaturalis. 1.

Secunda

2. *Secunda* opinio videtur eſſe Scoti *3. diſt. 35. q. un.* Altiſiodorens. *lib 2. ſum. tract. 29. c. 1. q. 1. in medio.* Aureoli. *q. 1. Prolog. a. 2. §. In progreſſu verò.* quòd Theologia realiter non diſtinguatur ab habitu fidei ſupernaturali, & infuſo. Favet etiam Albertus Magnus *in 1. diſt. 1. a. 5. in initio* docens, Habitum ſcientiæ Theologiæ eſſe lumen fidei.

3. *Tertia* ſententia Card. de Lugo. *tract. de fide. diſp. 1. ſect. 13. n. 337.* docet, Theologiam diſtingui à fide ſolùm inadæquatè tanquam includens ab incluſo. Fundamentum hujus opinionis eſt. Quia præter fidei objectum formale, & materiale concurrit tanquam motivum partiale Bonitas Illationis, ſeu continentia objecti concluſionis in objectis præmiſſarum. Hoc autem Motivum diſtinguitur ab objecto fidei. Ergò præter hanc concurrit ad aſſenſum Theologicum alius à fide diſtinctus habitus. Hunc proinde idem Lugo *cit. ſect. 8. n. 348. 349. ac. ſeq.* aſſeruit, eſſe prudentiam infuſam, quoties concluſio Theologica eſt practica inclinans ad opus pium, & meritorium; reſpectu verò aliarum Theologicarum concluſionum nullum præter actus fidei requiri ſupernaturale principium.

4. *Quarta* opinio Bannez. *pres. art. 2. dub. 2. in fine.* Nazarij *eod. art. 2. contro. 1. §. Sextò ſciendum.* Molinæ. *1. p. q. 1. a. 2. diſp. 1. §. Diximus & diſp. 2. ad 4.* Fonſecæ *6. Metaph. c. 1. q. 6. ſect. 8.* Gillij *tract. 4. c. 12.* Hervæi. *quodl. 5. q. 15. & 17.* Faſoli. *1. p. q. 1. a. 2. dub. 13. & aliorum* aſſerit; Theologiam eſſe habitum acquiſitum, ſed in ſubſtantiâ ſupernaturalem.

Conclusio I.

Habitus fidei in Viâ, & lumen gloriæ in Patriâ eſt unà cum intellectu prima Theologizandi potentia.

5. Probatur: Habitus intellectuales ſupernaturales quoad uſum commenſurantur naturæ intellectûs, cui infunduntur. Unde Doctor Angelicus. *3. p. q. 11. a. 3.* ſcientiam Chriſti infuſam & ſupernaturalem *ait* eſſe diſcurſivam. Et ad 3. innuit, quòd dona gratiarum in intellectu animæ Beatæ ſint diſcurſiva. Pari ergò ratione habitus fidei infuſæ non tantùm veritatibus à Deo revelatis aſſentitur immediatè propter Veracitatem Divinam, ſed cum intellectu hominis Viatoris (idem eſt de lumine gloriæ in intellectu Comprehenſoris) natus eſt diſcurrere ex propoſitionibus à ſe creditis: At diſcurſus ejuſmodi eſt Theologicus. Ergò habitus fidei in intellectu hominis Viatoris ſe habet inſtar potentiæ ad eliciendos Diſcurſus Theologicos.

6. Dices. Aſſenſûs Fidei motivum formale eſt Prima Dei Veritas revelans: aſſenſûs autem Theologici ratio formalis propter quam eſt continentia concluſionis in præmiſſis fide Divinâ creditis. Hæc autem ſunt objecta formalia diſtincta. Nullus verò habitus, aut potentia extendit ſe ultra ſuum objectum. Ergò fides non poteſt influere in aſſenſum Theologicum, maximè, cùm teſte. S. Tho. *q. 14. de Verit. a. 4. in Corp. ab init.* unius habitûs ſit tantùm unus actus.

7. Contra: Idem Habitus, præſertim ſupernaturalis poteſt elicere diverſos actus inter ſe ita ſubordinatos, ut unus ſequatur ex alio, atque in unum ſpecie objectum formale tendant S. Tho. *2. 2. q. 28. a. 4.* Hinc fit, quod non alius ſit habitus principiorum, & concluſionum, quæ eliciuntur ab eis. *S.* Doctor *in 2. diſt. 24. q. 2. a. 6.* At fides eſt habitus principiorum reſpectu concluſionum Theologicarum. Hæ porrò concluſiones quà Theologicæ debent certitudine excedere omnes ſcientias luminis & rationis naturalis S. Tho. *1. p. q. 1. a. 5. & Theologi communitèr.* Atqui certitudo formalis actuum intellectûs *aſſentientibus ipſis etiam Adverſarijs, nominatim Franciſco de Lugo 1. p. diſp. 3. c. 5. n. 11.* eſt modus quidam infallibilitatis in eſſentiâ cognitionis imbibitus, pendens ex proprijs, & per ſe cauſis veritatis, ac præcipuè ex ratione formali motivâ.

At verò continentia concluſionis Theologicæ in ſuis præmiſſis ſecundùm ſe, & abſtrahendo à lumine Divinæ ſcientiæ, ſeu à Prima Veritate revelante, non ſemper neceſſaria eſt, ſed aliquando contingens. Ergò certitudo concluſionis quà excedens lumen rationis naturalis non præcisè nititur *tanquam Motivo formali* continentiâ virtuali concluſionis in præmiſſis, ſed Primâ Dei Veritate revelante iſtam continentiam virtualem. Atqui actus tendens tanquam in Motivum formale, in Primam Dei Veritatem revelantem eſt formaliter actus fidei. Ergò aſſenſus concluſionis quà Theologicæ, cùm ſit actus fidei, procedit *effectivè*, ac *elicitivè* ab habitu fidei infuſæ & ſupernaturalis. 8.

Replicabis: Ex hoc clarè evinci, nullum eſſe diſcrimen inter actum fidei, & aſſenſum Theologicum. Hoc autem videri abſurdum, eò quòd iſte ſit ſcientificus, ille verò pugnet cum ſcientiâ. 9.

Contra: Nam fidei aſſenſus conſiſtit in rei creditæ judicio ſimplici per imperium voluntatis ſupernaturale in potentiâ noſtrâ intellectivâ excitato propter ſupremam Primæ Veritatis reverentiam. Econtra aſſenſus Theologicus *formaliter* conſiſtit in illatione diſcurſivâ vi luminis naturalis fide divinâ inſtructi elicitâ ex præmiſſis ſupernaturaliter creditis. Ergò actus fidei, & aſſenſus Theologicus differunt tanquam ſecunda, & tertia mentis operatio. Atqui has mentis operationes, etiamſi verſentur circa idem *Motivum formale*, ſpecie diſtingui conſtat ex actibus habitûs principiorum, & habitûs ſcientifici. Nam hujus *Motivum formale, ſeu ratio propter quam* concluſionis ſcientificæ eſt identitas extremorum Syllogiſmi cum medio in præmiſſis Demonſtrationis aſſerta. At hæc ipſa extremorum identitas in propoſitionibus immediatis eſt motivum aſſenſûs principiorum. Atqui aſſenſum ſcientificum, & aſſenſum principiorum diſtingui ſpecie conſtat ex Ariſtot. *6. Ethic. c. 3.* habitum principiorum, & ſcientiam enumerante tanquam ſpecies diſtinctas. Pari ergò ratione aſſenſus Theologiæ tanquam ſcientificus diſtinguitur ſpecie ab aſſenſu fidei tanquam notitiâ principiorum. 10.

Inſtabis: Fidei actus verſari poteſt etiam circa concluſiones ex præmiſſis Divinitùs revelatis deductas. Ergò poteſt ſubſiſtere in tertiâ mentis operatione, ſeu cognitione quà formaliter illativâ. Ergò allegatum actûs fidei, & aſſenſus Theologici diſcrimen non ſubſiſtit. 11.

Contra: Diſcurſus ex principijs fide divinâ creditis poteſt quidem conducere ad evidentiam credibilitatis, quia veritas concluſionis, quæ per evidentem, ac infallibilem conſequentiam manifeſtatur contenta in principijs Divinitùs revelatis; prudenter à voluntate imperatur 12.

 ob mo-

ob motivum Primæ Dei Veritatis credenda. Quare discursus Theologicus se habere potest antecedenter ad simplex fidei judicium immediatè ex Veritatis Dei motivo præstandum conclusioni Theologicæ. Hæc proinde non *formaliter* quà conclusio ex principiis revelatis illata per formalem discursum subest fidei actui, nec iste adeò importat tertiam mentis operationem, sed est simplex judicium pertinens ad secundam mentis operationem.

13. Oppones. Cognitionis supernaturalis objectum formale Motivum debere esse supernaturale. At Theologici Discursûs objectum Formale Motivum ac specificativum esse Deducibilitatem scientificam conclusionis ex Principijs revelatis ac Fide Divinâ creditis. Hanc verò Deducibilitatem supposito assensu Fidei principijs revelatis præstito, in objectum conclusionis Deducibilis derivari ex ipso innato lumine Intellectûs regulis Logicæ instructo; nec adeò posse nisi naturale esse. Ergo assensum Theologicum in ratione Discursûs scientifici non esse nisi naturalem.

Contra. Nam ex lumine Discursivo naturali
14. intellectûs, supposito Præmissarum assensu, derivatur in objecta conclusionis lumen objectivum intelligibilis deducibilitatis fundans certitudinem non *Consequentis* duntaxat, sed *Consequentiæ*. Ergo à pari vi luminis supernaturalis, Fidei seu Donorum Spiritûs Sancti intellectualium, quà discursivi oportet derivari ex Principijs fide Divinâ creditis lumen intelligibile Deducibilitatis quà elevatæ ad certitudinem supernaturalem non tantùm se tenentem ex parte *Consequentis*, sed ipsius etiam *Consequentiæ*. Antecedens est certum ex Philosophia. Consequentia verò probatur. Nam
15. Paulus Apostolus *Act. 17. v. 28.* hunc in fide ac Philosophiâ certum & Demonstrativum coram Areopagitis Atheniensibus formabat discursum: *In quo movemur, vivimus, ac sumus, non est longè ab unoquoque nostrûm. In Deo autem movemur, vivimus, ac sumus. Ergo non est longè ab unoquoque nostrûm.*

In hoc proinde discursu est certitudo Fidei non tantùm ex parte *Consequentis*, sed ipsius *Consequentiæ*: sicut enim in Philosophis Atheniensibus poterat hic discursus per ipsorum lumen naturale generare certitudinem tam *Consequentis*, quàm *Consequentiæ*: sic Paulus non nisi ex supernaturali lumine affirmavit tam *Consequens*, quàm *Consequentiam*; ut proinde ipsa ratio *Consequentiæ* ac Deducibilitatis ex Principijs illis supernaturali lumine cognitis traheret infallibilitatem ac certitudinem ex lumine Fidei derivatam & constitutam in ratione luminis intelligibilis specificantis Discursum formaliter quà Demonstrati-
16. vum. Constat igitur, discursum formaliter quà talem posse niti certitudine objectivâ luminis intelligibilis constituti in ipsâ ratione Deducibilitatis & *Consequentiæ* ut sic non tantùm naturaliter, sed supernaturaliter certificatæ ex Primâ Veritate. At sicuti supernaturalis certitudo *Consequentis* in conclusione ex præmissis fide creditis deductâ causatur à fidei lumine, sic certitudo *Consequentiæ* in tali conclusione lumine supernaturali nitentis est Theologica, fundans scientiam formaliter in ratione scientiæ quà discursivæ supernaturalem. Consequens igitur, est Theologicum discursum quà scientificum esse in substantiâ supernaturalem.

Ratio fundamentalis assensûs Theologici in ratione quoque *Consequentiæ* supernaturalitatem demonstrans est. Nam in consequentiâ Theologicâ duo spectari debent. Alterum est secunda intentio, quæ ad actum Entitativum Demonstrationis Theologicæ ceu Formam Intellectûs creati realiter informativam se habet tantum *Extrinsecè*, ac *Denominativè*, Principio logicali eam eatenus dirigente, ut istud non nisi *instrumentaliter* concurrat ad Consequentiæ Demonstrativæ formam realem *intrinsecè* actuantem Intellectûs. Alterum proinde in Consequentiâ Theologicâ est prima intentio consistens in assensu reali illativo conclusionis ex principijs Fide Divinâ creditis. At istum assensum Illativum, in quo *Formaliter* consistit ratio *Consequentiæ* Theologicæ, esse in substantiâ ac Entitate suâ supernaturalem, *ita ostenditur.* Oportet enim assensum motivo *intrinsecè quoad substantiam* supernaturali innitentem esse hoc ipso supernaturalem. Atqui assensus ille Illativus nititur tali motivo. Major patet ex eo, quòd motivum ita sit specificativum assensûs scientifici, ut in hanc *Motivè* derivet Certitudinem Scientiæ Essentialem. Hæc autem certitudo nequit ex Motivo derivari in assensum scientificum, nisi hoc sit intelligibiliter unitum seu applicatum intellectui. At verò Motivum transfundens in intellectum certitudinem superexcedentem totius creati luminis proportionem, nequit uniri intellectui creato nisi elevato ac proportionato per formam lumine naturali superiorem. Cùm igitur assensûs Theologici certitudo omnis creati luminis certitudinem transcendat, nequit Motivum hujus assensûs specificativum intellectui creato esse unitum, nisi mediâ Formâ supernaturali elevante ac proportionante intellectum tum ad sui cum illo motivo unionem intelligibilem, tum ad eliciendum assensum ex motivo certitudinem quolibet creato intellectu superiorem transfundente in illum assensum. At per se notum est, motivum, quod in intellectu requirit quandam ex formâ supernaturali elevationem, esse in substantia supernaturale, utpote quod ex se *motivè* causet assensum *intrinsecè* ac *Essentialiter* supernaturalem. *Minor autem Probatur.* Nam assensûs seu Consequentiæ quà Theologicæ Motivum formale est extremorum cum medio per fidem illustrata connexio non *Materialiter secundùm se præcisè* spectata, sic enim potest esse indifferens ad lumen objectivum seu rationem formalem sub quâ Metaphysicæ ac Theologiæ. Oportet igitur illam extremorum cum medio in fidei præmissis illustratam connexionem esse assensûs quà Theologici Motivum formale ac specificativum, quatenus *intelligibiliter* actuatur per *lumen Divinæ revelabilitatis.* At sicuti virtute intellectûs agentis in rebus ab omni etiam intelligibili materiâ abstractis resultat lumen objectivum Metaphysicum, sub quo lumine constituuntur objecta *formaliter in ratione scibilis* scientiæ Metaphysicæ specificativi: Sic fides præmissas Theologiæ sub *lumine Divinæ Revelationis* considerando non seorsim duntaxat, sed eas inter se conferendo, exercens munus intellectûs quasi agentis in Extremorum cum uno medio connexionem transfundit *Divinæ revelabilitatis lumen objectivum*, vi cujus intellectus ex Primæ Veritatis Divino per assensum fidei intelligibiliter impresso lumine ita determinatur ad assensum conclusionis, ut huic tamen conclusioni assen-

assentiatur propter illud ipsum Divinum Primæ Veritatis lumen virtute fidei applicatum, præmissis non seorsim duntaxat consideratis, sed sub Primæ revelantis Veritatis lumine inter se collatis. Unde infertur, assensum Theologicum niti illo ipso supernaturali Primæ Veritatis revelantis motivo, quo nititur fides, nec inter actum fidei Meritorium, & assensum quà Theologicum esse discrimen ex parte Motivi, nisi *quoad applicationem* sive quoad *Rationem Formalem sub quâ*: quòd nimirum in fide Divina revelatio ad simplex Iudicium applicetur per motionem Spiritûs Sancti mediante liberò Voluntatis imperio certificantis intellectum non tantùm *adhæsivè*, sed etiam *inhæsivè*; in assensu verò Theologico Lumen Divinæ revelationis jam intelligibiliter expressum per præmissarum fide Divinâ creditarum Iudicium collativum applicetur ad assensum ex intrinsecâ Intellectûs creati per habitûs fidei vim discursivam informati necessitate ferendum conclusioni virtualiter contentæ in illis præmissis. Constat proinde, Motivum assensûs Theologici eatenus esse in *substantiâ supernaturale* sub ratione luminis objectivi excitatum virtute fidei quà perficientis intellectum agentem, ut ipse quoquè assensus Theologicus procedat ex infuso fidei habitu ut sic perficiente nostrum intellectum quà possibilem.

Confirmatur. Nam vis syllogistica quoad ipsam Consequentiæ Primò intentionaliter spectatæ rationem subjicitur fidei in materiâ de Sanctissimâ Trinitate. Ergo ipsa etiam ratio Consequentiæ objectiva quà directa per fidem *formaliter* substat Primæ Veritati. Ergò ut sic est supernaturalis. Ejusmodi verò Consequentia quà supernaturalis potest applicari ad nostrum intellectum tum per liberam voluntatis à Spiritu Sancto Motæ supernaturalem motionem, tum per lumen objectivum ex Fidei assensu præmissis præstito resultans, atque ut sic necessitans ad conclusionis illativum assensum. At verò utraque ista applicatio est intrinsecè ac Entitativè supernaturalis, ita tamen ut prior se habeat per modum Imperij Extrinsecè moventis, posterior autem se habeat per modum Motivi & *rationis Formalis sub quâ* objectivè specificantis, atque ex intrinsecâ conclusionis cum præmissis connexione necessitantis ad illativum assensum præstandum conclusioni sub objectivo Divinæ per Fidem in præmissis excitatæ revelabilitatis lumine. Quare non minùs iste posterior, quàm prior ille supernaturali circa Trinitatis materiam consequentiæ præstitus assensus est in substantiâ supernaturalis.

17. Urgebis. Fidei habitus unà cum habitu Charitatis, & gratia sanctificante æqualiter crescit in justo meritoriè operante. Si ergò fidei habitus sit potentia ad Theologizandum; homo indoctus & rusticus poterit Theologo esse perfectior quoad vim, & potentiam Theologizandi. Hoc autem videtur absurdum. Ergo & id, ex quo sequitur.

18. Contra: Quia discursus, imò, & simplex intellectûs notitia non paritur præcisè à lumine intellectuali, sed simul ab objecto, vel ejus specie intelligibili *ex communi Philosophorum*. At fidei supernaturalis lumini intellectuali subministrantur species intelligibiles ex auditu *ad Rom. 17. Fides ex auditu, auditus autem per Verbum.* Hæ verò species intelligibiles objecta fidei repræsentantes in hominibus rudioribus sanctitate licet excellentibus applicantur præcisè ad simplicem de substantialibus fidei articulis assensum absque ullâ rerum credendarum inter se collatione, dum præsertim non sunt subtilioris rerum divinarum doctrinæ cum ordine, & aliquâ inter se collatione traditæ frequentiores auditores. Hi proinde, licèt potentiam remotam, & radicalem Theologizandi in gradu intensionis excellentiori habeant, quàm plures Theologi, potentiam tamen proximam ex defectu specierum vel nullam, vel modicam habent.

Secùs tamen est in Sanctis v. g. Beatissimâ Virgine, & Catharinâ Senensi à Spiritu Sancto ad altiorem Divinorum Mysteriorum contemplationem elevatis. Hæ namquè ex speciebus rerum divinarum intelligibilibus vel infusis, vel per lectionem, sive auditum sacrarum litterarum acceptis, mediante non tantùm fidei supernaturali habitu, sed concurrentibus vel maximè Spiritûs Sancti Donis Intellectûs, Sapientiæ, ac Scientiæ, natæ erant ad Mysteria Dei intimiùs penetranda, atque sublimiùs æstimanda, seu judicanda. At prætacta Spiritûs Sancti Dona recepta in intellectu humano, hujus quasi naturam induunt, ac recipiunt vim ex sublimiori rerum divinarum penetratione ac contemplatione discurrendi ad inferendas subtiliores altissimarum quæstionum solutiones velut innuit S. Tho. *3. p. cit. q. 11. a. 3. ad 11. &* speciatim. *2. 2. q. 108. a 6. ad 2. & 3.* Ex quo proinde fonte ortum fuit, quòd S. Catharina Senensis sacrarum litterarum Professoribus difficillimas de Divinitate quæstiones proponentibus responderet. Et certè Doctor Angelicus Reginaldo asseverans, doctrinam non tam studio, & labore, quàm divinitùs sibi partam: nec non D. Bonaventura librum, ex quo hauriret suam doctrinam, ostendens Christum Crucifixum, testati sunt, scientiam Theologicam oriri ex alto, vi luminis supernaturalis nobis communicati per habitum fidei infusæ, & Dona Spiritûs Sancti. 19.

Hinc non improbo doctrinam Card. de Lugo *cit. n. 148.* asserentis: Assensum Theologicum conclusionis practicæ de actibus hic & nunc meritoriè eliciendis, quatenùs deducitur ex fidei principijs, procedere ut à causâ efficiente ab habitu supernaturali fidei, & Prudentiæ infusæ. Consequens igitur est, tum habitum fidei, ac Prudentiæ infusæ, tum dona intellectualia Spiritûs Sancti, esse instar potentiæ supernaturalis ad Theologicè discurrendum. 20.

CONCLUSIO II.

EX discursibus Theologicis generatur in hominis intellectu Habitus secundùm substantiam supernaturalis, sed acquisitus.

Probatur. Actus enim supernaturales in producendo habitu ad actus similes facilitante non minoris sunt efficaciæ, quàm naturales. Atqui discursus Theologici sunt in substantiâ supernaturales: Sicut ergò ex discursibus naturalibus oritur facilitas discurrendi circa objecta naturalia: sic ex discursibus Theologicis resultat in intellectu qualitas facilitans ad discurrendum super- 21.

pernaturaliter circa superiores Divini luminis veritates. Major patet tum ex se ipsâ, tum ab experientiâ, quâ ostenditur exercitatos in actibus supernaturalibus sive voluntatis, sive intellectûs singulari quâdam promptitudine & facilitate pollere in exercitio similium actuum: tum denique ex auctoritate D. Thomæ *de Verit. q. 17. a. 1. ad 13.* juxta expositionem Petri Bergomensis *in suâ Concordantia dub. 697.* docentis, ex actibus Charitatis infusæ generari habitum Dilectionis acquisitum.

22. Minor autem Probatur. Discursus Theologicus quoad præmissas formales importat actus fidei in substantiâ supernaturales: assensus verò conclusionis attingit formaliter supernaturale fidei motivum; atque adeò tanquam à potentiâ sui connaturaliter effectrice procedit ab habitu fidei infusæ *velut praced. concl. demonstratum est.* Ergò non tantùm assensus præmissarum, sed etiam conclusionis in discursu Theologico quoad substantiam, & entitatem suam est supernaturalis. Atqui habitus generatus ex frequentatione actuum inclinat, & facilitat ad specie similes actus, ad quorum efficientiam physico influxu unà cum potentiâ concurrit tanquam connaturale eorumdem principium. At verò actuum supernaturalium non potest esse connaturale principium efficiens, nisi quoad substantiam sit supernaturale. Ergò habitus Theologicus ab exercitio discursuū supernaturalium genitus, & ad similes actus in ratione principij *Physicè* efficientis inclinans, seu facilitans est in substantiâ supernaturalis.

23. Dices: Hanc facilitatem de rebus supernaturalibus discurrendi supposito lumine fidei oriri ex coordinatione specierum intelligibilium, tum fidei assensui, tum Discursui Theologico inservientium. At istæ species sunt in suâ entitate naturales. Ergò facilitas discursûs Theologici non arguit habitum in substantiâ supernaturalem acquisitum.

24. Contra: Species, quæ tum assensui fidei, tum discursui Theologico inserviunt, aliæ sunt per operationem intellectûs agentis abstractæ à sensibilibus, sub quibus tanquam signis latent Mysteria fidei, & objecta supernaturalia. Unde has in entitate suâ naturales esse extra dubium est. Aliæ sunt natæ ex fidei, ac discursûs Theologici actibus supernaturalibus, suntque receptæ in memoriâ intellectivâ: Hæ verò cùm fluant ex principio efficiente quà supernaturali, sunt in entitate suâ supernaturales. Neque ab istis speciebus distinguitur habitus Theologicus, si non tantùm illorum actuum per modum luminis intelligibilis sint repræsentativæ, sed per modum luminis intellectualis facilitantis sint etiam productivæ actuum directè tendentium in motivum, & rationem formalem propter quam discursûs Theologici. Ergò etiam posito, quòd habitus acquisiti non distinguantur à speciebus, *de quo agitur in sequenti Conc.* adhuc sequeretur, habitum ex discursuum Theologicorum exercitio acquisitum, & ad similes supernaturales discursus facilitantem esse in substantiâ supernaturalem.

Responsio ad fundamenta Adversariorum.

25. AD primum *n. 1.* oppositum argumentum Respondetur: Concesso antecedente, negando Consequentiam. Etenim S. Tho. *loco ibi. allegato* Sapientiam, quæ est Donum Spiritûs Sancti, in eo distinguit à sapientia Theologicâ studio acquisitâ, quòd hæc ex principijs revelatis per modum duntaxat cognitionis, illa verò per modum inclinationis tendat in res divinas, seu objecta supernaturalia. Unde patet, quòd nec in objecto, nec in lumine quoad rationem supernaturalitatis sit differentia Sapientiæ infusæ, & Theologicæ acquisitæ. Hæc igitur non minùs, quàm illa in suâ entitate supernaturalis est.

Ad secundum Respondetur. Concessâ Majore negando minorem. Nam extra dubium est, quin maneat in hæreticis character, qui est qualitas supernaturalis: Cur ergo repugnet Apostatæ à fide inexistere supernaturalem Theologiæ habitum, donec vel per oblivionem ex parte memorativæ evanescant species, vel per depravationem falsæ argumentationis pereat veritatis scientia? velut argumento à pari desumpto argui potest ex Aristot. *to. 2. de longit. & brevit. vitæ c. 2. prope init. &* S. Tho. *1. p. q. 89. a. 6.* 26.

Quod respectu Theologiæ faciliùs accidit in hæretico, qui ob fidem supernaturalem *teste Conc. Trident. sess. 6. c. 15.* in se destructam est impotens ad ullum verum Theologicum discursum formandum: ut adeò habitum illum omninò otiosum citiùs evanescere sit necesse. 27. Si proinde in hæretico sit quædam facilitas ex fidei articulis deducendi conclusiones Theologicas, id non provenit ex habitu Theologiæ in eo fortè remanente; sed tum ex speciebus relictis, & inter se coordinatis vi actuum præteritorum; tum ex habitu quodam naturali acquisito ex discursibus non fide divinâ, sed authoritate vel ratione humanâ duntaxat probabili nitentibus. Cujus signum evidens est, quòd illi, qui se exhibebant insignes, & in veritate divinâ tuendâ maximè constantes Theologos, ubi lapsi sunt in hæresin, inter disputandum de rebus fidei se prodant singulis quasi momentis nutantes, titubantes, erroneos, & inconstantes; ut adeò Bannes *præf. a. 2. dub. 1. ad 2.* rectè concludat: Illam facilitatem non tam esse scientiam Theologicam, quàm ejus cadaver, adstipulante D. Tho. *2. 2. q. 5. a. 3. in fin.* ubi ait, in hæreticis de rebus fidei non esse, nisi opinionem quandam secundùm propriam voluntatem. 28.

Ad tertium Respondetur. Difficultatem esse tam in Majore, quàm in minore. Nam ratio formalis propter quam assensûs Theologici est connexio extremorum syllogismi cum medio non *secundùm se præcisè materialiter* considerata, sed quatenus *formaliter* subest Divinæ Veracitati revelanti. *ut praced. concl. 1. probatum est.* At sub illâ formalitate non potest intellectus lumine suo naturali attingere principia seu præmissas Discursûs Theologici; sed indiget supernaturali fidei habitu. Ergò ad assensum conclusionis sub formalitate illius Motivi non potest intellectus ex vi suæ naturæ determinari. 29.

Ad quartum Respondetur: Theologiam *Diverso Respectu* referri tum ad gratiam gratum facientem, tum inter gratias gratis datas. Nam 1. non tantùm in præmissis, sed in ipso conclusionis Theologicæ assensu formaliter intervenit actus fidei. Hic verò quà meritorius ordinatur ad gratiam gratum facientem. 2. Homo justus per scientiam Sanctorum radicatam in Donis Spiritûs 30.

Spiritûs Sancti, Intellectu, Sapientiâ, Scientiâ, & Prudentiâ infusâ, est instructus ad supernaturales Theologicos Discursus cum inclinatione, seu unione quâdam affectivâ erga res divinas ex S. Thom. *pras. a. 2. ad 3. & 2. 2. q. 9. a. 2. ad 1.* Quæ proinde scientia Sanctorum, seu Theologia Mystica refertur ad gratiam gratum facientem, imò est inseparabiliter connexa cùm gratiâ sanctificante. 3. Sicut olim Prophetæ sunt extraordina-
31. riè à Deo instructi veritatibus Divinis, ac supernaturalibus; sic Scribæ, & Doctores Theologi sunt à Deo positi in Ecclesiâ, in hujus ædificationem, & consummationem Sanctorum. Ergò ut sic Theologia referenda est inter gratias gratis datas. *ex 1. Corinth. 12.* Nec refert, quòd sit studio & labore acquisita; ratio enim gratiæ salvatur, quatenus ad ejus acquisitionem requiritur influxus supernaturalis.

Ad quintum Concessa Majore, Respondetur
32. ad Minorem, & Consequentiam; Præmissam naturaliter evidentem ex alterâ fidei conjunctâ supernaturalem certitudinem participare, quæ consequenter derivetur in conclusionem inde deductam. Explicatur hæc responsio. Nam quià ambæ præmissæ, altera fidei, altera naturaliter evidens enuntiant identitatem extremorum cum uno medio, ex tali medij unitate, ac identitate certò patet, Veritatem propositionis non revelatæ Virtualiter contineri in alterâ per fidem infusam creditâ. Hinc autem fit, quòd naturaliter evidens per virtualem sui in revelatâ continentiam sit *implicitè*; ac *virtualiter* revelata adeòque participet certitudinem supernaturalis revelationis divinæ. Ergò ut sic unà cum *Formaliter* revelatâ in conclusionem influit certitudinem supernaturalem.

Instabis: Ex hoc sequi, quòd syllogismus
33. constans unâ præmissâ de fide, & alterâ naturaliter probabili possit esse Theologicus, ac inferre conclusionem supernaturaliter certam. Sequela probatur: Sicut enim naturaliter evidens conjuncta in Syllogismo cum alterâ de fide explicat evidenter illius in hâc virtualem continentiam; sic naturaliter probabilis ex conjunctione cum fidei præmissâ manifestat probabiliter illius in hac continentiam Virtualem. Atqui ad fidei assensum, & à fortiori ad illationem conclusionis Theologicæ sufficit applicatio revelationis divinæ ex ratione, seu motivo tantùm probabili. Major est evidens, Minor autem probatur. Nam evidentia credibilitatis de assensu fidei hîc, & nunc præstando propositioni Divinitùs revelatæ fundat certitudinem duntaxat Moralem. Hæc autem non transcendit metas Dictaminis probabilis, seu Prudentialis. Cùm igitur per Syllogismum constantem unâ præmissâ de fide & alterâ naturaliter probabili hæc moralis evidentia ac certitudo de virtuali conclusionis in principio revelato continentiâ, consequens est, ejusmodi conclusionem tanquam mediatè Revelatam eatenus cadere posse sub imperium actûs fidei Excitativum, ut quatenus substat Discursui, habeat rationem conclusionis propriæ ac strictè Theologicæ.

Respondetur. Negando sequelam: Ad ejus
34. jus probationem dicitur, datâ evidentiâ morali credibilitatis per influxum Dei supernaturalem elevari intellectum ad Iudicium prudentiale de honestate actûs fidei hîc & nunc eliciendâ circa revelationem Dei propositam. Hoc autem judicium, quatenus formaliter est reflexivum super honestate actûs, est physicè, imò ex vi supernaturalis influxûs plùsquam metaphysicè certum. Exinde verò à virtute voluntati Divinitùs infusâ, vel ab auxilio divinæ gratiæ voluntas elevatur ad imperium supernaturale efficax, mediante quo intellectus fidei supernaturalis habitu instructus determinetur ad assensum. Neque verò tum ex natura virtutis fidei, tum ex ratione Primæ Veritatis Dei excitantis, & concurrentis *Efficienter* ad talem actum, possibile est, fidei assensum supernaturalem fieri, si revelatio Dei non à parte rei subsistat. Constat igitur, fidei assensum formaliter, ac re ipsâ nunquam niti motivo, seu ratione duntaxat probabili. Ergò à pari discursus Theologicus participans fidei certitudinem nequit constare unâ præmissâ tantùm probabili. Etenim præmissa de fide non potest suam su- 35.
pernaturalem certitudinem derivare in conclusionem, nisi certò constet, alteram vel *Formaliter* esse etiam revelatam, vel contineri *Virtualiter* in illâ fidei præmissâ. At quando syllogismus constat unâ præmissâ duntaxat probabili, & aliâ revelatâ, non potest, nisi probabiliter apparere illius in hac virtualis continentia. Ergò nec in conclusionem potest tunc ex præmissâ fidei derivari certitudo supernaturalis, nec adeò assensus conclusionis est strictè Theologicus.

CONTROVERSIA IV.

An Theologia sit unus simplex Habitus.

PRima sententia negat, sed diversimodè ab Auctoribus sigillatim enumerandis explicatur, atque Probatur 1. Theologiæ habi- 1.
bitus Totalis habet diversa motiva, & principia specie, aut genere distincta. Ergò non est una specie scientia, sed aggregatum ex pluribus habitibus. Francisc. de Lugo *disp. 3. c. 4. n. 1.* Antecedens Probatur: Discursus Theologicus in viâ quandoque procedit ex principijs fide divinâ creditis; quandoque ex lumine supernaturali Donorum Spiritûs Sancti Intellectûs, Sapientiæ, & Scientiæ. Imò subinde procedit ex Prudentiæ infusæ principijs, ad probandam actûs hîc & nunc meritoriè eliciendi honestatem. Et quidem in omni genere istorum discursuum argumentatur ex similitudinibus, parabolis, exemplis Sanctorum juxta interpretationes Patrum quandoque controversas. Ergò ex hac diversitate principiorum, ac luminum rectè infertur differentia specifica inter habitus Theologicos.

2. Theologicus discursus quandoque con- 2.
stat ex utrâque præmissa de fide, quandoque unâ duntaxat fidei & alterâ naturaliter evidente, vel tantùm probabili. Ex hac verò diversitate principiorum infertur differentia in objectis seu motivis formalibus. Minor probatur. Motivum seu ratio propter quam assensûs discursivi integratur ex utroque principio syllogismi. Ergò motivum syllogismi constantis unâ de fide, & alterâ naturali, secundùm speciem differt a ratione motivâ syllogismi constantis ambabus præmissis

missis fidei: in hoc enim ratio propter quam est adæquatè de lumine supernaturali, in illo verò est partialiter de lumine naturali. Ergo ex tali differentiâ motivi infertur specifica inter habitus Theologicos differentia. Ocham, & Gabriel *in prol. lib. sent. q. 8.* Molina *1. p. q. 1. a. 3. disp. 3. in fin.* Granadus. *1. p. tract. 1. disp. 8.* Ysambertus *in cit. 1. quæst. disp. 4. a. 3.* Petrus, à S. Ioseph. *in Proœm. Theolog. resol. 4.*

3. 3. Ratio speculativi & practici sunt essentiales habitûs intellectualis differentiæ. Ergò Theologia includit duos habitus unum practicum, & alterum speculativum. Goffredus apud Scotum *q. 4. Prolog. n. 27.*

4. Res revelatæ per discursus, & assensus
4. Theologicos attinguntur prout quidem subsunt Divinæ revelationi; at non præcisè secundùm revelationem, sed etiam secundùm se: sicut albedo prout subest lumini videtur, at non tantùm secundùm lumen, sed etiam secundùm se. At visio albedinis, unitate luminis tanquam rationis videndi non obstante, differt essentialiter à visione nigredinis. Ergò actus quoque Theologici, quatenus in rebus revelatis attingunt veritates, v. g. circa Deum, & objecta creata essentialiter diversas, specie differunt. Martinon. *to. 1.*
5. *disp. 1. sect. 4. n. 34.* Favet Lychetus *in prolo. q. 4. Scoti comment. n. 2.* asserens, Theologiam nostram dici unum habitum non numero, sed fortè genericum, adstipulante Scoto, *q. 3. prol. n. 5. in fin.* ubi affirmat, in scientijs assignari objectum commune, à quo non fit habitus unus secundùm speciem, sed tantùm secundùm genus.

6. 5. Alius Theologiæ habitus est fidei defensivus, alius verò deductivus conclusionum ex principijs fidei. Ergò Theologia non est una simplex qualitas. Durandus *in q. 4. Prol.*

7. 6. Habitus acquisitus consistit in speciebus intelligibilibus relictis in potentiâ ex actibus præteritis. At species intelligibilis unius conclusionis Theologicæ differt numero à specie alterius conclusionis. Ergò in Theologiâ plures habitus ob unitatem rationis formalis sub quâ, speciè conveniunt, sed juxta numericam assensuum & conclusionum distinctionem numero differunt. Amicus *cit. disp. 1. sect. 5. n. 87.* cum quo saltem in consequente, si non in ratione Antecedentis sentiunt Suarez *to. 2. Metaph. disp. 44. sect. 11. n. 51.* Gammachæus *præs. q. 1. c. 6.* Molina. *1. p. q. 1. a. 3.*
8. Favet ex parte Scotus, qui licèt *in 1. dist. 3. q. 6. n. 29.* species intelligibiles distinguat ab habitu per actus acquisito: attamen *in 3. dist. 25. q. 2. n. 3. in medio* ait: *In scientia fortè tot esse habitus, quot sunt demonstratæ conclusiones specie distinctæ.*

9. *Secunda* sententia Alberti Magni. *1. p. sum. tract. 1. q. 3. memb. 2.* S. Thomæ. *præs. q. 1. a. 3.* Cajetani *ibi.* Bannis *eod. art. dub. un.* Nazarij *hic controv. 1. & 2.* Hieron. de Medices. *cit. a. 3.* Serræ *ibid.* Philippi à S. Trinit. *disp. 1. Proœm. dub. 3.* Fasoli *præs. a. 3. n. 5. & plurium aliorum* affirmat, Theologiam esse habitum unius speciei Specialissimæ. Quem porrò habitum esse simplicem qualitatem probant Doctor Angelicus *1. 2. q. 54. a. 4.* Cajet. *ibi.* Ferrariensis *1. cont. gentes c. 50.* Philippus à S. Trinit. *ubi sup.* & Thomistæ communiter.

***

CONCLUSIO. I.

THeologia est unius speciei infimæ scientia.

Probatur Ratione S. Doctoris Unitas enim 10.
scientiæ specifica desumitur ex ratione formali objecti. At in Theologiâ omnia considerantur sub unâ ratione Divinæ revelabilitatis. Ergò Theologia est unius speciei specialissimæ.

Dices: ex Alberto Magno *cit. memb. 3. in sol.* 11.
Illa duntaxat forma, seu ratio objecti potest secundùm Arist. *1. post. maximè tex. 43.* scientiæ tribuere unitatem, ex quâ subjectum, sive objectum constituitur unum, & tota causa passionum de ipsa demonstrabilium. At revelatio nihil ponit in rebus revelatis; adeoquè revelabilitas non potest esse Causa veritatum in Theologia demonstrabilium, ergò nec potest in his constituere unitatem. Ergò unitas Theologiæ non potest desumi ab unitate revelationis, sed ab unitate proportionis ad unum finem Beatificantem.

Contra: Nam ex Arist. *6. Metaph. c. 1.* constat, 12.
objecta formalia & distinctiva scientiarum naturalium determinari per intellectuales abstractiones. Hæ verò sunt quid extrinsecum respectu objectorum. Ergò ratio objecti specificativa, & distinctiva scientiæ potest determinari per aliquid extrinsecum. Confirmatur illud Consequens Nam objectum constituitur formaliter scibile per lumen intellectuale, quatenus ab illo participatum ex S. Tho. *de Verit. q. 9. a. 1. ad 2.* Hoc autem lumen, vi cujus in objecto manifestatur formalitas scientiæ specificativa, resultat ex abstractione intellectuali. Sic enim per abstractionem à materiâ duntaxat individuâ lumen physicum, per abstractionem à materia etiam sensibili lumen Mathematicum; per abstractionem verò ab omni etiam intelligibili materiâ lumen Metaphysicum resultat, uti eleganter demonstrat Cajetan. *in cit. a. 3. §. ad evidentiam.*

Atqui ex revelatione Dei resultat in objecta 13.
Theologica lumen quoddam Divinum *Formaliter* derivatum à Dei scientiâ. Unde S. Doctor *eod. art. ad 2.* ait: sacram Doctrinam esse velut quandam impressionem Divinæ scientiæ. Hoc autem lumen utpote supernaturale inducit novam, Philosophis incognitam abstractionem. Etsi namquè Metaphysica, seu Theologia naturalis discurrat de Deo secundùm perfectiones lumine naturali cognoscibiles; attamen Theologia supernaturalis supra illud lumen naturale transcendit, ita, ut in quibusdam fidei Mysterijs, nimirum de Trinitate, & Incarnatione Verbi prima naturalis luminis principia non habeant locum. Ex hac igitur abstractione, seu elevatione luminis supernaturalis resultat in objectis revelatis formalitas fundans scientiam distinctam à scientijs naturalibus. Ergò hæc formalitas consistens in *revelabilitate divinâ*, cùm sit distinctiva; *consequenter* est etiam specificativa Theologiæ supernaturalis. At distinctio rei ab alijs supponit indivisionem, seu unitatem rei in se. Ergò ratio *revelabilitatis Divinæ*, quatenus in ratione objecti est Theologiæ specificativa & distinctiva: *consequenter* arguit in eâ unitatem specificam.

Replica-

14. Replicabis. Abstractio intellectualis à materiâ v. g. intelligibili non est formaliter constitutiva objecti Metaphysices, sed est conditio tantùm applicans & repræsentans intellectui formalitatem Entis ut sic; quæ formalitas quà objecto intrinseca specificat Metaphysicam. At revelabilitas Divina objectis revelatis æquè extrinseca est, atquè abstractio intellectualis. Ergò ad instar hujus se habet ad objectum Theologiæ
15. specificativum tantùm extrinsecè. Confirmatur. Nam formalitas objecti tribuens objecto unitatem, debet esse tota causa passionum de ipso demonstrabilium, *ut supra ex Philosopho arguebatur.* At ipsa essentia subjecti est causa, seu ratio passionum de ipso demonstrabilium. Cùm proinde revelatio Divina se habeat tantùm extrinsecè ad veritates in Theologiâ demonstrabiles, non potest esse ratio formalis objecti, tribuens Theologiæ Unitatem.

16. Contra: Nam 1. *Divina revelabilitas* formaliter importat scientiam Dei, cui tanquam primario, & ultimato motivo innititur fides ac Theologia supernaturalis. At scientia Dei per essentiam Divinam quà primum suum objectum formalissimè actuata est etiam secundùm rationem nostram formaliter Natura Divina, ex S. Thom. *1. p. q. 28. a. 3.* Ergo *Divina revelabilitas*, quà ratio formalis motiva & specificativa Theologiæ in conceptu objectivo importat Essentiam & Naturam Divinam. Hæc verò est ratione nostrâ radix & causa omnium attributorum, & perfectionum in Deo. Insuper ex illâ, etiam antecedenter ad Physicam productionem resultat Idealiter creaturarum imitabilitas objectiva, adeoque Esse earum possibile, & ex eâdem quà Causâ Efficiente consequitur esse actuale, & reale omnis veritatis à Deo revelatæ. Ergò *Divina Revelabilitas* non minùs est ratio, & causa omnis veritatis in Theologia demonstrabilis, quàm natura, quatenùs est principium motûs, sit ratio, vi cuius de corpore naturali omnes effectus naturales tam ad intra, quàm ad extra sunt in concreto demonstrabiles.

17. 2. Si *revelabilitas divina* accipiatur pro rei revelatæ intrinsecâ formalitate objectivâ substante lumini Divinæ scientiæ; tunc ratio *revelabilitatis primariò* importat Dei essentiam, atquè naturam, & *consequenter* attributa, & perfectiones Divinas; *secundariò* verò veritates creatas à Deo revelatas. At sub istâ revelabilitatis acceptione æquè subsistit unitas Theologiæ, atquè Metaphysicæ. Ergo ex ratione *revelabilitatis divinæ* efficaciter probatur unitas spicifica Theologiæ.
18. Maior, uti & minor habet fundamentum in S. Thoma *cit. a. 3. ad. 1. & ad 2.* docente, *Unitatem Theologiæ, licèt tractet de Deo, & creaturis, non impediri, tum quòd* de Deo tractet *principaliter*, de creaturis autem quà referibilibus ad Deum tanquam ad principium, vel finem: *tum quòd* hæc obiecta scientiarum alioquin naturalium distinctiva attingantur à Theologiâ sub unâ simplici *Divinæ revelabilitatis* ratione. Unde patet, S. Doctorem, quatenùs unitatem Theologiæ desumit ex unitate proportionis creaturarum ad Deum tanquam finem Beatificantem non dissentire à suo Magistro Alberto magno *ubi sup. & in 1. sent. dist. 1. a.* 3. ut proinde mirum sit, hunc differre à Discipulo Angelico, quà Theologiæ unitatem specificam arguente ex unitate *Divinæ revelabilitatis.* Hæc namquè sumpta objectivè importat *primariò* & *formaliter* essentiam, & naturam Divinam, quæ ut sic est finis Beatificans, ut adeò ad unitatem Theologiæ ex unitate finis Beatificantis adstruendam non fuerit necessum *revelabilitatem Divinam* tanquam unitatis in Theologiâ radicem ab Alberto magno impugnari.

Confirmatur Minor prætacta. Ratio enim entis quà objectum formale specificans Metaphysicam *primò* convenit Deo, *analogicè* verò, & *participativè* Enti creato. Item ratio Entis creati principaliter inest substantiæ, accidenti autem *secundariò.* Hæc autem analogica Entis unitas non impedit unitatem Metaphysicæ. At eodem modo ratio objectiva *revelabilitatis Divinæ* primò convenit essentiæ & naturæ Divinæ, creaturis autem competit tanquam secundarijs Divinæ scientiæ objectis. Ergò sub ratione objectivâ *Divinæ revelabilitatis* æquè subsistit unitas Theologiæ supernaturalis, atquè sub communi ratione Entis stet unitas Metaphysicæ. 19.

Conclusio II.

Habitus Theologiæ est una simplex qualitas.

Probatur. Species intelligibilis, & lumen intellectuale se habent ad cognitionem tanquam principia disparata; unde licèt species varientur secundùm diversitatem objectorum, quorum vices agunt, potentia tamen intellectiva in se omninò indivisibilis se extendit ad plura distincta objecta, quatenùs sub unâ ratione generali conveniunt. Atqui habitus ad actum cognitionis *efficienter* cum lumine intellectuali concurrit perficiendo, seu facilitando, & adiuvando potentiam formaliter quà talem. Omnis autem perfectio proportionatur suo perfectibili, uti ad nostrum intentum arguit S. Doctor. *1. 2. q. 54. a. 4.* Ergo non æque in habitu, ac in speciebus intelligibilibus secundùm diversitatem objectorum ponenda est distinctio, sed ad instar potentiæ unus simplex habitus sub unâ speciali ratione se extendit ad plura objecta. At verò Theologia considerat omnia sua objecta sub unâ simplici *Revelabilitatis Divinæ* ratione. Ergò habitus Theologicus est una simplex qualitas. 20.

Responsio ad fundamenta Adversariorum.

Ad Primum *n. 1.* oppositum Respondetur: Ex Donis Intellectûs, & Sapientiæ animam mediante fide vivâ per charitatem formatâ elevari, omni quandoquè rationis discursu remoto, ad simplicem intelligibilis Veritatis Divinæ contemplationem, atquè in hâc sublimi contemplatione *per eminentiam* consistere Theologiam Mysticam, ut sic specie distinctam à Theologiâ Scholasticâ quâ discursivâ. Si verò Theologia Mystica sumatur pro habitu discursivo ex principijs Divinis vi Donorum Spiritûs Sancti intellectualium intimiùs penetratis, & cum suavi Charitatis Divinæ dulcedine æstimatis, non distingui ut sic secundùm substantiam, & entitatem intrinsecam ab habitu Theologiæ acquisito per discursus formatos ex principijs Divinitùs revelatis. *Probatur hoc assumptum.* Nam iste Theologiæ habitus Discursivus *formaliter* consistit 21. 22.

in qua-

in qualitate facilitante ad supernaturaliter discurrendū ex principijs Divino supernaturali lumine cognitis. Nec refert, sive ista principia sint credita per fidem Divinam, sive sint penetrata, & judicata per Donum Intellectûs, Sapientiæ, ac scientiæ, imò & Prudentiæ infusæ, sive sint etiam visa in Verbo per lumen gloriæ. Siquidem in horum omnium Formali objecto sit unum simplex Deitatis, seu Divinæ Veritatis Lumen objectivum, nec nisi in modo concipiendi sit differentia.

Quòd si ex ratione solùm probabili, vel ex Parabolis, & similitudinibus, vel alijs Sacræ Scripturæ
23. textibus secundùm interpretationem Patrum, seu Doctorum controversam in materijs Theologicis sive Moralibus, sive Doctrinalibus procedat discursus, iste tunc generat habitum duntaxat opinativum, & consequenter specie diversum ab habitu Theologiæ scientifico, nec adeò venit simpliciter nomine habitûs Theologici, sed ad hunc reductivè tantùm ex quâdam similitudinis analogiâ refertur. Est igitur Theologia acquisita
24. unus speciei, in Entitate sua & numero indivisibilis habitus quà ex principijs Divino supernaturali lumine cognitis demonstrativus, seu scientificè discursivus.

Ad secundum Respondetur. Negando Minorem, ac probationis consequentiam. Nam præmissa naturaliter evidens juncta in syllogismo cum fidei Principio, ratione virtualis sui in hoc
25. continentiæ elevatur ad supernaturalem certitudinem. Ergò nulla quoad motiva est differentia specifica, sive syllogismus unâ duntaxat fidei, & alterâ naturaliter evidente præmissâ, sive duobus fide divinâ cognitis principijs constet. Quòd si discursus constet unâ de fide, & alterâ luminis naturalis moraliter certâ propositione, ob hujus duntaxat probabilem in illâ continentiam non potest conclusio habere certitudinem scientificam, & consequenter non *simpliciter*, sed tantùm *reductivè* est Theologica.

26. Ad tertium Respondetur: Antecedens in Doctrinâ saltem divinitùs revelatâ esse falsum. Nam distinctio habituum non est ex objectis, nisi quatenùs sunt Motiva. At objectis quà per se & ab intrinseco, non autem per Imperij duntaxat Extrinseci Efficaciam Motivis debet inesse vis quædam evidentiæ ad convincendum, ac necessitandum intellectum. Sicut igitur habitus & discursus Theologicus nullam habet evidentiam ex objectis suis quà operabilibus, & speculabilibus, sic ista non sunt per se Motiva respectu illius. Ergo habitus Theologicus ex distinctione objectorum speculabilium & operabilium utpote Materialium nullam sortitur differentiam specificam, utpote, qui sub uno Divinæ revelabilitatis per piam voluntatis motionem ac imperium ad Discursûs Theologici principia applicatæ Motivo formali attingit omnia sua objecta tum speculabilia, tum operabilia; uti argumento isto, nonnihil tamen variato arguit Scotus *cit. q. 4. prol. n. 28.* & Lychetus *ibi comment. n. 2.*

Ad Quartum Respondetur: Distinguendo
27. Maiorem. Res revelatæ non præcisè secundùm revelationem, sed etiam in se ipsis attinguntur à discursu, & assensu Theologico, tanquam objectum materiale, *conceditur*, tanquam objectum formale *negatur*. Quare dispar est ratio visionis, quæ uno quidem actu attingit lucem, & colorem, ita tamen, ut etiam color habeat rationem objecti formalis. Ex S. Thom. *1. 2. q. 8. a. 2. in Corpore. & ad 2.* Unde fit consequens, actus videndi ex specificâ colorum differentiâ esse secundùm speciem diversos. Verùm etiam posito, quòd assensus Theologici ex objectorum 29.
revelatorum differentiâ specificâ distinguerentur, inde haud inferretur distinctio habitûs, qui teste S. Tho. *1. 2. q. 54. a. 4.* naturam potentiæ imitando, ad multa objecta, adeoquè ad actus diversos sub unâ formali ratione Motivâ inter se subordinatos se extendere potest. Cùm proinde omnes Theologici assensus conveniant sub uno *revelabilitatis Divinæ Motivo*, nulla in ipsis, minùs in habitu admittenda est differentia specifica.

Ad Quintum Respondetur: Habitum Theologiæ 29.
quà Defensivum esse necessariò discursivum, conferendo doctrinam fidei contrariam cum Veritate Divinæ revelationis. Ergò non distingui à Theologiâ *quà Deductivâ*, seu *Argumentativa*.

Ad Sextum Respondetur: Negando Maiorem. 30.
Nam species intelligibiles ad intellectionem concurrunt in ratione objecti, habitus verò influunt cum potentiâ, hujus vires confortando, eamquè adeò in ratione potentiæ adiuvando, & facilitando. At si principia sint diversi ordinis, non potest unum suppleri per aliud, nisi hoc eminenter contineat alterum. Ergò specierum intelligibilium influxus, cùm sit alterius à potentiâ Ordinis, non potest facilitare potentiam quà talem. Ergò species intelligibiles comparatæ ex conclusionibus, & demonstrationibus Theologicis distinguuntur ab habitu Theologico.

Instabis. S. Thomam *de Verit q. 20. a. 2. in* 31.
fin. Corp. expressis verbis docere, quòd habitus sit collectio specierum ordinatarum. Ergò juxta harum distinctionem multiplicantur unius speciei scientiæ habitus.

Responderi potest cum Ferrariensi *in lib. 1. cont. gentes. c. 56.* Dupliciter posse nos loqui de habitu scientifico, *Formaliter* scilicet & *fundamentaliter*, *sive causaliter*. Nam intellectus non potest conclusiones scientificè demonstrare, nisi constituatur in actu per species intelligibiles virtute intellectûs agentis abstractas. Hæ proinde se habent ad discursus scientificos tanquam causa ad effectus. Cùm igitur habitus scientiæ generetur ex discursu Demonstrativo, consequens est, habitum ejusmodi *fundamentaliter*, & *Originativè* consistere in speciebus, à quibus tamen *formaliter*, *ac entitativè* sit distinctus. Ratio huius 32.
subtiliter tangitur à Scoto. *in 1. dist. 3. q. 6. n. 29. in fin.* Nam habitus ex actibus acquisitus est habilitas ad actus consimiles. At per istam habilitatem non potest objectum intellectui præsens constitui. Est autem speciei intelligibilis munus repræsentare objectum, idquè facere intentionaliter præsens intellectui. Ergò habitus scientiæ secundùm intrinsecam suam entitatem à speciebus intelligibilibus est distinctus, atque *formaliter* consistit in habilitate intellectuali species intelligibiles benè coordinandi, easquè promptè, facile, ac delectabiliter utendi ad discursum scientificum, uti tradunt Ferrariens. *loc. cit.* & Caiet. *1. 2. q. 54. a. 4.*

Ista pro-

33. Ista proinde habilitas supponit quidem plures distinctas species, in se ipsâ tamen est indivisibilis ac simplex respectu omnium discursuum, & conclusionum, quas unâ ratione motivâ attingit. Quod etiam S. Thom. *q. 10. de Verit. a. 2.* expressit: *Habitum scientiæ*, inquiens, esse *ordinationem* (in actu scilicet primo) *specierum intelligibilium*, quæ post actualem considerationem remaneant in intellectu possibili.

34. Urgebis. S. Doctorem *1. 2. q. 66. a. 2.* docere, quòd species intelligibiles sint formale virtutum intellectualium, phantasmata verò se habeant ad istas tanquam Materiale. Cui conformiter *q. 52. a. 2.* asseruit, quando in addiscente plures Geometriæ conclusiones, habitus augetur secundùm species, tunc fieri augmentum scientiæ secundùm se ipsam per additionem. Constat igitur, de mente Doctoris Angelici esse, quòd scientia non sit qualitas indivisibilis, utpote recipiens augmentum non tantùm intensionis, sed etiam extensionis secundùm species intelligibiles.

35. Respondetur: Scientiam, & virtutem intellectualem plerumquè accipi pro adæquato lumini intellectuali superveniente principio actûs scientifici. In hoc autem principio ut sic manifestum est, includi tum habitum facilitantem, & corroborantem vires potentiæ quà potentiæ, tùm species intelligibiles repræsentantes objecta, quorum vices agunt in causalitate intellectionis. Quod duplicis inadæquati principij discrimen satis insinuavit Doctor Angelicus *cit. q. 52. & q. 54. in corp. & ad 3.* affirmans, *Scientiam posse augeri secundum se ipsam per additionem, ita tamen, ut augeatur habitus non secundùm se, sed secundum species, per quas fiat extensio habitus ad plures conclusiones, ac demonstrationes inter se ordinatas.* Sunt igitur species intelligibiles *formale* virtutis intellectualis, & scientiæ, quia sunt hujus inadæquatum constitutivum.

36. Unde scientia secundùm se ipsam potest quoad species *extensivè* augeri, licèt habitus scientificus, prout est habilitas quædam intellectûs quà potentiæ in ordinato specierum intelligibilium usu confortativa, nullum *in entitate suâ intrinsecâ*, utpote omninò indivisibilis admittat augmentum vel extensivum, vel intensivum; ut adeò ejus intensio, non fiat per additionem formæ ad formam, sed secundùm perfectiorem habitûs ex primo actu scientifico præexistentis in subjecto participationem. *Ex eod. S. Doctore cit. q. 52. a. 1. & 2.* Etsi proinde Theologiæ habitus *connotativè* importet plures distinctas species intelligibiles, quas partim supponit tanquam *principia sui inadæquatè effectiva*, partim ordinat tanquam suas Discursûs Theologici *concausas effectrices*, in se tamen *quoad intrinsecam entitatem* est una numero simplex qualitas & omninò indivisibilis.

CONTROVERSIA IV.

An Theologia sit Practica, vel Speculativa?

Divus Bonaventura in *1. sent. q. 3. proœm.* Albertus Magnus *cit. q. 3. sum. memb. 3. & in dist. 1. a. 4.* affirmant, Theologiam esse affectivam: quæ ratio specifica habitûs fuerit incognita Philosophis, sitquè media inter differentias speculativi & practici; de cujus secundùm Bonaventuram utriusquè ratione, secundùm Albertum verò, rationem practici altiori, & sublimiori modo participet habitus Theologicus. Explicatur & Probatur. Nam intellectûs quà perfectibilis ab habitu triplex est consideratio, nimirum, *Secundùm se, secundùm extensionem ad opus, & secundùm extensionem ad affectum. Secundùm se* perficitur intellectus ab habitu, seu scientiâ speculativâ: *secundùm extensionem ad opus*, intellectus quà Directivus, seu rectitudinis moralis regulativus perficitur ab habitu practico, sive scientiâ morali, cujus finis est, nos efficere bonos: deniquè *secundùm extensionem ad affectum* perficitur intellectus ab habitu affectivo, cujus est inquirere veritatem, non per intellectum duntaxat, sed per affectum, & substantiam. Atqui Theologia juvat fidem, quæ ita est in intellectu, ut nata sit movere affectum. Unde Theologiæ finis est, veritati Beatificanti conjungi intellectu, & affectu, & substantiâ; ex quo etiam meretur nomen *Sapientiæ*, quæ simul dicit cognitionem & affectum; *Sapientia* enim *Doctrina est secundùm nomen ejus. Ecclesiastici 6. cap. v. 23.* Et hinc Theologia stat ad opus perfectum non instàr moralis scientiæ secundùm perfectionem virtutis tantùm acquisitæ, sed infusæ per gratiam. Ergò altiori & sublimiori, quàm fuerit à Philosophis cognita, ratione est practica, atquè adeò speciale meretur nomen Affectivæ. 1.

Henricus in *sum. art. 8. q. 3.* Marsil. *q. 3. Prolog. a. 3.* docent: Theologiam nostram esse merè speculativam. Fundamentum hujus deducitur à Scoto *cit. q. 4. n. 16.* Nam cognitio quà practica est directiva voluntatis. At voluntas respectu actûs, quo unit se fini, non indiget directione, sed objecti duntaxat ostensione; ad hujus enim positionem voluntas statim perfectâ operatione tendit in finem. Ergò cognitio de Deo quà Ultimo fine nullo modo est practica, sed speculativa. In hac enim cognitione Dei perfectâ consistit finis & Theologiæ nostræ, & omnium ejus objectorum juxta illud August. *in serm. de Iacob, & Esau. Omnia opera nostra sunt, ut mundetur oculus, quo videatur Deus.* Atqui ratio practici, & speculativi in scientijs desumitur ex fine. Cùm proinde Theologiæ nostræ finis sit speculatio Divinæ Essentiæ, consequenter est puræ speculativa. 2.

Scotistæ cum Doctore Subtili *q. 4. Prolog. n. 31. & 37.* tenent; Theologiam esse simpliciter Practicam. Probatur: Cognitio Practica est intellectio secundùm rectam rationem directiva actûs à voluntate eliciti, & imperati. Unde praxis Primariò consistit in voluntate quà conformabili cum judicio rectæ rationis; Secundariò autem potest consistere in actibus aliarum potentiarum 3.

quatenus ex imperio voluntatis sunt conformabiles secundùm rectitudinem rationis. Ex quo rursus sequitur, quòd cognitio practica sit quædam quasi idea, & imago rectitudinis derivandæ ex se in actum voluntatis elicitum, & consequenter actus imperatos aliarum potentiarum ex Scoto *cit. q. 4. à n. 5.* Lychet *ibid.* & alijs. Atqui tota Theologia in intellectu creato dicit hanc idealem, & aptitudinalem, seu Causalem rectitudinis in actus voluntatis derivandæ conformitatem sive imaginem. Ergò tota Theologia est practica.

4. *Minor probatur.* Nam primum subjectum, seu objectum Theologiæ est Divina Essentia, sive Ultimus finis. Atqui ab hujus ratione sumuntur principia prima rectitudinis derivandæ in actus voluntatis. Insuper ratio distinctionis Personarum, & cognitio Divinarum perfectionum est determinativa rectitudinis Dilectionis, Religionis, aliarumque virtutum. Deniquè nulla rectitudo objectorum Theologiæ contingentium primò determinatur à voluntate creatâ, sed antecedenter ad actus Voluntatis quà moraliter bonos, notitia intellectualis est determinativa rectitudinis volitioni quà praxi inexistentis. Constat igitur, totius Theologiæ actus dicere aptitudinalem, & quasi causalem rectitudinis in voluntatis elicitos, & consequenter aliarum potentiarum imperatos actus derivandæ conformitatem, seu imaginem quasi idealem: Ergò Theologia est simpliciter Practica.

5. Thomistæ cum Doctore suo Angelico *pras. q. 1. a. 4.* tenent, Theologiam sub unius Divini luminis altiori, & simplici ratione participare rationes formales practici & speculativi, quæ alioquin in scientijs naturalibus per rationes particulares distinguantur: nihilominùs esse magis speculativam, quàm practicam.

Conclusio I.

6. UNus simplex Theologiæ habitus est formaliter speculativus, & practicus, sub formalitate tamen eminentiori præcisâ ab imperfectionibus, sub quibus rationes practici & speculativi sunt differentiæ habituum naturalium secundùm speciem distinctivæ.

Probatur: Practicum & speculativum differunt ex fine; hujus enim finis intrinsecus est Veritas, illius verò opus. Aristot. *2. Metaph. tex. 3.* Hinc scientiarum speculativarum principium est in rebus; practicarum verò in intellectu. Philosophus. *6. Metaph. tex. 1. 6. Eth. c. 4. & 3. de anima. tex. 46.* Nam *ratio formalis objectiva speculativa* est Veritas naturæ, & essentiæ objecti, ex quâ tanquam medio demonstrationum, atque adeò Motivo assensûs conclusionum specificatur scientia. Econtra *Practica objectum formale* ut sic est determinabile, ac operabile per Dictamen seu ideam rationis. Quare speculativi, & practici differentiæ sunt ex *objectis formalibus.* Ergò non sunt tantùm accidentales, seu materiales, sed essentiales secundùm speciem distinctivæ scientiarum naturalium, *uti colligitur* ex Aristot. *cit. text. 1. Metaph. c. 6.* & insinuat S. Doctor *pras. a. 4.* Atqui rationes

7. nes differentiales formarum inferioris ordinis quandoque elevantur in unam superioris ordinis formam, ita ut seclusâ imperfectione limitationis & mutuæ exclusionis in unam simplicem altioris perfectionis formalem rationem conveniant; velut creaturarum perfectiones seclusis imperfectionibus identificantur in unâ infinitâ perfectione Divinæ substantiæ.

Ex quo fundamento S. Thomas *2. 2. q. 45. a. 3.* probat Virtutem, quantò est altior ad tantò plura extendi. Unde licèt sapientia naturalis sit præcisè speculativa, sapientiam tamen supernaturalem quatenus per altiorem & Deo propinquiorem rationem cum quâdam spiritûs ad ipsum unione Deum attingit, posse indivisibiliter esse practicam, & speculativam. At pari modo Theologia quà Divini luminis imago, & scientiæ increatæ impressio participata, fideique supernaturalis proles sub unâ simplici *Divina revelabilitatis* ratione se extendit ad pleraque objecta scientiarum naturalium secundùm rationes speculativi, & practici specie distinctarum. Ergò Theologia est *Formaliter* speculativa, & practica, sub eminentiori tamen ratione præcisâ ab imperfectionibus limitationis, & mutuæ exclusionis, sub quibus formalitates speculativi, & practici sunt differentiæ essentiales scientiarum Philosophicarum. 8.

Conclusio II.

THeologia *primariò* est speculativa, & practica *secundariò*, seu *minùs principaliter.* 10.

Probatur: Objecta æterna quà sub *Divini luminis revelabilitate* intelligibilia, seu scibilia dupliciter considerantur. *Primò*, secundùm quod sunt in se ipsis. *Secundò* quatenùs sunt regulæ humanorum actuum. S. Tho. *2. 2. q. 8. a. 4. ad 2.* At prius est considerare aliquid in se ipso, quàm secundùm quod comparatur ad alterum. S. Doctor *2. 2. q. 45. a. 3. ad 3.* Ergò Theologia priùs considerat res divinas in se ipsis, quàm in ordine ad actus humanos, ex eod. Doctore Angelico *1. p. pras. a. 4.* Deinde operabilia humana, secundùm quod in se considerantur, non habent aliquam excellentiæ altitudinem, sub quâ possint *Formaliter* terminare scientiam luminis Divini, & supernaturalis *ex cit. q. 8. ad 1.* Quare actus humani Theologiæ quatenus à Philosophia morali distinctæ objiciuntur, secundùm quod referuntur ad regulam legis æternæ, & ad finem Beatitudinis Divinæ *ex cit. a. 4.* Constat proinde, quòd Finis intrinsecus Theologiæ *Primarius* sit veritatis divinæ in se subsistentis contemplatio, *secundarius* autem sit inquisitio rationum æternarum, secundùm quarum directionem, & conformitatem fiant actus humani. Ergò Theologia est *primario* speculativa, & *secundario* practica. 11.

Responsio ad Adversariorum Fundamenta.

AD argumentum Divi Bonaventuræ, & Alberti Magni *n. 1.* adductum Respondetur: Verum esse, quòd Theologia maximè in justo gratiâ sanctificante, & Donis Spiritûs Sancti instructo sit nata movere affectum supernaturalem; neque tamen ex hoc impediri, quò minùs censenda sit inter habitus practicos, & speculativos. 12.

Nam

13. Nam Spiritûs Sancti Dona Intellectûs, Sapientiæ, & scientiæ præcipuè nata sunt movere affectum Charitatis supernaturalis, cum quâ inseparabiliter sunt connexa, operanturque adeò per quandam unionem cum Deo, ac dirigunt actiones humanas per rationes æternas, formantque de rebus agendis judicium ex habitu gratiæ derivatum. At ex hoc ipso fundamento probat S. Doctor. *2. 2. q. 8. a. 3. q. 9. a. 3. & q. 45. a. 3.* ista Spiritûs Sancti Dona esse *formaliter* speculativa, simul & practica.

14. Etsi proinde Theologia veritatem rerum Divinarum inquirat per substantiam sperandarum rerum, fidem nimirum Divinam, quæ nata est excitare affectum cum sapore Divinæ dulcedinis resultantis ex unione Charitatis cum Deo. Ex quo etiam fit, quòd Theologia præcipuè mereatur nomen & Affectivæ, & Sapientiæ, prout ista Divinorum contemplationem cum affectu prægustatæ supercælestis suavitatis importat. Nihilominùs ex hoc minimè evincitur, Habitûs Theologici quà affectivi rationem esse mediam inter differentias speculativi, & practici: reverà enim omnem veritatis notitiam sequitur dilectio, & delectatio; & tamen Philosophus cognitionem intellectualem adæquatè dividit in speculativam & practicam. Ergò sub formalitate habitûs affectivi non potest media ac tertia species assignari, nisi sub eâ intelligatur altior & eminentior quædam ratio, vi cujus speculativi, ac practici differentiæ quà præcisæ ab imperfectione limitationis & mutuæ exclusionis, in unam simplicem formalem rationem in habitibus supernaturalibus conveniunt.

15. Ad Henrici *n. 2.* oppositum Respondetur, Habitus intellectuales denominari practicos & speculativos ex suis actibus, quorum sunt elicitivi, actus verò ejusmodi constitui in ratione practici, & speculativi ex objecto, & fine intrinseco, non autem extrinseco. At Theologia ita versatur in rerum Divinarum contemplatione, ut tamen conspiciendo, & consulendo rationes æternas, dirigat nostras actiones ad finem supernaturalem Beatitudinis. Ergò licèt omnes discursus Theologici ex fine Extrinseco vel saltem Mediato & Ultimo dirigantur in perfectam Divinæ essentiæ speculationem, aliqui tamen ex objecto ac Fine suo intrinseco immediato, se extendunt ad operabilia humana secundùm rationem Divinam, & æternam. Ergo Theologia ita est speculativa, ut tamen sit etiam practica.

16. Ad Scoti *n. 3.* oppositum ex hoc ipso Subtili Doctore *cit. q. 4. n. 36.* Respondetur. Ad intellectionem practicam requiri, ut sit naturaliter prior volitione, non præcisè in ratione intellectionis quà repræsentantis, seu ostendentis objectum, sed in ratione conformativi ad conformabile, seu directivi ad dirigibile. Hinc enim Theologia Dei de necessarijs non est Practica, quia non est determinativa rectitudinis in volitione Divinâ, sed ista ex se ipsâ rectificatur respectu Primi sui objecti. Ex simili fundamento idem Doctor *n. 37.* probat; Theologiam contingentium in intellectu Divino non esse practicam, quia non est determinativa rectitudinis in praxi, seu volitione versante circa ejusmodi contingentia, quin potiùs ista volitio seu praxis sit prior Theologiâ contingentium. Porro rectitudo objectiva in objectis Divinis, ac necessarijs est ex se ipsâ determinata, & nata sub ratione Veri determinare intellectum ad sui notitiam quà rectam ex Scoto *cit. q. 4. n. 38.*

17. Pari ergò ratione summa ratio Boni Divini est per se ipsam nata movere & determinare voluntatem, eamque rectificare; imò voluntas creata elevata, & informata per Charitatem, est in se ipsa rectificata, & vi illius virtutis infusæ in sensu Composito est quoad specificationem determinata ad Dei quà summi Boni prosecutionem. Ergò amoris Divini supernaturalis rectificatio est ex objecto tanquam Motivo, & ex se ipsâ *formaliter*, ac *essentialiter*, ex habitu autem Charitatis infusæ *causaliter* ac *efficienter*. Ergò non est ex directione ac determinatione intellectionis, sed hæc procedit in ratione tantùm ostensionis, seu repræsentationis objecti. Ergò intellectio seu Theologia nostra de Perfectionibus Divinis necessarijs *secundum principia* ex Scoto *ubi supra afferta*, non est practica, sed speculativa.

18. Instabis ex Scoto *cit. q. 4. n. 17.* Etsi voluntas non indigeat directione circa rationem summi Boni ut sic, vel circa Finem in universali, potest tamen errare circa Finem in particulari ostensum. Ergò ut circa istum rectè agat, v. g. diligendo summum Bonum quà in Personis Trinum, requiritur ostensio directiva. Atqui Theologica cognitio est de ratione summi Boni, ac finis Ultimi non in universali, sed in particulari. Ergo cognitio Theologica quatenus versatur circa Deum quà Ultimum finem, est directiva voluntatis, adeoque practica.

19. Respondetur: Voluntatem non posse supernaturaliter moveri circa Deum quà ultimum finem, nisi mediante virtute, vel auxilio supernaturali. Ex hoc autem ita rectificari, & quoad specificationem determinari voluntatem, ut impossibile sit, eam vi Dilectionis supernaturalis versari circa creaturam quà ultimum Finem; seu Summum Bonum attingere excludendo Trinitatem Personarum. Atqui Theologia utpote *quoad substantiam supernaturalis* non ordinatur, nisi ad supernaturalem Ultimi finis seu Summi Boni prosecutionem, ac dilectionem, mediante aliquâ virtute infusâ efficiendam. In hac verò dilectione supernaturali essentialiter inest formalis actualis, in virtute autem infusâ ejus effectrice habitualis & causalis rectitudo circa Ultimum finem in particulari. Ergò rectificatio voluntatis nostræ circa Ultimum finem in particulari non causatur, ac determinatur à Theologicâ cognitione, sed ab habitu, & actu Dilectionis Dei; respectu cujus adeò cognitio Theologica est prior non in ratione directionis, sed ostensionis duntaxat, ac repræsentationis objecti. Ergò hæc non est practica, sed speculativa.

20. Replicabis ex eod. Subtili Doctore *cit. n. 17.* Habitus directivus non ponitur propter substantiam actûs, sed propter circumstantiam, sicut temperantia non ponitur propter substantiam commestionis, sed propter circumstantias. Ergò licèt voluntas vi Charitatis vel alterius virtutis infusæ ac Theologicæ esset determinata quoad substantiam actûs tendentis in Deum quà Ultimum finem in particulari, requireretur tamen directio intellectionis quoad illius actûs circumstantias.

21. Respondetur. Diversam esse rationem virtutum moralium, atque Theologicarum. Nam

 istarum

istarum objectum primarium est increata Dei perfectio, illarum verò ratio *formalis* objectiva consistit in actione humanâ operabili secundùm Dictamen Prudentiæ. Hinc rectitudo objecti Temperantiæ & Fortitudinis *formaliter* determinatur ex ratione Bonum vel concupiscibile, vel arduum commensurante cum viribus, & qualitatibus
22. subjecti. Et licèt Iustitia respiciat medium rei consistens in adæquatione cum jure alterius, hæc ipsa tamen adæquatio importat actionem humanam *positivè*, vel saltem *negativè*, attamen *liberè* dependentem à voluntate quà dirigibili per regulam prudentialem. Constat proinde, Virtutum moralium objecta esse *formaliter* determinabilia vel operabilia vi rationis, & Dictaminis
23. Prudentiæ. Secùs est in objectis virtutum Theologicarum tum *formalibus*, tum *primarijs materialibus*, quæ utpote necessaria ab intrinseco sunt determinata non tantùm secundùm se, sed etiam in ordine ad actus nostros intellectûs, & voluntatis; nec adeò sunt determinabilia à ratione, nec operabilia à voluntate. Ergò respectu talium objectorum nulla datur cognitio practica, de cujus ratione est, ut sit operativa, & non tantùm ostensiva objecti.

24. Quare cognitio Theologica Dei quà Trini & quà Summi Boni ostensiva est merè speculativa, etsi ratio prudentialis reflexè directiva Modi ac Mensuræ secundùm particulares circumstantias actuum dilectionis Dei sit practica, sicuti etiam actus fidei de Deo Trino in se *formaliter* est speculativus, sed quatenùs ex judicio credibilitatis est dirigibilis & mediante voluntatis imperio liberè operabilis, denominatur praxis, uti contra Subtilem Doctorem *cit. q. 4. n. 3. & 4.* atqui potest ex Angelico Doctore *2.2.q.47.a.2.ad 2.* docente: Actum speculativum rationis quà voluntarium posse cadere sub ratione & consilio; adeoque esse praxin, etsi quoad suam speciem, quatenus comparatur ad objectum suum necessarium, non cadat sub Ordinatione prudentiæ.

25. Eodem igitur modo potest Theologia circa objecta præsertim contingentia diversimodè considerari. Etenim istorum aliqua, v. g. *Opus Incarnationis, Institutio Sacramentorum* sunt à nostrâ voluntate independentia, respectu quorum adeò nequit Theologia esse practica: alia verò v.g. *Susceptio, vel administratio Sacramentorum*, item *opera meritoria & supernaturalia* ad intellectum nostrum, & voluntatem per gratiam elevatos se habent quà operabilia, respectu quorum Theologia consequenter est practica. Deniquè Theologia secundùm se potest *reflexè*, & in *actu signato*, considerari, quatenus ejus exercitium juxta regulas prudentiæ præsertim infusæ cadit sub consilio, & electione, cujus proinde actus ut sic sunt praxes.

26. Urgebis: Ex Alberto Magno *cit. q. 3. sum. memb. 3.* Ethica, seu Philosophia moralis, quatenùs tractat de fine secundùm Aristotelem *10. Ethic.* est practica. At ille finis juxta Philosophum *ibi.* consistit in felicitate contemplativâ, prout ad eam referuntur actus omnium virtutum intellectualium, ac moralium, ac heroicarum. Ergò à pari Theologia est practica quoad omnes suos actus, tum illos, qui versantur circa finem, tum illos, qui versantur circa media.

27. Confirmatur 1. inductione ejusdem Magni Doctoris. Nam Theologia sive inquirat verum in re fruibili, sive utili; refert hoc ipsum ad affectum, ut scilicet in fide, vel in visione fidei succedente per intellectum affectivum summâ veritate beatificante, & per charitatem summâ bonitate fruatur. Insuper quæ in sacris Litteris proponuntur *præceptivè*, vel *parabolicè*; à sacra Theologia referuntur ad opus meritorium. Quæ deniquè *Hymnidicè* in Psalmis nimirum tradun-
tur, ad affectum referuntur pietatis. Constat igitur Theologiam omne, quod de Deo, & ejus 28.
operibus inquirit verum, attingere illud non ut verum simpliciter, sed ut summè beatificans, referendo ad id totam pietatis intentionem in effectu & opere. Cùm proinde Theologia tendat in veritatem non quà præcisè speculabilem, sed quà referibilem, & ordinabilem ad intentionem pietatis, consequenter est simpliciter practica.

Confirmatur 2. argumento Scoti *præs. dub. n. 3.* à nobis deducto, & nondum clarè soluto. 29.
Nam ex ratione Divinæ essentiæ quà ultimi finis, & primi Theologiæ Subjecti sumuntur prima principia rectitudinis derivandæ in actus voluntatis. Ergò Theologia quà versatur etiam circa Essentiam Divinam, & attributa Deo intrinseca est regulativa seu operativa rectitudinis actuum humanorum. Ergò ut sic est practica.

Respondetur: Etsi intellectus quà potentia 30.
illuminativa objecti voluntati commensurati, mediante Veritatis purè speculabilis sub ratione Boni repræsentatione vim habeat excitandi affectum in appetitu rationali, ex hoc tamen non dici practicum. Pari ergò ratione licèt Theologica Divinarum Veritatum cognitio ex Donis præsertim Spiritûs Sancti intellectualibus elicita sit efficax ad supernaturalis dulcedinis affectum, & pietatis intentionem movendam, est tamen ut sic absolutè speculativa. Neque verò 31.
Theologia quà tendit in Deum ceu ultimum finem est practica respectu Divinæ Essentiæ *secundùm se*, sed *quoad extrinsecam* duntaxat *fruibilitatis* actualis *ex formali beatitudine resultantem denominationem*, secundùm quam Divina Essentia in ratione finis Beatificantis est consequibilis, ac *meritoriè*, seu *dispositivè* operabilis à voluntate nostra secundùm Theologicam de Virtutibus supernaturalibus & Sacramentis directivam cognitionem.

Quo sensu etiam Philosophus *cit. 10. Ethic.* 32.
finem hominis naturalem in felicitate contemplativâ, adeoquè scientijs Philosophicis de Primo præsertim Ente speculativis posuit; ita tamen ut felicitas ista contemplativa sit Ethicæ, seu Philosophiæ moralis Practicæ objectum, quatenùs *reflexè*, & in *actu signato* considerari potest quà operabilis exercitio virtutum tum mora-
lium, tum intellectualium. Simili proinde ex 33.
causâ Essentia Divina quatenùs est radix primorum principiorum moralium fundat scientiam practicam, non quidem respectu sui, sed respectu actionum tum à voluntate Divinâ ad extra, tum ab intelligentia creata secundùm rationes æternas operabilium. Patet igitur argumenta Adversariorum probare Theologiam ita esse practicam, ut tamen sit simul speculativa.

***

COROLLARIUM.

1. INfertur 1. Theologiam omnibus scientijs esse digniorem. S. Tho. *præs. q. 1. a. 5.* Ratio est: Nam scientiæ speculativæ dignitas desumitur tum ex objecto, tum ex certitudine. At Theologia non in mysterijs duntaxat *Trinitatis v. g. & Incarnationis*, sed in materijs alioquin incertis, & contingentibus *ex motivo suo formali* omnem transcendit rationem creatam utpote innixa lumini increato scientiæ & sapientiæ Dei. Ex quo fit, ut actus tam fidei, quàm Theologiæ per intrinsecam, & essentialem connexionem cum Divinâ revelatione, sit *formaliter* certior omni scientiâ naturali; imò & notitiâ primorum principiorum.

2. Probatur *istud assumptum*. Nam primorum principiorum notitia est quidem intellectui per modum proprietatis naturaliter congenita, estque *secundùm nos* ratione evidentiæ certior, quia tamen consequitur naturam, & vim intellectivam ex se perfectibilem, nequit *secundùm se* & *in re ipsâ* pertingere ad certitudinem fidei & Theologiæ per supernaturalem Spiritûs Sancti motionem intellectui nostro impressæ cum intrinseco, ac essentiali ordine ad Primam Dei Veritatem: uti demonstrat Albertus Magnus *cit. 1. p. tr. 1. q. 5. memb. 3 argum. sed contra.* Hanc proinde certitudinis firmitatem in fide, & Theologiâ expressit Christus *Luc. 21.* inquiens, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

3. Ex quo omninò evincitur, majorem esse verborum Divinorum firmitatem, quàm sit naturæ, ut adeò lumen rationis vel humanæ, vel Angelicæ veritati objectorum præcise naturalium ex suis viribus commensuratum, infinito quasi excessu superetur à fidei, & Theologiæ certitudine, insinuante Apostolo ad *Gal. 1. Licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquàm, quod evangelizavimus, anathema sit.* Unde Augustinus, *lib. 2. Confess. c. 10.* ait, *Faciliùs dubitarem vivere me, quam non esse veritatem*, fidei nimirum, *quam audivi.*

4. Quod equidem non ita intelligendum est, quasi objecta fidei *ex se ipsis* convincant intellectum, excludendo oppositi formidinem; nam ob Divinæ revelationis obscuritatem potest intellectus *secundùm se* præscindendo ab usu & exercitio virtutis fidei, omninò dubitare, imo & dissentire: & hinc necessaria est pia affectio voluntatis captivantis intellectum in obsequium fidei, juxta illud *2. Corinth. 10. Corde creditur ad justitiam.* Illa ergò omnimodæ de fidei articulis dubitationis per Augustinum insinuata exclusio est accipienda in *sensu composito*, quatenùs per fidei assensum intellectus *formaliter* constituitur adeò certus, ut firmitas adhæsionis, *essentialiter* imbibita in actu fidei excludat *formaliter* omnimodam dubitationem. Uti Richardus de Sancto Victore. *1. de Trinit. c. 2. innuit sequentibus verbis. Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus, quam quod fide credimus.* Constat proinde Theologiam fidei principijs, tanquam *Motivo formali* nixam excedere certitudine omnes scientias naturales.

5. Deinde scientiæ practicæ dignitas desumitur ex fine. Hinc enim scientia civilis nobilior est militari, quòd hæc ordinetur ad ipsius finem, seu Bonum civitatis. S. Tho. *cit. a. 5.* At Theologia in entitate, ac essentiâ suâ supernaturalis est *intrinsecè* proportionata cum fine Divinæ, ac æternæ Beatitudinis; respectu cujus naturales scientiæ ex se ipsis improportionatæ sunt, nec adeò possunt, nisi *ministerialiter* ex usu, ac elevatione Theologiæ eas instar Ancillarum ad fidei servitium applicantis conducere ad finem supernaturalem. Theologia igitur comparatur ad alias scientias instar Dominæ ad Ancillas, juxta illud *Misit sapientia* Theologica *Ancillas suas*, id est, scientias Philosophicas, *ut vocarent ad arcem* cælestis Ierusalem. *Proverb. 9.* junctâ expositione Doctoris Angelici *cit. a. 5. arg. sed contra.*

Infertur 2. Theologiam esse Sapientiam ex S. Doct. *præs. a. 6.* Ratio est. Sapientis est dirigere, & 6.
judicare, *1. Metaph. t. 2.* Iudicium autem de causis inferioribus habetur per altiores, & superiores causas. S. Thom. *cit. a. 6.* Unde in unoquoque genere quis dicitur sapiens, quatenùs altissimam generis illius causam judicat. Sicut igitur artifex disponens formam domûs, *1. Corin. 3.* dicitur sapiens non quidem absolutè, sed in peritiâ architecturæ, ac respectu inferiorum artificum; sic nominandus est simpliciter sapiens, qui totius universi causam altissimam considerat. At 7.
Theologia judicat de Divinis, & creatis per altissimam Divini luminis rationem, & hinc omnes scientias naturales instar Reginæ in suo tribunali judicat, condemnando doctrinam sibi adversantem, ac destruendo omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, *2. Corinth. 10.* Ergò Theologia æquissimo jure sibi vendicat dignitatem Sapientiæ.

ARTICULUS III.

De

Subiecto, Seu Obiecto Theologiæ.

DIvus Bonaventura *in 1. dist. q. 1. proœm.* 1.
subjectum scientiæ sub triplici acceptione considerat. *Primò*: Quatenùs omnia objecta scientiæ reducuntur ad illud, ceu radicale principium: quo modo Theologiæ objectum *ait*; esse Deum, utpote ad quem tanquam Principium omnia referuntur. *Secundò*: Subjectum scientiæ accipit, prout ad ipsum tanquam totum integrale sub ratione vel compositionis, vel unionis, vel ordinis omnia referuntur: quo modo Theologiæ subjectum ponit Christum ex duabus Divinâ & humanâ naturis compositum. *Tertiò*: Scientiæ subjectum considerat, quod tanquam totum universale omnia complectitur; atquè hac ratione asserit Theologiæ subjectum esse *credibile*, quatenùs per additionem rationis transit in *intelligibile*.

Albertus Magnus *in 1. dist. 1. a. 2. in corpore*, 2.
& ad 3. tribus modis accipit Scientiæ subjectum Generaliter, Specialiter, & Specialissimè. *Primo modo ait*, omne illud, de quo tractatur in scientiâ, esse generaliter subjectum, vel partem subjecti. Et sic veram esse sententiam Magistri *in 1. dist. 1.* ex Doctore Ecclesiæ Augustino *lib. 1. doct. Christ. c. 2.* asserentis, Theologiæ vel sacræ Scripturæ adæquatum subjectum esse res, & signa, sumpto

ſumpto nomine Rei, quatenùs facit ad Beatitudinis participationem, nomine autem ſigni accepto, quatenùs eſt gratiæ demonſtrativum. *Secundo modo ſpecialiter* dici ſubjectum, circa quod negotiatur ſcientia, probando de ipſo paſſiones ſeu proprietates, & differentias per principia propria. Sic Theologiæ ſubjectum *eſſe credibile*, quatenùs complectitur tum fidei articulos, & eorum conſequentia, mores præſertim contingentia; tum fidei principia præambula, quòd nimirum Deus ſit verax, Deus ſit, ſacra Scriptura à Spiritu Sancto ſit facta, nec poſſit excidere, & ſimilia. *Tertio modo ſpecialiſſimè* dici ſubjectum, quod eſt dignius inter objecta conſiderata in ſcientiâ; & ita ſubjectum Theologiæ eſſe Deum non abſolutè tantùm, ſed ſecundùm *quod* eſt *Alpha*, & *Omega*, *Principium*, & *finis*.

3. Scotus *q. 3. Prol.* poſtquam *n. 4.* probaſſet, quòd ratio primi ſubjecti ſit continere in ſe *primò virtualiter* omnes Veritates ſcientiæ, exinde *n. 7. 12.* & *13.* affirmat, Theologiæ *in ſe* primum ſubjectum eſſe Deum ſub ratione Hujus eſſentiæ Divinæ: Theologiæ autem *noſtræ* quà *noſtræ* objectum primum notum eſſe Ens infinitum. Hinc conſequenter *n. 14.* refutat ſententiam Divi Bonaventuræ *ubi ſupra* aſſerentis; Theologiæ primum ſubjectum eſſe Chriſtum. Et *n. 11.* reijcit opinionem, quæ docuit, Deum eſſe Theologiæ ſubjectum ſub reſpectu ad extra in ratione Gubernatoris, vel Reparatoris. Quam ſententiam videtur docuiſſe Hugo de S. Victore *in prol. cœleſt. Hierarch. c. 1.* affirmans, *Opera reſtaurationis eſſe ſubjectum Theologiæ.*

4. S. Thomas *præt. q. 1. a. 7.* docet, Subjectum ſcientiæ eſſe, ſub cujus ratione omnia referuntur ad illam. Idem verò eſſe ſubjectum principiorum & totius ſcientiæ, cùm ſcientia virtute contineatur in principijs. At in Theologiâ omnia tractari ſub ratione Dei, vel quia ſint ipſe Deus, vel quia habeant ordinem ad Deum ut ad principium, & finem. Unde ſequi, quòd Deus ſit ſubjectum Theologiæ.

5. Idem Doctor Angelicus *in 1. ſent. q. 1. Prol. a. 4.* tacite inſinuatis ſententijs Divi Bonaventuræ, Hugonis de S. Victore, & Alberti Magni, docet, ſubjectum tripliciter poſſe comparari ad ſcientiam. *Primò* quatenùs omnia ſcientiæ objecta continentur ſub ſubjecto. *Secundò* quatenùs ſubjecti cognitio principaliter attenditur in ſcientiâ. *Tertiò* quatenus ſubjectum eſt diſtinctivum ſcientiæ ab omnibus alijs ſcientijs. Si proinde quærendum ſit ſubjectum, cui omnes iſtæ conditionem reſpectu Theologiæ conveniant, aſſignandum fore *Ens Divinum cognoſcibile per inſpirationem*.

6. Has Doctorum antiquorum ſententias conferendo cùm Doctrinâ Recentiorum, ex novis definitionibus, ac diviſionibus, ſive adinuentionibus ſuis quandoquè ſatis turbantium limpidas Sapientiæ Divinæ aquas, ſequitur *Primò*, Franciſcum de Lugo *lib. 1. de Deo diſp. 1. c. 1.* Faſolum *præt. a. 7. n. 4.* & alios haud concordare cum antiquis ſacræ Theologiæ columnis Doctoribus, dum ſcientiæ ſubjectum recenſent inter objectum *materiale* condiſtinctum à *formali*. Nam ex præcedentibus ſit manifeſtum, ſcientiæ ſubjectum accipi cum radicali illâ ratione, vi cujus ob virtualem Veritatum in ſcientiâ demonſtrabilium continentiam ſit omnis ſcibilis quà talis principium, ſicquè ſcientiæ diſtinctivum. At iſta ratio radicalis eſt ratio formalis objecti ſcientiæ. Ergò ſubjectum ſcientiæ eſt quoddam quaſi concretum ex materiâ, & ratione formali, ſecundùm quam illa ſpectatur in ſcientiâ.

Sequitur *Secundò*, Scotum, *quatenus indiſcriminatim idem appellat objectum, & ſubjectum*, immeritò reijci à Vaſquezio *1. p. diſp. 10. c. 1. n. 2.* eò quòd ſubjectum ſcientiæ ſit, de quo demonſtrantur paſſiones: objectum verò concluſionis formalis ſcientificæ ſit tota concluſio objectiva. Nam ex Divis Bonaventurâ, Thomâ Aquinate, & Alberto Magno conſtat, ſubjectum generaliter, vel etiam ſimpliciter acceptum, vel quà Totum univerſale ſub unâ communi ratione complecti omnia, quæ tanguntur à ſcientiâ. Ergò non Scotus, ſed Vaſquez differt ab antiquioribus, objectum ſcientiæ adeò ſtrictè uſurpando. 7.

Sequitur *Tertiò*, Thomiſtas, quatenùs in objecto formali ſcientiæ aſſignant rationem formalem *ſub quâ*, quæ ſit ipſa *ſcibilitas*, & *abſtractio* à *materiâ*, ſeu ſcientiæ *lumen obiectivum*, immeritò redargui ab Arriagâ *1. p. diſp. 1. n. 5.* Nam ſi quæras ex ipſo, quomodo fiat figura artificioſa ſtatuæ? Reſpondet *diſp. 6. Phyſ. ſect. 2.* fieri per reſectionem partium ſuperfluarum, nec illam diſtingui à partibus, & ubicationibus rei artificioſæ. At formalitas Entis quà formalis objectiva Metaphyſices ratio non repræſentatur intellectui ſub iſtâ præciſâ formalitate, niſi abſtractis, & intentionaliter reſectis tum conditionibus individuis, tum quibuſvis materialitatis gradibus. Sicut ergò per reſectionem partium ſuperfluarum ex mente Arriagæ reſultat figura artificialis, ſic per abſtractionem intellectualem reſultat formalitas in ratione objecti diſtinctiva, & ſpecificativa ſcientiæ. 8.

Quod inſinuarunt Ariſtoteles *3. de anima tex. 38.* & S. Thom. *in 1. ſent. q. 1. prol. art. 4.* affirmantes, *Quemadmodum ſecantur res*, ſectione non phyſicâ, ſed intentionali, *ita ſecari ſcientias*. Illa proinde formalitas ex abſtractione intentionali reſultans eſt ex parte objecti ſcibilitas. Ergò eſt ratio formalis *ſub Quâ*, vel *per Quam* res conſtituitur ſcibilis, *uti* Caietanus *in quæſt. de primo cognito* eleganter diſſerit, *per abſtractionem formalem oriri in eo, quod abſtrahitur, actualitatem, diſtinctionem, & intelligibilitatem*. Quæ adeò intelligibilitas vi abſtractionis illuminata, ſeu repræſentata intellectui congruè vocatur *lumen objectivum*, conformiter ad ea, quæ tradit S. Doctor. *de Verit. q. 9. a. 1. in corp. & ad 2.* Conſtat igitur, illam Thomiſtarum Doctrinam non eſſe ſomnium, ſed fundatam tum in Doctore ſuo Angelico *1. p. q. 1. a. 1. ad 2.* expreſsè aſſerente, ſcientias diſtingui ex diverſitate rationis cognoſcibilis; hanc verò conſtitui ex abſtractione à materiâ: tum in Divo Bonaventurâ *ſup. q. 1.* docente, ſubjectum Theologiæ eſſe Credibilitatem, quatenùs per additionem, *id eſt, operationem* rationis tranſit in intelligibile. Ergò non eſt, cur Arriaga tam acriter invehatur in *rationem formalem ſub quâ ſcibilitatis*, ſeu *intelligibilitatis*, quæ primarijs Theologiæ Doctoribus fuit tam amica. 9. 10.

Sequitur proinde *Quartò*, Diſtinctionem objecti formalis in *Rationem Quæ*, & *rationem ſub qua* omnino eſſe tenendam. *Explicatur & Probatur.* In objecto ſcientiæ alia eſt ratio rei objectæ *primò* terminantis actum ſcientificum, ex quâ *formalitate*, ſeu *objectivâ ratione rei* fluunt paſſiones in ſcientiâ illa demonſtrabiles. Hæc autem congruè voca- 11.

vocatur *Ratio quæ*, utpote quæ *secundùm Angelicum & Subtilem Doctores* est ratio virtualis omnium veritatum in subjecto continentiæ: *secundùm D. verò Bonaventuram & Albertum Magnum* est ratio constitutiva subjecti in esse principij radicalis omnium passionum demonstrabilium: ex illa denique *ratione formali qua* secundùm Theologorum receptum loquendi modum, scientiæ subjectum denominatur objectum *primitivæ attributionis*, vel *primitivæ perfectionis*.

12. Alia dein est ratio objecti *quà scibilis*, consistens in formalitate per operationem intellectûs præparatâ ad esse Medij demonstrationis, veluti medium per *abstractionem ab omni materiâ etiam intelligibili* illustratum, est *ratio formalis sub quâ Metaphysices*; & medium illustratum immaterialitate *abstractâ à sensibilitate*, sed obumbratum *materiâ intelligibili* est *ratio formalis sub quâ Mathematicæ*, & illustratum ex *abstractione individualium conditionum*, obumbratum tamen *materiâ sensibili*, est *ratio formalis sub quâ Physices*; denique medium *Divino revelationis supernaturalis, ac fidei infusæ lumine* illustratum, est *ratio formalis sub quâ* objectum aliquod *formaliter* constituitur *scibile Theologicum*. Uti SS. Doctores Bonaventura, & Thomas Aquinas *locis citatis* satis insinuârunt, ac *infra* pluribus elucidabitur.

CONTROVERSIA I.

Quod sit objectum Materiale Theologiæ.

Difficultas circa hoc subtiliter movetur à Scoto *cit. q. 3. n. 22.* An Theologia secundùm se, quatenùs est saltem in intellectu Divino, sit de omni scibili.

1. Henricus *quodl. q. 9.* negat, eò quòd quidditates distinctæ ab Essentia Divina, quatenùs Hæc Essentia est, contineant primò multas veritates de se: & hinc esse in intellectu Divino habitus ratione nostrâ distinctos, quorum unus sit Theologia, causata ab Essentia Divina tanquam motivo formali, aliùs sit Geometrica causata virtute veritatis in lineæ quidditate contentæ, atque fundantis propositiones ex se immediatas. Et sic

2. de alijs. Ut sic videntur huic sententiæ favere Doctores, qui affirmant; creaturas cognosci à Deo in se ipsis, ita, ut talis scientiæ in Deo objectum primarium, seu formale non sit Essentia divina, sed ipsæ quidditates creaturarum. De quo infra *q. de Scientia Dei.*

3. Scotus hic *n. 23. & seq.* affirmat 1. Theologiam in se, & in intellectu Divino esse de omni scibili. 2. Theologiam Beatorum esse de tot, quot voluntas Dei vult de facto, posseque esse de omnibus scibilibus. 3. Nostram Theologiam esse de his, quæ continentur in scripturâ, & ex eâ eliciuntur, posseq; instar Theologiæ Beatorum esse de omnibus scibilibus. Hinc 4. omnem cognitionem in Deo esse Theologicam, secus in intellectu creato.

CONCLUSIO I.

Theologia in Intellectu Divino est de omni scibili, ita ut nulla possit esse in Deo cognitio, quin sit Theologica.

Probatur: Scientiæ specificantur ex Motivo formali. Theologiæ autem Motivum formale est natura, seu Essentia Divina ut sic. Ergò omnis illa cognitio est Theologica, cujus formale Motivum est Essentia Divina ut sic. At intellectus Dei formaliter actuatur ab Essentia Divina ad sui, & omnis veritatis intelligibilis formalissimam repræsentationem, & actualissimam cognitionem. Ergò non potest esse determinabilis per veritatem quidditatum creaturarum, tanquam *formale Motivum*, cùm alioquin intellectus Divinus esset quasi in potentia, possetque pati à veritatibus creatis. Hoc autem repugnat rationi purissimi actûs in Deo. Ergò non datur in Deo cognitio nisi Theologica, cujus *primum objectum*, seu *motivum formale* sit Essentia Divina, ita ut hæc faciat omnia alia actû cognita in intellectu Dei. 4.

CONCLUSIO II.

Theologia in intellectu creato etiam Beatorum non est omnis cognitio, nec potest esse de omni scibili.

Prior pars probatur ratione Subtilis Doctoris *cit. n. 23. circa fin.* Intellectus creati nati sunt immutari à quidditatibus creatis ad cognitionem veritatum inclusarum in eis. Ergò Beati præter veritatem Theologicam, quam habent de illis quidditatibus quà visis in verbo, possunt habere tum naturalem, tum supernaturalem de eis cognitionem per proprias species. Hæc autem non est Theologica, cùm ejus *formale motivum*, seu *primum objectum* non sit Essentia, seu Natura Divina. 5.

Posterior pars probatur contra Scotum *in 3. dist. 14. n. 16.* Nam Theologia in intellectu creato Christi eatenùs se extenderet ad omnia scibilia, quatenùs anima Christi ex mente Subtilis Doctoris *loc. citat.* videret omnia in verbo, quæ videt verbum. At hoc efficaciter refutatur à S. Doctore *1. p. q. 12. a. 8. & 3. p. q. 10. a. 2.* quòd alioquin anima Christi comprehenderet verbum, *de quo infra*. Nequit ergò Theologia in ullo etiam beato intellectu creato se extendere ad omnia scibilia. 6.

CONCLUSIO III.

Theologia nostra, etsi in statu viæ sit limitata ad veritates sacris litteris; seu revelationibus Divinis, *formaliter* sive *virtualiter* contentas: attamen idem habitus Theologicus in viâ comparatus, quatenùs manet in patria, ad ea omnia vel tanquam principia, vel tanquam conclusiones extendi potest, de quibus est Theologia intellectûs Beati.

Patet, tum ex dictis *præced. art. cont. 2. concl. 2. & 3.* tum ex Doctore Angelico *præf. art. 6.* docente, idem esse subjectum totius scientiæ, & principiorum, eò quòd tota scientia virtute contineatur in principijs. Atqui Theologia in statu viæ nititur fide tanquam habitu principiorum; 7.

rum. Idem verò habitus Theologicus quà manens in patriâ discurrit ex veritatibus in verbo visis tanquam principijs. Ergò Theologia viæ manens in patria se extendit ad omnia scibilia Theologiæ Beatorum.

Responsio ad fundamenta Adversariorum.

8. AD Henrici *n. 1.* oppositum Respondetur ex Scoto *cit. n. 23.* Veritates, quas creatæ quidditates de se primò continent, nullam habere virtutem respectu intellectûs Divini immutandi. Tum quia infinitum non potest perfici à finito: intellectus autem Divinus est infinitus, illæ verò sunt finitæ. Tum quia illæ Veritates, uti in Esse rei sunt derivatæ ab Esse Divino; Sic consequenter in Esse intelligibili sunt respectu intellectûs Divini dependentes ab Essentiâ Dei. Unde Divina tantùm Essentia, & Natura potest respectu Intellectûs Dei esse Motivum ad illas Veritates intelligendas. Ergò cognitio de illis non potest esse, nisi Theologica.

9. Instabis: In intellectu Divino posse ratione nostrâ tria signa distingui. In primo intelligi Essentiam Divinam primò cognitam, in secundo intelligi cognitas quidditates creatas virtualiter continentes veritates proprias; in tertio autem veritates istas intelligi cognitas in illis quidditatibus. Ergò istæ in tertio signo sunt in intellectu Divino ratio formalis Motiva cognitionis veritatum in eis contentarum. Ergò potest in Deo intelligi aliqua cognitio, quæ formaliter non sit Theologica.

10. Respondetur secundum, & tertium signum nullam respectu intellectûs Divini habere inter se subordinationem quasi Causæ & effectûs. Explicatur exemplo: si enim per conclave diffundatur odor, hic per prius causatur in parte propinquiori, quàm remotiori: neque tamen odor in parte propinquiori receptus est productivus odoris recepti in remotiori, sed utraquè ista qualitas est ex causalitate primi odoriferi. Sic Essentia Divina taliter facit quidditates creatas, veritatesquè ex his emanantes in se ipsâ tanquam primo objecto cognitas, ut quidditates creatæ nullatenùs movere possint intellectum Divinum ad illarum veritatum cognitionem, quin potiùs intellectus Dei *in dicto tertio instanti*, seu *signo rationis* maneret sine notitia veritatum ex quidditatibus creatis consequentium, si Natura Divina pro tunc non moveret ad earum cognitionem, uti subtiliter argumentatur Scotus *cit. num. 23.* Cùm igitur Deus nullam omninò habere possit cognitionem, nisi virtute Essentiæ suæ, seu primi objecti Theologici actuantis intellectum ipsius; consequens est, habere de omnibus cognoscibilibus tantùm Theologicam cognitionem.

CONTROVERSIA II.

Quod sit Obiectum Formale Theologiæ?

RAtio formalis *Qua* subjecti Theologiæ est Deitas ut sic, sive Essentia, & Natura Divina. Probatur. Ratio formalis *Qua* in subjecto alicujus scientiæ est formalitas, in quâ virtualiter continentur omnes Veritates in scientiâ demonstrabiles, quæ ex illâ tanquam Primâ omnium Passionum radice vel realiter fluunt, vel ratione nostrâ consequuntur. 1.

At Essentia Divina quatenus consistit in ratione Essendi à se, importat rationem purissimæ actualitatis. Hæc autem formalissima Divinæ Essentiæ tam in Esse reali, quàm in Esse intelligibili actualitas Formaliter actuat sui cognitionem in Deo: Hæc autem Essentiæ Divinæ actualissima intellectio est Natura Divina. Ex hac autem quà secundâ per rationem nostram, seu virtualiter consequitur Hypostasis Primæ Personæ producentis in Divinis. Ex istâ verò procedit realiter Hypostasis Filij cum identicâ, imò formalissimâ communicatione Naturæ, & intellectionis Divinæ. At quia intellectionem connaturaliter consequitur amor, hic verò non minùs, ac intellectio in Deo est fœcundus; Idcirco in Patre & Filio producit Spirtum Sanctum cum communicatione totius substantiæ Divinæ, in se ipsâ actualissimè absquè ullâ potentialitate subsistentis. Quia verò hæc actualissima omnimodæ potentialitatis, adeoque perfectibilitatis exclusio infert omnis perfectionis in Deo eminentialem continentiam, vi summæ Bonitatis communicabilem: Idcirco ex hac summæ Bonitatis communicabilitate infinitâ resultat Divinæ substantiæ imitabilitas Passiva, ex qua est creaturarum possibilitas. 2.

In hac verò Deus propter Essentiæ suæ Bonitatem sibi complacendo seq; per suam Essentiam actualissimè amando, liberè determinat productionem rerum creatarum. Ex istâ verò determinatione stat æterna, & immutabilis omnium alioquin contingentium rerum à Deo creatarum Veritas. Constat igitur, omnem Veritatem, tam intra, quàm extra Deum Causalitate vel Physicâ, vel Logicâ, vel Metaphysicâ consequi Essentiam, & Naturam Divinam. Ergò Deitas est prima ratio omnis Veritatis in scientiâ de Deo, & ex Deo demonstrabilis. At scientia de, & ex Deo demonstrativa Veritatum ad Divinam Essentiam, & Naturam referibilium est Theologia. Ergo prima ratio, adeoque Formalis *Qua* in subjecto Theologiæ est Deitas. 3. 4.

Dices: Ex mente Divi Bonaventuræ *cit q. 1.* & S. Thomæ *cit a. 1. sum.* Deum esse subjectum Theologiæ, quatenùs omnia vel sunt Deus, vel ad ipsum quà principium, & finem referibilia. Ergò ratio formalis *Qua* subjecti Theologiæ non est Deitas ut sic, sed ratio ultimi finis, ac principij; uti expresè docent Scotus. *q. 4. prol. n. 31.* & Albertus Magnus *cit. a. 2. ad 3.* 5.

Contra: Nam ratio ultimi finis in Deo vel potest sumi *absolutè*, quâ ratione est Essentia, & Natu- 6.

Natura Divina, quatenùs *formalißimè* per se ipsam beatificans sive actuans intellectionem, ac volitionem Dei. Deinde potest (idem est de ratione primi principij) considerari cum *respectu ad extra* in ordine ad creaturas: Hic autem respectus fundatur in esse absoluto Naturæ, ac Essentiæ Divinæ, velut arguit Scotus *cit. q. 4. n. 31.* Ergo ut sic non est prima ratio subjecti Theologiæ.

7. Si proinde allegati Doctores dicunt res creatas esse objecta Theologiæ *qua referibilia ad Deum tanquam Ultimum finem, seu primum principium,* non intendunt sistere in ratione Ultimi finis, seu primi principij, sed hâc mediante reducunt res creatas in Essentiam, & Naturam Divinam tanquàm primam rationem, ex quâ fluat veritas rerum creatarum quà in Theologia cognoscibilium.

8. Instabis ex Scoto *cit. q. 3. n. 12.* Subjectum primum Theologiæ nostræ est, de quo tanquam primo noto cognoscuntur Primæ Veritates Habitûs Theologici. Hoc autem primum notum respectu Theologiæ nostræ non est Deus sub ratione Deitatis, seu Essentiæ, & Naturæ Divinæ, sed sub ratione infinitatis. Ergo subjectum primum Theologiæ nostræ est Ens infinitum, non verò Deus sub ratione Deitatis.

9. Contra: Theologia est de his, quæ sunt soli intellectui Divino naturaliter cognita. Scotus *cit. q. 3. n. 7.* Ergò prima ratio subjecti Theologiæ qua nostræ debet respectu intellectûs humani esse nota non naturaliter, sed per Divinam revelationem, & supernaturalem cognitionem: *uti patet ex subtili Doctore his n. 9. ac seq.* Ex quo etiam Lychetus *in cit. n. 12. comment. n. 6. circa finem* infert. Si intellectus humanus haberet cognitionem distinctam supernaturalem ipsius Deitatis, quòd Theologia in tali intellectu haberet Deum sub ratione Deitatis pro subjecto. Atqui per Divinam revelationem cognoscimus Deum non tantùm sub ratione infinitatis, sed etiam sub ra-

10. tione Deitatis. Probatur Assumptum. Deitas ut sic formaliter importat Essentiam, & Naturam Divinam. At Deus suam Essentiam revelavit nobis per suum nomē *Qui est: Exod. 3.* Naturâ verò Divina ut sic est intellectio per essentiam Dei *formaliter* actuata. Hæc autem mediante fidei infusæ actu est nobis cognita ex revelatione Processionis Verbi Divini. Insuper Naturam, & Essentiam Divinam esse respectu intellectûs nostri quà per fidem elevati primam rationem demonstrandi veritates Theologicas constat *ex dictis in præsent. concl.* Ergò Theologiæ *quà nostræ* subjectum est Deus sub ratione Deitatis.

11. Urgebis ex S. Bonaventurâ: In scientiâ assignandum est subjectum, ad quod tanquam totum integrale omnia referuntur vel per compositionem, vel per unionem, vel per ordinem. Hoc autem non est, nisi Christus. Ergò Christus est aliquâ ratione subjectum Theologiæ.

Contra: Subjectum, seu primum Objectum

12. est, per cujus rationem intrinsecam tanquam primam radicem sunt à priori demonstrabiles omnes scientiæ veritates. At perfectiones Divinæ priùs Origine sunt in Patre, quàm in Christo quà Deo. Ergò Christus non potest esse primum subjectum respectu veritatum de Patre æterno in Theologiâ demonstrabilium.

Conclusio II.

Ratio formalis *Sub Qua* Theologiæ est Revelabilitas Divina. 13.

Explicatur & Probatur. Ratio formalis *sub quâ* in ratione objecti proximè determinat, actuat, & specificat scientiam. At idem est Objectum formale specificans habitum, & actum scientificum. Motivum autem formale assensûs scientifici est Medium Demonstrationis. Hoc autem sumi potest vel *incomplexè*, quatenus substat primæ intellectûs operationi, vi cujus constituitur in tali intelligibilitatis ratione, *sub quâ* possit in aliquâ scientiâ esse Medium Demonstrationis: vel hoc potest sumi *complexè*, quatenus per secundam mentis operationem in principijs, seu præmissis demonstrationis actu applicatur tanquam ratio illativa veritatis in se virtualiter contentæ. Hæc proinde veritas constituitur in esse scibilis per rationem Medij explicatam in præmissis demonstrationis.

Atqui omnis Theologicæ Demonstrationis 14.
Medium est Veritas fidei infusæ, quatenus substat lumini supernaturali revelationis Divinæ. Hæc autem Medij quà Divino supernaturali lumini substantis ratio à Divo Bonaventura *ubi supra* congruè exponitur sub ratione *Credibilis*, quatenùs *per additionem rationis*, id est, per applicationem ad discursum transeat *in intelligibile.* Cui conformiter Doctor Angelicus *cit. 1. sent. q. 1. prol. a. 4.* rationem formalem subjecti Theologiæ ponit in *ratione Entis Divini cognoscibilis per inspirationem.* At hæc *cognoscibilitatis per inspirationem*, seu *intelligibilis credibilitatis* ratio aptè venit nomine revelabilitatis jam antiquitùs usurpato; apud Albertum Magnum *cit. tract. 1. sum. q. 3. memb. 2. in initio Solutionis.* Ergò ratio formalis *sub quâ* Discursûs, seu assensûs, adeoque etiam habitûs Theologici assignanda est *Revelabilitas Divina.*

Dices ex Alberto Magno *in fine solutionis cit.* 15.
Ratio formalis sub quâ scientiæ specificativa debet esse intrinseca rei scibili: At revelabilitas Divina nihil ponit intrinsecum in rebus revelatis, quæ ut sic sunt objectum Theologiæ. Ergo revelabilitas Divina non potest esse ratio formalis sub quâ veritas, seu conclusio Theologica constituitur in esse scibilis.

Contra: Nam ratio Formalis *sub quâ* scientiæ est lumen aliquod objectivum in præmissis 16.
Demonstrationis explicatum, atquè ut sic ex propriâ suæ Intelligibilitatis ratione determinativum seu Illativum conclusionis scibilis, atque adeò specificativum assensûs & habitûs scientifici. Hoc autem lumen objectivum est concretum extrinsecè denominans, importans in recto Formalitatem ex se illativam veritatis conclusionis, in obliquo verò abstractionem, seu intensionem Intellectualem Formalitatis illius illustrativam ac repræsentativam. Unde Rationem Formalem *sub quâ* Theologiæ oportet esse lumen aliquod objectivum sub Fidei infusæ Illustratione manifestativum Formalitatis Divinæ, quæ ex natura rei sit illativa conclusionis scibilis, & ut sic assensûs scientifici supernaturalis per rationem intrinsecam determinativa; atque adeò specificativa actûs & habitûs scientifici; At ejusmodi est Revelabilitas Divina:

Probatur istud assumptum. Hæc enim Formaliter importat Veritatem sub ratione Primæ Veritatis revelantis in Demonstrationis Theologicæ Principijs per assensum Fidei infusæ illustratâ. Hæc autē Veritas quà per Primā Veritatē ex assensu fidei illustratā importat Formali er Primā Veritatem. At Prima Veritas licet ad Fidei assensum, non se habeat ut ratio *per se*, sed *per supernaturale efficax voluntatis imperium* motiva, attamen ubi per hujus imperij efficaciā semel recepta & illustrata est in nostro intellectu, tunc ex natura rei per rationem suam intrinsecam est Motiva & Determinativa Intellectûs ad omnem Veritatem, cujus cum Primâ Veritate connexio est manifesta intellectui. Est autem indubitatum, quòd ubi principium Demonstrationis ex Primæ Veritatis revelantis per voluntatis supernaturale imperium applicatæ motivo sunt intellectui manifesta, consequenter eidem nota sit conclusionis in talibus principijs contentæ cum *Primâ Veritate* connexio. Constat igitur Revelabilitatem Divinam dicere lumen aliquod objectivum sub Fidei infusæ lumine manifestativum Veritatis Divinæ, quæ ex naturâ rei in intellectu creato sit illativa conclusionis scibilis, sitq; ut sic assensûs Scientifici per rationem intrinsecam determinativa, sitque adeò conclusioni quà Formaliter scibili intrinseca, nec non specificativa actûs & habitûs scientifici.

17. Instabis ex Alberto Magno *loc. cit.* Omnis scientia nititur Revelabilitate Divinâ. Ergo hæc non est ratio *sub quâ* specificativa Theologiæ. Probatur antecedens. Omnis enim veritas Philosophica est à Deo participata, mediante lumine naturali nobis communicata. Ergò omnis scientia in veritatem à Deo, ejusquè scientiâ derivatam tendit sub lumine divinæ revelationis. Hinc enim Apostolus ad *Rom. 1.* de Antiquis Philosophis testatur; Deum ipsis revelâsse, quæ via rationis, & lumine naturali investigabant de Divinis perfectionibus. Ergò scientiæ etiam Philosophicæ nituntur revelabilitate Divinâ. Ergo hæc non est ratio formalis specificativa, & distinctiva Theologiæ.

18. Contra: Nam sicuti Causæ creatæ ad omnipotentiam Divinam aliter referuntur *secundùm potentiam naturalem*, & aliter *secundùm potentiam Neutram, seu obedientialem*. Sic intellectus creatus ex participatione luminis Divini non *secundùm gradum quasi specificum*, sed *genericum* duntaxat sibi communicati est connaturaliter proportionatus ad investigandas veritates, quæ Deo, & creatis substantijs sub ratione *analogiè* communi possunt ab intrinseco convenire. In quibus adeò veritatibus viâ naturalis rationis indagandis tum circa Deum, tum circa substantias creatas occupatur Philosophia.

19. At verò substantia Divina *secundùm gradum quasi specificum*, seu *formaliter quà Divina*, sicuti non est *substantialiter*, & *connaturaliter*, seu *essentialiter* communicabilis creatæ substantiæ, sed potest *accidentaliter* duntaxat in ratione gratiæ secundùm potentiam obedientialem participari ab intellectuali creaturâ: Sic veritates connexæ cum substantiâ Divinâ ut sic non possunt ab intellectu creato vi luminis naturaliter sibi inditi investigari, sed opus est lumine supernaturali elevante ad earum cognitionem. In his proinde veritatibus cum Divinitate ut sic connexis discurrit Theologia innitens fidei infusæ, quæ in Deitatem solvitur, uti probat Aureolus apud Capreolum *in 3. dist. 24. a. 2. circa finem.* ac insinuat Card. de Lug. *disp. 1. de fide. n. 84. & 99.* Ergò veritates quà cognoscibiles in Theologiâ ultimatè referuntur in Deitatem *revelabilitatis formaliter quà Divinæ* specificativam.

Differt igitur Theologia à Philosophiâ, quòd hæc *causaliter*, seu *efficienter* ita sit ex revelatione, seu manifestatione Dei, ut hanc non attingat in ratione motivi: imò etiamsi naturalis aliqua cognitio se reflectendo supra lumen naturæ quà inditum à Deo, exinde tanquam ex medio rationis ascendat discurrendo in Divinam Veritatem tanquam ejus Causam originariam, & fontem primævum; hæc tamen cognitio neque Deum sub ratione quasi specifica Deitatis, neque lumen super nos signatum & naturaliter inditum attingit sub ratione etiam participatâ intellectûs Divini *formaliter quà Divini.* Secus est in Theologiâ, quæ nititur lumine supernaturali. Est autem creata supernaturalitas Divinitatis *secundùm gradum quasi Specificum* accidentaria participatio, *velut infra probabitur.* unde *revelabilitas* quatenus substat lumini supernaturali, & ut sic est ratio formalis motiva Theologiæ, importat Primæ Veritatis Intelligibilitatem rebus revelatis applicatam per collationem Discursivâ cum ordine intrinseco ad Deitatem tanquam primam, & ultimam Theologiæ rationem, qui ordo in formis creatis quoad essentiam supernaturalibus est connaturalis: in rebus autem quoad substantiam naturalibus est obedientialis. 20.

Ratio fundamentalis Rationem formalem *sub quâ* Theologiæ demonstrans est. Etenim ratio formalis *sub quâ* objecti in Esse scibilis constitutiva est, per quam objectū scientiæ intelligibiliter sistitur in intellectu secundum illam formalitatem, quæ ut sic est radix omnis veritatis in scientiâ demonstrabilis. At verò res quælibet habet in actu primo Intelligibilitatem per speciem Impressam, vi cujus res repræsentata est Virtualiter seu Causaliter præsens Intellectui: in actu autem secundo res intelligibilitatem habent per speciem expressam quæ est Verbum seu formalis repræsentatio objecti, estquè actualis quoad Esse intelligibile præsentia in intellectu. 21.

Atqui Deitas, quæ omnis veritatis in Theologiâ demonstrabilis radix dignoscitur, potest intelligibiliter sisti intra intellectum vel sub ratione Primi Motoris seu Primæ Causæ, ut sic autem Deus quasi vestitus motu attingitur secundùm lumen physicum resultans per abstractionem à materiâ duntaxat individuâ, non autem sensibili; unde sub illo motûs velamine agere de Deo tanquam Prima Causa seu primo Motore spectat ad Physicam. 22.

Vel intellectus Deum sub ratione Primi Motoris præcognitum lumine suo naturali altiùs ascendendo eatenus considerare potest, ut ex eo, quòd movens oporteat esse in actu, inferat Deum omnis motûs causam esse Ens simpliciter in actu. Ut sic autem Deus per lumen Metaphysicum secundùm abstractionem à materiâ etiam Intelligibili attingitur sub præcisâ ratione Entis in se subsistentis: Ex qua proinde Entis per se actualissimè subsistentis formalitate demonstrare 23.

monstrare licet omnem perfectionem simpliciter simplicem de Deo naturali lumine investigabilem.

24. Constat igitur qualiter abstractio à materiâ duntaxat individuâ circa Deum manifestare possit Intelligibilitatem sub ratione Primi motoris: sub quâ adeò Primæ Causæ formalitate tanquam radice & principio sint in Deum reducibiles omnes creati effectus per lumen physicum cognoscibiles: sicut abstractio à materiâ etiam Intelligibili circa Deum manifestat Intelligibilitatem sub ratione Entis per se subsistentis tanquam radice omnis de Deo perfectionis per lumen Metaphysicum demonstrabilis. Sicut ergo ex duplici illâ abstractione resultat duplex lumen objectivum formaliter consistens in specie Intelligibili, per quam formalitas seu ratio formalis *Quæ* tum Physicæ tum Theologiæ naturalis propria repræsentativè ac Intelligibiliter sistitur in intellectu; sic oportet tale etiam lumen objectivum pro Theologiâ supernaturali investigare.

25. At eo ipso quòd supernaturalitas importet formaliter participationē naturæ Divinæ, oportet Theologiam creatam supernaturalem, Deitatis, atque adeò intellectionis Dei quâ per actualissimam Essentiæ Divinæ Intelligibitatem ceu Primam Veritatem specificatæ esse imitativam. Hæc proinde Primæ Veritatis formalitas Intelligibiliter præsens seu in seipsâ repræsentata Intellectui creato, est lumen objectivum Theologiæ creatæ supernaturalis proprium. At verò istud Primæ Veritatis lumen objectivum aliter est in Intellectu Beati, huic enim vi luminis gloriæ est Essentiæ Divinæ Intelligibilitas taliter unita, ut per visionē à lumine gloriæ causatam attacta sit per se ipsam sui formaliter expressiva & manifestativa creato Intellectui.

26. Aliter autem Primæ Veritatis lumen objectivum sistitur intra intellectum viatoris: huic enim nec in ratione speciei impressæ, nec in ratione Verbi suimet repræsentativi unitur intelligibiliter, sed Voluntas præcedente credibilitatis evidentiâ Prudentiali, à Spiritu Sancto mota est applicativa Intellectûs ad lumen Primæ Veritatis. Hæc autem applicatio fit, quatenus Intellectus ex imperio voluntatis supernaturali motus ac lumine Intellectuali infuso instructus, producit in se Verbum creatum, atque adeò imperfectum, tanquam speculum non facietenus sed sub obscuræ revelationis Divinæ velamine repræsentativum Primæ Veritatis tanquam objecti Fidei motivi formalis. Sub isto autem Verbo Primæ Veritatis & in hâc Veritatum Divinitùs revelatarum repræsentativo, vi luminis supernaturalis non tantùm Iudicativi, sed in intellectu humano discursivi eatenus fieri potest veritatum revelatarum inter se & cum Scientijs naturalibus collatio, ut sub Primæ Veritatis formalitate jam in Intellectu sistantur Principia continentia coñexionem extremorum syllogismi cum medio ut sic conclusionis Virtualiter in se contentæ certò illativam.

27. Constat proinde Connexionem objectivam syllogisticam posse secundùm rationem suæ intelligibilitatis stare sub Primâ Veritate per assensum fidei in ratione motivi fidei & objecti formalis intentionaliter præsente nostro intellectui. Ut sic autem illius connexionis syllogisticæ intelligibilitatem vocamus revelabilitatem manifestativam Primæ Veritatis tanquàm rationis formalis Motivæ assentiendi tali objectivæ syllogisticæ connexioni. Hæc igitur revelabilitas est lumen objectivum per quod Primæ Veritatis & in hâc veritatum, non tantùm formaliter, sed etiam Virtualiter revelatarum, atque adeo objectivæ syllogisticæ connexionis Intelligibilitas sistitur in Intellectu creato, estque adeò ratio formalis *sub quâ* specificativa Theologiæ viatorum ex Fide Divinâ ut sic discursivæ.

COROLLARIUM.

INfertur: Subjectum Theologiæ adæquatum *attributionis* esse *Deum sub ratione Deitatis*. At subjectum adæquatum *prædicationis*, seu *communitatis* esse *Ens Divinum revelabile*. Ratio est: Nam subjectum attributionis est adæquatum scientiæ, quatenus omnia ad illud referuntur. At omnia Theologiæ objecta tanquam in primum principium non tantùm in Essendo, sed etiam Cognoscendo referuntur in *Deitatem*, in quam fit ultima resolutio omnis discursûs supernaturalis *quà formaliter Theologici*. Deinde subjectum prædicatione, seu universalitate est adæquatum, quatenus verificatur de omnibus scientiæ objectis. At nihil attingitur à Theologiâ, nisi *sub ratione revelabilitatis* cum intrinseco ordine saltem obedientiali ad Divinitatem ut sic. Ergò omne Ens à Theologiâ cognoscibile est *Divinum revelabile*. Ergò hoc universalitate prædicationis est adæquatum Theologiæ objectum. 28. 29.

ARTICULUS IV.

An, [illegible]

Et quomodo Sacra Doctrina sit Argumentativa.

HOc unico Articulo comprehendemus, quæ Doctor Angelicus *præs. q. art. 8. 9. & 10.* exposuit.

CONTROVERSIA I.

Utrum Theologia sit Habitus Adhæsivus, & Argumentativus.

AUreolus. *q. 1. Prol. a. 3. & in 1. dist. 48. a. 3.* asseruit, Theologiam esse habitum Declarativum, & Defensivum Veritatum revelatarum, non autem Adhæsivum. Fundamentum est. Nam habitus adhæsivi est inclinare intellectum ad assensum veritatis. At fidei est adhærere assentiendo Veritatibus divinitùs revelatis, & ex ijs deductis. Econtra Theologiæ est removere impedimenta hujus assensûs. Sunt autem hæc impedimenta tum obscuritas terminorum, tum apparentia rationum stantium ex opposito. Habitûs ergò Theologici est tum expla- 1.

explanare terminos & voces, quibus teguntur Mysteria Divina; tum ad horum veritatem amplectendam manuducere exemplis, & rationibus persuasibilibus; tum denique solvere argumenta opposita. At ista præstantur ab Habitu Declarativo. Ergo Theologia non est Habitus Adhæsivus, sed Declarativus.

Conclusio I.

2. Theologia est habitus Argumentativus, & consequenter Adhæsivus, seu inclinativus ad assensum scientificum veritatum ex principijs revelatis mediante discursu deductarum. ex *D. Thom. cit. a. 8.*

Probatur, & Explicatur: Circa veritates complexas dupliciter versatur intellectus, per judicium scilicet affirmationis simplicis, & per assensum illationis. Priori modo nequit intellectus fide licèt supernaturali instructus ex se ipso determinari ad assensum veritatum Divinitùs revelatarum. Etsi namque habitus fidei infusæ intellectum actuet, ac perficiat in ratione luminis supernaturalis; objectum tamen, & Motivum formale assensûs fidei in hac vitâ non conjungitur cum intellectu ad sui, & veritatis revelatæ assensum efficiendum. Atqui ad efficientiam cognitionis præter lumen intellectuale requiritur influxus objecti cum potentiâ conjuncti per modum concausæ efficienter concurrentis ad intellectionem: defectu cujus adeò conjunctionis objecta fidei sunt intellectui nostro inevidentia, quatenus non convincunt illum determinando in actu primo ad sui assensum. Quocirca Veritatibus revelatis cum ratione, & judicio prudenti credibilitatis propositis, intellectus determinatur ab efficaci voluntatis imperio ad illarum assensum. Hic proinde assensus simplicis affirmationis est *formaliter* actus Fidei; de cujus ratione est esse meritorium, adeoque liberè exercitum ex supernaturali motione Voluntatis captivantis intellectum in obsequium Dei. At isto supernaturali assensu supposito, factâ etiam veritatum fidei inter se collatione, quandoque in istis apparet intellectui nova veritas, ad cujus adeò assensum per necessitatem consequentiæ ex innatâ suâ vi trahitur intellectus.

Hic verò assensus non est fidei quâ meritoriæ seu ad Iustificationem Dispositivæ Virtutis actus; Tum quia assensus ejusmodi est necessarius; Fidei autem assensus tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem debet esse liber libertate participatâ ex piâ affectione voluntatis liberè imperantis talem assensum: Tum quia SS. Patres, nominatim Basilius *de Fidei confessione, & in Psalm. 115* Damascenus *4. de fide cap. 12.* Augustinus *lib. 18. de Civit. c. 41.* affirmant, fidem non esse inquisitivam, nec inniti probationibus, nec esse argumentorum concertationibus stabilitam, sed veritates quatenùs Divinâ fide creditas esse instar principiorum scientiæ indemonstrabilium, quibus per se, & immediatè absque discursu saltem formali assentitur intellectus. Patet igitur, præter immediatum fidei proprium simplicis affirmationis judicium circa veritates revelatas dari assensum mediatum, ac discursivum.

Confirmatur: Nam fides ita elevat ad assentiendum obscuræ Divinæ revelationi, ut Dona scientiæ, ac intellectûs elevent ad ea, quæ credita sunt, postea intelligendum. *S. Bonavent. in 1. q. proœm. ad 5.* At, quòd credimus, debetur authoritati, quòd autem intelligimus rationi. *S. Augustin. lib. de utilit. credendi c. 11.* Est autem ratio humana collativa, adeoque discursiva. Ergò discursus circa, & ex revelatis rationi humanæ quatenùs per fidem & Dona Spiritûs Sancti elevatæ maximè congruit: nihil enim *teste S. Bernardo lib. 5. de consid. post initium*, libentiùs intelligimus, quàm quod fide credimus. At discursus ejusmodi est proprius scientiæ Theologicæ, utpote cujus prima principia *teste S. Thom. præs. q. 1. a. 2.* sunt Veritates revelatæ. Ergò Theologia est argumentativa, adeoque etiam adhæsiva, & inclinativa ad assensum non immediatum, sed mediatum & discursivum circa veritates revelatas. 4.

Responsio ad Fundamenta opposita.

Ad argumentum *n. 1.* oppositum Respondetur. Multa in eo supponi absque solido fundamento. Nam 1. alia declaratio, seu explicatio terminorum est *Quid nominis*, quæ in elucidandis sacris Litteris potest quandoque procedere ex collatione variarum editionum, & idiomatum, vel diversorum sacrorum librorum, aut contextuum: in cujusmodi collatione intervenire potest discursus ad verum sacri alicujus textûs sensum eruendum. Tunc igitur explicatio significationis sacrorum verborum ad discursum veritatis alicujus Divinæ inquisitivum se habet tantùm Ministerialiter, nec tam est Theologiæ ut sic, quàm Grammaticæ ancillantis sacræ Doctrinæ, quæ non nisi sub velamine vocum, ex singulari per Spiritum S. dictatâ inter se combinatione, vim penetrandi animum gladio ancipiti efficaciorem præseferentium traditur. Attamen, ubi uniûs sacri textûs, linguarum peritiâ Grammatices propriâ ancillante, significatio habita est, ac exinde veritas sub eâ latens fide Divinâ est cognita: tunc discursus inde erutus ad alterius sacri textûs veritatem indagandam verè Theologicus est. 5.

2. Alia explicatio terminorum est *Quid rei*, quatenus in sacris litteris non tantùm voces, sed res sub parabolarum, similitudinum, & exemplorum speciebus sunt figurativæ, ac significativæ. Quæ elucidatio, si proprij ingenij sobriâ tamen adinventione, vel quorundam Patrum, & Doctorum authoritate nitatur, nec in ratione principij, nec in ratione conclusionis est propriè Theologica, sed fundat duntaxat opinativam Theologiam. Si verò elucidatio ejusmodi nitatur authoritate Divinâ, potest utpote veritas sub figurâ immediatè à Deo intenta, & revelata terminare actum fidei, & ut sic per modum Principij concurrere ad discursum strictè Theologicum. 6.

3. Rationes, quibus mediantibus Mysteria fidei fiunt persuasibilia, quandoque fundant Dictamen prudentiale; super quo per Spiritum Sanctum intrinsecùs moventem fundari potest imperium efficax de actu fidei circa Divinam sub tali prudentiali credibilitatis judicio propositam 7.

positam revelationem eliciendo. Tunc igitur
8. rationes ejusmodi quatenus substant prudentiæ infusæ conducere possunt ad discursum supernaturalem atque adeò Theologicum.

9. 4. Deniquè argumentorum fidei repugnantium solutio aliquando fieri potest absquè discursu per explicationem Sacræ Scripturæ juxta sensum Ecclesiæ, vel SS. Patrum; & ut sic referri potest vel ad fidem, vel ad dona Spiritûs Sancti; quorum fructus est fidei certitudo, per quam homo habeat de credendis judicium rectum, æstimando, illis esse omnino inhærendum, & ab eorum oppositis nullatenus recedendum. S. Doctor *2. 2. q. 8. a. 2. & 8. q. 9. a. 3. in corp. & ad 3.* Ex quibus adeò patet, non fidem duntaxat, sed etiam Theologiam esse habitum adhæsivum eo tamen discrimine, quòd hæc Simpliciter sit discursiva, Fides verò non quoad assensum Primarium, sed tantùm Secundarium sit argumentativa.

10. Instabis: Omnis discursus scientificus est demonstratio *Propter Quid*, vel *Quia*. ex Ocham *q. 1. prol. Litt. X. concl. 1. & 2.* & Mayrone *1. disp. 2. q. 2. a. 2. circa finem.* At in demonstratione *propter Quid* debet prædicatum per prius esse prædicabile de medio, quàm de subjecto. Cujus ratio est, quòd medium sit causa inexistentiæ prædicati in subjecto. Atqui ob summam simplicitatem Divinam repugnat in perfectionibus Dei absolutis aliqua prioritas, & causalitas: nec adeò dari potest in Deo ratio, seu formalitas, cui per prius conveniat attributum aliquod Divinum, quàm hoc sit prædicabile de Deo tanquam subjecto. Ergò circa Deum non datur demonstratio *propter quid* vel à priori. Quod videtur docuisse S. Thom. *1. cont. gentes, c. 25. post medium* asserens; *non posse Demonstrationem de Deo fieri, nisi per effectum, eò quod principium demonstrationis sit definitio ejusdem, de quo fit demonstratio; Deus autem definiri non possit.*

11. Deinde Demonstratio de Deo per effectum procedit ex lumine naturali ex *1. ad Rom.* juxta expositionem S. Thom. *1. p. q. 2. a. 2. ad 1.* Ergò non est Theologica. Consequens proinde est, nullam de Deo, nec à priori, nec à posteriori esse Theologicam demonstrationem.

12. Respondetur: Aliam demonstrationem à priori, vel *propter quid* procedere per medium, quod sit principium reale, vel causa Physica inhærentiæ Passionis, seu veritatis Demonstrabilis in subjecto. Quo modo, sicuti nulla est prioritas, & causalitas realis inter Essentiam, & attributa Divina, sic nulla datur Perfectionum Divinarum de Deo per ejus Essentiam demonstratio. Nihilominùs quia Deus Pater in ratione Principij generantis est actus purissimus, possumus ex istâ formalitate per prioritatem Originis *Demonstrativè* inferre Æternitatem, imò omnimodam infinitatem Generationis Passivæ in Filio, adeoquè hujus cum Patre consubstantialitatem. Ergò respectu Processionum Divinarum datur de Deo demonstratio à priori per principium in Essendo.

13. Alia Demonstratio à priori procedit per medium, quod sit Passionis de subjecto demonstrabilis principium, seu causa *in cognoscendo.* Quo modo, sicuti ex sententiâ Ochami *in 2. dist. 16. q. 24. & 26.* negantis *distinctionem potentiarum à substantiâ animæ*, ratio intellectivi, & volitivi potest à priori per Essentiam demonstrari de homine. Sic quatenùs una formalitas in Deo ob Virtualem distinctionem *secundum nostrum intellectum cum fundamento in re* est ratio, & causa illativa alterius formalitatis, potest *consequenter* per formalitatem *ratione nostrâ ratiocinatâ* priorem fieri demonstratio de Deo tanquam per causam, seu principium in cognoscendo, *uti cum* S. Thoma *probat* Ferrariensis *loc. cit. §. Circa secundum.*

Confirmatur. Quia lumen Divinæ revelationis nobis manifestat virtualem Divinarum perfectionum distinctionem; attestante Deo, *Exod. 6. se apparuisse Abrahamo in Deo omnipotente, sed nomen suum Adonai* (per quod Divina Essentia sub vocibus *Qui est Exod. 3.* revelata significatur) *non indicasse ei.* Consequens igitur est, posse juxta hanc eminentialem cum aliquâ rationis ratiocinatæ prioritate Essentiæ, & attributorum distinctionem fieri de Deo demonstrationem à priori, seu *propter Quid*, etsi minùs perfectam, utpote, quæ non procedat ex definitione, sed *ænigmaticâ Fidei cognitione.* 14.

Deinde, etsi demonstratio à posteriori, per quam invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, vi luminis naturalis conspecta intelliguntur, non sit Theologica, sed Philosophica: attamen intellectus humanus habitibus supernaturalibus instructus elevando, ac reflectendo se super operationes gratiæ; ex his tanquàm effectibus Dei, animæ oculo interno per radios Donorum Spiritûs Sancti emundato potest mediante discursu supernaturali, adeoquè Theologico altiùs ascendere in incomprehensibile Divinitatis lumen: Qui proinde discursus, utpote ab effectu, est Demonstratio *Quia.* Ergò de Deo dari potest Demonstratio Theologica etiam à posteriori. 15.

Urgebis; Omnis propositio per necessariam Consequentiam deducta ex altero saltem principio divinitùs revelato est de fide. At Fides pugnat cum scientiâ. Ergò discursus formatus ex duabus, vel alterutrâ de fide non est demonstrativus, seu scientificus. Ergò Theologia non est scientificè, seu demonstrativè discursiva. 16.

Respondetur: Propositionem ex duobus, vel alterutro principio revelato deductam, vel posse considerari *reduplicativè quà Deductam*, vel *specificativè quà Explicatam.* Sub priori consideratione substat propositio tertiæ mentis operationi, seu assensui *Formaliter* discursivo, in quo per assensum præmissarum tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium necessitatur intellectus ad assensum conclusionis. 17.

Hæc autem necessitas repugnat libertati fidei. Ergò conclusio ex principijs revelatis Deducta *Formaliter quà Deducta* nequit cadere sub fidem. Nihilominùs mediante ejusmodi discursu, necessariò apparet veritas conclusionis contenta in principijs revelatis: qui autem affirmat antecedens, affirmat etiam consequens. Ergò revelatio divinâ antecedentis extendit se ad consequens, Gregorio Nazianzeno *Oration. 5. de Theologiâ* asserente, ea, quæ evidenter colliguntur ex Sacrâ Scripturâ, perinde habenda esse, ac si in eâdem Scripturâ expressè continerentur. Cui conformiter idem Ecclesiæ Doctor *loc. cit.* ex eo, quòd *Actor. 5. Ananias* dicatur *mentitus Spiritui Sancto.* Et rursus, *non hominibus, sed Deo mentitus* affirmetur, per consequentiam Syllogisticam probat Di- 18.

bat *Divinitatem Spiritus Sancti.* Hinc etiam Leo Papa *Epist. 10. & 83.* docet, de fide tenendum esse, quòd idem Christus sit filius Dei, & filius hominis, eò quòd *Ioan. 1.* dicatur Verbum Dei, adeoquè filius Dei: & *eodem loco* asseratur, Verbum Dei incarnatum, adeoquè filius Dei, seu Persona Christi sit facta filius hominis.

19. Quamvis igitur conclusio ex duobus, vel uno principio revelato, & altero naturaliter evidente deducta ut sic reduplicativè non subsset actui fidei, hæc ipsa tamen deductio, & consequentia est quædam explicatio, vi cujus revelatio divina antecedentis declaratur extendi ad consequens. Quâ proinde declaratione suppositâ, Voluntas prudenter imperat fidei assensum conclusioni ex principio revelato evidenter deductæ præstandum. Ergò conclusio Theologica non *quà deducta* ex principijs revelatis, sed *quà explicata* mediante discursu demonstrativo potest propter motivum revelationis Divinæ attingi ab actu fidei. Nec obstat, quòd inde sequa-

20. tur, posse discursum scientificum stare cum actu fidei: nam hujus cum scientiâ repugnantia est secundùm evidentiam, & inevidentiam objecti: in discursu autem Theologico est certitudo plusquàm Metaphysica, absque tamen ullâ objecti evidentiâ. Ergò illa duntaxat scientifica demonstratio, quæ nititur luminis naturalis, aut visionis supernaturalis evidentiâ, pugnat cum fide, non verò Theologicus Viatorum discursus innitens principijs propter obscuram Dei revelationem creditis.

CONTROVERSIA II.

An & quomodo Theologia possit probare sua Principia?

1. Difficultas est 1. Nam quia principia scientiarum Physicarum ortum habent ab experientijs, ex quarum admiratione cœperunt homines *teste Philosopho* philosophari, Demonstrativè inferendo ab effectibus sensu perceptis causarum naturalium virtutes. Idcirco demonstratio à posteriori est origo, & mater scientiarum naturalium. Quinimò hypotheses, & Principia Astrologiæ, seu Medicinæ, quæ non tam ex se evidentia sunt, quàm ex fide Magistri primitùs recepta, tunc primùm incipiunt in intellectu discentis firmas certitudinis, ac infallibilitatis radices agere, quando ab effectuum experientijs per demonstrationem à posteriori firmantur, itàque adaptantur ad scientiarum illarum conclusiones non ex fide Magistri, sed ex principijs certò præcognitis scientificè inferendas. Idcirco par Videtur in principijs Theologicis evidentia investiganda ab effectibus.

2. Etenim principia Theologiæ ut sic debent esse credita fide Divina. Hæc autem procedit ex judicio credibilitatis. Est autem Theologiæ demonstrare articulos fidei esse credibiles evidenter, uti docet Bannes *præs. a. 8. dub. 2. concl. 2.* Hoc insuper credibilitatis judicium in viris Sanctis sæpe fundatur in experientijs divinorum effectuum, & delectationum in se resultantium ex fide per Charitatem operante. Ergò Theologia potest non minùs, quàm physica saltem à posteriori, probare sua principia.

Confirmatur: Ne Prophetæ quidem simplici intuitu, vel per evidentiam in Deo attestante contemplabantur Mysteria sibi divinitùs revelata, cùm alioquin Apostolus *Heb. 11.* Abraham, Isaac, David & alios Prophetas circa res Divinæ fidei familiariùs à Deo illustratos frustra proponeret tanquàm fidei exemplar: *Beati enim qui non viderunt & crediderunt. Ioan. 20.* Ergò lumen illud supernaturale, quo Prophetæ, in recipiendis divinis revelationibus interiùs illustrabantur, in ipsorum intellectibus mediante discursu deducebat judicium credibilitatis; vi cujus ad Mysteria revelata per actum fidei amplectenda inducti sunt. Hoc autem judicium ex lumine supernaturali discursivum erat Theologicum. Ergò Theologiæ est probare sua principia. 3.

Difficultas est 2. Nam Theologiæ est solvere argumenta suis principijs contraria. Hæc autem solutio fit quandoquè, nullâ in medium adductâ distinctione, vel ratione, per simplicem negationem propositionis repugnantis veritati revelatæ. At ista solutio, utpote carens discursu non est ex Theologia, sed ex fide, cujus est infallibiliter assentiri revelationi divinæ, & consequenter dissentire falsitati directè contrariæ, *uti probant* Durandus *q. 1. prol. n. 42.* & Cajetan. *præs. a. 8. §. Circa tertiam.* Ergò Theologiæ est, argumenta suis principijs adversantia solvere per discursum cum ratione negationis, vel distinctionis. At hoc ipsum est dare rationem articulorum fidei. Ergò Theologia probat sua principia. 4.

CONCLUSIO I.

Theologia per se, ex ratione intrinsecâ saltem primariâ non probat sua principia, seu articulos fidei. *Ex S. Thomâ præs. a. 8.*

Probatur: Theologia est virtus intellectualis, virtus autẽ est dispositio perfecti ad optimũ inclinando in operationem, quâ mediante potentia consequitur finem suum. *uti ex Aristot. tradit S. Thom. 1. 2. q. 110. a. 3. & 2. 2. q. 23. a. 7.* At intellectualis potentiæ finis est veritas, in cujus adeò consecutione intellectus, & consequenter virtus intellectualis de se ita quiescit, ut esset contra ejus naturam, propositionem immediatè in primo, ac summo certitudinis gradu notam probare ex minùs notis, seu minùs certis. 5.

Atqui principia Theologiæ ut sic per assensum fidei nituntur *immediatè* Primâ Veritate tanquàm *formali Motivo*: Econtra Theologia non nisi mediante discursu vi luminis intellectualis creati habitu supernaturali instructi elicito reducitur in Primam Veritatem. Ergò fides quò puriùs, & Partim immediatiùs Theologiâ attingit Primam Veritatem, eò majori certitudine firmatur in materijs etiam contingentibus à Deo ceu Primâ veritate assertis. Unde principia Theologiæ quatenùs per fidem infusam cognita sunt instar primorum luminis supernaturalis principiorum. 6.

Si proinde contra negantem prima luminis naturalis principia non jam ratione disputandum, sed baculo certandum censuit Philosophus, sic negantes Theologiæ à fide asserta principia, spirituali anathematis gladio percutiuntur, nec 7.

tur, nec

tur, nec jam capaces sunt alicujus argumentationis ex lumine supernaturali procedentis, nisi per gratiam actualem supra naturæ lumen denuò excitentur. Sicut ergo Prima luminis naturalis principia sunt indemonstrabilia; sic *per se loquendo* principia Theologiæ non opus habent probari per argumentationem aliquam, utpote quæ luminis naturalis prima principia Veritati duntaxat creatæ innitentia eatenùs superant, quatenùs increatam Veritatem *formaliter* attingunt.

Conclusio II.

8. Theologia quandoque *per accidens* argumentatur ad probandum sua principia.

Probatur: Etsi articuli fidei sint naturalibus scientijs certiores secundùm naturam: attamen *quoad nos* propter debilitatem intellectûs nostri minùs sunt certi: S. Thom. *præs. q. 1. a. 5. ad 1.* Hinc principia Theologiæ *quoad certitudinem formalem ex naturâ rei*, ac *per se* sunt quidem Primæ veritatis, & indemonstrabilia: attamen ob defectum evidentiæ, seu certitudinis objectivæ non ita proportionantur intellectui, quin *antecedenter ad fidei appretiativè summam adhæsionem excitatam ex pia motione voluntatis captivantis intellectum in Primæ Veritatis obsequium*, possit dubitari de prin-
9. cipijs Theologicis. Unde fit, quòd varia aliquam veritatis apparentiam præseferentia à fidei adversarijs confingantur argumenta, utadeò Theologi sit tum adversùs garrulos ratiocinatores elatiores magis, quàm capaciores rationibus Catholicis, & similitudinibus congruis ad defensionem, & assertionem fidei uti. S. Aug. *1. de Trinit. c. 2.* tùm infirmorùm fidem fovere per argumenta, ne si videant rationes ad fidei probabilitatem deficere, & ad oppositum abundare, deficiant. Divus Bonavent. *in 1. sent. q. 2. proœm.*

Responsio ad Argumenta contraria.

10. Ad 1. Difficultatem, ejusque confirmationem *n. 1. 2. & 3.* oppositam Respondetur: Principia Theologiæ esse instar Primorum principiorum. Sicut enim principia naturaliter nobis insita, per lumen intellectûs agentis per se nota sunt; ita doctrina sacra habet pro principijs Primis articulos fidei, qui per lumen fidei infusum per se noti sunt habenti fidem. S. Thom. *q. 1. prol. a. 3. q. 2.* Unde fit, Principia Theologiæ instar primorum luminis naturalis principiorum esse ut sic tam à priori, quàm à posteriori indemonstrabilia, utpote quæ propter Divinam veritatem absque ullo discursu sint per
11. lumen fidei immediatè cognoscibilia. Nec adeò obstat, quòd fidei actum etiam in Prophetis dum de Mysterijs supernaturalibus sunt à Deo edocti, præcedere debuerit judicium credibilitatis. Tum quia istud judicium non tam probat veritatem Mysterij fidei secundùm se, quàm ejus credibilitatem, ostendendo, posse prudenter imperari à voluntate assensum talis Mysterij propter Primam Veritatem Revelantem. Tum quia illud credibilitatis judicium est quidem discursivum, ac supernaturale, estque respectu voluntatis ad imperandum fidei actum à Spiritu S. motæ quoad honestatem Practicè infallibile: at-

tamen procedit plerumque ex argumentis Moraliter tantùm certis non tam Demonstrativè Veritatem Mysterij, aut revelationis divinæ inferentibus, quàm secundùm regulas prudentiæ ostendentibus honestatem actûs fidei hic, & nunc eliciendi. Quod procedit, etiamsi tale credibilitatis judicium fundetur super infallibili authoritate Ecclesiæ, vel definitione summi Pontificis, cùm in praxi pendere soleat ex circumstantijs individuis fidei humanæ innitentibus. Ex quibus adeò patet, articulos fidei, seu principia 12.
Theologiæ ut sic neque directè secundùm rationem intrinsecam veritatis esse demonstrabilia, nec etiam indirectè secundùm rationem credibilitatis esse nisi moraliter, seu prudentialiter probabilia. Unde judicium credibilitatis qua ex lumine Prudentiæ supernaturalis formaliter discursivum nonnisi reductivè est Theologicum.

Ad secundam *n. 4.* oppositam difficultatem Respondetur: Theologiam in solvendis 13.
argumentis contrarijs fidei, ejusque veritate defendendâ diversimodè procedere. Nam Primò contra Hæreticos, qui aliquos duntaxat fidei articulos negant, argumentatur Theologia ad hominem ex Sacræ Scripturæ textibus per ipsos concessis, uti observat S. Thom. *præs. a. 8.* Quæ argumentatio simpliciter Theologica est, utpote procedens ex fidei principijs, nec tamen à Theologo argumentante intenditur propter se, quippe qui certiorem de isto articulo taliter demonstrando habeat ex fide assensum, quàm ex discursu Theologico: unde per accidens tantùm fit illa argumentatio respectu hæretici, qui licèt non habeat firmum judicium etiam de Principijs revelatis, & à se assertis, ex his tamen convincitur falsitatis & contradictionis. 2. Arti- 14.
culos fidei quandoque evidenter probamus non directè secundùm intrinsecam veritatem, sed secundùm rationem credibilitatis; cujusmodi discursus non est scientificus, sed prudentialis, adeoque solùm reductivè Theologicus. 3. Illi, 15.
qui ex divinitùs revelatis nihil penitùs admittunt, non possunt per argumenta verè Theologica positivè redargui, etsi rationes contra fidem ab ipsis adductæ tunc solvi possint negativè, ostendendo argumenta ejusmodi fidei adversantia non convincere. v. g. dum Paganus contra Mysterium SS. Trinitatis opponit, singu- 16.
lis suppositis inesse singulas naturas, potest ista propositio per rationem Theologicam distingui ita, ut procedat de naturâ finitæ Essentiæ, non verò de naturâ secundùm Essentiam infinitam. Nam *advertente Doctore Angelico cit. a. 8.* quia fides innititur infallibili veritati, neque verum potest adversari vero; exinde evidenter concluditur, falsum esse, quidquid fidei adversatur. Ex quo proinde principio Theologus certò novit principia Philosophica, etiamsi in naturalibus sint evidentis veritatis, non habere locum in Mysterijs Divinis, quatenùs fidei contrariantur.

Hinc etiam dici solet, posse Theologum evidenter Negativè, non autem evidenter Positi- 17.
vè solvere argumenta fidei contraria; quòd, licèt per obscurum fidei, ac Theologiæ lumen non possit evidenter demonstrare falsitatem argumentorum ejusmodi; nec tamen ex adverso convinci valeat rationibus ex lumine naturali contra Divina Mysteria depromptis, quin earum efficaciam possit per fidem, ac Theologicum discur-

discursum enervare. Constat igitur Theologiam *directè*, *seu positivè*, *at per se* non probare sua principia, sed *per accidens*, seu *indirectè*, ac *evidenter negativè*.

18. Instabis: Si hæreticus, vel paganus ex animæ mortalitate inferat impossibilitatem resurrectionis mortuorum, tunc argumentum antecedentis evidenter Positivè convincitur falsitatis ex rationibus physicis, demonstrando animæ immortalitatem ex ejus spiritualitate, cognitione, & appetitione naturali rerum æternarum, ejusque creatione, vi cujus producta est independenter ab omni creaturâ, nec adeò potest corrumpi ab ullâ causâ creatâ. Atqui argumentationes istæ in fidei defensionem ex principijs Physicis allatæ sunt Theologicæ, uti contra Ysambertum *præs. q. 1. art. ult. n. 6.* & Fasolum hîc *a. 8. dub. 4. n. 11.* probat Cajetanus *eod. a. 8. §. Circa tertiam.* Ergò Theologia potest *evidenter, positivè* solvere, seu falsitatis convincere argumenta contra fidem opposita, veluti S. Thomas *super Boet. q. 2. de Trinit. a. 1. ad 5.* ait, *Rationem demonstrativam, quæ cogat intellectum, non posse haberi de his, quæ sunt fidei; sed posse haberi ad evacuanda, quæ fidem destruunt, vel impossibilem asserunt.*

19. Respondetur: Principia physica evidenter demonstrativa falsitatis non Fidei duntaxat, sed scientiæ alicui naturali adversantis dupliciter se habere ad Theologiam quà fidei defensivam: 1. *Solùm concomitanter sine respectu formali, & rationis reflexivo ad fidem.* Tunc igitur per rationes naturaliter evidentes solvitur argumentum non quà *formaliter* Fidei oppositum, sed quà repugnans veritati naturali. 2. Principia naturaliter evi-

20. dentia possunt per actum Theologiæ reflexum attingi *cum ordine seu collatione ad revelationem Divinam, seu fidei Veritatem*: oportet enim, quòd ratio naturalis subserviat fidei, sicuti & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur Charitati. S. Doctor *præs. a. 8. ad 2.* Sub quâ reflexâ consideratione principia naturalia quodammodo extrahuntur ab evidentiâ luminis naturalis, & elevantur ad rationem intelligibilis supernaturalis, quod in statu viæ est destitutum evidentiâ. Iuxta quem sensum D. Thomas *cit. q. 2. de Trinit. a. 3. ad 5. acutè respondit, illos, qui utuntur philosophicis documentis in Sacrâ Scripturâ fundatis, redigendo ea in obsequium fidei, non miscere aquam vino, sed convertere aquam in vinum*, id est, elevare naturales veritates ad rationem intelligibilitatis supernaturalis. Huic conformiter fatetur Fasolus *cit. n. 11. in fine.* Si quæstio incidat de formâ Syllogisticâ quatenùs applicatâ materiæ revelatæ, ejus discussionem *probabilius* pertinere ad Theologiam, quàm ad Logicam.

21. Cùm proinde principia luminis naturalis *quà reflexè* comparata cum fidei veritate *formaliter* ac *in sensu composito* induant intelligibilitatem Theologiæ propriam *reduplicativè qua talem* inevidentem; consequens est, Theologiam ut sic non solvere *evidenter positivè* argumenta ex falsâ Philosophiâ contra fidem adductâ. Neque in hoc adversatur Doctor Angelicus *in fine Objectionis allegatus*: ipsum enim ibi fuisse locutum de solutione *solùm negativè* evidente, patet ex ratione mox subjectâ, quâ dicitur, *quamvis ea, quæ sunt fidei, demonstrari non possint, non tamen posse demonstrativè improbari.*

CONTROVERSIA III.

Ex quibus Locis, & qualiter argumentetur Theologia?

Locus Theologicus est sedes, unde sumitur argumentum ad probandam quæstionem Theologicam; vel est notum principium, cujus ductu discernitur, quid probandum, quidvè improbandum sit in Theologiâ. Quo adeò posito, quæri potest *Quot & Quales sint loci Theologici.* 1.

Canus *Tom. de Locis Theol.* Vasquez *1. p. disp. 12. c. 1. &* Theologi *communiter* decem enumerant Locos Theologicos, nimirum S. Scripturam, Traditiones Christi, & Apostolorum, Communem Ecclesiæ consensum, Definitiones Conciliorum, Decreta Pontificum, Sententias Patrum, Doctrinas Theologorum Scholasticorum, Rationem naturalem, Philosophorum dicta, Narrationes Historiarum Ecclesiasticarum. Quibus alia duo adjecit Gillius *lib. 1. tract. 7. c. 1. n. 6.* Authoritatem scilicet Angelicam, & Iurisperitorum. 2.

Divus Thomas *præs. a. 8. ad 2.* ad numerum quaternarium redegit omnes Locos Theologicos, ad Auctoritatem Divinam, Dicta Sanctorum, Rationem naturalem, & authoritatem Philosophorum. Tum quia non Scriptura Sacra duntaxat, & Traditiones à Christo vel Apostolis emanatæ, sed Conciliorum, & Summorum Pontificum Decreta continent Auctoritatem Divinam, sub quâ comprehenditur etiam authoritas Sanctorum Angelorum, qui in Divinis litteris inducuntur tanquam Nuntij Divinorum Consiliorum. Tum quia ijsdem ex Sacra Scripturâ depromptis principijs, & consequentijs nituntur & Doctrinæ Theologorum Scholasticorum, & Sanctorum Patrum sententiæ. Ergò isti duo loci reducendi sunt in unum. Tum deniquè Auctoritas super Philosophorum & Iurisperitorum, aut Historicorum Ecclesiasticorum effatis fundata derivatur ex uno luminis naturalis fonte. Ergò congruè conflantur in unum, eumque tertium locum Theologicum, cui adjiciendo quartum rationis naturalis non excedimus numerum quaternarium. 3.

CONCLUSIO I.

PRimus Authoritatis Divinæ Locus sive Sacris Litteris, vel Traditionibus Apostolicis, sive Ecclesiæ consensu, vel Pontificum & Conciliorum definitionibus contentus est Theologiæ proprius. S. Thom *loc. cit.* 4.

Probatur: Theologiæ proprium est argumentari ex principijs fidei Divinæ: Hæc verò continentur tum sacris litteris, tum Traditionibus Apostolicis; siquidem Apostoli non tantùm in conscribendis libris canonicis, sed Divinis Doctrinis ore Christi vel Spiritûs Sancti inspiratione sibi manifestatis ac sine scripto traditis habuerunt infallibilem assistentiam Spiritûs Sancti, juxta Christi promissum *Ioan. 14.*

Ille vos

Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Ergò non minùs in doctrinis per Apostolos solâ voce comunicatis Ecclesiæ, & in hâc per successionem continuam conservatis traditionibus, quàm in sacris litteris fundatur discursus scientificus, ac verè Theologicus.

5. Deinde Ecclesia, *utpote Columna, & Firmamentum Veritatis 1. ad Timoth. 3.* habet infallibilem Spiritûs Sancti assistentiam in evolvendis Divinis revelationibus. Unde infallibilem *Divinæ authoritatis* certitudinem obtinet, quod unanimis Ecclesiæ consensus tenet tanquam de fide.

6. Hinc etiam fit, quòd sacræ Scripturæ sensus communi Patrum consensu receptus, sit genuinus, & indubitatus, uti *Vasquez disp. 15. c. 6.* probat ex Concilio Tridentino *Sess. 4 §. Præterea.* decernente. Ne *liceret interpretari Scripturam sacram contra sensum Ecclesiæ, vel unanimem Patrum consensum.* Ex hoc namque evincitur, quòd etiam Patrum in rebus fidei consensus unanimis sit infallibilis regula Veritatis Divinæ.

7. A fortiori Generale Concilium, cùm sit per repræsentationem tota Ecclesia, nequit errare in fidei, ac morum Decretis, siquidem Prima veritas Christus *Matth. 18.* dixerit: *Se in medio eorum esse, qui in*
8. *nomine suo congregarentur.* Pari Divinæ authoritatis robore firmantur, quæ à Capite Ecclesiæ Romano Pontifice definiuntur, utpote qui tanquam successor Petri est Petra, super quam ædificatur Ecclesia Dei, ita, ut portæ inferi non possint
9. adversùs eam prævalere. *Matth. 16.* Constat igitur ex unanimi Ecclesiæ, & Patrum consensu, nec non Definitionibus Conciliorum, ac summorum Pontificum erui principia Divinitùs revelata; atquè adeò Theologiam non minùs ex illis, quàm ex Scripturis Canonicis, & Traditionibus Apostolicis argumentari scientificè ad alias veritates eliciendas.

Conclusio II.

Secundus sententijs SS. Patrum, ac Theologorum comprehensus locus est proprius Theologiæ, non quidem scientificæ, sed probabilis & opinativæ.

10. Probatur ratione S. Doctoris *cit. a. 8. ad 2.* Nam argumentatio Theologiæ scientificæ procedit ex principijs Fide divinâ creditis. At fides nostra innititur revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit alijs Doctoribus facta. Vnde Augustinus *Epist. 19. paulò post principium* dicit: *Solis eis scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errâsse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt.*

11. Oppones ex *Glossâ in cap. Noli. Verb. in istis. dist. 9.* Quando scripta SS. Patrum nondum erant authentizata, licuisse illis non adhærere firmiter ex sola authoritate, sed ex intelligentiâ & probatione; attamen à Gelasio Papâ in Romano Concilio in tantum esse recepta opera Orthodoxorum Patrum, qui communionis sanctæ Ecclesiæ gratiâ Dei usquè ad ultimum vitæ suæ participes fuerunt, ut jam non liceat ab eorum authoritate deflectere *ex cap. ult. dist. 15.* Ergo dicta SS. Patrum fundant certum, non verò probabile duntaxat argumentum.

Contra: Nam *cit. cap. ult. dist 15.* sub anathemate præcipitur, ne liceat Epistolam Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum vel quoad unum jota disputare. At verò de operibus Cypriani, Athanasij, Nazianzeni, Basilij, Chrysostomi, Hilarij, Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Prosperi, & aliorum Patrum Orthodoxorum solùm dicitur ea recipi in Ecclesiâ Catholicâ, & esse legenda. Ergo ex prætacto Canone evincitur, quòd Leonis Papæ Epistola, non verò alia SS. Patrum opera habeant authoritatem infallibilis, ac Divinæ authoritatis. 12.

Etsi proinde Patrum ac Theologorum sententiæ circa aliquod fidei Mysterium possint fundare prudens credibilitatis judicium, ad quod operante Spiritu S. consequi potest actus fidei, eoquè supposito intellectus argumentari scientificè; ex hoc tamen evincitur duntaxat, quòd Patrum, aut Theologorum authoritas non tam *formaliter*, ac *immediatè* fundet argumentum Theologicum, quam quòd *instrumentaliter*, ac *remotè* possit conferre ad fidei actum, posito credibilitatis judicio, vi motionis Spiritûs Sancti excitandum, sub quo lateat Theologicum argumentum. 13.

Etenim tota illa Patrum, & Theologorum Authoritas in eo sita est, quòd ex Doctrinæ Divinæ & Sanctitatis notis credantur in rebus fidei explicandis ferre judicium, non proprij duntaxat ingenij, sed gratiæ supernaturalis viribus ad fidei Orthodoxæ regulas efformatum. At summo duntaxat Pontifici, & Ecclesiæ universali est à Christo promissa gratiæ divinæ assistentia infallibilis in ferendo judicio de Fidei Mysterijs. 14.

Nec, licèt SS. Patres publico Ecclesiæ judicio, vel summi Pontificis decreto in suâ canonizatione pronuntientur illibatè stetisse in fide orthodoxâ; ex hoc probatur, singula eorum dicta in materijs fidei habere authoritatem infallibilem, cùm aliqui ex ipsis legantur in suis operibus nonnulla *bonâ fide, & absquè formali* errore aliquando asseruisse, quæ postmodùm explicitè definita per Ecclesiam, reperta sunt pugnare cum fide, *uti exempla ejusmodi enumerat Canus lib. 7. de Locis Theologicis. c. 3.* Illa ergò illibatæ in sanctis fidei usquè in vitæ finem ex judicio Ecclesiæ approbatio ab illis solùm removet suspicionem *erroris formalis* ac *voluntarij*, non autem *materialis* in omnibus, ac singulis *etiam implicitè* in Sacrâ Scripturâ contentis Doctrinæ articulis. 15.

Cùm igitur sententiæ SS. Patrum ac Theologorum nisi omnes in unum conspirent, fidei doctrinâ non omnimodâ, sed ad summum morali certitudine, vel probabili solùm argumento tradant, consequenter *directè ac formaliter* non inserviunt Theologiæ scientificæ, sed opinativæ duntaxat, & probabili. 16.

Conclusio III.

Tertius, & Quartus ratione naturali, & dictis Philosophorum, nec non historijs humanis conclusus locus subministrat Theologiæ tum scientificæ, tum opinaticæ argumenta solùm extranea. Ex S. Thoma. *loc. cit.*

17. Probatur ejusdem argumento. Nam gratia non tollit, sed perficit naturam: Vnde intellectus per fidem, & Dona Spiritûs Sancti supernaturalia elevatus ad formandos discursus circa veritates Divinas quandoquè utitur principijs scientiarum naturalium, & dictis Philosophorum, *uti patet exemplo Pauli Act. 17. & fusè exposuimus supra. a. 1. dub. 3.* Hæc verò argumenta cum fidei, seu Doctrinæ ex Sacris Litteris erutæ Principijs in discursu Syllogistico combinata elevantur ad illationes conclusionum Theologiæ quandoquè scientificæ, quandoquè Opinativæ, vel prudentiæ supernaturali inservientium. Ergò argumenta ex ratione naturali, & authoritate Philosophorum petita secundùm se præcisè sunt quidem extranea Theologiæ, huic tamen inserviunt, quatenus à fide rediguntur in captivitatem, & obsequium Divinæ veritatis.

18. In quo genere potissimum locum obtinent historiæ Ecclesiasticæ, quibus narrantur acta Conciliorum, & Pontificum, & hæreses pro tempore existentes. Nam licèt earum fides non excedat metas memoriæ, & authoritatis humanæ, attamen plurimùm deserviunt tum ad redarguendos hæreticos, tum ad stabilienda, & exactiùs intelligenda Dogmata fidei, & Ecclesiæ Decreta, ex quibus eruitur argumentum Theologicum.

CONTROVERSIA IV.

Ex quo Sacræ Scripturæ sensu Theologia argumentetur?

1. Sacræ Scripturæ sensus à S. Thom. *præf. a. 10.* distinguitur in Litteralem, sive Historicum, & spiritualem, sive Mysticum. Litteralis est, quem voces primò & immediatè significant. Spiritualis est, qui fundatur super litterali, quatenùs res per Sacras Litteras significatæ sunt significativæ alterius rei, seu Mysterij absconditi.

2. Hos duos S. Scripturæ sensus per librum intus, & foris scriptum *Ezech 2. & Apocal. 5.* indicatos asseri: S. Hieronymus *in cit. c. Ezech. circa finem.* In hunc sensum D. Chrysostomus *Hom. 15. in Ezech.* Sacram Scripturam comparat portæ habenti limen interius, & exterius, ita ut hoc sit Littera, illud Allegoria. *Quia enim, ait, per litteram ad allegoriam tendimus, quasi a limine, quod est exterius ad hoc, quod est interius, venimus.* Ex quo meritò redarguuntur nonnulli, qui ex ingenijs suis conantur adinvenire multos sensus Mysticos non cohærentes, imò aliquando repugnantes Litterali, cùm hic tamen sit fundamentum sensûs Spiritualis; sicut enim prius, quod animale est, deinde quod spirituale est, *1. ad Corinth. 14.* ita litteralis sensus Sacræ Scripturæ primus est, & in ipso fundantur tres alij sensus spirituales. Albertus Magnus *cit. tract. 1. sum. q. 5. num. 4.*

3. His adnumerari potest Sensus Accommodus, qui non tam est ex intentione Spiritûs sancti tanquam Authoris Sacræ Scripturæ, quàm usurpantis, & accommodantis verba sacra: sic Ecclesia in officio Divino applicat B.mæ Virgini, quæ in Sacris litteris dicuntur de Sapientiâ Divinâ.

4. Franciscus de Lugo *disp. 4. de Deo uno. c. 1. n. 9.* assignat duos sensûs accommodati genera, ita ut alter fiat *per extensionem*, dum per legitimam consequentiam, certâ & evidenti ratione, vel saltem probabili, à simili, à majori, vel minori, vel quovis alio argumentandi genere aliquid deducitur ex litterali sacræ Scripturæ sensu. Sic quæ ad increpationem populi Judaici sunt dicta, per *extensionem*, seu argumentum à pari, vel minori ad majus accommodantur ad correptionem Christianorum.

Verùm hæc doctrina ita moderanda videtur, ut quæ per legitimam consequentiam, certâ & indubitatâ ratione deducuntur ex Sacrorum verborum Litterali sensu, ad hunc potiùs, quàm ad sensum merè accommodatum trahenda sint. Tum quia Spiritus sanctus revelans in antecedente affirmat & consequens necessariò connexum. Hinc enim fit quòd consequens ejusmodi ex principio revelato infallibiliter deductum quandoquè ab Ecclesiâ definiatur esse de fide. Tum quia singularia in sacris Litteris, dum præsertim vitia redarguuntur, persæpè sunt potentiâ universalia, uti probat Alb. Mag. *cit. tract. 1. sum. q. 1.* Ergò extensio in tali casu non tam est ex accommodatione interpretis, quàm ex intentione authoris Sacræ Scripturæ. 5.

Alter igitur propriè dictus accommodatus sensus est per *Allusionem*; cùm verba Divina præter, non autem contrà suam significationem accomodantur sensui nostro. Sic quod de Noe dictum est *Eccles. 44. Qui inventus est iustus*, &c. ab Ecclesiâ accommodatur Confessoribus: cujusmodi exempla satis frequentia videre est in SS. Patribus, & Concionatoribus. 6.

Sensus Litteralis subdividitur in Proprium, seu Simplicem, & Metaphoricum, seu Figuratum. Sic Christus non secundùm proprietatem, seu significationē propriam verborum, sed per translationem dicitur Agnus, Ovis, Leo, Petra, Lapis angularis, & cætera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. S. Augustinus *tract. 80. in Ioan. c. 15.* Hinc ortum videtur, quòd aliquando confundatur sensus per Metaphoram, & per similitudinem, seu parabolam, quod improbat Doctor etiam Angelicus *præf. a. 10. ad 3.* inquiens: Sensum parabolicum contineri sub Litterali figurato. 7.

In quo tamen notanda est differentia parabolarum: Nam in quibusdam res aliqua à parte rei existens explicatur per modum puræ similitudinis: ut cùm Matth. 13. dicitur *simile regnum Cœlorum fermento, thesauro abscondito, homini negotiatori, sagenæ missæ in mare.* In ejusmodi enim similitudinibus fermentum, thesaurus, negotiator, sagena litteraliter in propriâ significatione usurpantur, eisquè sub tali acceptione comparatur regnum Cœlorum. 8.

Aliæ igitur parabolæ sunt, in quibus narratur aliquid per modum historiæ, ac si re ipsâ contigisset, quæ tamen à parte rei non fuit, vel etiam non potuit esse, velut *Iudic. 9.* refertur *Ligna unxisse sibi Regem, dixisseque Olivæ, Impera nobis.* Et *Luc. 8. Exijsse hominem seminare.* Item *Luc. 16. Hominem quendam divitem fuisse, qui habebat villicum.* In quibus proinde historijs verba non accipiuntur propriè, sed sub vocibus *lignorum & arborum*, in primâ parabolâ per Metaphoram immediatè significantur homines. 9.

Vnde patet etiam discrimen istius Parabolici sensûs à Mystico: hic enim non significatur immediatè per voces, sed per res sub vocibus laten- 10.

tes,

tes, veluti *Ezech.2. & Apocalyp.5.* liber intus, & foris scriptus litteraliter, ac immediatè significat Veritatem visionis, quae veritas taliter significata mysticè designat sacram Scripturam cum sensu litterali, & spirituali.

11. Quò videtur collimâsse S. Thomas *cit a.10. ad 3.* asserens: in sensu figurato parabolico non significari immediatè figuram, sed rem figuratam, dum enim in Sacris litteris Deo attribuitur brachium, vi hujus vocis metaphoricè acceptae significatur *immediatè* potentia Dei operativa. Ergo sentit S. Doctor differentiam sensûs parabolici figurati, & Mystici in eo esse sitam, quòd in hoc res per Sacras litteras significata sit alterius Mysterij significativa: in illo autem voces tropicè acceptae sint rerum per similitudinem *immediatè* significativae.

12. Sensus Mysticus Sacrarum litterarum est triplex, Allegoricus, Anagogicus, & Moralis, seu Tropologicus. Allegoricus teste Alberto M. *in 1. dist.1. a.5.* aedificat fidem, quatenus sub figuris repraesentat Mysteria fidei. Sic lex Vetus est figura Novae legis; atquè adeo gesta Veteris legis *allegoricè* significant gerenda in novâ Lege. S. Thomas *cit. a. 10.* sic etiam Paulus *ad Galat 4.* ait: Duos Abrahae filios, unum de liberâ, & alterum de ancillâ, *per allegoriam* significare duo testamenta. Hinc ex ejectione Agar, & filij ejus è domo Abraham colligit Apostolus cessationem legalium.

13. Sensus Anagogicus erigit spem, quatenus bona futurae gloriae sub figuris repraesentando nos ad ea in Patriâ consequenda incitat. Sic illud *Psalm. 94. Quibus juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam,* quod litteraliter est de terrâ promissionis, Paulus *ad Hebr. 4.* explicat *anagogicè* de vitâ aeternâ. Et *c. 9.* per ingressum Sacerdotis in manufacta Sancta Sanctorum, *ait,* significatum esse à Spiritu sancto ingressum Christi in coelum.

14. Sensus Moralis, seu Tropologicus aperiendo etiam sub figuris Christi Domini actiones, & Passionem nos instruit in moribus ad ejus exemplum componendis, & vitandis malis, quibus gratia Christi deperditur, ira Dei concitatur. Hinc sensus moralis fovet Charitatem, quae est finis Legis, omniumquè moralium actionum. Sic Apostolus *1. Corinth. 10.* relatis ijs, quae cum Judaeis in deserto acta sunt, subdit. *Haec in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram.*

15. Hi porrò sensus Mystici omnes quandoquè in uno S. Scripturae loco inveniri possunt, veluti in uno opere Sanctuarij *allegoricè* Christus, & Ecclesia; *anagogicè* Tabernaculum coelestis gloriae significabatur. *Tropologicè* autem cultus Dei internus praefigurabatur per caeremonias externas. Imò plures etiam Litterales sensus quandoquè latere sub unâ Litterâ, seu sententiâ cum S. Augustino Doctor Angelicus *cit. a.10.* probat ex eo, quòd S. Scripturae author sit Deus, qui omnia suo intellectu comprehendens non arctatur ad unum suorum verborum sensum. Sic namquè illud *Psalm.2. Ego hodie genui te.* Paulus *Actor 13.* explicat de ejus resurrectione, quae *Matth.19.* dicitur regeneratio. At Augustinus *in expos. ejusd.* exponit tum de aeterna Christi generatione, tum de ejus Nativitate temporali, tum etiam de Incarnatione. Sic illud *Cant.4. Tota pulchra es, & macula non est in te,* explicatur tum de Ecclesia universâ, praesertim quà Triumphante, tum de Virgine Matre, quà immaculatè concepta; etsi dum Ecclesia, vel Romanus Pontifex hunc posteriorem sensum non aperit, definiendo, esse ut sic à Spiritu Sancto intentum, dubitare liceat, an sit *litteralis,* vel *accommodatus.*

Ex hac proinde Divinarum Scripturarũ immensâ profunditate, ac sensuum sub unâ litterâ latentium pluralitate excitamur ad thesauros hosce absconditos non tam nostris, quàm gratiae viribus eruendos, sobriè tamen, nè plus sapiamus, quàm oportet. Si enim Deus verborum suorum sensus reconditos non nisi temporis successu vult apertos, ita ut secundùm August. *lib.12. confess. c 32.* & Div. Thomam *2.2. q.173. a. 4. in fine,* nè Prophetae quidem omnia noverint, sed unam duntaxat sententiam fortassis intellexerint ex multis, quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis intendebat Spiritus Sanctus. 16.

Hinc inferre licet, omni tempore à Christo esse datos Ecclesiae scribas doctos, qui de Thesauro Divinarum litterarum juxta veteres à SS. Patribus reclusos sensus non ex se ipsis, sed per motionem divinae gratiae proferrent novos à Spiritu Sancto intentos, sed antehac absconditos. In quo tamen semper est tenenda cautela à Sacro Tridentino Concilio *sess. 4. §. Insuper* decreta, ne cuiquam contra sensum S. Matris Ecclesiae, vel unanimem Patrum consensum liceat Sacras Scripturas interpretari. 17.

Conclusio I.

Sensus Litteralis proprius firmum praebet argumentum Theologicum. Ex S. Tho. *cit. a. 10. ad 1.*

Probatur. Tũ quia *sensus Litteralis proprius* Mystico & metaphorico faciliùs penetratur, vel certè Ecclesiae, seu Patrum interpretatione est apertus. Tum quia, si quem lateat, ad eum eruendum expeditior est via ex proprietate verborum, vel antecedentium cum consequentibus collatione. 18.

Nam in proprio sensu accipienda sunt Scripturae Verba, quoties ex horum proprietate non redditur sensus absurdus, *veluti docent* Basilius *homil. 9. in Hexam.* August. *de Genesi ad litteram, lib.8. c.1. ac 7. & alibi.* Insuper pro vero *sensu litterali* habendus est, quoties nullum invenitur verbum cum antecedentibus & consequentibus contextum, quod illi intelligentiae adversatur, cùm tamen in *allegoriâ* non oporteat omnia convenire. August. *16. de Civit. c.2.* Juxta quam adeò duplicem regulam ex verbis propriè acceptis faciliùs eruitur genuinus Sacrae Scripturae sensus, ex quo desumi possit firmum Theologicum argumentum. 19.

Conclusio II.

Sensus Litteralis Metaphoricus, seu parabolicus quandoquè praebet certũ Theologicum argumentum, etsi minùs expeditè, quàm proprius.

Probatur *ex S. Doctore. a.9.* Nam Deus etiam in ijs, quae sunt ad finem supernaturalem tum Angelis, tum hominibus providet secundùm proportionem, & conditionem suae naturae. At 20.

locutio Metaphorica, seu Tropica, per quam sub similitudine corporalium traduntur spiritualia, & Divina, maximè congruit humanæ naturæ; huic enim est connaturale per sensibilia devenire ad intelligibilia, ut proinde D. Dionysius *cælest. Hierarch. c.1.* dixerit; *impossibile, quòd Divinus radius aliter nobis luceat, nisi varietate sacrorum velaminum circumdatus.*

21. Neque verò ex ejusmodi similitudinum velamine ita occultatur Divinæ revelationis radius, quin ad cognitionem intelligibilium inde elevetur mens, ac de veritate Divinæ revelationis non illi duntaxat, quibus hæc facta est, sed alij etiam instruantur. D. Dionys. *cælest. Hierarch. c. 2.* Cùm proinde *parabolicus* etiam, seu *Metaphoricus* Divinæ scripturæ sensus sit à Spiritu Sancto intentus, & quandoquè pateat vel ex aliorum sacrorum textuum collatione, uti habet *S. Thom. cit. a.9. ad 2.* vel ex ipso contextu; non enim difficiliùs, quàm ex proprietate verborum eruitur verus & legitimus sensus, quando Christus dicitur Petra, Agnus, vel Leo de tribu Judâ, sive quando Divinæ scientiæ, ac Providentiæ perspicacitas significatur sub voce oculorum. Idcirco ex tali *Tropicâ* sacrarum litterarum locutione æquè ac ex sensu *litterali Proprio* eruitur firmum Theologicum argumentum.

22. Nihilominùs quia *sensus parabolici* plerumquè sunt ita reconditi, ut etiam Apostoli, quibus datum erat, nôsse Mysteria Regni cælorum *Matth.13.* dicerent Christo: *Domine edissere nobis parabolam.* Unde etiam S. Hieronymus *in c.13. Matth.* referens quorundam per tria sata farinæ SS.mam Trinitatem intelligentium sententiam ait: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia enigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere.* Idcirco *Metaphoricus*, seu *parabolicus* sacrorum verborum sensus, nisi clarè constet vel ex Ecclesiæ consensu, aut definitione, vel alio sacro textu, vel contextu, aut aliquo intertexto verbo, vix unquam conferre poterit ad firmum argumentum Theologicum.

Conclusio III.

Sensus Mysticus, si constet esse intentum à Spiritu Sancto, præbet firmum argumentum Theologicum, quia tamen ex infallibili authoritate est ut plurimùm incognitus, rariùs potest argumentationi Demonstrativæ Theologicæ idoneus esse. Ex S. Thom. *cit. a. 9. ad 2. & art. 10. ad 1.* Banne *præf. a. 10. dub. ult.*

23. Probatur: Nam *Apocal. 5.* Scriptura sacra dicitur liber signatus sigillis septem, quem nemo poterat neque in cœlo, neque in terrâ, neque subtus terram legere, aut respicere, præter Leonem de tribu Juda, (cujus est mittere Spiritum veritatis in Ecclesiam, ejusquè Caput, vel membra præcipua, Doctores à se datos sacræ Scripturæ interpretes) qui signacula solvit, non Psalmorum duntaxat, *ut aliqui putant*, sed omnium Sacrorum Librorum uno Spiritu sancto dictante scriptorum, uti tradit S. Hieron. in Isai. *c.29.* Ex quo patet, Sacræ Scripturæ sensus præsertim interiores ac Mysticos, vel etiam locutiones Propheticas sub varijs figuris abstrusas non ita pervias esse, quin Deus Danieli *c.12.* præceperit: *Tu autem Daniel claude Sermones, & signa librum usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*, id est interpretatio, uti exponit Cornelius de Lapide *in cit. c.12. v.4.*

In tantâ igitur varietate interpretationis *sensuum Mysticorum*, ac *Propheticorum* non potest esse firmitas, ac certitudo alicujus Theologici argumenti, nisi aliunde aperiatur veritas sensûs à Spiritu Sancto intenti; quod fieri potest. 1. Si pateat ex alijs sacris locis, uti ex *Rom. 9.* habetur, *Iacob, & Esau esse figuram populi Gentilis, atque Iudaici*, ut proinde ex verbis *Malach. 1. Iacob dilexi, & Esau odio habui*: rectè colligatur reprobatio Synagogæ, & vocatio, atque electio Gentilium. 2. Si communi Patrum consensu sit receptus Mysticus sacræ cujusdam sententiæ sensus, uti constat, quòd Synagoga fuerit typus Ecclesiæ, & Salomon Christi. 24.

Conclusio. IV.

Sensus per accomodationem non conducit ad Theologicos saltem scientificos discursus. *Et communi Theologorum Sententia.*

Probatur & explicatur. Etsi namquè ex sacrarum historiarum accommodatione ad mores hominum, argumento ab exemplo, pari, vel minori ad majus ritè redarguantur nostra vitia, & laudentur virtutes; quæ etiam argumentationes, utpote Divinâ revelatione saltem probabiliter nixæ pertinent ad Theologiam sive scientificam, sive saltem opinativam. Nihilominùs ista historiarum accommodatio potiùs est effectus *sensûs Litteralis S. Scripturæ*, quàm sit *strictè loquendo sensus accommodatitius.* Hic namquè consistit in applicatione verborum, & sententiarum Divinæ Scripturæ ad usus nec immediatè intentos à Spiritu Sancto, nec per consequentiam legitimam deductos ex Divinis revelationibus. Unde talis *sensus* est *extrinsecus* & *accidentarius* verbi Dei ab Ecclesiâ quandoquè usurpatus, & toleratus in rebus sacris, & religiosis, sed prohibitus in vanis & scurrilibus. *ex Conc. Trid. Sess. 4. circa finem.* Quocirca *sensus* rectè *accommodus* sicuti humano duntaxat nititur judicio, verbis sacris *materialiter tantùm & accidentariò* concurrentibus, sic nullum etiam præbet probabile argumentum Theologicum utpote quod saltem probabiliter reduci debeat in Lumen Divinum supernaturale. 25. 26.

QVÆ-

QVAESTIO SECVNDA DE EXISTENTIA, ESSENTIA, NATVRA, ATTRIBVTIS, ET NOMINIBUS DEI.

Hac quæstione præter alias graviores difficultates expedientur, quæ Divus Thomas exposuit *q. 2. 13. & 18.*

ARTICULUS I.

De Existentia Dei.

1. Pater Alphonsus Stadlmayr Almæ Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis Rector Magnificus *Disp. Theolog. de Deo c. 1. in init. ex Psalm. 52. v. 1. Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, infert: Ergò sapientis esse dicere: *Deus est.* Verùm quomodo id sapienti notum sit, esse difficultatem, eò quòd alia propositio *per se* sit nota *secundùm se præcisè*, alia etiam *quoad nos.*

2. Etenim propositio *per se nota* dicitur omnis illa, cujus prædicatum est immediatè de ratione subjecti, ita ut terminis quidditativè apprehensis necessariò trahat ad assensum, nec adeò indigeat *per se* medio, ex quo innotescat. At fieri potest, quòd subjectum propositionis *secundùm se*, seu *naturam suam* necessariò, ac immediatè sibi vendicet prædicatum, utpote in suâ ratione formali, & quidditativa inclusum: Unde talis objectiva propositio dicetur *per se nota secundùm se.* Quæ nihilominus, quatenus ejus termini sub ratione formali inclusionis prædicati in subjecto non sunt à nobis *quidditativè* cogniti, nec adeò intellectum nostrum necessariò pertrahunt ad assentiendum, non erit nota *quoad nos.* Si proinde probaverimus, propositionem *Deus est*, esse notam *secundùm se* præcisè, non *quoad nos*, restabit demonstrare, quibus medijs Sapienti innotescat Dei existentia.

CONTROVERSIA I.

An, & Quomodo sit per se notum Deum esse?

Prima Sententia Divi Bonaventuræ *in 1. dist. 8. a. 1. q. 2.* Abulensis in *c. 5. Exod.* & aliorum allegato etiam Alberto Mag. *tract. 4. sum. mem. 2. asserit.* Propositionem *Deus est* esse *per se* notam non
3. tantùm *secundùm se*, sed etiam *quoad nos.* Probatur: Si propositio *Deus est* non ex se ipsâ est nobis nota, id provenit vel ex defectu intellectûs nostri, vel ex improportione objecti, & defectu intelligibilis. At neutrum dici potest. Minor probatur quoad priorem partem. Etsi enim intellectus noster in statu viæ circa Deum deficiat *quoad Quid*, non tamen *quoad An est.* Hinc Patres nominatim Nazianzenus, Hieronymus, Eusebius, Theophylactus, & Damascenus *Lib. 1. de fide Orthod. c. 1.* & alij passim affirmant. Cognitionem de existentiâ Dei omnibus naturaliter esse insertam. Vnde Hugo de S. Victore *lib. 1. de Sacr. p. 3. c. 1.* ait: Deus ab initio sic cognitioné suam in homine temperavit, ut sicut nunquam, *quid esset* poterat ab homine comprehendi, ita nunquá *quia esset* poterat ignorari. Cùm proinde intellectus noster nunquam deficiat in cognitione Dei *An est*, ideo non potest ignorare *Deum esse*, nec cogitare, *non esse.* In quem sensum Divus Anselmus *in prosol. c. 4.* ait: Insipiens, cùm dixit *Non est Deus*, non cogitavit rem ipsam nomine significatam, sed vocis tantummodò conceptum habuit. At id, cujus oppositum cogitari nequit, ita ut involvat repugnantiam ex ipsâ terminorum significatione est *per se* notum etiam *quoad nos.*

Minor probatur quoad partem posteriorem. 4.
Deus in se ac respectu intellectûs nostri est id, quo majus esse, & cogitari nequit. At cogitari non esse id ipsum, quo majus cogitari nequit, non est id, quo majus cogitari nequit. S. Anselm. *in Monol. c. 13.* Vnde cogitare Deum *non esse* involvit apertam contradictionem. At id, cujus oppositum involvit evidentem contradictionem, est evidenter verum. Ergò Divini esse Veritas est in se evidens. Ergo in ratione intelligibilis ex se evidentis ita proportionatur intellectui, ut istum necessariò trahat ad sui assensum. Ergò propositio *Deus est* per se nota est non tantum *quoad se*, sed etiam *quoad nos.*

Secunda opinio Scoti *in 1. dist. 2. q. 2. n. 4. & 5.* 5.
tenet propositionem *Deus*, vel *Hæc Essentia est*, esse *per se* notam; secùs esse, de propositione, in qua *existere* prædicatur de aliquo conceptu, quem pro hoc statu habemus de Deo. Probatur de priori propositione. Nam propositio per se nota secundùm Subtilem Doctorem *cit. q. 2 n. 3.* dicitur, quæ, quantum est de naturâ terminorum, nata est ha-

 bere

bere evidentem veritatem in terminis contentam, etiam in quocunquè intellectu concipiente terminos. Vnde nulla est distinctio propositionis per se notæ *secundùm se, & quoad nos*; sed quæcunquè est *in se*, & per se nota, cuicumquè intellectui est *per se* nota. At propositio *Deus*, vel *Hæc Essentia Divina est*, est propositio *per se primo modo*, & *immediata*, atquè adeo ex terminis habet evidentem veritatem. Ergò simpliciter respectu cujuscumquè intellectûs terminos apprehendentis est *per se* nota, & *immediatissima*, ad quam resolvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo qualitercumquè concepto.

6. Probatur de posteriori propositione. Propositio *per se* nota nec debet esse demonstrabilis *propter quid*, nec debet ejus certitudo præcisè constare per fidem vel demonstrationem. At utrumquè evenit in propositione *Deus*, seu *Ens infinitum existit*. Ergò non est *per se* nota. Minor probatur 1. Omne prædicatum subjecti per hujus essentiam est demonstrabile propter quid. Ergò existentia per Essentiam Divinam de quolibet Dei conceptu in hoc statu potest demonstrari demonstratione *propter Quid*.

7. 2. Si propositio *Ens infinitum est*, per se nota est, Ergò debet cuilibet intellectui ex terminis cognitis esse evidens. At priùs concipimus terminos illius propositionis, quàm credamus, vel per demonstrationem sciamus. In hoc autem priori ex terminis conceptis non est nobis nota, seu evidens propositio, quippe eam non teneamus certitudinaliter, nisi per fidem, aut demonstrationem terminorum cognitione posteriorem. Ergò illa propositio non est per se nota.

8. Tertia sententia S. Thomæ *1. p. q. 2. art. 1. & 1. contra gentes. c. 11. de Verit. q. 10. a. 12.* docet, *Deum esse* per se notum esse *quoad se*, non *quoad nos*. Huic sententiæ subscribunt non Thomistæ duntaxat, sed plerique alij Theologi.

Conclusio.

PRopositio *Deus est* per se nota est *secundùm se*, non, *quoad nos*.

9. Probatur: Ex hoc aliqua propositio est *per se* nota, quòd ejus prædicatum sit de ratione & quidditate subjecti. At *esse* vel *existere* est de Essentiâ Dei. Hinc enim Deus *Exod. 3.* vendicavit sibi nomen *Qui est*. Nihilominus istud nomen Dei Essentiale, & quidditativum non erat notum Abrahæ, ac Isaac, & Jacob. *juxta illud Exod. 6. Nomen meum* (Tetragramaton nimirū significans ipsum Esse Dei subsistens) *non indicavi eis*. Ergo hi Patriarchæ concepto nomine *Deus* non cognoscebant immediatam, & Essentialem connexionem existentiæ actualis cum Deo. Est igitur propositio *Deus est* per se nota *secundùm se*, quatenùs in eâ prædicati cum subjecto est imediata, & quidditativa connexio, sed quia ista essentialis connexio præcisè ex terminorum conceptione abstrahendo à Fide non est nobis evidens, idcirco non est *per se* nota *quoad nos*.

Responsio ad fundamenta Adversariorum.

10. AD argumentum *n. 3.* oppositum ejusquè priorem probationem. Respondetur. Ex defectu luminis nostri intellectualis, & consequenter improportione intellectûs, & intelligibilis sequi, quòd propositio *Deus est* non sit nobis per se nota. Intellectus enim humanus secundùm lumen naturale deficit non tantùm *quoad quidditativam* sed etiam *quoad immediatam* Dei cognitionem *An sit*.

Hinc Patres affirmantes cognitionem de Existentiâ Dei naturaliter nobis insertam esse, non sunt intelligendi de formali, & immediatâ, sed radicali Dei cognitione, quatenùs naturâ nobis indita est vis ex nobis ipsis tanquam imagine, & creaturis ceu vestigijs Dei per discursum intelligendi Existentiam Dei, juxta illud *ad Rom. 1. Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Ex quo fit, non posse dari ignorantiam Dei invincibilem; nam licèt lumen nostrum intellectuale non sit ab intrinseco determinatum ad Dei immediatam cognitionem, habet tamen à naturâ sibi inditam virtutem quasi seminalem mediante discursu intelligendi Dei existentiam ex creaturis, velut innuit *Iob. 36. Vnusquisquè intuetur eum procul*. 11.

Hoc nihilominùs intellectuale lumen respectu esse Divini non est adeò firmum, quin passionibus & errore instar oculi stantis in fumo affectum trahi possit ad negandam Dei existentiam, uti tradit Albertus M. *memb. 2. immeritò allegatus ex opposito*. Sic enim non voce tantùm, sed in corde seu mente suâ dixit insipiens: *Non esse Deum* In quò proinde essato subtiliter advertit S. Anselmus, insipientem non cogitasse rem ipsam, sed vocis duntaxat Conceptum. Nam licèt per simplicem apprehensionem termini, seu vocis *Deus* insipiens conceperit Deum, per secundam tamen mentis Operationem negando, *Deum esse*; ut sic formaliter, non tam rem ipsam, seu Dei substantiam enuntiavit, quàm non esse Dei Chymericum in se ipso involvens contradictionem. Ergò potest intellectus humanus cogitare *Deum non esse*: in quo conceptu involvitur quidem contradictio, hæc tamen non est evidens ex terminorum apprehensione. Ergò etiam propositio opposita *Deus est*, non est ex terminis per se nota nobis. 12. 13.

Ad posteriorem primæ sententiæ *n. 4.* propositam probationem. Respondetur. Negando Majorem, quòd scilicet per primam mentis operationem seu simplicem apprehensionem sub voce *Deus* formaliter & explicitè cogitetur id, quo majus, & melius esse, & cogitari nequit. Nam istud objectum est complexum. Ergò non respondet primæ simplicis apprehensionis confuso conceptui circa Deum. 14.

Vnde ad Minorem dici debet, verum esse, quòd non tantùm in re, seu objecto, sed etiam respectu intellectûs nostri evidens involvatur contradictio, si id, quo majus esse non potest formaliter ut sic, sub explicitâ istâ ratione cogitetur *non Esse*. Ex quo consequens est, intellectum, cui omnis contradictio explicita apparet evidenter falsa non posse per judicium enuntiare, *non Esse*, quod explicitè cogitat, *esse id, quo melius esse non possit*. In quo sensu Albertus Magnus *præf. tract. 3. sum. q. 17.* ait *Deum esse*, ex habitudine terminorum esse per se notum quoad sapientes, utpote quibus notum sit, quid *Deus* significat, & quid *esse*, & quòd Deus, secundùm quod Deus est, principium & fons *est Esse*. At insipientes, qui se convertendo ad cor proprium malitiâ errorum, & concupiscentiarum 15.

rum excæcatum cogitant Deum non sub formali, seu propriâ ratione Esse Divini, possunt enuntiare *Deum non esse*. Ergò illis tantùm est evidens,& per se nota propositio *Deus est*, qui Deum cogitant in propria naturâ, seu sub ratione aliquâ explicitâ Esse Divini, uti infert Albertus Magnus *cit. tr. 4. memb. 2. in corp.*

16. Atqui ratio ejusmodi explicita Esse *Divini sub formalitate entis necessarij à se, vel quo melius esse non potest* ex simplici, & primâ apprehensione significati *vocis Deus* non patet intellectui, ut evidenter vera, in actu præsertim exercito, uti subtili discursu innuit Pater Stadlmayr *cit. c. 1. de Deo. §. 1. n. 5. ad 2.* Ergò propositio *Deus est*, sumpto *ly est* non tantùm *signatè*, sed *exercitè* ex terminorum apprehensione non est evidens respectu intellectûs humani. Ergo non est per se nota *quoad nos*.

17. Ad Scoti *n. 5. & 6.* oppositum Respondetur: Subtilem Doctorem pugnare contra se ipsum. Nam *ead. q. n. 3.* supponit, ut propositio per se nota habeat veritatem evidentem, debere quidditatem terminorum non tantùm confusè, sed distinctè cognosci. At *Hæc Essentia* vel *Quidditas* Dei saltem antecedenter ad fidem, vel demonstrationem non est distinctè cognita ab intellectu viatoris, velut idem *n. 8. arg. 2.* arguit. Ergò propositio *Deus*, vel *Hæc Essentia est*, respectu intellectûs viatoris secundùm lumen saltem naturale nõ est per se nota, velut innuit dicto. *n. 5.* Ergò vel simpliciter est negandum, quòd illa propositio sit per se nota, quod adversatur ejus doctrinæ *cit. n. 4.* vel datur propositio per se nota, quæ respectu alicujus intellectûs non est ex terminis evidenter nota, quod repugnat eidem *n. 4.* asserenti: propositionem per se notam esse natam, habere veritatem in terminis contentam etiam in quocunque intellectu concipiente terminos. Ne ergò his Scotisticis implicantijs involvamur, Angelicæ Divi Thomæ doctrinæ insistendo est dicendum, propositionem *Deus est*, vel *Ens infinitum existit*, esse per se notam *secundùm se*, non tamen *quoad nos*.

18. Dicet Scotista, propositionem *Deus*, vel *Hæc essentia est*, esse per se notam, quia quantum est ex naturâ terminorum, nota est habere evidentem veritatem in quocumque intellectu terminos non tantùm *confusè*, sed *distinctè* secundùm quidditatem concipiente. At licèt intellectus Viatoris in hoc statu non cognoscat Deum secundùm *Hanc Essentiam*, seu *quidditatem*, illam tamen propositionem, cùm sit primo modo per se, & immediata, ex natura terminorum natam esse parere immediatissimam, & ex se evidentem veritatem in intellectu quolibet, etiam humano, quando elevatur ad quidditativam *Hujus Essentiæ*, seu *Dei cognitionem*.

19. Secus esse in propositione, in quâ *Esse* enuntiatur de Ente infinito, vel alio etiam proprio conceptu, quem habemus de Deo: nam de quolibet conceptu Dei in hoc statu Existentia est demonstrabilis propter quid per Essentiam Divinam. Ergò existentia Divina non primo modo per se, & immediatè est prædicabilis de conceptu, quem habemus in hoc statu circa Deum. Ergò propositio, *Ens infinitum*, *Ens necessariò*, vel *Summum Bonum est*, non est *per se* nota.

20. Respondetur: quòd in hoc etiam statu nos concipiamus Deum sub ratione *Qui est*, *Exod. 3.* At hæc ratio sub ænigmatico fidei velamine non est quidem evidenter nota intellectui, est tamen ipsa Quidditas, vel *Hæc Essentia* Dei lumine gloriæ evidenter noscibilis. Unde sub enuntiatione *Qui est* Esse, vel existere *per se primo modo*, ac *immediatè* prædicatur de conceptu Dei per obscurum fidei lumen manifestato. At secundùm Scotum ad propositionem *per se* notam non requiritur, ut respectu intellectûs nostri pro hoc statu habeat evidentem veritatem ex terminorum confusâ conceptione, sed ut in terminis secundùm quidditatem strictè cognitis sit nata habere evidentem veritatem. Ergò de conceptu aliquo, quem in hoc statu per fidem habemus de Deo, potest formari propositio, quæ sit per se nota: at non *quoad nos* secundùm statum viæ consideratos, *uti probat argumentum 2. Scoti cit. n. 5.* Ergò *secundùm se*, & in ordine ad intellectum nostrum quà elevabilem lumine gloriæ. Ergò propositio *Hæc Essentia*, seu *Deus est* per se nota est secundùm se, & respectu intellectûs Dei & Beatorum, non verò *secundùm nos*.

Idem proinde asserendum de propositionibus; *Ens infinitum est*, *Ens necessarium existit*, *Summum Bonum est*. Nam ista prædicata à *parte rei formaliter* sunt ipsa essentia & existentia Divina, à quâ non nisi ratione ratiocinatâ distinguuntur, *ut infra probabitur*. Ergò à parte rei, & respectu intellectûs lumine gloriæ elevati sunt *in primo modo dicendi per se*, ac *immediata*, æquè respectu nostri tantùm intellectûs in hoc statu per causam non in essendo, sed cognoscendo sunt à priori demonstrabiles. Quæ nihilominùs propositiones non sunt in hoc statu *per se nobis* notæ, uti rectè probat Scotus *cit. n. 5. arg. 2.* Ergò non evadit Scotus, quin efficaciter contra ipsum probetur, dari propositiones *per se* notas *secundùm se*, non tamen *quoad nos* secundùm præsentem viæ statum. 21.

CONTROVERSIA II.

An Deum esse, naturali lumine demonstrari possit.

Ex præcedenti controversiâ patet, cùm propositio *Deus est*, sit in primo modo per se, & immediata, non habere causam tum in essendo, tum etiam in cognoscendo, adeoquè non tantùm *secundùm se*, sed etiam *secundùm nos* esse à priori indemonstrabilem. Controversia igitur præsens solùm procedit de Demonstratione à posteriori. 1.

Major, Bassolis, & alij apud Franc. de Lugo *lib. 1. de Deo. disp. 14. c. 1. n. 5.* negant, Dei existentiam posse demonstrari, sed sola fide teneri. Verùm Divus Thomas *q. 10 de Verit. art. 12.* istam opinionem dicit *manifestè falsam*. Et *1. contra gentes. c. 12.* Errorem appellat. 2.

Conclusio.

Non absquè errore in Doctrinâ fidei negatur, quòd discursu naturali possit demonstrari, *Deum esse*. Suarez. *1. p. lib. 1. c. 1. n. 13.* Ysambertus. *præf. q. 2. a. 3.*

Probatur argumento P. Stadlmayr *cit. c. 1. n. 7.* Nam ita *Cœli enarrant gloriam Dei*, *Psal. 18.* ita aspectabili voce, quam nemo non intelligat; omnes creatu- 3.

creaturæ velut Dei effectus clamant, *ipse fecit nos, & non ipsi nos*, ut rectè concludatur. *Sap. 13. Quòd à magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Quo sensu etiam Apostolus *ad Rom. 1.* ait: *Invisibilia Dei à creaturâ mundi* (homine scilicet) *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici.*

4. Dices ex Francisco de Lugo *cit. disp. 14. c. 2. n. 20.* Verbum *videre* aliquando in sacris litteris sumi pro cognitione tantùm conjecturali, *Gen. 3. Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum.* Nequè majorem vim esse in verbo *conspicere*, & aliàs non constare ex communi Patrum consensu, vel definitione Ecclesiæ, vel traditionibus, vel alijs sacris textibus, quòd ly *cognoscibiliter videri, vel conspici* à Paulo & Sapiente *locis cit.* necessariò intelligi debeant pro cognitione Physicè, aut Metaphysicè certâ & evidente. Quare ex adductis verbi Divini testimonijs necdum evinci tanquam ex fidei doctrinâ certum; quòd Existentia Dei per discursum naturalem Demonstrativè ac Scientificè cognoscatur ex creaturis, sed illos sacros textus exponi posse de notitiâ Dei ex creaturis moraliter certâ, & judicio probabilissimo, ita ut dicatur inexcusabilis, & insipiens homo, non operans juxta tale dictamen.

5. Contra: Tum quia huic expositioni refragatur verborum proprietas, cui non æquè, *ac in allegato textu Genesis* obstat, sed potiùs juvat materia. Tum quia textus superiùs adducti tantâ cum emphasi etiam geminatis verbis, claram cognitionem significantibus taliter explicant Dei ex creaturis notitiam, ita ut asserant, *hoc esse notum Dei, & manifestum in illis*, scilicet Philosophis: *Deum enim illis manifestasse. ad Rom. 1.* At *notum Dei est*, ait Anselmus ibi, *quod naturali ingenio sciri potest de Deo.* Est autem scientia naturalis cognitio certa, & evidens. Ergò verba Apostoli arguunt cognitionem certam & evidentem Dei ex creaturis. Hinc enim ait: *Invisibilia Dei intellecta conspici.* Ubi Hieronymus, *Tam evidenter*, inquit, *intellecta sunt, ut conspici dicantur.* Idem tradunt Beda, & Chrysostomus *ibi. Item homil. 9. & 10. ad pop.* Augustinus *tract. 2. in Ioan.* Dionys. *de Divin. nom. c. 7.* Greg. *lib. 29. moral. c. 2.* Justin. *ad quæst. 6. gent.* Athanas. *orat. contra Idola.* Cyprianus *de idolorum vanitate.* Damascen. *lib. 1. de fide c. 1. & 2.* eliciturquè ex emphaticâ illâ locutione Sapientis, quòd *Deus possit cognoscibiliter videri à magnitudine speciei, & creaturæ.* Constat igitur, tum ex proprietate, & Emphaticâ SS. verborum ingeminatione, tum ex Patrum communi expositione non sine periculo erroris in fide, imò non absquè formali errore, uti S. Thom. *loc. cit. cont. gentes ait*, negari, quòd lumine naturali sit demonstrabile, *Deum esse.*

6. Replicabis: Si ergo ex naturali lumine demonstratur, *Deum existere*, consequens est, non dari de hoc actum fidei: impossibile enim est, idem respectu ejusdem subjecti, & instantis esse scitum, & creditum. Ex S. Tho. *2. 2. q. 1. art. 5.* Atque accedentem ad Deum oportet credere, *quia est. ad Heb. 11.* Quibus verbis exponi fidem quà dispositionem necessariam ad justificationem tradit Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustific. c. 6.* Unde fit consequens, non posse quemquam justificari sine fide explicitâ, quòd *Deus sit.* At hæc fides actualis non potest stare in Philosopho pro illo saltem instanti, in quo habet de existentia Dei demonstrationem, seu discursum naturaliter evidentem, uti *supra* ex Doctore Angelico *diximus.* Ergò Philosophus pro hoc instanti non potest justificari: Hoc autem absurdum est, Ergò & id, ex quo sequitur.

Contra: Nam fides aliter attingit res creditas tanquam *objectum suum materiale*, aliter verò comparatur ad rationem motivam credendi, ceu *objectum suum formale.* Atqui existentiam Dei se habere ex parte *motivi formalis* fidei, evincitur ex allegatis verbis Apostoli, junctâ expositione Concilij Tridentini *loc. cit.* ubi ait, *Oportere credere, Quia Deus est, & quòd remunerator sit.* At tò *Quia*, non verò ly *Quòd* nudè sumptum est particula causalis. Ergò illis verbis innuitur, existentiam Dei respectu actûs fidei exercere aliquam causalitatem, adeoquè non esse instar alterius articuli objectum, duntaxat *terminativum*, sed *motivum*. 7.

At suppositâ licèt in alicujus intellectu cognitione naturaliter evidente, *Quòd Deus sit summè verax*, potest tamen ex revelatione Dei obscurâ circa propositionem inevidentem elici actus fidei *propter summæ veracitatis Divinæ reverentiam.* Ergò *motivum formale* fidei inadæquatum junctum cum obscurâ Dei revelatione, potest esse naturali lumine notum. Ergò à pari Existentia naturali lumine demonstrata, etsi pro instanti hujus cognitionis evidentis non possit esse credita, potest tamen attingi ab actu fidei ex *parte motivi formalis.* 8.

Hoc autem sufficere ad justificationem constat *ex dicto. c. 6. Sacri Tridentini Concilij in initio*; exigentis ad justificationem, non tam ut res credita sit existentia Dei, quàm ut credamus, esse vera, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt. In hoc autem Existentia Divina sive *formaliter*, sivè *præsuppositivè* importatur non *ex parte rei creditæ*, sed *ex parte Motivi.* Cùm igitur scientia evidens de Existentiâ Dei solùm impediat, hanc pro tunc à fide attingi *in ratione rei creditæ*, non verò *in ratione motivæ credendi*, consequenter demonstratio naturalis *quòd Deus sit* in nullo instanti impedit fidem necessariam pro justificatione. 9.

CONTROVERSIA III.

Quibus medijs vi luminis naturalis demonstretur Deum esse?

Videtur primo aspectu controversia ipsa non tam spectare ad supernaturalem Theologiam, quàm naturalem, seu Philosophiam. Nihilominùs ejus discussionem jure sibi vendicare fidem, ac scientiam Theologicam, inde deducitur; tum quòd scientiæ, seu doctrinæ sacræ sit judicare de principijs aliarum scientiarũ. S. Tho. *præc. q. 1. a. 6. ad 2.* tum quòd fides præsupponat cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & perfectio perfectibile, *S. Doctor. præs. q. 2. a. 2. ad 2.* Sub quâ proinde formalitate demonstrationes, quibus lumine naturali probatur, *Deum esse*, ad Theologiæ Tribunal cum *Doctore Angelico* reducimus. 1.

Refe-

Referuntur Argumenta Doctorum.

2. IN hâc igitur materia S.Thomas *præf. art. 3.* ad demonstrandam Dei Existentiam quinque aperit vias. 1. Motûs. 2. Causalitatis. 3. ex comparatione entis possibilis contingentis ad Ens necessarium. 4. ex comparatione graduum Entis. 5. ex gubernatione, seu ordinatione rerum in finem.

3. Subtilis Doctor *cit. q. 2. n. 11.* triplici modo demonstrat *Deum esse*, ex primitate nimirum Efficientiæ, Causalitatis finalis, & Eminentiæ.

CONCLUSIO I.

TRes priores Angelici Doctoris viæ reducuntur in unam Causalitatis Efficientis rationem, vi cujus evidenter demonstratur, *Deum esse*.

4. Probatur. Ens primum immobile movens omne mobile, Necessarium à se, improductum, omnis entis à se distincti Causativum est Deus. At ens ejusmodi existere demonstratur per vias Motûs, Efficientiæ, & Comparationis entium possibilium ad Ens necessarium. Major, nisi ludatur in voce, est evidenter nota ex terminis.

5. Minor probatur 1. per viam *Motûs*. Movere est aliquid de potentiâ educere in actum. Ergo nihil movetur nisi quatenùs est in potentiâ ad actum, ad quem movetur. At impossibile est, aliquid de potentiâ in actum reduci, nisi per Ens in actu; Ergò mobile ita debet esse in potentia, ut tamen movens sit in actu. At non est possibile, idem secundùm idem esse simul in potentiâ, & actu. Ergò impossibile est idem eodem modo esse movens, & motum. Hinc ortum est axioma Philosophicum ex Arist. *12. Metaph. à tex. 27.* desumptum: *Omne quod movetur, ab alio movetur.*

6. Hoc igitur, à quo alia moventur, vel est primum: vel si non detur primum movens, procedendum erit in infinitum. Si asseratur hoc posterius, tunc ista Moventia mobilia infinita, vel faciunt circulum, ita ut ad se invicem comparentur quà moventia, & mobilia, atque tunc secundùm idem sunt in actu, & potentiâ: vel in aliquo motore est status, ita ut omnia mobilia comparentur ad illud tanquam primum movens, quod non sit motum, & tunc datur ens immotum movens omnia mobilia. At in tantum ens Immobile est Movens, in quantum est in actu. Ergò Ens Immobile movens omne mobile, est simpliciter in actu, atq; adeò subsistens independenter ab omni alio. Ergò est ens à se. At hoc est Deus. Ergò vel existit Deus, vel impossibile est, dari motum. At prius repugnat evidentiæ sensuum. Ergò ex evidentiâ motûs ostenditur, *Deum esse*.

7. Probatur secundò *ex comparatione Entium possibilium ad Ens Necessarium.* Nam Ens necessariò existens est Deus: atqui dari Ens necessariò existens, ex hoc evincitur, quòd alioquin omnia Entia essent contingentia. Hoc autem admisso, possibilis esset status, in quo nullum Ens existeret. At in isto statu nullum esset ens producibile: nullum enim ens produci potest, nisi ab ente in actu. Ergò si non datur Ens actu necessariò existens, cogitari potest status, in quo universa Entia sint absolutè, ac simpliciter improducibilia. At implicat Entia possibilia esse simpliciter improducibilia. Ergò vel non dantur Entia possibilia contingentia, vel datur unum Ens necessariò existens. At prius repugnat evidentiæ generationis, & corruptionis rerum sublunarium. Ergò naturaliter evidens est, dari Ens actu necessariò existens. Hoc autem est Deus. Ergò ex comparatione Entium possibilium ad Ens necessariò existens evidenter demonstratur, *Deum esse*.

8. Probatur tertiò *ex viâ causalitatis Efficientis.* Datur Effectivum simpliciter primum, quod neque sit effectibile, nec effectivum in virtute alterius. At hoc vocamus Deum; Major ex eo convincitur, quòd nisi daretur Effectivum simpliciter primum, esset processus in infinitum quoad causas efficientes. At hæc infinitas est impossibilis in via causalitatis, uti probat Aristoteles *8. Physic. text. 34.* Ergo datur Effectivum simpliciter Primum, *quod sit Deus.*

9. Dices: Esse possibile, quòd mundus esset ab æterno. In hoc autem statu quoad generationes fore in via causalitatis Efficientis processum in infinitum. Ergò ex impossibilitate infinitatis in viâ Causalitatis non demonstrari Existentiam primi Effectivi.

10. Contra: Aliæ causæ sunt inter se subordinatæ *per se*, aliæ *per accidens*. At objectionis argumentum solùm probat, quòd in Causis *per accidens* subordinatis sit possibilis infinitas, non autem in Causis *per se* subordinatis. Minor probatur. Nam causæ *per accidens* subordinatæ dicuntur, quarum una dependet ab alterâ in fieri, non in operari. Hujusmodi autem causæ *per accidens* subordinatæ sunt corpora mundi sublunaris quà generativa. In his autem abiretur in infinitum, si mundus fuisset ab æterno. At in causis *per accidens* subordinatis, quarum simultas non est necessaria in causando, non repugnat processus in infinitum. Secùs est in causis *per se* subordinatis.

11. Hæc enim subordinatio essentialis est, per quam una causa *formaliter quatenùs causa* dependet ab altera, ita ut in hujus virtute, & moveat, & causet. Unde advertente Scoto. *cit. q. 2. n. 12.* fit consequens, omnes causas *per se* subordinatas simul necessariò concurrere ad causandum, cùm alioquin deesset effectui aliqua causalitas *per se*. Ergò si in causis *per se* subordinatis procederetur in infinitum, actu simul existerent causæ infinitæ.

12. Hoc autem licèt impossibili dato, tunc istæ causæ infinitæ vel à se invicem essent in causando dependentes, vel daretur Causa prima, quæ non esset effectibilis, nec in virtute alterius esset effectiva. At prius evidentem involvit repugnantiam, cùm alioquin idem secundùm unam individuam rationem causalitatis respectu ejusdem esset prius, & posterius. Ergò datur primum effectivum, nec effectibile, nec in alterius, sed suâ duntaxat virtute effectivum, à quo in causando dependent omnes aliæ causæ. Hoc autem est Deus. Ergò vel existit Deus, vel non datur aliqua Efficientiæ Causalitas.

13. Replicabis: in hoc argumento supponi, quòd omnis causa præter Increatam in causando ut sic formaliter sit dependens ab aliâ. Hoc autem non adeò notum esse lumine naturæ, quin Durandus in *2. dist. 21. q. 51. & dist. 37. q. 1.* negarit immediatum Dei concursum ad actiones substantiæ. Hanc verò sententiam non tam argumentis Philoso-

losophicis, quàm Sacris litteris efficaciter reijci. Ergò sistendo in lumine naturali non probari efficaciter; omnem causam præter Increatam esse Essentialiter in causando subordinatam alteri, & consequenter in causis per se subordinatis, vel dari Infinitatem, vel admitti debere Primam, à qua omnes reliquæ pendeant in causando.

14. Contra: Operari sequitur ad esse. At causæ creatæ formaliter ex hoc, quòd sint creatæ, sunt Entia in essendo formalissimè dependentia. Ergò & in operari. Confirmatur. Nam si causæ creatæ virtus causativa pro instanti causationis non penderet ab aliâ causâ, jam posset pro aliquo instanti in ea intelligi aliqua formalitas sine formali dependentiâ ab alio: Hoc autem repugnat rationi Entis & causæ quà creatæ. Ergò lumine naturæ notum est, omnem causam creatam *formaliter ut sic* esse in causando dependentem ab alio.

15. Hoc igitur aliud vel est primum & Increatum, vel admitti debet infinitas in causis creatis *quà formaliter* in causando inter se subordinatis. Hoc autem esse impossibile evidenter demonstratum est. Ergò existit Ens primum & Increatum, à quo in causando dependeat omnis causa creata, sitque adeò causativum omnis Entis à se distincti: Hoc autem est Deus. Ergo Deus existit.

CONCLUSIO II.

EX comparatione graduum Entis, & ordinatione rerum in finem, efficaciter ostenditur Dei existentia.

16. Probatur primò. Species, seu perfectiones substantiarum creatarum sunt inæquales atquè *secundum Philosophum* se habent instar numeri, in quo semper est unitatum difformitas. At hæc inæqualitas reduci debet ad unum, primum, optimum in Essendo, & causando omninò independens.

17. Minor probatur. Omnis formalitas Entis creati ut sic est ab alio. Hoc autem aliud nisi sit primum, proceditur in infinitum. In hâc autem infinitate vel datur circulus, vel omnium reductio ad unum in essendo, & causando independens. At prius implicat. Ergò omnis perfectio Entis creati ut sic reduci debet in unum Principium exemplativum, & effectivum in Essendo, & causando independens. Hoc autem Principium omnem perfectionem à se producibilem *formaliter* vel *eminenter* continet ac in se subsistit independenter ab omni causâ, à quâ perfectionis suæ terminum accipiat. Ergo est infinitum in essendo & causando. Ergo est Deus.

18. Secundò. Omne agens agit propter finem, Aristoteles *2. Phys. tex. 49. 61. & 75.* Cujus evidens est argumentum, quòd corpora etiam naturalia agentia sine cognitione ex impetu naturæ semper, aut plerumquè operentur modo uniformi ad Bonum naturæ suæ proportionatum consequendum. Et licèt quandoquè ex casu sint effectus difformes, hunc ipsum tamen casum, seu fortunam reduci debere in causas per se agentes propter finem, constat ex *cit. 2. Phys. tex. 66. & 67.*

19. At ea, quæ carent cognitione, non tendunt in finem, inclinando se ipsa. Ergò quà inclinata, seu directa ab alio. Hoc autem aliud, nisi procedatur in infinitum, ita est Directivum agibilium in finem, ut non agatur, seu dirigatur ab alio. Ergo est intellectivum. Ergò ea, quæ carent cognitione, non tendunt in finem, nisi directa ab intelligente. Hoc autem intelligens intellectione suâ comprehendit omnia, adeoquè infinita agibilia in finem. Ergò ejus intellectio est infinita. Ergò est Ens intellectuale infinitum. Hoc autem est Deus, Ergò Deus existit.

CONTROVERSIA IV.

An naturali lumine tam evidens sit Deum esse, ut à nemine invincibiliter ignorari possit?

MOlina *prof. q. 2. c. 1.* Zumel *ibi. concl. 3.* Arriaga *1. p. disp. 2. sect. 3.* censent probabilius, dari posse ignorantiam Dei invincibilem. Probatur. Non est propositio per se nota *Deum existere*, sed debet discursu, & ratiocinatione colligi. Hic autem discursus in materiâ valde remotâ à sensibus indiget magnâ consideratione. Ergò in homine valde agrestis & hebetis ingenij, inter bestias quasi enutriti nec quidquam audientis de Deo, est verisimile, quòd ne umbra quidem excitetur ratiocinationis ejusmodi. Ergò habet ignorantiam invincibilem. 1.

Joannes Baptista Gonet *1. p. disp. 1. §. 4.* simpliciter negat, posse in hominibus, quantumvis incultis, dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem de Existentiâ Dei. P. Stadlmayr. *cit. disp. 1. n. 11.* distinguit; asserendo, Existentiam Dei nullo casu ab ullo homine, si ratione utatur, posse positivè per principia intrinseca ignorari, etsi negativè nullâ occurrente de Deo cogitatione, vel per principia extrinseca deducta ab authoritate malè instituentis ad breve saltem tempus possit Deus ignorari. 2. 3.

CONCLUSIO.

SImpliciter in nullo casu potest ab homine rationis capace invincibiliter ignorari Dei Existentia.

Probatur. Positâ ignorantiâ Dei invincibili in homine aliquo, nullum ejus peccatū etiam intrinsecè malum, licèt cum advertentiâ dissonantiæ, & repugnantiæ contra naturam rationalem commissum, esset peccatum mortale. Ex hoc autem sequeretur, peccata homicidij, adulterij, & quævis alia juri naturali adversantia cum formali, & directâ intentione violandi Jus naturæ perpetrata, non fore digna pœnâ æternâ. At istud satis est absurdum. Ergò & id, ex quo sequitur. 4.

Dices cum Salâ *1. 2. to. 1. disp. 16. sect. 22.* sequelam Majoris esse falsam, & improbabilem, imò in fide periculosissimam. Nam declinans à ratione graviter obligante cum plenâ deliberatione est hoc ipso dignus privatione, & carentiâ perpetuâ gratiæ, & gloriæ: non enim est congruum amicitiam & gloriam peccato priùs non dimisso restitui, vel conferri illi, qui scienter & graviter conculcavit legem naturæ, cujus Deus, licèt ab illo ignoretur, est author & protector. Ergò taliter peccans cum ignorantia Dei etiam invincibili dignus est æternâ pœnâ damni, adeoquè pœnâ etiam sensûs perpetuâ. 5.

Con-

6. Contra: Malitia peccati mortalis principaliter consistit in aversione à Deo, S. Tho 1.2.q.73. a.1. ad 1. & q.87. a.4. Hinc si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quantumvis esset inordinata, non fore peccatum mortale, ait S. Doctor 2.2. q. 20. a. 3. At si cum ignorantiâ Dei invincibili quis scienter ac deliberatè perpetraret facinus quà dissonum rationi, & juri naturali, tunc peccatum ejusmodi esset conversio ad commutabile bonum, quin esset formaliter aversio à Deo.

7. Sequela Minoris probatur. Non potest in actu peccaminoso cogitari ulla ratio formalis malitiæ, nisi quà voluntaria. At ignorantia invincibilis excludit omnimodam rationem voluntarij. Illud ergò peccatum contra jus naturæ scienter cum ignorantiâ tamen Dei invincibili perpetratum contineret malitiam duntaxat deordinationis à jure naturæ, & rectæ rationis, non autem aversionis à Deo. Ergò peccatum ejusmodi nec haberet formalem malitiam offensæ Divinæ.

8. At debitum pœnæ æternæ consequitur ex ratione offensæ Divinæ, quæ ut sic habet malitiam *secundum quid saltem* infinitam, atquè adeò parit pœnam ex duratione infinitam, seu æternam. Consequens proinde est, datâ ignorantiâ Dei invincibili efficaciter inferri, quòd possit dari peccatum in materiâ gravi scienter repugnans juri naturali, quin sit mortale, ac mereatur pœnam æternam. Hoc autem est absurdum: Ergò & id, ex quo sequitur.

9. Replicabis ex Stadlmayr. *loc. cit.* saltem fieri posse, ut quis modico tempore *negativè* ignoret Deum, nullâ occurrente de Deo cogitatione. Tum quia casus ejusmodi vix negandus videtur in infideli *negativè*. Tum quia ex defectu excitationis specierum potest quandoquè in Doctis esse inadvertentia invincibilis alicujus propositionis per se notæ. Ergò à fortiori in homine rudi de malitiâ homicidij v.g. alioquin satis instructo potest esse tanta ignorantia seu inadvertentia de Existentiâ Dei, ut nè umbra quidem illius excitetur in ejus ratione, velut arguit Arriaga *cit. sect. 3. n. 17. in fine.*

10. Quo adeò casu supposito, probat idem Arriaga *to. 1. in 1. 2. disp. 19. sect. 10. à n. 47.* non esse absurdum dicere, peccatum homicidij cum invincibili Dei ignorantiâ contra Jus naturæ scienter perpetratum non esse mortale, utpote carens ratione formalis offensæ divinæ, nec adeò esse dignum pœnâ æternâ: etsi quà malum morale esset objectum displicentiæ Dei; à quo proinde tanquam primâ Bonitatis Moralis Regulâ, & tanquam Capite Reipublicæ rationalis meritò puniretur pœnâ proportionatâ temporali.

11. Contra: Nam uno hoc reverà absurdo jam admisso, plura alia sequuntur absurda. *Primò.* Dari posse casum, in quo puer priùs baptizatus, sed à *negativè infidelibus* abreptus, ubi pervenit ad usum rationis in facinore contra naturam perpetrato incurrat malitiam moralem, & reatum adversùs Jus naturale, quin propter Dei ignorantiam, & inadvertentiam pro tempore illo invincibilem contrahat rationem offensæ Divinæ. Hic ergò ob tale peccatum non privaretur gratiâ in Baptismate acceptâ: Si igitur decedat cum isto peccato, erit hæres regni cœlestis.

12. *Secundò.* De puero infideli laborante adhuc invincibili ignorantiâ Dei, qui tamen cum sufficienti deliberatione graviter deliquit contra Jus, seu lumen naturale; quæritur ex Adversarijs, *quid cum illo mortuo in tali statu agatur?* Nam vel hoc peccatum ex tunc esset indelebile, vel posset deleri mediante satispassione, aut satisfactione. Si primum asseratur. Ergo sicuti peccatum Veniale junctum cum Mortali post hanc vitam *per accidens* in impœnitente propter sui indelebilitatem punitur pœnâ æternâ sensûs, sic consequenter discurrendum erit de prætacto pueri peccato.

Si secundũ affirmetur: Ex opposito est, quòd nulla post hanc vitam detur satisfactio pro ullo peccato, & licèt pœna temporalis purgatorij possit tollere reatum pœnæ, nequeat tamen culpam ullam abstergere. Cùm igitur peccatum ejusmodi nec in virtute ignis purgatorij sit delebile, nec mereatur pœnam æternam, dabitur post hanc vitam status Patribus & Theologis hactenus incognitus: in quo ratione peccati Originalis puer ille sit ita exclusus à cœlesti beatitudine, ut debeat etiam subire pœnam sensûs temporalem, eamquè diversam ab igne purgatorij: tum quòd ex hoc supersit spes futuræ gloriæ, ad quam illi *Negativè* infideli ob defectum Gratiæ Sanctificantis nullum esse potest Jus; tum quòd pœna purgatorij sit ad castigandas leviores offensas Divinas, nequè verò ille *Negativè* infidelis habens Dei ignorantiam invincibilem committeret ullam Dei offensam. 13.

Tertiò. Si etiam *negativè*, vel per *principia extrinseca* potest dari ad tempus, quantumvis modicum, invincibilis ignorantia vel inadvertentia Dei, tunc peccata contra Jus naturæ eo tempore scienter facta nec ablui possunt Sacramento Baptismatis, nec absolvi per Sacramentum Pœnitentiæ: Tum quia Baptisma in tantum reddit hominem immaculatum, purum, & innoxium, ut nihil eum ab ingressu cœli remoretur. Ex Concil. Trident. *Sess. 5. de peccato Origin. n. 5.* unde virtus Baptismi tollit peccata quà adversantia gloriæ seu ingressui in Cœlum. Tum quia solutio peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ est per gratiam ex Virtute Spiritûs Sancti. *ex Joan. 20. & Concil. Trid. Sess. 14. c. 1.* Ergò peccata illa utpote nec gratiæ, nec gloriæ adversantia non subessent virtuti, & efficaciæ Sacramentorum Baptismatis, ac Pœnitentiæ. At inauditum est, dari peccata lumini naturali repugnantia, nec tamen delebilia per ejusmodi Sacramenta. Patet proinde, quot & quanta absurda generentur ex uno illo absurdo admisso, *quòd dari possit peccatum graviter & formaliter repugnans juri naturæ, quin sit Mortalis offensa Dei.* Hoc autem absurdum consequitur ex Dei ignorantiâ quantumvis ad modicum tempus duntaxat *negativè*, aut *per principia extrinseca* invincibili. Ergo hæc ignorantia invincibilis penitus eliminanda est ex Theologiâ. 14.

Responsio ad fundamenta Adversariorum.

AD argumentum *n. 1.* oppositum Respondetur. Negando, quòd discursus, ex quo devenitur in Dei notitiam, tantæ sit difficultatis, ut in aliquibus hominibus ne umbra quidem illius excitetur. Nam ad excludendam ignorantiam invincibilem sufficit cognitio, quæ potest esse principium operationis practicæ. Ejusmodi verò cognitio non debet esse demonstrativa, sed sufficit probabilis, dum nulla in contrarium occurrit 15.

ratio

ratio evidens. At nullum occurrere homini medium convincens, ex quo probari possit Deum non existere, rectè advertit Stadlmayr *loc. cit.* Econtra vestigium Dei in creatis tam patens est, ut propterea *Iob 36.* dixerit: *Omnes homines videre Deum, unumquemque intueri procul.* Ex quo Gregorius Magnus *lib. 27. Moral. c. 5.* concludit: Omnem hominem eo ipso, quo rationalis est conditus, debere ex ratione colligere, eum qui se condidit, *Deum esse.* Vnde evincitur nulli non esse patens Divinum Numen seu Dei existentia.

16. Firmatur hoc assumptū ex prætactis Gregorij Magni verbis in formam redactis. Omnis enim homo naturaliter, ac necessariò cognoscit se rationalem conditum; At omnis homo eo ipso, quòd rationalis sit conditus, cognoscit Deum esse, qui se condidit. Minor patet ex allegato Gregorij Magni testimonio. Major autem probatur. Homo seipsum naturaliter amat non tantùm innato, sed etiam elicito appetitu; hinc enim in omni ferè actu voluntatis elicito præsertim naturali reflectitur in se ipsum tanquam finem Cui. Hic autem amor non tantùm est in ordine ad sensibilia, sed etiam intelligibilia ut sic. Hinc enim homo naturaliter scire desiderat, & propendet in veritatem quà intelligibilem. Ergo homo naturaliter appetitu etiam elicito amat se ipsum quà intellectivum. At iste amor supponit cognitionem intellectivam. Ergo homo naturaliter, ac necessariò cognoscit se ipsum quà intellectualem, seu rationalem.

17. Unde sicut in sensu interiori *animalis* datur receptio intentionum non receptarum à sensibus externis, quarum adeò principium oportet esse aliunde, quàm ab immutatione sensibili. S. Tho. *1. p. q. 78. a. 4.* Sic à fortiori homo se ipsum naturaliter cognoscens quà intellectivum, & rationalem, debet connaturaliter habere inditum principium hujus cognitionis. Hæc autem cognitio in homine attingit illam etiam formalitatem, secundùm quam homo ab intrinseco, & ex naturà suâ quà rationali ordinatur in Beatitudinem naturalem: homo enim naturaliter desiderat Beatitudinem, quod autem naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem. S. Doctor *præf. q. 2. art. 1. ad 1.*

18. At hominis Beatitudo secundùm statum etiam naturæ, est Deus. Ergò in se quà rationali, & consequenter quà ordinabili in Deum tanquam Finem, à quo, & propter quem conditus est homo; naturaliter ac necessariò cognoscit Deum sub ratione saltem Beatitudinis naturalis. Ergò non potest dari Dei ignorantia invincibilis. S. Damasceno *lib. 1. Orthod. Fidei. c. 1.* attestante: Notitiam Dei (non immediatam, sed in creatura tanquam in vestigio, ac medio rationali præsertim animâ ceu imagine Dei radicatam) à naturâ esse insitam, nequeid aliquem ratione utentem ignorare posse.

COROLLARIUM.

19. INfertur primò. Non repugnare aliquem habere ignorantiam vincibilem, imò notitiam naturalem Dei, & tamen esse *infidelem negativè*; Ratio est: nam *infidelitas negativa* est in eo, cui nulla unquam fuerunt argumenta supernaturalis credibilitatis, ex quibus aliquando tenebatur ad fidem Divinam. Hoc autem totum subsistare potest in eo, qui Dei habet notitiam naturalem, attamen huic notitiæ & juri naturali difformiter vivendo, se indignum facit, ne supernaturaliter illustretur, vel medijs à Deo ordinatis ducatur in semitam Divinæ revelationis, ac Fidei supernaturalis.

Infertur secundò. Etsi non repugnet, pro aliquo instanti esse sopitam in homine Dei notitiam non minùs; quàm ex defectu excitationis specierum possit aliquando in homine etiam docto dari invincibilis inadvertentia alicujus propositionis per se notæ. Nihilominùs esse impossibile, quòd homo intelligat aliquod facinus quà repugnans naturæ, & honestati rationali; quin advertat saltem in confuso ejus difformitatem cum naturali suâ Beatitudine. At ut sic cognoscit homo Deum sub ratione saltem confusâ tanquam Numen aliquod mente creatâ sublimius & superius. Hoc autem sufficit ad rationem offensæ Dei. Ergò non est possibilis casus, in quo facinus aliquod possit esse *formaliter* dissonum naturæ quà rationali, quin sit offensa Dei. Uti ex alio licèt fundamento probat etiam Martinus Perez *disp. 1 de Pœnit. sect. 3. n. 4.* 20.

ARTICULUS II.

De Essentiâ, & Naturâ Dei.

VNa simplicissima Divinitatis substantia omnes perfectiones possibiles eminenter continens sub diversis rationibus & formalitatibus est cognoscibilis. Inter quas Theologorum subtilis est indagatio in *Divini esse primâ formalitate* reperiendâ, quæ sit ratio Essentiæ Divinæ constitutiva, ex eaquè cùm fundamento in re intelligantur cæteræ emanare. 1.

In hac proinde subtiliori inaccessibilis lucis Divinæ perscrutatione S. Augustini *lib. de Morib. Eccles. c. 7.* consilium secuturi ad opacitatem Authoritatis SS. Litterarum, umbras creaturarum, & SS. PP. voces, veluti temperatiora veritatis signa confugiemus, ne immensâ Divinitatis luce perstricti, ad tenebrarum familiaritatem cum fatigatione convertamur. 2.



CONTROVERSIA I.

An in Deo cum fundamentò in re sit assignabilis Prima formalitas Essentiæ Divinæ ut sic constitutiva?

OCham. *in 1. dist. 2. q. 1. & 2.* Gabriel *ibi. q. 2. a. 2. concl. 1. & 2.* Gregor. *in 1. dist. 8. q. 1. & 2.* Major. *ibi. q. 1. concl. 1. & 2.* nullam etiam rationis, cum fundamento in re, formalitatum distinctionem in Deo admittentes consequenter negant; esse verè intelligibilem Primam Dei formalitatem Essentiæ Divinæ ut sic constitutivam. 1.

Nam primò. Ratio primæ formalitatis quà cæterarum formalitatum in Deo radicis repugnat

nat summæ actualitati Divinæ substantiæ. Ergò cum fundamento in re *non est intelligibile, quòd una formalitas Divina substantiæ se habeat per modum primæ Essentiæ, cateræ autem per modum attributorum.*

2. Probatur tam antecedens, quàm consequentia. Si Divina substantia, in Primâ suâ formalitate ut sic non importet omnem perfectionem. Ergo intelligitur ut sic actuabilis. Hoc autem directè adversatur summæ actualitati. At formalitas quà repugnans Divinæ actualitati non habet fundamentum in re. Ergò cum fundamento in re non est intelligibilis Prima formalitas Essentiæ divinæ ut sic constitutiva; quin potiùs quælibet formalitas in Deo formalissimè, ac essentialiter sit tota Essentia Dei; Augustino *7. de Trinit. c. 1. 3. & 8.* inter alia ita disserente: *Eadem Dei magnitudo, quæ virtus, & eadem Essentia, quæ magnitudo.*

3. Secundò. Perfectio quæ à parte rei est quidditas Dei, non potest cum fundamento in re intelligi tanquam *non quidditas Dei.* At quælibet perfectio Divina est formalissimè *Quidditas Dei.* Hinc enim S. Augustinus *6. de Trinit. c. 4. & 10.* Item *lib. 7. cap. 8. & 15.* alijquè Patres passim ajunt; Deum *eo dici Deum, quo Magnus, aut Sapiens dicitur, nec aliunde esse Bonum, aut Iustum, quàm unde Deus est.* Quod eleganter expressit Nissenus *Orat. 7. in Cant.* *Dominus*, inquiens, *naturâ suâ idipsum, quod est veritatis, Sapientiæ, Potestatis, Essentia est.* Et Anselmus *in Monolog. c. 15. Si quæratur, quid sit summa natura, quid veriùs respondetur, quàm Iustitia?* Cùm igitur omnis, & quælibet perfectio in Deo sit *Quidditas*, & Essentia, seu natura Dei, non est cum fundamento in re ulla intelligibilis tanquam non *Quidditas*. Ergò distinctio formalitatum in Deo in Essentiam, & attributa non habet fundamentum in re, sed tota Divinarum perfectionum distinctio est secundùm voces, & nomina.

4. Tertiò. Primæ illi formalitati vel aliquid ex parte rei perfectionis per reliquas attributales formalitates supervenire intelligitur; vel non. At prius dici non potest, nam alioquin substantia Divina non esset simplex, eò quòd attributales perfectiones intelligerentur superaddi Primæ formalitati, in quâ præcisè consisteret Divina Quidditas, & Essentia. Hoc autem adversatur Doctrinæ SS. PP. nominatim Anselmi *in Monol. c. 16.* Cyrilli Alex. *lib. 13. Thes. c. 4.* Augustini *5. de Trinit. c. 8.* & *9.* & *lib. 6. c. 4.* & *lib. 7. c. 1.* & *lib. 15. c. 5.* affirmantium, perfectiones Divinas esse ipsam Essentiam, ac de Essentiâ Dei, atquè adeò secundùm substantiam, vel substantialiter sive essentialiter prædicari de Deo.

5. Consequens igitur est, non esse intelligibilem Primam formalitatem, quin essentialiter, & formaliter importet omnem perfectionem Divinam velut Bernardus *5. de Consid. c. 6.* id eleganter expressit: *Si Bonum*, inquiens, *si magnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod* Est Est: *nempe hoc est ei Esse, quod hæc omnia esse, etsi centum talia addas, non recessisti ab Esse, si ea dixeris, nihil addidisti, si non dixeris, nihil minuisti:* Cùm proinde perfectiones attributales nihil addant supra primam formalitatem Esse Divini, idcircò cum fundamento in re non est intelligibilis in Deo formalitas, quæ secundùm se præcisè sit ratio quidditativa, & Essentia Dei.

6. Thomistæ, & Scotistæ, cæterique Theologi communiter docent; esse cum fundamento in re intelligibilem in Deo formalitatem, quæ ut sic distincta ab attributis Divinis, habeat rationem Essentiæ.

Conclusio I.

IN Deo est assignabilis cum fundamento in re distinctio formalitatum, quarum una *Logicè* est causa alterius. ex S. Tho. *opusc. 9. q. 1. 2. & 3. Item q. 7. de poten. a. 6.*

Probatur. Primò ex verbis Christi *Ioan. 16.* *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Ergò in perfectionibus Christo per æternam generationem communicatis à Patre est quædam pluralitas. At hæc ipsa Divinarum perfectionum pluralitas est unum quid in substantiâ Divinâ communi Patri, & Filio. *Ioan. 10. Ego & Pater unum sumus.* Ergò in Divinâ substantiâ est unitas cum pluralitate non tantùm reali Hypostasum, sed formali saltem rationis perfectionum quoque communium, & absolutarum, velut insinuavit D. Augustinus *6 de Trinit. c. 14. ponens in Deo simplicem multiplicitatem, & multiplicem simplicitatem.* 7.

Secundò. Una perfectio Divina est per alteram à priori demonstrabilis. Ergò in perfectionibus Divinis assignanda est formalitatum diversitas se tenens ex parte objecti seu Dei. Antecedens patet: sic enim S. Doctor *q. 3. a. 4.* ex ratione actûs puri in Deo arguit à priori simplicitatem. Et infra *q. 4. a. 3. & q. 7. a. 1.* ex eo, quòd Deus sit suum Esse per se subsistens, demonstrat à priori, esse Ens infinitum continens eminentiori modo omnium rerum perfectiones. Consequentia Probatur. In demonstratione à priori Medium continet rationem Causæ respectu perfectionis de subjecto demonstrabilis. At idem secundùm eandem indivisibilem formalitatem non potest intelligi tanquam causa sui ipsius. Ergò quatenùs in Demonstratione à priori una formalitas est causa, & ratio alterius formalitatis de Deo demonstrabilis, ut sic datur in Deo distinctio Formalitatum. 8.

Conclusio II.

INter formalitates Divinarum perfectionum una se habet tanquam essentia; reliquæ autem instar Attributorum.

Probatur Primò Authoritate S. Scripturæ. *Exod. 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai, non indicavi eis.* Ex quo sic argumentari licet: Omnipotentia fuit indicata Abrahamo, quin ipsi notum esset significatum nominis *Adonai.* Hoc autem nomine significatur Veritas Essentiæ, & Naturæ Divinæ, uti videre est apud Abulensem *in cit. c. 6. Exod. & alios.* Ergò omnipotẽtia Divina secundùm nostros conceptus formaliter non est Essentia Dei, sed ad istam se habet instar attributi. Ergò datur in Deo aliqua formalitatum distinctio, quarum una intelligatur tanquam Essentia, reliquæ autem se habeant instar attributorum. 9.

Secundò. Attributi nomine intelligitur perfectio se habens instar formæ adjacentis Essentiæ, seu naturæ Divinæ, ac necessariò vel *re*, vel *ratione nostrâ ratiocinatâ* profluentis ab Essentiâ. At esse 10.

esse Justum, Bonum, Sanctum, & talia, quæ per Theologiam affirmativam dicuntur de Deo, non naturam ejus significant, sed quæ sunt circa naturam, quam consequuntur. *uti expressis verbis tradunt* Cyrillus Alexand. *lib. de Trinit. c. 3. & 11.* Nazianzenus. *Orat. 34. & 38. non longè à fine, & 42.* Damascenus *lib. 1. de Fide c. 4. & 12. & SS. PP. passim.* Inter quos Augustinus *15. de Trinit. c. 6.* ita loquitur: *Si dicam æternus, Immortalis, Iustus, Bonus, Beatus, Spiritus, horum omnium novissimum, quod posui, videtur significare substantiam, cætera verò hujus substantiæ qualitates.* Cùm proinde in Deo alia formalitas intelligatur quà Essentia, & Natura, aliæ verò perfectiones consequantur Naturam, cui secundùm nostrum intelligendi modum quasi accidunt, seu adjacent, consequens est, in Deo concipi formalitates Essentiæ & attributorum distinctas.

Responsio ad fundamenta opposita.

11. AD Primum *n. 1. & 2.* oppositum Respondetur. Negando antecedens, ejusquè probationem. Nam actuabilitas dicit potentialitatem: Hæc autem importat actûs perfectivi distinctionem non præcisè rationis, sed realem. At quia omnis perfectio in Deo est à parte rei formaliter tota perfectio Dei, uti ex Augustino probat argumentum objectionis; Consequens est, essentiam Dei non esse actuabilem à perfectionibus Divinis, quæ secundùm præcisiones rationis in Divinæ substantiæ eminentiali simplicissimâ multiplicitate fundatas ita intelliguntur consequi, & quasi accidere Divinæ substantiæ, ut secundùm qualitatem dici videantur: ob identitatem tamen realem insint Deo secundùm substantiam, vel Essentiam. August. *cit. c. 6. de Trinit.*

12. Ad secundùm *n. 3.* oppositum Respondetur: Authoritates Patrum ibi adductas efficaciter probare, quòd in Deo nulla sit realis, vel à parte rei formalis distinctio substantiæ, seu Naturæ, & Perfectionum attributalium. In hâc tamen simplicissimâ reali etiam formali unitate substantiæ ac perfectionis Divinæ esse à parte rei virtualem distinctionem, vi cujus ab intellectu nostro una formalitas est attingibilis sine alterâ. In quâ formalitatum virtuali à parte rei, & actuali rationis distinctione necessariò esse aliquam assignabilem, sine quâ Deus nè concipi quidem possit à quovis intellectu. Hanc autem esse Essentiam, quam oporteat secundùm nostrum conceptum non includere formalitates cum fundamento virtualis distinctionis per rationem nostram præcisas. Ergò virtualem distinctionem in Deo præbere à parte rei fundamentum ratione ratiocinatâ distinguendi ab Essentiâ Divinâ perfectiones attributales realiter, & à parte rei formaliter in ipsâ inclusas, non tamen in conceptu Essentiæ etiam objectivè formaliter tactas à nostro intellectu.

13. In quem sensum eleganter Cyrillus Alexand. *lib. 7. Thesauri c. 1.* ait: *Sapienter dicitur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se perfecta est, sed tamen cogimur* (scilicet ob virtualem distinctionem) *nonnunquam quasi accidentia, etiamsi non omninò accidant Deo, hæc dicere. & mente accidentium more concipere.* Ex quo evidenter patet, id, quod tum realiter, tum à parte rei formaliter est Quidditas Dei, posse ob virtualem distinctionem cum fundamento in re intelligi quà non Quidditatem. Nam teste Cyrillo sunt aliqua in Deo, quæ non omninò, id est, non realiter, vel à parte rei formaliter accidunt. Ergò accidunt tantùm aliqualiter, id est virtualiter, & per rationem cum fundamento in re actualiter. Hæc proinde *cogimur* secundùm Cyrillũ *more accidentiũ, vel quasi accidentia* concipere.

Ad Tertium *n. 4.* oppositum Respondetur. 14.
Ex SS. PP. efficaciter ostendi, quòd omnes perfectiones Divinæ sint realiter Essentia Dei, quas proinde cum addito *à parte rei* prædicari essentialiter de Deo. Nihilominùs absolutè & simpliciter loquendo non dici Essentiam nec prædicari essentialiter, nisi id, sine quo res concipi non potest. At ex dictis constare, quòd in Deo ratione virtualis distinctionis sit à parte rei formalitas, secundùm quam cum fundamento in re concipi possit Deus formaliter quà Deus, quin etiam objectivè attingantur aliæ formalitates Divinæ. Ergò propter hanc virtualem distinctionem à parte rei existentem in Deo non esse simpliciter, & absolutè dicendum, quòd Essentia & Natura Divina includat essentialiter Attributa Divina, sed cum addito *à parte rei, realiter, & formaliter.* Quòd præter alios PP. clarè expressit S. Maximus apud Eutymium in Panopliâ *part. 1. lib. 3. Cap. In Deo: Bonus,* inquiens, *& Opifex, & infinitus, & immortalis, & his similia, non dicimus esse differentias Dei Essentiam Dei constituentes, sed appellationes quasdam, quibus aliqua eorum, quæ circa ipsam spectantur, patefiant, cùm nulla tamen ex ipsis ea, quæ ad Essentiam, & Naturam ejus pertinent, ostendat.*

CONTROVERSIA II.

AN Essentia, & Natura Divina distinguantur ratione cum fundamento in re?

Negat Joannes Baptista Gonet. *1. p. disp. 2. §. 2. concl. 2.* Essentiam, & Naturam in Deo posse cum fundamento in re concipi secundùm diversas rationes constitutivas. 1.

Probatur. Si Essentia in Deo virtualiter distingueretur à naturâ: Ergò hæc non minùs, quàm attributa radicaretur in illâ. At hæc ipsa radix quà in Essentiâ imbibita est Natura. Ergo non est intelligibilis Essentia sine naturâ. Ergò non est fundamentum distinguendi in Deo Essentiam, & Naturam.

Franciscus de Lugo. *disp. 16. de Deo uno. c. 5. & 7.* & nonnulli recentiores Thomistæ relati à Gonet *cit. disp. 2. §. 1.* affirmant, in Deo virtualiter distingui Naturam, & Essentiam. Adstipulantur Cajetanus & Ferrariensis infrà *n. 6.* circa medium allegandi. 2.

CONCLUSIO.

NAtura & Essentia in Deo sunt formalitates ratione cum fundamento in re distinctæ.

Probatur. Etsi Natura & Essentia, imò & substantia sæpè usurpentur indistinctè sub unâ significatione, uti videre est apud Aristotelem *5. Metaph. c. 4. ad medium.* D. Augustinum *lib. 2. de moribus Manich. c. 2.* & S. Thomam *in 3. dist. 37. q. 1. art. 1.* Nihilominus strictiùs loquendo differentia inter Essentiam, & naturam in eo ponenda est, quòd Essentia, teste Augustino *12. de Civit. c. 2.* dicatur ab essendo, & ut sic abstrahat ab operatione, vel ejus principio, quæ *formaliter* importatur in naturâ. Unde S. Thomas *1. p. q. 39. a. 2. ad 3.* ait: Natura designat principium actûs: Essentia 3.

ab Essendo dicitur. Quo sensu Divus etiam Bonaventura *in 3. dist. 5. a. 2. q. 1. in fin.* inquit, Essentiam consistere in quâdam abstractione *nimirum ab operatione, seu principio operandi*, at naturam esse principium naturalium operationum, adstipulante Aristot. *2. Phys. tex. 3. & 5. Metaph. c. 4.* Nec non Joanne Damesceno *in suâ Philosophiâ. c. 4.* At in Deo per nomen *Qui est*, est designabilis ratio essendi quà abstracta ab operatione quam ut sic formaliter importat nomen *Deus*. ex S. Tho. *1. p. q. 13. a. 8. & 11.* Ergò in Deo ratione nostrâ distinguitur Essentiâ, & Natura, quarum prior per nomen *Qui est*, posterior autem per nomen *Deus* significatur. ex S. Doctore *cit. a. 1. ad 1.*

4. Dices ex Gonet. *cit. concl. 1. prob. 1. & infra §. 4. ad 1. & 2.* Ex hoc probari, quòd Essentia, & Natura in Deo non distinguantur virtualiter, sed ex nostro concipiendi modo duntaxat per analogiam ad res creatas. Cujus ratio est. Nam eæ solùm formalitates in Divinâ substantiâ distinguuntur virtualiter, quæ in substantiâ creatâ non ex hujus limitatione, & potentialitate, sed ex proprijs formalibus rationibus aut realiter, aut saltem virtualiter distinguuntur. At ratio propter quam Aristoteles, & D. Thomas *loc. cit.* inter Essentiam, & Naturam assignant differentias Essentiales in eo sita est, quòd substantia creata licèt actuata per Esse sit in potentiâ ad operationem, nec adeò sit actus purus, sed admixta potentialitati. Atqui Deus sicut in ordine Entitativo, sic in ordine intelligibili, & operativo est purissimus actus. Unde ejus substãtia ob purissimã sui actualitatem nequit verè concipi cum potentiâ tum ad existendum, tum ad operandum ad intra. Ergò in Deo non est fundamentum sicut in creatis potendi distinctionem inter Naturam, & Essentiam.

5. Contra. Nam præfatæ ratiocinationis Major patitur difficultatem. Tum quòd Gonetius non quaslibet formalitates in creatis à parte rei formaliter sive virtualiter distinctas velit in Divinâ substantiâ habere virtualem distinctionem, quæ respectu intellectûs nostri præbeat præcisionis objectivæ fundamentum reale. Tum quòd in substantijs creatis assignet formalitatum rationes proprias, quin ista propria Distinctiva ratio sit fundata in potentialitate ac limitatione. At hoc nimiùm sapit Scotisticâ ex naturâ rei formalem distinctionem, *uti patebit ex dicendis infrà art. 3. contr. 2.* Quare contra Gonetij ratiocinationem procedimus tum negando Majorem, tum ulteriùs argumentando in hunc modum. Etsi enim substantia creata non sit actus purus; sed includat potentialitatem tam ad existendum, quàm ad operandum, in suâ tamen Essentiâ *formaliter à parte rei* importat principium radicale operationis. In hoc autem principio radicali consistit ratio naturæ, ut sic. Atqui ab hac formalitate naturæ quà talis propriâ potest præscindi ratio Essentiæ. Patet proinde, quòd distinctio naturæ & Essentiæ in substantijs creatis sit ex proprijs rationibus formalibus non quidem realiter, vel etiam formaliter à parte rei, sed virtualiter diversis.

6. Pari ergò ratione, licèt essentia Divina utpote actus purissimus sine ullâ potentialitatis admixtione à parte rei formaliter dicat operationem ad intra, nihilominùs sub propriâ Essendi ratione potest considerari abstrahendo à ratione intelligibilitatis, & operationis ad intra. *velut insinuat* Cajetan. *infra q. 14. art. 4. §. ad evidentiam. circa medium.* *Et expressè tradit* Ferrar. *1. cont. gent. c. 5c. §. Potest secundò.* asserendò. *Esse Dei absolutè sumptum prout est actualitas essendi distingui formaliter ab intelligere.* Atqui Essentia Dei ut sic spectatur sub ratione Essendi, & quà natura consideratur sub actualitate intelligendi, *uti patet ex* S. Thom. *sup. allegato.* Ergò sicut in substantiâ creata, sic in Deo potest ratione nostrâ *cum fundamento in re* distingui formalitas naturæ ac Essentiæ.

Replicabis ex eodem Gonet *cit. §. 2. concl. 1. prob. 2.* Si Essentia, & Natura in Deo virtualiter distinguerentur, consequens fore, Existentiam Ordinis entitativi, ac intelligibilis in Deo eâdem distinctione virtuali inter se differre. Sequela Probatur. Existentia est ultima actualitas formæ, seu actûs. Sed Essentia & Natura Divina quà ultimò per se ipsas formaliter actuatæ differrent virtualiter. Ergò possent in Essentiâ & Naturâ Dei ut sic intelligi duæ existentiæ virtualiter distinctæ. At sicut ex duabus existentijs realiter distinctis non potest fieri unum realiter & identicè, sic ex duabus existentijs virtualiter distinctis non posset fieri unum per se formalissimè. Ex hoc enim fundamento demonstratur, relationes Divinas non habere existentiam virtualiter distinctam ab Existentiâ absolutâ. Ergò pari ratione non est admittenda existentia Naturæ in Deo virtualiter distincta ab Existentiâ Essentiæ. Ergò nec inter essentiam, & Naturam Dei quà formalitates ex se ipsis ultimatè, & actualissimè actuatas admittenda est distinctio virtualis. 7.

Contra: Nam Divina natura est intellectio quà formalissimè actuata per Essentiam Dei tanquam speciem intelligibilem. Hæc autem formalissima actuatio intellectionis per Essentiam Dei, hanc non solùm *identicè*, sed *formalissimè* importat. Atqui essentia Dei *formalissimè* dicit existentiam per se actuatam. Ergò Natura Dei existit *formalissimè* per actualem Existentiam, seu Essentiæ Divinæ propriam. Unde fit etiam consequens, Essentiæ in Deo existentiam non esse virtualiter distinctam, sed *formalissimè* eandem cum existentiâ naturæ, imò naturam divinam non distingui virtualiter ab Essentiâ Dei. 8.

Nihilominùs quatenus hæc *absolutè* considerata sub actualitate Essendi ab operatione, ut sic *formaliter per rationem cum fundamento in re* est distincta à formalitate Naturæ. Ergò inter formalitates Essentiæ, & Naturæ Divinæ datur distinctio rationis cum fundamento in re, ita quidem ut Essentia à naturâ, non vicissim natura ab Essentia Dei sit præscindibilis. 9.

Responsio ad fundamenta opposita.

AD fundamentum n. 1. oppositũ. Respondetur, id retorquendo adversùs Gonetiũ *disp. 2. a. 2. §. 1. & 2. in fine* docentẽ, quòd Inmaterialitas in Deo sit radix intellectionis; nec tamen sit ratio formalis constitutiva naturæ Divinæ, etiamsi virtualiter esset prior intellectualitate Dei. Ergò à pari, licèt Essentia Divina, seu actualitas essendi in Deo inferat immaterialitatem, ex hac autem à priori non tantùm *secundùm nos*, sed etiam *secundùm se* virtualiter, & cum fundamento in re per rationem consequantur intellectualitas ceu natura Divina; non sequitur Essentiam absolutè sub formalitate actualitatis Essendi, & cum præcisione operationis consideratam, habere rationem naturæ 10.

turæ in Deo. Constat igitur ratione Essentiæ ut sic cum fundamento in re per intellectum esse præscindibilem à ratione naturæ.

CONTROVERSIA III.

Quæ sit ratio formaliter constitutiva Essentiæ Divinæ?

1. SCotus *q.3. prol. n.12. & in 1. dist.3. q.2. n.17. & dist.8. q.4. à n.17. & q.5. quodlib. §. De primo. circa medium.* ponit formalitatem Essentiæ Divinæ ut sic in infinitate. Probatur ratione Subtilis Doctoris. Infinitas ut sic non est quasi Attributum, & passio Entis, cui convenit. Ergò est modus intrinsecus, seu ratio essentialiter constitutiva Entis perfectissimi, seu Dei. Antecedens probatur. Entitas præcisissimè accepta absquè quacunque proprietate habet ut sic formaliter aliquam perfectionis, seu virtutis magnitudinem intrinsecam. Hæc autem magnitudo in Ente infinito est formaliter infinitas. Ergò non est præscindibilis ulla formalitas in Deo, seu Ente infinito, quin concipiatur formaliter secundùm rationem infinitatis. Ergò infinitas est de essentiali & omninò necessario conceptu Dei.

2. Aureolus *in 1. dist.8. 22. & 35. q.1. a.2.* Henricus *1.p. sum. art.36. q.1.* Joannes à S. Thomâ *1.p. disp.16. a.2.* Joannes Baptista Gonet. *disp.2. de Naturâ, & quidditate Dei. concl. ult.* Serra. *q.3. a.3. concl.4.* Fasol. *q.4. a.2. dub.7.* Ysambertus. *q.14. a.5.* constituunt rationem Essentiæ Dei in gradu Intellectualitatis. Probatur ex S. Tho. *infra q.14. a.4.* asserente, *Intelligere Dei esse ipsius Essentiam, seu Esse.* Hoc autem in sensu formali esse accipiendum evincitur *ex seq. a.5.* Vbi S. Doctor ex eo, quòd Esse Dei sit ejus intelligere, infert, effectus qui præexistunt in Esse Dei, consequenter præexistere in ejus intelligere. At licet relationes Personales, & Attributa in Deo sint realiter eadem, à parte rei formaliter indistincta ab Essentiâ Dei, non tamen verificatur, effectus à Deo, quà causâ Primâ producibiles præexistere in Hypostasi Patris, ut sic. Ergò ex illâ Doctoris Angelici illatione infertur, quòd intelligere Dei sit ejus Esse non in sensu duntaxat identico, sed formali excludente distinctionem etiam rationis ratiocinatæ, & virtualem à parte rei. Ergò Essentia Dei formalissimè consistit in ratione Intellectualitatis habentis rationem actûs puri, & ultimi, ac per se subsistentis.

3. Cajetanus *q.3. a.4. §. in respons. ad 2.* Bannes *q.14. a.8. circa fin.* Xantes Mariales *to.2. Biblioth. q.4. a.1. c.3.* Petrus à S. Joseph. *l.1. Theologiæ Speculativæ. c.1. resol.4.* Stadlmayr *Vniversitatis Salisburgensis Rector Magnificus disp. de Deo c.1. §. ult. & c.2. n.4. ac seq.* Franc. de Lugo *cit. lib.1. disp.16. c.5. & 6. & alij*, ponunt rationem Dei Essentialem in formalitate Essendi à se.

CONCLUSIO.

ASeitas quà formalissima Essendi ac Existendi actualitas est formalissimè Essentia Divina.

4. Probatur. Sicut proprium nomen hominis sumitur ab ejus quidditate, sic proprium nomen Dei sumitur ab ejus Essentiâ, & quidditate. Doctor Angel. *in 1. dist.8. q.1. art.1. in fin. corp.* At Moysi quærenti, si dixerint, quod est nomen ejus *cap.3. Exodi*, respondit Dominus, *Ego sum, qui sum*, sic dices filijs Israel: *Qui est, misit me ad vos.* Ex quo evincitur nomen *Qui est* maximè proprium esse Dei. Nazianzenus *Orat.4. de Theolog.* Damascenus *lib.1. Fidei Orthod. cap.12.* S. Thomas. *infra q.13. a.11.* At nomen *Qui est* significat Esse absolutum sine admixtione potentialitatis. ex S. Doct. *cit. dist.8. a.1. ad 1. & 4.* Ergò importat actualissimam Essendi formalitatem, seu Existentiam per se, ac in se actualissimè subsistentem. Hæc autem existendi ac essendi actualitas ex se, à se, & in se subsistens congruè explicatur nomine Aseitatis. Ergò hæc est formalissimè Essentia Divina. 5.

Dices: cum Joan. à S. Thomâ, *cit. disp.16. conc.4.* Nomen *Qui est* non significat *Quid est Deus*, sed quoddam pelagus substantiæ infinitum. Damascen. *cit. c.12.* Ergò Esse à se tanquam pelagus quoddam essendi in Deo non constituit determinatè ipsum *quid est Dei*, sed pertinet ad ipsum *An est*, seu *quia est:* Doctore Angelico *cit. a.1. dist.8.* ita differente: *Nomen Qui est significat Esse determinatè, & non quid est, & quia in statu viæ hoc tantum cognoscimus de ipso, quia est, & non quid est, nisi per negationem, & non possumus nominare nisi secundùm quod cognoscimus, ideò à nobis propriissimè nominatur quia est.*

Contra. Ex his verbis S. Doctoris clarè evincitur in statu viæ nos de Deo *Quid est* cognoscere *per negationem.* Atqui Aseitas nomine *Qui est* expressa significat Esse Dei *indeterminatum, & absolutum*, adeoquè indeqendens *cum exclusione omnis potentialitatis.* Ex S. Doctore *cit. art.1. ad 1. & 4.* In hoc autem Esse Dei indeterminatum tanquam pelagus substantiæ infinitum ingredimur per viam remotionis, ita, ut remotis omnibus tum Corporalibus, tum intellectualibus secundùm quod inveniuntur in creaturis, in intellectu nostro circa Deum tantùm remaneat *Quia est.* Constat igitur, Esse Dei, quod per viam negationis de Deo in statu viæ cognoscimus, & ut sic nomine *Aseitatis* exprimimus, esse Quidditatem Dei, velut expressis verbis tradit S. Doctor *in fin. cit. a. in corp. & ad 4.* 6.

Replicabis: ex Scoto *cit. q.5. quodlib. §. de primo.* ex hoc evinci, Esse quà in Deo absolutum, & infinitum Essentiæ pelagus esse quidditatem Dei: Ergò substantia secundùm quod habet rationem Primi in Deo, & vocatur pelagus, est infinita, & interminata. At in substantia Divinâ secundùm rationem Primi, & quasi pelagi non includitur veritas, seu Bonitas, vel alia ratio attributalis, ex Joan. Damasc. *cit. 12.* Ergò Infinitas non est ratio attributalis; Ergò est essentialis. 7.

Contra. In Divinis oportet ponere realem entitatem in existentiâ actuali, & aliquam unam primam, & illam ad se. Scotus. *q.1. quodl. n.1. in fine.* At ista Prima entitas realis in Deo est ratio Essendi. Unde Existentia in Divinis est de conceptu Essentiæ & prædicatur in primo modo dicendi per se, ita ut propositio sit per se prima & immediata, ad quam omnes aliæ resolvuntur: ex eod. Doct. *n.3. & 4. ad 2. & alijs locis ibi citatis.* Patet igitur, quòd in Deo sit Essentia adstipulantibus SS. Augustino *de Trinit. cap.1. in fine.* item *cap.4. & 6.* nec non Joanne Damasceno *cit. cap.12.* At istud Esse Dei secundùm Damascenum citatum est infinitum Essentiæ pelagus identicè, non autem formaliter 8.

conti-

continens universum quod est Deus. Unde non tam Formaliter, quàm Radicaliter convenit Essentiæ Divinæ Esse infinitum. *ex addit.* Scoti *in cit. n.4. ad confirmationem primi.*

9. Hanc verò infinitatem radicalem eleganter expressit D. Dionys. *l.c.5. de Divin. Nom.* asserens; quòd Esse inter omnes alias Divinæ Bonitatis participationes, cujusmodi sunt, *vivere & intelligere* sit primum, & quasi principium aliorum præhabens in se omnia. Unde annuente etiam D. Thoma *cit. art.1. dist. 8.* rectè concluditur; Esse Dei esse ejus quidditatem. Ergò Essentia quatenus in Deo habet rationem primi seu Essentiæ, ac quidditatis, secundùm principia non Angelici duntaxat, sed subtilis quoque Doctoris, est Esse Dei, non *formaliter*, sed *radicaliter* infinitum.

10. Hæc autem infinitas radicalis, seu ratio infiniti pelagi substantiæ exprimitur per nomen *Qui est.* S. Thom. *1. p. q. 13. art. 11.* Probatur istud assumptum. Nam per nomen *Qui est* significatur *Esse Dei* indeterminatè, seu Esse absolutum ac indeterminatum. Idem S. Doctor. *cit. dist.8. art. 1. in corp. & ad 4. & in Sum. art. cit.* At intellectus noster quemcumquè modum determinet substantiæ circa Deum, deficit à modo, quo Deus in se est. Unde quantò aliqua nomina sunt minùs determinata, & magis absoluta, tantò magis propriè dicuntur de Deo. Cùm proinde hoc unicum nomen *Qui est* nullum modum essendi de Deo determinet, consequenter significat Essentiam Dei, ceu pelagus substantiæ infinitum; uti discurrit S. Doctor. *cit. art. 11.* At Esse indeterminatum, & absolutum aptè exprimitur per nomen *Aseitatis*, uti superius est probatum.

11. Sub hâc enim formalitate consideratur Esse sub ratione absolutâ, remoto etiam ipso Esse, secundum quod est in creaturis. Atqui per istam remotionem, teste S. Thomâ *cit. dist.8. a.1. ad ult.* & Div. Dion. *ibi relato.* intellectus noster ingreditur quandam caliginem, in quâ Deus habitare dicitur. Illa vero formalitas, in quâ habitat, est in quâ primo subsistit, a que adeò formaliter Essentia Divina. Ergò Essentia Dei quâ pelagus substantiæ infinitum aptè exponitur per rationem, & nomen Aseitatis.

12. Instabis ex Joan. à S. Thomâ *loc. cit.* & Joan. Baptist. Gonet. *disp. 2. de Natur. Dei. §. 4. prob. 2.* Ratio essendi à se invenitur in omni Dei attributo, imo & Relationibus Personalibus. Ergò non est distinctiva Essentiæ Dei ut sic, sed transcendens respectu omnis formalitatis quà Divinæ, & Increatæ. At quod est distinctivum, est etiam constitutivum. Ergò ratio Essendi non est determinatè constitutiva Essentiæ Divinæ, qua per rationem saltem ratiocinatam cum fundamento in re distinctæ ab attributis & Relationibus Personalibus in Deo, velut insinuavit S. Doctor *loc. cit.* asserendo: Nomē *Qui est* significare Esse Dei indeterminatè seu pelagus substantiæ indeterminatum; hoc est indifferens, & transcendens in ordine increato, & commune omni formalitati, quà Divinæ, sive Quidditativæ, sive Attributali, sive Personali.

13. Contra: Ex primo & secundo modo dicendi, ac inessendi per se habetur, secundùm Aristot. *1. post. c.4.* & Philosophos communiter, Proprietatem non esse quidem de Essentiâ subjecti, at istud ingredi definitionem proprietatis, seu attributi. Sicut ergò in creatis subjecti essentia est de quidditate proprietatis in concreto; sic Essentia Divina est de quidditate cujuslibet formalitatis Divinæ etiam in abstracto.

Probatur consequentia: Omnia subjecta insunt accidentibus proprijs in ratione dicendi *Quid est*: quia Esse accidentis est Esse in subjecto ex Philosopho. *cit. c.4. post.* & S. Tho. *ibi. lect.10.* At ob purissimam Dei actualitatem est, quòd omnis formalitatis Divinæ sit formalissimè unum simplicissimum Esse. Unde Augustinus *6. de Trinit. c. 14.* ait: *Deo hoc Esse, quod fortem Esse, aut Iustum Esse, aut Sapientem Esse.* Hoc autem actualissimum esse Dei est Esse à se. Ergò ratio Essendi à se est formalissimè, & transcendentaliter imbibita in omni formalitate attributali, & Personali quà Divinâ, fatentibus ipsismet adversarijs Ioanne à S. Thomâ, & Gonet, *ubi sup.* 14.

At formalitas attributalis virtualiter à parte rei, & formaliter per rationem ratiocinatam se habens in Deo per modū proprietatis, non est ut sic intelligibilis, nisi quà formaliter Divina. Sicut ergò Esse subjecti inest accidentibus substantiæ creatæ proprijs in ratione Dicendi *Quid est*: sic à fortiori Esse Dei inest formalitatibus ejus Attributalibus in ratione *quid est.* 15.

Est autem istud discrimen inter Esse Dei, & Esse subjecti creati, quòd istud in ratione Causæ materialis secundùm Divum Thomam citatum sit de Essentiâ comuni omnium subjecti creati specifici proprietatum in concreto, illud verò utpote simplicissimus actus non in ratione causæ materialis, sed purissimæ actualitatis & formalitatis sit de quidditate formalitatum Dei attributalium, etiam in abstracto. At verò ex eo, quòd Esse subjecti creati specifici sit de Essentiâ accidentium ipsi propriorum non impeditur, quò minùs illud ipsum Esse sit propria subjecti Quidditas. 16.

Constat igitur nec ex eo, quòd *Esse à se*, sit transcendens formalissimè imbibitum in omni formalitate quà Divinâ, evinci, non esse quidditatem, seu Essentiam Dei formalissimè constitutivam. Quare verum omnino est, Essentiam Dei esse de quidditativa & Essentiali ratione Naturæ, & Attributorum, quà Divinorum, etsi formalitates Dei attributales Sapientiæ, Justitiæ, Bonitatis, vel etiam Naturæ in Deo *Virtualiter à parte rei, & formaliter secundum rationem ratiocinatam* non sint de quidditate & Essentiâ Dei, sed hæc *adequatè formaliter* consistat in ratione *Essendi à se* quà præcisâ a rationibus Naturæ & Attributorum. Quo adeò sensu Doctor Angelicus *cit. a.1. dist. 8. & 1. par. q. 13. a.11.* dixit: Esse Dei indeterminatum & absolutum cum remotione omnis formalitatis, Sapientiæ, Bonitatis, & similium esse quidditatem Dei. 17.

Responsio ad argumenta Adversariorum.

AD Scoti oppositum Respondetur: Negando Antecedens, & Majorem probationis; Nam sicuti in formalitate Entis ut sic absolutè & præcisè consideratâ nō importatur ratio Unitatis, seu Bonitatis; ita nec perfectionis præsertim secundùm modum Magnitudinis. Ergò à pari in Esse absoluto Dei abstrahitur à modo infinitatis. Hæc enim teste Scoto. *cit. q.5. quodlib. §. de primo. circa medium.* formaliter dicit excessum perfectionis, seu virtutis ultra omnem proportionem determina- 18.

minatam, & determinabilem. At priùs est considerare *Esse Dei* absolutum, quàm cum istâ comparatione excessivâ. Ergò infinitas non est prima ratio Deitatis seu substantiæ Divinæ, sed Esse Dei absolutum, quod aptè significatur per ly Aseitas, sive prout Scotus. *q. 3. prol. n. 11. in fin.* loquitur *per tò* Hæc Essentia.

19. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Hoc argumento probari primò. Quòd *Esse Dei* quà formale principium contentivum rerum à Deo producibilium sit formalissimè *Intelligere Dei*. Secundò. Quòd intelligere Dei formalissimè importet Esse Dei subsistens, licèt hoc Esse Dei absolutum quà Essentia Divina in sensu formali non includat *Intelligere Dei*. Ex quibus solùm inferri, quòd Esse Dei subsistens sit de quidditate Divinæ Intellectionis; licèt ista tanquam natura Divina non sit de quidditate Essentiæ Dei.

20. Urgebis: S. Thomam *cit. q. 13. a. 11. ad 1.* affirmare: Nomen *Qui est* esse quidem magis proprium Deo, quantum ad id, à quo imponitur, scilicet ab Esse, at nomen Deus quantum ad id, ad quod significandum imponitur, esse magis Deo proprium. Atqui hoc nomen *Deus* à Providentiâ Dei derivatum imponitur ad significandam Naturam Divinam. S. Doctor. *loc. cit.* Illud verò nomen maximè propriè nominat Deum, quod significat ejus Essentiam. Ex eod. Doctore Angelico *in corp. cit. a.* Ergò nomen *Deus* quà significativum Naturæ Divinæ, & ut sic Deo magis proprium, nomine *Qui est* magis propriè significat Divinam Essentiam. Ergò Essentia Divina est formalissimè Natura Divina consistens in Intellectualitate.

21. Respondetur retorquendo argumentum. Nomen *Qui est* imponitur ab Esse. Quod Esse ut sic est transcendens & Analogum respectu Esse Divini, & creati. Unde nomen *Qui est*, advertente Cajetano *in cit. a. 11. §. ad hoc breviter.* est appropriatum primi Analogati. At in primo analogato reperitur ratio Analogi absolutè sub ratione unius simplicis conceptûs; cùm è contra secundo analogato non insit ratio analogi, nisi cum dependentiâ. Ergò nomen *Qui est* significat Esse absolutum sub simplicissimo conceptu purissimæ actualitatis.

22. At quò major est actualitas Entis, seu exclusio materialitatis & potentialitatis, eò formaliùs includitur ratio subsistentis & individui in formâ, seu ratione quidditativâ actûs. *Argumento* S. Thomæ. *q. 3. a. 3.* Ergò nomen *Qui est* qua significativum Esse absoluti sub ratione purissimæ actualitatis significat *Hanc Essentiam* seu *substantiam Dei quà singularem, & incommunicabilem.*

23. At nomen *Tetragrammaton* esse nomine Deus magis proprium S. Doctor. *cit. a. 13. ad 1.* probat ex eo, quòd sit impositum ad significandam Dei substantiam incommunicabilem & singularem. Ergò nomen *Qui est* quà significativum *Esse absoluti & actualissimi*, adeoque per se, & à se subsistentis, ac formalissimè individui, est Dei magis proprium, quàm nomen *Deus*. At illud Nomen maximè propriè nominat Deum, quod significat ejus Essentiam. ex eod. Doct. *ubi sup.*

24. Ergo licèt nomen *Deus* determinatè significet Naturam Divinam, Nomen autem *Qui est* significet Esse indeterminatum, atque adeò sub ratione aliquâ confusâ nominet formalitatem Divinæ Essentiæ, uti patet ex S. Tho. *cit. a. 1. dist. 8. ad 4. in fine.* Hæc ipsa tamen ratio Essendi indeterminata, & confusa formalissimè importat pelagus Essentiæ infinitum. Ergò ut sic explicat formalissimam Dei Essentiam & Quidditatem. *ex proximè cit. art.* Ergò nomen *Deus* tantùm secundùm quid est magis proprium Deo, prout formalitatem Naturæ Divinæ determinatè significat, cum ècontra Nomen *Qui est* formalitatem Divinæ Essentiæ importet sub indeterminatâ Essendi ratione, quæ tamen ex parte rei, & conceptûs objectivi formalissimè sit determinata ratio pelagi Essentiæ radicaliter infiniti, adeoquè Quidditatis Dei.

Oppones ultimò: Esse à se idem dicere, ac Esse subsistens. Hoc autem potiùs importare Hæcceitatem seu Individuationem, quam specificam Dei Essentiam. Probatur ista minor. Nam eo ipso, quòd omnis Dei formalitas sit unum simplicissimum Ens, oportet, in Deo esse unicam à parte rei Formaliter & Virtualiter indivisibilem Essentialitatis individuationem, in omni formalitate Divinâ Transcendentaliter inclusam. At verò quia istæ Divinæ Formalitates ex naturâ rei Formaliter vel Virtualiter sunt distinctæ, oportet, aliquam Dei Essentiam specificam assignare, quæ non sit Transcendentaliter imbibita in omni Formalitate Divina, quæquè adeò non sit Formalitatum Dei attributalium unica à Formis creatis distinctiva ratio. Est autem per se manifestum, quòd Formalitates Dei attributales Sapientiæ, Bonitatis &c. per rationem Essendi à se, sive per Esse subsistens Transcendentaliter in se inclusum unicè distinguantur à Formalitatibus creatis. Ergo ratio Essendi à se sive Esse subsistens non tam est Essentia Dei specifica, quàm Transcendens omnis Formalitatis Divinæ Essentialitas pertinens potiùs ad gradum Dei individualem, quàm specificum. 25.

Respondetur: Verum esse, tum quòd gradus specificus Essentiæ Divinæ formalissimè importet Hæcceitatem, atquè adeò Essentia Divina neque Formaliter ex natura rei, neque Virtualiter sit distincta à gradu suo individuali, tum quòd Essentiæ Divinæ gradus tam specificus, quàm individualis sit Transcendentaliter inclusus in omni formalitate Divinâ attributali & Hypostaticâ, nec ulla adeò Dei Formalitas per intellectum nostrum objectivè, seu ratione ratiocinatâ sit præscindibilis ab Essentialitate Divinâ etiam specificè spectatâ; licèt hæc econtra sit intelligibilis sine omni Formalitate attributali & Hypostaticâ à se virtualiter à parte rei, & per objectivam intellectûs nostri præcisionem Formaliter seu actualiter distinctâ. Tum deniquè quòd in omnibus Formalitatibus Divinis etiam attributalibus non alia à Formis creatis distinctiva ratio sit intelligibilis, nisi quatenus formalissimè dicit rationem Aseitatis, sive Esse subsistentis. Cujus ratio Fundamentalis sic deduci potest. Nam eo ipso, quòd omnis Formalitas Deo inexistens ex naturâ rei Formaliter in ratione Essentialitatis imò & Entitatis sit unica simplicissima actualitas, oportet, gradum Dei specificum Formalissimè importare Hæcceitatem ac Individuationem. Unde subtilis Doctor *in 1. q. 2. prol. n. 11. in fine* Essentiam Divinam prout est in se ipsâ, subtiliter exposuit per *Tò Hæc Essentia.* At eo ipso, quòd gradus Dei specificus Formalissimè importet Hæcceitatem, oportet Formalitatem in 26.

Esse

Esse Divini actuatam non aliam habere Essentialitatem nisi Esse per se actualissimè Hæcceitatum ac subsistens. Ille ipse igitur gradus Essendi qui in Deo est specificus, ac in Esse Divini constitutivus, debet ut sic esse individualis & Transcendens respectu omnis Divinæ etiam attributalis Formalitatis, adeò ut in hâc non sit alia à Formis creatis distinctiva ratio nisi Esse subsistentis, seu per se Hæcceitati Transcendentaliter imbibiti in ratione Formalitatis omnimodæ quà Divinæ, & à Formis creatis Entitativè ac Formaliter ex naturâ rei distinctæ.

CONTROVERSIA IV.

Quæ sit ratio formaliter constitutiva Naturæ Divinæ?

1. HEinricus 1. *p. sum. a.36. q.1.* Durandus *in 1. dist. 35. q.1. n.8.* Alensis *1. p. q.19. memb. 1. ad 1.* Arrubal *q. 14. disp.28. c.3. & 4.* Serra. *q.3. art.3. concl.4.* videntur Naturam Dei constituere in Intellectualitate quà radice, seu potentia intelligendi. Probatur. Formæ realiter distinctæ in substantijs creatis ita identificantur in substantiâ Divinâ, ut in hâc tamen sint formalitates virtualiter seu per rationem cum fundamento in re distinctæ. At in creatis Intelligentijs natura intellectualis substantialis, & intellectio actualis distinguuntur realiter. Ergò in Divinâ substantiâ est assignabilis formalitas intellectualitatis substantialis per rationem cum fundamento in re distincta ab intellectione actuali. At substantialis intellectualitas ex propriâ suâ ratione formali est perfectior intellectione actuali: Natura autem Divina consistit in perfectissimo vitæ substantialis gradu habente rationē primi principij operandi. Ejusmodi verò non est intellectio actualis, sed Intellectualitas substantialis. Consequens igitur est, Naturam Divinam consistere in intellectualitate Dei substantiali quà radice, & quasi potentiâ intelligendi.

2. Ferrariensis *1. cont. gent. c.50.* Nazarius *q.14. a.5. contr. 1.* Joannes à S. Thomâ *ead. q.14. disp.16. a.2. concl.2.* Joan. Baptista Gonet. *cit. disp.2. §.5.* Franciscus de Lugo. *cit. disp.16. c.7. concl. 2.* constituunt Naturam Divinam in actuali Intellectione.

CONCLUSIO.

NAtura Divina consistit in intellectione, quatenus est actualitas purissima substantialis per se subsistens.

3. Probatur: Nomen *Deus* significat Naturam, & substantiam Dei. S. Athanasius *in Epist. de Decret. Synodi Nicenæ post medium.* Justinus *in expositione fidei.* Nazianzenus *Orat. 2. & 4. de Theologiâ.* D. Thomas *cit. q.13. a.8. & 11. ad 1.* At nomen *Deus* derivatur à verbo Græco, quod Latinis per inde est, ac intueri sive perspicere. Divus Dionys. *de Divin. Nom. c.12.* Damasc. *1. de fide. c 12.* Clemens Alex. *lib.1. Strom. ad finem.* S. Thomas *1. cont. gentes. c.46. in fin.* Constat igitur Naturam Divinam ex mente SS. PP. consistere in intuitione, adeoquè actuali intellectione.

4. Dices cum Serrâ *cit. concl. 4. prob. 3.* Homo est Imago Dei. *Gen. 1.* Est autem homo Imago Dei ratione mentis, seu naturæ Intellectualis, quâ præstat pecoribus. S. August. *6. super Gen. ad litt. c.4.* & D. Thom. *1. p. q. 93. a. 3.* Requiritur autem ad rationem imaginis similitudo secundùm speciem, quæ attenditur secundùm ultimam differentiam substantiæ, seu naturæ. S. Doctor. *cit. q.93. a.2.* Cum igitur homo secundùm mentem, seu naturam intellectualem, non verò secundùm actum intellectionis sit imago Dei, consequenter ultima differentia Naturæ Divinæ non consistit formaliter in operatione seu intellectione, sed in hujus radice, seu natura intellectuali.

Confirmatur. Homo est imago Dei etiam secundùm gratiam S. Thomas *cit. q. 93. a. 4.* habeturquè *2. Petri 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes Naturæ.* At gratia non est participatio formalis intellectionis, seu operationis Divinæ, sed Naturæ intellectualis Divinæ, prout dicit radicem Visionis Essentiæ Dei. Ergò Patres superiùs allegati derivantes *Tò Deus* a verbo Græco connotante intuitionem intelligendi sunt naturam Divinam constituere non tam in actu & operatione, quàm radice intellectionis Divinæ. 5.

Contra: Nam homo tam secundùm Naturam, quam secundùm gratiam est imago Dei, adeoquè Divinæ consors naturæ solùm *analogicè*, non autem *univocè, & consubstantialiter.* At *univoca* atque *Analogica* imaginis ea est differentia, quòd in hâc sit similitudo Naturæ secundùm participationem imperfectam, & secundùm quid duntaxat. Unde tota hæc *analogicè* participatæ imaginis ratio potest respectu Dei salvari in homine tum secundùm Naturam, tum secundùm gratiam, etiamsi neutra istarum sit formalis actus, sed radix intellectionis, sive naturalis, sive supernaturalis. 6.

Secus est in imagine *Consubstantiali*, & simpliciter, seu perfectissimo modo *univocâ*, in quâ debet cum omnimodæ distinctionis etiam virtualis exclusione esse formalissima identitas Naturæ, ac substantiæ non tantùm secundùm speciem, sed rationem etiam individuam. At ejusmodi Imago Dei est Filius à Patre in æternitate genitus. *ex Coloss. 1. ad Heb. 1.* Hic autem procedit ut Verbum, *Joan 1.* At Verbum istud est ut sic formaliter Sapientia genita. Augustinus *7. de Trinit. c.2.* Hæc verò Sapientia est ipsa conceptio Sapientis, seu notitia genita. Divus Tho. *1. p. q. 34. a. 4. ad 4.* At ista notitia & conceptio *formalissimè* importat actum Intellectionis. Ergò Verbum Divinum *formalissimè* procedit in identitatem intellectionis. At Verbum Divinum *formalissimè* procedit quà *consubstantiale* in identitatem *formalem & virtualem* Naturæ, ac Essentiæ Divinæ. Ergò Natura Divina *formalissimè* absque ullâ etiam virtuali distinctione est in Deo intellectio actualis. 7.

Confirmatur Discursu S. Augustini *l.6. de Trinit. c.10.* redacto ad sequentem formam. Filius Dei est imago Patris. At in imagine perfectâ est species secundùm primam æqualitatem & summam similitudinem absquè ullâ similitudinis dissidentiâ *ad identidem* respondens ei, cujus imago est. Hæc autem speciei, adeoquè Naturæ ac Essentiæ cum substantiâ Patris formalissima identitas relucet in Filio, quatenus est prima & summa Vita, & summus, ac primus intellectus, 8.

cui non est aliud vivere, & aliud Esse, nec aliud intelligere, sed id, quod est Intelligere, hoc vivere, hoc Esse est. Ergò filius est imago Patris, secundùm quod ipsi communicatur à Patre intellectus non per modum potentiæ, sed purissimæ vitæ, & intellectionis actualis formalissimè identificatæ cum Esse. Cùm igitur Filius quà Imago Dei Patris, secundùm Augustinum dicat formalissimè identitatem Naturæ ac Essentiæ, hæc verò Identitas sit quoad Esse ac Intelligere: consequens est Naturam Divinam non consistere in Potentiâ intellectuali, sed in purissimâ actualitate intelligendi, ac essendi.

Ad argumentum in initio oppositum

9. Respondetur. Illud procedere de formalitatibus nullam imperfectionem includentibus in ratione suâ intrinsecâ. At potentia intelligendi utpote immanenter operativa formaliter importat potentialitatem respectu actûs intelligendi. Unde in Deo non est intelligibilis ratio, seu formalitas potentiæ respectu actuum intelligendi, ac amandi, uti expressè docet S. Tho. *1. p. q. 25. a. 1. ad 3. & q. 4. a. 4. ad 3. & 2. cont. gent. c. 10.* ubi ait: *Intellectum & Voluntatem non esse in Deo ut potentias, sed solum ut actiones.*

10. Instabis ex S. Thomâ *in 1. dist. 7. q. 1. a. 1. ad 2.* asserente, quod *inter Essentiam, & operationem cadit Virtus media differens ab utrâque in creaturis realiter, in Deo ratione.* At ista virtus media est potentia generativa in Deo, quæ non tantùm respectu Personæ productæ, sed respectu generationis activæ habet potentiæ rationem secundum propriam rationem principij. S. Doctor *1. p. q. 41. a. 4. ad 3.* Hæc autem potentia generativa in recto significat Naturam Divinam, in obliquo verò Relationem Paternitatis. Idem S. Doctor *a. 5.* Ergò Natura Divina est intelligibilis per modum principij respectu actionum saltem Notionalium. At istæ actiones Notionales utpote realiter identificatæ cum Naturâ Divinâ non arguunt hujus potentialitatem. Ergò in ratione formali potentiæ quà immanenter operativæ non includitur potentialitas. Ergò non est, cur ob hanc potentialitatis rationem negetur in Deo formalitas potentiæ respectu actuum intelligendi, & amandi Essentialium.

11. Respondetur. Rationem formalem potentiæ dicere distinctionem principij, & principiati. Si ergo concipiatur intellectus secundùm formalitatem realem potentiæ, consequenter intelligi cum distinctione reali principij, & principiati. Vel ergò istud principiatum se habet *per modum per se subsistentis*; vel *per modum formæ actuantis intellectum.* Si hoc posterius, evidens est, actum intelligendi ex parte potentiæ inferre potentialitatem. Ergò non est cum fundamento intelligibilis in Deo intellectus per modum potentiæ nisi respectu principiati se habentis *per modum per se subsistentis.* At intellectus Divinus cum tali respectu, seu relatione est potentia Notionalis, non autem Essentialis. Ergò ex ratione potentialitatis efficaciter probatur, non esse Intellectum Divinum ex *parte rei, & objecti* comprehensibilem sub formalitate potentiæ, nisi quà Notionalis.

12. In hac proinde potentiâ Notionali ita *per rationem objectivè præcisivam* distinguuntur formalitates potentiæ, & actûs, quin ulla exinde argui possit potentialitas. Probatur istud assumptum. Nam ratio potentiæ ex formali suo conceptu importat distinctionem realem principij, & principiati: At hæc stare potest absquè distinctione reali potentiæ, & actionis; uti constat ex creatione activa *secundùm Scholam Divi Thomæ* indistinctâ ab Essentia Dei. Cùm proindè intellectionis Dei, quà Notionalis activæ sit secundùm relationem producentis distinctio realis à Verbo per eam producto, nihil obstat, quò minùs in Deo secundùm Notionalia reperiatur tota formalitas potentiæ non tantùm respectu termini producti, sed etiam respectu generationis activæ.

Secùs est in Intellectione Dei Essentiali, quæ ut sic formaliter non respicit ullum terminum à se distinctum & productum. Ergò non est intelligibilis sub formalitate potentiæ quà Virtualiter distinctæ à formalitate actualis intellectionis; uti S. Thomas *cit. art. 4. ad 1.* clarè asserit: *Secundùm modum intelligendi & significandi tantùm, non ex parte rei conceptæ, posse in Deo salvari rationem potentiæ intellectivæ.* 13.

Replicabis: Essentia Divina se habet ad Intellectionem Dei per modum speciei intelligibilis, & objecti Motivi, ac specificativi. ex S. Thom. *infra q. 14. a. 4. & 5.* At objectum Motivum, & species intelligibilis concipitur in priori saltem rationis cum virtuali distinctione antecedenter ad actualem, seu formalem intellectionem. Ergò Essentia Divina potest in priori aliquo rationis cum virtuali distinctione concipi quà intelligibilis absque formali conceptu actualis intellectionis in Deo. Atqui intelligibile ut sic formalissimè connotat intellectum. Ergo intellectus Dei est in priori rationis cum distinctione virtuali conceptibilis absquè formali & actuali intellectione Divinæ Essentiæ. Ergo in hac radicali, seu potentiali intellectualitate Dei consistit Divina Natura. 14.

Respondetur. Essentiam Dei sub ratione quidem formali Aseitatis, seu Actualitatis essendi, non tamen sub formalitate actualissimæ intelligibilitatis esse ex parte rei intellectæ conceptibilem sine actuali intellectione. Hinc fit consequens, Essentiam Divinam non nisi secundùm rationem eminentialem habere respectu sui intellectionis formalitatem speciei intelligibilis, nec adeò in vi alicujus etiam virtualis influxûs esse actûs Divini intelligendi objectum Motivum ac specificativum, sed specificationem ejusmodi esse per purissimam simplicissimæ formalitatis actualitatem absquè ullâ ex parte objecti etiam virtuali inter Divinæ Essentiæ intelligibilitatem, & intellectionem distinctione. 15.

Sicut ergò Intellectus, & Intellectio in Deo *per rationem nostram* distinguuntur non *secundùm præcisionem objectivam*, sed *secundùm conceptus nostri intellectûs*, formalitates Divinas apprehendentis instar formalitatum creatarum, sic Essentia Divina quà intelligibilis *ratione nostrâ* præconcipitur prior actuali intellectione *non secundùm prioritatem* aliquam in re etiam *Virtualem*, *sed secundùm prioritatis ac posterioritatis ordinem desumptum ex connotatione formarum ad intellectionem creatam concurrentium*, juxta quarum distinctionem diversimodè à nobis concipiuntur formalitates intellectûs Divini, *distinctione* tamen *rationis* se tenente præcisè 16.

ex parte

ex parte nostrorum conceptuum, non autem *ex parte rei quà objectæ nostro intellectui*, utpote qui non posset absque falsitate attingere intellectûs Divini formalitates, nisi cum ratione eminentiali intrinsecè excludente imperfectiones potentialitatis, & omnimodæ etiam Virtualis distinctionis.

17. Unde inter intellectum & Intellectionem, & Intelligibilitatem Divinæ Essentiæ non est conceptibilis ulla *ex parte rei, seu objecti prioritas & distinctio etiam Virtualis*, Doctore Angelico *cit. q. 14. a. 4.* asserente *Intellectum, id quod intelligitur, speciem intelligibilem, & ipsum intelligere Omninò*, adeoquè formalissimè cum virtualis distinctionis exclusione, *esse idem in Deo*. Cùm proinde non sit assignabilis in Deo ratio Intellectûs & Intelligibilitatis, nisi sub ratione eminentiali *Virtualiter, & secundum rationem objectivam etiam formaliter* includente actualissimam intellectionem: Consequens tandem est, Naturam Divinam non esse conceptibilem ex *parte objecti* sine actualissimâ intellectione. Ergò Natura Divina *Virtualiter à parte rei, & formaliter secundum rationem nostram objectivam* non est intellectualitas radicalis, seu potentialis.

18. Vrgebis ex Serrâ *cit. a. 3. concl. 4.* Immaterialitas in Deo est radix Intellectualitatis. Ergò est prima ratio Naturæ in Deo. Probatur tam Antecedens, quàm Consequentia. Immaterialitas consistit in abstractione formali; Hæc autem abstractio fit per separationem formæ seu actûs à materiâ & potentialitate. At coarctatio formæ est per materiam. Unde quò magis actus est separatus à materia, & potentialitate, eò magis accedit ad infinitatem, ratione cujus infinitatis est receptivus formarum aliarum rerum. At cognoscitiva in hoc differunt à non cognoscitivis, quòd hæc contineant se intra limites suæ formæ à materia coarctatæ; illa verò formas aliarum rerum, seu species in se habeant. Unde est illud Philosophi *3. de animâ. tex. 37. Anima intelligendo fit omnia.*

19. Consequens proinde est, quòd Immaterialitas in tantum sit radix intellectualitatis, ut quò minùs est actus immersus materiæ, seu potentialitati, eò magis sit intellectivus. Ergò ex summo immaterialitatis gradu in Deo infertur summa, & infinita intellectualitas ex S. Thoma *cit. q. 14. a. 1.* Atqui Natura consistit in radice, seu primo principio operandi, ex Arist. *2. Phys. tex. 3.* Ergò immaterialitas seu ratio entis actualis immaterialis, & spiritualis in Deo tanquam radicalis intellectualitas est Natura Divina.

20. Respondetur. Quòd ratio Naturæ formalissimè, ac determinatè importet, aut respiciat operationem substantiæ, *ex alleg. text. 2. Phys.* At immaterialitas in Deo est formalissime actualitas Essendi, fatente ipsomet Serrâ *loc. cit.* Hæc autem essendi actualitas est virtualiter radix omnium Attributorum Divinorum, estque transcendentaliter imbibita in omni formalitate quà Divinâ tam Essentiali, quàm Notionali, & Personali. Unde si haberet rationem Naturæ Divinæ, hæc formalissimè esset in Hypostasi, & processione Spiritûs Sancti; nec adeò apparet, quomodo processio Verbi, non autem Spiritûs Sancti esset formaliter in similitudinem Naturæ. Cùm proinde ratio immaterialitatis & actualitatis purissimæ sit transcendens ad omnes formalitates quà Divinas, nec adeò ex ratione suâ propriâ determinata sit ad operationem, seu rationem principij; consequenter non habet rationem Naturæ in Deo, sed Essentiæ. Probatur istud assumptum. Nam quia in Deo est unicum simplicissimum, & actualissimum Esse, consequenter 21. omnium ejus formalitatum quà Divinarum est unica non tantùm identicè, sed formalissimè simplicissima Essentia. Hæc autem Essentia importat purissimam essendi actualitatem, adeoquè immaterialitatem. Ergò immaterialitas in omni formalitate quà Divinâ importatur essentialiter non tantùm à parte rei, sed *secundùm nostros quoque conceptus objectivos* cum exclusione omnimodæ formalis, & virtualis distinctionis. Consequens proinde est: Immaterialitatem non esse propriam *secundùm nostros objectivè præcisivos conceptus* Naturæ Divinæ Formaliter constitutivam rationem.

ARTICULUS III.

De Attributis Dei in genere.

Ex præcedenti articulo constat per rationem cum fundamento in re ita distingui formalitates in Deo, ut alia Essentiæ, alia Naturæ, alia attributi, seu Personalitatis habeat rationem. Hinc oritur Difficultas; *An istud distinctionis fundamentum sit intrinsecum Divinæ substantiæ, vel ab extrinseco petitum, ex connotatione perfectionum creatarum, sive ex harum speciebus, & similitudinibus, per quas sunt Divinæ formalitates à nostro intellectu cognoscibiles?* 1.

Si verò fundamentum distinguendi perfectiones in Deo intrinsecum sit, rursus oritur Quæstio, *An sit realis, vel formalis, vel virtualis duntaxat à parte rei formalitatum divinarum distinctio?* 2.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Attributa & Hypostases Divinæ realiter distinguantur inter se, & ab Essentiâ Divinâ?

Nyphus *lib. 12. Metaph. disp. 13. c. 3.* refert quosdam, nominatim Gualterium quendam, 1. asserentes distinctionem realem inter Essentiam & Attributa Divina. His annumerari potest Gilbertus Porretanus, qui teste D. Tho. *infra q. 28. art. 2.* docuit; Relationes in Divinis esse assistentes, sive extrinsecùs affixas. Unde affirmabat, tres Personas esse tres res æternas, & ad invicem à substantiâ differentes, veluti constat ex Concilio Rhemensi sub Eugenio III. ubi tamen sententiam hanc revocasse; testatur Doctor Angelicus *loc. cit.*

Ad hoc reduci potest Sententia Durandi *in 1. dist. 33. q. 1.* & Mairon. *dist. 8. q. 1. a. 3. & 4.* quorum 2. prior inter Personas, & Essentiam; posterior in nonnullis attributis, scilicet Infinitate & Æternitate ponebat distinctionem ex naturâ rei modalem.

Hi errores damnantur 1. à dicto Concilio 3.

Rhemensi, in cujus symb. *art. 3.* confitentur Patres: *Nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, vel unitates, aut alia hujusmodi dicantur, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* 2. à Concilio Florentino *sess. 18. & 19.* ubi Patres Latini in confessione fidei Græcis oblata ita profitentur: *Credimus in unum Deum &c. sed ne identitatem, unitatemque Essentiæ dividamus, atque ut Essentiam ab Hypostasibus non re differentem, sed ratione tantùm ab actu intelligendi asseveremus.* 3. Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap. firmiter de summâ Trinit. & fide Catholicâ.* Ubi Patres cum Pontifice fatentur tres Personas in Deo, *sed unam Essentiam, Substantiam, & Naturam simplicem omnino.*

4. Quibus adeò ex fide, & Authoritate Divinâ suppositis, restat exactiori quodam discursu examinare. *An illa Essentia, & attributorum Dei tum inter se, tum ab Hypostasibus seu relationibus Personalibus distinctio realis efficaciter rejiciatur ex Simplicitate, & purâ actualitate Divinæ substantiæ.*

CONCLUSIO

5. SEcundùm Fidem Orthodoxam ob Puram Divinæ Substantiæ actualitatem & omnimodam Simplicitatem neganda est in Deo realis distinctio, ubi nulla est relativa oppositio.

Probatur. In Deo est substantia omninò simplex. *ex cit. c. firmiter.* At in Deo esset compositio, nec adeò substantia Divina esset omninò simplex, si daretur realis distinctio Attributorum & Essentiæ.

6. Dices: Attributa esse extra substantiam seu Naturam Divinam. Ego hanc in ratione substantiæ posse esse omninò simplicem absque ullâ compositione partium Essentialium, seu substantialium, etiamsi haberet Attributa realiter à se distincta.

7. Contra: Ratio Summæ simplicitatis in Divinâ substantiâ est ex ratione actûs puri, uti probat S. Tho. *q. 3. a. 2.* Ratio autem actûs puri excludit omnem potentialitatem. At si Attributa Divina essent extra substantiam, & Naturam Divinam, hæc esset in potentiâ ad illa. Ergò non esset actus purus, nec adeò summè simplex, nec consequenter de quâlibet perfectione attributali in Deo verificaretur esse Deum: Cujus oppositum est definitum in Concilio Rhemensi *loc. cit.* ubi S. Bernardus: *Scribatur*, inquiebat, *stylo ferreo, in ungue adamantino, vel sculpatur in silice, quòd Divina Essentia, Forma, Natura, Deitas, Bonitas, Sapientia, Virtus, potentia, Magnitudo verè est Deus.*

8. Replicabis. Realem Hypostasum inter se distinctionem non adversari Simplicitati Divinæ substantiæ. Ergò pari ratione stare posse distinctionem realem Attributorum cum summâ Divinæ substantiæ Simplicitate.

9. Contra: Patres Concilij Lateranensis *cap. Damnamus de sum. Trinit.* ex unitate seu simplicitate Divinæ substantiæ inferunt, quamlibet Divinarum Hypostasum esse Divinam Essentiam. Ergo à pari ex Divinæ substantiæ simplicitate infertur identitas Attributorum cum Divinâ Naturâ. Neque verò inter Attributa est distinctionis realis ratio, quæ in Divinis *secundùm allegatum Concil. Florentinum*, est unica relationis oppositio, cujusmodi in Hypostasibus, & relationibus Personalibus reperitur, non autem in attributis Divinis. Ergò hæc quà identificata realiter cum Naturâ Divinâ sunt etiam inter se omninò identificata.

10. Instabis: Oppositionem contradictoriam esse majorem relativâ. At intellectioni non autem Volitioni Divinæ in Patre convenire, esse reale principium Filij. Ergo hæc prædicata contradictoria in Intellectione, & Volitione Divina non minùs quàm oppositionem relativam in Personis arguere distinctionem realem.

11. Contra: Nulla est contradictoria oppositio, nisi inter formam, ejusque negationem. At ratio actûs puri, & summa simplicitas Divinæ substantiæ non admittit ullius actûs in Deo à parte rei negationem. Ergo *non esse principium Filij* non dicit in Volitione Divinâ negationem, sed actum à parte rei positivum realiter identificatum cum intellectione, quà in Patre est principium Filij. Non igitur datur in Divinis realis prædicatorum contradictio, sicut è contra ex fide tenemus, dari in Deo realem Hypostasum oppositionem relativam, ratione cujus adeò oppositionis relationes Personales in Deo *quoad esse ad* ita distinguuntur realiter, ut tamen in ratione substantiæ sint una simplicissima res *ex cit. cap. Damnamus.* Ergò summa Divinæ substantiæ simplicitas excludit omnem realem distinctionem Attributorum tam inter se, quàm ab Essentiâ Divinâ: cùm è contra admittat distinctionem realem Hypostasum inter se, non autem ab Essentiâ Divinâ.

12. Urgebis: Quæ ita se habent, ut unum sit idem uni tertio, alterum verò diversum ab eo, esse diversa inter se. At ita se habent Hypostasis Patris & substantia Divina, ut hæc sit eadem Hypostasi Filij, ista verò sit diversa ab Hypostasi Patris. Quomodo ergò salvari potest realis identitas substantiæ, & Hypostasum in Deo?

13. Contra: Illud Axioma lumine naturali notum redigi debet in captivitatem, & obsequium fidei. Hæc autem *cit. c. Damnamus* docet, ita esse in Deo distinctionem realem Hypostasum, ut istæ sint una simplicissima res; & hinc Patrem esse quidem alium, non tamen aliud à Filio, & Spiritu Sancto. Ergò illud Axioma ita est intelligendum, quòd quando duo ita se habent, ut unum respectu tertij sit idem, alterum verò diversum in ratione non tantùm Hypostasis *quoad esse ad relationis*, sed in *esse rei*, tunc sint diversa inter se. Ergò quia omnes tres Personæ Divinæ sunt una simplicissima res, ita ut Pater non sit aliud à Filio, & Spiritu Sancto, idcirco Pater *quoad Hypostasin & Esse ad* ita est alius à Filio, ut tamen sit realiter eadem substantia cum Filio.

14. Constat igitur ex ratione actûs puri, & summæ simplicitatis in Deo efficaciter probari, nullam esse distinctionem realem Attributorum tum inter se, tum ab Essentiâ Divinâ, nec hanc esse realiter diversam à proprietatibus relativis Divinarum Personarum.

CON-

CONTROVERSIA II.

Utrum Attributa, & Relationes Personales in Deo ab Essentiâ distinguantur ex natura rei formaliter.

1. SCotistæ nominatim Rada *cont. 4. in expositione subtilis Doctoris* præter distinctionem realem strictam agnoscunt Formalem ex natura rei. Nam forma quandoque accipitur pro quacunque ratione, sub qua ex natura rei aliquid concipi potest. Atqui à forma sic conceptâ abstrahitur formalitas, quæ nihil aliud est, quàm ratio objectiva, sub qua unaquæque res est intelligibilis ex natura rei. A tali ergò formalitate denominatur identitas formalis à Scoto *in 1. dist. 2. q. 7. n. 44.* hisce verbis definita: *Voco autem identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur sic, includit illud, cui dicitur sic, idem, in suâ ratione formali per se primò.*

2. Unde à contrario infertur, distinctionem formalem esse inter ea, quæ habent distinctas rationes formales objectivas, seu distinctos conceptus objectivos, ita quòd unum non includit aliud in suâ ratione formali ex Radâ *loc. cit. §. Cognita autem.* Convenit proinde distinctio formalis cum strictè reali, quòd utraque sit ante omnem operationem intellectûs, quarum adeò quasi genus sit Distinctio *ex natura rei.* At differunt, eò quòd *Distinctio ex naturâ realis* sit rei à re, seu inter duas res, quarum neutra est per identitatem alia, sicut inter Petrum & Paulum, materiam & formam: cùm è contra Distinctio *ex naturâ rei formalis* sit inter ea, quæ sunt idem realiter, seu una res, habent tamen distinctas definitiones seu conceptus objectivos, velut inter Rationale & Animal in homine est identitas rei, sed formalitatum Animalitatis & rationalitatis diversitas: ut adeò distinctio formalis intelligatur inter formalitates, seu realitates formales, realiter & identice indistinctas.

Refertur Sententia Scoti cum argumentis.

3. HIs ergò conformiter, Scotistæ præsertim Rada *ubi sup. contr. 3. 4. & c.* Tartaretus *in 1. dist. 2. & 8.* Lychetus *in comment. ad cit. q. 7. Scoti.* Ioan. Bassolis *in 1. dist. 22.* Franciscus Majoronius *in 1. dist. 2. & 8.* asserunt 1. Attributa Divina esse summâ identitate reali eadem Divinæ Essentiæ. 2. Relationes Divinas, veluti Paternitatem, & Filiationem distingui à Divinâ Essentiâ ex natura rei formaliter, ita ut Divina Essentia, & relationes ante omnem actum intellectûs non sint idem formaliter, sed distinctæ *formaliter actu.* 3. Dei Attributa inter se, & cum essentiâ Divinâ non esse idem formaliter ex naturâ rei, ita ut secluso opere intellectûs unum Attributum v.g. Sapientia non sit *formaliter* aliud, nimirum Bonitas, nec de ratione formali & quidditativa Essentiæ sint Attributa, vel è contra. Probatur

4. 1. Auctoritate S. Augustini *l. 7. de Trinit. c. 2.* ita differentis. *Non eo Verbum, quo Sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum, cujus Verbum dicitur, sicut Filius ad Patrem; Sapientia verò eo, quo Essentia.* Ex quo sic argumentari licet cum subtili Doctore. *cit. q. 7. n. 46.* Tò *Quo* importat rationem formalem. At *non eo Verbum, quo Sapientia.* Ergò ratio formalis Verbi est extra rationem formalem Sapientiæ, ut adeò non sit formaliter idem *Quo Verbum* & *Quo Sapientia.* Hæc autem non identitas formalis in eo sita est, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad Patrem producentem; cùm econtra Sapientia dicatur eo, *Quo* Essentia. Ergò alia ratio formalis est relationis in Verbo, & alia Esse absoluti ad se, seu Essentiæ Divinæ ut sic. Hæ autem rationes formales sic se habent ante omnem actum Intellectûs. Ergò à parte rei sine opere intellectûs Entitas, & ratio formalis Verbi non est Entitas & ratio formalis esse absoluti, & Essentiæ Divinæ. Ergò inter has Entitates datur ex natura rei distinctio formalis.

5. 2. Argumento ejusdem *dist. 8. q. 4. n. 18.* Nomen *Qui est*, est Deo maximè proprium, quia Esse dicit quoddam pelagus infinitæ substantiæ; cætera autem sunt illa, quæ circumstant Divinam Naturam, *ex* Damasceno *1. de Fide c. 4. & 12.* At Essentia Divina non esset Pelagus substantiæ infinitum propter hoc, quòd multæ relationes rationis possint circa ipsam causari, cùm istæ possint per actum intellectûs circa quodlibet causari. Si verò Essentia Divina formaliter ex naturâ rei esset eadem cum perfectionibus Attributalibus, hæ non circumstarent Divinam Essentiam, nisi per relationes rationis; nec Esse Dei esset pelagus, id est, radicale principium Attributorum, nisi secundùm rationem, seu nostrum concipiendi modum. Ex hoc autem sequeretur, Essentiam Divinam quatenus dicitur pelagus infinitæ substantiæ intelligi secundùm formalitatem non ex naturâ rei, sed ex ratione nostrâ ipsi inexistentem. Hoc autem est contra rationem & veritatem. Ergò & id, ex quo sequitur.

6. 3. Ratione ejusdem Doctoris *cit. q. 7. n. 41.* Primum Suppositum, seu Persona Patris in Deo habet realiter entitatem communicabilem, alioquin non posset Essentiam, & Naturam communicare Filio, nec hic adeò procederet quà consubstantialis Patri. At eadem Persona habet etiam realiter entitatem incommunicabilem, alioquin non esset positivè, & in entitate reali suppositum. Atqui entitas realiter ante omnem actum intellectûs incommunicabilis non potest esse realiter communicabilis. Ergò hæc non potest realiter ante actum intellectûs esse unius rationis cum illa, alioquin Entitatem istam unius rationis totam communicaret Pater, ita ut nullam entitatem positivam in se haberet, quam non communicaret Filio. Ergò communicaret Paternitatem sicut Essentiam. 7.

Ex opposito stant teste Francisc. de Lugo *disp. 17. de Deo. c. 2. n. 2.* omnes Doctores *extra Scotistas.*

CONCLUSIO.

DIstinctio ex naturâ rei formalis Essentiæ, & Attributorum inter se, & cum proprietatibus Personalibus in Deo adversatur summæ ejus simplicitati, actualitati & infinitati.

Probatur. Ex eo, quòd omnes tres Personæ Divinæ sint una simplex omninò substantia, seu Na- 8.

seu Natura Divina, reprobatur in Deo Quaternitas. *cap. Firmiter, & c. Damnamus. de Summâ Trinit.* At si personalitates relativæ essent *formaliter ex naturâ rei* distinctæ ab Entitate Essentiæ Divinæ, liceret æquè contra Scotistas, atque Gilbertum Porretanum cum S. Bernardo *lib. 5. de consid.* argumentari, quòd in Deo esset *Quaternitas* entitatum, ac realitatum; imò & formalitatum Attributalium *Centenitas.* Ergò distinctio ex *naturâ rei formalis* Scotistica non minùs, quàm *strictè realis* adversatur simplicitati Divinæ substantiæ.

9. Respondebis ex Radâ *cit. cont. 4. concl. 5. ad 2. confirm.* Concilium Laternense reprobare in Deo Quaternitatem rerum, quatenus tres personæ Divinæ sint realiter eadem res, quæ est Divina substantia seu Natura. Ergò Decretum illud procedere tantùm de identitate reali Essentiæ Divinæ cum Personis, non autem de identitate formali.

10. Contra: Talis identitas Divinarum Hypostasum cum Essentiâ est, ut verificetur in Deo *esse unam summam rem, scilicet Essentiam, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ex cit. c. Damnamus.* Ex hac autem unitate rei in Deo est, quòd *Divina substantia, & Persona re quidem idem sint, secundùm autem modum Intellectionis nostræ videantur differre.* Conc. Florent. *sess. 18.* Ergò unitas rei in Deo inter substantiam & Personam; seu Hypostasin non admittit, nisi rationis distinctionem.

11. Oppones cum Radâ *cit. concl. 5. ad 1.* Concilium Florentinum solùm intendisse, quòd nulla sit realis distinctio inter substantiam Divinam & Personam. Ergò sub distinctione rationis quâ oppositâ reali distinctioni intellexisse eam tantummodò, cum quâ staret in Deo unitas, & identitas realis substantiæ ac Personæ. At distinctionem formalem esse compossibilem cum summâ simplicitate, & identitate reali. Ergo distinctionem rationis, quam unicè inter substantiam & Hypostasin in Divinis agnoscit Concilium, abstrahere à distinctione rationis ratiocinantis, vel rationis ratiocinatæ, vel formali ex natura rei, maximè cùm hæc contineatur sub distinctione rationis ratiocinatæ, adeoquè ab aliquibus vocetur Distinctio rationis ratiocinabilis.

12. Contra. Distinctio ex natura rei formalis dicitur rationis, non quòd ratio sumatur pro differentiâ formatâ ab intellectu, sed quatenùs ratio accipitur pro quidditate rei, secundùm quòd quidditas est objectum intellectûs; *ex Scoto cit. dist. q. 7. n. 43. circa fin.* Unde distinctio formalis est inter duas quidditates, quæ sint entitates distinctæ ante operationem intellectûs, *ex eod. Doctore. n. 41.* At nulla entitas est intelligibilis sine essentia. Quidditas verò, & Essentia convertuntur, imò sunt eadem formalitas. Ergò si Hypostasis Patris esset entitas à parte rei secundùm quidditatem distincta, seu alia à substantiâ Divinâ, consequenter esset alia Essentia Hypostasis, seu Personalitatis Paternæ & alia substantiæ Divinæ. Hoc autem expressè adversatur Concilio Florentino *sess. 24.* ubi Essentiam Divinam vocat Essentiam ipsius Paternæ Hypostasis. *Non enim re ait, sed solâ ratione distinguitur Paterna Hypostasis à suâ Essentiâ.* Cujus rationem proximè antea addit dicebat istis verbis: *Pater enim non disjunctus ab Essentiâ, imò verò cum ipse sit ipsi Essentia non intelligitur distinctam habere Essentiam ab Hypostasi.*

Ecce Pater non intelligitur distinctam habere Essentiam ab Hypostasi, cùm ipse sit ipsi Essentia. Ergò Essentia Hypostasis non est alia ab Essentia substantiæ in Patre. Ex hoc autem infert Concilium *non re, sed solâ ratione distingui Paternam Hypostasin à suâ Essentia.* Ergò in conceptu objectivo Essentiæ & Hypostasis non est à parte rei Essentialis, vel formalis quidditativa distinctio. 13.

Respondebis ex Scoto *cit. n. 43. in fine.* Non adversari Concilio Florentino distinctionem inter Hypostases & Essentiam Divinam, si hæc differentia vocetur virtualis, quatenus illud, quod habet talem distinctionem in se, non habeat rem & rem, sed sit una res habens virtualiter, sive eminenter quasi duas realitates, eò quòd utrique realitati, ut est in illâ re, competat illud proprium, quod tali realitati ita inest, ac si ipsa esset res distincta. 14.

Contra. Nam Scotus hâc suâ virtuali distinctione intendit solùm significare identitatem rei, non autem realitatum seu formalitatum, ac Entitatum in Hypostasi Paternâ & Essentiâ, atque Attributis Divinis *ex cit. q. 7. n. 44. & dist. 8. q. 4. n. 17.* Hæc autem distinctio formalitatum, & realitatum, seu non identitas formalis in eo sita est, quòd una realitas, seu Entitas non includat alteram in ratione suâ formali, sive essentiali per se primò, *ex eod. Doctore cit. q. 7. n. 44. & infra dist. 8. q. 4. n. 18.* At hoc ipso, quòd ipse Pater sit ipsi Essentia, & Essentia Divina sit Essentia Paternæ Hypostasis, *ex allegatis verbis* Concilij Florent. consequens est, quòd Essentia Divina in re seu à parte rei includatur in ratione essentiali Hypostasis Paternæ. Ergò inter Hypostasin Patris & Essentiam ne quidem intercedit distinctio ex naturâ rei formalitatum seu realitatum. Ergò in Divinis inter Essentiam & Hypostases, nec non Attributa omnimodè excludenda est distinctio ex naturâ rei formalis, estquè admittenda virtualis duntaxat cum summâ identitate non tantùm rei, sed etiam realitatum, & formalitatum, in quantum inter eas non est oppositio relativa. 15.

Ratio fundamentalis hanc distinctionem ex naturâ rei formalem excludens est. Summâ enim Divinæ Substantiæ Simplicitas, ex quâ Concilia omnem à parte rei distinctionem extra oppositionem relativam in Deo excludunt, est secundùm purissimam ejus actualitatem. Hæc verò essendi actualitas transcendentaliter est imbibita in omni formalitate quâ Divinâ. Ergò nulla realitas & entitas ex parte objecti est intelligibilis quâ Divina, nisi cum actualissima essendi ratione. At hæc ipsa actualissima essendi ratio in entitate, cui inest, excludit omnimodam potentialitatem in ratione entitatis. At exclusio omnimodæ potentialitatis in ratione Entitatis infert infinitatem in ratione formali entitatis. Atqui infinitas in ratione entitatis in suo conceptu quidditativo à parte rei includit omnem formalitatem Entis. Ergo quia omnis formalitas in Divinis ut sic est actualissima, adeoquè in ratione entitatis infinita, consequenter quælibet perfectio Divina sub quacumque formalitate includit in re, & ex naturâ rei formaliter omnem perfectionem. Ergò purissima actuali- 16.

actualitas, simplicitas, & infinitas in Deo excludit omnem distinctionem ex naturâ rei non tantùm realem, sed etiam formalem realitatum, & entitatum, inter quas non est oppositio relativa.

17. Dices: ex Scoto *cit. q. 4. dist. 8. n. 17. & 18.* Si ex ratione Infinitatis, in formalitate Sapientiæ argueretur inclusio seu identitas formalis Bonitatis; Ergò Sapientia & Bonitas essent una ratio in Deo non tantùm propter Infinitatem, sed propter proprias rationes suas formales. Probatur sequela. Infinitas non destruit rationem formalem illius, cui additur. Ergo si Sapientia & Bonitas in Deo esset à parte rei formaliter una ratio, id esset ex natura rei, & formali quidditate Bonitatis seu sapientiæ in communi: Hoc autem est absurdum. Ergò & id, ex quo sequitur.

18. Contra: Nam Cajetanus *lib. de Ente & Essentia. c. 6.* rectè advertit, aliam esse rationem infiniti *secundùm determinatam rationem v. g. Qualitatis* vel *Quantitatis*: aliam verò rationem infiniti esse, *secundùm quod Ens, vel simpliciter in genere Entis.* At licèt prima infinitas non variet rationem formalem rei; linea enim infinita, & albedo infinita formaliter distinguerentur. Nihilominùs Infinitas *simpliciter in genere Entis, vel secundùm quod Ens*, elevat rem & ejus rationem formalem ad hoc, ut ipsa sit omnis perfectio in Ente possibilis. Hæc autem rationis alicujus formalis ad omnem perfectionem elevatio involvit identitatem formalem omnium perfectionum. Atqui infinitas omnis formalitatis quà Divinæ est simpliciter infinitas in ratione Entis, imò omnis Entitatis. Ergò quælibet formalitas in Divinis habet identitatem cum omni formalitate & Entitate in Deo. Ergò ratio infinitatis in Deo probat efficaciter identitatem formalem omnis perfectionis, & Entitatis, seu realitatis Divinæ.

19. Respondebis: cum Radâ *cit. cont. 4. concl. 4. §. Hoc posito.* Hoc argumento præcisè probari, quòd infinitum simpliciter identificet sibi identitate reali perfectissimâ omnem perfectionem simpliciter sibi compossibilem, ex Scoto *in quodl. q. 5.* At sub istâ identitate reali perfectissimâ in Deo stare Attributa cum suis proprijs rationibus formalibus. Ergò ex Infinitate simpliciter in genere Entis non argui formalem ex natura rei identitatem Divinarum perfectionum, ex Scoto *cit. dist. 8. q. 4. n. 24.*

20. Contra: Nulla formalitas sub ullo conceptu objectivo ex naturâ vel à parte rei est intelligibilis absque ratione formali entitatis, uti colligitur ex Scoto *in 1. dist. 2. q. 7. n. 41.* ubi rationes formales quà ex naturâ rei in Divinis distinctas explicat per nomen entitatis: Hæc autem entitas quà Divina ut sic formaliter à parte rei dicit infinitatem: *ex eod. subtili Doctore. dist. 8. q. 3. n. 18.* ubi ait: *Nihil dici de Deo formaliter, quod est limitatum.* Ergò non est ulla formalitas sub ullo conceptu objectivo intelligibilis quatenus Divina, seu prædicabilis de Deo, nisi quà Entitas infinita, seu quà infinita in ratione Entitatis. At infinitum in Entitate est, cui nihil Entitatis deest eo modo, quo possibile est illud haberi in aliquo uno. Scotus *in quodl. 5.* At possibile est, omnem Entitatem simpliciter simplicem eo modo contineri in Entitate simpliciter infinitâ, quo modo est possibile, esse infinitam. At Entitatem Divinam sub quacumque formalitate conceptam non tantùm *in ratione Entis, sed in ratione Entitatis formaliter* esse infinitam, *constat ex dictis præcipuè n. 16.* Ergo Entitas quà Divina in ratione suâ formali ex naturâ rei continet simpliciter omnem formalitatem simpliciter simplicem adeò, ut Essentia in Deo sit Essentia Hypostasis Paternæ & ipse Pater sit ipsi Essentia, & consequenter Hypostasis Patris sit ex naturâ rei de essentiali conceptu, seu ratione formali Essentiæ Divinæ, *uti ex Concilio Florent. superiùs demonstratum est.* Ergò ex infinitate simpliciter non tantùm Entis, sed Entitatis Divinæ efficaciter excluditur à Divinis Attributis distinctio ex naturâ rei formalis.

Responsio ad argumenta Adversariorum.

AD 1. Scoti *n. 3.* oppositum argumentum Respondetur Distinguendo Propositionem ex S. Augustino productam: Non *eo* Verbum, *quo* Sapientia *realiter actu & formaliter ex natura rei*, negatur: *ratione ratiocinatâ actualiter, & à parte rei virtualiter*, conceditur. Explicatur, & Probatur: Nam unitatis modus est secundùm modum Entis, cujus illa est passio. Ergò Entitatis & formalitatis actualissimæ est unitas actualissima. At quò major est unitas, seu identitas, eò minor est distinctio. Ergò Entitas, quatenus actualissima eatenus dicit unitatem in ratione Entitatis, ut consequenter excludat distinctionem formalitatum. At verò Entitas Divina sub quavis formalitate spectata est infinita non tantùm in ratione Entis, sed Entitatis. *Uti superiùs n. 16. est demonstratum.* Consequens proinde est, 21.
quòd omnis Formalitatis Divinæ Entitas sub Formali Entitatis ratione considerata sit simplicissimè una, nullam adeò admittens distinctionem ex naturâ rei sub formalitate Entitatis, sed sub oppositione solùm relativa. Hinc autē rursus sequitur, *à parte rei formaliter eo* esse Verbum, *quo* est Sapientia, & *eo* esse Patrem, *quo* est Deus, *eo* vivere, *quo* potest, & *eo* posse, *quo* est: velut Augustinus *in Quæstiunculis de Trinit.* loquitur in hæc verba: *Deus eo ipso, quo est, vivit, & eo ipso, quo vivit, intelligit, & eo, quo intelligit, potest, & eo, quo potest, est, quia non differunt in illo Esse, Vivere, Intelligere, Posse.* Ex quo clarè refutatur distinctio ex naturâ rei formalitatum Attributalium, & Essentiæ in Deo. Pari ergò ratione Esse verbi, & Esse absoluti in Deo est unica simplicissima ex naturâ rei omnimodè indistincta Entitas, & ratio formalis. 22.

Ad 2. Respondetur per *ly* Pelagus Essentiæ vel substantiæ intelligi *Esse absolutum.* Hoc verò *Esse* ratione summæ infinitatis identificare sibi cum simplicissimâ actualitate, adeoque *formaliter à parte rei* quamlibet formalitatem, & entitatem omnis perfectionis simpliciter simplicis. Hinc consequens esse, quòd attributa Dei non *à parte rei formaliter*, sed *ratione nostrâ ratiocinatâ cum fundamento in re* circumstent Divinam Essentiam, nec adeò ex hâc, tanquam ex Principio seu radice prodire *ex naturâ rei formaliter*, sed *virtualiter*: Nec tamen ex hoc sequi, quòd Essentia Divina sit Pelagus Divinæ substantiæ non ex se ipsâ, sed per rationem nostram, sive propter hoc duntaxat, quòd circa ipsam, uti circa quaslibet res multæ relationes rationis causari possint. 23.

24. Nam fundamentum istarum relationum, seu distinctionum rationis in Deo est unica simplicissima Entitas, seu formalitas eminentissimè habens *formaliter*, quidquid Trinitas respectiva exigit. ex Cajetano. *1. p. q. 39. a. 1. §. ad Evidentiam. ac seq.* Hæc autem simplicissima Entitatis ratio formalis exposita per *Esse absolutum* dicit Pelagus infinitum substantiæ, seu Essentiæ. Ergò istud pelagus ex *se ipso formaliter* est in Deo *à parte rei*, non autem *ex denominatione*, ac *relatione rationis*, estquè respectu omnis creatæ substantiæ prorsus incommunicabile, utpote ex naturâ & quidditate suâ involvens actualitatem Essendi Purissimam ac ex se Individualiter subsistentem *realiter formaliter* sibi identificantem omnem entitatem possibilem cujuslibet perfectionis simpliciter simplicis.

25. Ad 3. Respondetur Negando, quòd Entitas realiter ante actum intellectûs incommunicabilis in Deo non possit à parte rei esse communicabilis. Explicatur. Nam repugnantia vel est *formaliter ex naturâ terminorum*, diciturquè Oppositio, vel *ex limitatione subjecti*, vocaturq uè Disparata. At ratio Communicabilitatis, & Incommunicabilitatis ex naturâ, & ratione suâ formali in Deo nullam habent inter se oppositionem; non *Contrarietatis*, quia hæc non datur inter Entitates substantiales: non *Relationis*, cùm in Divinis non sit Relativa oppositio, nisi secundùm Hypostases Personales: non *Contradictoria vel Privativa*, siquidem ratio incommunicabilitatis non minùs, quàm communicabilitatis sit entitas formaliter positiva. Ergò si quæ communicabilitatis, & incommunicabilitatis in Divinis esset repugnantia, (vi cujus non possent esse unius entitatis, seu formalitatis) hæc foret ex Limitatione Entitatis Divinæ quà Hypostasis incommunicabilis, ita, ut hæc in se *formaliter* esset limitata, & ratione hujus limitationis non identificata *formaliter* cum entitate naturæ, quà communicabilis. Hoc autem adversatur summæ actualitati quà infinitæ non tantùm in ratione Entis, sed Entitatis, ac formalitatis seu actualitatis purissimæ, *uti superiùs est demonstratum.* Non ergò repugnat, imò ex naturâ rei ita se habet, quòd una simplicissima *à parte rei Formaliter* omninò indistincta Entitas in Deo sit Hypostasis, adeoquè incommunicabilis, sitque simul Natura in primo Supposito communicabilis Verbo, & Spiritui Sancto, ita quidem, ut tota hæc Entitas sub formali entitatis ratione sit communicabilis, & incommunicabilis.

26. Instabis: Etsi inter formalitates positivas ut sic non sit oppositio contradictoria, hanc tamen inevitabiliter quandoquè inferri ex illis, imò involvi in earum rationibus: sic enim duæ præsentiæ circumscriptivæ unius corporis in duobus locis sunt formæ positivæ, & tamen secundùm Scholam D. Thomæ implicant contradictionem à Dei potentiâ absolutâ insuperabilem. At evidens est, rationem Hypostasis quà positivè incommunicabilis formaliter involvere exclusionem communicabilitatis, adeoquè Entitatis quà communicabilis. Ergò hæc repugnantia communicabilitatis cum Hypostasi quà incommunicabili ita est inter formalitates positivas, ut istæ tamen formaliter inferant contradictionem. Ergò non possunt esse unius Entitatis, seu formalitatis.

Respondetur: Formas in inferioribus ita se invicem excludere realiter cum implicantiâ contradictionis respectu unius rei, ut tamen ad rationem substantiæ superioris elevatæ sint unus realiter indistinctus actus: velut virtutes inferiores ad unam Solis virtutem non ut dearticulatæ, seu distinctæ elevantur. Hujus autem ratio est in Ente superiori perfectionis eminentia, vi cujus realem induunt identitatem, quæ in inferioribus distincta sunt realiter. Si proinde perfectionis Eminentia limitata & finita potest tollere distinctionem realem formarum, itaquè contradictionis oppositionem ex inferiorum limitatione provenientem abstergere, consequens est, Infinitatem non tantùm in ratione Entis, sed Entitatis, & purissimæ actualitatis in Deo posse formalitates in inferioribus non tantùm formaliter, sed realiter diversas ita identificare, ut absquè ullâ contradictione una actualissima Entitas sit à parte rei communicabilis, & incommunicabilis, sitquè adeò *Esse absolutum* naturæ, & *Esse respectivum* Hypostasis in Deo. 27.

28.

Urgebis ex Scoto *cit. dist. 8. q. 7. n. 42. & 43.* Hoc igitur Esse absolutum Naturæ communicabilis, & Esse respectivum Hypostasis incommunicabilis intellectus Paternus in primo signo originis intelligit vel tanquam diversa objecta formalia, vel tanquam unum primum objectum Motivum suæ intellectionis? Si asseratur hoc posterius; Contra est 1. Quòd intellectus Divinus in Patre sit formaliter beatus per intellectionem primi sui objecti. Ergò quia Intellectus Divinus Patris in primo signo Originis intelligeret tam Esse Naturæ, quàm Hypostasis incommunicabilis tanquam unum primum objectum motivum, consequenter esset primò beatus intellectione tam Essentiæ, quàm Paternitatis, seu Hypostasis. 29.

2. Filius procedit à Patre tanquam Verbum, & species expressa. Verbum autem, ac species expressa per se primò assimilari debet objecto formali Motivo. At si Verbum per se primò assimilaretur Hypostasi Patris, non minùs Paternitas, quàm natura communicaretur Filio: Ergò Hypostasis Paterna non potest esse primum objectivum motivum Intellectionis in Patre. Cùm igitur intellectus Paternus Naturam, & Hypostasin suâ in primo signo originis non intelligat tanquam unum primum objectum formale motivum, consequenter intelligit illás Entitates tanquam formalitates distinctas. 30.

Probatur ista sequela: Intellectus Dei nihil intelligit in substantiâ Divinâ nisi intuitivè. Atqui cognitio intuitiva est objecti quà præsentis in existentiâ actuali, & hoc vel in se, vel in alio eminenter continente Entitatem ipsius. At nihil intrinsecum Personæ Divinæ propriè continetur in aliquo eminenter, quia tunc esset ens per participationem illius continentis. Ergò Deo intrinseca sunt intuibilia quatenùs terminant intuitionem secundùm propriam existentiam actualem. Ergò ut sic intelliguntur tanquam objecta formalia distincta in se à parte rei. Ergo inter Hypostasin Paternam, & Naturam Divinam est distinctio à parte rei formalis. 31.

Respondetur: Intellectum Paternum in primo signo originis intueri in substantiâ suâ Entitatem, & formalitatem actualissimam habentem in se formaliter Esse absolutum Naturæ, & Esse respectivum Hypostasis, quæ Entitas sit simpli- 32.

simplicissima existentia omnis formalitatis Divinæ, sitquè per infinitatem suam absquè ullâ repugnantiâ formaliter continens omnes simpliciter simplices formalitates involventes in creatis contradictionem. Cujus proinde intuitionis Motivum formale esse actualitatem Essendi ac existendi, quæ actualitas formaliter à parte rei dicat etiam Hypostasin, prout hæc Formaliter ac Essentialiter dicit illam ipsam Existendi actualitatem Essentiæ Divinæ ut sic propriam. Unde sequitur primò: Intellectum Divinum Patris in primo originis signo esse beatum intellectione intuitivâ non suæ duntaxat Essentiæ, sed omnium Divinarum Hypostasum, prout istæ tamen dicunt Intelligibilitatem neque Formaliter neque virtualiter distinctam ab Intelligibilitate Divinæ Essentiæ. 2. Verbum ex vi suæ generationis assimilari Hypostasi Patris *non quoad Esse Ad* sive *quoad Esse Personale*, verùm *quoad esse Essentia* & consequenter *quoad Esse Intelligibilitatis* Hypostasi Paternæ non aliunde competentis, nisi ex Esse Divinæ Essentiæ proprio. 3. Hypostasin Filij quoad Esse tam existentiæ, quàm Intelligibilitatis intellectui Paterno in primo originis signo esse taliter præsentē, ut hanc paternæ generationis Originem* intrinsecè constituat Esse ac Intelligibilitas Hypostasis Filij, non verò hujus Esse ad sive relatio Personalis. At hanc ipsam Personalem relationē esse in illo primo Originis signo intelligibiliter præsentem, quòd ejusmodi origo includat relationis ejusmodi Intelligibilitatem, ejusque Esse subsistens, licèt non* importet ejus Esse quà relativum; *prout alibi ex instituto demonstrabitur*. Constat proinde nihil absurdi inferri ex eo, quòd Esse absolutum Essentiæ & Esse respectivum Hypostasum in Deo eatenus dicuntur ex naturâ rei Formaliter indistincta, ut consequenter se habeant ad intellectum Divinum per modum unius simplicissimi ex naturâ rei indistincti Motivi Formalis.

* in actu quasi Primo

* in actu Primo, sed quasi secundo

33. Instabis: Ex hoc responso ita licere argumentari 1. Formalitas Hypostasis Patris videtur ab Intellectu Divino, quòd ex sua quidditate formaliter sit ipsa Essentiæ Divinæ Entitas, quæ ut sic est communicabilis. Ergò intellectus quoque humanus verè dicit: Formalitas Hypostasis Paternæ est formaliter Entitas communicabilis.

34. 2. Formalitas intellectionis Divinæ videtur à Deo esse formaliter formalitas Volitionis Divinæ. Hæc autem videtur ab intellectu Dei esse formaliter formalitas processionis tam activæ, quàm passivæ Spiritûs Sancti. Insuper formalitas processionis activæ Filij videtur à Deo esse formaliter formalitas processionis activæ Spiritûs Sancti. Hæc autem processionis Spiritûs Sancti formalitas videtur à Deo esse formaliter communicatio Amoris. At hæc ipsa communicatio activa amoris videtur à Deo esse formaliter formalitas communicationis intellectionis. Ergò licebit ex hac veritate Intellectûs Divini inferre per nostrum intellectum: Processio Spiritûs Sancti est formaliter communicatio Intellectionis & Naturæ Divinæ. Ex hoc autem sequeretur, quòd æquè processio Spiritûs Sancti ac Filij esset generatio.

35. Respondetur: Propositiones prætactas ita verificari respectu intellectûs Divini, ut tamen illationes exinde à nostro intellectu deductæ non teneant. *Ratio est*: Nam Deus simplicissimam Essendi formalitatem & actualitatem purissimam cum infinitate summâ *formaliter* in entitate, ac essentialitate suâ omnem formalitatem perfectionis continente ita intuetur, ut nullam *ratione virtualis distinctionis* faciat intellectu suo præcisionem sive *formalem*, sive *objectivam*. At eo ipso, quòd purissima illa formalitas omnimodæ perfectionis Divinæ sit ratione suæ infinitatis *virtualiter*, ac *eminenter* secundùm infinitas formalitates distincta, *consequens* est, unam formalitatem, *ratione hujus virtualis distinctionis* attingi ab intellectu nostro *cum præcisione objectivâ*. Hæc autem *præcisio objectiva* facit respectu rationis nostræ diversam, seu distinctam formalitatem ab alijs, quas actu suo præcisivo ex parte objecti non attingit intellectus. Hinc quia sub ratione Essentiæ 36.
intelligimus *ex parte objecti* entitatem præcisam à formalitate Hypostasis, non verè dico, Essentiam ut sic esse *formaliter* incommunicabilem, vel econtra Hypostasin esse communicabilem, etsi re ipsâ non sit alia formalitas Essentiæ, & Hypostasis, atquè adeò communicabilitatis, & incommunicabilitatis in Deo. Similiter, quia *ratione virtualis distinctionis* in processione Spiritûs Sancti intelligo rationem communicationis Amoris *cum præcisione objectivâ* Intellectionis, verè dico, processionem Spiritûs Sancti esse *formaliter* communicationem Amoris, non autem intellectionis, atquè adeò processionem Filij, non autem Spiritûs Sancti esse *formaliter* in communicationem intellectionis, adeoquè in similitudinem Divinæ naturæ; etsi à parte rei sit una simplicissima formalitas processionis activæ tam Filij, quàm Spiritûs S. siquidem in Deo non sit à *parte rei*, & ante *actum intellectûs nostri* distinctio, ubi non est relativa oppositio. Tota igitur inter processionem activam Filij & Spiritûs Sancti differentia est duntaxat *virtualis*, quæ in eo sita est, quòd processioni Spiritûs Sancti ex ratione propriâ spirationis secundùm personalē spirati proprietatem competat à parte rei formalitas communicationis Amoris, non autem Intellectionis, quæ ipsa tamen communicatio amoris ex ratione simplicitatis, actualitatis & Infinitatis Divinæ *formaliter à parte rei* sit communicatio intellectionis. 37.

38. Hinc *ratione hujus virtualis distinctionis* intellectus noster *per præcisionem objectivam* attingendo in processione Spiritûs Sancti formalitatem seu rationem spirationis propriam, verè dicit, Spiritum Sanctum non procedere *formaliter* in communicationem intellectionis, seu similitudinem naturæ: Cùm econtra intellectus Divinus intuens suam substantiam dicat: Spiritus Sanctus utpote consubstantialis Patri, & Filio per summam Amoris simplicitatem & actualitatem purissimam secundùm Personalem spirati quâ Hypostatico Filij characteri oppositam, & à naturâ *Virtualiter* distinctam Proprietatem procedit *formaliter* in Communicationem substantiæ, seu Naturæ identitatem formalem & actualissimam.

39. Urgebis ultimò: Si dicam, Processio Spiritûs S. non est formaliter in communicationem, seu similitudinem naturæ, tunc de processione Spiritûs Sancti ex parte objecti nego formalitatem communicationis, seu similitudinis naturæ. At non est vera propositio, nisi quatenùs conformatur

matur objecto, prout est in re independenter ab intellectu. Ergò vel illa propositio ut sic non est vera, vel à parte rei processio Spiritûs Sancti non includit formalitatem communicationis naturæ. At hæc non inclusio, vel non identitas formalitatis à parte rei est distinctio ex naturâ rei formalis.

40. Respondetur Distinguendo Minorem: Propositio non est vera, nisi quatenùs conformatur objecto prout est in se independenter ab intellectu *in ratione Quod* conceditur, *in ratione Quo* negatur. At ly *Formaliter* in Majore taliter supponit, ut ex parte objecti *Quo* denotet Præcisionem objectivam, ex parte autem objecti *Quod* significet distinctionem Naturæ & Amoris Divini à parte rei Virtualem, non autem Formalem. Unde illa propositio; *Processio Spiritûs Sancti est Formaliter in similitudinem amoris, non naturæ*: est vera; etiamsi nulla sit Naturæ & Amoris Divini à parte rei Distinctio Formalis. Confirmatur. Non enim potest esse enuntiatio prædicati de subjecto, nisi prævià apprehensione; hæc autem quà dispositiva ad enuntiationem est præcisiva: ista verò præcisio inducit relationem seu distinctionem rationis. Ex hac autem distinctione rationis *tanquam Instrumento Quo* ita attingitur una formalitas, quin ex parte objecti attingatur alia licèt realiter & ex naturâ rei formaliter indistincta. Unde præcisio ejusmodi objectiva inducit formalitatum à parte rei indistinctarum *actualem* seu *formalem rationis distinctionem*, estquè signum *virtualis*, non autem *formalis* realiter

41. objecto inexistentis distinctionis. Si ergò ab intellectu nostro negatur processio Spiritûs Sancti esse *formaliter* in similitudinem naturæ, ista negatio cadit supra processionem Spiritûs Sancti secundùm formalitatem realiter sibi inexistentem tanquam objectum *Quod*, præcisione tamen objectivâ formalitatum processionis, & communicationis naturæ se habente tanquam objecto *Quo*. Unde ex tali negatione *quà secundùm nostrum intellectum* verificatâ non arguitur *ex parte*, seu *naturâ rei*, nisi *Virtualis* & *formalis rationis ratiocinatæ* distinctio, ut adeò *ly formaliter* in prætactâ propositione denotet distinctionem *rationis* seu *præcisionis objectivæ* fundatæ in *virtuali*, non autem *formali à parte rei* distinctione. Verùm ista magis elucidabuntur ex dubio mox sequente.

CONTROVERSIA III.

An Distinctio rationis Attributorum, & Personalitatum à Divina Essentiâ fundetur in eorundem intrinsecâ reali, virtuali distinctione?

1. NEgant Durandus *in 1. dist. 2. q. 3. n. 15. & dist. 12. q. 1. n. 25.* Argentinas *dist. 6. q. 1. a. 3.* Vasquez. *1. p. disp. 16. c. 4. disp. 117. c. 2. & 3. & disp. 119. c. 2. n. 8.* Suarez. *disp. 20. Metaph. sect. 6. à n. 4. & lib. 1. de Attrib c. 22. n. 13.* Franciscus Wandervveken *de Deo uno. disp. 5. n. 25.* Ignatius Derkennis *de Deo uno disp. 5. n. 25.* Probatur 1. Mysterium Divinitatis ac Trinitatis est supra, non autem contra lumen Naturale. Unde non est admittendum, quòd prima luminis naturalis principia sint falsa circa Deum: Nam verum non repugnat vero. At distinctio virtualis admittit veritatem contradictoriorum de unâ realiter indistinctâ entitate. Minor probatur. Ex illa enim virtuali distinctione fit, unam formalitatem Sapientiæ v. g. vel Essentiæ assumi ad intellectum, ejusquè notitiam terminare, relictâ & non terminante alterâ v. g. Bonitate, vel Hypostasi Paternâ: Unde accidit de unâ, eademquè realiter simplicissima, & formaliter à parte rei indistinctâ Entitate, & formalitate verificari, quòd attingatur & non attingatur ab eodem simplici actu intellectûs. Hoc autem manifestam implicat contradictionem. At contradictoria posse simul verificari de unâ simplici formalitate, est contra primum luminis naturalis principium. Ergò illa distinctio virtualis ne in Divinis quidem admittenda est.

2. Si Divinarum perfectionum datur distinctio realis Virtualis. Ergò etiam Beati intuendo Divinam substantiam in Verbo, judicant formalitates in Deo Virtualiter diversas. Ex hoc autem fit, quòd Intellectus Beatus dicat, Intellectio, non autem Volitio est in Deo Patre Principium Verbi. Hoc verò est facere præcisionem objectivam Divinæ intellectionis à volitione. At ista præcisio importat distinctionem, & relationem rationis. Ergo ex distinctione virtuali perfectionum Divinarum sequitur; Beatos intuendo Deum, facere entia rationis. 2.

3. Nihil est intelligibile ex parte objecti sine suâ ratione formali, & essentiali. At in Deo est una ratio formalis, & essentialis complectens formaliter omnes perfectiones Divinas, ut adeò quidquid prædicatur de Deo, dicatur essentialiter tanquam Essentia, & Quid esse Dei: ut passim affirmant Patres, nominatim Anselmus *in Monologio c. 16.* Isidorus *7. Originum. c. 1.* Augustinus *6. de Trinitate c. 4. & 10. Item 7. de Trinit. c. 1. 2. & 8.* Cyrill. Alex. *l. 13. Thesauri. c. 4.* Fulgentius *q. 2. ad Ferrandum Diaconum.* Ergò non est possibile, intelligi unam formalitatem Dei cum præcisione objectivâ reliquarum. At distinctio Virtualis est ratio, & fundamentum attingendi unam formalitatem objecti cum aliarum præcisione non tantùm formali se tenente ex parte actûs, sed cum præcisione objectivâ se habente ex ipso objecto. Ergò distinctio virtualis adversatur puritati & actualitati Divinæ Essentiæ, ac Substantiæ. 3.

E contrario affirmant D. Thomas *in 1. dist. 2. q. 1. a. 3.* Cajetanus *1. p. q. 39. a. 1.* Ioannes à S. Thomâ. *1. p. disp. 4. a. 6.* Ysambertus *1. p. q. 28. disp. 3. a. 7.* Franciscus de Lugo. *disp. 16. de Deo uno. c. 3. n. 5.* Fasol. *q. 4. a. 2. disp. 16. n. 117.* Stadlmayr. *c. 3. de Attribut. Dei in genere §. 3.* Petrus a S. Ioseph. *lib. 1. de Deo uno c. 2. resol. 2.* & plures alij. 4.

CONCLUSIO

IN Deo est realis virtualis distinctio Attributorum inter se, & ab Essentiâ, nec non hujus à proprietatibus Personalibus. 5.

Probatur. Distinctio Virtualis est Eminentia unitatis, vi cujus formæ secundùm rationes suas intrinsecas, & formales in entibus inferioribus arguentes distinctionem realem ita conveniunt in uno Ente, ut cum summâ identitate reali

reali etiam formali huic præstent easdem denominationes formales, ac si realiter essent distinctæ. At in Deo est ratio formalis Sapientiæ, Bonitatis, Iustitiæ, Potentiæ, omnisque perfectionis simpliciter simplicis. Hæ autem arguunt in
6. creatis distinctionem realem. Insuper in Divinis verificatur, *Essentiam Divinam communicari, Hypostasin verò Patris non communicari Filio*; *Personalitatem Filij & Spiritûs Sancti produci, Essentiam verò, & Spirationem activam, Intellectionem, ac cæteras perfectiones absolutas non produci.* Hæc autem prædicata in creatis arguerent contradictionem cum infallibili distinctione reali; in Deo autem conveniunt uni simplicissimæ substantiæ, ac entitati cum exclusione omnimodæ repugnantiæ, & contradictionis. Ergò inter perfectiones divinas est virtualis distinctio, quam S. Augustinus *lib. 6. de Trinit. c. 17.* aptè vocat *Simplicem multiplicitatem & multiplicem simplicitatem.* De quâ Divin. Dion. *lib. de Divin. Nom. c. 5. & 13. Omnia*, inquit, *unitivè est Deus secundum unicam unitatis Eminentiam, in quâ omnia singulariter* (id est per Esse subsistentis individuam actualitatem) *congregata sunt, & superunita.*

7. Dices: Si æternitas secundùm rationem suam formalem intrinsecam ita esset in Deo, ac si esset realiter distincta ab Omnipotentiâ, hoc eatenus verificaretur, quatenus ratio æternitatis non includeret à parte rei essentialiter rationem Omnipotentiæ. Ex hoc autem sequeretur, quòd sine ullo etiam Radicali, seu fundamentali ordine, ac respectu ad rationem nostram vera esset ista propositio: *Deus est æternus per æternitatem, & non per Omnipotentiam.* At hæc licèt admittantur à Franc. de Lugo *cit. c. 3. n. 9. & inf. c. 7. n. 20. & partim à* Stadlmayr *cit. c. 3. §. 6.* exinde tamen inferri videtur, rationem formalem æternitatis ex naturâ rei non esse identificatam cum ratione omnipotentiæ. At istud arguit distinctionem ex naturâ rei formalem. Ergò non videtur distinctio formalitatum in Deo Virtualis explicari posse, nisi secundùm distinctionem Scotisticam ex naturâ rei formalem.

8. Contra: Virtualis distinctio in Deo secundùm se, ac sine ordine radicali ad nostros conceptus nihil aliud est, quàm unitas omnis perfectionis simpliciter simplicis in actualissimo Esse subsistentis. Ex hac verò unitate fit, quod ratio æternitatis sit *formaliter* ratio Omnipotentiæ, & omnis formalitatis Divinæ, ita tamen, ut Omnipotentia non solùm *eminenter*, aut *virtualiter*, sed *formaliter* sit in Divinâ substantiâ, hanc *formaliter* constituendo æternam, non aliâ *formalitate*, quàm Omnipotentiæ, & totius simplicis Esse Divini. At ista virtualis distinctio ut sic non dicit aliam rationem æternitatis & aliam Omnipotentiæ, sed unam simplicissimam formalitatem, quæ nec sit purè Omnipotentiæ, nec purè Æternitatis, sed omnis formalitatis Divinæ actualitas; ut adeò verum sit, hac formalitate DEUM constitui æternum, quâ constituitur à parte rei Omnipotens, *uti in præcedentibus demonstratum est.* Ergò non verificatur propositio: *Deus est æternus non Omnipotentiâ, sed æternitate*, nisi cum Ordine saltem radicali ad nostros conceptus *objectivè præcisivos.*
9. Unde Virtualis distinctio non in eo sita est, quòd ratio æternitatis vel Essentiæ à *parte rei* non includat rationem seu formalitatem Omnipotentiæ, vel Hypostasis, sed quòd omnes istæ formalitates in subjecto limitatæ substantiæ repugnantes, ac se mutuò excludentes, secundùm rationes suas essentiales sint *formaliter* in Deo una simplicissima in ratione Entitatis infinita formalitas. Ex hâc autem infinitate, adeoque improportione Intellectûs creati fit, ut hic non unam simplicem formalitatem in isto infinito Essendi pelago, sed singulas rationes Divinarum perfectionum cum *præcisione objectivâ* intelligat seorsim. Velut Doctor Angel. *in 1. dist. 2. q. 1. a. 3.* tradit sequentibus verbis: *Quòd autem Deus excedit intellectum nostrum, est ex parte ipsius Dei propter plenitudinem perfectionis ejus, & ex parte intellectûs nostri, qui deficienter se habet ad eam comprehendendam.*

Instabis: Eo ipso, quòd in Deo sit à parte rei unica simplicissima ratio, quæ formaliter sit cōstitutiva Dei in ratione Æterni, Omnipotentis, Sapientis, consequens est, quòd ratio Sapientiæ Dei non sit purè in ratione Sapientiæ, sed in ratione quâdam Eminentiali includente *à parte rei* rationes omnis formalitatis, ac perfectionis Deo inexistentis. 10.

Contra. Ratio propria alicujus formalitatis positivæ ex suâ quidditate non dicit exclusionem alterius formalitatis, sed ista exclusio, seu repugnantia est ex limitatione Entis. Ergò in entitate infinitâ formalitas omnis perfectionis simpliciter simplicis subsistere potest sub ratione propriâ quidditativâ, absque ulla repugnantiâ, & exclusione formali, seu quidditativâ alterius formalitatis. 11.

Probatur Antecedens. Ratio propria cujuslibet formalitatis simpliciter simplicis est per prius in Deo, quàm in Creaturâ, utpote cui non competit nisi per participationem. Ergò ratio propria ejusmodi formalitatis secundùm rationem quidditativam est per prius infinita in ratione Entitatis, quàm finita. Sed quà in ratione Entitatis infinita includit omnem Entitatem, & formalitatem simpliciter simplicem. Ergò ratio quidditativa cujuslibet formalitatis simpliciter simplicis non per prius, sed per posterius in ente limitato dicit exclusionem alicujus simpliciter simplicis formalitatis. Constat igitur, quòd ista unitas formalitatis in Deo non impediat, quò minus perfectiones simpliciter simplices sint in Deo *formaliter* secundùm proprias rationes, & non tantùm eminenter. 12.

Urgebis: Non communicari dicit formaliter exclusionem communicationis; non produci formaliter importat exclusionem productionis; esse ex ratione suâ propriâ communicationem Amoris, non autem intellectionis, formaliter involvit exclusionem non communicationis Amoris, & communicationis intellectionis. Sed ecce Hypostasis Patris realiter non communicatur, & Essentia Divina formaliter actu à parte rei indistincta communicatur Filio. Personalitas Filij realiter producitur, & Natura à parte rei indistincta non producitur. Spiratio activa ex ratione suâ propria est communicatio Amoris, non autem Intellectionis: & generatio activa à parte rei formaliter indistincta ex ratione suâ propriâ est communicatio intellectionis, non autem amoris. Atqui hæc prædicata ex se repugnantia, imò contradictoria, adeoque se invicem excludentia verificantur de unâ substantiâ, quà *virtualiter* secundùm proprias formalitatum 13.

 tum

tum rationes distinctâ. Ergo virtualis distinctio facit, quòd ratio unius formalitatis à parte rei non includat rationem alterius virtualiter distinctæ formalitatis.

14 Contra: Non communicari in Hypostasi Patris dicit distinctionem realem respectu Hypostasis Filij: Communicari verò in Essentiâ Patris dicit identitatem cum substantiâ, & Personâ Filij. Produci dicit emanationem unius ab alio, adeoque *formaliter* importat distinctionem producentis, & producti: cùm econtra non produci in Deo dicat Unitatem substantiæ, & omnimodæ perfectionis absolutæ. Esse ex ratione suâ propria Communicationem Amoris, non autem Intellectionis, importat formalitatem spirationis, cui ex ratione suâ propriâ ita competit esse communicationem Amoris substantialis, ut communicatio intellectionis substantialis seu naturæ Divinæ eidem tamen conveniat ex ratione infinitatis, & purissimæ actualitatis: sicut econtra generationi ex ratione suâ propriâ competit esse communicationem Intellectionis, seu Naturæ Divinæ, & tamen eidem ex ratione Infinitatis, & Actualitatis *transcendentaliter, & à parte rei formaliter* conveniat esse communicationem Amoris. Hæc autem ratio propria communicationis Amoris importat proprietatem Hypostasis in Spiritu Sancto, quam non infert in Filio communicatio Amoris ex ratione infinitatis, & actualitatis, sicut econtra ratio propria communicationis Intellectionis, seu Naturæ in Filio importat proprietatem Personalem, quam communicatio ejusdem substantialis Intellectionis seu Naturæ ex vi, & ratione Infinitatis, seu Actualitatis non infert in Spiritu Sancto. Constat igitur, prætacta prædicata importare formalitates reales positivas Deo inexistentes.

15. At in Deo nulla est repugnantia vel oppositio, nisi relativa secundùm Hypostases. Ergò illa prædicata quatenùs important distinctionem Hypostasum sunt opposita relativè, alioquin nullatenùs repugnantia. At quando una ratio in Deo à parte rei non includeret rationem alterius formalitatis *virtualiter* distinctæ, hæc à parte rei non inclusio, seu exclusio rationum inferret repugnantiam earundem saltem Disparatam, seu distinctionem ex Natura rei. Ergò nullatenus in Deo admittenda est illa à parte rei non inclusio essentialis, seu exclusio rationum. Unde sicuti est à parte rei una in Deo quidditas & Essentialitas, seu Entitas Hypostasis, & Naturæ, Spirationis activæ, & Generationis activæ, ita una est formalitas ex parte rei significata per ly *Non produci* in substantiâ: & per *ly produci* in Hypostasi. Neque in Spiratione *To Non esse ex propriâ ratione communicationem Intellectionis*; vel in generatione *To non esse ex propriâ ratione communicationem Amoris* importat ex parte rei aliquam negationem, sed formalitatem positivam, quæ à parte rei importet realitatem communicationis, in generatione etiam Amoris; in spiratione verò Intellectionis, non quidem ex propria, quà objectivè præscindibili ratione, sed ex ratione infinitatis, & actualitatis Transcendentaliter imbibitâ in omni formalitate quà Divinâ.

16. Instabis denuò: S. Thomam in *1. dist. 2. q. 1. a. 2.* ita discurrere: *Quia unumquodque Attributum est in Deo secundùm verissimam sui rationem, & ratio Sapientiæ non est ratio Bonitatis, in quantum hujusmodi, relinquitur, quòd sunt diversa ratione non tantùm ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* Ex quo clarè evinci, quòd ratio Sapientiæ ex parte, seu proprietate ipsius rei non includat essentialiter rationem Bonitatis in Deo.

Contra: S. Doctor *seq. a. 3.* asserit, si intellectus noster videret Deum per se ipsum, posse illi ratione suâ nomen unum imponere. Hoc autem nomen unum significaturum nec Bonitatem tantùm, nec Sapientiam tantùm, aut aliquid ejusmodi, sed significata omnium istorum. Ergò ad oculum patet, rationem Sapientiæ, Bonitatis, & omnium Attributorum esse in Deo à parte rei *essentialiter* unam rationem. Unde in verbis *superius* allegatis apprimè notandum est, quòd Doctor Angelicus dicat, rationem Sapientiæ *in quantum hujusmodi*, id est, ex ratione suâ propriâ quà objectivè præscindibili non esse ratione Bonitatis, etsi ratione infinitatis, & actualitatis in Deo sit à parte rei una ratio Sapientiæ, Bonitatis & omnis formalitatis Divinæ. Ergò non est dicendum cum Franc. de Lugo. *c. 7. n. 20.* quòd Essentia Dei, & Attributa eatenùs inter se distinguantur *virtualiter*, quatenùs ratio Essentiæ non includat à parte rei *Essentialiter Attributa Divina.* 17.

Urgebis ultimo. Si ratio Essentiæ includit ex parte rei, seu objecti essentialiter Attributa Divina; Ergò intellectus noster intelligendo rationem Essentiæ, ex parte objecti apprehendit etiam attributa, imò unicam illam rationem, quæ formaliter per essentialem inclusionem fit ex parte rei, seu objecti Essentia, & tota perfectio etiam Attributorum in Deo: Ex hoc autem sequitur, quòd Attributa, & Personalitates relativæ distinguantur ab Essentiâ per præcisionem duntaxat formalem, distinctione rationis se tenente ex parte tantùm intellectûs, non autem per præcisionem objectivam formalitatum. 18.

Contra: Nam verè dico: Essentia Divina non est generans, neque genita, neque procedens, ex *cap. Damnamus. de Summâ Trinitate.* Insuper verò affirmo: Intellectus in Deo Patre est principium generationis, non autem Spirationis: Item, Voluntas, non autem Intellectus est in Patre, & Filio principium Spiritûs Sancti. At istæ negationes non possent verificari, nisi fieret, formalitatum Essentiæ & suppositorum Generantis, Geniti, & Procedentis, nec non Intellectûs, & Voluntatis præcisio ex parte objecti. *Probatur sequela Minoris*: Nam negatio distribuit, quidquid post se invenit. Ergò si in hac propositione *Essentia non est generans*, *ly Essentia & tò Generans* non supponunt præcisè, istud *pro formalitate Suppositi Generantis*, illud *pro formalitate Essentiæ, seu Esse absoluti*, tunc redditur sensus, Entitas Essentiæ nihil est Entitatis, secundùm quam Primum Suppositum in Divinis est generans. Similiter in hac propositione; *Intellectus Divinus non est principium Spiritûs Sancti*, redderetur sensus, Entitas intellectûs Divini non est quidquam illius Entitatis, seu rei, quæ est Principium Spiritûs Sancti. At indubitatum est, hos sensus esse falsos. Ergò ad illarum propositionum veritatem adstruendam, oportet ex parte objecti aliam formalitatem importari in subjecto, & aliam in prædicato, siquidem negatio unius 19.

unius de alio formalissimè dicat distinctionem prædicati, & subjecti. Cùm proinde Intellectus humanus de Essentiâ Divinâ verè neget, *Esse generantem*, hæc autem negatio sit de fide, tangatque Veritatem Divinam in se subsistentem, quà substantem conceptioni nostræ per fidem instructæ; consequenter distinctio formalitatum, quam prætacta negatio significat, non est penes *conceptiones duntaxat formales*, sed *realitatem Divinæ substantiæ intrinsecam*, *nostroque intellectui re-*
20. *præsentatam per revelationem æternæ Veritatis.* Atqui hæc veritas, quatenus negat, *Divinam Essentiam esse generantem*, non subsisteret, nisi *formalitas Generantis* respectu intellectûs nostri esset secundùm rationem suam intrinsecam alia, quàm *formalitas, & ratio Essentiæ.* Hæc autem formalitatum in objecto distinctio antecedenter ad illud judicium negationis fit per simplicem apprehensionem Intellectûs *sub nomine Essentiæ* intelligentis præcisè formalitatem Esse absoluti Divini, *sub nomine autem Generantis* apprehendennis Patris etiam formalitatem Hypostasis, ac Relatio-ternæ. At hoc ipsum est *præcisio objectiva*, vi cujus *ex parte objecti* intellectioni respondet una formalitas sine alterâ *realiter formaliter* identificatâ. Ergò in Divinis ad veritates Fidei nostro intellectui ritè accommodandas, necessariò admittendæ sunt præcisiones objectivæ, quarum fundamentum sit *Virtualis distinctio*; secundùm quam omnis perfectionis simpliciter simplicis formalitates vi purissimæ actualitatis, & infinitatis *formaliter à parte rei* in Deo identificatæ subsistunt non tantùm in Eminentiali aliquâ ratione, sed in rationibus suis eatenus pro-prijs; quatenus ex se ipsis sunt *Objectivè Præ-*
21. *scindibiles.* Velut eleganter insinuavit D.Thomas *cit. a. 3.* asserens, *Quod pluralitas in Deo non tantùm sit ex parte intellectûs nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei, ita ut tali pluralitati non respondeat pluralitas rei, sed plena Dei perfectio.* Et hinc Divin. Dionysius *c. 9. de Divin. Nom.* hanc *Divinam plenæ perfectionis alteritatem* vocat *unitivam multiplicem formationem absque ullâ incomprehensibilis identitatis variatione.*

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

22. AD primum *n. 1.* oppositum Respondetur negando Minorem, ac distinguendo ejus probationem, ita ut verum quidem sit, aliquam committi contradictionem, *dum Esse Dei absolutum sine esse respectivo à se indistincto per nostram intellectionem attingitur*, quæ tamen contradictio non sit penes Virtualem *Esse Divini absoluti* ac *Respectivi Hypostatici* distinctionem, sed sit per objectivam virtuali distinctioni ratione nostrâ ratiocinatâ superstructam præcisionem. Ratio hujus responsionis est. Nam Virtualis distinctio in eo sita est, quòd in unâ Entitate realiter identificentur prædicata non ex rationibus suis formalibus, sed ex limitatione alicujus subjecti contradictoria. Unde fit, quòd nulla sit contradictio Formalitatum Enti infinito inexistentium, sed harum omnimodam, ubi non est correlatio, oppositionem ex ratione infinitatis excludentium sit actualissima identificatio. Quæ proinde ratio evincit, non pugnare cum primis luminis Naturalis Principijs, quòd idem Ens infinitum sit absolutum ac respectivum, atque adeò substantia Dei Patris *in esse absoluti* identificetur; *in Esse autem respectivi* distinguatur realiter à supposito Filij. Etsi verò secundùm præcisionem objectiva Formalitas Esse Divini absoluti tangatur ab Intellectu, quin Esse respectivi realiter indistincta Formalitas attingatur, nulla tamen est in hoc etiam oppositio cum lumine & ratione naturali. Etenim si quæ in hoc sit contradictio, resultat ex *objectiva* Esse absoluti ac respectivi Divini *præcisione.* Hæc autem præcisio fundat denominationem ac relationem rationis. At non est con- 23.
tra, sed potiùs secundùm rationem naturalem, quòd in denominatione seu relatione sive Ente rationis involvatur implicantia contradictoria. Quamvis igitur per nostrum intellectum aliqua inter Formalitates Divinas *objectivè* præcisa fundetur contradictio, in ista tamen præcisione id utilitatis est, quòd *per modum præviæ dispositionis seu instrumenti intentionalis* se habeat ad propositiones, de Deo cum fidei veritate taliter efformádas, ut nihil falsitatis ponatur in objecto, cùm act⁹ ille præcisivus sit simplex apprehensio formalitatũ istas distinguendo in *actu exercito*, quin intellect⁹ & ratio nostra in *actu signato* dicat eas distinctas.

Ad 2. oppositùm respondetur: Beatos intu- 24.
endo Divinitatis substantiam, in hac videre quidem Virtualem Formalitatum Distinctionem seu unitatem Eminentialem, nec tamen facere inter ipsas aliquam præcisionem objectivam. Ratio est. Nam Virtualis in Divinis distinctio in eo consistit, quòd omnes perfectiones simpliciter simplices sint in Deo *formaliter* secundùm proprias suas rationes; quæ tamen ratione actualitatis purissimæ, & infinitatis sint una simplicissima formalitas. Quam proinde formalitatem cum illâ unitatis eminentiâ seu Virtuali distinctione intuendo Beatus non dicit, *Intellectio, non autem Volitio in Deo Patre est Principium Spiritûs Sancti.* In hac enim propositione particula *Non* supponit objectivam volitionis ab intellectione Divina præcisionem; Ejusmodi verò præcisio non habet locum in visione Dei intuitivâ, *velut infra probabitur.* Quare Beatus non *per viam negationis*, sed *simplicis affirmationis* in Verbo dicit: In Deo Patre ratio propria Intellectionis est Principium Verbi, quæ ratione purissimæ suæ actualitatis & infinitatis sit omnis, & plena perfectio simpliciter simplex formaliter realiter identificata cum ratione propriâ volitionis, & formalitate principij SpiritûsSancti. Quod 25.
S. Thomas *cit. a. 3.* expressit asserendo. *Si intellectus noster Deum per se ipsum videret, impositurum ei nomen, cujus unica ratio significata includeret omnium Divinarum perfectionum formalitates: etsi idem Beati intellectus has conspiciendo mediante suâ conceptione, quam impossibile est repræsentare totam Divinæ Essentiæ perfectionem secundùm creatas has*, nempe extra Verbum *conceptiones, Deo imponeret plura nomina*, attestante S. Chrysostomo, *Angelos laudare Deum, quosdam ut Majestatem, quosdam verò ut Bonitatem.* Constat igitur, Intellectum Beati non per Visionem in *Verbo*, sed per suas conceptiones *extra Verbum* facere circa Deum objectivas Divinarum perfectionum præcisiones: ut adeò Franciscus de Lugo *cit. disp. 16. n. 5. n. 17.* tantò videatur magis reprehendendus, quòd in Divino etiam Intellectu admittat Entia rationis seu distinctionem formalitatum Divinæ substantiæ.

Ad 3. concessa Majore & Minore Respondetur. 26.
In termino *Essentialiter* esse æquivocationem; Nam

Nam *absolutè* dicitur *Essentiale*, sine quo res nec esse, nec concipi potest, ut sic autem verificatur, quòd respectu Intellectûs Essentiam & attributa Divina præscindentis formalitates attributales non enuncientur de Deo Essentialiter ac in Primo Modo dicendi per se, *veluti constat ex Sanctorum Patrum sæpius allegatis verbis*. Verùm *cum addito à parte rei* Deo Essentialis dicitur omnis formalitas, quæ secundùm Transcendentalem puræ actualitatis, & in essendo infinitatis rationem ex naturâ rei Formaliter includitur in esse Divino, *veluti Patres in objectione adducti accipiendi sunt* In quo proinde sensu Deus *Exodi 33.* Moysi postulanti, ut *ostenderet sibi faciem*, adeoquè Essentiam,
27. respondit: *Ostendam tibi omne Bonum*. Ex hoc enim evincitur, omnem perfectionem simpliciter simplicem ita esse à parte rei de Essentiâ Dei, ut in hac ipsa tamen *tanquam Bono* quasi collectivo sit Distinctio virtualis, in qua radicetur Formalitatum objectiva per nostrum Intellectum præcisio, per quam una Formalitas intelligatur instar Essentiæ, reliquæ autem more accidentium; veluti Patres sæpe citati loquuntur.

COROLLARIUM.

28. Infertur 1. Qualiter distinctio ex naturâ rei formalis conveniat, & qualiter differat à Virtuali distinctione. Nam 1. Scotus distinctionem ex natura rei Formalem in Deo ponit, eò quòd formalitates Sapientiæ, Bonitatis, omnisquè perfectionis sint in Deo secundùm proprias suas rationes. At has ipsas rationes proprias formaliter importat distinctio Virtualis, quin tamen à parte rei actu sint diversæ realitates, sed ratione purissimæ actualitatis & infinitatis una simpli-
29. cissima Entitas. 2. Ex *formali distinctione* generationis activæ, & Spirationis activæ arguunt Scotistæ de una Simplici re verificari formalitates à parte rei diversas, ita ut realitas generationis activæ sit communicatio intellectionis Substantialis, ac Naturæ Divinæ, non autem Amoris: econtra realitas Spirationis activæ sit communicatio substantialis Amoris, non autem intellectionis, & Naturæ Divinæ. At hæc tota Veritas ita subsistit ex virtuali ac eminentiali distinctione, quin alia sit realitas generatio-
30. nis activæ & alia Spirationis activæ. Nam spiratio activa ex propriâ suâ ratione *nimirum quà objectivè præscindibili à generatione* est communicatio amoris, *& ex ratione transcendentali purissimæ actualitatis, ac Essendi infinitatis* est etiam communicatio Naturæ Divinæ, sicut econtra generatio activa *ex ratione suâ propriâ* est communicatio Naturæ, & Intellectionis Divinæ, *& ex ratione transcendentali purissimæ actualitatis* in Deo est communicatio etiam Amoris. Ex his autem *rationibus propriis* per Essendi infinitatem à parte rei omnino indistinctis sequitur: generationem activam esse productionem Verbi; cujus Hypostasis *ratio propria* est, esse subsistentiam Intellectionis, seu Naturæ Divinæ, Spirationem verò esse productionem Spiritûs Sancti, cujus Hypostasis *ratio propria* est, esse subsistentiam Amoris substantialis. Unde quòd Scotistæ in Divinis exponunt per distinctionem realitatum, seu formalitatum, hoc ex *virtuali distinctione* explicatur per simplicissimam formalitatem *propriarum rationum* in perfectionibus Divinis *ratione Infinitatis Essendi & actualitatis purissimæ* à parte rei omnino indistinctarum, ex se ipsis tamen objectivè præscindibilium.

Infertur 2. Formalitates Divinas, seu Attributa Dei verè de se invicem in sensu formali negari, non ratione distinctionis ex natura rei formalis, sed virtualis à parte rei, & formalis per præcisionem objectivam. Probatur, & explicatur. Nam verè dico, Essentia Dei non generat, Deus vult non intellectu, sed voluntate, Misericordia ut sic non est Iustitia, Deus vivit, quà intelligit, non autem quà immensus. Econtra verè etiam affirmo, Deus est Deitas, Bonitas in Deo est Sapientia, Generatio activa in Patre est Spiratio activa; Relatio Spiratoris est relatio Filiationis. Cujus Disparitatis ratio est, quòd posterioris generis enunciationes procedant in sensu reali identico, illæ autem priores in sensu formali. At si ratio Iustitiæ, Bonitatis, relationis Spiratoris, & Filiationis in Deo essent formalitates ex naturâ rei distinctæ, tunc in posterioribus quoquè enunciationibus esset sensus formalis, nec adeò illæ formalitates possent de se invicem affirmativè enuntiari. Signum igitur est illas formalitates in *sensu etiam formali* acceptas non arguere distinctionem ex natura rei, sed rationis ratiocinatæ formalem ex vi præcisionis objectivæ fundatam in distinctione reali virtuali. 31. 32.

Infertur 3. Deum suo intellectu inter Essentiam & Formalitates attributales designare Virtualem distinctionem quatenus in suo Actualissimo Esse in se Intelligibiliter expresso intuetur infinitam imitabilitatem activam ex quà deriventur Intelligibiliter creatæ Essentiæ possibiles cum immersione potentialitatis, adeoque sub limitatione & consequenter cum distinctione participantes Formalitates ex Dei Esse purissimo derivabiles. Ratio est. Quia distinctio Virtualis est Eminentia unitatis habens in suo actualissimo Esse omnimodæ perfectionis simpliciter simplicis formalitates & rationes proprias in creatis formis ex immersione potentialitatis realiter distinctas. At illa Unitatis Eminentia Formalitates in creatis formis distinctas sub actualissimi Esse ratione simplicissimâ continens intelligitur à Divino Intellectu conspici pro illo signo, in quo intuetur creatarum Essentiarum formalitates Intelligibiliter derivari ex activa infinitæ suæ Essendi actualitatis imitabilitate. 33.

***



QUAE-

QVAESTIO TERTIA
DE
ATTRIBUTIS DEI IN-SPECIE.

1. Uibus in hâc vitâ non nisi *per speculum in AEnigmate 1. Corinth.13. vel procul* in creaturis *Iob.36.* Deum intueri licet, duplex est via ascendendi ad Divinarum perfectionũ contemplationem; Altera per negationem, Altera per affirmationem. De priori Divinas perfectiones cognoscendi viâ scilicet per remotionem imperfectionum, quibus immersa est omnis creata perfectio, S. Damascenus *lib. 1. Fidei c. 4. circa finem* ait: *De Deo, quid est secundùm substantiam, dicere impossibile; convenientiusquè de Deo longè est, per omnem ablationem facere sermonem; nam nihil eorum, quæ sunt, est, non ut non Ens, sed ut omnia Entia supereminens, & super ipsum Esse Ens.* Ex quo patet, in ijs etiam prædicatis Divinis, quæ nominetenus sunt affirmativa, involvi aliquid *præcellentis negationis*, uti exprefsè tradit Damascenus *cit c.4.* Sic enim Deum cognoscendo Ens à se apprehendimus sub negatione omnimodæ potentialitatis.
2. In quo sensu Divinus Dionysius, & alij Patres Deum vocando supersubstantiam, supersapientiam, superinfinitam virtutem, contendunt insinuare præcellentem illam negationem imperfectionis formis creatis immersæ, Quod tamen non ita accipiendum est, quasi Nomina Dei tum affirmativa, tum negativa sint adinventa ad removendum duntaxat imperfectiones Deo inconvenientes, quin significent positivam Divinam perfectionem, sed quòd imperfectè tantùm significent perfectiones Divinas non nisi ex creaturis imperfectè eas repræsentantibus cognitas à nostro intellectu. uti probat S.Tho. *1. p. q. 13. a. 2.*
3. Unde fit, nullum Dei nomen esse vel purè affirmativum vel purè negativum, cùm & negationes Deo attributæ significent aliquid Divinæ Excellentiæ; & affirmationes de Deo importent perfectiones Dei quà depuratas ab imperfectionibus: ut proinde Divin. Dionysius *c. 7. de Divin. Nom.* rectè dixerit: *Deum à nobis cognosci & scientia & ignoratione*, ita quidem, ut ignorando per ablationem inveniamus puritatem Esse Divini; & sciendo ex creaturis investigemus perfectionem Dei per viam Causalitatis seu Eminentiæ, ignoremus tamen ejus quidditatem & Essentiam, vel saltem non nisi in speculo vel ænigmate fidei hanc cognoscamus.

ARTICULUS I.
DE
Simplicitate DEI.

Formalitas summæ Simplicitatis in Deo explicari solet per negationem omnimodæ tam compositionis, quàm componibilitatis. Ex Alberto Magno. *1. p. sum. tract. 4. q. 20. memb. 3. §. in Contrarium*: arguiturquè ex ratione Aseitatis, adeoquè Entis primi ac necessarij seu purissimæ ejus actualitatis & infinitatis ex S. Tho. *1. p. q. 3. per totam.* D. Bonaventura *in 1. dist. 8. p. 2. q. 2.* Scoto *ead. dist. 8. q. 2. a. n. 2.* Ex quo fundamento Doctor Angelicus *dictâ q. 3. a. 1.* infert 1. Deum non esse corpus Physicum; hoc enim non movet nisi motum, Deus autem est primum movens immotum. 1.
2. Nec esse corpus Mathematicum, hoc enim est divisibile in infinitum: divisibilitas autem dicit potentialitatem, quæ adversatur purissimo actui, ac Enti primo. 2.
3. Nec esse corpus Metaphysicum, hoc enim nobilior est Spiritus magis separatus à materialitate & potentialitate; Deus autem hoc ipso, quòd sit Ens à se primum, & purissimus actus, est infinitus in ratione Entis & substantiæ. 3.
4. *Art. 2.* probat; non esse compositum ex materia & formâ, quia omne compositum ex materiâ & forma est per participationem formæ, quæ utpote limitata ad materiam non potest esse primus, & purus actus. 4.
5. Demonstrat *a. 6.* Cùm Deus sit actus purus, ac ipsum Esse, primumquè Ens, ac prima causa, nullum in ipso esse accidens, utpote quod ex parte subjecti supponat potentialitatem vel ex principijs intrinsecis subjecti, vel ex principio aliquo extrinseco, cujusmodi causalitas adversatur Enti primo, & Causæ primæ. 5.
Quibus adeò tanquam facilioribus suppositis: Difficultas prima & secunda est. *An ex ratione puri actûs in Deo ita probetur identitas Naturæ & subsistentiæ, item existentiæ ac Essentiæ, ut nulli substantiæ creatæ sit communicabilis.* Tertia. *An Compositio rationis ex genere & differentiâ adversetur rationi primi Entis & purissimi actûs.* 6.

CONTROVERSIA I.

An soli Deo ratione summæ Simplicitatis & actualitatis conveniat identitas Naturæ & Subsistentiæ.

1. NEgativa videtur evinci ex S. Tho. *præs. a. 3.* ita concludente: *In his igitur, quæ non sunt composita ex materiâ & formâ, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est, per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se individuantur, oportet, quòd ipsæ formæ sint supposita subsistentia: Unde in eis non differt Suppositum, & Natura.* Atqui natura Angelica non est composita ex materia & forma. Ergò est per se individuata. Ergò est per suam entitatem subsistens. Ergò non differt à suâ subsistentiâ, velut idem S. Doctor. *q. 7. de potentiâ a. 4.* tradit; *In Angelis* inquiens, *quodlibet suppositum est sua natura.*

2. Verùm, subsistentiam in solo Deo esse indistinctam à naturâ, efficaciter probat idem Angelicus Doctor. *quodl. q. 2. a. 4. in corp. & ad 1.* quod supponit etiam *3. p. q. 4. a. 1. ad. 3.*

CONCLUSIO.

3. EX ratione purissimæ actualitatis demonstratur, in solo Deo esse subsistentiam indistinctam à naturâ.

Probatur. Hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout est in suo complemento. S. Tho. *3. p. q. 2. a. 3. ad 2.* Unde subsistentia supponit naturam etiam quà singularem, & individuam, cujus est complementum reddens illam incommunicabilem alteri. ex S. Tho. *3. p. q. 2. a. 3. ad. 2. & q. 9. de potentiâ a. 1. ad 1. & a. 2.* ubi ait: *Subsistentiam esse modum existendi in singulari substantiâ, qui modus fit*
4. *Esse per se existens.* Si proinde in substantiâ aliquâ sit distinctio individuationis, & naturæ, consequenter etiam subsistentia est distincta à tali natura. Atqui in compositis ex materiâ & formâ individuatio est per materiam sub dimensionibus quantitativis. Ex S. Thomâ *1. p. q. 3. a. 3. & in 1. dist. 1. q. 2. a. 5. ad 1. & in 3. dist. 12. q. 1. a. 1. q. 3. ad 3.* Ergò sicuti principia individuantia in ejusmodi compositis sunt extra principia formalia seu definientia, sic consequenter subsistentia est
5. distincta à naturâ. Deinde licèt formæ irreceptibiles in materiâ seu substantiæ Spirituales per se individuentur; sicut in Angelis principia individuantia non distinguuntur à principijs formalibus naturæ & speciei. ex eod. S. Doct. *1. p. cit. a. 3. item q. 5. a. 4. & q. 2. quodlib. a. 4. ad 1.* Nihilominùs quælibet etiam immaterialis creata substantia est receptiva formarum, quæ sunt extra ejus essentiam. Hæc autem ratio recipiendi, seu sustentandi accidentia convenit substantiæ ratione subsistentiæ. Atqui ratio sustentandi, seu substandi accidentibus est extra quidditatem naturæ, seu speciei. Hinc enim à Philosopho *in prædic. cap. de substantiâ* dicitur, *esse substantiæ proprium quarto modo substare accidentibus.* Ergò subsistentia in omni substantiâ creatâ etiam immateriali est extra quidditatem naturæ, & speciei, *velut ex deducto fundamento* concludit Aristoteles *7. Metaph. tex. 21. Secundùm hoc ergò*, inquiens, *cuicumque potest aliquid accidere, quod non sit de ratione suâ, in eo differt res & quod quid est, sive suppositum, & Natura.*

Cùm proinde in solo Deo non inveniatur aliquod accidens præter ejus Essentiam, consequenter in Deo tantùm est omnino idem Suppositum & natura, *uti argumentatur* D. Tho. *cit. q. 2. quodl. a. 4. in corp.* At ex ratione actûs puri, & ratione Essendi sive existendi per Essentiam infertur in Deo nullum esse accidens. S. Doctor *loc. proximè cit. & 1. p. q. 3. a. 6.* Ergò ex eo, quòd ratio actûs puri & essendi vel existendi per Essentiam soli Deo convenire possit, efficaciter demonstratur simplicitas Divinæ substantiæ secundùm identitatem naturæ & subsistentiæ, ita ut hæc identitas nulli creatæ substantiæ communicabilis sit. 6.

Ad fundamentum *n. 1.* oppositum

REspondetur: Subsistentiam quandoquè sumi *formaliter* pro termino, seu complemento naturæ, quandoquè *radicaliter* pro principijs individuantibus naturam. Nam quia subsistentia reddit naturam alteri incommunicabilem, non potest convenire naturæ quà universali, sed qua singulari, atque adeo resultat ex naturâ non secundùm principia specifica, sed secundùm principia individuantia, seu singularia. Quando igitur S. Thomas *locis in objectione allegatis* docet, suppositum & Naturam in formis Spiritualibus esse indistincta, intelligendus est de subsistentiâ *radicaliter* sumptâ pro principijs individuantibus, sicuti idem S. Doctor. *1. p. q. 29. a. 2. ad 3.* ait, *quòd Persona, seu Hypostasis addunt supra rationem Essentiæ principia individuantia, quæ non sunt idem cum Essentia in compositis ex materia & forma*, etsi omnino indistincta sint a principijs formalibus naturæ seu speciei Angelicæ. Verùm subsistentiam *formaliter* acceptam pro termino substantiæ seu modo per se existendi, ac substandi accidentibus, distingui à quâvis creatâ etiam Angelicâ & immateriali naturâ, docuit Angelicus Doctor *locis in conclusione citatis & in 3. p. q. 17. a. 1. Natura*, inquiens, *secundùm se considerata prout in abstracto significatur, non verè potest prædicari de supposito seu Personâ, nisi in Deo, in quo non differt Quo est, & Quod est.* 7. 8.

CONTROVERSIA II.

An soli Deo ratione actualitatis Essendi conveniat identitas Essentiæ, ac Existentiæ?

NEgant Suarez. *disp. 3. Metaph. sect. 1. n. 12.* Vasquez. *1. 2. disp. 179. n. 6.* Valent. *to. 1. disp. 1. q. 4. punct. 4.* Arriaga *disp. 2. Metaph. sect. 3.* cum Nominalibus à se relatis; docentque in substantijs quoque creatis existentiam nullo modo à parte rei distingui ab Essentiâ. Fundamentum hujus affertur: Tota enim ratio distinguendi Essentiam ab Existentiâ est illius potentialitas, seu indifferentia ad existendum, vel non existendum, 1.

dum. At existentia substantiæ creatæ non minùs, quàm essentiæ ita est ab æterno secundùm prædicata quidditativa, ut tamen indifferens sit, ad Esse in tempore actuale, seu productum. Ergò si ratio distinguendi Existentiam ab Essentia esset efficax, probaret, dari Existentiam ipsius existentiæ quà secundùm prædicata sua essentialia spectatæ. Ex hoc autem abiretur in infinitum. Ergo illa ratio est inefficax.

2. Ex opposito Capreolus in *1. dist. 8. q. 1. a. 1.* Cajetan. *in opusc. de Ente & Essentiâ. c. 2. & 5.* Ferrariensis *2. cont. gent. c. 52.* Bannes. *1. p. q. 3. a. 4. dub. 2.* Nazarius *ibi cont. 1. propos. 15.* Ioan. à S. Tho. *eod. a. 3.* Serra *ibid. §. Dicendum tamen.* & Thomistæ communiter cum Doctore suo Angelico *præs. a. 4. & in 4. dist. 8. q. 5. a. 1. & opusc. 48. tract. de subst. c. 2* tradunt, identitatem Existentiæ, ac Essentiæ ita esse propriam Deo, ut nulli creatæ substantiæ conveniat.

Conclusio.

3. Identitas Essentiæ, & Existentiæ in Deo est ex ratione actûs puri, ac Entis primi, nec adeò communicabilis alicui creatæ substantiæ.

Probatur. Si Existentia à parte rei non distinguitur ab Essentiâ, sequitur, hanc ultimò esse actuatam non per realitatem à se distinctam, sed per formalitatem sibi identificatam. Probatur sequela. Nam existentia est ultima actualitas rei. ex S. Tho. *q. un. de animâ. a. 6. ad 2.* Si proinde alicujus substantiæ creatæ Essentia sit à parte rei Formaliter aut realiter existentia; oportet talem Essentiam esse ultimò actuatam per se ipsam seu per formalitatem à se indistinctam. Hæc autem sub ratione substantiæ ac Essentiæ in se existentis & consequenter subsistentis à se per se ipsam ultimò actuata Formalitas foret hoc ipso prima Entitas & purissima actualitas. Sicut ergo ratio actûs puri per Essentiam Existentis & per suum Esse Formaliter subsistentis non est communicabilis creatæ substantiæ: sic identitas Essentiæ ac Existentiæ est Divinæ substantiæ adeò propria, ut nulli creaturæ communicari posset.

4. Respondebis retorquendo argumentum: Nam Existentia quà distincta ab essentiâ est ultima sui actualitas non per aliam Existentiam, sed per se ipsam formaliter posita extra nihilum: nec tamen ex hoc sequitur: habere rationem primi Entis, seu actûs puri.

5. Contra: Ratio actûs puri excludit non tantùm potentialitatem passivam, sed etiam receptibilitatem actûs in potentiâ. At existentia distincta ab Essentiâ in hac recipitur; unde non est per se existens. Ergo nec est actus purus per se in suâ Essentia subsistens. Secùs est in sententiâ oppositâ adstruente identitatem realem, imò ex naturâ rei formalem Essentiæ ac Existentiæ in creatis. Nam quia Esse Dei est sua Essentia, ideo in Deo est omninò idem suppositum, & natura. Ergo eo ipso, quòd existentia non distinguatur ab alicujus Essentiâ, neque subsistentia distinguitur ab ipsius naturâ; veluti S. Thomas *q. 2. quodl. a. 3. & 1. p. cit. q. 3. a. 4. argumento. Sed contra.* cum S. Hilario. *6. de Trinitate* ex eo, quòd Esse in Deo non sit accidens, infert, esse subsistentem veritatem seu id, quod subsistit ex se

6. in Deo esse suum Esse. At si suppositum non distinguatur à naturâ, non est receptivum accidentium juxta Doctorem Angelicum *loc. cit.* & Aristotelem *7. Metaph. tex. 21.* ubi ait: *Secundùm quod cuicumque potest aliquid accidere, in eo differt res, & quod quid est sive suppositum, & natura.* Ergò si Existentia, & consequenter subsistentia realiter, imò & formaliter à parte rei sit identificata cum Essentiâ alicujus substantiæ, sequitur hanc existere, & subsistere per Essentiam absque ullâ potentialitate ad recipiendum aliquod accidens. At hoc est Ens primum, & actus purus. Ergo substantia, à cujus Essentia non distinguitur Existentia, est primum Ens cum purissimâ actualitate. Oportet igitur in omni Ente præter Deum realiter distingui Essentiam seu naturam ab Existentiâ, veluti clarè innuit Boëtius *1. de Trinit. c. 3.* asserens. *In omni eo, quod est citra primum, differre & quod est, & quo est.*

Replicabis: Ipsam Existentiam posse in actu signato considerari secundum statum possibilitatis, quatenus est ab æterno non quidem *physicè*, sed *logicè*, & *objectivè* in mente Divinâ: Hanc autem possibilitatem Existentiæ, ut producatur in actum, dependere à causalitate principij Efficientis liberè & contingenter operantis. Ergò etiamsi dicatur Essentia re indistincta ab Existentiâ, posse illius tamen rationem in substantiâ creatâ secundùm statum possibilitatis considerari sine Existentiæ actu exercito. Hic verò exercitus Existentiæ creatæ *Physicè* productivus actus importat dependentiam à principio Efficiente. At ista dependentia tollit rationem primi Entis, & actûs puri. Ergo non sequitur, substantiam esse actum purum sive Ens primum, eò quòd habeat secum identificatam Existentiam. 7.

Contra: Existentia distincta ab Essentiâ ideò potest secundùm statum possibilitatis præcisè considerari, quia per suam quidditatem nec est existens, nec subsistens. Probatur assumptum. Si enim Existentia identificatur cum Essentiâ alicujus substantiæ, consequens est, nec distingui ab ejus subsistentiâ, *uti superiùs ex S. Thomâ probatum est.* At substantia, cujus Essentia est Existentia & subsistentia, est per se ex sua quidditate existens, ac subsistens, *uti ex terminis notum est.* At eo ipso, quòd aliqua substantia per suam Essentiam sit existens, & subsistens, non potest præscindi ab existendo, & subsistendo. Ex hoc autem ulteriùs sequitur, quòd talis substantia sit Ens per se primum, necessarium, & purus actus, etiamsi procedat ex aliquo principio producente; sic enim Verbum Divinum productum à parte est Ens primum, & actus purus, eò quòd ejus Hypostasis ex ratione sua formali sit identificata cum Esse, quod est Essentia Divina. At hæc ipsa intrinseca formalis identitas Hypostasis Verbi cum Esse, seu Essentiâ Divinâ est ratio, cur Verbum non liberè, sed necessariò producatur. Ergò si alicujus substantiæ Hypostasis, seu subsistentia sit Essentia, & hæc sit formaliter à parte rei Existentia, tunc substantia ejusmodi ex ratione suâ formali à parte rei est per se subsistens ac existens, adeoque non potest non esse. Ergò est ens necessarium: Ergò Ens primum: Ergò actus purus: nec adeò intelligibile secundùm statum puræ possibilitatis. Ergò quòd Existentia substantiæ creatæ possit considerari in statu possibilitatis, hoc 8. 9. 10.

hoc ideo est, quia non est per se existens, & subsistens. Hoc autem est propter Existentiæ ac Essentiæ, adeoq; etiam subsistentiæ in substantiâ creata distinctionem realem. Ex hac enim distinctione fit, quòd existentia dependeat à naturâ, & subsistentiâ, quatenus in naturâ recipitur mediante supposito, ita ut natura eam recipiat *ut quo*, Suppositum verò *ut quod. ex* S. Tho. *quodl. q. 9. a. 3. & 3. p. q. 17. a. 2. & in 3. ad* Anibaldum. *dist. 6. q. un. a. 2. ad 2.* Ergò dependentia existentiæ creatæ, & consequenter ejus contingentia respectu Principij efficientis radicatur in ejus distinctione ab Essentiâ, & subsistentiâ.

Responsio ad fundamenta contraria.

11. AD oppositum *n. 1.* Respondetur: Existentiæ creatæ indifferentiam ad existendum, & non existendum *formaliter* importare receptibilitatem sui in naturâ & Supposito; *connotativè* autem dicere hujus potentialitatem: non enim Existentia est existens, sed natura *ut quo*, & suppositum *ut quod*. Unde si natura, suppositum & existentia secundùm prædicata sua intrinseca considerentur in statu possibilitatis; quin sit Ens existens; hoc ideò est, quia Existentia pro tali statu non concipitur *in actu exercito*, quatenùs recepta in Essentiâ, & supposito *formaliter*, & *intrinsecè* constituendo Ens Existens. Ergò ratio petita ex indifferentiâ Essentiæ creatæ ad existendum ita probat distinctionem Essentiæ ac Existentiæ, ut tamen hujus indifferentia determinetur constituendo Ens existens per realem sui in Essentiâ ac Supposito receptionem. At ista receptibilitas evidenter arguit realem existentiæ ab Essentiâ & Supposito distinctionem. Ergo per potentialitatem ac indifferentiam Existentiæ creatæ rectè infertur ejusdem a substantiâ creatâ distinctio realis.

12. Instabis: Si Essentia est receptiva existentiæ à se distinctæ: Ergo potest in instanti productionis considerari in ratione potentialitatis secundùm prioritatem naturæ prior Existentiâ. Tunc ergò ista potentialitas Essentiæ in illo priori naturæ vel est actu extra causas, & extra nihilum, vel non? Si prius dicatur; ergò jam concipitur formaliter existens: siquidem existentia sit actualitas, vi cujus ponitur res actu extra causas, vel extra nihilum. Si posterius asseratur: Ergò illa potentialitas pro tunc est nihil: ergò non potest esse physicè receptiva Existentiæ realis à se distinctæ.

13. Respondetur: Verum esse, quòd pro illo *priori natura* non intelligatur Essentia *formaliter* actu extra nihilum, sed ut sic importare potentialitatem receptivam formæ constituentis Essentiam *actu formaliter* existentem. Hinc tamen non sequi, quòd *pro illo priori natura* Essentia verè dicatur nihil. Hæc enim negatio utpote distributiva tollit existentiam simpliciter, adeoque secundum instans etiam reale temporis. At eo ipso, quòd Essentia sit producta, ejus potentialitas est pro tunc actu receptiva Existentiæ. Ergò non est nihil, sed actu existens.

Quod si opponens vocem *Nihil* in illâ propositione per *ly pro illo priori natura* velit ita restrictam, ut præscindatur à *Concomitante* vel *secundum rationem nostram Consequente temporis instanti*. Nc tunc quidem potest Essentia dici *Nihil*, eò quòd jam intelligatur in ratione non tantum Naturæ, sed etiam suppositi non quidem ultimò actuati, sed actuabilis per existentiæ receptionem. At ejusmodi actuabilitas actualitatem Essentiæ ac Hypostasis intrinsecè includens licèt pro illo priori naturæ intelligatur in potentiâ ad existentiam. Hæc tamen potentia non est merè objectiva seu *Logica*, sed est *Physica* realiter terminans pro illo priori Physicam Efficientiæ causalitatem. Unde pro illo etiam priori potest jam dici Essentia esse actu extra Nihilum *Causaliter*, non autem *Formaliter*, quatenus nimirum Essentia ejusmodi est actualiter & intrinsecè terminativa Causalitatis sui productricis, licet nondum intelligatur ut actu receptiva Formalitatis tribuentis Formalem existendi effectum.

CONTROVERSIA III.

An DEUS sit in genere aliquo?

ETsi Gregorius *in 1. dist. 8. q. 3.* Marsilius *in 1. q. 12. a. 2.* posuerint Deum in prædicamento, adeoque sub genere Substantiæ: hanc tamen sententiam communiter rejiciunt Theologi, nominatim D. Thomas *1. p. præs. q. 3. a. 5. & in 1. dist. 8. q. 4. a. 2.* Divus Bonaventura *ibi. q. 4.* Albertus Magnus *eadem dist. a. 32.* Scotus *ibid. q. 5. n. 16.* Hinc non tam difficultas est, & Controversia Doctorum de conclusione, quàm de ejus ratione: dum subtilis Doctor *cit. q. 5. n. 20.* inefficacem asserit Doctoris Angelici *dicto. a. 2. in 1.* adductam rationem. Et Vasquez *1. p. disp. 22. c. 3.* improbat tum Angelici *1. p. cit. a. 5.* tum subtilis Doctoris *cit. n. 16.* imò & Alberti Magni, & Divi Bonaventuræ *ubi supra* insinuata argumenta. 1.

2.

CONCLUSIO.

DEum non esse in genere aliquo, seu prædicamento, efficaciter ostenditur ex ratione purissimæ actualitatis. 3.

Explicatur, & probatur argumento S. Doctoris. Nam quod simpliciter & propriè ponitur sub genere, est species. Hæc verò ita constituitur ex genere & differentiâ, ut se habeat ad illud tanquam actus ad potentiam. Atqui totum, quod est in Deo, est actus purus nihil habens admixtum potentialitatis. Ergo ratione summæ actualitatis repugnat, Deum esse speciem sub genere aliquo in prædicamento contentam.

Respondebis cum Vasquezio *loc. cit.* Compositionem speciei ex genere & differentiâ esse rationis duntaxat. At Divinæ simplicitati, ac purissimæ actualitati non repugnare compositionem rationis: sic enim Attributa, & personalitates per rationem ratiocinatam distinguendo ab Essentiâ, & iterum componendo, v. g. ex Supposito, & Sapientiâ, seu Essentiâ & Hypostasi constituimus Deum Sapientem, vel Personam, itàque facimus compositionem rationis. 4.

Contra

5. Contra: Nam compositio rationis, secundùm quam formalitates in Divinis per præcisionem objectivam vi primæ mentis operationis distinctæ per secundam, aut tertiam mentis operationé, vel discursum quasi componuntur, vel potiùs identificantur; in re, seu Deo ipso habet pro fundamento Eminentialem Divini Esse Unitatem, seu Virtualem distinctionem, vi cujus formalitates ex rationibus proprijs in Supposito finito distinctæ, ratione summæ actualitatis, & infinitatis in Deo identificantur. Unde talis compositio rationis ex parte rei, seu fundamenti nihil importat imperfectionis, sed supponit summam perfectionem.

6. At secus est in compositione ex genere, & differentiâ: quia genus sumitur ab aliquâ realitate, quæ secundùm se est potentialis ad realitatem, à quâ accipitur differentia, uti Scotus *cit. n. 16.* probat authoritate Aristoteles *8. Metaph. c. 5.* asserentis: *Oportet terminum, id est, definitionem esse longam rationem, quia significat aliquid de aliquo: ita quòd oportet illud esse materiam & illud formam.* Cùm proinde ratio generis desumatur ex materiâ, seu potentiâ, consequenter adversatur Divinæ actualitati, & simplicitati.

7. Replicabis: Species Angelorum sunt in genere. Ergo ratio generis non desumitur à materiâ: sed ubi concipi aliquid potest quà contrahibile seu determinabile, & aliquid quà contrahens seu determinans, ibi dari potest compositio rationis ex genere, & differentiâ. At in Deo intelligi potest ratio Personæ vel relationis Divinæ quà communis, adeoque determinabilis ad hanc vel illam Personam. Ex S.Thô. *infra q. 30. a. 4.* Ergo non repugnat in Deo compositio rationis ex genere, & differentia.

8. Contra: Rationes generis & differentiæ sunt *formaliter* per præcisionem intellectûs, sed cum fundamento in re. Hoc autem fundamentum est ratio contrahibilitatis, seu determinabilitatis, & formalitatis determinantis. At ista ratio determinabilitatis in compositis ex materiâ & formâ est secundùm materiam, in substantijs autem à materiâ separatis est secundùm potentialitatem rei ad Esse, *uti supra præced. cont. 1. & 2. demonstratum est.* Ergò ubi cessat ratio determinabilitatis secundùm potentialitatem ad Esse, ibi non est ratio generis. ex S.Tho. *præsent. q. 3. a. 5. & cit. dist. 8. a. 2.* At in solo Deo ratione summæ actualitatis, non autem in substantiâ Angelicâ Esse identificatur cum Essentiâ, & supposito, *juxta dicta præced. cont. 1. & 2.* Ergò ratio generis non habet locum respectu Dei, bene tamen respectu Angelorum.

9. Unde licet ratio Personæ possit intelligi in Deo quà communis tribus Personis, quia tamen hæc communitas est *solius rationis*, non autem *rei*, idcirco non habet rationem generis, vel speciei, uti S. Doctor *cit. a. 4. ad 3.* probat ex eo, quòd *Personæ Divinæ habeant unum Esse in se, Genus autem, & species, & quodlibet Universale prædicetur de pluribus secundùm Esse differentibus.* Ex quo proinde patet, quòd ad rationem generis non sufficiat communitas rationis, seu determinabilitas secundùm rationem, nisi hæc pro fundamento in re supponat communitatem, id est, indifferentiam sive potentialitatem rei ad Esse. Hæc autem potentialitas rei ad Esse est in omni ente creato, non autem in Deo, cujus Esse per summam & purissimam actualitatem est ipsius Essentia. Ergò ratione summæ actualitatis, vel *ut loquitur* Scotus, ratione necessitatis Essendi repugnat, Deum esse sub genere.

10. Atque hoc est, quod S. Augustinus *7. de Trinit. c. 5.* dicit, *Deum abusivè vocari substantiam.* Nam istud nomen est derivatum à Substando: ratio autem substandi dicit potentialitatem ad accidentia; hæc autem potentialitas infertur ex distinctione Existentiæ, ac subsistentiæ ab Essentia. *ex præced. cont. 1. & 2.* Ergò quia in Deo est summa identitas Essentiæ, subsistentiæ ac Existentiæ, in ipso non est ratio substantiæ, quatenus est genus prædicamentale.

11. Hæc autem identitas Essentiæ ac Existentiæ est in Deo secundùm purissimam actualitatem, vel infinitatem Essendi, quæ infert perfectionem sive formalem, sive eminentialem omnis generis. At hæc ipsa infinitas est ratio, cur Deus non possit esse sub genere, ut probat Scotus *cit. n. 16.* Ergò non est, cur iste Doctor subtilis arguat rationem Angelici Doctoris *in cit. a. 2. dist. 8.* probantis, Deum non esse sub genere, eò quòd *Esse Divinum* ratione nimirum infinitatis *non terminetur ad aliquod genus, sed comprehendat in se nobilitates omnium generum.* Et hinc à fortiori redarguendus est Vasquez *cit. c. 3. n. 8.* redarguens inefficaciæ argumentum Divi Bonaventuræ & Alberti Magni probantium, Deum non esse in prædicamento, eò quòd sit infinitus.

COROLLARIUM.

12. INfertur 1. Cùm ratio actûs puri excludat tum potentialitatem, tum receptibilitatem in alio, imo inferat infinitatem omnimodæ perfectionis, non posse Deum esse componibilem cum alio, nisi in ratione Entis substantialiter completi terminando Hypostaticè naturam alienam creatam de se improportionatam, & ratione potentiæ Obedientialis subjectam infinitæ ejus virtuti: de quo inscrutabili Mysterio agetur in *3. p.*

13. Infertur 2. Cùm divina Essentia sit suum Esse subsistens infinitum, & ex principijs essentialibus individuatum, consequenter ex ejus summâ simplicitate, & actualitate inferri maximam Dei unitatem ita subsistentem in Trinitate Hypostasum, ut istæ sint *formaliter à parte rei* una simplicissima Divinitatis substantia, quæ hoc ipso, quòd infinita sit, totam in se comprehendens Essendi perfectionem non admittat extra se ullam rationem Divinam alterius Dei constitutivam. ex S. Tho. *inf. q. 11. a. 3. & 4.*

14. Ratio fundamentalis ita deducitur. Substantia, cujus Essentia est ipsum Esse subsistens, ex principijs suis Essentialibus est individuata. At implicat, substantiam seu naturam ex principijs Essentialibus individuatam non esse unam, sed plures numero. Ergo ex hoc, quòd substantia quà Divina sit, cujus Essentia est ipsum Esse subsistens, implicat, ipsam plurificari. Confirmatur. Ex hoc, quod substantiæ Divinæ Essentia sit Esse subsistens, sequitur esse infinitam in Essendo. *Velut infra art. 3. demonstrabitur.* De Ratione autem substantiæ quà infinitæ in Essendo est, continere in se formaliter omnem formalitatem Essendi simplicem. At implicat, esse aliquam rationem Essendi simplicem extra talem substantiam. Nequit autem in ratione Essendi simpliciter intelligi

ligi altera distincta substantia, nisi in hàc sit altera Essendi ratio simpliciter. Cùm igitur de ratione Deitatis quidditativâ sit *esse subsistens*, extra hoc verò propter Essendi infinitatem nequeat esse altera ratio Essendi simpliciter; consequenter per Essendi infinitatem repugnat, Deitatis rationem sive substantiam ac Essentiam seu naturam Divinam plurificari.

ARTICULUS II.

DE

Perfectione & Bonitate DEI.

1. QUæ Divus Thomas *præsent. q. 4. & 5.* circa Deum exposuit, uno isto Articulo ita concludemus, ut ea duntaxat, in quibus latet aliqua difficultas, exactiùs simus discussuri.

CONTROVERSIA I.

An omnes perfectiones sint in DEO?

2. DIstingui solent à Theologis perfectiones *in simpliciter simplices*, ac *secundùm quid*. Prioris generis est, quæ in sua ratione formali nullam involvit imperfectionem: Unde à S. Anselmo *in Monol. c. 14.* definitur: *Melior ipsa, quàm non ipsa*, veluti vitam, sapientiam, intellectionem absolutè melius est habere, quàm carere. Posterioris generis est, quæ in formali suo conceptu importat imperfectionem; unde simpliciter respectu Entis ut sic *non est melius eam habere, quàm carere*; ejusmodi sunt omnes differentiæ specificæ, ac numericæ creaturarum. Quas proinde Theologi communiter negant, esse in Deo *formaliter*, sed *virtualiter* duntaxat, & *eminenter*. An verò in istis perfectionibus *secundùm quid* imperfectio, & limitatio sit in tantum præscindibilis, ut secundùm rationem perfectionis possint intelligi Deo *formaliter* inesse; non convenit inter Thomistas: affirmante Ledesmâ *lib. de perfect. Div. q. 1. a. 1.* è contra negante Ioanne à S. Thomâ. *præs. q. 4.*

CONCLUSIO I.

3 PErfectiones *secundùm quid* non sunt intelligibiles secundùm formalitatem aliquam cum præcisione potentialitatis & limitationis, ita ut talis formalitas Deo attribui possit *formaliter*.

Probatur: Si enim ratio generica, & differentia tam specifica, quàm individualis creata supponatur omnimodè præcisa à potentialitate, & limitatione, non retinet ampliùs formalitatem generis, vel differentiæ prædicamentalis; *uti constat ex art. præc. cont. 3.* At omnis perfectio *secundùm quid* se habet in rebus creatis tanquam ratio directè vel indirectè prædicamentalis, tum generis, aut speciei, tum differentiæ sive individualis, sive specificæ. *uti consideranti patebit.* Ergò involvit contradictionem, quòd perfectio *secundùm quid* concipiatur secundùm formalitatem aliquam cum *præcisione* præsertim *objectivâ* omnimodæ potentialitatis & limitationis. Ergo non est intelligibilis perfectio *secundùm quid* formaliter existens in Deo, utpote in quo ut sic exueret omnem limitationem, & potentialitatem, adeoque ex ratione ejusmodi formali non esset perfectio *secundùm quid*, sed *simpliciter simplex.*

CONCLUSIO II.

OMnes perfectiones, etiam *secundùm quid* sunt in Deo saltem virtualiter eminenter. 4

Probatur. Quidquid perfectionis est in effectu, præexistit in causâ effectivâ principali, vel secundùm eandem rationem, si causa univoca sit, vel eminentiori modo, si causa sit æquivoca ex D. Tho. *præs. q. 4. a. 2.* At respectu perfectionum *secundùm quid*, quarum ratio formalis est inseparabilis à potentialitate, & limitatione, Deus est causa æquivoca: respectu autem perfectionum, quæ in creatis ita sunt immersæ potentialitati vel limitationi, ut ab hac tamen sint separabiles manente totâ ipsarum (prout Primo Enti per prius nata est inexistere) formali ratione, Deus ad eas quà formis creatis inexistentes se habet tanquam agens, nec purè univocum, nec purè æquivocum, sed analogum. *juxta* S. Doctorem *allegatum in tab. aureâ V. Causa, n. 38. & V. Deus n. 449.* Ergo omnis perfectio substantiarum creatarum, & creabilium est in Deo virtualiter eminenter, *juxta illud Io. 1. Quod factum est, in ipso vita erat.*

CONCLUSIO III.

PErfectiones simpliciter simplices sunt in Deo *Formaliter.* 5.

Probatur ratione S. Doctoris *cit. a. 2.* Deus est ipsum Esse per se subsistens; Ergò totam Essendi perfectionem in se continet. Probatur Consequentia. Ex eo, quòd Deus sit Esse per se subsistens, sequitur esse actum purum, & consequenter infinitum in Essendo, *ex dictis præced. a. cont. 1. & 2.* At omnis perfectio simpliciter simplex dicit formaliter rationem Essendi citra potentialitatem, & limitationem. Ergo omnis perfectio simpliciter simplex non tantùm *formaliter eminenter*, uti Gonet *disp. 4. de Attrib. in partic. §. 2. concl. 1. loquitur*, sed *absolutè formaliter*, imò secundùm purissimam actualitatem per prius est in Deo, quàm in creaturis. Quod eleganter insinuavit S. Dionysius *c. 5. de Divin. Nom.* dicens: *quòd Deus non quodammodo sit existens, sed simpliciter, & incircumscriptè totum in se ipso uniformiter Esse praaccipiat, fitque ipse Esse subsistentis.*



CON-

CONTROVERSIA II.

An perfectiones aliquæ creatæ univocè conveniant cum Divinis.

1. AFfirmat Scotus *in 1. dist. 3. q. 2. n. 6. & dist. 8. q. 3. à n. 4.* Fundamentum potissimum desumitur *ex cit. q. 2. n. 10.* Omnis enim inquisitio Metaphysica de Deo procedit, considerando formalem rationem alicujus, & auferendo ab illâ ratione formali imperfectionem, quam habet in creaturis, itàque reservando rationem ejusmodi formalem cum summâ & purissimâ perfectione, atque ut sic attribuendo Deo. Sic v. g. Sapientia consideratur primò in se, & secundùm se, quatenus ejus ratio nullam includit formaliter imperfectionem, nec limitationem, quibus adeò imperfectionibus rationem illam in creaturâ concomitantibus remotis, reservatur eadem ratio Sapientiæ; atque ut sic attribuitur Deo. Constat igitur eandem esse rationem formalem sapientiæ in Deo, & creatura.

2. Confirmatur: Si enim alia esset ratio Sapientiæ in Deo, & creatura; Ergò ex ratione Sapientiæ creatæ non possum inferre rationem formalem Sapientiæ quà Deo inexistentis. Probatur ista sequela. Nullum objectum potest in intellectu parere conceptum, nisi illius rationis, quam continet vel essentialiter, formaliter, vel virtualiter. At ratio Sapientiæ creatæ non potest continere virtualiter rationem Sapientiæ increatæ: Ergò nisi hujus rationem illa contineat Essentialiter formaliter, consequens est, ex ratione Sapientiæ creatæ non posse rationem Sapientiæ de Deo magis concludi, quàm ex eo, quòd lapis est causaliter à Deo, ac præcontinetur in ejus Ideâ, possit inferri; Deum esse formaliter lapidem.

3. Probatur ista sequela. Perfectio lapidis ideo non potest formaliter Deo attribui, quia hujus perfectionis ratio est formaliter immersa imperfectioni ac limitationi. At tota hæc ratio limitat respectu Sapientiæ creatæ, si hujus ratio non de se, ac ex se excludit formaliter imperfectionem, ac limitationem, quam habet in creaturis. Ergò non magis perfectio Sapientiæ, quàm lapidis potest ex creaturis de Deo formaliter concludi, nisi asseratur: perfectionem Sapientiæ ex ratione suâ formali, seu ex naturâ rei non includere imperfectionem, seu limitationem. Ex hoc autem sequitur, quòd eadem sit formaliter ratio Sapientiæ in Deo, & creaturis. Ergò Sapientia sub una ratione formali, adeoque univocè dicitur de Deo, & Creaturis.

4. Suarez *lib. 2. Metaph. disp. 2. sect. 2. n. 8.* cum aliis Univocationem Entis respectu Dei, & creaturarum adstruit non ex naturâ rei, seu Unitate formali reali, sed ex unitate conceptûs objectivi perfectè præcisi à differentiis creati & Increati. Probatio hujus desumitur ab authoritate S. Thomæ *de Verit. q. 1. a. 1. & q. 21. a. 1.* asserentis: Conceptum Entis esse simplicissimum, & primum omnium, determinarique ad substantiam, quantitatem &c. per quandam determinationem, & expressionem talis modi Entis. Quo sensu idem S. Doctor *1. p. q. 5. a. 3. ad 1.* ait: *Substantia, quantitas & qualitas contrahunt Ens ad aliquam quidditatem, seu naturam.* Atqui contractio intelligi non potest sine aliqua unitate, & communitate conceptûs objectivi. Ergò in conceptu objectivo Entis est unitas, atque adeò univocatio.

Nonnulli recentiores, nominatim Oviedo *Metaph. cont. 1. punct. 5. n. 2. & punct. 8.* ponunt præcisionem Entis duntaxat formalem ex parte actûs, non autem ex parte objecti; vi cujus præcisionis ajunt Ens confusè conceptum importare rationem communem, atque adeo univocam respectu creati & Increati. Divus Thomas *1. p. pres. q. 4. a. 3. & infra q. 13. a. 5. & 6.* Inter perfectionem seu Ens creatum & Increatum non nisi analogicam admittit convenientiam & similitudinem. 5.

CONCLUSIO.

NUlla perfectionis vel Entis ratio univocè dicitur respectu Dei & creaturæ.

Probatur ratione S. Doctoris *cit. a. 5.* Univocatio dicit perfectam, & omnimodam unitatem rationis formalis: At ratio Sapientiæ non est simpliciter una & eadem in Deo, atque creaturis. Minor probatur. Ratio Sapientiæ & potentiæ in Deo ita elevantur in unam simplicissimam Deitatis formalitatem, ut hæc sit formaliter omnis perfectio simpliciter simplex. E contra rationes Sapientiæ, & potentiæ sunt in creaturis per formalitatem intrinsecè limitatam, vi cujus limitationis est distinctio realis formalis inter Sapientiam, & potentiam. Atqui ratio eminentiæ formaliter includentis formalitatem tam Sapientiæ, quàm potentiæ, imò omnimodæ perfectionis simpliciter simplicis non potest esse simpliciter una cum formalitate Sapientiæ ex intrinsecâ limitationis suæ ratione excludentis formaliter rationem potentiæ. Ergò non potest esse identitas formalis, seu omnimoda rationis unitas inter formalitatem Sapientiæ creatæ & increatæ. Ergò inter has nulla est univocatio. 6.

Respondebis: Hujus argumenti vim facilè everti ex doctrina quorundam Thomistarum nominatim Ioan. à S. Tho. *cit. q. 3. a. 6. concl. ult.* & Petri Labat *disp. 3. de Attribut. Dei dub. 1. §. 2.* docentium, dari à parte rei in Attributis Divinis non quidem distinctionem, sed negationem identitatis accessoriam, & consecutivam ex identitate rei; per quam Attributa realiter, & essentialiter, non tamen adæquatè, & sub omni formalitate identificentur in Deo. Hinc enim ita licebit argumentari: Ratio prætacta Angelici Doctoris in hoc fundatur, quòd Sapientia quà prædicabilis de Deo non sit distincta ab Essentia, Potentiâ, & Esse ipsius. Hæc autem negatio distinctionis seu identitas secundùm allegatos Thomistas ita est accipienda, ut licèt Sapientia Dei *entitativè* & *materialiter*, non tamen *formaliter*, (uti loquitur Labat *loc. cit.*) sive *realiter*, & *essentialiter*, non tamen sub *omni formalitate*, (uti ait Ioannes à S. Thomâ *ubi sup.*) identificetur cum potentiâ, vel aliâ perfectione Dei. Ex hoc autem fit, Identitatem realem Sapientiæ, Potentiæ, ac Essentiæ ita esse in Deo, ut Sapientia secundùm modum formalitatis Sapientiæ à parte rei non sit illa ratio, quæ est formalitas 7.

Poten-

Potentiæ & Essentiæ. Ergò ratio S. Thomæ non habet locum respectu identitatis secundùm modum istarum formalitatum, siquidè ista identitas juxta allegatos Thomistas non sit in Deo. Atqui Scotus *sup. n. 1.* adductus ex hâc non identitate formalitatum seu rationum in Deo probat, Sapientiam Dei in ratione suâ propriâ ut sic dicere formalitatem Sapientiæ duntaxat, non autem Potentiæ. Ex hoc autem consequens esse, quòd ratio Sapientiæ secundùm modum, seu rationem suæ formalitatis considerata non includat potentiæ, vel aliarum perfectionum formalitates, per quarum inclusionem, seu identitatem, vel non distinctionem, ait Doctor Angelicus, tolli univocationem Sapientiæ respectu Dei, & creaturæ. Ergò illa non inclusio perfectionum Dei secundùm modum formalitatum non tantum enervat argumentum D. Thomæ superiùs allegatum; sed directè probat univocationem, cùm hæc formaliter dicat unitatem rationis, adeoquè secundùm modum formalitatis. Hæc verò rationis unitas Sapientiæ quà comparatæ ad Deum etiam creaturæ convenit eo ipso, quòd in Deo secundùm modum formalitatis non includat alias formalitates, per quas *ubi supra* S. Doctor ait, tolli univocationem.

8. Contra est, quòd dictorum Thomistarum vix discordans à subtili & cum Angelico Doctore malè consonans doctrina omninò reijcienda sit tum per argumenta *supra præced. q. 2. a. 3. cont. 2.* per nos deducta: tum per sequentem argumentationem. Etenim ex præfato discursu sequeretur, quòd formalitas Sapientiæ in Deo non nisi *Entitativè*, non autem *secundùm talis formalitatis, seu rationis suæ propriæ à parte rei sibi inexistentem modum* esset tota, & plena perfectio Dei. Ex hoc autem per se licèt absurdo rursus sequeretur: quòd Formalitas sapientiæ in Deo non esset Formaliter infinita in ratione Entitatis & omnimodæ Formalitatis ac purissimæ actualitatis. Ergo nullatenùs admitti debet, quòd ulla formalitas *secundùm aliquem modum, seu rationem, & formalitatem Deo à parte rei inexistentem* non sit quælibet formalitas Divina sibi relativè non opposita. Hoc autem posito evidenter stat, quòd Angelici Doctoris argumentum de Sapientia Dei & creaturæ probet efficaciter negationem unitatis, non tantùm *Entitativa, ut realis*, sed etiam *formalis, secundùm modum formalitatis* tum à parte rei, tum ex parte conceptûs nostri præcisivi.

9. Probatur istud assumptum. Ratio formalis Sapientiæ non ita est in Deo *secundùm rationem suam propriam*, quin sit *formaliter* plena actualissima Dei perfectio. Hæc autem ratio Sapientiæ in infinitum distat à ratione Sapientiæ creatæ; utpote intrinsecè ac Formaliter limitatæ. Ergò non est unitas rationis seu formalitatis inter Sapientiam Dei, & creaturæ. Atqui univocatio importat unitatem rationis omnimodam. Ergò hoc nulla inter creatæ & increatæ sapientiæ Formalitates est univocatio, eò quòd ista, non verò illa sit Formaliter omnis & tota perfectio simplex.

10. Replicabis: Hoc argumento refutari unitatem formalitatis prout est à parte rei, non autem secundùm rationem nostram præcisivam. Nam intellectus noster præcisè considerans rationem Sapientiæ abstrahit à modo limitationis, seu potentialitatis, & actualitatis, sive infinitatis. At istis determinativis Sapientiæ ad Esse creati, & Increati modis præcisis tunc ratio formalis Sapientiæ manet in nostro intellectu absque ullâ differentiæ formalitate. Ergò ut sic est *formaliter* una, adeoq; univocè prædicabilis de Deo, & creaturis.

Contra: Nihil enim est intelligibile absque ratione Essendi. In hac verò si intellectus non attingat rationem potentialitatis, eo ipso attingit rationem Essendi cum purissimâ actualitate. Probatur hoc assumptum. Hoc principium *Quodlibet est, vel non est*, est universalissimum non tantùm in re, sed etiam respectu intellectûs nostri, cùm alioquin non esset inter prima luminis naturalis Principia. At per ly *Quodlibet* insinuatur Positiva Essendi ratio. Ergo impossibile est, intellectum apprehendere ullam Essendi rationem, quin apprehendat in illa Esse, vel non Esse. Si prius, hoc ipso intelligitur Essendi ratio, quà includens Formaliter Esse. Ut sic autem Essentia intelligitur in se ultimò ac purè actuata. Si posterius; tunc, quia *non Esse* in illa ratione Essendi intelligitur non purè *secundùm negationem*, sed *secundùm formalitatem Essentiæ positivam*, consequens est, hanc debere esse potentialitatem, utpote fundatricem negationis. Constat igitur ex primo luminis naturalis principio impossibile esse, ullam formalitatem realem intelligi absquè ratione actualitatis, seu potentialitatis. Si ergò intellectus *positivè* præscindat & removeat rationem potentialitatis ab aliquâ formalitate, hoc ipso apprehendi necessarium est formalitatem cum actualitate Essendi; tunc autem intelligitur *formaliter* quà Divina, non autem quà communis & univoca respectu Dei & creaturæ. 11.

Confirmatur hic discursus: Nam removendo omnem formalitatem, quatenus est in creatis, tunc remanet tantùm in intellectu nostro ipsum Esse S. Tho. *in 1 dist. 8. q. 1. a. 1. ad. 4.* Hoc autem Esse absolutum, & indeterminatum est Quidditas Dei, uti probat S. Doctor *cit. a. 1. in cor.* Constat igitur, non posse intellectum præscindere, ac removere formalitates, quatenus sunt in creatis, quin maneat hoc ipso in intellectu formalitas quà Divina, imò ipsa Dei quidditas. 12.

Atque hoc est, quod Patres præsertim D. Dionys. *c. 7. de Divin. Nom. & c. 5. Myst. Theol.* Item S. Ioannes Damascenus *lib. de Fide c. 4. aliique passim* docent: Deum non magis intelligi, nisi detractione, remotione, aut negatione omnis perfectionis creaturis inexistentis. Hæc autem doctrina non teneret, si post detractionem formalitatis quà creatæ non eo ipso esset in intellectu ratio Essendi Divina, sed communis *æquè* ac *univocè* conveniens tam creaturæ, quàm Deo. Hinc etiam est, quòd Patres, nominatim Dionysius *in lib. cit.* & Boetius *de Trinitate* negent: Deum esse verè substantiam, sed dici debere Supersubstantiam, vel ultra substantiam, superæternum, superimmensum. Ex hoc enim insinuant, perfectiones ejusmodi non communi ratione, secundùm quam sunt in creaturis, inexistere Deo, sed ubi præcisa est omnis formalitas creaturis conveniens; tunc remanere rationes illarum perfectionum cum infinitate supereminentis actualitatis, cui cum creaturâ nihil sit univocationis. Hinc etiam intelligitur, quod D. Thomas *cit. q. 13. a. 6.* docet: Nomina Deo, & creaturis communia *quoad rem significatam* per prius dici de Deo, etsi *quoad modum significandi* prius dicantur 13. 14.

cantur de creaturis. Nam quia Intellectio humana procedit ex sensibus, atque adeò per prius est de creatis; consequenter intellectus noster nullam in primâ suâ cognitione apprehendit formalitatem, nisi quà immersam potentialitati creaturis propriæ. At ubi intellectus altiùs se elevando præscindit à potentialitate, tunc formalitas apprehensa remanet in intellectu cum purissimâ Essendi actualitate. Hæc autem *à se, & per se subsistens actualitas* intelligitur ex se prior formalitate immersâ potentialitati, etsi hæc quoad modum intelligendi priùs fuerit in intellectu, quàm illa.

15. Oppones. Inter perfectiones Divinas dari distinctionem Virtualem, vi cujus una formalitas in Deo est objectivè præscindibilis ab alterâ formalitate. Hâc autem præcisione objectivâ positâ, remanet in intellectu ratio sapientiæ, quin formaliter ex parte conceptûs objectivi includat rationem potentiæ. Ergò respectu rationis nostræ præcisivæ cessat illa ratio inclusionis, propter quam Divus Thomas negat univocationem inter perfectionem Dei, & creaturæ.

16. Contra. Nam formalitas sapientiæ in Deo est quidem per rationem *objectivè* præscindibilis à formalitate potentiæ, non autem actualitatis & Essentiæ Divinæ: Repugnat enim quidquam concipi sine ratione Essendi, eaque vel actuali, vel potentiali, *uti supra demonstratum est.* Ergò præcisâ ratione potentiali Essendi manet in intellectu formalitas Sapientiæ cum actualitate purissimâ Essendi. Hæc autem ratio actualitatis ita elevat formalitatem sapientiæ, ut consequenter ejus ratio non possit esse univoca cum ratione Sapientiæ creatæ. Constat igitur Virtualem distinctionem Sapientiæ & Potentiæ radicatam in purissimâ essendi actualitate, quæ ut sic *transcendentaliter* absque ullâ abstrahibilitate *formaliter re, & ratione* est involuta in omni formalitate Dei, non tollere efficaciam rationis S. Thomæ ex indistinctione Sapientiæ à Potentiâ, Essentiâ, & Esse probantis, non dari Univocationem Sapientiæ respectu Dei, & creaturæ.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

17. AD Scoti *n. 1.* oppositum Respondetur: Negando sapientiæ rationem formalem in creaturâ secundum se, ac in se non includere potentialitatem: non enim est intelligibilis absque ratione Essendi vel actuali, vel potentiali: prior autem repugnat Sapientiæ creatæ: Si ergo abstrahatur ratio potentialitatis, eo ipso extrahitur formalitas Sapientiæ ab illâ ratione, quam habet in creaturis, atque ut sic elevata ad Esse Sapientiæ Divinæ, concipitur *formaliter* cum ratione Esse actualis in infinitum eminentiori, quàm sit ratio creatæ Sapientiæ. Ergò non est intelligibilis in Sapientia unitas aliqua formalis, secundùm quam Deo, & creaturis possit esse simpliciter communis.

18. Ad Confirmationem *n. 2.* oppositam Respondetur: Negando sequelam ac distinguendo probationis Majorem. Verum enim est, quòd objectum non possit parere notitiam, nisi illius rationis, quam Formaliter vel virtualiter continet secundùm continentiam saltem *Analogam*, licèt non *Univocam*. At in ratione Sapientiæ, non autem lapidis, nisi secundùm Esse, est in ordine ad Deum analogia non tantùm attributionis, sed similitudo etiam proportionalitatis, cujusmodi sufficere ad unius ex altero eliciendam cognitionem demonstratur ex analogiâ imaginis ad rem significatam, & assimilatione etiam genericâ effectûs ad causam æquivocam. Quæ proinde Sapientiæ creatæ quoad rationem suam specificam ad Dei Sapientiam analogia, non econtra lapidis, nisi secundùm Esse, ratio est; cur Deo tribuamus rationem Sapientiæ, non autem lapidis: non enim uti de sapientia, sic de lapide dicere possumus, quòd ejus ratio formalis ita identificetur Esse Dei actuali, sicuti identificatur Esse creaturæ potentiali.

Ad *2. & 3.* oppositum Respondetur: S. Thomam *cit. q. 1. a. 1. de Verit.* expressè docere, *Enti non posse addi aliquid, quasi extraneam Naturam, per modum, quo differentia additur generi, cùm qualibet natura essentialiter sit Ens. Unde etiam probare Philosophum 3. Metaph. quòd Ens non possit esse genus. Secundùm hoc igitur aliqua dici addere supra Ens, in quantum exprimunt illius modum, qui nomine ipsius Entis non exprimitur.* Ex quo patet, determinationem Entis ad substantiam, & accidens non esse *secundùm differentias, seu formalitates ex parte objecti*, sed *secundùm expressionem modi*, qui nomine seu cognitione non erat expressus, vel explicitus. Atqui univocatio requirit unitatem rationis seu formalitatis *ex parte objecti.* Hæc autem unitas rationis, ac formalitatis objectivæ non est, ubi ratio videtur communis *ex confuso* duntaxat, & *implicito cognoscendi modo*: tunc enim intervenit similitudo tantùm proportionalitatis. Ergò Ens respectu substantiæ, & accidentis & à fortiori respectu Dei, & creaturæ non est univocum, sed analogum. 19.

COROLLARIUM I.

INfertur 1. Nomina Deo, & creaturis communia non esse purè æquivoca; sed analoga. Ratio ex Angelico Doctore *cit. q. 13. a. 5.* deducta est. Si enim esset æquivocatio in prædicatis, quæ Deo, & creaturis nominetenùs tantùm, non autem sub aliquali rationis convenientiâ essent communia, tunc nihil ex creaturis posset de Deo demonstrari. Probatur ista sequela; quia interveniret fallacia æquivocationis, ob quam discursus non tantùm in formâ peccaret, sed in re ipsâ variando committeret falsitatem. Atqui invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici docet fides. 20.

Infertur 2. Pleraque nomina universalia esse analoga respectu Dei & creaturarum analogiâ tam attributionis, quàm proportionalitatis. Ad cujus probationem supponendum 1. Analogiam juxta doctrinam D. Thomæ. *q. 2. de Verit. a. 11. & 7. de pot. a. 7. & in 1. dist. 19. q. 5. a. 2. ad 1.* rectè dividi in Analogiam attributionis, & proportionalitatis. Hæc intervenit in analogatis, quorum nomen commune est, & secundùm illud nomen ratio eadem est proportionaliter, sive similis secundùm proportionem: Illa verò habet locum in analogatis, quorum nomen commune est, & ratio nominis eadem secundùm unitatem termini, at diversa secundùm habitudines ad terminum. Supponendum 2. Differentiam analogiæ per attributionem, & secundùm pro- 21. 22.

dùm proportionalitatem in eo potiſſimè ſitam eſſe, quòd ratio vi nominis ſignificata utrique analogo proportionalitatis *intrinſecè* conveniat *non ſimpliciter ſecundùm unitatem identitatis formalis ſpecificæ*, *aut genericæ*, ſed *ſecundùm unitatem proportionalitatis*, veluti Ens eſt analogum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, quia utrique convenit *intrinſecè*, ac Eſſentialiter ratio Entis; licèt hæc non ſit una ne quidem *ſecundùm unitatem perfectæ præciſionis*, ſed *ſecundùm ſimilitudinem duntaxat proportionalitatis*, quatenus *confusè* abſque explicitâ differentiarum cognitione concipiendo Ens, ex parte objecti involvo tam ſubſtantiam, quàm

23. accidens. Supponendum 3. Iſtam proportionalitatis ſimilitudinem in Ente inveniri quatenus confuſú Entis conceptum explicando per iſtas enuntiationes: *Subſtantia eſt Ens*, *Accidens eſt Ens*, facio quandam *Similitudinem proportionalitatis* non quidem *in actu ſignato*, ſed *in actu exercito* & *ex parte rei* aſſerendo, rationem Entis per *identitatem* non tantùm *realem*, ſed *omnis præciſionis objectivæ excluſivam* ita ineſſe accidenti, ſicuti per identitatem ejuſmodi ineſt ſubſtantiæ. Supponendum 4. In analogiâ per attributionem rationem nominis *formaliter & intrinſecè* non convenire niſi uni principali analogato, cæteris autem attribui *per extrinſecam* duntaxat *denominationem* vel *cauſaliter* vel *ſignificativè*, vel alio ejuſmodi modo: veluti *ſanum* eſt analogum reſpectu medicinæ, urinæ, & animalis, cùm tamen huic ſolùm inexiſtat *formaliter*, denominatio autem ſanitatis accommodetur Medicinæ *tanquam cauſæ*, & urinæ tan-

24. quam *ſigno ſanitatis*. Quibus adeò ſuppoſitis ſic proceditur ad illationis noſtræ probationẽ. Nam 1. pleraqúe nomina univerſalia Deo & creaturis communia ſunt non tantùm ſecundùm voces, ſed ſecundùm aliqualem rationem. Hæc verò ratio cōmunis nullo modo abſtrahibilis eſt ab Eſſe tam actuali increato, quàm creato potentiali. Unde unitas rationis per nomen Sapientiæ v. g. ſignificata non eſt *ſecundùm identitatem formalitatum ex parte objecti*, ſed *ex parte duntaxat conceptûs noſtri confusè* apprehendentis rationem Sapientiæ creatæ, & increatæ. Ex hoc autem fit, quòd intellectus prædicando de Deo, & creaturâ Sapientiam non in *actu quidem ſignato*, ſed *in actu exercito* faciat ſimilitudinem proportionalitatis, quaſi dicendo, rationem Sapientiæ ita ineſſe creaturæ per identitatem realem formalem abſqùe ullâ Eſſe potentialitatis præſcindibilitate objectivâ, ſicuti ineſt Deo per realem formalem identitatem ſine abſtrahibilitate Eſſe a-

25. ctualis. Unde D. Thomas *præs. q. 4. a. 3. in corp.* loquitur in hæc verba. *Cùm Deus ſit univerſale agens, & principium totius Eſſe; non contentum in aliquâ ſpecie, vel genere: creaturas ei ſimiles eſſe, non ſecundùm eandem ſpecificam, aut genericam rationem, ſed ſecundùm aliqualem analogiam, ſicut ipſum Eſſe ſit commune omnibus: atque hoc modo illa, quæ ſunt à Deo, in quantum ſunt Entia, ipſi aſſimilari ut primo & univerſali principio totius Eſſe.*

26. Conſtat igitur, analogiam entis creati ad Eſſe Dei eſſe *proportionalitatis*, ſecundùm ſimilitudinem nimirum proportionis ad Eſſe. Hæc ipſa verò aſſimilatio creaturarum derivatur ex Deo tanquam primo totius Eſſe principio. Ergo creaturæ non tantùm per Eſſe participatum intrinſecum conſtituuntur Entia, ſed etiam ab Eſſe Dei tanquam principio ſuo Efficiente, imò Exemplari, & finali poſſunt denominari in ratione Entis, veluti S. Doctor *q. 6. a. 4.* in hæc verba diſſerens. *Unumquodquè creatum*, ait, *denominari formaliter Bonum per aſſimilationem Divinæ Bonitatis ſibi inhærentem*, *& cauſaliter*, *& extrinſecè dici Ens*, *& Bonum Bonitate Divinâ tanquam primo principio Exemplari*, *Effectivo*, *& Finali totius Bonitatis.* Patet igitur, creaturas per denominationem, ſeu prædicationem etiam cauſalem, vel effectivam in comparatione Dei eſſe analogicè Entia ſecundùm analogiam attributionis.

COROLLARIUM II.

INfertur I. Qualiter verificetur iſta propoſitio. *Deus, & Univerſum ſimul ſunt aliquid perfectius, quàm ſolus Deus.* Nam conveniunt Doctores, non poſſe Deum, & Univerſum *collectivè* ſumpta intelligi aliquid *intenſivè* perfectius, quàm ſit ſolus Deus, juxta illud Auguſtini *lib. 6. de Trinit. c. 8.* aſſerentis: *Cùm creatura adhæreſcit Creatori, illam fieri majorem, quam erat, non illum.* At de majore perfectione *extenſivâ* controvertitur inter Theologos, Durando *in 1. diſt. 44. q. 3. &* Yſamberto *præs. q. 4. a. 7. & aliis maximè recentioribus* affirmantibus. Ratio eſt. Quia ut Deus, & Univerſum ſimul ſit quid *extenſivè* perfectius, ſufficit, perfectionem eſſe majorem numero, ſeu quantitate diſcretâ, non autem quantitate virtutis, ac perfectionis. Ergò licèt tota creata perfectio vel *formaliter*, vel *eminenter* ſit in Deo, attamen qua diſtincta à perfectione Dei facit aliquid majus ſecundùm numerum ſeu quantitatem diſcretam: Sicut Opera Chriſti Meritoria ob diverſitatem numericam valorum ſunt *extenſivè* majora unico ejus merito, licèt hoc ratione condignitatis ex Sanctitate ſubſtantiali ſeu Perſonali Verbi in ſe derivatæ *intenſivè* æquivaleat omnibus ſimul ſumptis. 27.

Verùm his non obſtantibus Ioannes Baptiſta Gonet *diſp. 4. de Attributis in particulari. §. 3.* & Petrus Labat *diſp. 3. de Attributis Dei. dub. 3. §. 2. & Thomiſtæ communiter* negant, cum Doctore ſuo Angelico *1. 2. q. 34. a. 3. ad 2.* Ratio eſt, Nam verum quidem eſt, rationes potentialitatis & limitationis utpote poſitivas in creaturis eſſe perfectiones, non tamen *abſolutè*, ſed tantùm *ſecundùm quid* reſpectu creaturæ, non autem reſpectu Dei, in cujus comparatione omnis creatura tanquam nihilum, & inane reputatur. *Iſaia. 45.* At ſi quæſtio ſit, An Deus & creatura ſimul ſint ſolo Deo quid perfectius, tunc fit comparatio creaturæ ad Deum; In hac verò comparatione nihil perfectionis ſimpliciter ſimplicis reperitur, quod *formaliter* non ſit in Deo: quidquid autem perfectionis eſt extra Deum, eſt ut ſic immerſum potentialitati, ac limitationi, quæ *abſolutè* eſt potiùs imperfectio, & non niſi reſpectu creaturæ habentis ſe ad Deum inſtar nihili, vocari poteſt perfectio. 28.

Etſi proinde verum ſit, quòd Deus & creatura ſint plura perfecta, & ut ſic, adeoquè impropriè dici poſſint quid *extenſivè* perfectius ſolo Deo, nihilominùs ad iſtam propoſitionem propriè verificandam opus eſſet, aliquid perfectionis, factâ ejus ad Deum comparatione, inveniri in creaturâ, quod non ſit in Deo: Hoc autem eſſe falſum conſtat ex dictis. Unde D. Thomas *in 3. diſt. 6. q. 2. a. 3. ad 2.* aſſeruit: *Bonum creatum ita ſe habere* 29.

habere ad increatum, sicuti punctum ad lineam. Sicuti ergò nihil quantitatis est in puncto; nec adeò punctum & linea simul sunt quid majus solâ lineâ, sic quia Deus & creatura ita se habent, ut quidquid est perfectionis, sit in Deo; creaturæ autem non nisi imperfectio remaneat propria; consequens est, propriè & absolutè non verificari propositionem, quòd *Universum ac Deus simul sint solo Deo quid Extensivè perfectius.* Et hinc patet discrimen inter hanc propositionem, & Christi meritorum ad se invicem comparationem. In his enim quoad formalem rationem honestatis supernaturalis operis est in uno merito aliquid valoris, quod non sit in altero; etsi in ratione condignitatis quodlibet sit infinitum, nec adeò *intensivè*, sed tamen *extensivè* plus valoris sit in omnibus, quàm in uno.

30. Infertur 2. Qualiter Dei proprium sit esse Bonum per Essentiam. Etenim Vasquez. *1. p. disp. 24. c. 2.* de hâc propositione movet difficultatem, eò quòd Bonitas sit passio convertibilis cum Ente. Unde sicut de Essentiâ *in statu non tantùm Existentiæ* à se indistinctæ, sed *in statu etiam possibilitatis* verè enuntiatur esse Ens, ita consequenter verificatur esse Bonum. Ergo est Ens bonum per Essentiam.

31. Verùm ista nullius esse valoris patebit ex sequêtibus. Nam *primò* Unumquodquè est bonû, secundùm quod appetibile. At unumquodq; est appetibile, secundùm quod est perfectum. Est autem perfectum, in quantum est actu. Est verò actu, in quantum existens, uti argumentatur D.Thomas. *q. 5. a. 1.* Ergò ratio Boni non nisi *secundùm quid* convenit Enti in potentiâ, sive enti *nominaliter* spectato secundùm Essentiam præcisam ab Existentiâ. Veluti Angelicus Doctor *cit. q. 5. a. 3. ad 3.* dixit: *Materiam primam, sicuti non est Ens nisi in potentiâ, ita nec esse Bonum, nisi in potentiâ.*

32. Consequens proinde est; rationem Boni *simpliciter*, & *absolutè* convenire soli Enti *Participialiter* sumpto, quatenùs importat Essentiam cum Existentiâ. Atqui solus Deus est suum Esse, ita ut Existentia sit ejus Essentia: in omni autem ente creato distinguitur Essentia ab Existentiâ, *velut præc. art. cont. 2. demonstratum est.* Ergò soli Deo convenit esse Bonum per Essentiam. 2.

33. Quandoquidem Bonitas *simpliciter* sit Entis in actu, consequenter illud duntaxat ens est *simpliciter* Bonum secundùm Essentiam, cujus Essentia est purissima, simplicissima actualitas, nihil involvens potentialitatis. At eo ipso, quòd Esse in creaturis distinguatur ab Essentiâ, consequens est, omnis substantiæ creatæ Essentiam respectu aliquorum accidentium esse in potentiâ: nec adeò esse perfectam vel Bonam *simpliciter*, sed potiùs perfectibilem. Ergò quatenùs soli Deo tanquam Enti subsistenti, ac existenti per Essentiam convenit omnimoda secundùm purissimam actualitatem & plena perfectio substantialis, ut sic est unicè Bonus per Essentiam, ita ut vi hujus Bonitatis sit omnium rerum ultimus finis. ex S. Tho. *q. 6. a. 3.*

ARTICULUS III.

De *Infinitate, & Immutabilitate DEI.*

EX fide certum est, Deum esse infinitum juxta illud *Psal. 144. Magnus Dominus, & magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch *3. Magnus est, & non habet finem.* Quod equidem non de magnitudine molis, sed virtutis, ac perfectionis accipiendum esse, ex hoc evincitur, quòd Deus sit purissimus actus, omnis materialitatis, adeòque Quantitatis, & corporeitatis expers substantia. Totum igitur difficultatis punctum in id reducitur. *An ex hâc immaterialitatis, & actûs puritate inferatur infinitas Essentiæ in Deo?* 1.

CONTROVERSIA I.

An esse per se subsistens, ac irreceptum sit prima radix Infinitatis Divinæ Essentiæ?

SCotus *in 1. dist. 2. q. 2. n. 33.* negat, eo quòd Angelus utpote purè Immaterialis sit substantia irreceptibilis in alio, nec tamen infinitus in Essentiâ. 2.

Vasquez *1. p. disp. 25. c. 5.* Stadlmayr *disp. de Attributis Dei. c. 4.* deducunt Infinitatem Essendi in Deo ex ratione Entis à se: Nam Ens ab alio continetur intra virtutem suæ causæ, à quâ consequenter accipit Esse participatum, adeòque finitum & limitatum. Ergò in Ente à se cessat ratio limitationis. Ergo est infinitum. 3.

Divus Thomas *1. p. q. 7. a. 1.* probat Deum infinitum, eò quòd Esse Divinum non sit receptum in aliquo, sed ipse Deus sit suum Esse subsistens. 4.

CONCLUSIO

HÆc Angelici Doctoris ratio efficax est ad probandam Dei in Essendo infinitatem.

Explicatur. Esse est omnium maximè formale, utpote ultima cujusque rei actualitas. Ergo Ens, quod est suum Esse, est per Essentiam ultima actualitas. At Essentia cùm sit primum in substantiâ, nequit in hâc supponere aliquid, in quo recipiatur. Insuper implicat, ultimam actualitatem esse alicujus formæ receptivam. Ergo Essentia, quæ est ipsum Esse, cùm ex ratione, & quidditate suâ sit ultima actualitas, non est determinabilis vel per receptionem sui in alio, vel per receptionem alterius in se. Ergò est actus purissimus sine ullâ potentialitate. At Ens in tantum est perfectum, in quantum est sine potentialitate. Ens autem excludens omnimodam *in infinitum* potentialitatem est actu infinitum. Ergò Substantia, cujus Essentia est ipsum 5.

Esse, irreceptibile, ac per se subsistens; est consequenter in Essendo simpliciter & omnimodè infinita, seu infinitè perfecta.

Responsio ad argumenta Adversariorum.

6 AD Scoti *n. 2.* oppositum Respondetur: Substantiam Angeli non adeò immaterialem, ac irreceptibilem esse, quin sit in potentia ad Substantiam, & existentiam. At Ens simpliciter infinitum excludere omnimodam potentialitatem. Ergò ex eo, quòd Angeli Substantia non sit suum Esse subsistens; efficaciter probari, non esse in Essendo infinitum.

7. Replicabis ex Scoto. *cit. n. 33.* Quælibet entitas habet intrinsecum sibi gradum suæ perfectionis, secundùm quem in se vel est finita, vel infinita. Ergò eo ipso, quòd Existentia, & Subsistentia in Angelo dicatur distincta ab ejus Essentia, hæc in signo naturæ priori secundùm se est intelligibilis cum certo aliquo gradu perfectionis suæ finito, sive infinito. Ergo Essentia Angeli non ex hoc, quòd sit receptiva existentiæ à se distinctæ, sed antecedenter intelligitur finita.

8. Respondetur concedendo integrè primam consequentiam, at negando Subsumptum. Nam hoc ipso, quòd Essentia Angeli intelligitur *naturâ* prior existentiâ, & Subsistentiâ à se distinctâ, consequens est, in isto priori naturæ intelligi, quatenùs sit in potentiâ ad Esse. At hæc ipsa potentialitas constituit Naturam, & Essentiam Angeli intrinsecè finitam. Ergò ex eo, quòd ab alicujus substantiæ Essentiâ distinguatur Existentia, rectè concluditur, esse finitam in Essendo; cùm econtra ex identitate reali formali Essentiæ, ac Existentiæ demonstretur infinitas in Essendo.

9. Ad Vasquis *n. 3.* oppositum Respondetur: Essentiam Divinam *origine prius* intelligi in virtute generativa Patris, quam in Filio; neque tamen ex hoc evinci, quòd Essentia Filij sit finita. Hujus autem non apparere aliam rationem, nisi quòd filio per generationem communicetur Essentia, quæ *formaliter* sit ipsum Esse subsistens. Ergò infinitatem in Essendo non tam ex ratione Essendi à se vel ex negatione præcontinentiæ, sive Emanationis, sive Communicationis Essentiæ in & ab aliquo principio, quàm ex formali identitate Essentiæ, ac Existentiæ demonstrari.

10. Imò rationem *Essendi à se* ex parte rei non importare *formaliter* negationem, sed rationem positivam. Hanc verò non esse intelligibilem, nisi ex eo, quòd Essentia Dei sit, sive existat *à se*, non *efficienter*, sed *formaliter*. At rationem *existendi à se formaliter* nihil aliud esse, quàm rationem *Essendi in se, ac per se*, non autem per formalitatem existentiæ à se distinctam. Ergò ratione *essendi à se* in Deo esse *formaliter* per identitatem realem formalem Essentiæ, ac Existentiæ. Ergo non esse, cur *Vasquez* contendat, infinitatem Dei in essendo probari ex ratione essendi à se, non autem ex eo, quòd Essentia Dei sit suum Esse irreceptum subsistens.

***

(IHS.)

CONTROVERSIA II.

An Possibile sit Ens creatum infinitum?

NOn procedit Controversia 1. de infinito secundùm Essentiam; hoc ipso enim, quòd omnis substantiæ creatæ Essentia sit in potentiâ ad Esse, est in se *formaliter* finita, & limitata. Neque 2. Controversia est de infinito *secundùm quid*, vel syncategorematico in potentiâ: Sic enim materia est in potentiâ ad infinitas formas; sic etiam continuum est divisibile in infinitum, seu partes syncategorematicè infinitas. Difficultas igitur est circa infinitum actu categorematicum secundùm quantitatem tum continuam, tum discretam, seu multitudinem, ac secundùm qualitatem, sive intensionem. 1.

Referuntur Sententiæ.

AFfirmant Gregorius Ariminensis *in 1. dist. 43. q. 4.* Vasquez *præs. disp. 36.* aliique tum Antiquiores Nominales tum plures Recentiores Societatis Iesu Theologi, ac Philosophi. Probatio fundamentalis est. Si enim infinitum actu esse non repugnet ex ipsa ratione formali infiniti, potest à Deo produci ex S. Thom. *q. 2. de Verit. a. 10. in fine corporis.* At si ex ratione infiniti repugnaret actu existere in creatis; hoc ideo esset, quòd Deus per suam Omnipotentiam utpote ex productione infiniti creati non exhaustam facere posset additionem sive multitudini, sive quantitati sive qualitati infinitæ. Unde consequens foret: unum infinitum sive *extensivè*, sive *intensivè* esse altero majus, adeoque habere terminum vel extensionis, vel intensionis. Atqui hanc contradictionis implicantiam nullius esse efficaciæ, inde constat, quòd uni merito Christi additi sint plures valores aliorum meritorum, quin hæ adijcerent maiorem valorem, quam esset in primo ejus opere Meritorio. Unde D. Thomas *3. p. q. 10. a. 3.* ait. *Si accipiamus unam lineam infinitam, in illâ non est aliquid majus infinito: Similiter si accipiamus quamcumque aliarum linearum infinitarum: manifestum est tamen, quòd uniuscujusque earum partes sunt infinitæ. Oportet ergò, quòd omnibus illis partibus infinitis non sit aliquid majus in illâ lineâ: tamen in aliâ lineâ & in tertiâ erunt plures partes etiam infinitæ præter istas.* Ex quo patet, in infinito esse intelligibilem additionem, & plurificationem, quin detur infinito aliquid majus. Ergò illa ratio implicantiæ non evincit, quòd infinitum sit impossibile. 2. 3.

E contrario S. Thomas *præs. a. 1. & 4.* D. Bonaventura *in 1. dist. 43. a. 1. q. 3.* & Thomistæ communiter negant possibile Ens creatum infinitum actu sive secundùm multitudinem, sive magnitudinem, sive Intensionem. 4.

CONCLUSIO I.

IMplicat in creatis esse infinitum actu secundùm accidens.

Probatur: Eo ipso quòd omnis substantia creata habeat esse receptum, est in suâ Essentiâ 5.

per rationem potentialitatis finita, & limitata. Est autem natura accidentis, quòd consequatur aliquam substantiam. Atqui substantiam creatam ex Essentiâ suâ determinatam non possunt consequi, nisi determinata, atque adeò finita accidentia. Ergo implicat, in substantiâ Corporeâ dari quantitatem infinitæ extensionis, seu magnitudinis; & in substantiâ sive materiali sive spirituali esse qualitatem infinitæ intensionis.

6. Respondebis cum Vasquez. *cit. disp. 26. c. 2. n. 8.* falsum esse, quòd ex omni determinata Essentiâ, seu naturâ substantiæ corporeæ necessariò consequatur determinata extensio quantitatis. Nan. Philosopho *2. de Animâ c. 4. text. 41.* & ipsamet experientiâ testibus, Ignis additâ materiâ sine termino augeri posset. Si proinde ratio finitæ substantiæ non exigat certum terminum extensionis, non est, cur de Essentiâ accidentis quà consequentis substantiam creatam, dicatur esse, quòd sit finitum.

7. Contra: Nam accidentis Essentia est esse Entis Ens. Ergo accidentis naturalis natura est esse substantiæ creatæ, cujus est Ens, ex ratione suâ formali commensuratum. At omnis, sive extensionis, sive intensionis ratio non excedit in accidente naturali hujus limites, & rationem formalem accidentis. Ergò ratio etiam extensionis, & intensionis in accidente naturali est ut sic proportionata substantiæ creatæ. At infiniti cum finito non est commensuratio, ac proportio. Repugnat autem, substantiam sub ulla formalitate substantiæ esse simpliciter infinitam. Ergò ex ratione formali accidentis implicat accidens aliquod naturale secundùm aliquam sive extensionis, sive intensionis rationem esse simpliciter actu & categorematicè infinitum.

8. Unde responsio Vasquezij. *num. præced.* adducta ad summum tenet de augmento ignis in infinitum syncategorematicè secundum potentiam, non verò actu categorematicè. Imò illud Aristotelis asserentis, *Ignem posse augeri in infinitum.* intelligendum est de igne quà uno per aggregationem, non autem de individuo ignis per se uno, hunc enim sicuti in ratione substantiæ, sic in ratione omnis accidentis, atque adeò extensionis sibi connaturalis oportet esse ab intrinseco determinatum. *Uti conformiter* S. Thomæ *respondit* Cajetan. *præs. art. 3. §. ad ea.*

9. Replicabis; Totum hoc argumentum procedere de Commensuratione accidentis cum substantia creatâ secundum hujus exigentiam naturalem. At Dei potentiam absolutam non esse alligatam exigentiæ naturali substantiæ, & naturæ creatæ. Ergo illo argumento non probari omnimodam impossibilitatem infiniti actu secundùm accidens, ita ut implicet hoc produci per potentiam Dei non tantùm Ordinariam, sed absolutam.

10. Contra: Nam in accidente secundùm essentiam suam naturali non est intelligibilis modus extensionis, ac intensionis quin *formaliter* ex entitate, ac Essentiâ suâ importet rationem accidentis naturalis. Hujus verò quidditas dicit proportionem intrinsecam cum creatâ substantiâ. Atqui ex formali ratione finiti, ac infiniti repugnat, hujus sub formalitate infiniti esse proportionem cum finito. Ergò eo ipso, quòd modus intensionis, vel extensionis in accidente naturali non possit habere Essentiam accidentis ex ratione suâ quidditativâ proportionati cum substantiâ creatâ, implicat, dari accidens infinitum actu secundùm extensionem, vel intensionem.

Instabis: Ex hoc tantum evinci, non esse possibilem modum intensionis infinitum in accidente naturali, non autem supernaturali quoad Essentiam, cujusmodi est gratia & lumen gloriæ. Nam hujus nulla est proportio intrinseca essentialis ad substantiam creatam, sed ista secundùm potentiam duntaxat Obedientialem est à Dei Omnipotentiâ elevabilis ad accidens ejusmodi supernaturale recipiendum & cum ejus concursu producendum effectum supernaturalem. Ergò prætacta ratio non obstat, quò minùs accidens hujusmodi esset infinitum actu secundùm intensionem. 11.

Contra: Nam hæc ipsa ratio intensionis infinitæ importaret rationem aliquam Essendi, cùm sine hâc nihil intelligibile sit. Hæc autem non posset *formaliter*, ac *essentialiter* esse alia à ratione intensionis, cujus esset Essentia. Ergò sicuti intensio, sic ratio ejus essendi foret infinita. Ergò esset ut sic actus purus. Non igitur est intelligibile ullum infinitum actu, quin ut sic dicat rationem actûs puri, *veluti demonstrat* Divus Bonaventura *loc. cit.* 12.

CONCLUSIO II.

Implicat produci infinitum actu secundùm multitudinem.

Probatur. Non est possibile, omnes creaturas factibiles esse simul actu productas, quia finiretur potentia Dei ad opus unius instantis, uti contra Vasquezium *cit. disp. 26. n. 2.* tradunt S. Thomas *1. cont. gent. c. 69. n. 4. & 2. cont. gent. c. 26. n. 2. & de Verit. q. 20. a. 5. ad 4.* Albertus Magnus *1. dist. 43. a. 2. & in sum. 1. p. tract. 19. q. 77. memb. 2. ad 1.* & Theologi communiter tam recentiores, quàm antiquiores allegati à Fasolo *præs. q. 7. dub. 13. à n. 2.* Cujus ratio à priori adduci potest; 13. 14.
quia summa Divinæ naturæ perfectio, ac eminentia infinitè distat à quacumque multitudine rerum creatarum. At ista Divinitatis eminentia ac perfectio est in Divinâ naturâ ratio participabilitatis à rebus creatis. Ergò non est intelligibilis ulla multitudo rerum creatarum, quin adhuc infinitè distet à Divinæ naturæ participabilitate. Ergò non est possibile, dari aliquam multitudinem creaturarum, quin possit fieri additio, & multò adhuc plures creari. At supra multitudinem infinitam nihil addi potest, cùm alioquin posset dari majus infinito. Est autem quædam proprietas infiniti, quòd infinito non sit aliquid majus. S. Thom. *3. p. q. 10. a. 3. ad 3.*

Probatur istud assumptum. Nam de ratione majoris est excedere, & de ratione minoris excedi, quæ finitatem concludunt, uti demonstrat Scotus *in 2. dist. 1. q. 4. n. 20. in fine.* Cùm proinde impossibile sit, dari multitudinem, quâ major esse nequeat, Majoritas verò, ac Minoritas repugnent infinito, consequens est, non posse dari multitudinem actu infinitam.

Respondebis ex Fasolo *præs. q. 7. a. 4. dub. 3. n. 8. & dub. 4. à n. 3.* Infinitum actu secundùm multitudinem nihil aliud esse, quàm unitatem infinities replicatam, sive finitum replicatum infinities. Unde impossibile esse, dari aliquod infinitum 15.

infinitum, in quo non ſint aſſignabiles partes finitæ, & partes infinitæ. Etſi proinde infinitum ut ſic, quatenus conſtat partibus infinitis, non admittet additionem, & majoritatem, ſeu plurificationem. Secùs tamen eſſe, quatenus conſideratur ſecundùm partes finitas. Sic enim datâ infinitâ hominum multitudine, in hâc fore bis infinitos oculos, & in binario infinitarum manuum, quinquies infinitos digitos; imò in quâlibet multitudine infinitâ fore binarios, ternarios, centenarios, millenarios infinities multiplicatos. Undè conſequens eſſe, quòd multitudini actu infinitæ poſſet addi altera non tantùm finita, ſed aliqua etiam infinita multitudo, dum nimirum fieret binariorum v. g. replicatio infinita. At per ſe notum eſſe, quòd binarij dicant numerum finitum. Ergo iſtam replicationem, ſeu additionem fieri non ſecundùm quod infinitum eſt, ſed ſecundùm partem aliquam finitam. Simili ergò ratione, ſi unitati infinitorum oculorum jungatur altera oculorum infinitas, tunc eſſe duas infinitates, fieriquè adeò infinitati additionem, ſecundùm quod habet rationem Unitatis cum alterâ infinitate conſtituentis binarium. At evidens eſſe, quòd ut ſic non fiat additio infinito, niſi ſecundùm rationem finiti. Ergo in infinito intelligi poſſe additionem, majoritatem, & minoritatem, non quà infinitum eſt, ſed ſecundùm partes finitas.

16. Contra: Nam aliud eſt, infinitæ multitudinis partes conſiderare *Diſtributivè*; aliud verò eſt, ſi conſiderentur *Collectivè*. At ſi multitudini hominum infinitæ fiat additio aliorum individuorum, ſive finitæ ſive infinitæ multitudinis, tunc iſta poſterior multitudo *Collectivè* ſumpta includit omne id, quod prior; & adhuc infinities plura. Ergo poſterior illa multitudo non in *ſenſu diviſo*, ſed *collectivo* comparata cum priori eſt major. Atqui multitudines iſtæ conſideratæ in *ſenſu collectivo* ſunt infinitæ *formaliter*. Ergò daretur infinitum majus altero formaliter quà infinito. Hinc autem ſequeretur, infinitum quà tale excedi, adeoquè habere terminum: in quo manifeſta

17. continetur implicantia. Ex quo adeò fundamento cum D. Thomâ *praes. q. 7. a. 4.* rectè concluditur; non eſſe intelligibilem ullam ſpeciem multitudinis, niſi ſecundùm ſpecies numerorum. At eo ipſo, quòd quilibet numerus ſit multitudo menſurata per unum, implicat, ſpeciem aliquam numeri eſſe infinitam actu, ſive per ſe, ſive per accidens.

18. Replicabis: Intellectum Animæ Chriſti videre in verbo omnia, quæ aliquando exiſtunt, & omnes effectus contentos in potentijs creaturarum. D. Tho. *3. p. q. 10. a. 2. & 3.* Hæc autem habere rationem infiniti; & tamen animam Chriſti intelligere plura adhuc poſſibilia latentia in virtute Omnipotentiæ Divinæ. Ergò animam Chriſti intelligere, quòd infinito poſſit fieri additio.

19. Contra: Nam actu ſimul videre cogitationes creaturarum intellectualium in æternitate per inſtantia diſcreta in infinitum eliciendas, eſt intelligere multitudinem ſemper actu finitam, ſed tamen multiplicabilem in infinitum, adeoque in potentiâ infinitam. At ratio infiniti ſecundùm potentiam formaliter importat additionem poſſibilem. Eſt igitur intelligibilis additio reſpectu *Syncategorematici ſecundùm potentiam*, non autem *Categorematici ſecundùm actum infiniti*.

Reſponſio ad fundamenta contraria.

AD oppoſitum *n. 2.* Reſpondetur ex S. Thomâ *loc. ibi. cit.* Manifeſtum eſſe, quòd in illo genere vel ordine, in quo intelligitur aliquid eſſe infinitum, non poſſit dari majus. Unde ſicuti primum Chriſti meritum erat *intenſivè* infinitum, ſic non poterat recipere augmentum *valoris intenſivi*, etſi *quoad valorem extenſivum* ex meritis ſubſequentibus additionem admiſerit. At ſi multitudini actu infinitæ fieret additio, tunc in eodem genere multitudinis daretur infinito ſimpliciter majus, *uti ſuperius eſt demonſtratum*. Ergo ex hoc ipſo quòd poſſibilis ſit multitudo, quin poſſit in infinitum additio fieri, implicat dari infinitum actu categorematicum. Et hinc Doctor Angeli- 20.

cus *cit. n. 1.* adductus argumentando ex lineâ ſecundùm longitudinem infinitè extensâ, iſtam non tam poſſibilem ſupponit, uti conſtat *ex 1. p. q. 7. a. 3.* quàm ex hypotheſi alioquin impoſſibili probat, non poſſe infinito dari majus, atque adeò infinitum ſimpliciter in rebus creatis repugnare; etſi intelligibile ſit *infinitum ſecundùm quid*, in quo poſſit dari majus, veluti pateat ex effectibus contentis in virtute Cauſarum ſecundarum, & Cauſæ primæ; hi namquè ita ſunt *Syncategorematicè* infiniti, ut tamen plures ſint poſſibiles in Primâ, quàm in ſecundis cauſis. 21.

Inſtabis: Poſſibile fuerat mundum extitiſſe ab æterno ex S. Tho. *1. p. q. 46. a. 2. & 2 cont. gen. c. 39.* At poſitâ mundi æternitate fuiſſent generationes infinitæ. Unde infiniti etiam homines proceſſiſſent, quibus licèt corruptis remanerent animæ, utpote immortales. Ergò poſitâ mundi æternitate daretur actu multitudo animarum infinita. Neque dicas: Hominem, datâ illâ hypotheſi infinito tempore extiturum fuiſſe, antequàm generaret; aut Deum, ne devenir etur ad infinitam multitudinem animarum, has cum corporibus fuiſſe miraculosè deſtructurum. Nam teſte Cajetano *cit. q. 46. a. 3. circa finem.* videtur ridiculum, hæc miracula interponere. Neque opponas cum eodem Cajetano *loc. cit.* æternitatem mundi fuiſſe poſſibilem quoad ſubſtantiam ingenerabilem, non autem quoad hominem: nam hæc videntur æquè gratis affirmari. Ergò ex hoc, quòd poſſibilis fuerit mundus ab æterno, conſequenter aſſerendum eſt, poſſibilem eſſe infinitam animarum multitudinem. 22. 23. 24.

Reſpondetur: Mundi æternitatem à Doctore Angelico *cit. a. 2. ad 1.* ex eo fundamento adſtrui poſſibilem, quòd ejus productio ſit inſtantanea. At inſtans æternitatis in hoc differre ab inſtanti temporis, quòd illud ſit indiviſibile importans latitudinem durationis infinitam. Unde etiamſi generationes rerum dicerentur eſſe ab æterno, non ſequeretur, dari multitudinem v. g. infinitam, niſi generationes hominum plurificarentur ſecundùm inſtantia temporis infinita. At ſi poſſibilis eſſet productio alicujus animæ in quodlibet temporis inſtanti, ſequeretur; in inſtantibus unius diei infinitis produci poſſe 25. 26.

posse animas infinitas; nec adeò ad possibilitatem infinitæ multitudinis animarum, opus esset recurrere ad possibilitatem temporis infiniti, seu commensurati cum æternitate; velut arguit Subtilis Doctor. *cit. q. 4. n. 20.* Cùm igitur ex ratione infiniti repugnet, dari multitudinem infinitam actu, consequenter datâ etiam mundi æternitate non essent hominum generationes infinitæ, vel saltem Deus propter infiniti repugnantiam deberet ita moderari universum, ut nunquam perveniretur ad animarum multitudinem infinitam.

COROLLARIUM.

27. INfertur. Hac ipsa ratione, quâ probatur Deus infinitus, demonstrari immutabilem. Explicatur. Deus ideo est infinitus, quia est suum Esse subsistens. At quia Deus est suum Esse, est Existens per Essentiam. Ergo non potest non existere, nec adeò procedere à non esse ad Esse. Hinc etiamsi Filius, & Spiritus Sanctus realiter producantur, simpliciter tamen negandum est, istas
28. personas procedere de non Esse ad Esse. Hæc namquè propositio importat distinctionem Essentiæ ab Esse. At Esse Existentiæ nec *realiter* nec *formaliter à parte rei* distinguitur ab Hypostasibus Divinis. Unde Filij, & Spiritûs Sancti productio est emanatio, vi cujus per *summam identitatem realem etiam formalem*, atquè adeò sine mutatione illis Personis Divinis communicatur Essentia, sive Existentia Patris.

29. Hinc ex eâdem indistinctione Esse ab Essentiâ fit, quòd in Deo sint omnino idem suppositum, & Natura. S. Thom. *q. 2. quodl. a. 3.* At substantia in quâ non est distinctio Naturæ, ac Hypostasis, non est receptiva accidentium. *Ex*
30. *Philosopho 7. Metaph. tex. 21.* Unde actus Dei immanentes, seu Decreta libera per summam cum Esse Naturæ Divinæ identitatem inexistunt Deo, nec adeò per illa tanquam accidentia immutatur Divina substantia. Cùm proinde soli Deo sit proprium, quòd sit suum Esse subsistens, consequenter solius Naturæ Divinæ est, non posse per receptionem Esse, vel accidentium immutari, uti latiùs probat S. Doctor. *1. p. q. 9.*

ARTICULUS IV.

DE

Immensitate & Existentiâ DEI *in rebus.*

1. ADversùs nonnullos antiquiores Philosophos, qui Deum in centro, vel circumferentiâ mundi, aut extra universum constituebant; à Fide Orthodoxâ manifestè adstruitur Dei Immensitas in Symbolo S. Athanasij, & Concilio Lateranensi, *cap. Firmiter de sum. Trinit. & Fide Cath.* Hinc etiam dicitur Deus Cælum & terram implere. *Hierem. 23.* Ejus insuper mensura longior terrâ, profundior inferno, & excelsior cælo, asseritur *Iob. 11.* Quod ne accipiatur de mensurâ corporeæ molis quantitativâ, S. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum. c. 9.* ait, *Deum immensum esse Virtute, non Mole.* Unde Immensitas consistit in Virtuali quadam extensione, vi cujus Deus illabitur omnibus rebus, eisquè constituitur intimè præsens. De quâ proinde virtuali extensione inter Theologos Controversia est, *An sit consequens Dei virtutem operativam, vel potiùs consistat in magnitudine quadam spirituali quasi Extensionis Divinæ Essentiæ.* 2.

CONTROVERSIA UNICA.

An operatio Dei sit formalis ratio Præsentiæ, ac Existentiæ ipsius in rebus creatis.

SCotus *in 1. dist. 37. q. un.* negat, quòd per formalem consequentiam inferatur, Deum esse in rebus, & ubiquè, eò quòd in omnibus & in omnia operetur. Probatur. Quantò agens est virtuosius, tantò potest agere in aliquod magis distans: velut ad oculum patet in agentibus creatis. At Virtus Dei est infinita. Ergò si per impossibile Deus ab aliquâ re distaret, adhuc posset in eam agere. Ergò indistantia, seu inexistentia Dei in rebus, formaliter non infertur ex actione Divinâ, sed ex ratione immensitatis *formaliter disparatè* se habentis ad Virtutem Dei operativam, ejusque actionem. 3.

Suarez *lib. 2. de Attributis Dei Negativis*, & *disp. 30. Section. 7.* Ysambertus *ad præs. q. 8. disp. 1. a. 2. & 5.* admittunt; Localem Dei simultatem quoad Existentiam substantialem cum, & in omnibus rebus, seu locis, colligi quidem ex ejus operatione: attamen Immensitatem non consequi ad Dei virtutem operativam, sed consistere in virtuali quâdam spirituali magnitudine quasi extensionis infinitæ Essentiæ Divinæ, adeò, ut si per impossibile res aliqua creata posset sine actione Dei habere existentiam, Deus tamen esset necessariò in illâ ex vi Immensitatis. Probatur: Nam Patres & Scripturæ Sacræ Immensitatem Dei explicare solent per Magnitudinem, juxta illud *Sap. 1. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Hæc autem repletio non est tantùm secundùm operationem, sed sermo est de ipsâ Substantiâ Spiritûs Dei inexistente rebus universis. Ergò importat quandam extensionem Virtualem Divinæ substantiæ ad omnes res creatas intimè ipsis inexistendo ac eas penetrando. 4.

S. Thomas *præs. q. 8.* Immensitatem ponit in contactu non quantitativo, sed Virtuali Divinæ Essentiæ ad res in infinitum creabiles: quæ tamen ratio præsentialitatis sive contactûs Dei ad res creatas formaliter importet operationem Divinæ Substantiæ. 5.

CONCLUSIO.

IMmensitas, quâ Deo intrinseca, importat virtutem infinitam inexistendi rebus creatis: hæc autem inexistentia actualis, seu præsentialitas Dei *formaliter* est operatio Divina. 6.

Probatur *ex Act. 17. Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus,*

fimus. Ex quo ita licet argumentari. Ratio, cur Deus sit nobis præsens, est, quia in ipso vivimus. Hoc autem fit, quia operatur in nobis, quòd vivimus. *Gloſſa ibid.* Ergo operatio Dei est ratio ejus inexistentiæ, ac præsentiæ in rebus creatis.

7. Respondebis ex Vasquez *disp. 28. c. 4. n. 18.* & Scotistis *in Schol. ad cit. q. dist. 37.* Illum sacrum textum non tam agere de Immensitate, quàm de facilitate habendi notitiam veri Dei, siquidem Paulus intenderit arguere Titulum Atheniensium Aræ *Ignoto Deo* dicatæ.

8. Contra. Nam ex contextu patet, Paulum, quod ignorantes colebant, annunciâsse Atheniensibus. Unde non erat quæstio de Deo *An*, sed *Quis esset*? De hoc igitur Paulus demonstravit 1. cùm sit Dominus Cæli & terræ, utpote, qui fecerit mundum, & omnia, quæ in eis sunt, non habitare in templis manu factis. 2. Cùm det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, non coli manibus humanis, quasi aliquo indigentem. 3. Cùm fecerit genus humanum; attestantibus quibusdam Atheniensium Poëtis *nos esse genus Dei*, non debere æstimari Divinum esse simile auro vel sculpturæ artis, & cogitationis hominis. 4. Cùm in ipso vivamus, moveamur & simus, non esse longè ab unoquoque nostrûm, nec adeò esse æstimandum instar lapidis, & sculpturæ artis templis manu factis conclusæ, & cogitatione hominis fabrefactæ. Ex

9. quo revera constat, Apostolum intendisse Atheniensibus annuntiare Deum factorem Cæli, & terræ Dominum universi non fabrefactum arte humanâ, neque conclusum templis manufactis, sed ubique præsentem. Hujus autem ultimi rationem adstruebat illud naturæ lumine notum, *quòd in ipso vivamus, moveamur, & simus.* Ergò præsentia Dei in rebus creatis demonstratur ex operatione Dei. *Uti tradunt etiam Patres nominatim* Cyrillus Alex. *lib. 9. in Ioan.* Hilarius *in illud Psalm. 118. Prope es tu Domine.* August. *lib. 1. Confess. c. 2.* & Anselmus *in Monol. c. 21. & 22.* eruiturque manifestè *ex Psalm. 138.* ubi cùm David dixisset, *Si ascendero in Cælum, tu illic es &c.* subdit rationem, *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Unde Molina *hic disp. 2.* infert; Authores contrariæ sententiæ aut dicere debere, Spiritum Sanctum per os Pauli, atque Davidis ineptam reddidisse rationem, inefficaxque argumentum confecisse ad probandam præsentiam Dei in rebus, aut confiteantur necessum esse, ex immediatâ operatione Dei in aliquo loco satis superque concludi præsentiam Dei in rebus.

10. Replicabis: Præsentiam Dei non *immediatè* ac *formaliter*, sed *mediatè*, & *materialiter* duntaxat inferri ex operatione Divinâ. Nam sol est producens in visceribus terræ aurum. Ergò Agentis, & Effectûs indistantia non arguitur ex naturâ actionis. Probatur tam antecedens, quàm Consequentia: Nam licèt virtus calefactiva à Sole emanans disponat materiam, ex quâ aurum producitur, ipsa tamen forma substantialis solis est generativa substantiæ auri, cùm hæc non possit procedere ab accidente. Ergo Sol virtute quidem illuminativâ agit in corpora sibi immediata; attamen per formam suam substantialem actione generativâ agit in corpora à se distantia. Ergo ex naturâ actionis non requiritur propinquitas Agentis, & passi, seu effectûs. Si proinde ex actione Dei inferatur ejus præsentia; hoc non tam est ex ratione formali operationis; quàm ex eo, quòd ratio Primi Agentis sit actus purus, ex quo ratione nostrâ ratiocinata intelligitur emanare ratio Immensitatis.

Contra: Oportet enim omne agens conjungi ei, in quod immediatè agit, & suâ virtute illud contingere. *Ex Philosopho 7. Phys. usque ad 3.* Cujus ratio à priori afferri potest, quòd operatio sit emanatio immediata effectûs ab agente. Hæc autem emanatio non potest intelligi immediata respectu agentis, nisi huic immediatè sit conjunctus effectus. Ergò natura actionis importat agentis cum effectu conjunctionem immediatam, sive immediatione suppositi, sive immediatione saltem virtutis: velut substantia Solis non *immediatè*, sed *mediante virtute* à se diffusâ in visceribus terræ producit aurum, cui adeò est immediata *immediatione virtutis*; At quia effectus Dei proprius est Esse, non potest agere *immediatione* tantùm *virtutis* à se diffusæ, sed oportet ut omnis substantiæ creatæ sit principium immediatum *immediatione suppositi.* 11.

Probatur sequela hujus assumpti: Omnis effectus debet reduci in aliquod principium *per se primum*: At principium *per se primum Esse* non est nisi illud, cui *per se primò* convenit *Esse*: nam omne aliud ens, cùm habeat esse participatum, supponit principium, à quo participat *Esse*. Atqui omnis Virtus extra Deum diffusa est Ens creatum, & participatum: soli autem Deo *per se primò* sive *per Essentiam* convenit *Esse*. Ergò solius Dei effectus proprius est *Esse*. Atqui actionis natura importat immediatam conjunctionem effectûs, & immediati agentis. Deus autem in rebus creatis causat *Esse* non tantùm in fieri, sed etiam in conservari. Ergo ex istâ causalitate oportet Deum tamdiu, & eo modo esse conjunctum rebus creatis, quo modo participant *Esse*. At *esse* est maximè intimum cuilibet rei, inestque profundiùs omnibus; est enim formale omnium, cùm nihil sit in re, quod non actuetur per *Esse*. Ergò ex causalitate, & operatione Dei, quam exercet in cujuslibet rei *Esse*, sequitur Deum cuivis Entitati creatæ esse intimiùs præsentem, quàm anima materiæ, quam informat. Hæc enim licèt informet materiam in Esse Substantiali, præsupponit tamen ejus Entitatem potentialem, ei superinducendo Esse substantiale. At causalitas Dei nihil præsupponit Entitatis, sed omnia dat, & producit, ut adeò contactus Dei ad res creatas sit perfectissimus, maximè intimus, & illapsivus in res creatas, ita ut *in priori naturæ* intelligatur prior contactus Dei, quàm res contacta, utpote per hunc producta. 12. 13.

Instabis: Ex operatione Dei probari quidem, Deum esse omnibus rebus intimè præsentem, ita tamen, ut hæc præsentia non tam formaliter importet operationem, quàm per modum conditionis antecedentis operationem se teneat ex parte Causæ, seu Dei operantis: Sicut in agentibus corporeis approximatio agentis ad passum prærequiritur tanquam conditio sine quâ non. 14.

Contra: Præsentia enim Dei non est cogitanda instar ubicationis corporeæ, quæ est respectus locati ad locum *formaliter* quà talem. Est autem locus ultimum corporis ambientis immobile 15.

mobile primum. *Ex Philosopho 4. Physic. c. 4.* At Deus à nullâ superficie quantitativâ ambiri potest; juxta illud: *Si Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt. 3. Reg. 8.* Unde non tam continetur loco, quàm contineat, & portet omnia loca. Hoc autem fit per operationem, vi cujus *portat omnia Verbo virtutis suæ. ad Hebr. 1.* Quare Deus est in loco, quatenus dat Ei Esse, & virtutem locativam: imò replet omnia loca, dando Esse omnibus locatis, per quæ replentur loca, uti Doctor Angelicus *præs. q. 8. a. 2. docet.* Manifestum igitur est, præsentiam Dei ad res creatas *formaliter* consistere in causalitate, *velut in cit. a. 2. ad 1. & in 1. dist. 39. q. 2. a. 1.* asseruit idem S. Doctor: *Incorporalia non sunt, inquiens, in loco instar corporum per contactum quantitatis dimensivæ, sed per contactum virtutis, ita ut Deus locum impleat non indistantiâ dimensionum, sed causalitate effectuum.*

Responsio ad argumenta Adversariorum.

16. AD oppositum *n. 1.* Respondetur: Agens duplici ex ratione intelligi virtuosius 1. ex eo, quòd virtutem suam latiùs extendat. 2. quòd perfectiorem effectum producat. Unde agens non intelligi summè virtuosum, nisi utramquè istam virtutem in summo perfectionis gradu obtineat, seque adeò extendat ad omnem effectum possibilem. At *superiùs* esse probatum, quòd *Esse* tanquam Universalissimus omnis creati intimus effectus non possit esse nisi illius virtutis, cujus *Esse per se subsistens* est sua Essentia: esse autem per se notum, quòd virtus ejusmodi *per se subsistens* sit suppositum; atquè adeò Deus dando rebus omnibus *Esse*, sit necessariò omnibus rebus præsens *immediatione*, non tantùm *virtutis*, sed *suppositi*. Ergò Agens summè virtuosum, cujus effectus proprius est *Esse* omnis creaturæ, non posse agere in distans.

Ad oppositum *n. 2.* Respondetur. Spiritum
17. Dei *replendo orbem terrarum, Sap. 1.* dici *continere omnia.* Hoc autem fieri, quatenùs cum Verbo, à quo procedit, per eandem indivisibilem virtutem sibi communicatam portat omnia. At manifestum esse, virtute Divinâ portari res creatas per actionem Dei virtualiter transeuntem. Ergò Magnitudinem illam, quâ Spiritus Domini replet orbem terrarum, non esse cogitandam instar alicujus dimensionis, seu extensionis quasi localis virtualis, sed esse *formaliter* Virtutem Divinæ potentiæ, se mediante causalitate diffundentis in omnes res creatas, itaquè replentis Orbem terrarum.

COROLLARIUM.

18. INfertur 1. Circa attributum Divinum Immensitatis duo posse considerari. Nam 1. Deus est in se ipso æternaliter existens cum virtute & potestate, ubiquè in infinitis locis, & creaturis exercendi contactum suæ præsentiæ. Quo modo Immensitas est Attributum Dei necessarium per rationem nostram ratiocinatam distinctum ab Omnipotentia. Probatur. Etenim Omnipo-
19. tentia ad creaturas refertur non per rationem Contactûs, & illapsûs, sed per rationem operationis dantis Esse. Differunt autem hæ duæ rationes ex eo, quòd *per formalitatem operationis* creaturæ sint à Deo: *per formalitatem* autem *Contactûs* intelligantur esse in Deo. Unde sicut alia intelligitur in Deo ratio circuminsessionis, & Processionis: quæ differentia in eo sita est, quòd per Circuminsessionem Pater sit in Filio ratione identitatis substantiæ cum Esse & Hypostasi Filij; per Processionem verò Filius sit à Patre per productionem Hypostasis Filij, & comunicationem Substantiæ, ac Essentiæ. Sic productio creaturarum importat communicationem Esse non *formaliter*, seu *realiter* identificati cum Esse Divino, sed ab hoc *Efficienter* derivati, atquè adeò distincti. At quia hæc communicatio causati- 20.
va, seu effectiva importat immediatam conjunctionem effectûs, & Agentis, seu Esse producentis ac producti, ex eo fit consequens, Esse Dei per se subsistens Esse creaturæ à se productæ illabi, non quidem per identitatem, velut in Personis Divinis; sed per contactum virtutis, ac Suppositi. Cùm proinde alia sit ratio operationis, alia Contactûs ut sic, consequenter ratio Immensitatis prout in actu primo importat *formalitatem Contactûs Virtualis, & potestatem* ad res in infinitum creabiles, *formaliter ratione nostrâ* distinguitur ab Omnipotentiâ, quatenùs hæc dicit *virtutem* creaturarum *productivam.* 2. Circa Immen- 21.
sitatem Dei considerari potest actualis contactus Dei ad res creatas. De quo contactu *Sap. 7.* dicitur: *Divinam Sapientiam ubique attingere propter suam munditiam, quòd nimirum sit Vapor virtutis Dei.* Hic proinde contactus secundùm se, quatenus se tenet ex parte Dei, est ejus actio virtualiter transiens, sed intrinseca Deo agenti, atque adeò indistincta à Divinâ substantiâ. Nequè verò ut sic 22.
est ratio adæquata constituendi Deum actu præsentem, sed ratio existendi in creaturis præter illum contactum Divinum importat connotationem Creaturæ, seu effectûs temporalis per intimum illapsum attacti à Divina virtute, & substantiâ. Qui porrò Dei contactus non est Agentis ad passum præsuppositum, siquidem sit origo totius Esse, adeoquè *causalitate* prior omni passo, & subjecto. In quo differt à ratione præsentiæ Angelicæ; hæc enim dicit operationem Angeli non nisi eductivam ex præsupposito subjecto, nec adeò Virtus Angeli per modum primi Essendi principij influit Esse: unde talis præsentia, & contactus non meretur rationem intimi illapsûs.

Infertur 2. Deum tribus modis esse ubiquè, 23.
nempe *per Præsentiam, Potentiam, & Essentiam. Ex D. Tho. præs. q. 8. a. 3.* Nam præsentialitas alia est realis; alia verò intentionalis. Secundùm hanc dicitur præsens objectum, super quod fertur potentiæ cognoscitivæ intuitus. Cùm igitur omnia nuda, & aperta sint oculis Dei penetrantis usquè ad intima animæ, consequenter omnia sunt Deo intentionaliter præsentia, adquè adeò Deus est ubiquè *secundùm præsentiam intentionalem.* At *secundùm potentiam* reali præsentialitate est Deo intimè præsens omnis effectus, utpote emanans ex ipso secundùm totam essentialitatis, ac existentiæ suæ realitatem. Et quia hæc ratio Essendi non potest *per se primò* derivari nisi ex illâ virtute, cujus *Esse per se subsistens* est sua Essentia, consequenter Divina Substantia est omni rei creatæ intimè præsens, non tantùm *secundùm virtutem*, sed etiam *secundùm Essentiam, & Suppositum.*

24. Infertur 3. Deum speciali modo per gratiam esse creaturæ rationali præsentem. Explicatur & probatur: Nam quia Gratia est Naturæ Divinæ participatio, consequenter Virtus Divina quatenus Gratiæ productiva importat formalitatem Naturæ Divinæ. Hæc enim utpote intuitio Divinæ Essentiæ se ipsam *formaliter* intuendo videt radios gratiæ & gloriæ à se tanquam causâ Efficiente & exemplari derivabiles in creaturam rationalem. Qui porro radij, cùm nullâ mediante virtute extra Divinam Substantiam diffusâ sint producibiles, quin potiùs intellectio naturæ Divinæ *formaliter* constitutiva ipsaq; adeò Deitatis Natura tanquã Causa Idealis *immediatè* concurrat, *consequenter* Divina Substantia *secundùm gradum quasi specificum* non tantùm *Essentia*, sed etiam *Naturæ Divinæ* intelligitur per gratiam *sub speciali Idealis Causalitatis Formalitate* præsens rationali creaturæ.

25. Infertur 4. Vi unionis Hypostaticæ Deum intelligi *duplici speciali ratione* præsentem Humanitati Christi: Nam 1. Hypostasis Verbi *immediatum Personalem contactum* exercet in Humanitatem Christi, ratione cujus adeò *Hypostatici contactûs* Verbum, seu Essentia Divina quatenùs est in Verbo, dicitur *Personaliter* præsens Naturæ humanæ. 2. Quia verò hæc *unio personalis* non fit nisi mediante actione emanante ex Divinâ virtute, & substantiâ tribus personis Divinis communi, consequenter, ut sic tota Trinitas *secundùm potentiam, & substantiam* præsentialitate *contactûs causativi* ipsum Esse subsistens Divinum Verbo inexistens *communicantis* dicitur præsens Christo, ejusquè humanitati Verbo unitæ.

Infertur 5. Deum non esse actu in spatijs
26. imaginarijs, sive extra cælum. Ratio est: Nam in nihilo nihil omnino est. D. Thomas *in dist. 39. q. 2. a. 3.* Hinc Deo ab æterno non conveniebat ubiquè, vel in rebus esse, cùm Esse ubique importet relationem Dei ad Creaturas fundatam super operationem Dei. Idem S. Doctor. *loc. cit.* At spatium imaginarium supra Cælum est actu nihil. Sicut ergo Verbum, antequam produceret mundum in tempore, non dicitur fuisse in mundo, qui tamen in ipso vita erat: sed in principio generationis æternæ, sive in æternitate *Verbum erat apud Deum, Ioan. 1.* Sic etiamsi ultra cælum cogitemus in spatijs illis imaginarijs infinitos mundos possibiles, Deus non est actu in ipsis, sed in se ipso, attestante S. Augustino *in Psalm. 122.* super ista verba: *Qui habitat in in Cœlis*, ubi habet sequentia: *Antequam Deus faceret Cœlum, & terram, ubi habitabat? & antequam faceret Sanctos, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* Cui conformiter S. Bernardus *lib. 5. de consid. c. 6.* formans quæstionem, *ubi erat Deus antequam mundus fieret*: respondit: *Non est quòd quæras ultra, ubi erat, præter ipsum nihil erat. Ergò in seipso erat.*

Si proinde Patres quandoquè videantur as-
27. serere, *Deum esse ultra cælum in spatijs imaginarijs*, hoc non de actuali præsentiâ, sed de virtute & potentiâ inexistendi rebus, ac locis in infinitum imaginabilibus, seu possibilibus intelligendum est. Veluti Augustinus *lib. de naturâ Boni. c. 3.* eleganter expressit; *Quòd Deus sit supra mundum, & extra mundum, non spatijs locorum, sed ineffabili, & singulari potentiâ.* Quo adeò sensu D. Thomas *quodl. 12. a. 1.* ait: *Deum non tantum esse in his, quæ sunt, sed etiam in imaginatis & in præteritis, & in futuris.*

Nam alia est ubiquitas præsentiæ actualis, quæ teste eodem S. Doctore *in 1. dist. 39. q. 2. a. 3.* cùm importet relationem fundatam super operatione Dei ad extra, consequenter est coarctata ad creaturas actu productas. Alia verò ubiquitas est Virtutis & potentiæ, quæ *secundùm eundem Angelicum Doctorem in 1. ad Annibaldum. dist. 37. q. 2. a. 2.* refertur ad omnem imaginabilem locum, secundùm quam proinde Ubiquitatem Virtutis Deus Immensus dicitur.

Infertur 6. Præsentiam Ubiquitatis esse so-
lius Dei propriam, ex D. Tho. *præs. a. 4.* Ratio est: 28.
Tum quia implicat Corpus infinitè extensum ex S. Tho. *1. par. q. 7. a. 3.* Nec possibile est, Corpus aliquod extra dimensionis suæ terminos uno loco circumscriptos poni in alijs locis, ex eod. S. Doctore *in 4. dist. 10. q. 1. a. 1.* Ergò à fortiori est impossibile, quòd sit in omnibus locis ubique. Imò si per impossibile poneretur corpus aliquod in spatio infinitè extenso, in hoc tamen non esset, nisi secundùm dimensionem quantitativam, seu extensionem partium, nec adeò *per se primò* secundùm eandem indivisibilem entitatem, sed secundùm diversas partes existeret ubiquè *ex præs. art. 4.* Tum quia omnis creaturæ potentia, & virtus est limitata, nec adeò possibilis est substantia Angelica infinitè operativa secundùm suam naturam: Imò nec secundùm potentiam Obedientialem est creatura aliqua elevabilis ad omnem entitatem creabilem producendam, nec adeò Ubiquitas *simpliciter* quatenùs importat Virtutis Contactum omnimodè infinitum, est communicabilis alicui substantiæ creatæ: Ergò solius Dei propria est Virtutis perfecta Ubiquitas seu immensitas.

ARTICULUS V.

De

Æternitate DEI.

DEum æternum ex fide Orthodoxâ fa- I.
temur *in Symbolo S. Athanasij, & cap. Firmiter. de Sum. Trinit. & fide Catholicâ.* Probatque D. Thomas. *præs. q. 10. a. 2. & 3.* ex Divinæ Substantiæ immutabilitate. Sicut enim rationem motûs consequitur tempus: sic ratio æternitatis consequitur immutabilitatem. Ex eo autem, quòd Deus sit suum Esse, consequitur, quòd sit invariabilis, atquè adeò interminabilis ipsius Essendi uniformitas, in quâ consistit æternitas. Unde sicut nulla res creata est suum Esse, sic Deo soli convenit esse suam durationem, sive æternitatem.

CONTROVERSIA I.

In quo consistat formalis ratio AEternitatis.

2 DOctor Angelicus *1. p. q. 10. a. 4.* cum Boetio *5. de consol. pros. ult.* definit æternitatem, *quòd sit Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Circa cujus definitionis intellectum haud convenit inter Doctores, difficultate præcipuâ se tenente in illis particulis *Vitæ possessio. An ista scilicet habeat rationem durationis, ac mensuræ.*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

3 SCotus *q. 6. quodl. n. 14.* tenet; Æternitatem Dei fundamentaliter in ratione quasi subjecti importare vitam, id est, Existentiam actualem perfectam: ac formaliter dicere vel negationem terminationis, successionis, ac dependentiæ, vel relationem positivam aptitudinalem, seu potentialem ad coexistendum infinito tempori. Probatur. Nam æternitas dicitur *Possessio Vitæ.* Hic autem ponitur Vita pro actuali perfectâ existentiâ; sicut etiam in illo *Ioan. 5. Sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit filio.* Hæc igitur vita, seu actualis perfecta existentia Dei ponitur quasi subjectum, & fundamentum æternitatis. Hujus autem ratio formalis exponitur per id, quòd sit *Interminabilis, tota simul, & perfecta possessio.* At ratio *Interminabilitatis* importat vel negationem desitionis, ac inceptionis, vel aptitudinem per se coexistendi cuicumque durationi, seu existentiæ. Ex eo autem, quòd sit *tota simul,* excluditur successio. Est autem *perfecta possessio,* quatenùs est existens à se ipsâ, atque adeò independens. Ergo æternitas *formaliter* includit vel negationem terminationis, successionis, ac dependentiæ, vel aptitudinem sine variatione & successione ex se, & à se ipsâ coexistendi omni durationi possibili.

4 Aureolus *in 1. dist. 1. q. 2. a. 2.* existimavit, æternitatem non esse *formaliter* durationem, sed vim quandam attingendi omne tempus, seu durationem imaginabilem. Cujus fundamentum est, quòd omnis duratio importet *formaliter* successionem secundùm prius & posterius: repugnet autem Æternitati successio, veluti constat ex definitione.

5 Vasquez *1. p. disp. 31. c. 5.* existimat, æternitatem in duobus consistere, quorum unum sit reale, nempe duratio manens, & uniformis sine principio & fine; alterum sit rationis, nempe negatio mensuræ. Probatur: Æternitas dicitur Interminabilis, quia nec determinari potest per Principium, aut finem, nec definiri potest per mensuram. At prior ratio interminabilitatis importat realem negationem inceptionis, ac desitionis: ratio autem posterior dicit negationem Mensuræ. Est autem Mensura formaliter respectus rationis. Ergò ejus etiam negatio est rationis. Ergò æternitatis ratio formalis importat aliquid rationis.

6 Cajetanus *pres. q. 10. a. 1.* tenet; Æternitatem formaliter consistere in ratione Uniformitatis, quatenus Uniformitas habet rationem mensuræ. Huic opinioni Ferrariensis *1. cont. gent. c. 15. propè init.* ita favet; ut tamen rationem mensuræ complentis formaliter æternitatem asserat consistere in relatione rationis. Explicatur. Sicut ratio temporis consistit in numeratione prioris & posterioris in motu, sic ratio æternitatis consistit in apprehensione uniformitatis ejus, quod est omninò extra motum. S.Tho. *pres. a. 1.* Hoc autem est taliter intelligendum, quòd motus primi mobilis secundùm Esse suum reale sit materiale in tempore; hujus autem formale consistat in numeratione prioris & posterioris, cujusmodi numeratio *formaliter* sit aliquid rationis. Proportionaliter ergò in æternitate duo sunt consideranda: ipsa nimirum unitas Divini Esse omnino immutabilis, & mensuratio hujus unitatis quà mensurantis ipsum Esse Divinum. At licèt Unitas Esse Divini à parte rei subsistat, ratio tamen mensurationis ipsi non convenit, nisi per operationem intellectûs distinguentis eam ab Esse, & apprehendentis sub ratione Mensuræ. Etsi proinde in Deo à parte rei sit æternitatis Entitas; hæc tamen *completivè* non habet rationem formalem æternitatis, nisi per apprehensionem intellectûs: S. Doctore *ubi sup.* asserente: Rationem æternitatis consistere in apprehensione uniformitas ejus, quod est omninò immutabile.

P.Stadelmayr *disp. de Attributis Dei c. 6. n. 2.* Æ- 7
ternitatem dicit esse mensuram viventis perfectè, & immutabiliter: atque hanc mensuram esse *formaliter* vitam Dei, seu primam operationem indeterminabilem, attestante D. Anselmo *in Monol. c. 24.* quòd *æternitas sit vita interminabilis, tota simul existens.*

Conclusio.

RAtio formalis adæquata Æternitatis est à parte rei in Deo omnino independenter ab operatione animæ: atque consistit in mensurâ vitæ permanentis immobilis.

Probatur. Æternitas est *formaliter* duratio. 8
Hæc autem *formaliter* dicit mensuram Esse rei, cui inest. Ergò æternitas *formaliter* est mensura Esse Divini. At hoc est *Esse in se Essentialiter Subsistens,* & consequenter *Esse permanens* omnino immobile. Ergò æternitas est *formaliter mensura Esse permanentis immobilis.*

Respondebis. Ratio durationis, quà prædi- 9
cabilis de Deo in sacris litteris exponitur per dies & annos *Psal. 101. In generationem & generationem anni tui.* Et Micheæ *5. Egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Atqui dies, & anni non *formaliter,* sed tantùm *eminenter,* ac *virtualiter* sunt in Deo. Hinc enim dicitur *Antiquus dierum,* quia præhabet omnium durationem, & ævi, & temporis, ex S. Tho. in D. Dionys. *c. 10. de Divin. Nom. lect. 2.* Ergò ratio Durationis non nisi *eminenter* est in Deo. At ratio æternitatis tanquam perfectio simpliciter simplex Deo *formaliter* inexistit. Ergò æternitas non est *formaliter* duratio.

Contra: Nam æternitas nihil aliud est nisi 10
Nunc stans sub forma omnimodæ immobilitatis *uti ex Boetio sup. cit. eleganter tradit* Albertus Magnus *1. p. sum. tract. 5. q. 22. memb. 1. in sol.* Hoc autem

autem Nunc æternitatis vel potest spectari *secundùm se*, & *Esse Dei absolutum*, vel *secundùm relationem ad alia*, quatenùs Esse Divinæ Substantiæ indivisibile per sui indeficientiam ab intellectu nostro refertur ad omne tempus, & ad omne, quod est in tempore.

Si proinde æternitatis duratio consideretur *secundùm dies & annos*; id non fit nisi *secundùm protensionem animæ* Nunc æternitatis in se invariabiliter subsistens referentis ad tempus præsens, præteritum, & futurum. Quo modo *Apocalip. 1.* dicitur Deus *Qui erat, Qui est, & Qui venturus est.* At ista æternitatis referibilitas ad tempus fundatur in Eminentiali continentiâ omnis temporis, ac ævi, omnisque adeò creatæ durationis. Illa verò Eminentialis continentia est ipsum Esse Divinum absolutum in se permanenter, ac indeficienter subsistens sub formâ purissimæ actualitatis, & omnimodæ immobilitatis. At ista ratio persistendi in existentiâ per purissimam Essendi actualitatem, seu omnimodæ immobilitatis formam est *formaliter* duratio æternitatis, Ergò in Deo est quidem *eminenter* omnis creata duratio, Divino Dionysio *cit. c. 7. de Div. Nom.* attestante, *Deum laudari tanquam Antiquum dicitum propter hoc, quòd omnium ipse sit & ævum, & tempus &c.* Hæc tamen ipsa eminentialis ævi, ac temporis continentia in Deo importat *formaliter* durationem, quæ ut sic est mensura Vitæ Divinæ permanentis immobilis, juxta D. Thomam *in 1. dist. 8. q. 2. a. 1. ad 3. & præs. q. 10. a. 4. in Corp. & ad 2. & a. 5.* ubi ait: *Quod æternitas sit mensura Esse permanentis.*

11. Replicabis: Mensura in formali suo conceptu importat distinctionem à re mensuratâ. Ergò si æternitas est *formaliter* mensura Esse Divini, importat aliquid rationis.

12. Contra: Ratio mensuræ non magis importat aliquam distinctionem, quàm ratio Regulæ, vel objecti motivi. At prima Dei Sanctitas ab actionibus Divinis indistincta est Regula Voluntatis Divinæ, ejusque operationum, quia non potest deficere à Regulâ primâ honestatis, imò suæ actiones sunt *formaliter* hæc ipsa Dei Sanctitas, quæ est earundem Regula. Similiter Dei Essentia Intellectionis Divinæ non tantùm Essentialis, sed etiam Notionalis est *objectum Motivum*, ac *specificativum*, etsi ab illâ *formaliter realiter* sit indistincta. Atqui objectum *Motivum* se habet ad intellectionem per modum mensuræ illam mensurantis, ac specificantis; *uti cum* Aristotele *tradit* S. Tho. *5. Metaph. lect. 11.* Ergò intelligibilis est mensura sine distinctione à re mensurata.

13. Confirmatur ista consequentia 1. à posteriori. Etenim duratio motûs in primo mobili ita est mensura inferiorum, ut sit *formaliter intransitivè* etiam sui ipsius mensura. Sic ævum supremi Angeli est sui, & aliorum extra se mensura.

14. 2. Ratione à priori. Nam mensura est, vi cujus cognoscitur rei quantitas saltem Virtualis ex Aristot. *10. Metaph. c. 2.* Est autem permanentia in existendo quantitas Virtualis *essentialiter* imbibita in ratione durationis. Sicut ergò ratio Sanctitatis increatæ in Deo ita est regula exemplativa, idealis, & efficiens rectitudinis in voluntate creatâ, ut tamen sit etiam Regula *intransitiva* voluntatis Increatæ *formaliter* per summam identitatem rectificando actiones Dei liberas immanentes. Sic permanentia vitæ Divinæ vel potest considerari *relativè* ad tempus, & ævum, nec non res creatas existentes in tempore ac ævo, & ut sic habet rationem *Mensuræ* mensurantis omne tempus, & ævum; vel potest considerari *absolutè*, quatenùs est Nunc vitæ Divinæ stans in se ipso cum perfectâ Essendi Uniformitate. Sub priori ergo formalitate æternitas est *mensura respectiva, & Transitiva* omnis rei à se distinctæ, quæ mensuratio secundùm dies & annos à Sacris Litteris exposita advertente Alberto Magno *cit. memb. 1. §. ad id.* fit per Nunc æternitatis quà protensum à præterito in præsens, & à præsenti in futurum, cujusmodi protensio non fit, nisi per animæ operationem seu relationem rationis. Attamen sub formalitate illa posteriori æternitas est mensura *absoluta & intransitiva* sui, & vitæ Divinæ, cujus per summam identitatem realem formalem est Nunc, seu permanentia indivisibilis stans in formâ omnimodæ immobilitatis.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

Ad Scoti *n. 3.* oppositum Respondetur. 1. Rationem æternitatis aptiùs dici possessionem vitæ, quàm existentiæ duntaxat actualis. Nam advertente Alberto Magno *cit. q. 22. memb. 2. ad 1. n. 4.* inter Substantias, quæ mensurantur tempore ac æternitate datur medium, cujus substantia sit in momento æternitatis, & operatio in momento temporis. Unde ad perfectâ æternitatē requiritur non tantùm immobilitas secundùm Esse, sed etiam secundùm virtutem, & operationem. Sic enim Angelus non mensuratur æternitate, sed æviternitate: quòd licèt ejus Esse substantiale sit intransmutabile, sit tamen transmutabilis ejus virtus secundùm operationes vitæ. ex S. Tho. *præs. q. 10. a. 6.* & Alberto Mag. *ubi sup.* Ergò ad differentiam æternitatis, ac æviternitatis oportebat illam definiri non præcisè per possessionem existentiæ actualis, sed vitæ. 15.

Respondetur 2. In Deo à parte rei nullam dari negationem, utpote qui est una simplex actualis entitas. Ergò rationem independentiæ, ac interminabilitatis, seu negationem Successionis in æternitate *formaliter à parte rei* dicere formalitatem positivam permanentiæ, & uniformitatis actualissimæ in Essendo, & immanenter operando. Quæ formalitas permanentiæ licèt per eminentialem omnis durationis creatæ possibilis continentiam importet aptitudinem coexistendi tempori infinito, per prius tamen esse intelligibilem æternitatem *secundam rationem absolutam*, quàm *secundùm relationem* etiam *fundamentalem, seu aptitudinalem* ad tempus & ævum. Ergò primam, ac essentialem æternitatis rationem consistere in Nunc vitæ stantis in se ipsâ per actualitatem omnimodæ immobilitatis, seu actualissimam essendi uniformitatem. 16.

Ad oppositum *n. 4.* Respondetur. Falsum esse, quòd omnis duratio importet Successionem, sed potiùs sacras litteras dicendo; *Deum vivere in æternum, permanere in æternum; annos ejus non deficere;* clarè innuere *æternitatem Dei esse durationem.* 17.

Ad oppositum *n. 5.* Respondetur. Rationem interminabilitatis in æternitate *nostro quidem* 18.

concipien-

concipiendi modo importare negationem determinationis seu Mensuræ quatenus initio, ac fine definitæ, istam tamen negationem à *parte rei* esse formalitatem Dei positivam, nempe permanentiam vitæ Divinæ stantem sub formâ omnimodæ immobilitatis, seu purissimæ actualitatis in Essendo.

19. Ad oppositum *n. 6.* Respondetur. Verum esse, quòd Entitas æternitatis sit ipsa unitas Esse Divini omninò immutabilis: hanc verò unitatem esse *formaliter* æternitatem, quatenùs per *realem formalem* identitatem est mensuratio intrinseca vitæ Divinæ. At istam vitæ in Deo mensurationem formalem à Patre Stadelmayr *loc. cit.* optimè explicari per Nunc uniformiter stans. Ergò cum istud Nunc seu permanentia vitæ *formaliter* sit à parte rei in Deo, æternitatis rationem adæquatè consistere in formalitate reali Deo intrinsecâ. Quare Doctorem Angelicum *hic a.1.* asserentem, *quòd æternitas consistat in apprehensione uniformitatis*, esse intelligendum de *apprehensione objectivâ*; id est de ipsâ reali Esse Divini Uniformitate, quatenùs à parte rei habet rationem mensuræ, *velut in præsenti exponit Cajetanus.*

COROLLARIUM.

20. INfertur 1. Æternitatem non tam differre à tempore *ex negatione terminationis* quoad inceptionem, ac desitionem, quàm ex *successionis exclusione seu Durationis Uniformitate & radicali interminabilitate.* S. Thomas *præs. a. 4.* Ratio est. Etenim posito, motum cæli, atque adeò tempus fuisse ab æterno, quod *cum Capreolo, Ferrariensi, & aliis* possibile asserit *Nazarius 1. p. q. 46. a. 2. cont. un. concl. 4.* tunc differentia temporis ab æternitate non tam ponenda esset in terminatione inceptionis, ac desitionis, quàm in negatione Successionis, ac terminabilitatis secundùm potentiam. Nam ex eo, quòd æternitas sit vitæ omninò permanentis immobilis tota simul perfecta possessio, fit, quòd non tantùm *actu*, sed etiam *potentiâ* interminabilis sit, cùm econtra tempus *formaliter* importans successionem partium priorum, ac posteriorum, etiamsi esset ab æterno, atque adeò actu esset indeterminatum, non tamen excluderet ab intrinseco rationem determinabilitatis. Ergo æternitas differt à tempore tum per rationem Uniformitatis perfectæ in Essendo, ac Vivendo, tum per rationem interminabilitatis ab intrinseco, non *secundùm actum* duntaxat, sed *secundùm potentiam.*

21. Infertur 2. Differentia æternitatis ab ævo. Nam ævum est medium inter æternitatem, ac tempus, ita ut de utriusque ratione participet. Est autem æternitas mensura Esse permanentis. Unde quatenùs recedit aliquid à permanentiâ Essendi, eatenùs recedit ab æternitate. At id maximè omnium recedit à permanentiâ Essendi, cujus Esse est subjectum transmutationi, & corruptioni: nam quia operari sequitur ad Esse, necessum est, id cujus Esse est corruptibile, ejus operari tam quoad potentiam, quàm quoad actum esse transmutabile. Hoc igitur mensuratur tempore, non tantùm quoad motus, seu operationes, sed quoad substantiam, cujusmodi sunt corpora substantialia corruptibilia.

22. Verùm aliqua sunt entia creata, quæ hoc ipso, quòd Essentia ipsorum distinguatur ab Esse, sunt receptiva accidentium; suntque adeò transmutationi obnoxia quoad operationem; etsi quoad substantiam sint incorruptibilia: cujusmodi sunt Corpora cælestia, & substantiæ spirituales. Hæc igitur quoad substantiam, non tamen quoad vitam actualem seu operationem habent Essendi permanentiam, atque adeò mensurantur ævo, quod est mensura substantiæ, cujus Esse Substantiale, utpote immobile est in momento æternitatis participatæ: Esse verò operationis, seu vitæ actualis est in momento temporis. Sic proinde Angelus mensuratur ævo, quatenus est intransmutabilis non tantùm quoad esse substantiæ, sed etiam quoad operationes aliquas, intellectionis nimirum, & amoris sui coævas, & connaturales. Imò Esse supremi Angeli, vel ejus prima coæva operatio est mensura, seu ævum respectu omnium inferiorum Intelligentiarum tam secundùm Esse, quàm secundùm operationes ipsis connaturales. Nihilominùs, quia hæc ipsa ævi ratio in Angelo taliter importat intransmutabilitatem substantiæ, & coævæ operationis, ut tamen involvat transmutabilitatem quoad operationes Voluntatis, Intellectûs, Virtutis motivæ variabiles secundùm liberam electionem. Idcirco Intelligentia Angelica quoad istas actiones transmutabiles mensuratur tempore, juxta illud Augustini *de Genes. ad Litt. c. 20.* asserentis: *Quòd Deus moveat creaturam spiritualem per tempus.* Hoc autem tempus, utpote à motu Cæli independens ex hoc differt à nostro, quòd integretur ex operationibus Angeli maximè superioris habentibus successionem inter se, ac variationem. 23. Quod tempus vocari solet Discretum, non quidem discretione quantitatis instar numeri, sed discretione operationum distinctarum absque ullâ inter se unione constituentium moram, seu tempus aliquod. Constat igitur, æviternitatem in eo differre ab æternitate, quòd hæc importet Nunc stans sub omnimodæ immobilitatis uniformitate: illa verò dicat Nunc stans sub immobilitatis uniformitate secundùm substantiam, non verò secundùm omnimodam operationem, vel formæ receptionem intrinsecam, ex Alberto Magno *cit. q. 22. memb. 2. a. 1.* S. Tho. *præs. q. 10. a. 5. & 6.*

CONTROVERSIA II.

Utrùm Æternitas creaturæ alicui communicabilis sit?

NOn est difficultas 1. de æternitate simpliciter, nam ista dicit permanentiam secundùm omnimodam Essendi Uniformitatem. At hoc ipso, quòd solius Dei Essentia sit *formaliter* existentia, & subsistentia, ipsi, non autem creaturæ potest convenire immutabilitas absoluta secundùm Esse tam substantiale, quàm accidentale. Ergò æternitas *absolutè* secundùm rationem perfectam non est communicabilis creaturæ. 1.

Neque 2. Difficultas est de substantijs naturâ suâ corruptibilibus: Hæ namque, licèt existerent ab æterno, non mensurarentur æternitate, sed duratione temporali; eò quòd secundùm Esse substantiale & consequenter accidentale per principia sua intrinseca essent transmutabiles: sicut 2.

autem Nunc æternitatis vel potest spectari *secundùm se*, & *Esse Dei absolutum*, vel *secundùm relationem ad alia*, quatenùs Esse Divinæ Substantiæ indivisibile per sui indeficientiam ab intellectu nostro refertur ad omne tempus, & ad omne, quod est in tempore.

Si proinde æternitatis duratio consideretur *secundùm dies & annos*; id non fit nisi *secundùm protensionem animæ* Nunc æternitatis in se invariabiliter subsistens referentis ad tempus præsens, præteritum, & futurum. Quo modo *Apocalip. 1.* dicitur Deus *Qui erat, Qui est, & Qui venturus est.* At ista æternitatis referibilitas ad tempus fundatur in Eminentiali continentiâ omnis temporis, ac ævi, omnisquè adeò creatæ durationis. Illa verò Eminentialis continentia est ipsum Esse Divinum absolutum in se permanenter, ac indeficienter subsistens sub formâ purissimæ actualitatis, & omnimodæ immobilitatis. At ista ratio persistendi in existentiâ per purissimam Essendi actualitatem, seu omnimodæ immobilitatis formam est *formaliter* duratio æternitatis, Ergò in Deo est quidem *eminenter* omnis creata duratio, Divino Dionysio *cit. c. 7. de Div. Nom.* attestante, *Deum laudari tanquam Antiquum dierum propter hoc, quòd omnium ipse sit & ævum, & tempus &c.* Hæc tamen ipsa eminentialis ævi, ac temporis continentia in Deo importat *formaliter* durationem, quæ ut sic est mensura Vitæ Divinæ permanentis immobilis, juxta D. Thomam *in 1. dist. 8. q. 2. a. 1. ad 3. & præs. q. 10. a. 4. in Corp. & ad 2. & a. 5.* ubi ait: *Quòd æternitas sit mensura Esse permanentis.*

11. Replicabis: Mensura in formali suo conceptu importat distinctionem à re mensuratâ. Ergò si æternitas est *formaliter* mensura Esse Divini, importat aliquid rationis.

12. Contra: Ratio mensuræ non magis importat aliquam distinctionem, quàm ratio Regulæ, vel objecti motivi. At prima Dei Sanctitas ab actionibus Divinis indistincta est Regula Voluntatis Divinæ, ejusquè operationum, quia non potest deficere à Regulâ primâ honestatis, imò suæ actiones sunt *formaliter* hæc ipsa Dei Sanctitas, quæ est earundem Regula. Similiter Dei Essentia Intellectionis Divinæ non tantùm Essentialis, sed etiam Notionalis est *objectum Motivum*, ac *specificativum*, etsi ab illâ *formaliter realiter* sit indistincta. Atqui objectum *Motivum* se habet ad intellectionem per modum mensuræ illam mensurantis, ac specificantis, *uti cum* Aristotele *tradit* S. Tho. *5. Metaph. lect. 11.* Ergò intelligibilis est mensura sine distinctione à re mensurata.

13. Confirmatur ista consequentia 1. à posteriori. Etenim duratio motûs in primo mobili ita est mensura inferiorum, ut sit *formaliter intransitivè* etiam sui ipsius mensura. Sic ævum supremi Angeli est sui, & aliorum extra se mensura.

14. 2. Ratione à priori. Nam mensura est, vi cujus cognoscitur rei quantitas saltem Virtualis ex Aristot. *10. Metaph. c. 2.* Est autem permanentia in existendo quantitas Virtualis *essentialiter* imbibita in ratione durationis. Sicut ergò ratio Sanctitatis increatæ in Deo ita est regula exemplativa, idealis, & efficiens rectitudinis in voluntate creatâ, ut tamen sit etiam Regula *intransitiva* voluntatis Increatæ, *formaliter* per summam identitatem rectificando actiones Dei liberas immanentes. Sic permanentia vitæ Divinæ vel potest considerari *relativè* ad tempus, & ævum, nec non res creatas existentes in tempore ac ævo, & ut sic habet rationem *Mensuræ* mensurantis omne tempus, & ævum; vel potest considerari *absolutè*, quatenùs est Nunc vitæ Divinæ stans in se ipso cum perfectâ Essendi Uniformitate. Sub priori ergo formalitate æternitas est *mensura respectiva, & Transitiva* omnis rei à se distinctæ, quæ mensuratio secundùm dies & annos à Sacris Litteris exposita advertente Alberto Magno *cit. memb. 1. §. ad 1d.* fit per Nunc æternitatis quâ protensum à præterito in præsens, & à præsenti in futurum, cujusmodi protensio non fit, nisi per animæ operationem seu relationem rationis. Attamen sub formalitate illa posteriori æternitas est mensura *absoluta & intransitiva* sui, & vitæ Divinæ, cujus per summam identitatem realem formalem est Nunc, seu permanentia indivisibilis stans in formâ omnimodæ immobilitatis.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

AD Scoti *n. 3.* oppositum Respondetur. 1. Rationem æternitatis aptiùs dici possessionem vitæ, quàm existentiæ duntaxat actualis. Nam advertente Alberto Magno *cit. q. 22. memb. 2. ad 1. n. 4.* inter Substantias, quæ mensurantur tempore ac æternitate datur medium, cujus substantia sit in momento æternitatis, & operatio in momento temporis. Unde ad perfectâ æternitatê requiritur non tantùm immobilitas secundùm Esse, sed etiam secundùm virtutem, & operationem. Sic enim Angelus non mensuratur æternitate, sed æviternitate: quòd licèt ejus Esse substantiale sit intransmutabile, sit tamen transmutabilis ejus virtus secundùm operationes vitæ. ex S. Tho. *præs. q. 10. a. 6.* & Alberto Mag. *ubi sup.* Ergò ad differentiam æternitatis, ac æviternitatis oportebat illam definiri non præcisè per possessionem existentiæ actualis, sed vitæ. 15.

Respondetur 2. In Deo à parte rei nullam dari negationem, utpote qui est una simplex actualis entitas. Ergò rationem independentiæ, ac interminabilitatis, seu negationem Successionis in æternitate *formaliter à parte rei* dicere formalitatem positivam permanentiæ, & uniformitatis actualissimæ in Essendo, & immanenter operando. Quæ formalitas permanentiæ licèt per eminentialem omnis durationis creatæ possibilis continentiam importet aptitudinem coexistendi tempori infinito, per prius tamen esse intelligibilem æternitatem *secundùm rationem absolutam*, quàm *secundùm relationem etiam fundamentalem, seu aptitudinalem* ad tempus & ævum. Ergò primam, ac essentialem æternitatis rationem consistere in Nunc vitæ stantis in se ipsâ per actualitatem omnimodæ immobilitatis, seu actualissimam essendi uniformitatem. 16.

Ad oppositum *n. 4.* Respondetur. Falsum esse, quòd omnis duratio importet Successionem, sed potiùs sacras litteras dicendo; *Deum vivere in æternum, permanere in æternum, annos ejus non deficere*; clarè innuere *æternitatem Dei esse durationem.* 17.

Ad oppositum *n. 5.* Respondetur. Rationem interminabilitatis in æternitate *nostro quidem* 18.

concipien-

concipiendi modo importare negationem determinationis seu Mensuræ quatenus initio, ac fine definitæ, istam tamen negationem à *parte rei* esse formalitatem Dei positivam, nempe permanentiam vitæ Divinæ stantem sub formâ omnimodæ immobilitatis, seu purissimæ actualitatis in Essendo.

19. Ad oppositum *n. 6.* Respondetur. Verum esse, quòd Entitas æternitatis sit ipsa unitas Esse Divini omninò immutabilis: hanc verò unitatem esse *formaliter* æternitatem, quatenùs per *realem formalem* identitatem est mensuratio intrinseca vitæ Divinæ. At istam vitæ in Deo mensurationem formalem à Patre Stadelmayr *loc. cit.* optimè explicari per Nunc uniformiter stans. Ergò cum istud Nunc seu permanentia vitæ *formaliter* sit à parte rei in Deo, æternitatis rationem adæquatè consistere in formalitate reali Deo intrinsecâ. Quare Doctorem Angelicum *hic a. 1.* asserentem, *quòd æternitas consistat in apprehensione uniformitatis*, esse intelligendum de *apprehensione objectivâ*; id est de ipsâ reali Esse Divini Uniformitate, quatenùs à parte rei habet rationem mensuræ, *velut in præsenti exponit Cajetanus.*

COROLLARIUM.

20. INfertur 1. Æternitatem non tam differre à tempore *ex negatione terminationis* quoad inceptionem, ac desitionem, quàm ex *successionis exclusione seu Durationis Uniformitate & radicali interminabilitate.* S. Thomas *præs. a. 4.* Ratio est. Etenim posito, motum cæli, atque adeò tempus fuisse ab æterno, quod *cum Capreolo, Ferrariensi, & aliis* possibile asserit *Nazarius 1. p. q. 46. a. 2. cont. un. concl. 4.* tunc differentia temporis ab æternitate non tam ponenda esset in terminatione inceptionis, ac desitionis, quàm in negatione Successionis, ac terminabilitatis secundum potentiam. Nam ex eo, quòd æternitas sit vitæ omninò permanentis immobilis tota simul perfecta possessio, fit, quòd non tantùm *actu*, sed etiam *potentiâ* interminabilis sit, cùm econtra tempus *formaliter* importans successionem partium priorum, ac posteriorum, etiamsi esset ab æterno, atque adeò actu esset indeterminatum, non tamen excluderet ab intrinseco rationem determinabilitatis. Ergo æternitas differt à tempore tum per rationem Uniformitatis perfectæ in Essendo, ac Vivendo, tum per rationem interminabilitatis ab intrinseco, non *secundùm actum* duntaxat, sed *secundùm potentiam.*

21. Infertur 2. Differentia æternitatis ab ævo. Nam ævum est medium inter æternitatem, ac tempus, ita ut de utriusque ratione participet. Est autem æternitas mensura Esse permanentis. Unde quatenùs recedit aliquid à permanentiâ Essendi, eatenùs recedit ab æternitate. At id maximè omnium recedit à permanentiâ Essendi, cujus Esse est subjectum transmutationi, & corruptioni: nam quia operari sequitur ad Esse, necessum est, id cujus Esse est corruptibile, ejus operari tam quoad potentiam, quàm quoad actum esse transmutabile. Hoc igitur mensuratur tempore, non tantùm quoad motus, seu operationes, sed quoad substantiam, cujusmodi

22. di sunt corpora substantialia corruptibilia. Verùm aliqua sunt entia creata, quæ hoc ipso, quòd Essentia ipsorum distinguatur ab Esse, sunt receptiva accidentium, suntque adeò transmutationi obnoxia quoad operationem, etsi quoad substantiam sint incorruptibilia: cujusmodi sunt Corpora cælestia, & substantiæ spirituales. Hæc igitur quoad substantiam, non tamen quoad vitam actualem seu operationem habent Essendi permanentiam, atque adeò mensurantur ævo, quod est mensura substantiæ, cujus Esse Substantiale, utpote immobile est in momento æternitatis participatæ: Esse verò operationis, seu vitæ actualis est in momento temporis. Sic proinde Angelus mensuratur ævo, quatenus est intransmutabilis non tantùm quoad esse substantiæ, sed etiam quoad operationes aliquas, intellectionis nimirum, & amoris sui coævas, & connaturales. Imò Esse supremi Angeli, vel ejus prima coæva operatio est mensura, seu ævum respectu omnium inferiorum Intelligentiarum tam secundùm Esse, quàm secundùm operationes ipsis connaturales. Nihilominùs, quia hæc ipsa ævi ratio in Angelo taliter importat intransmutabilitatem substantiæ, & coævæ operationis, ut tamen involvat transmutabilitatem quoad operationes Voluntatis, Intellectûs, Virtutis motivæ variabiles secundùm liberam electionem. Idcirco Intelligentia Angelica quoad istas actiones transmutabiles mensuratur tempore, juxta illud Augustini *de Genes. ad Litt. c. 20.* asserentis: *Quòd Deus moveat creaturam spiritualem per tempus.* Hoc autem tempus, utpote à motu Cæli 23.
independens ex hoc differt à nostro, quòd integretur ex operationibus Angeli maximè superioris habentibus successionem inter se, ac variationem. Quod tempus vocari solet Discretum, non quidem discretione quantitatis instar numeri, sed discretione operationum distinctarum absque ullâ inter se unione constituentium moram, seu tempus aliquod. Constat igitur, æviternitatem in eo differre ab æternitate, quòd hæc importet Nunc stans sub omnimodæ immobilitatis uniformitate: illa verò dicat Nunc stans sub immobilitatis uniformitate secundùm substantiam, non verò secundùm omnimodam operationem, vel formæ receptionem intrinsecam. ex Alberto Magno *cit. q. 22. memb. 2. a. 1.* S. Tho. *præs. q. 10. a. 5. & 6.*

CONTROVERSIA II.

Utrùm Æternitas creaturæ alicui communicabilis sit?

NOn est difficultas 1. de æternitate simpliciter, nam ista dicit permanentiam secundùm omnimodam Essendi Uniformitatem. At hoc ipso, quòd solius Dei Essentia sit *formaliter* existentia, & subsistentia, ipsi, non autem creaturæ potest convenire immutabilitas absoluta secundùm Esse tam substantiale, quàm accidentale. Ergò æternitas *absolutè* secundùm rationem perfectam non est communicabilis creaturæ. 1.
Neque 2. Difficultas est de substantijs naturâ 2.
suâ corruptibilibus: Hæ namque, licèt existerent ab æterno, non mensurarentur æternitate, sed duratione temporali; eò quòd secundùm Esse substantiale & consequenter accidentale per principia sua intrinseca essent transmutabiles:

 sicut

sicut ignis quoque inferni propter interminabilitatem dicitur æternus, etsi in pœnis damnatorum detur transmutatio, juxta illud Iob 24. *Ad nimium calorem transibunt in aquis nivium.* Unde in inferno non est vera & propriè dicta æternitas, sed magis tempus, secundùm illud *Psal. 80. Erit tempus eorum in sæcula.* ex D. Tho. *præs. a. 3. ad 2.* Difficultas igitur præcipua de Visione beatificâ hic movetur, *An mensuretur æternitate participatâ?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

3. SCotus *in 4. dist. 49. q. 6. n. 16.* tenet; actum Beatificum mensurari ævo, non autem æternitate. Probatur. Æternum sicut est actu totum simul, ita caret potentiâ non Essendi. Ergò nullum creatum mensuratur æternitate. Ergò cuicumque creato, quod non est temporale, competit mensurari ævo.

4. Ferrariensis *3. cont. gent. c. 61. §. sed attendendum.* Bannes *præs. a. 5. dub. 4.* & alij ex Thomistis asserunt; Visionem Beatificam mensurari ipsâ æternitate, quæ est mensura Divini Esse. Ratio est. Propria mensura Visionis Beatificæ est æternitas. S.Tho. *in. 4. dist. 49. q. 1. a. 2. quæstiunc. 3. ad ult.* At idem S. Doctor durationem adæquatè dividere solet in æternitatem, ævum, & tempus. Si verò daretur æternitas participata, quæ esset mensura superior ævo, sed inferior æternitate Dei, non esset adæquata illa divisio. Oportet igitur, Visionem Beatificam mensurari ipsâ æternitate Dei, ita tamen, ut hæc *Primariò,* ac *Essentialiter* sit mensura Divini Esse: Visionis autem Beatificæ sit tantùm *secundariò* secundùm participationem.

5. Cajetanus *præs. a. 5. §. ad evidentiam.* Nazarius *ibi, cont. 3. concl. 1.* Petrus à S. Ioseph. *disp. 3. de Attrib. Dei. dub. 9.* Ioannes à S. Tho. *disp. 10. a. 1.* affirmant: Visionem beatificam mensurari creatâ æternitatis participatæ mensurâ distinctâ ab ævo.

CONCLUSIO

INtrinseca, & formalis mensura, seu duratio visionis Beatificæ est creata ab ævo distincta, quæ proprio nomine dicitur æternitas participata.

6. Probatur. Duratio tanquam intrinseca mensura rei existentis consequitur ad Esse. Sed alia Essendi ratio est in substantijs spiritualibus, quarum Esse, licèt sit naturaliter incorruptibile, est tamen ordinis naturalis, estque variabile secundùm accidentia & operationes. Alia verò Essendi ratio est Visionis beatificæ, quæ est ordinis Divini supernaturalis, estquè per principia intrinseca in se omninò immutabilis, ac invariabilis. Ergò altiori durationis Mensurâ, quàm substantia Angelica mensuratur. Hæc autem superior ævo duratio est inferior æternitate essentiali.

7. Probatur istud assumptum: Nam juxta diversitatem immobilitatis, & uniformitatis variatur ratio mensuræ, ac durationis. At licèt Visio Beatifica secundùm exigentiam suam connaturalem sit intransmutabilis, potest tamen variari, ac desinere per potentiam Dei extraordinariam, veluti factum est in Apostolo Paulo, & Sanctissimo Benedicto, qui in statu viæ aliquo brevi tempore viderunt Deum per essentiam. Ergò ratio mensuræ in Visione Beatificâ est in infinitum inferior æternitate Dei Essentiali. Ergò Visio Beata non mensuratur æternitate Dei Essentiali, D. Thomâ *3. cont. gentes. c. 61.* asserente: *Divinam Substantiam esse in æternitate, vel magis esse ipsam æternitatem; Visionem autem Beatam esse in participatione æternitatis.* At sicuti entitas creata ex hoc ipso, quòd sit participatio Entitatis Divinæ, ab istâ distinguitur. Sic ergò participatio æternitatis, quâ mensuratur Visio Beata, est utpote creata distincta ab æternitate Dei.

Dices: Visio Beata eo modo est in participatione æternitatis, quo modo Humanitas Christi est in participatione Existentiæ Verbi. Hæc autem Verbi Existentia per Unionem Hypostaticam ita communicatur Humanitati, ut *formaliter* sit existens per illam absque ullâ propriâ creatâ existentiâ. Pari ergò ratione Visio Beata, quatenus est in participatione æternitatis, ut sic mensuratur formaliter per æternitatem Dei absque ullâ creatâ durationis mensurâ. Minor est certa secundùm Scholam D. Thomæ: Major autem probatur. Per visionem Beatam fit unio in Esse intelligibili inter intellectum, & Essentiam Divinam, cujus est in illâ visione habere vices speciei tam Impressæ, quàm Expressæ. Ergò sicut vi unionis cum Hypostasi Verbi constituitur Humanitas Christi *formaliter* existens per existentiam increatam ab Hypostasi Verbi indistinctam: Sic vi unionis intentionalis Essentiæ Divinæ cum intellectu Beati constituitur Visio Beata *formaliter* æterna per æternitatem indistinctam à Dei Essentiâ. 8.

Contra. Licèt Essentia Divina in ratione speciei sive Impressæ sive Expressæ concurrens ad visionem Beatam, *formaliter realiter* sit sua æternitas; concursus tamen Essentiæ hujus Divinæ importat actionem creatam. Ergò iste concursus non est immutabilis per Essentiam, Ergò ut sic mensuratur per durationem inferiorem æternitate Dei Essentiali: sicuti Unio quoque Hypostatica quatenus dicit actionem creatam unitivam Verbi cum Humanitate non mensuratur *formaliter* per æternitatem Verbi Essentialem, sed per creatam æternitatis participationem. Unde licèt Formalis existendi effectus in Christi humanitate non includat aliam, quàm Personæ Divinæ Verbi increatam existentiam, quia tamen hic ipse Formalis effectus importat humanam quoque naturam tanquam Materiale; insuper connotet actionem Unitivam tanquam Causalitatem illius Formalis effectûs, seu Compositi ex subsistentia ac existentiâ Verbi, nec non humanitate resultantis effectricem; idcirco effectûs ille Formalis sive Christus quà Compositum ex subsistentiâ Verbi & humanitate resultans non mensuratur Æternitate saltem Essentiali. 9. 10.

Replicabis: Ex hoc ipso responso sequi, quòd Visio Beata, sicut unio etiam Hypostatica Verbi mensurentur ævo, non æternitate. Probatur sequela. Nam ævum distinguitur ab æternitate, quòd ista sit mensura rei omnino immutabilis: illa verò sit duratio rei immutabilis secundùm substantiam, sed variabilis secundùm accidentia. At non minùs Visio Beata, quàm Unio Hypostatica est immersa alicui mutabilitati 11.

tabilitati ex suspensione v. g. concursûs Divini eas conservantis, vel ex annihilatione subjecti Imò Visio in Beatis est variabilis secundùm novas revelationes extra Verbum. Sicut ergò Charitas, cæterique habitus infusi in viâ mensurantur tempore, quia sunt mutationi, & variationi subjecti tam secundùm substantiam, quàm secundùm operationes, in Patriâ autem mensurantur ævo, quòd licèt secundùm substantiam sint immutabiles, sint tamen variabiles secundùm operationes: ita Visio Beata non mensuratur duratione æternitatis, sed duntaxat æviternitatis.

11. Contra: Illud, quod *ex principijs intrinsecis* est immutabile secundùm substantiam, & operationem, non mensuratur solâ æviternitate, sed æternitate. At Visio Beatifica *ex intrinsecâ suâ ratione* est inamissibilis, veluti probat S. Thomas *1. 2. q. 5. a. 4.* nec nisi *per accidens* secundùm revelationes extra Verbum se habentes ad illam *solùm extrinsecè* variabilis est. Hæc autem variatio solùm extrinseca, & concomitans non magis obest æternitati, quàm tempus, teste D. Thoma *opus. 36. c. 6. concomitanter* mensurans durationem Angeli tollat hujus æviternitatem. Ergò quatenus Visio Beata *ex principijs intrinsecis* nec in ratione Essendi, nec in ratione operandi mutabilis est, ut sic mensuratur æternitate, quæ tamen utpote participata inferior est æternitate per Essentiam, quòd hæc excludat omnimodam non Essendi potentiam tam *Logicam*, quàm *Naturalem*: illa verò excludat potentiam non Essendi *Naturalem* tantùm ortam ex intrinsecâ Essentiæ exigentiâ, dependentem tamen à Primâ causâ, uti rectè advertit Ferrariensis *cit. c. 16. ad 2.*

Responsio ad fundamenta contraria.

13. AD Scoti *n. 3.* oppositum Respondetur: Verum esse, quòd æternum careat potentiâ non Essendi, ita tamen, ut æternitas *per Essentiam* sit Entis excludentis omnimodam etiam *Metaphysicam* non Essendi potentialitatem: æternitas autem *per participationem* sit Entis *Essentialiter* dependentis, atque adeò *secundùm potentiam Dei absolutam* mutabilis, licèt immobilis *secundùm intrinsecam naturæ suæ exigentiam.*

Ad oppositum *n. 4.* Respondetur. Divisionem durationis in æternitatem, ævum, ac tempus eatenùs esse adæquatam, quatenùs æternitas *secundùm unitatem analogicam* complectitur tam absolutam Dei æternitatem; quàm participatam in ratione entitatis, ac durationis *ab intrinseco* immutabilem, attamen creatam mensuram Visionis Beatificæ, ac luminis gloriæ.

CONTROVERSIA III.

An, & quomodo Æternitas Dei sit mensura rerum existentium in Tempore?

1. D. Thomas *1. p. q 14. a. 3.* docet: Omnia, quæ sunt in tempore, esse Deo ab æterno præsentia. De cujus propositionis intellectu certatur inter Theologos, An vera sit de præsentia duntaxat objectiva, & intentionali, vel reali ac Physica?

Referuntur Sententiæ Doctorum.

SChola Scotistica cum suo subtili Doctore *in 1. dist. 39. q. un. n. 9.* negat, res creatas, antequam existant in tempore, realiter esse præsentes æternitati. Huic sententiæ accedunt plerique Societatis Iesu Theologi, nominatim Suarez *in opusc. de Scient. Dei lib. 1. c. 7.* Vasquez. *disp. 64. c. 2. & 3.* Franciscus de Lugo *1. p. disp. 3. c. 2.* Amicus. *disp. 12. sect. 4.* In istam partem trahitur D. Bonaventura *in 1. dist. 3. 9. a. 2. q. 3.* quem tamen ex opposito stare, legenti facile constabit. Fundamentum præcipuum est. Implicat enim, creaturam actu coexistere Deo realiter in æternitate absque reali existentiâ. At de fide est, creaturas non extitisse realiter ab æterno, seu in æternitate, sed incepisse in tempore. *Gen. 1.* 2.

Oppositum cum Doctore suo Angelico *supra citato* tenet universa Schola Thomistarum, nominatim Cajetanus *cit. q. 14. a. 13.* Bannes *ibid.* Ferrar. *1. cont. gent. c. 66. & 67.* Nazarius *cit. a. 13. cont. 3.* Ioannes à S. Thomâ *præs. q. 10. disp. 9. a. 3.* Quibus accedunt Pater Magnificus Alphonsus Stadelmayr *cit. disp. de Attribut. Dei. c. 6. §. 4.* Granad. *de scientia Dei. disp. 3. & 4.* Bernardus de Quiros. *1. p. q. 10. disp. 48.* Derkennes. *disp. 8. de Deo n. 46.* Fonseca *to. 3. Metaph. l. 6. c. 2. q. 4. sect. 4.* 3.

CONCLUSIO.

PRæterita, præsentia, & futura sunt Deo præsentia in æternitate non secundùm Esse Objectivum, seu cognitum duntaxat, sed secundùm realem coexistentiam.

Probatur ex illo *Isaiæ 45. Fecit ventura.* Ex hoc enim evincitur, futura respectu Dei esse in facto. 4.
At cujus Esse est in facto, est præsens. Ergò futura respectu Dei sunt præsentia, adeoque existunt in mensurâ Dei, seu in æternitate. Quo 5.
sensu procedit illud *ad Hebr. 1. Per quem fecit & sæcula.* Nam in sæculis sunt quædam præterita & quædam futura, hæc omnia dicuntur jam facta per Verbum Dei, adeoque præsentia secundùm mensuram Verbi Divini. Ergò omnia sunt Deo præsentia secundùm mensuram Verbi, quæ est æternitas, veluti clarè attestatur S. Augustinus *4. de Trinit. c. 17.* inquiens, *Apud Deum præterita, & futura stant. Et lib. 3. c. 16. Apud Deum nec præterita transierunt, & futura jam facta sunt.* Similia habent Gregorius *lib. 2. Mor. c. 14.* Ambrosius *lib. 8. de fide ad Gratianum c. 7.* Hieronymus *ad Ephes. 1.* Anselmus *lib. de casu diaboli. c. 18. & 20. & in Monol. c. 22. & alibi* Isidorus *lib. 2. de sum. Bono c. 6.* Prosper. *lib. de Vocat. Gentium. c. 24.* Fulgentius *lib. 1. de Verit. Prædestin. & Gratia.*

Respondent Adversarij: Istas Patrum, & Sacræ Scripturæ Locutiones non tam esse accipiendas secundùm realem futurorum, ac præteritorum in æternitate præsentialitatem, quàm de præsentiâ intentionali, & objectivâ. Probatur. Nam ex eo, quòd æternitatis instans *formaliter*, ac *entitativè* indivisibile ratione suæ infinitatis admittat virtualem Successionem, consequitur, omnia, dum existunt, toti, non tamen to- 6.

men *totaliter*, nec adeò ſemper coexiſtere æternitati. At illud, quod ſimpliciter ſine addito reſtringente ad durationem temporalis præſentiæ dicitur Deo in æternitate coexiſtens, oportet infinitæ æternitatis durationi quà virtualiter diviſibili *Totaliter*, adeoquè ſemper coexiſtere. Hoc autem non verificatur de rebus creatis, niſi ſecundùm præſentiam intentionalem, & objectivam: ex eo enim, quòd Scientia creaturarum in Deo menſuretur æternitate *formaliter* in ratione durationis infinitâ, ſequitur, quòd omnia tempora ſine ullâ ſecundùm rationes præteriti, præſentis, ac futuri variatione *virtualiter* in ſe complectatur, ita ut in ipsâ, & ejus Duratione ſive Nunc æternitatis omnia præterita, præſentia & futura ſtent non *realiter*, ac *entitativè*, ſed *objectivè*, & *repræſentativè*.

7. Firmatur hæc reſponſio authoritate Sancti Auguſtini *lib. 1. de Gen. ad Litt. c. 18.* ita differentis. *Res, antequàm fierent, erant, & non erant. Erant in Dei Scientiâ, non erant in ſuâ Naturâ.* Iuxta hanc igitur præſentiam rerum in Scientia Dei, quæ à parte rei eſt ipſa æternitas, nihil eſt futurum, atteſtante D. Gregorio, *cit. c. 14. quòd Deo futurum nihil ſit, ante cujus conſpectum non tranſeunt futura, nec veniunt.* Conſequens igitur eſt, præſentiam futurorum, ac præteritorum in æternitate non eſſe ſecundùm realem exiſtentiam, ſed ſecundùm præſentialitatem intuitionis æternitate menſuratæ, S. Scripturâ *Eccles. 39.* clarè inſinuante: *Opera omnis carnis eſſe coram Deo*: ex eo nimirum, *quia à ſæculo uſquè ad ſæculum reſpicit, & nihil eſt novum in oculis ejus.* Quare S. Thomas *cit. q. 14. a. 9.* concludit: *Cùm intelligere Dei, quod eſt ejus Eſſe, æternitate menſuretur, quæ ſine ſucceſſione exiſtens totum tempus comprehendit, præſens intuitus Dei fertur in totum tempus, ut in omnia, quæ ſunt in quocumque tempore, ſicut in ſubjecta ſibi præſentialiter.* Quocirca futura, & præterita Scientiæ Dei præſentialiter ſubjecta, ſeu objecta ſunt, non autem realiter coexiſtentia, eodem Angelico Doctore *q. 12. de Verit. a. 3.* expreſſis verbis aſſerente: *Quòd ea, quæ in ſe ipſis non ſunt, apud Deum exiſtant, in quantum ſunt ab ipſo cognita, & præordinata.* Ergò non *realiter* exiſtunt in æternitate, ſed *objectivè* duntaxat, ac *intentionaliter*.

8. Contra: Nam Patres, & ſcriptura Divina, tametſi aſſerant præterita, & futura eſſe Deo præſentia ſecundùm præſentialitatem cognitionis, ex hoc minimè negant, eorundem in æternitate præſentiam *ſecundùm realem durationem*. Imò hanc aſtruunt tanquam fundamentum *præſentiæ objectivæ* in Dei intuitu, Divo Thoma *3. cont. gentes. c. 154.* aſſerente; *Quòd futura contingentia ſoli Divinæ cognitioni ſubſunt, quia ea in ſe ipſis videt, cùm ſint ei præſentia ratione ſuæ æternitatis.* Quo ſenſu S. Auguſtinus in *ſoliloq. c. 12.* effatus eſt: *Quæ, & qualia ſint in libro ſuo ſcripta, de me ego quidem ignoro, unde & valde timeo. Tu verò noſti, quoniam quod ego per ſucceſſus dierum & temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis expecto, in conſpectu æternitatis tuæ jam factum eſt, & quod futurum eſt, jam factum eſt.* Quibus verbis futurorum in Divina viſione præſentiæ ratio adſtruitur ex eorundem præſentia in æternitate. At ſi hæc præſentia non eſſet, niſi objectiva, ſenſus redderetur: *Tu noſti futura, quoniam ſunt à te cognita tanquam facta.* Hæc verò argumentatio, quàm foret inepta, facilè conſtat. Ergò non objectiva duntaxat, ſed realis præſentia rerum temporalium in æternitate adſtruitur à Patribus, velut eleganter expreſſit Petrus Damianus *Epiſt. 4. de Omnipotentia c. 8.* ſequentibus verbis: *Illud hodie æternitas eſt incommutabilis, indefectiva, inacceſſibilis, cui videlicet nihil addi, nihil valet minui & omnia, quæ apud nos elabendo diſcurrunt, & per temporum viciſſitudines ſe variant, apud illud hodie ſtant, & immobiliter perſeverant. In illo hodie dies ille adhuc immobilis eſt, in quo mundus ſumpſit Originem: in illo jam & nihilominùs eſt, in quo iudicandus eſt per æterni iudicij æquitatem.*

Sed ecce hujus Veritatis ex Fide demonſtrativam probationem. Fide Divinâ credimus Deum factorem Cœli, & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Hic autem fidei Articulus affirmat de præſenti de rebus creatis tanquam jam factis conformiter hujuc propoſitioni *Omnia* quæ *per ipſum facta ſunt. Ioann. 1.* Hæc autem veritas ſtabit in æternum, complectendo ea, quæ nondum facta ſunt, ſed fient per ſæcula ſucceſſiva, imò per totam æternitatem. Ergò de futuris per fidem verè affirmo *Facta ſunt.* At *eſſe factum* dicit præſentiam realem, non autem intentionalem duntaxat. Ergò ſecundùm fidem Divinâ demonſtrativè evincitur futurorum realis præſentia. At non in ſuâ propriæ durationis menſurâ. Ergò in æternitate, ſeu menſurâ Dei, qui Verbum illud protulit, *Omnia per ipſum facta ſunt.* 9.

Dices: Implicat creaturam concipi realiter præſentem, dum non exiſtit. At non eſt creatura exiſtens, niſi ſupponatur poſita extra ſuam cauſam. Neque verò poteſt creatura eſſe poſita extra cauſam, niſi in propria exiſtentiæ ſuæ menſurâ. Ergò repugnat creaturam realiter eſſe præſentem in æternitate, niſi dum eſt præſens in propria durationis menſurâ: imò inintelligibile eſt, eſſe aliquid præſens, niſi ſecundùm præſentialitatem ſuam intrinſecam, tanquam propriam menſuram. 10.

Contra: Nam ſubſtantia Angeli, & Primi mobilis *prioritate naturæ* priùs menſuratur æternitate, quàm ævo, & cæli motus ævo, quàm duratione temporali. Ergò eſt aliquid intelligibile, quà per priùs menſuratum alienâ, quàm propriâ durationis menſurâ. Antecedens probatur. Duratio intrinſeca eſt conſequens rei creatæ exiſtentiam. Hæc autem eſt dependens à causâ per actionem. Vi autem actionis ponitur res extra cauſam. Eſt autem actio ſecundùm *prioritatem naturæ & cauſalitatis* antecedens effectûs, ſeu termini ſui exiſtentiam. At in *hoc priori natura* ipſa menſura Cauſæ extrinſecùs menſurat exiſtentiam effectûs extra ſe poſiti. Cùm igitur ſubſtantia Angeli, ac primi mobilis ſit à Causâ, quæ menſuratur æternitate: Motus autem cæli ſit ex cauſalitate Angeli, & formæ cæli, qui menſurantur ævo, conſequenter motus, in quo conſiſtit tempus, per prius menſuratur ævo, hoc verò æternitate. Imò iſta totius temporis, ac ævi, omniſquè creaturæ menſura eſt, non aliâ ratione, niſi cauſando, uti ſubtiliter advertit Albertus Magnus *cit. q. 23. memb. 4. a. 1. & 2.* Atqui actio Dei productiva creaturarum eſt intrinſeca Divinæ ſubſtantiæ, eſtque adeò in ſe æterna D. Thomâ *q. de potent. a. 1. ad 8.* aſſerente: *Potentiam Dei ſemper eſſe conjunctam operationi, ſed effectum ſequi ſecundum imperium voluntatis.* Ergò omnis creaturæ eſt menſura aliqua, quæ in ſe eſt æterna, imò *formaliter* ipſa æternitas. Atqui hæc ratio menſuræ per Cauſalitatem, & actionem effectri- 11. 12.

effectricem respicit creaturarum Esse non tantùm objectivum, sed reale, & physicum. Ergò creaturæ secundùm Esse reale mensurantur æternitate. Hæc autem utpote immobilis, & indivisibilis non potest cujusque rei mensura esse, nisi secundùm se totam, imò *totaliter*, & *adæquatè*, per modum simplicissimi Nunc stantis in se absque ullâ successione indivisibiliter, ac indeficienter. Unde in eo, quod æternitate mensuratur, nec est præteritum, nec futurum, sed præsens duntaxat. Ergò verum est, tempora, & creaturas huic subjectas secundùm Esse reale ita mensurari æternitate, ut secundùm hanc mensuram æternitatis immobiliter perseverent, ac stent semper præsentialiter. *ut supra* ex Petro Damiano *dictum est*.

13. Instabis: Actio Dei æterna non efficit, quòd suus effectus sit physicè realiter existens, nisi quando conjuncta est effectui. Hæc autem non semper conjuncta est effectui. ex S. Thomâ *cit. a. 1. de potent.* Unde ex actione Dei æternâ non sequitur effectus æternus, sed qualem Deus voluit. S. Doctor *1. p. q. 46. a. 1. a. 10.* Hujus autem non est alia ratio, nisi quòd conjunctio effectûs cum actione Dei fiat per passivam effectûs immutationem, quæ tempore mensuratur. Atqui effectus non potest actu denominari realiter existens in æternitate tanquà mensurâ actionis nisi cum hâc sit realiter conjunctus. Cùm igitur ista conjunctio non fiat, nisi in tempore per passivam effectûs immutationem, & positionem sui extra causam, ac realem actualem existentiam: consequenter nullus effectus potest dici existens in æternitate, nisi pro instanti, ac tempore, in quo est physicè productus, seu passivè immutatus de non Esse ad Esse.

14. Contra. Nam alia Durationis mensura est intrinseca, alia verò extrinseca advertente Alberto Magno *cit. memb. 4. a. 1.* Inter has autem ea differentia est, quòd mensura durationis intrinseca consequatur rei creatæ immutationem passivam de non esse ad Esse: cùm econtra æternitas per actionem sibi realiter identificatam *extrinsecè* respiciat, ac mensuret res creatas antecedenter ad earum de non Esse immutationem passivam. Probatur istud assumptum. Nam actio essentialiter est emanatio effectûs ab agente. ex S. Tho. *opusc. 48. c. de actione.* Hæc autem emanatio est secundùm Esse physicum ac reale, vi cujus emanationis effectus denominatur *extrinsecè* positus extra causam. Atqui actio Dei est æterna. Unde non intelligitur prior immutatione passivâ creaturarum, nisi secundùm instans æternitatis. Ergo per actionem Deo intrinsecam omnes effectus in tempore producendi secundùm Esse reale, & physicum *extrinsecè* denominantur positi in æternitate extra causam. At
15. quatenus aliquid est in æternitate, eatenus est immutabiliter, ac indivisibiliter, *Est enim æternitas ipsa Dei substantia, quæ nihil habet mutabile, nihil ibi est præteritum quasi non sit, nihil futurum, quasi nondum sit, sed quidquid ibi est, non nisi est.* uti tradit S. Augustinus *in Psalm. 101.* Etsi proinde creaturæ secundùm propriam durationis mensuram supponant sui de non esse ad Esse immutationem passivam, imò ex hac ipsâ mutabilitatis ratione creaturarum propria, & intrinseca mensura distinguatur ab æternitate: attamen antecedenter ad istam immutationem passivam est denominabilis creatura per actionem Dei increatam omninò immutabilem. Hæc autem prioritas antecedens creaturæ mutationem intrinsecam, & passivam est *formaliter* secundùm instans æternitatis. Ergo in instanti æternitatis antecedenter ad omne tempus verificatur, creaturas esse in actu secundo, esseque adeò positas extra causam, non quidem *intrinsecè*, sed *secundùm denominationem extrinsecam* derivatam ex actione Dei, quæ non supponit, sed causat existentiam intrinsecam, seu immutationem passivam creaturæ.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

AD *n. 2.* oppositum Respondetur: Creaturas ita incepisse in tempore secundùm immutationem passivam de non Esse ad Esse, ut hæc ipsa tamen immutatio consistens in participatione existentiæ à creaturarum Essentijs distinctæ sit derivata ab actione Dei æterna. Ergò hanc actionem Dei æternam intelligi in ratione causalitatis priorem existentiâ creaturarum participatâ. At quia actio essentialiter respiciat effectum, seu terminum, eo ipso esse consequens, quòd pro illo signo, in quo actio Dei intrinseca intelligitur in ratione causalitatis, sit Extrinsecè denominans effectum qua productum seu factum. Hoc autem Causalitatis Deo intrinsecæ signum non esse, nisi secundùm instans æternitatis. Ergò in hoc æternitatis instanti esse denominabiles Dei effectus secundùm Esse suum reale derivatum ex actione æternâ. Etsi proinde effectus Dei secundùm propriam intrinsecam Durationis mensuram Deo non coexistant in æternitate, attamen quà secundùm Esse Physicum & reale *extrinsecè* denominabiles sunt per Dei actionem æternam, ut sic intelligi coexistere Deo in æternitate tanquàm extrinsecâ mensurâ. 16.

Instabis. Hujus Propositionis: *Creatura est realiter existens in æternitate*, prædicatum *formaliter* importat existentiam creaturæ quoad esse reale physicum. At Esse reale physicum Essentiæ creatæ non potest esse in æternitate, nisi *Physicè realiter* sit. Existentia autem rei creatæ non est *Physicè realiter*, nisi quà posita extra causas. Ut sic autem est in intrinsecâ suæ creatæ Durationis mensurâ. Ergo nequit creatura denominari *realiter* existens in æternitate, nisi pro instanti suæ creatæ intrinsecæ Durationis. 17.

Respondetur negando majorem. Nam in illâ propositione, per quam creatura denominatur realiter existens in æternitate; forma denominans, seu *prædicatum formale* est actio Dei æterna; Existentia verò creaturæ est denominatum seu *significatum materiale*. Etsi verò istius creatæ Existentiæ Esse reale physicum non possit in ratione termini *Physicè immutati* seu de non esse *Physicè producti* denominari existens in æternitate, nisi realiter sit in se, seu propriæ durationis mensurâ: attamen in Esse *Facti* seu *Efficienter causati* denominari potest existens in æternitate, antequàm sit in propriâ Durationis mensurâ intrinsecâ. Ratio hujus responsionis est. Has enim in Esse *Facti* seu *Efficienter Causati*, & in Esse *immutati* seu *passivè producti* denominationes eatenus oportet discriminare, quòd per prioré res secun-

dùm esse realis existentiæ extracta è Causæ actu duntaxat primo, seu hujus virtute & potentiâ adhuc contineatur intra Causæ ejusdem causalitatem immanentem seu productionem activam: cùm econtra per denominationem posteriorem intelligatur res posita extra Causæ non Primum duntaxat actum, sed actualem ipsius causalitatem. Quamvis proinde creaturæ antecedenter ad intrinsecam sui de non Esse ad Esse temporali duratione mensuratam immutationem passivam non sint in æternitate simpliciter extra Deum positæ, ipsarum tamen Esse in ratione termini realis est in æternitate extractum ex Virtute seu actu primo Divinæ Potentiæ. Cùm igitur istud ex Divinæ virtutis potentiâ per causalitatem physicam extractum Esse reale antecedenter ad sui tempore mensuratam immutationem passivam sit in Dei æternâ actione non *intentionali* duntaxat, sed *physicè* effectrice, sequitur, quòd per hujus æternitate mensuratæ actionis mensuram sint in *ratione Facti* denominabiles creaturæ quoad Esse non tantùm Intentionale ac objectivum, sed physicum ac reale.

18. Urgebis. Denominationem physicam supponere rei denominatæ Esse reale. Atqui ipsam actualem creaturarum existentiam intrinsecam & propriam *secundùm nos* denominari præsentem æternitati. Hanc igitur denominationem non stare nisi pro instanti, in quo habeat suam intrinsecam & propriam Existentiam.

Respondetur per *distinctionem*. Nam alia est Denominatio *Formalis intrinseca*, ad quam omninò supponitur rei Denominatæ Esse reale, alia verò Denominatio est *Causalis* ex parte Prædicati importans ipsius rei denominatæ effectricem causalitatem, ad quam per se notum est, non tam supponi, quàm Ordine Causalitatis consequi rei Denominatæ Esse reale. At verò ejusmodi Denominationem *Causalem* esse, per quam vi æternæ Deo *formaliter* immanentis actionis creaturarum intrinseca & propria existentia denominatur præsens æternitati. Quam proinde denominationem verificari pro instanti, quod Ordine Causalitatis Deo intrinsecæ secundum æternitatis mensuram antecedit temporis instans, in quo recipiunt creaturæ suam intrinsecam & propriam Existentiam.

COROLLARIUM.

Infertur 1. Verificari de rebus creatis, quòd sint in æternitate non immediatè, sed mediante denominatione extrinsecâ derivatâ in illas ex actione Dei intrinsecâ, quæ formaliter à parte rei est æternitas. Neqùe verò ad hanc denominationem requiri effectus secundùm intrinsecam suæ durationis mensuram esse conjunctos actioni Dei. Hæc namqùe conjunctio fit secundùm immutationem passivam effectuum in tempore, illa verò denominatio est *formaliter* per rationem causalitatis, quæ intelligitur prior immutatione passivâ effectûs. Unde S. Thomas. *cit. a. 1. de potent.* rectè concludit, actionem Dei æternam non esse conjunctam semper effectui, nec adeò ex actione Dei æternâ consequi effectum *in propriâ scilicet durationis mensurâ* æternum. 19.

Infertur 2. Propositionem, vi cujus secundùm fidem dicuntur omnia à Deo facta, esse æternæ veritatis. Ratio hujus petitur ex S. Thomâ *de Verit. q. 1. a. 5.* Nam alia veritas est intrinseca rei, alia est extrinseca. Hæc autem respectu omnis veri creati est prima Veritas se habens instar mensuræ extrinsecæ ad omnem Veritatem, non nisi ex Deo derivabilem. At licèt propositio per quam præsentia dicuntur esse secundùm veritatem objectis intrinsecam, non sit vera nisi veritate contingente, ac temporali: secundùm quam Futuri de non esse ad Esse est facta transmutatio passiva. Nihilominus hæc ipsa veritas contingens derivatur *efficienter* ex intellectu Divino. Hujus autem Veritas mensuratur æternitate, estqùe adeò immutabilis. Sicut ergò omnia sunt in æternitate immobiliter jam facta à Deo non secundùm intrinsecam suæ durationis mensuram ex temporali passivâ creaturæ immutatione resultantem, sed secundùm æternitatis mensuram mediante actione Dei æternâ, extrinsecùs mensurantem res in tempore producendas: Sic omne creatum existens est verum æternum & infallibile, non quidem veritate intrinsecâ, utpote contingente, sed per denominationem primæ Veritatis tanquàm mensuræ extrinsecùs mensurantis, & causantis omnem veritatem creatam. 20.

QUAE-

QVAESTIO QUARTA DE COGNOSCIBILITATE DEI.

HActenus egimus de Attributis Divinis, *quasi entitativis* non pertinentibus ad operationem, deinceps differemus de perfectionibus Dei sub formalitate, vel respectu operationis tum ad intra, tum ad extra: inter quas *primò* occurrit Divinæ Essentiæ respectu intellectûs creati cognoscibilitas. De qua movetur 1. difficultas. *Quâ, & cujus substantiæ potentiâ sit producibilis Essentia Divinæ Intuitiva Visio?* 2. *An mediante aliquâ similitudine, seu specie tum impressâ, tum expressâ Deus visibilis sit.* 3. *Qualiter ad videndam Dei Essentiam intellectui creato necessaria sit Luminis gloriæ elevatio?* 4. *Qualiter ab ista visione Attributa Dei, & Decreta libera sint attingibilia?* 5. *Quomodo creatura vi hujus Visionis videantur in Verbo.* 6. *denique. Qualis possit esse inæqualitas ac differentia Visionum Divinæ Essentiæ.*

ARTICULUS I.

Quâ, & cuius substantiæ potentiâ producibilis sit Essentiæ Divinæ Visio intuitiva.

OMnis potentia Cognoscitiva, si Intellectiva sit, intra objecti sui latitudinem complectitur Deum, si verò sit sensitiva in animæ Intellectualis fundo radicata, per luminis Intelligibilis ex sensibilibus abstractionem reducitur in portionis intellectricis ad Deitatis usque notitiam ascendentis operationem. Unde quia Intellectivæ potentiæ proprium est, per suam Universalem cum universâ Essendi Formalitate commensurationem in solâ Divinitatis omnimodam Essendi perfectionem supereminenter continentis notitiâ quiescere. Idcirco Intellectivæ substantiæ videtur innatus appetitus ad Divinitatis notitiam. Hinc nascitur difficultas. *An ista Divinitatis notitia etiam intuitiva possit esse connaturalis intelligentiæ creatæ saltem possibili secundùm portionem tum intellectivam, tum sensitivam spectata?* Cujusmodi proinde difficultatem, juxta ea, quæ Sanctus Thomas *præf. q. 12. a. 1. 3. 4. 11. 12. & 13.* exposuit, præsenti articulo complectemur.

CONTROVERSIA I.

An DEUS videri possit Oculis Corporeis?

1. VIdetur S. Augustinus *22. de Civit. Dei c. 28.* ejus fuisse opinionis, quasi Beatorum oculi essent elevandi ad visionem incorporalium. Ex quo facilis traheretur consequentia ad probandum, posse sensum corporalem à Divinâ potentiâ extra sensibilia & corporalia extrahi, atque adeò ad ipsum Deum videndum elevari. Verùm ex eod. S. Doct. *cit. lib. 22. c. 29.* evidenter patet, oculos Beatorum videndo novos cælos & terram novam, ita duntaxat visuros Deum, sicut nos videndo operationes sensibiles vitales videmus vitam. At Vita substantialis non *per se*, ac *in se* videtur oculo corporeo, sed visionis sensibilium vitæ operationum juncta est cognitio intellectualis ex illâ progenita, ratione cujus, adeòque *per accidens* dicitur Vita videri. Quemadmodum igitur Propheta visione imaginariâ *Isaiæ 6.* vidit Dominum sedentem super solium, in quantum sensui objiciebatur figura sensibilis repræsentativa D in quâ proinde imagine Propheta per intellectum cognoscebat Deum præsentem. Sic Beati oculis suis corporeis Deum in mundo innovato videbunt non *per se* virtute potentiæ sensitivæ, sed *per accidens* ratione intellectualis notitiæ junctæ sensuali cognitioni, ex eâque resultantis ad repræsentandum Deum ubique præsentem, & universa gubernantem. ex S. Thomâ *præf. a. 3. ad 2. & 3.*

2. Est igitur certæ, & indubitatæ veritatis, Deum non posse oculis corporeis videri, sacrâ scripturâ *ad Hebr. 11. Coloss. 1. & 1. Timoth. 6.* asserente *Deum invisibilem.* Quem sacrum textum de sensu saltem corporeo accipiendum esse, constat ex Patribus Origine, Athanasio, Nazianzeno, Epiphanio, Ambrosio, & Hieronymo à Valentiâ *hic disp. 1. q. 12. punct. 8.* relatis. Quibus concordant Augustinus *Epist. 6. 102. 111. & 112.* Chrysostomus *super c. 6. Isaiæ & hom. 14. in Joan.* Irenæus *lib. 4. cont. Hæreses. c. 37.* Evaristus Papa

Epist. 1. Cyrillus *Cathech. 9.* Damascenus *lib. 1. de Fide. c. 4. & alij.*

Unde cum Suarezio *lib. 2. de Attributis Dei. c. 6. n. 4.* Francisco de Lugo. *disp. 1. de Deo uno. c. 1. n. 6.* concludimus, esse de Fide, Deum secundum legem saltem ordinariam esse invisibilem oculis corporalibus. *An verò id procedat de potentiâ Dei absolutâ?* restat hic examinandum.

Referuntur sententiæ Doctorum.

3\. GRegorius de Valentiâ *to. 1. disp. 1. q. 12. punct. 8. in fine.* Arriaga *præs. disp. 6. sect. 1.* Salas *1. 2. tract. 2. disp. 5. n. 5.* dubium, ac difficultatem movent. 1. Quia nulla apparet implicantia in eo, quòd Deus crearet potentiam sensitivam, quæ aut per vim suam naturalem intrinsecam, aut per donum aliquod gratuitum tenderet in objectum spirituale. At dato isto sensu non repugnaret, posse elevari ad videndum. Deum 2. Non repugnat oculum corporeum lumine gloriæ elevatum secundùm Potentiam obedientialem activam concurrere ad eliciendam spiritualem Dei Visionem: aut hanc in se recipere secundùm potentiam obedientialem passivam, atquè adeò per ejusmodi visionis formam sibi vnitam constitui videntem Deum.

4\. Ex opposito sentiunt D. Thomas *cit. a. 3.* Cajetanus, Bannes, Nazarius *ibi.* Gonet *disp. 1. de possibilitate Visionis Dei. a. 2. §. 3.* Suarez *cit. c. 6. n. 5.* Franciscus de Lugo *cit. c. 1. n. 6. cum Patribus à se relatis.*

Conclusio.

NOn est possibile per Dei potentiam absolutam; sensum aliquem vel innatâ virtute, vel elevatione Dei ultra corporalia extendi ad videndum Deum.

5\. Probatur. Forma, quæ ex naturâ sua tam in esse, quàm in operari est dependens à corpore, est intrinsecè secundùm entitatem suam corporea. At omnis potentia sensitiva est per suam quidditatem actus organi corporei, à quo adeò dependet tam in Esse, quàm in operari. Ergò omnis potentia sensitiva secundùm rationem, & quidditatem suam est actus seu forma corporea. At potentiæ cognoscitivæ corporeæ seu materialis objectum adæquatum est corporeum. Implicat autem, potentiam cognoscitivam extendi ultra suum objectum adæquatum. Ergò implicat, potentiam sensitivam ferri in objectum spirituale, seu incorporeum.

6\. Respondebis cum Arriagâ *disp. 5. de Anima. sect. 1. & 2.* Principia hujus ratiocinationis non esse indubitatæ veritatis. Tum quia potentia visiva corporea Beatorum intuebitur splendorem, & claritatem corporum gloriosorum. Hic verò splendor in substantiâ est supernaturalis, atquè adeò extra objectum visui naturali ex intrinsecis principijs proportionatum, seu adæquatum. Ergò Divinâ virtute potest elevari potentia cognoscitiva vltra objectum sibi propor-

7\. tionatum, seu adæquatum. Tum quia ex ratione materialitatis non implicat, corpoream aliquam potentiam cognoscitivam ex intrinsecâ, & connaturali virtutis suæ proportione extendi ad objectum incorporeum. Etsi proinde hoc repugnet potentijs sensitivis de facto existentibus, utpote per intrinsecam suam differentiam limitatis ad objecta duntaxat materialia, non tamen evincitur, non esse possibilem potentiam sensitivam objecti spiritualis etiam connaturaliter cognoscitivam.

Contra: Implicat cognitio nisi cum ordine essentiali ad objectum sui specificativum. 8. Hoc autem objectum specificativum dicitur etiam Motivum. Hujus autem objecti Motivi alia est ratio secundùm causalitatem efficientem, secundùm quam vel *immediatè*, vel *mediante specie impressâ* influit in sui notitiam, juxta illud: *Ex potentiâ, & objecto paritur notitia.* Etsi verò iste influxus efficientiæ utpote non vitalis possit suppleri à Deo: attamen alia insuper objecti motivi ratio consistit in ratione *per se* terminandi, atque ut sic specificandi notitiam: sine cujusmodi ratione objecti *per se* terminante, ac specificante notitiam datur manifesta implicantia in actu cognitionis. Atqui notitia taliter specificata, ut sic intrinsecam, & Essentialem dicit commensurationem cum objecto, cujus per suam quidditatem est vitalis præsentatio, & imago intentionalis. Unde ex ratione essentiali notitiæ repugnat, dari ullam cognitionem nisi respectu objecti sibi ab intrinseco commensurati & proportionati. At sicut notitia *immediatè;* 9. sic potentia *mediante actu cognitionis* specificatur ab objecto: nec est possibilis potentia cognoscitiva, nisi respectu cognitionis possibilis. Implicat ergò, potentiam cognoscitivam intelligi nisi respectu cognitionis tendentis in objectum sibi commensuratum, nec adeò possibile est, potentiam ferri vltra objectum adæquatum, tale nimirum, quod nulli suorum actuum sit proportionatum. Unde claritas Corporis gloriosi non esset oculo corporeo visibilis, nisi intra ejus objectum contineretur. Atqui 10. modus, & ratio Essendi est prima, & intrinseca radix omnis formalitatis cuivis Enti inexistentis: Unde tota proportio potentiæ, & operationis est secundùm modum Essendi substantiæ. At verò sicuti species cujuslibet Entis est secundùm rationem Essendi, sic specificatio importat determinationem secundùm proportionem in Essendo. Ergò quia objectum spirituale in ratione Essendi est supra proportionem, atquè commensurationem Entis corporei, nequit esse specificativum, nec adeò motivum cognitionis, & consequenter potentiæ cognoscitivæ materialis. Ergò non est possibilis sensus corporeus, qui connaturaliter, imò etiam supernaturaliter possit ferri ultra objectum corporeum tanquam suum Motivum, & formale specificativum. Ex hoc ipso igitur, quòd Deus sit purus spiritus, repugnat ejus visio corporea, ac sensualis, *veluti argumentantur* S. Thomas *præs. a. 3. &* S. Athanasius *ad Liberium* asserens: *Deum invisibilem, & intactibilem, eò quòd sit spiritus.*

Responsio ad fundamenta contraria

AD 1. n. 3. oppositum Respondetur. Non esse possibilem cognitionem sine objecto specificativo. Hanc verò specificationem *formaliter* 11. consiste-

conſiſtere in commenſuratione Eſſentiali cognitionis cum objecto. Inſuper ſpecificationem ex objecto derivari in potentiam cognitionis elicitivam; nequè, cùm ſpecificatio ſit ſecundùm rationem Eſſendi, intelligibilem eſſe, niſi ſecundùm quandam convenientiam in ratione Eſſendi. Cùm proinde Ens ſpirituale non niſi ſecundùm rationem Entis communicet cum ſenſu corporeo, ratio autem Entis non conveniat corpori, niſi quatenus immerſa materialitati, conſequenter in ratione Eſſendi nullam eſſe proportionem, ſeu convenientiam ſenſûs corporei ad objectum ſpirituale. Ergò neque per vim naturalem, neque per elevationem ſupernaturalem extendi poſſe ſenſum corporeum ad objectum ſpirituale, atquè adeò ad Deum cognoſcendum.

11. Ad 2. *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. Aliam eſſe rationem *potentiæ obedientialis* ſecundùm quam agens corporeum tanquam inſtrumentum à Deo elevari poteſt ad effectum ſpiritualem ſibi omnino improportionatum. Aliam verò eſſe rationem *potentiæ cognoſcitivæ*, quæ ut ſic nequit extendi ultra objectum ſui *ſpecificativum*. Etſi proinde poſſet ſenſus corporeus *in ratione potentiæ obedientialis* non tantùm paſſivæ, ſed etiam activæ à Deo elevari ad producendam, ac recipiendam formam intellectionis, ſi hæc abſque ratione Originis, ſeu vitalis actionis importaret præcisè qualitatem objecti intentionaliter actu repræſentativam, inſinuante D. Thomâ 1. *p. q. 3. a. 1. ad 3.* Nihilominus informatio hujus qualitatis abſque vitali *potentiâ quà cognoſcitiva* tendentiâ non foret ſufficiens ad ſenſum, aliudve ſubjectum conſtituendum *formaliter* videns: cùm denominatio videntis, ac Intelligentis *eſſentialiter* importet Viſionem, ac intellectionem vitalem, veluti cum Capreolo, Ferrarienſi, & alijs tradit Nazarius *præs. a. 3. in expoſitione textûs circa finem.* A fortiori ergò non eſt poſſibile, quòd ulla potentia conſtituatur, ſeu denominetur *formaliter* Videns Divinam eſſentiam, niſi ab intrinſeco potens ſit vitaliter influere in iſtius objecti Viſionem.

CONTROVERSIA II.

An Divina Eſſentia videri poſſit virtute intellectûs creati?

1. ANtiqua Amonæorum hæreſis fuit, Intellectum creatum poſſe, imò de facto ſolis naturæ viribus videre Deum per Eſſentiam. Ex S. Epiphan. *hæreſ. 76.* Huic errori acceſſerunt Begardi, ac Beguinæ damnati in Concilio Vienenſi, prout refertur *Capit. ad noſtrum. Clement. de Hæreticis.*

2. Ex oppoſito ſtetit error Armenis adſcribi ſolitus, ac relatus à D. Gregorio *lib. 8. Moral. c. 38. & 39.* quòd nullus intellectus creatus quantumvis elevatus poſſit videre Deum in ſe ipſo, ſed ad ſummum in quâdam eminente claritate reſultante ex Divina Eſſentiâ: ſicut ſol videtur in eo, quem emittit, ſplendore. In hunc errorem Vaſquez *1. p. diſp. 37. c. 2. & 3. & diſp. 52. c. 4. & diſp. 55. c. 1. & 2.* plures Sanctos Patres præſertim Chryſoſtomum trahit, ſed cum injuriâ; uti oſtendunt Ægidius de Præſentatione *to. 2. de Beatitudin. lib. 12. q. 1.* Ioannes à S. Thoma *præs. diſp. 12. a. 1. ad 2.* & S. Thomas *præs. a. 1. ad. 1.*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

ETſi in his errorum extremitatibus per ſacræ Eccleſiæ definitiones ad mediam veritatis ſemitam reductis, nulla inter Orthodoxos relinquatur ambigendi ratio: Attamen difficultas non modica hìc excitatur. 1. Ex doctore Angelico *cit. a. 1.* poſſibilitatem viſionis Dei probante ex deſiderio naturali hominis ad videndum Deum. At nullum deſiderium naturæ poteſt tendere in id, quod excedit potentiam, & virtutem Naturæ. Ergò ſecundùm prætactam rationem videtur ſupponi, quòd viſio Divinæ Eſſentiæ ſit poſſibilis ex potentia & viribus naturæ intellectualis. 2 Ex Subtili Doctore *in 4. diſt. 49. q. 8. n. 4.* taliter argumentante: Omnis potentia habens objectum primum adæquatum, poteſt per ſe tendere in quodlibet contentum ſub illo. Sed primum objectum intellectûs humani eſt Ens. Ergò & quodlibet, in quo ſalvatur ratio Entis, eſt objectum per ſe ejus. At impoſſibile eſt, quòd quietetur in aliquo, niſi in ſummo totius analogiæ immediatè: ſicut nec viſus quietatur, niſi in pulcherrimo viſibili. Sed hoc non poteſt eſſe in cognitione ejus in univerſali, quia cognitio ut in univerſali non eſt illius ut in ſe. Ergo erit ejus ut ſecundùm ſe in particulari: Ergo ut ſic erit intellectus humanus capax Beatitudinis. Ex hoc proinde diſcurſu intendit Scotus probare, quòd poſſibilitas viſionis Beatificæ ſit per rationem naturalem demonſtrabilis. At iſta demonſtratio æquè videtur evincere poſſibilitatem Viſionis Dei ſecundùm vires naturæ, quàm ejus cognoſcibilitatem.

3.

4.

5.

CONCLUSIO.

ESſentia Divina poteſt intuitivè videri ab intellectu creato non viribus naturæ, ſed virtute duntaxat ſupernaturali.

Probatur *ex Matth. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Hæc enim viſio Dei in Angelis non poteſt alia eſſe, quàm intellectualis. Ergò datur intellectualis viſio Divinæ faciei. Hæc autem eſt Eſſentia Dei. Ergò poſſibile eſt, Eſſentiam Divinam in ſe *immediatè*, ac *intuitivè* videri ab intellectu Angelico, imò & humano, juxta illud: *Videbimus eum ſicuti eſt. 1. Io. 3.* 6.

Reſpondebis *Gen. 32.* dixiſſe Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Hóc autem referendum eſſe non ad ipſam Eſſentiam Divinam, ſed ad figuram, in qua repræſentabatur Deus, veluti affirmat S. Thomas *præs. q. 12. a. 11. ad. 1.* Ergò viſionem Divinæ faciei non probare immediatam & intuitivam Eſſentiæ Divinæ cognitionem: Imò hanc adſtrui tanquam impoſſibilem, *1. ad Timoth. 6. Qui lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* 7.

Contra. Nam poſito, quòd Deus in hac vitâ corporali à nullo Sanctorum viſus ſit *immediatè* in ſuâ Eſſentiâ, *de quo cont. 4. præs. Art.* tunc de Patriarchâ Iacob ita negandum erit, vidiſſe *immediatè* in ſe ipsâ Divinam Eſſentiam, ut id tamen colligatur ex antecedentibus ejuſdem 8.

cap. 32. Genes. Et ecce vir, id est Angelus, *luctabatur cum eo.* Hinc enim argumentum desumi potest ad affirmandum, quòd Iacob facie ad faciem viderit Dominum non in suâ personâ, sed in Angelo vices Dei tenente in illa visione, per quam etiam singulari intelligibilis contemplationis eminentia in Deum rapiebatur ille Patriarcha, uti tradit S. Thomas *loc. cit.* At verò proprietas sermonis, quo Angeli Sanctià Christo dicuntur *videre faciem Patris sui, qui in cælis est*, ex se ipsa manifestat Divinæ Essentiæ immediatam intuitionem, quæ verborum proprietas omninò tenenda est, nisi, *velut in Visione Iacob*, aliud suadeat Sacer contextus. At verò ex sacrorum textuum inter se collatione facilè constat, *Deum ita inhabitare lucem* viribus naturæ *inaccessibilem, ut nullus hominum eum videre possit*, nisi virtute gratiæ, &
9. gloriæ, quam dabit Dominus: *Psalm. 83.* Probatur istud assumptum. Nam cùm apparuerit gloria Dei, satiabimur *Psal. 16.* Tunc autem *similes ei erimus, cùm apparuerit*, *cit. 1. Ioan. 3.* Oportet igitur in nostrum intellectum tunc derivari quandam divinæ lucis similitudinem, ut sic *in lumine Dei* nobis communicato *videamus lumen* Divinum inaccessibile *Psalm. 35.* Etsi proinde Deus lucem inhabitans inaccessibilem à nullo hominum videri possit viribus naturæ. At ubi intellectus nostri elevabuntur ad participationem lucis Divinæ, tunc *similes Deo erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. ex cit. c. 3. Ioan.* Est igitur Essentiæ Divinæ immediata, ac intuitiva visio possibilis non viribus naturæ, sed mediante lumine gloriæ elevante animam ad videndum Deum, & eo beatè fruendum. Ex concilio Viennensi, *in cit. c. Ad nostrum. Clem. de Hæreticis.*

10. Replicabis: Visionem Divinæ Essentiæ à S. Thomâ *præs. a. 1.* respectu intellectûs creati demonstrari ex eo possibilem, quòd in eâ consistat Beatitudo. Nam hæc est ultima perfectio creaturæ rationalis. At in tantum vnumquodquè perfectum est, in quantum ad suum Principium attingit. Est autem creaturæ rationali Principium Essendi Deus. Ergò creatura rationalis est beata ex hoc, quòd Deum attingat perfectissimâ operatione. Ejusmodi verò est operatio intellectûs, neque ista est perfecta, nisi sit intuitiva. At ex hoc ipso, quòd Beatitudo ceu Vltima creaturæ rationalis perfectio consistat in Dei cognitione intuitivâ tanquam perfectissimâ intellectûs creati operatione; consequens est, Divinam Essentiam contineri intra latitudinem objecti motivi, ac specificativi intellectûs creati. Hanc verò specificationem formaliter importare commensurationem, & proportionem in ratione Essendi *præced. contr.* demonstratum est. Oportet igitur Essentiam Dei quà intuitivè visibilem esse proportionatam intellectui creato, atquè adeò Divinæ Essentiæ Visionem esse naturæ viribus producibilem.

11. Conta: Nam verum quidem est, quòd Essentia Divina per cognitionem intuitivam ab intellectu creato non esset etiam supernaturaliter attingibilis, nisi contineretur intra latitudinē ejus objecti motivi, ac specificativi saltem *quoad rationem Quæ; etsi non Quoad rationem sub Qua. veluti præced. cont. probavimus*: In hoc enim potentia Obedientialis non vitalis differt à vitali supernaturaliter elevatâ, quòd ignis v. g. materialis per modum instrumenti ex se omnimodè improportionati *secundùm potentiam obedientialem* assumatur ad actionem in spiritus: cùm econtrà potentia intellectualis ad Visionem Beatificam eliciendam *virtute supernaturali* elevetur tanquam causa principalis; quòd licèt illius visionis vitalis entitas sit *realiter formaliter* indistincta ab ejusdem supernaturalitate vi intellectivæ creatæ ut sic improportionatâ; attamen in ratione tendentiæ vitalis ad objectum intellectûs *Motivum* sit convenientia univoca inter supernaturalem & naturalem intellectionem.

Etsi proinde Essentia Divina non esset ab in- 12.
tellectu creato etiam supernaturaliter visibilis, nisi contineretur intra ejus objectum *motivum, ac specificativum*, ex ipso tamen patet illa Divinæ Essentiæ intra intellectûs creati *motivum* continentia, quòd viribus etiam naturæ sit cognoscibilis *quoad an est.* Siquidem *Esse* sit *formaliter* Essentia Divina. Vnde elevatio intellectûs creati ad Divinam Essentiā in se immediatè videndam non fit per extensionem potentiæ intellectivæ vltra, ac extra objectum ipsius *motivum*, sed improportio ad videndum Deum est ex parte modi tendendi per cognitionem intuitivam in illud objectum, quod tamen secundùm cognitionem abstractivam est naturaliter attingibile à virtute intellectiva creata, veluti insinuavit S. Thomas 13.
3. cont. gent. c. 54. in solutione ad primam rationem asserens: *Divinam substantiam non sic esse extra facultatem intellectûs creati, quasi aliquid omninò extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, vel substantia materialis à sensu. Nam ipsa Divina substantia est primum intelligibile, & totius intellectualis cognitionis principium, sed esse extra facultatem intellectûs creati, sicut excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilia sunt extra facultatem sensuum.*

Ex quo adeò patet, Essentiam, & substan- 14.
tiam Divinam esse rationalis creaturæ *formaliter* quà rationalis Principium Essendi, quatenus est totius cognitionis intellectualis Principium. Hæc autem ratio primi, ac perfecti principij respectu creaturæ intellectualis quà talis convenit Divinæ substantiæ quatenus est Primum intelligibile contentum intra ordinem intelligibilem. Atqui rationalis creatura per reductionem ad suum principium redditur Beata, & perfecta, quatenus hoc Primum intelligibile attingit perfectissimâ intellectuali operatione. At istud Primum intelligibile ita quidem est intra latitudinem objecti intellectûs, ut tamen sit extra ejus facultatem, sicut excedens virtutem ejus. Ergo intellectio perfectissima, seu intuitiva hujus Primi intelligibilis, seu Divinæ substantiæ est supra vires intellectûs creati, estquè adeò supernaturalis; licèt intelligibile respondens illi intellectioni contineatur intra objectum intellectûs creati.

Instabis ex Ioan. à S. Thomâ *præs. disp. 12. a.* 15.
2. §. Cæterùm non videtur. Divinam substantiam solùm contineri intra objectum terminativum, non autem Motivum intellectûs creati. Probatur. Nam intellectûs Humani Motivum non excedit intelligibile sensibile, seu quidditatem sensibilem: per hoc enim distinguitur specie ab intellectu Angelico, cujus Motivum adæquatum non excedit intelligibilitatem quidditatis spiritualis creatæ. Vnde licèt ponatur, intellectum creatum non excedere objectum suum *terminativum*, quando elevatur ad Essentiæ

Divinæ

Divinæ Visionem: attamen difficultatem superesse, *quomodo possit extra objectum suum Motivum* extrahi, cùm tamen hoc respectu potentiæ sensitivæ impossibile sit. Hujus verò disparitatis non esse aliam rationem, nisi ex ratione Immate-
16. rialitatis. Etenim in potentiâ intellectivâ, alia est ratio generica, quæ vt sic est secundùm immaterialitatem: alia verò est ratio specifica, & distinctiva diversorum intellectuum, quæ in intellectu Humano est secundùm vim, ac proportionem intellectûs agentis ad abstrahendas species à sensibilibus: in intellectu autem Angelico est secundùm exigentiam connaturalem specierum sibi innatarum ad substantias etiam spirituales creatas immediatè in se ipsis intuendas. At verò ex ratione hâc specifica intellectûs creati tam Angelici, quàm humani fit, quòd virtute suâ innatâ non possit abstrahere, vel connaturaliter exigere species, nisi secundùm proportionem Essendi, nec adeò propter infinitum in Essendo excessum Divina substantia possit ei connaturaliter coniungi ad sui visionem virtute ipsius naturali producendam. Vnde fit etiam consequens; Divinam essentiam non posse habere rationem *objecti motivi* respectu creati intellectûs.

17. Nihilominus ex ratione Immaterialitatis consequitur, posse intellectum concreta cognoscere in abstractione à materialitate. Ex hoc autem, quòd intellectus creatus per suam naturam sit natus apprehendere formam, & Esse concretum in abstractione per modum cujusdam resolutionis, fit consequens, esse elevabilem ad cognoscendum Esse separatum subsistens. Hoc autem est Divina substantia & Essentia. Ergò ex ratione immaterialitatis consequitur; quòd intellectus creatus ad Essentiam Divinam in se *immediatè* videndam elevabilis sit non viribus naturæ, *uti supra ex ratione specifica intellectûs creati probatum est.* Ergò viribus gratiæ, veluti argumentatur D. Thomas *præs. q. 12. a. 4. ad 3.* ex hoc ipso fundamento *ibidem*, inferens; sensum visûs, cùm omninò materialis sit, nullo modo elevari posse ad aliquid immateriale. Constat igitur, cur intellectus, non autem sensus viribus supernaturalibus elevari possit extra objectum suum motivum; hujus rationem esse desumendam ex unius materialitate, & alterius immaterialitate.

18. Contra. Nam ex ratione præcisâ materialitatis in cognoscitivis etiam sensitivis aliquid de immaterialitate participantibus non potest desumi ratio, cur visus non possit extra suum objectum Motivum virtute divinâ extrahi ad objecta materialia soni, odoris, vel etiam substantiæ materialis percipienda. Ergò hujus ad certum obiectum *motivum* Divinâ etiam Virtute insuperabilis determinationis aliam oportet assig-
19. nare rationem. Hæc autem vix adstrui potest, nisi ex eo, quòd objectum à potentiâ cognoscitivâ attingibile sit ejus *specificativum*, ut adeò intrinseca potentiæ cognoscitivæ specificatio sit alligata ad suum objectum *motivum*, ac *specificativum*. Unde quia Deus nequit immutare essentialem cujusvis potentiæ specificationem; impossibile est, ullam potentiam posse Divinâ etiam virtute vitaliter attingere objectum, nisi respectu alicujus cognitionis sit *motivum*, ac *specificativum*;
20. veluti *praced. cont. demonstratum est.* At ex hoc ipso, quòd intellectus, non autem sensus sit immaterialis, consequitur, formas à materia abstractas, adeoque Esse separatum subsistens, sive Divinam Substantiam posse *quoad An est*, secundùm cognitionem *abstractivam* intellectûs creati, non verò sensûs corporei esse objectum *motivum*, ac *specificativum*. Quare obje- 21.
ctum *motivum* distingui debet: aliud enim *secundùm exigentiam & commensurationem potentiâ naturalem* respectu intellectionis etiam intuitivæ eatenus est *Motivum*, ut hanc, si creata sit, *Causaliter*; si verò sit increata, *Formaliter Identicè* specificet. Aliud verò respectu cognitionis duntaxat abstractivæ Motivum *per modum Rationis Qua* tantummodò; non verò *per Modum Rationis sub Quâ* est specificativum. Etsi verò substantia Divina propter improportionem Essendi nequeat intellectûs creati *per Modum Rationis sub Quâ* taliter esse motivum, ut huic secundùm propriam Intelligibilitatis Formam inexistens Connaturaliter exprimat sui cognitionem intuitivam: attamen ex ratione immaterialitatis convenit Intellectui creato posse elicere cognitionem abstractivam cujus Esse Divinum sit specificativum, sitque adeò motivum *per modum Rationis Quæ*; non verò in ratione objecti materialis purè Terminativum. Ex quo adeò fit, ele- 22.
vationem talis intellectûs ad Divinæ Essentiæ Visionem non fieri per extensionem ultra objectum *motivum*, sed hanc elevationem consistere in modo, seu ratione specificâ Visionis propter Divinæ Substantiæ in Essendo improportionem omnimodè excedentis vires creati intellectûs; uti S. Thomas *3. cont. gent. cit. cap. 54.* expressit, & clariùs tradit *Opusc. 2. c. 103. Est aliquid*, inquiens, *in potentiâ dupliciter: Uno modo naturaliter respectu eorum, quæ per agens naturale reduci possunt in actum. Alio modo respectu eorum, quæ reduci non possunt in actum per agens naturale, sed per aliquod aliud agens. Est enim intellectus noster in potentiâ naturali respectu quorundam intelligibilium, quæ scilicet reduci possunt in actum per intellectum agentem, qui est principium innatum nobis; ut per ipsum efficiamur intelligentes in actu. Est autem impossibile, Ultimum finem consequi per hoc, quòd intellectus noster sic reducatur in actu. Consequitur igitur Ultimum finem in hoc, quòd intellectus fiat in actu ab aliquo sublimiore agente.*

Constat igitur, Visionis Divinæ Essentiæ 23.
supernaturalitatem esse desumendam ex improportione intellectûs creati ad sui cum Divinâ substantiâ tanquam objecto mediante specie connaturalem conjunctionem: Esse verò eandem Divinam substantiam ab intellectu creato virtute sublimioris agentis attingibilem quatenùs secundùm Esse intelligibile est in ejus potentiâ non *efficienter*, sed *objectivè*. Ergo vt sic continetur sub ejus objecto *motivo*, & respectu cognitionis abstractivæ per modum *Rationis Qua*, non verò *sub Quâ connaturaliter specificativo*. Est igitur immaterialitas ratio duntaxat remota, non autem proxima, cur Intellectus creatus elevabilis sit ad Divinæ substantiæ Visionem, hujus enim rationem proximam reduci debere in id, quòd Essentia Dei sit intra latitudinem ejus objecti *motivi*, ac per modum *Rationis Qua specificativi*, patet ex præcedentibus.

Respon-

Responsio ad fundamenta contraria.

24. AD 1. n. 3. Oppositum Respondetur: Inprimis inesse homini desiderium naturale ad Beatitudinem in communi sub ratione summi Boni, veluti tradit S. Thomas *in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3.* Deinde esse in homine desiderium naturale tam innatum, quàm elicitum ad objectum Beatitudinis in particulari, substantiam nimirum Divinam, quatenùs attingibilem, seu cognoscibilem ex effectibus: in cujusmodi cognitione consistere Beatitudinem hominis naturalem, ita tamen ut nulla ex determinato effectu deducta Divinæ substantiæ determinata cognitio abstractiva simpliciter quietet illud hominis naturale desiderium innatum, sed *syncategorematicè in infinitum* tendat, ac propendeat noster intellectus ad Deum magis ac magis conspiciendum ex creaturis. Vnde consequens esse, quòd naturalis Beatitudo creaturæ rationalis non possit *secundùm statum perfectum* tota simul *Categorematicè actu* existere.

25. Quare substantiam Divinam esse intellectûs creati *Beatitudinem objectivam*, quatenùs unicum hoc objectum est capacitatis intellectualis vltimus Finis & Consummata felicitas secundùm naturæ quidem vires non *actu, & Categorematicè*, sed *potentiâ, & Syncategorematicè simpliciter & perfectè* attingibile: siquidem omnis ab intellectu creato producibilis cognitio ex intrinsecâ sui & objecti ratione sit ordinabilis in Primi, ac increati objecti cognitionem *Syncategorematicè in infinitum* perfectiorem adipiscendam. Ex hâc proinde tum innatâ intellectûs, tum elicitâ ad Deum tanquam objectum vnicè satiativum, & naturaliter etiam Beatificum in infinitum perfectiùs attingendum voluntatis propensione sequi, quòd intellectus creatus *intrinsecè* respiciens Divinam substantiam tanquam objectum suum *ultimatè motivum*, ac *specificativum* sit viribus gratiæ elevabilis ad ejusdem Divinæ substantiæ Visionem *categorematicè simpliciter* per-

26. fectam, & *formaliter* actu beatificam. Quando igitur S. Thomas *loc. cit.* ex naturali desiderio Causam primam cognoscendi per effectus, probat possibilitatem Visionis Divinæ substantiæ, hoc non ita accipiendum esse, quasi positiva sit inclinatio naturalis in creato intellectu ad Deum *in se intuitivè* videndum: sed quia innata intellectûs creati propensio & capacitas sit erga Deum tanquam objectum satiativum mediante sui abstractivâ cognitione *Syncategorematicè in infinitum* perfectiùs attingibile, atque ut sic *actu secundùm quid* & in *potentiâ simpliciter* ac *infinitè* Beatificum, inde consequens esse, quòd intellectus gratiæ, & gloriæ viribus sit elevabilis ad videndum Divinam Essentiam, utpote, quæ non ratione *objecti motivi*, sed ex *parte* duntaxat *modi attingendi intuitivè* excedat facultatē creati intellectûs, veluti superiùs declaratū & probatum est.

27. Ad 2. n. 4. Oppositum Respondetur: In discursu Doctoris Subtilis supponi, quòd intellectus creatus innatâ suâ vi possit *simpliciter ex parte etiam modi cognoscendi* quietari in objecto, quod sit summum totius analogiæ Entis. Quam suppositionem esse falsam, ex eo evinci, quòd istud Ens summum, seu Deus non sit naturaliter attingibilis nisi per discursum ex creaturis. At discursus ejusmodi nunquàm potest attingere ad cognitionem Divinæ substantiæ adeò perfectam, quin ex innatâ suâ inclinatione propendeat intellectus ad perfectiorem *syncategorematicè in infinitum*. Ergò non est viribus naturæ producibilis, nec adeò lumine naturali cognoscibilis cognitio, quæ in Primum *formaliter*, *ac eminenter* totam Entis Analogiam continens objectum, adeò perfectè, nimirum *immediatè* ac *intuitivè* tendat, ut quietare simpliciter possit intellectum. Est igitur visio Divinæ Essentiæ non nisi gratiæ viribus possibilis, & cognoscibilis.

CONTROVERSIA III.

An Possibilis sit substantia creata supernaturalis, cui Lumen gloriæ, ac Visio Dei esset connaturalis?

NOn tam difficultas est in assertione, quàm in substantiæ creatæ supernaturalis impossibilitate probandâ argumento efficaci; Theologis, nominatim S. Tho. *1. 2. q. 110. a. 2. ad. 3. & cont. gentes c. 52. & 54. circa solut. 3. rationis. Et in 2. dist. 23. q. 1. a. 1. ad 1. Et præs. art. 4. & 5. ad 3.* Caietano *ibid.* Banne *1. p. q. 94. a. 1. dub. 1. ad 1.* Alvarez. *lib. 7. de auxiliis disp. 69.* Serra *eod. a. 4. dub. un.* Nazario *hic a. 5. cont. 3.* Petro Labat *1. p. tract. 1. disp. 4. dub. 5. §. 1.* Gonet *tract. 2. in 1. p. disp. 1. §. 2.* Ioanne à S. Thomâ *1. p. disp. 14. a. 4.* Ysamberto Sorbonico *ad præs. q. 12. disp. 4. per totam.* Petro à S. Ioseph. *lib. 1. Ideæ Theol. specul. c. 7. resol. 4.* Vasquez *1. p. disp. 44. c. 1. & disp. 231. c. 4.* Suarez *lib. 2. de Attrib. c. 9.* Francisco de Lugo *lib. 1. de Deo disp. 22. c. 4.* Amico *to. 1. disp. 9. sect. 6.* communiter negantibus talis substantiæ possibilitatem secundùm Dei absolutam quoque potentiam. 1.

Refertur argumentum oppositum.

AB hâc communi sententiâ non tam recedunt, quàm in probatione Implicantiæ, per quam de potentiâ Dei absolutâ repugnet substantia creata supernaturalis; difficultatem movent Molina *1. p. q. 12. a. 5. dub. 2.* Valentia *1. p. disp. 3. q. 12. punct. 3. §. Hæc autem doctrina.* Argumentum hujus afferri potest, quòd perfectiones in inferioribus distinctæ identificentur in Ente perfectioris, & altioris Ordinis. Ergo intelligibilis est intellectus, cui perfectio luminis gloriæ sit *formaliter* inexistens per identitatem. Ex hâc autem præcisè identitate non est evidenter demonstrabile, quòd intellectus ejusmodi debeat esse infinitæ ac increatæ Essentiæ. Probatur hoc assumptum; Quia perfectio resultans ex intellectu, & lumine gloriæ quâ distinctis est finita & limitata. At identitas perfectionum & formalitatum in Ente inferiori distinctarum non extrahit eas à ratione finitæ Essentiæ, si neutra ejusmodi formalitatum in ratione suâ quidditativâ importet formalitatem Essentiæ increatæ ac infinitæ. Ergò quia perfectio luminis gloriæ juncta cum intellectu in suo conceptu formali non importat rationem alicujus increatæ ac infinitæ 2. 3.

infinitæ formalitatis; consequenter intellectus per identitatem formalem habens inexistentem sibi perfectionem luminis gloriæ non ex hoc ipso est infinitæ, ac increatæ Essentiæ. Atqui intellectus ejusmodi creatus esset *Entitativè* supernaturalis, nec adeò esset proprietas, & potentia substantiæ nisi supernaturalis quoad Essentiam. Ergò possibilis est ejusmodi substantia supernaturalis.

CONCLUSIO.

Implicantia substantiæ creatæ supernaturalis connaturaliter exigentis lumen gloriæ efficaciter ostenditur ex quidditate, & ratione formali supernaturalitatis.

4. Probatur. Per formas supernaturales regeneramur à Deo in similitudinem naturæ Divinæ, ita ut simus Filij Dei, consortes Naturæ Divinæ, & conformes imaginis Filij Dei. *Ioan. 1. & 3. 2. Petri 1. Rom. 8.* At implicat, creaturam secundùm substantiam esse renatam in similitudinem Naturæ Divinæ, esseque adeò substantialiter consortem Divinitatis, ac Filium Dei ex vi substantiæ, & naturæ suæ specificæ. Ergo implicat substantia supernaturalis creata: veluti S. Thomas *præs. a. 5. ad 3.* nervosè intulit: cùm per lumen gloriæ creatura rationalis fiat Deiformis, juxta illud, *1. Ioan. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus*; idcirco non posse illud lumen esse naturale creaturæ, nisi hæc esset substantialiter consors Naturæ Divinæ.

5. Respondebis. Ex eo, quòd substantia creata supernaturalis regeneraretur substantialiter in similitudinem Naturæ Divinæ, non sequi, quòd esset Deo similis, nisi similitudine analogicæ proportionalitatis secundùm participationem, non verò secundùm identitatem realem formalem substantiæ, & Naturæ Divinæ. Probatur ista responsio. Nam substantia non est *absolutè*, ac *entitativè* Divina, dum ejus natura, & quidditas est *formaliter* immersa potentialitati. Ex hoc autem, quòd aliqua forma, seu Ens aliquod non sit suum Esse subsistens, non est pura essendi actualitas cum potentialitatis omnimodâ exclusione. At posito, quòd substantia aliqua creata *formaliter* per naturam suam specificam importaret participationem intellectualitatis Divinæ, esset talis participata intellectualitas intelligibilis, quin *formaliter*, ac *essentialiter* esset suum Esse: sicuti lumen gloriæ est Divini intellectûs seu Naturæ Divinæ secundùm gradum quasi specificum participatio, quin sit Esse subsistens. Cùm proinde intelligi queat Naturæ, ac intellectualitatis Divinæ quasi specificæ participatio substantialis, quin *formaliter*, vel *identicè*, aut *quidditativè* sit Esse actuale subsistens: consequenter concipi potest participata supernaturalis substantia cum potentialitate Essendi creaturæ propriâ. Unde ex eo, quòd substantia illa esset Deiformis per Divinæ intellectualitatis cum Essendi potentialitate participationem; non sequeretur, esse Divinam, nisi *analogicè* secundùm similitudinem proportionalitatis. Ergo ratio implicantiæ in tali substantiâ non evincit: & consequenter standum est pro infinitate Divinæ Omnipotentiæ, cui id omne tanquàm possibile permittendum est, in quo non apparet manifesta contradictio.

6.

Contra. Nam juxta commune axioma, Operari sequitur ad Esse; ita ut quantum Essendi ratio in aliquâ substantiâ est per suam entitatem magis elevata à potentialitate, & materialitate, eò perfectiorem habeat sibi connaturalem operationem. Hinc D. Thomas *infra q. 14. a. 1.* probat; rationem cognoscitivi radicari in separatione à materiâ, atque cognitionis modum esse secundùm modum Essendi abstractionis à materiâ. Ergo modus cognoscendi, seu lumen aliquod intellectuale non potest intelligi connaturale alicui substantiæ, nisi sit juxta modum ejus Essendi. Unde implicat, lumen Angelicum esse connaturale, nisi substantiæ Angelicæ, utpote cum quâ tanquam principio radicali per suam quidditatem convertibiliter, ac necessariò est connexa. Quo adeò sensu S. Doctor *præs. a. 5. ad 5.* ait: *Dispositionem ad formam ignis* præsertim activam proximam *non posse esse naturalem, nisi habenti formam ignis.* Atqui lumen gloriæ constituit hominem Deiformem formaliter communicando ei modum operandi Divinum. Hinc enim, cùm vi hujus luminis apparuerit Deus, similes ei erimus *1. Ioan. 3.* quoniam videbimus eum sicuti est. Ergo lumen gloriæ non potest esse connaturale, nisi substantiæ Divinæ secundùm rationem Essendi. At Esse substantiæ Divinæ est Esse subsistens. Ergo lumen gloriæ non potest esse connaturale substantiæ; nisi cujus Essentia est Esse subsistens. In ejusmodi verò substantiâ nullum dari potest accidens. *uti supra q. 3. a. 1. cont. 1. demonstratum est.* Ergo lumen gloriæ non nisi substantiale est connaturale substantiæ, & quidem Divinæ per Essentiam, non autem per participationem. Implicat ergo substantia supernaturalis creata, cui tanquàm principio radicali lumen gloriæ, ac visio Divinæ Essentiæ esset connaturalis; eo ipso quòd talis substantia habere deberet modum Essendi Divinum independentem, per se ac ex se subsistentem. 7.

8.

Cujus consequentiæ vis eleganter indicatur à Cyrillo, *lib. 1. in Ioan. c. 8.* ita disserente: *Quare Filius quidem Dei lux vera est: Creatura verò ejus illuminatione per gratiam lux est, quia videlicet hæc ex nihilo producta est. Ille verò substantialiter Dei Verbum est.* Ex hoc enim constat, esse hoc ipso *substantialiter* Verbum Dei, si Ens aliquod lux sit per lumen gloriæ non ex gratiâ derivatum, sed radicatum in ejus naturâ: ac econtra eo ipso, quòd Ens aliquod sit creatum ex nihilo, nec adeò sit à se, vel suum Esse subsistens, non posse videndo Deum fieri lumen, nisi illuminatione gratiæ, veluti præter alios Patres Ambrosium. *lib. Meditat. Orat. 7.* Prosperum. *lib. sententiarum Augustini. sent. 134.* Athanasium *Orat. contra Idola.* pulchre tradit S. Augustinus *12. de Civit. c. 1.* ubi cùm dixisset, creaturam rationalem posse fieri beatam, subdit: *Quia verò creatura est, hoc non ex se potest, quia ex nihilo creata est.* 9.

Replicabis: Verum quidem esse, quòd lumen gloriæ sit principium operandi modo Divino. Hunc verò Divinum operandi modum aliter se habere in lumine gloriæ creato, & aliter in lumine intellectûs increati. Hoc enim esse comprehensivum, ac infinitum; illud verò finitum, & inadæquatum duntaxat. Modum igitur 10.

igitur operandi Divinum adæquatum ac comprehensivum Luminis increati proprium, non autem modum operandi Divinum inadæquatè ac finitè participatum à lumine gloriæ inferre modum Essendi simpliciter Divinum secundùm rationem existendi, ac subsistendi per Essnetiam.

11. Contra. Iuxta modum luminis fit *connaturaliter* conjunctio objecti vel *immediatè*, vel *mediante specie* concurrentis ad cognitionem. Hæc autem conjunctio objecti per speciem aut per se ipsum sicuti est *Efficienter* specificativa cognitionis, sic exigentia lumini intellectuali creato innata, & ad certum modum conjunctionis objecti commensurata est *formaliter* specificativa intellectûs. Ex hoc enim differt specie intellectus humanus ab Angelico, quòd iste ex vi suæ connaturalis exigentiæ congenitas habeat species immediatas substantiarum etiam spiritualium: Ille verò non habeat species, nisi per abstractionem à sensibilibus virtute intellectûs agentis. Ex quo etiam fit, intellectum possibilem hominis viribus naturæ non posse extendi supra abstractionem intellectui agenti proportionatam, etsi sub hujus abstractionis limitatione possit etiam attingere Divinam substantiam quà in ratione *motivi Terminativi* sive *per modum Rationis Qua* specificativam Theologiæ naturalis. At verò implicat, aliquam formam extrahi extra rationem suam specificam, ac essentialem. Ergò impossibile est, concipi lumen intellectuale creatum, nisi cum essentiali commensuratione ad objectum quà *per*
12. *se* aut *per speciem coëfficienter* Motivum cognitionis proportionatæ lumini intellectuali. Quod S. Thomas *præs. a. 4.* nervosè expressit asserens: *In tantum esse aliquid cognoscibile, in quantum est in cognoscente* per sui nimirum speciem saltem eminentialem. *Cognitum autem esse in cognoscente secundùm modum cognoscentis.* Id est secundùm commensurationem essentialem luminis cum objecto quà
13. *coëfficienter* motivo, & causativo cognitionis. Ex quo adeò evincitur, non esse intelligibile lumen creatum gloriæ, nisi cum intrinsecâ connexione ad Essentiam Divinam, quà *Coëfficienter* motivam, & causativam Visionis Beatificæ. Ergò si daretur substantia supernaturalis, cui lumen Gloriæ esset connaturale, hæc tanquam principium intellectuale radicale in ratione suâ specificâ *formaliter* diceret commensurationem Essentialem cum essentiâ Divinâ tanquam connaturali Motivo & *coëfficienter* causativo seu *formaliter* specificativo Visionis Dei. Atqui commensuratio substantiæ intellectualis cum objecto *Coëfficienter* motivo, & causativo seu *formaliter* specificativo cognitionis sibi proportionatæ est secundùm modum Essendi. Hinc enim, quia Anima Humana est forma materiæ, vi suâ naturali non est intellectiva, nisi cum dependentia à materialibus. At quia substantia Angelica habet Esse per se, non in materiâ subsistens, quin tamen sit suum Esse, naturaliter est intuitiva substantiarum à materiâ separatarum, quarum tamen Essentia non sit suum Esse subsistens, veluti argumentatur Doctor Angelicus *cit. a. 4.* Ergò, quia solius Divinæ substantiæ est, quòd sit suum Esse subsistens; consequenter nulli substantiæ creatæ est communicabilis commensuratio intrinseca luminis intellectualis ad Divinam Essentiam tanquam motivum *Coëfficienter* causativum seu *formaliter* specificativum Visionis Dei. Ergò quia lumen gloriæ ex ratione sua Essentiali importat commensurationem intrinsecam cum Essentiâ Divinâ in ratione objecti intelligibilis per se *coëfficienter* motivo, & causativo seu *formaliter* specificativo Visionis Beatificæ, non potest illi creatæ substantiæ connaturale esse.

Quod Sacræ literæ non obscurè insinuant, 14.
Divinæ Essentiæ intelligibilitatem exponendo *Sap. 7. & Hebr. 1.* per candorem lucis, ac splendorem gloriæ, nec non claritatem adeò immensam, ut respectu creatæ mentis, *Psalm. 17.* Deus posuerit tenebras latibulum suum, & caliginem sub pedibus suis, ascendens super Cherubim, infinitè prætervolando Cherubinorum, imò & Seraphinorum intuitum, ut adeò isti *Isaia. 6.* clamantes terram plenam gloriâ Dei, faciem velare debuerint, ne aut luminis immensitate illorum oculi perstringerentur, aut fumo caligarent. Ex his namque loquendi modis facilè con- 15.
stat improportio intelligibilitatis Divinæ Essensentiæ ad quodvis lumen creatæ substantiæ, Apostolo *1. Timoth. 6.* apertè asserente, *Deum inhabitare lucem inaccessibilem.* Ergo propter istam superexcellentem lucis Divinæ intelligibilitatis cum intellectu creabili improportionem non est possibilis substantia connaturaliter susceptiva luminis gloriæ cum Divinâ Essentiâ quà in se visibili *intrinsecè, ac essentialiter*, licèt *inadæquatè tantùm*, & non *comprehensivè* commensurati, Div. Dionysio. *Epist. 5.* attestante: *Quòd caligo Divina sit lux tum invisibilis propter eximiam & substantiæ supereminentem Claritatem, tum inaccessibilis pro immensâ supersubstantialis ex se manantis copiâ.*

Responsio ad fundamentum contrarium

AD *n. 2.* oppositum Respondetur: Forma- 16.
litatem luminis gloriæ quà connaturalem in substantiâ arguere purissimam Essendi actualitatem, atque adeò infinitatem in Essendo. Tum quia in ratione suâ formali importat principium operationis Divinæ. At omnis operatio connaturalis radicatur in Esse; atque adeò operatio Divina connaturalis non potest non esse radicata in Esse Divino. Hoc autem *formaliter* consistit in Esse à se sive in Essentiâ, quæ est suum esse subsistens. Vnde fit consequens, quòd neque lumen gloriæ possit connaturaliter stare nisi in substantiâ, cujus Essentia est suum esse subsistens Hoc autem est Ens actualissimum, & infinitum in Essendo. Ergò non nisi Enti secundùm Essentiam infinito potest esse connaturale lumen gloriæ. Tum quia 17.
lumen gloriæ formaliter includit rationem commensurationis intrinsecæ, ac essentialis ad Divinam Essentiam tanquàm objectum *efficienter* motivum, & causativum seu *formaliter specificativum* visionis Beatificæ. Hæc autem commensuratio ad Divinam essentiam non potest esse connaturalis substantiæ, nisi cujus Essentia est suum Esse subsistens, *uti superiùs est probatum.* Ergò præter increatam Divinam substantiam repugnat substantia, cui lumen gloriæ sit connaturale. Ex quo adeò fundamento evincitur, cur possi- 18.
bile sit accidens supernaturale, non autem substantia supernaturalis subsistentis. Nam Esse substantiæ per se subsistens est prima radix & principium radicale omnis proprietatis, & operationis ex se emanantis. Unde si operatio, seu proprietas

proprietas secundùm communicationem gradûs quasi specifici naturæ Divinæ sit *formaliter* Divina, tunc ex ratione suâ essentiali supponit substantiam, cum ratione subsistendi Deo propriâ. Hæc autem ratio subsistendi est Divina, secundùm quod Essentia est *realiter formaliter* suum Esse subsistens. Ex hac autem ratione essendi, ac subsistendi *formaliter* per suum Esse actuale, erit consequens, Ens taliter subsistens non esse receptivum ullius accidentis. Ergo operatio Divina, seu communicatio naturæ Divinæ secundùm gradum quasi specificum, quatenùs est connaturalis, alicui substantiæ, non potest esse accidentalis, sed oportet *formaliter realiter* esse Divinum *Esse* subsistens.
19. Atqui ratio supernaturalitatis non importat connotationem tantùm extrinsecam principij operantis supra leges naturæ, sed *formaliter* consistit in formalitate naturæ, seu operationis Divinæ secundùm gradum quasi specificum. Cùm igitur communicatio hujus gradûs Divini nequeat ulli substantiæ connaturalis esse, quin *formaliter* sit substantia, cujus Essentia sit suum Esse subsistens, consequenter non est possibilis substantia supernaturalis præ-
20. ter Divinam increatam. Quare Ens creatum in suâ Essentiâ supernaturale *formaliter* consistens in communicatione Naturæ Divinæ, non est nisi accidens, vel ad summum realitas substantialis non subsistens, quæ tamen sive accidentalis sive substantialis non in se subsistens Entitas supernaturalis nulli creabili supposito seu substantiæ per se existenti possit esse connaturalis.

COROLLARIUM.

21. INfertur 1. Visionem Divinæ Essentiæ de potentiâ Dei ordinariâ non esse communicabilem homini viatori. Probatur. Nam ex eo, quòd omnes cognoscitivæ potentiæ fundentur in vnâ animâ, requiritur ejusdem animæ intentio ad omnium potentiarum cognoscitivarum actum. Est autem animæ vis limitata, ac finita. Vnde quantò magis intendit actui vnius potentiæ, tantò plus abstrahitur ab actu alterius potentiæ. At quia Essentia Divina est vehementissimum intelligibile, nequit intellectus elevari ad ejus visionem, nisi tota animæ intentio colligatur in hanc visionem. Ergo ut mens in Divinam visionem elevetur, oportet, omnimodè fieri abstractionem à corporeis sensibus, veluti argumentatur S. Tho. *q. 13. de Verit. a. 3.* cum S. Augustino. *12. de Genesi ad Litt.* ita disserente: *In illa specie, quâ Deus est, nemo Deum videns vivit vitâ istâ, quâ mortaliter vivitur in istis sensibus corporeis.* At quamdiu corpus corruptibile aggravat animam, intellectus humanus est per naturalem sympathiam ita immersus sensibilibus, nè toto conamine mens possit esse intenta intellectuali contemplationi. Ex S. Tho. *q. 1. quodl. a. 1.* Ergò secundùm potentiam Dei Ordinariam, seu connaturalem statûs viæ exigentiam sunt incompatibiles Visio Dei, & status viatoris.
22. Infertur 2. Hanc incompatibilitatem statûs viæ, ac Visionis Dei esse virtute absolutæ potentiæ Dei superabilem. Ratio est, quia radix hujus repugnantiæ consistit partim in limitatione animæ, cujus vis naturalis exhauritur per Visionem Dei, quæ coæquat totum animæ conamen; partim in naturali humani intellectûs, ac sensuum dependentiâ & Sympathiâ, vi cujus intentio animæ non fertur in objectum intelligibile, nisi cùm dependentiâ à sensibus. At inprimis potest ex visione Beatâ derivari quædam redundantia intellectûs ad inferiores vires vsque ad corpus, vi cujus confortentur potentiæ sensitivæ cum quadam subordinatione actûs inferioris ad superiorem, velut accidet post Resurrectionem in Corporibus gloriosis. Tunc ergò anima videns Divinam Essentiam elevatione Divinæ virtutis roborata potest secundùm ipsam Regulam Visionis Dei intendere phantasmatibus, & sensibilibus. ex S. Tho. *2. 2. q. 175. a. 4. ad. 1.* Deinde potest hæc 23.
redundantia in corpus, & sensus, per modum quasi proprietatis connaturaliter conveniens Visioni Beatificæ Divinitùs impediri, ut tamen ex virtute Deitatis permittatur vnicuique potentiarum animæ agere id, quod ipsi proprium est, veluti evenit Christo constituto in vitâ passibili. Etsi proinde ex quâdam colligantiâ potentiarum animæ ad invicem sequatur, fieri de necessitate redundantiam, vel impedimentum ex unâ potentiâ in aliam: in Christi tamen humanitate utrumquè impediebatur Divinitùs, ita ut nec ex visione Divinæ Essentiæ emanaret redundantia in vires animæ inferiores, nec ex conamine animæ videntis Deum vires coæquante impediretur vsus, ac exercitium naturale sensuum. ex S. Tho. *de Verit. cit. a. 3.* De- 24.
nique in raptu anima ita abstrahitur à sensibus corporeis, ut his nulla supersit operandi facultas, toto animæ conamine intento ad Divinam contemplationem. Ergo animæ, & intellectûs humani immersio, ac dependentia à sensibus materialibus non est essentialis, quin possit etiam in statu viæ per raptum elevari ad videndam Dei Essentiam, veluti factum in Moyse, & Paulo Apostolo tradit Doctor Angelicus *præs. q. 12. a. 11. ad 2.* cum S. Augustino *12. de Gen. ad litt. c. 16. 27. & 28.*

Constat igitur, repugnantiam statûs viæ, 25.
& Visionis Dei non esse tantam, quin possit duplici viâ Divinitùs superari, tum per Confortationem Divinæ virtutis absque redundantiâ Visionis Dei in vires inferiores cuique sensuum permittentis suas naturales functiones, ut factum est in Christo, qui simul erat comprehensor, & viator; tùm per raptum animi cum omnimodâ abstractione à sensibus corporeis, ac eorundem functionibus; veluti S. Paulus *2. ad Corinth. 12.* dicit: *Se raptum fuisse usque ad tertium Cœlum; raptum esse in paradisum.*

Infertur 3. Præter Sanctissimam Deiparam, 26.
cui omnis reliquorum Sanctorum prærogativa statui ipsius congruens cum singulari quâdam eminentiâ adscribenda est, Sanctissimo P. N. Benedicto non immeritò concedi hanc dignitatem, quòd in hâc vitâ mortali viderit Divinam essentiam. Probatur ex Gregorio Magno *2. Dial. c. 35.* attestante, *Virum hunc gloriosum totum mundum aliquando vidisse sub uno quasi radio collectum.* Hunc verò radium fuisse lumen Dei, idem Ecclesiæ Doctor sentit *seq. c. 36.* Hoc autem lumen Dei esse claritatem, quæ sit ipse Deus, tradit Glossa *Exod. 33.* super illud. *Non videbit me homo & vivet.* Ergò Vir Domini in hâc visione vidit Divinam Essentiam, S. Gregorio

clarè id affirmante; *Videnti enim Creatorem angusta fit omnis creatura.*

27. Neque dicas 1. cum S. Thomâ *q. 1. quodl. a. 1. ad 1. & 2.* illud lumen, sub quo S. Benedictus vidit collectum mundum, fuisse lumen aliquod derivatum à Deo, non verò ipsam Divinam Essentiam.

28. Nam contra est: quòd idem Angelicus Doctor *præs. q. 12. a. 11. ad 2.* cum S. Augustino affirmet, Moysen in hoc mortali corpore vidisse Divinam Essentiam. Hujus verò visionis non potest firmius afferri testimonium, nisi ex *Num. 12. ac Exodi 33.* in quo posteriori loco Moysi petenti à Deo *Ostende mihi gloriam tuam,* respondit Deus: *Ego ostendam omne bonum tibi*, id est, essentiam meam. At verba D. Gregorij superiùs recensita non minùs clarè testantur Divinæ Essentiæ visionem in hac vitâ mortali S. Patri nostro communicatam. Imò verbis *ex 33. Exodi* adductis subnectitur: *Non poteris videre faciem meam; Non enim videbit me homo, & vivet.* Et in fine; *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris* Quæ nihilominùs verba secundùm S. Thomam, & D. Augustinum *12. de Gen. ad. Litt.* taliter exponenda sunt, quòd nemo vivens vitâ istâ mortali in sensibus corporeis possit videre Deum secundùm Essentiam, sed hanc Visionem in Raptu Sanctis vsu sensuum tunc privatis fuisse aliquando communicatâ in statu viæ.

29. At è contrario verba Gregorij Magni de S. Benedicto adeò clarè asseverant Divinæ Essentiæ Visionem, ut nullâ obscurentur oppositione seu contrarietate etiam apparente, quæ indigeat expositione, quinimò Magnus ille Ecclesiæ Doctor rationem, quomodo sub mentem illius Viri potuerit totus mundus adduci *c. 36.* allegat, *quòd animæ videnti Creatorem angusta fit omnis creatura.* Si ergò ex allegatis sacris verbis inferre licet, Moysen in statu viæ vidisse Divinam Essentiam, à fortiori ex maiori verborum claritate per authoritatem D. Gregorij licebit S. P. Nostro concedere Divinæ Essentiæ Visionem in statu viæ.

30. Nequè dicas 2. cum eodem Angelico Doctore *cit. q. 1. quodl. a. 1. in Corp.* impossibile esse, ut mens humana vnita corpori Dei Essentiam videat, nisi huic vitæ mortali funditùs homo intereat, vel sic alienetur à corpore, ut nesciat, utrùm sit in corpore, an extra corpus. uti legitur de Paulo *2. Corinth. 12.* At beatum Benedictum, quando illam visionem vidit, nec huic vitæ funditùs mortuum, nec à corporis sensibus alienatum fuisse: hoc enim ex eo patere, quòd dum in eadem visione adhuc persisteret, alium ad idem videndum advocârit eodem S. Gregorio referente. Ergo manifestum esse, quòd Dei Essentiam non viderit.

31. Contra enim est, quòd D. Gregorius *cit. c. 35.* duas recenseat de S. Patre nostro visiones, alteram sensibilem, quâ vidit globum igneum; alteram intelligibilem, quâ in lumine Dei vidit totum mundum & Angelos in cælum deferentes animam Germani Capuani Episcopi. In illius ergò sensibilis visionis, (alterâ Divinitatis intuitiva visione fortè disparente, ad sensuum vsum jam revocatus) testem vocavit Servandum Diaconum, qui etiam partis exiguæ

32. lucis conspiciendæ consors est factus. Verùm licèt alienatio à sensibus sit ita consequens Visionem Divinæ Essentiæ, ut anima toto conanime in Deum absorpta, & rapta non possit naturæ viribus esse intenta operationibus tum sensibilibus, tum quibusvis alijs intelligibilibus: attamen Divinâ virtute etiam *concomitanter* cum Visione Dei hoc fieri posse, imò de facto contigisse in visione Pauli, constat ex eo, quòd raptus in Paradisum, adeoquè in sortem Beatorum videntium Deum audiverit arcana ineffabilia. At audire secundùm proprietatem verborum, respectu mentalis quoque cognitionis importat actum distinctum à visione, uti probat Cornelius à Lapide *in cit. cap. 12. Pauli. n. 3.* ac Ysambertus *in præs. q. 12. disp. 5. a. 3. n. 8.* Confirmaturque ex eo, quòd Apostolus dicat *se audivisse verba.* Ergò dum Paulus in illo raptu vidit Divinam Essentiam, uti S. Thomas *supra adductus* tradit, non in hâc duntaxat tanquam in speculo vidit ineffabilia, sed etiam extra Verbum per revelationes divinas audivit mira de Naturâ, Dotibus, Gratiâ, Gloriâ & Ordinibus Angelorum *ex Greg. Hom. 4. in Ezech.* Et hinc S. Dionysium *de cælesti Hierarchiâ* ex S. Pauli Doctrinâ ita describere Angelorum Ordines, quasi omnia spectarit, notat Cornelius *vbi sup. n. 4.* Imò vidisse tunc etiam Gloriam Christi, ne minor esset cæteris Apostolis, qui Christum in carne viderant, ab eoque edocti erant; audivisse etiam modulatam Hymnorum vocem tradunt Chrysostomus, & Theodoretus ab eodem Cornelio adducti. Si ergò hæc auditio, & visio sensibilis non viribus naturæ, sed Divinâ virtute in Paulo steterit cum ejus raptu in Paradisum, & visione Divinæ Essentiæ; consequenter nobis tanquam Filijs Patris sui gloriosi honorem curantibus dicere liceat, Doctoris Angelici adversùs Divinæ Essentiæ Sancto Benedicto communicatam Visionem adductum argumentum non esse efficax; sed pro gloria S. Benedicti stare Gregorij Magni *cit. 35. cap. 2. Dial.* evidens testimonium affirmantis: *In Dei lumine raptum super se in interioribus ita fuisse ampliatum, ut mirum non esset, quòd mundum ante se collectum videret, qui sublevatus in mentis lumine extra mundum fuerat, itaquè videnti Creatorem angusta fieret omnis creatura.* 33.

ARTICULUS II.

De

Specie Obiectivâ, Impressa, & Expressâ Visionis Divinæ Essentiæ.

Doctor Angelicus *præs. q. 12. a. 2.* de duplici similitudine ad intellectionem concurrente difficultatem movet. Altera se tenet ex parte potentiæ: Nam virtus intellectualis dicitur quoddam lumen derivatum à primâ luce, juxta illud *Psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Hoc autem vultûs Divini lumen, seu lux prima est ipsa Dei Essentia, quatenus est primus intellectus. Ergo omnis virtus intellectualis creata, quatenus est participatio intellectûs primi, ac Divini, est quædam similitudo Divinæ Essentiæ. Datur ergo in intellectu vidente Deum similitudo Divinæ Essentiæ, vi cujus intellectus creatus constituitur efficax ad videndum Deum, diciturque 1.

turquè lumen Divinæ gloriæ confortans intellectum creatum ad Divinam Essentiam intuitivè conspiciendam. De quo *seq. art.* differemus.

2. Altera igitur similitudo concurrens ad intellectionem se tenet ex parte objecti, seu rei visæ: non enim fit visio in actu nisi per hoc, quòd res visa sit quodammodo in vidente. Est autem evidens, quòd in corporalibus res visa non potest esse in vidente per suam Essentiam, sed per suam similitudinem duntaxat: sicut similitudo lapidis est in oculo, per quam fit visio in actu; non ipsa substantia lapidis. Quare difficultas *præs. art.* discutienda venit: *An essentia Divina mediante aliquâ similitudine, vel specie uniatur intellectui Beato ad sui Visionem efficiendam?*

3. Hæc similitudo se tenens ex parte objecti distingui solet in *Objectivam*, *Impressam*, & *Expressam*. Similitudo *Objectiva* est medium priùs cognitum, ex quo, vel in quo ducitur intellectus ad cognitionem alterius rei: sicut cognitâ imagine excitatur memoria & cognitio rei per illam repræsentatæ. De hâc præcisè similitudine *Objectivâ*, S. Thomam *præs. a. 2.* negando *Divinam Essentiam videri posse per aliquam similitudinem creatam*, fuisse locutum, asseruit Vasquez *præs. disp. 39. c. 1. & 2. & disp. 43. c. 7.* sed malè. Tum quia D.

4. Thomas à Visione Beatâ excludit illam similitudinem, quâ mediante fit unio rei visæ cum potentiâ vidente. Hæc verò est species *Impressa*, non autem similitudo duntaxat *Objectiva*: Tum quia doctrina *præsentis articuli secundi* videtur desumpta *ex quodlib. 7. q. 1. a. 1. & ex 4. dist. 39. q. 2. a. 1.* At in his locis S. Doctor expresse negat, dari in Beatis speciem Impressam. Ergo prætactus articulus secundus cum Cajetano, Banne, & Thomistis communiter præcipuè intelligendus est de specie Impressa.

5. Species Impressa est vicaria objecti, trahendo illud intentionaliter intra potentiam, atque hanc determinando non in ratione virtutis, seu potentiæ, sed in ratione concursûs objectivi. Hinc doctrina Vasquezij *disp. 44. passim & Alarcon tract. 1. de Visione Dei. disp. 3. c. 2. & 3.* existimantium, speciem Impressam ex parte potentiæ se tenere, tanquam determinationem, & complementum virtutis cognoscitivæ, sive per modum luminis eam confortantis, meritò redarguitur. Tum quia Notitia paritur ex potentiâ, & objecto *juxta commune Axioma desumptum ex S. Augustino.* Ergò præter influxum potentiæ ad fœtum intellectualem, sive ad Verbum mentis concipiendum, requiritur etiam influxus objecti. Hoc autem plerumque non *immediatè* concurrit, ac influit in sui notitiam. Tunc ergò requiritur species tanquam vicaria objecti. Ergò hæc non concurrit ad cognitionem tanquàm determinatio potentiæ, ejusquè complementum in ratione virtutis cognoscitivæ, sive tanquam lumen eam confortans, sed mediante tali specie impressâ objectum actuat potentiam, eamque licèt in ratione virtutis, & actualitatis omninò completam determinat, repræsentando objectum, ac intentionaliter uniendo potentiæ.

6. Tum quia intellectus secundùm Philosophum *3. de animâ tex. 37.* intelligendo fit omnia. Hoc autem fit, quatenus potentia cognoscitiva objectum *secundùm Esse intelligibile* trahit in se, id vel *immediatè*, vel *mediante specie intentionaliter* sibi uniendo. Unde species intentionalis est ipsa quidditas, seu forma objecti, non quidem secundùm *Esse reale Entitativum*, sed secundùm *Esse intelligibile intentionale.* ex S. Thomâ *2. de animâ. lect. 7. & Metaph. lect. 6. & 8. Item 3. cont. gent. c. 49.* At intellectus consideratus præcisè secundum rationem luminis, seu virtutis cognoscitivæ *intentionaliter*, ac *repræsentativè* non est res intelligibilis. Ergò hoc *Esse intelligibile, ac intentionale* actuans, & fœcundans potentiam ad imaginem, seu Verbum intentionale objecti exprimendum, ac formandum, est principium distinctum à virtute cognoscitivâ, ejusque complemento, atque adeò species Impressa non consistit in lumine, seu determinatione virtutis, sed ut sic *formaliter* est repræsentativa, seu vicaria objecti, vice cujus concurrit *effectivè* cum potentiâ ad sui notitiam efformandam.

Species Expressa est imago objecti in eâ repræsentati, sive ipsa notitia per assimilationem 7.
objecti, seu hujus expressionem assimilativam. Hæc imago, seu Verbum mentis non tantùm est *intentionaliter*, ac *repræsentativè* ipsamet res concepta, sed etiam est medium, quo res intelligitur. ex S. Tho. *de Verit. q. 4. a. 2. ad 3.* Hoc tamen medium non est *Ut quod* instar medij objectivi, in quo priùs cognito devenitur in alterius rei cognitionem: sed est *medium Quo*, utpote formalis objecti expressio constituens objectum *formaliter* actu repræsentatum in intellectu.

CONTROVERSIA I.

An possibile sit, Deum quidditativè cognosci mediante aliqua specie ænigmaticâ, seu similitudine Objectivâ?

Difficultas nulla est in re ipsâ, sed potiùs in explicatione. Tum quia cognitio Dei per speculum ac ænigma attingit id, quod est, & quod Essentialiter Deus est. ex Alberto Magno *1. p. sum. tract. 3. q. 13. memb. 4. circa fin.* Tum quia cognitio attingens Divinam Essentiam tanquàm sui præsertim motivum, ac specificativum, est quidditativa. At Cognitio ænigmatica Dei non tantùm per fidem, sed etiam secundùm Theologiam Viatoris habet pro suo motivo specificativo Deitatem, seu Essentiam Divinam vel Increatam Veracitatis Dei formalitatem. Cur ergò ista cognitio est abstractiva duntaxat, non autem quidditativa? 1.

CONCLUSIO.

Ex Patrum, & Theologorum consensu indubitatum est, quòd Divina Essentia nequeat mediante similitudine ænigmaticâ, seu specie objectivâ *quidditativè* cognosci.

Probatur & explicatur. 1. Dei cognitio in ac ex medio aliquo objectivo secundùm Albertum Magnum *cit. tract. 3. q. 14. memb. 3.* est triplex, nempe Corporalis, seu sensibilis, ac Imaginaria, & Intellectualis. Nam Deus sensibiliter apparuit Moysi in Rubo. *Exod. 3.* Et imaginariè visus est à Iacob innixus scalæ. *Gen. 28.* In ejusmodi autem visione corporali, ac Imaginariâ 2.

 oportet

oportet hoc ipso intervenire cognitionem quoque intellectualem: Intellectus enim dijudicat & imaginationem, & sensum per hoc, quòd luce intellectuali reflectitur ad sensus; & sic visionem ejusmodi sensibilem non accipit præcisè in ratione Visionis Corporalis, ac imaginariæ, sed in ratione signi ducentis in aliquid Divinum quà cognoscibile sub similitudine, vel proprie-
3. tate sensibilium. ex eodem Alberto *loc. cit.* At inprimis certum est, quòd tales corporales ac imaginariæ visiones, prout sunt in sensu, non attingant Deum, seu Divinum aliquid, *Intelligentiâ enim est opus in Visione. Dan. 10. v. 1.* Sic enim Balthasar, qui articulos scribentis vidit. *Dan. 5.* quid significaretur, per intellectum elicere non valuit, sed Daniel signatum seu Mysterium penetravit. Sic Pharao *Gen. 41.* videns septem vaccas, & septem spicas, lumine intellectûs, quid significaretur, cognoscere non potuit, sed Ioseph, qui spiritum Dei habuit. Constat igitur, Visiones Dei, etsi quandoque oriantur à sensibus, non perfici absque intellectu. At nec istum posse ex ejusmodi corporalibus, ac imaginarijs Visionibus, seu rerum creatarum quibusvis speciebus elicere cognitionem Dei quidditativam patebit. Primò: ex illo *Isaia c. 40. Cui similem fecistis Deum? aut*
4. *quam Imaginem ponetis ei.* Secundò: Quia Visio quidditativa Dei opposita visioni per speculum, & in ænigmate est immediata seu Facie ad Faciem: juxta illud *1 Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Atqui speculum, & ænigma dicitur omnis similitudo, quæ interstat inter videntem, & rem visam. ex Alberto Magno *cit. q. 13. memb. 4. ad penult.* Ergò repugnat Visio Dei quidditativa per similitudinem, seu speciem objectivam.

5. Tertiò. Per similitudinem objectivam Deus est cognoscibilis ex creaturis vel per discursum, vel per contemplationem. Nam intellectus animæ tum à sensibilibus accipit intelligibilem Veritatem, eamque intelligit cum discursu; tum quandoque altiùs elevatus, omnibus animæ operationibus reductis ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis, fit uniformis convolutio intellectualium ejus virtutum, ita ut cessante discursu figatur ipsius intuitus in unius simplicis veritatis contemplatione. ex S. Tho. 2.
6. 2. q. 180. a. 6. At nec ista contemplativa, nec illa discursiva cognitio Divinitatis abyssum & immensum substantiæ Pelagus in ipso Fundo Divini Esse *facialiter* conspicit ac intuetur. Vnde duplicem hunc modum attingendi Deum S. Ioannnes Chrysostomus *Hom. 1. in Ioan.* eleganter descripsit per visum corporeum respicientem ad mare. Sicut enim oculus, quando figitur in littore maris, comprehendit Littus maris terminans; remotus autem à littore in ipsâ superficie maris figitur, & in ejus infinitate diffunditur, nihil videns, quod pelagi terminet infinitatem. Sic intellectus à sensibilibus accipiens intelligibilem de Deo veritatem, ei assentiendo per discursum non ingreditur infinitatem Dei, sed in littore, seu quasi termino conspicit eum sub specie creaturæ, figendo conspectum animæ ad Divinitatis pelagus non nisi modo imperfecto & cum termino cognoscendum. At mentis oculus per uniformem virtutum intellectualium convolutionem elevatus ad simplicem Divinæ Veritatis contemplationem tunc figitur quidem in infinitate, ingrediendo superficiem duntaxat, non autem substantiæ Divinæ pelagus *ut est in se* infinitum contemplando. Quo proinde modo Ioannes Evangelista nos undique removens à creaturis, & quam oculo immateriali contemplabatur, in Divinam immensitatem nos inducens dixit: *In principio erat Verbum*, non determinans, quid, vel quale Principium, quid, vel quale Verbum, quid, vel qualis esset Deus, sed reliquit nos in infinitate non penetrando profunditatem immensi Divinæ substantiæ pelagi, sed in superficie duntaxat id attingendo. 7.

Quartò. Hoc Divinæ substantiæ pelagus infinitum cognoscimus, vel *symbolicè* vel *mysticè*, veluti ex S. Dionysio advertit Albertus Magnus *cit. q. 13. memb. 1. Symbolicè* autem proprietatem Dei noscimus proportione proprietatis corporeæ. At cùm proprietas Divina in infinitum emineat proprietatibus creatis, procedendo *symbolicè* stamus in infinito, & diffundimur in illo, quin substantiæ Divinæ immensum pelagus in profunditate Essentiæ, ut est in se, penetremus. *Mysticè* autem procedimus in Deum per eminentiam: Mystica enim sunt, quæ *per se*, & *primò* conveniunt Deo, *per aliud* autem, & *secundariò* creaturis, veluti Essentia, Vita, & intellectus. ex Alberto Mag. *cit. Memb. 1.* Hæc autem nobis non innotescunt, nisi secundùm quod sunt in creaturis, genere, vel specie, vel numero. At secundùm hoc Esse non conveniunt Deo, sed *eminenter*, ac *excellenter* in infinitum. Hinc enim cum Divino Dionysio dicimus, Deum esse *super Essentiam*, *supersubstantiam*; nec tamen dicere possumus, quantum sit super omnem essentiam: eò quòd intellectus resolutorius non possit pervenire in aliquod Primum, quod non aliquo modo sit de Essentiâ resolutorum & immixtum eis. At Deus nihil est creatorum, sed eminet omnibus *excellenter* in infinitum. Ergò intellectus etiam *Mysticè* procedens in Deum, stat in infinito, & diffunditur in illo, superficiem duntaxat ejus attingendo, non autem ingrediendo Divinam substantiam ut est in se. 8. 9.

Ad difficultatem *n. 1.* oppositam

RESpondetur: Verũ esse, quòd cognitio ænigmatica fidei, ac Donorum Spiritûs S. in viâ, nec non Theologiæ Viatorum attingat immediatè Dei Substantiam. Vnde Deitatem, vel formalitatem increatam Dei esse objectum motivum, ac specificativum ejusmodi virtutum intellectualium. Hoc tamen non sufficere ad Dei cognitionem Quidditativam. Tum quia cognitio ænigmatica attingit Divinam substantiam per disciplinam reflexam, seu discursum; adeoquè secundùm cogitationes volubiles inferentes unum ex alio, uti ex S. Dionysio, & Augustino tradit Albertus Magnus. *cit. q. 13. memb. 4. ad ult.* At visio Divinitatis Quidditativa attingit Essentiam Divinam simpliciter, & uniformiter. Tum quia cognitio quidditativa specificatur ab Essentia sui objecti formalis tanquam *motivo* non *secundùm modum Rationis formalis Qua* duntaxat terminativo, sed secundùm esse suum intelligibile *causativo* vel suiipsius *intentionaliter repræsentativo*. Econtrà verò cognitio Dei abstractiva ita terminatur ad Esse Dei, & ad id, quod est Essentialiter Deus, imò ad ipsam Essentiam Divinam 10. 11.

vinam, ut hanc quidem attingat tanquam *objectum formale*, atque ab ea tanquam motivo per *modum Rationis Formalis Qua* terminativo specificetur, nec tamen istam specificationem *Quoad modum Rationis Formalis sub Quâ* præstet Divina Essentia sub propria sui *Esse intentionalis* ac *intelligibilitatis ratione & quidditate*.

12. Ratio est. Nam intellectus humanus in viâ non habet motivum actuum suorum *causativum* & ut sic *specificativum*, nisi sensibilem quidditatem virtute, & abstractione intellectûs agentis factam intelligibilem. Nec intellectus Angelicus, ejusque actus connaturaliter, tanquam ad *motivum Causativum*, & ut sic *specificativum* se extendunt ultra quidditatem spiritualem creatam, in ratione intelligibilitatis sibi proportionatam, & in speciebus sibi congenitis repræsentatam.

13. At cognitio *abstractiva* distinguitur contra *Quidditativam*, quòd huius *motivum efficienter causativum*, & ut sic *specificativum* sit Essentia rei secundùm Esse intelligibile *formaliter*, aut *eminenter* ipsius repræsentativum: illa verò non pendeat *causativè*, ac *efficienter* ab Esse intelligibili proprio rei intellectæ. Et hinc dici solet, quòd cognitio *abstractiva* fiat per speciem duntaxat alienam: *Quidditativa* verò cognitio fiat per propriam vel speciem, vel ipsam rei intelligibilem quidditatem. Constat igitur, cur ænigmatica cognitio attingens Divinam Essentiá sub ratione *efficienter* motivá quidditatis à sensibilibus abstractæ, vel ad summum spiritualis creatæ, non sit quidditativa: siquidem hujus sit proprium, pro suo vel *formaliter*, ac *identicè*, vel saltem *efficienter* & *causaliter* specificativo objecto habere ipsammet Quidditatem Divinam, tanquam *rationem Formalem non Qua duntaxat, sed etiam sub Qua*.

CONTROVERSIA II.

An Divina Essentia possit videri, vel de facto videatur mediante specie impressâ?

1. GAndavensis *in sum. a. 33. q. 2. ad 3.* Ægidius à Præsentatione *lib. 8. de Beatit q. 3. a. 3. §. 1. cum pluribus à se relatis* affirmant; de facto dari in Beatis speciem Impressam Divinæ Essentiæ. Probatur ex illo *2. ad Corinth. 5. Per fidem ambulamus, non per speciem.* Ex hoc namque patet, visionem Patriæ opponi cognitioni Fidei, quòd illa sit

2. per speciem, non verò ista. Huc referri potest sententia Vasquezij *præs. disp. 39. c. 1. n. 5. & disp. 43. c. 6. & 7. & 3. p. disp. 54. c. 2. n. 5.* & Alarcon *tract. 1. de visione Dei disp. 3.* non distinguentium speciem Dei Impressam à lumine gloriæ, eò quòd de ratione speciei non sit, se tenere ex parte objecti, id repræsentando, sed potiùs ex parte potentiæ eam determinando. Verùm hujus opinionis falsitatem nullo nixam fundamento solidè redarguendam reijcimus in sequentem Articulum, ubi ex professo disseremus de Lumine gloriæ.

3. Richardus *in 3. dist 14. a. 1. q. 3.* Aureolus *quodl. 8. a. 2.* Argent. *in 3. dist. 14. q. 1. a. 1. ad 3.* Mayron. *Quodlib. 4. in fine.* Speciei illius Impressæ possibilitatem ex judicio saltem probabili adstruunt. Quibus absolutè, & sine ulla hæsitatione accedunt Molina. *præs. q. 12. a. 2. disp 1.* Suarez *disp. 30. Metaph. sect. 11 n. 27. & lib. 2 de Attribut. negativis. c. 13.* Vasquez *præs. disp. 48. c. 2. & cit disp. 43. c. 7.* Valentia *tom. 1. disp. 1 q. 12. punct. 2.* Salas *1. 2. tract. 2. disp. 5. sect. 2. n. 29.* Fasolus *præs. q. 12. a. 2. dub. 10.* Gammachæus Sorbon. *Comment. in præs. q. 12. c. 2. Conc. 23* Ylambertus Sorbonicus *ad cit. q. 12. disp. 5. a. 3.* Petrus à S. Ioseph. *lib. 1. de Deo c. 8. resol. 2.* asserentes; possibilem saltem speciem impressam, per quam Essentia Divina intuitivè videri possit. Fundamentum hujus Sententiæ potissimum deducitur ab Ysamberto *loc. cit.* Nam 4.
in specie impressâ quâ specie duo duntaxat continentur, nimirum *similitudo* seu *repræsentatio*, & *Efficientia*. At ex parte efficientiæ nulla est repugnantia speciei, cùm de facto detur lumen gloriæ *efficienter* influens in Visionem Beatificam. Neque ex parte *repræsentationis* seu *similitudinis* in specie Dei impressâ resultat implicantia: quia de facto datur in Beatis species Expressa Divinæ Essentiæ, seu Verbum mentis. In hoc verò major, ac perfectior est *similitudo* objecti, quam in specie Impressâ, quia hæc est repræsentatio solùm effectiva, illud verò formalis, utpote *formaliter* repræsentans Divinam Essentiam. Si ergo possibilis sit species expressa Divinæ Essentiæ, minùs repugnabit species Impressa Dei.

Divinæ Essentiæ speciem prorsus impossibilem censent S. Thomas *præs. q. 12. a. 2. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 1. & 3. cont. gentes. c. 49. & 51.* Item *De Verit. q. 8. a. 1. & q. 10. a. 11. nec non Quodlib. q. 7. a. 1.* Ferrariensis *1. cont. Gentes. c. 43.* Capreolus *in 4. dist. 49. q. 5. a. 1. concl. 1* Cajetanus, Bannes, Sylvester, Hieronymus de Medices, & Marcus Serra *in 1. p. loc. cit.* Nazarius *præs. a. 2. cont. 1.* Ioannes à S. Thomâ *hic disp. 13. a. 3.* Petrus Labat *1. p. disp. 4. dub. 2. §. 1.* Ioannes Baptista Gonet *præs. tract. 2. disp. 2. §. 3.* Philippus à S. Trinitate *disp. 2. de Visione Dei. dub. 2.* Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo. disp. 20. c. 4.* Franciscus Amicus *tom. 1. disp. 9. sect. 4.* pluribus alijs allegatis. 5.

CONCLUSIO I.

DE facto non datur species Impressa Divinæ Essentiæ.

Probatur. Ubi non intervenit specialis revelatio, tenendum est, Deum operari modo magis connaturali. At quando objectum respectu alicujus intellectûs est per se ipsum intelligibile, magis connaturale est, quòd immediatè ad sui visionem concurrat. Sic enim substantia Angeli, tametsi mediante specie impressâ sit repræsentabilis in mente alterius Angeli, tamen respectu proprij intellectûs, cui per se ipsam est conjuncta, non esset connaturale, quòd mediante sui specie constitueretur intelligibilis. At quia Deus est summè immaterialis, est maximè intelligibilis respectu intellectûs non proprij duntaxat, & increati, sed respectu intellectûs etiam creati lumine gloriæ elevati. Ergò posito; quòd species Dei impressa esset possibilis, tenendum adhuc foret, non dari de facto ejusmodi speciem in intellectu Beati. 6.

Dices: Intellectum non cognoscere connaturaliter objectum aliquod, nisi priùs fiat ipsum in Esse intelligibili. Ex Aristotele *1. de anima. c. 2. tex. 25. & 26. & cap. 5. tex. 76.* Quo adeò sensu idem 7.

idem Philosophus *3. de animâ. c. 4. 5. 7. 8. & alibi* sæpè dicit, Animam fieri omnia per assimilationem nimirum objectorum. Hæc autem assimilatio antecedens intellectionem, est species Impressa. Si ergò simile non cognoscitur nisi à simili, juxta commune Axioma allegatum à S. Thomâ *1. p. q. 84. a. 2.* consequenter magis connaturale est, videre Deum mediante specie impressâ, per quam intellectus creatus Essentiæ Divinæ in Esse intelligibili assimiletur.

8. Contra: Assimilatio intellectûs ad objectum fit per unionem potentiæ & objecti non in Esse reali, sed *intentionali*, seu *intelligibili*, ac *repræsentativo*. Hæc verò *in Esse intelligibili* unio non fit per inhærentiam seu impressionem, ac informationem alicujus formæ: sic enim species sensibiles *physicè* inhærent aëri, quin illarum objecta dicantur *intentionaliter*, seu *repræsentativè* esse in aëre, ad hanc enim denominationem requiritur, quòd objectum sit determinativum, & *Causaliter* specificativum visionis, seu cognitionis. Unde potentia cognoscitiva dicitur *in Esse intentionali* fieri ipsummet objectum, quatenus istud sive *immediatè*, sive *mediante specie impressâ* conjungitur cum potentiâ, tanquam principium *Effectivè* determinativum, atque adeò *Causaliter*

9. specificativum notitiæ. Atqui Essentia Divina non tantùm *formaliter* per summam identitatem est specificativa intellectionis Divinæ increatæ, sed etiam ad extra respectu intellectûs creati lumine gloriæ elevati habet vim perfectissimæ intelligibilitatis objectivæ. Hæc autem Divinæ Essentiæ intelligibilitas objectiva, cùm purissimæ actualitatis rationem habeat, est per se ipsam potens tanquàm motivum *Causaliter*, seu *efficienter* specificativum influere in sui cognitionem. Ergò Essentia Dei, quatenus in ratione principij *Effectivè*, seu *Causaliter* determinativi ac specificativi conjungitur cum intellectu Beati, hunc constituit *intentionaliter*, seu *intelligibiliter* in Esse Divino. Ergo in intellectu Beati superflua foret species Dei impressa. Ergò hæc non datur de facto.

CONCLUSIO II.

Implicat species Impressa Essentiæ Divinæ.

10. Probatur. Speciei Impressæ ratio formalis est facere objectum *proximè*, & *actu* intelligibile. At implicat, Divinam Essentiam constitui intelligibilem *actu* per formam creatam. Ergò implicat forma creata, quæ sit species impressa Divinæ Essentiæ. Minor probatur argumento S. Thomæ *3. cont. gent. c. 51.* Intellectûs perfectio est Verum. Ergò in tantum est aliquid intelligibile, in quantum est verum. At verum sequitur ad Esse. Ergo quod est suum Esse, est ipsa actualissima Veritas. Ergo quia Deus est suum Esse, per Essentiam suam *actualissimè* est intelligibilis. At implicat, perfectionem *per se*, ac *intrinsecè* inexistentem Divinæ Essentiæ convenire eidem per formam creatam. Cùm igitur speciei impressæ sit, constituere objectum *actu* intelligibile; Essentia verò Divina *per se* sit *actualissimè* intelligibilis, consequenter implicat ejus species impressa.

Dices Speciei Impressæ ratio est, objectum *actu* constituere intelligibile, illud repræsentando, ac ejus vice concurrendo *effectivè* ad visionem, seu cognitionem. Hæc autem ratio repræsentationis, & concursûs effectivi respectu Visionis Dei non videtur ita propria Divinæ Essentiæ, quin formæ alicui creatæ instar aliarum Divinarum perfectionum communicabilis sit. Minor Probatur. Omnis perfectio Divina eatenus est ad extra communicabilis, quatenus in sui quà participatæ conceptu formali non importat rationem actûs puri, infinitatis, & Aseitatis. At ex hoc, quòd species creata esset repræsentativa Essentiæ Dei, prout est in se, non sequeretur, esse *formaliter*, & *intrinsecè* actum purum & infinitum in Essendo: Sicuti species quoque substantiæ creatæ potest hujus esse repræsentativa *Quidditativè* quin *formaliter* sit substantia. Quare ut species aliqua creata esset similitudo Essentiæ Divinæ, ut est in se, repræsentativa, sufficeret, *Terminativè*, & *Objectivè*, adeoque *extrinsecè* esse actum purum, & infinitum in essendo. Hoc autem nihil aliud foret, quàm habere pro objecto repræsentato actum purum. At ex hoc nullam argui implicantiam in specie creatâ, constat ex eo, quòd etiam visio, & lumen gloriæ habeant per objecto specificante Essentiam Divinam tanquàm purissimum & infinitum actum. Ergò nulla apparet implicantia in specie creatâ Essentiæ Divinæ. Ex Suarez *lib. 2. de Attrib. Neg. c. 13. n. 20.* Et Vasquez. *præs disp. 38. c. 4.* 11. 12.

Contra. Nam 1. Esse intelligibile cujuslibet Entis est *Transcendentaliter* consequens modum Essendi realem, ac Entitativum. Ergo substantia creata, sicuti secundùm Esse reale Entitativum, sic secundùm Esse quoque intelligibile importat potentialitatem mediante formâ accidentariâ perfectibilem. At verò substantia, & Essentia Divina est suum Esse. Ergò Esse quoque intelligibile Essentiæ Divinæ est purissima, adeoque infinita actualitas. At implicat, actum, qui est purissima intelligibilitas, seu infinita Essendi actualitas, constitui intelligibilem per formam creatam. 13.

2. Ratio repræsentationis, & concursûs effectivi in specie nihil aliud est, quàm actualitas intelligibilitatis, seu forma constitutiva objecti in Esse intelligibilis completi, ac perfecti. Si ergò cujuslibet Entis intelligibilitas *Transcendentaliter* sequitur modum ejus Essendi, consequens est, Enti per Essentiam, seu actui in Essendo infinito, ac purissimo non posse convenire intelligibilitatem aliquam, nisi hæc in ratione tam Entis, quàm intelligibilis sit *formaliter* suum Esse actualissimum, incircumscriptum, ac infinitum in essendo. Ex S. Thomâ *præs. q. 12. a. 2.* At ista ratio Entis infiniti, & actualissimi *directè* pugnat cum ratione Entis creati. Ergò implicat similitudo, seu species creata Divinam Essentiam, prout est in se, secundùm Esse intelligibile repræsentans. Unde patet differentia inter lumen gloriæ, & speciem Dei impressam. Hæc enim *formaliter* esset Divinæ Essentiæ secundùm Esse intelligibile perfectiva, unde ex conceptu suo formali supponeret Divinam Essentiam imperfectam quoad Esse intelligibile, seu quoad rationem Veritatis Transcendentalis; Illud verò est primæ lucis, seu Divini intellectûs participatio, quin hunc supponat imperfectum: Sicuti Vi- 14. 15.

cuti Viſio quoque Dei eſt modus Divinam Eſſentiam, *ut eſt in ſe*, vitaliter attingens, quin vel ex parte Eſſentiæ Divinæ imperfectionem aliquam, vel ex parte ſui infinitatem, & actualitatem Eſſendi arguat. Conſtat igitur, ſpeciem Dei impreſſam, non autem lumen gloriæ, ac Viſionem Dei involvere implicantiam. Ex S. Thomâ *cit. a. 2.*

Reſponſio ad fundamenta contraria.

16. AD *n. 1.* oppoſitum Reſpondetur cum Alberto Magno *cit. tract. 3. q. 13. memb. 4.* quòd videre per ſpeciem ſit videre per Eſſentiam. Ergò viſio Patriæ, quatenus eſt per ſpeciem, opponitur cognitioni fidei, quæ eſt per ſpeculum, in ænigmate. Hæc autem cognitio fidei ænigmatica, licèt Deum *immediatè* attingat tanquàm motivum *per modum Rationis Formalis Qua* Terminativum, atque ut ſic ſpecificativum, ſeu diſtinctivum fidei à Prudentiâ infusâ, attamen Divina Eſſentia ad eam non concurrit in ratione objecti tanquam motivum Cauſativum, & ut ſic *per modum rationis ſub Quâ* ſpecificativum, ſed Fidei objecta ſub obſcura Dei revelatione latentia proponuntur per ſpecies alienas à ſenſibilibus virtute intellectûs agentis abſtractas. Eſt igitur Viſioni Patriæ proprium, quòd ſit per ſpeciem, ſive per Eſſentiam Divinam, quatenùs hæc in ratione Motivi non *per modum Rationis Qua* duntaxat Terminativi, ſed *Effective* Cauſativi determinat, atque ut ſic *per modum Rationis ſub Qua* ſpecificat Viſionem Beatificam.

17. Ad fundamentum Yſamberti *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur: Quòd implicantia ſpeciei Divinæ Eſſentiæ ex duplici capite oriatur. 1. Ex actualitate puriſſimâ intelligibilitatis Divinæ. Ex hâc enim actualitate naſcitur, quòd Divina Eſſentia non poſſit per formam creatam conſtitui in ratione actualis, & proximi intelligibilis. At verò Eſſentia Dei, licèt per formalitatem Veritatis *Tranſcendentaliter*, & *intrinſecè* ſibi inexiſtentem ſit actualiſſimè intelligibilis, non tamen eſt per ſe ipſam intellecta, ſeu viſa ab intellectu creato, quin creata, reſpectu Dei Tranſiens actio superveniat. Ergo ex illo capite non apparet ſaltem evidenter implicantia ſpeciei Dei Expreſſæ

18. producibilis per iſtam actionem. 2. Speciei Dei impreſſæ repugnantia deſumitur ex ratione repræſentationis, ſecundùm quam ſpecies ejuſmodi deberet *intentionaliter*, ſeu *intelligibiliter* continere ipſum Eſſe Divinum. Ex quo adeò fundamento implicare Divinæ Eſſentiæ ſpeciem quoque Expreſſam; mox patebit.

CONTROVERSIA II.

An in Viſione Beatificâ formetur Verbum, per quod videatur Divina Eſſentia?

1. AFfirmat Verbum ejuſmodi ſaltem poſſibile Divus Bonaventura *in 1. diſt. 3. p. 1. q. 1. ad ult.* Durandus *diſt. 27. q. 2. n. 20.* Gammachæus *præs. q. 12. c. 2. conc. 1.* Yſambertus *cit. a. 3. n. 5.* Suarez *lib. 2. de attrib. negat. c. 11.* Molina *præs. a. 2.* [illegible] *diſp. 1.* Vaſquez *diſp 38. c. 2.* Faſolus *ad cit. a. 2 dub.*

2. *3.* Eandem ſententiam ex Thomiſtis problematicè adſtruunt Capreol. *in 4. diſt. 49. q. 5.* & Ferrar. *1. cont gent. c. 53. §. Quinta e?.* Fundamentum eſt 1. ſpecies expreſſa, ſive Verbum mentis eſt ſimilitudo, ſeu forma inhærens animæ, objectum formaliter menti manifeſtans, ſeu repræſentans. Atqui talem formam in Beatis eſſe ipſammet Divinæ Eſſentiæ Viſionem, evincitur ex illo 1. *Joan. 3. Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Etenim *apparere* eſt manifeſtari. Deus autem apparendo menti Beatæ ſecundùm verba ſacræ Scripturæ facit hanc ſibi ſimilem. At ideo erimus Deo ſimiles, *quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Ergò viſio Dei eſt ſimilitudo Naturæ Divinæ manifeſtativa. Ergo eſt ſpecies Expreſſa, ſeu Verbum Dei manifeſtativum,

3. ſive Expreſſivum. 2. Quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quòd intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectivâ proveniens, & ex ejus notitiâ procedens, diciturquè Verbum Cordis. S. Thom. *1. p. q. 27. a. 1.* Atqui Viſio Divinæ Eſſentiæ eſt *formaliter* intellectio. Ergo ex hâc procedit Verbum ſeu ſpecies Expreſſa. De quo Verbo D.

4. Auguſtinus *15. de Trinit. c. 16.* atteſtatur: *Illud quoque fatendum eſt; quòd etiam, cùm ſimiles ei erimus, quando videbimus eum, ſicuti eſt, nec tunc natura illi erimus æquales. & tunc quidem Verbum noſtrum non erit falſum, quia neque mentiemur, neque fallemur, & in illa Viſione non erunt volubiles cogitationes noſtræ ab illâ in aliam redeuntes.*

5. Econtra Verbum creatum Divinæ Eſſentiæ, ut eſt in ſe, repræſentativum eſſe poſſibile, negant S. Thomas *præs. a. 2.* Caietanus. *ibi §. Adverte.* & *q. 27. a. 1. ad 3. dub* Bannes *eod. a. 2.* Nazarius. *cont. 2.* Joannes à S. Thomâ *hic diſp. 13. a. 5.* Serra *in cit. a. 3. §. Mihi autem.* Gonet *tract. 2. diſp. 2. a. 2.* Philippus à S. Trinit. *de Viſione Dei. diſp. 2. dub. 7.* Franciſcus Amicus *to. 1. diſp. 9. ſect. 3.* & alij.

CONCLUSIO.

IMplicat ſpecies Expreſſa, ſeu Verbum creatum Divinæ Eſſentiæ, ut eſt in ſe, repræſentativum.

6. Probatur. Eſſentia ſpeciei expreſſæ, ſeu Verbum mentis conſiſtit in ratione imaginis *formaliter actu* repræſentantis intellectui objectum, id ſiſtendo *intentionaliter* intra intellectum, atque huic *intelligibiliter* uniendo, per modum termini actualis intellectionis. Hæc autem ratio imaginis, & repræſentationis eſt *formaliter* ipſa entitas ſpeciei Expreſſæ, ſeu Verbum mentis. At omnis formæ creatæ entitas eſt *formaliter* intrinſecè finita. Si ergò daretur Eſſentiæ Divinæ ſpecies expreſſa creata, hæc in ratione imaginis, & repræſentationis eſſet in ſe *formaliter* finita. At imago finita non poteſt Eſſentiæ infinitæ, quatenus eſt in ſe, eſſe repræſentativa. Ergò non eſt poſſibilis ſpecies Expreſſa Divinæ Eſſentiæ.

7. Reſpondebis: Ex hoc diſcurſu ſolùm inferri, quòd imago finita non poſſit *adæquatè* & *comprehenſivè* eſſe repræſentativa Eſſentiæ actu infinitæ. Nihilominùs ſicut Eſſe reale Naturæ Divinæ poteſt à formis creatis Gratiæ v. g. Habitualis & Luminis gloriæ *analogicè* & *inadæquatè* participari: ſic non implicare, quo minùs Eſſe

Dei repræsentativum intellectioni Divinæ quâ *comprehensivè* suam Essentiam intuenti perfectè, & absolutè conveniens, secundùm *inadæquatam* Visionis non *comprehensivæ* rationem, adeoquè *analogicè* communicari possit creatæ formæ ac speciei Expressæ Deum, ut est in se, *formaliter actu* repræsentanti creato intellectui. Cujus ratio afferri potest. Quia ratio illa imaginis, seu repræsentationis consistit in similitudine intentionali speciei expressæ ad rem repræsentatam.
8. At similitudo ejusmodi non fundatur in omnimodâ vnitate, seu convenientiâ, sed in aliquâ proportione, & commensuratione ad rem intellectam. Ejusmodi verò similitudo proportionis seu analogiæ ad Divinam substantiam non excedit metas formæ creatæ.

9. Contra: Nam alia est ratio similitudinis secundùm assimilationem effectûs ad causam, alia verò est ratio similitudinis per repræsentationem Divinæ Essentiæ, quatenus est in se. Etenim Lumen gloriæ, quatenùs est forma tribuens potentiam videndi Divinam Essentiam, eâque fruendi, juxta prioris generis assimilationem est quidem participatio Naturæ, & Intellectûs Divini. Hæc tamen assimilatio, eo ipso, quòd sit effectûs ad causam, non est simpliciter secundùm Esse. Hoc enim respectu luminis Gloriæ est accidentarium, respectu verò intellectûs Divini est essentialiter per se, & à se subsistens. Vnde patet, Esse reale Divinæ substantiæ secundùm Essentiam quatenùs in se, & à se per modum actûs puri subsistentem non esse par-
10. ticipabile à formis creatis. Atqui Esse repræsentativum Divinæ substantiæ æquali proportione Esse participabile à formâ creatâ, in quantum ejusdem substantiæ Esse reale communicabile est, arguit responsio Adversariorum. Ergò quia Essentia Divina, prout est in se, non est communicabilis formæ creatæ, nec consequenter ejusdem Essentiæ, prout est in se, Esse repræsentativum est participabile à formâ, seu specie creatâ.

11. Confirmatur. Nam similitudo repræsentativa est in se *repræsentativè* imbibens id, quod in se objectum est *realiter*. Vnde dicitur *intelligibiliter* esse ipsum objectum. At hæc ipsa continentia objecti *in Esse intelligibilis* est quidditas, & Esse [illegible]ria illius similitudinis, seu speciei. Ergò Esse reale istius speciei *formaliter* est rei repræsentatæ seu objectæ *quoad Esse intelligibile* continentia. Ex hoc autem fit consequens, speciem intentionalem *quoad suum Esse reale* esse in illo ordine Entis, in quo ordine est intelligibilitas rei objectæ, seu repræsentatæ. Atqui intelligibilitas actûs puri est *formaliter realiter* actus purus. Ergò ejus quoque species tam Impressa, quàm Expressa seu similitudo repræsentativa est in ordine & rati-
12. one actûs puri, seu infiniti. Constat igitur, similitudinem Divinæ Essentiæ, prout est in se, repræsentativam, non esse proportionis duntaxat, & analogiæ, sed omnimodæ convenientiæ, & unitatis: nec adeò *Esse Dei*, prout est in se, *repræsentativum*, sed ejus duntaxat repræsentabilitatem [illegible], & ex creaturis esse ad extra communicabilem.

13. Replicabis: Esse repræsentativum in Verbo mentali nihil aliud est, quàm actus per sui unionem cum intellectu constituens hunc *formaliter* intelligentem, ac denominans objectum intellectum, seu cognitum. At per Verbum, seu intellectionem increatam non potest intellectus *formaliter* constitui intelligens, nec potest Essentia Divina uniri intellectui creato. Ergò in intellectu Beati videntis Divinam Essentiam, oportet adstruere formam aliquam creatam, quæ sit terminus actionis intelligendi, & per quam intellectus constituatur *formaliter* intelligens. Hæc autem forma est Verbum mentis, seu species Expressa, attestante Divo Thomâ *q. 4. de Verit. a. 2. Quòd Verbum intellectûs nostri sit id, ad quod operatio intellectûs nostri terminatur.*

Contra: Nam alia est vnio formæ per inhærentiam, seu informationem, alia verò est unio secundùm terminationem vel hypostaticam, vel intentionalem, & intelligibilem. Etsi verò impossibile sit, Essentiam Divinam uniri intellectui creato *per modum inhærentiæ, seu informationis*, sicuti tamen Verbum Divinum *Hypostaticè* unitur naturæ humanæ Christi hanc terminando in ratione suppositi, sic non repugnat, Essentiam Divinam, & ipsam Dei intellectionem increatam, seu Verbû æternum *intelligibiliter* uniri intellectui creato. Probatur hoc assumptum. 14.
Hæc namque unio intentionalis in eo sita est, quòd Essentia Divina, seu Verbum increatum sit Terminus *vitaliter* attactus à visione intellectûs creati. Hunc autem vitalem, seu intentionalem contactum respectu Essentiæ Divinæ, ac Verbi increati intellectus lumine gloriæ elevatus præstat, non formando seu exprimendo, vel efficiendo Verbum, sed in hoc tanquàm termino intrinseco, sive immediato objecto Divinam Essentiam, prout est in se, contemplando. Probatur istud assumptum. Nam verbum intellectûs in nobis duo habet de sua ratione, scilicet quòd est intellectum, & quòd est expressum, S. Thomas *cit. q. 4. de Verit. a. 2.* Atqui licet Divina Essentia non sit expressa ab intellectu Beato, nec per hunc sit producta, quæ proinde non simpliciter habet respectu intellectûs Beati rationem Verbi: Nihilominùs est visionis Beatificæ terminus *immediatè* intellectus se ipsam in se *expressè* & *actu* repræsentans. Quo adeò sensu S. Doctor *præs. q. 12. a. 2. ad 3.* ait, Divinam Essentiam uniri intellectui creato, ut intellectum in actu. Constat igitur, Essentiam Divinam respectu intellectûs Beati habere quodammodò rationem Verbi, constituendo intellectum *formaliter* intelligentem, non per *modum formæ inhærentis*, ac *informantis*, sed *per modum termini* non quidem *producti*, sed *intentionaliter immediatè attacti* per actionem Visionis Beatificæ. Vnde eandem Essentiam Divinam per se ipsam denominari *intrinsecè* intellectam, etsi ab ipso actu visionis non tanquàm Verbo, seu specie expressâ, sed tanquàm contactu vitali, & intentionali possit etiam *extrinsecè* denominari visa. 15. 16. 17.

18. Instabis: Repugnat actio visionis sine termino producto. Hoc autem est verbum mentis, seu species Expressa, quæ est medium *Quo* cognoscendi objectum, non autem medium *in Quo* tanquàm imagine repræsentatur objectum. Ergò in Visione Beatifica necessariò admittenda est species expressa per informationem, seu inhæsionem sui constituens intellectum Beati *formaliter* videntem, seu *intuitivè* intelligentem Divinam Essentiam.

19. Contra: Nam actus immanentes licèt *virtualiter*, ac *eminenter* habeant rationem actionis, *formaliter* tamen non tam sunt de prædicamento

mento actionis, quàm qualitatis, Divo Thomâ *1. cont. gent. c. 100.* asserente, *per actionem immanentem non fieri aliud praeter ipsam operationem, sicut in videre, vel audire, & ita comparari ad operantem non sicut viam ad aliquid operatum, & factum.* Ex quo consequens est, intellectionem quatenus est actus, & operatio intellectûs per se non exigere terminum productum, nec ad istum tanquam distinctum se habere in via causalitatis, sed petere potiùs terminum tanquàm proximum, & intrinsecum suum objectum. Istud verò objectum S. Thomas *in opusc. 14.* dicit *intellectum principale*, utpote in quo res intelligatur, atque cernatur. Hoc verò ipsum *principale intellectum* esse Verbum interiùs formatum in animâ, adeoquè comparari ad intellectum *non sicut, quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit, ita ut in isto sic formato videat intellectus Naturam rei intellectae*, testatur idem S. Doctor. *Opusc. 13.*

10. Atqui impossibile esse, Divinam Essentiam in Entitate creatâ tanquam Medio *in quo* repraesentari, ac videri, prout est in se, demonstratum est *cont. 1. praes. a. 2.* probatquè S. Doctor *hic art. 2.* authoritate Div. Dionysij *de Div. Nom. c. 1. circa initium* asserentis, per similitudines rerum Ordinis inferioris nullo modo posse *intuitivè* seu *Quidditativè* cognosci superiora, Consequens igitur est, non esse possibilem speciem Expressam creatam DivinaeEssentiae, prout est in se, repraesentativam.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

11. Ad *n. 2.* oppositum argumentum Respondetur ex S. Thomâ *praes. a. 2.* Cùm apparuerit Deus, fore nos ipsi similes per Primae lucis, seu intellectûs Divini *analogicam* Lumini gloriae communicatam participationem. Ex hâc verò in nostrum intellectum infusâ Divinâ luce fore, ut Essentia Dei in ratione termini *vitaliter* attacti per Visionem Beatificam *intentionaliter* uniatur intellectui nostro, atque adeò anima nostra *intelligibiliter* in se transferat ipsam Divinitatis substantiam: Unde futuros nos tunc Deo similes tum *realiter secundùm analogicam* Primae lucis, & naturae Divinae Lumini gloriae communicatam participationem, tum *intelligibiliter* secundùm Essentiae Divinae per Visionem Beatificam *in se quoad Esse suum increatum immediatè* attactae Unionem *intentionalem.*

12. Ad *n. 3.* oppositum Respondetur: Illam Divi Thomae propositionem: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso, quòd intelligat, procedit intra ipsum Verbum*, non esse accipiendam *in sensu formali*, vel in *suppositione pro singulis generum*; quasi ratio intellectionis in omni intelligente supposito *formaliter* importet Verbum ab ipso expressum: Nam Filius & Spiritus Sanctus verè intelligit, quin exprimat, seu producat Verbum. Est igitur accipienda illa propositio *in sensu accommodo*, & *in suppositione pro generibus singulorum*, ita ut nulla sit natura intellectiva; quae non sit principium exprimendi, seu producendi Verbum modo suo Essendi commensuratum, ac proportionatum. At verò Verbum Divinae Essentiae, ut est in se, repraesentativum, omnis formae creatae modum Essendi *infinitè* excedere, constat ex dictis. Ergo intellectus creatus non potest unquam Lumine gloriae in tantum elevari, ut valeat in se producere Verbum Divinae Essentiae *Quidditativè* repraesentativum, sed ipsum increatum Dei Verbum seu Essentiam Divinam *intentionaliter* ad se trahendo, facit illud sibi proprium, ac suum. Quo adeò sensu rectè S. Augustinus ait, quando videbimus Deum sicuti est, tunc *Verbum nostrum*, Verbum nimirû Divinum vi contactûs intentionalis, seu vi contactûs visionis in nos transfusum, adeoquè *intelligibiliter* nostro intellectui unitum, *non fore falsum, adeò ut illi invariabiliter inhaerendo, neque mentiri, neque falli possimus.*

ARTICULUS III.

DE

Lumine Gloriae.

Inter Catholicos non potest stare dubium de existentiâ Luminis gloriae in Beatis, Concilio Viennensi, prout refertur *in Clement. Ad nostrum. de Haereticis.* damnante erroris quorundam doctrinam asserentium. *Quòd qualibet intellectualis Natura in se ipsâ naturaliter sit Beata, quodquè anima non indigeat lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Superest igitur difficultas duntaxat de Essentia, & ratione nec non effectu formali, ejusque in Beatificam Essentiae Divinae Visionem influxu; quae *sequentibus Controversijs* expedientur.

CONTROVERSIA I.

In quo consistat ratio, & quidditas Luminis Gloriae?

Scotus *in 4. dist. 49. q. 11. n. 9. & 10.* docet, animam humanam non posse quidem ex naturalibus elicere visionem Dei, quòd Deum nec in se, nec in eminentiori habeat sibi praesentem: imò nec ex naturâ suâ habeat virtutem seu potentiam faciendi Divinam Essentiam facialiter sibi praesentem: Nihilominùs ad Visionem Dei non videri necessarium Lumen gloriae. Probatur: Nam istud lumen vel requireretur ex parte subjecti ad recipiendam Visionem Beatificam. At nulla in potentiâ sive intellectivâ, sive volitivâ, ad formae supernaturalis receptionem praerequiritur supernaturalis dispositio, cùm aliàs daretur processus in infinitum. Vel lumen illud exigeretur ex parte objecti. At quantò objectum est magis in se lux, tantò minùs propter ipsum requiritur de lumine. Vel denique Lumen gloriae esset ad Visionem Dei praerequisitum ex parte potentiae: hoc autem perinde foret, ac si diceretur de lumine naturali corporali; non tantùm requiri propter objectum, sed propter oculum. At haec locutio est tantùm Metaphorica. Non igitur videtur adstruendum Lumen gloriae distinctum à Visione Beatificâ, sed haec ipsa communicata intellectui Beatorum, hunc non *in ratione principij Effectivi*, sed *in ratione principij formalis* elevando, & *formaliter* constituendo videntem Essentiam Dei, habet rationem Luminis gloriae. De quo adeò lumine intelligi posse *Clementinam citatam* innuit Author Scholiorum *in cit. Scoti q. 11. n. 9.* 1.

P 2 Vasquez

2. Vasquez *præs. disp. 39. & 43. præsertim c. 5.* affirmat, Lumen gloriæ in Beatis exercere munus speciei intelligibilis, supplendo concursum objecti. Probatur. Quoties ad unum effectum concurrunt plures Causæ inter se non subordinatæ, singulis respondere debet in effectu peculiaris ratio, & formalitas. In visione autem tres distinguendæ sunt formalitates, Vitalitatis, Supernaturalitatis, & Expressionis Divinæ Essentiæ. Atqui ratio Vitalitatis respondet Potentiæ intellectivæ: ratio autem expressionis Essentiæ Divinæ est ex virtute objecti specificantis visionem in ratione Motivi non tantùm *Terminativi*, sed *Causativi* determinantis ad sui expressionem, seu repræsentationem formalem. At in hanc ipsam objecti quoad substantiam supernaturalis causalitatem reducitur Visionis Dei supernaturalitas. Ergò præter intellectum non occurrit alia causa influens in Visionem Beatificam, nisi teneat se ex parte objecti. Oportet igitur Lumen gloriæ, quatenus cum intellectu *efficienter* concurrit ad illam Visionem, tenere vices objecti, seu Essentiæ Divinæ, adeoque habere rationem speciei impressæ.

3. Ex Doctore Angelico *hic a. 2. & 5.* tradunt plerique Theologi, nominatim Thomistæ; Lumen gloriæ esse qualitatem supernaturalem intellectui infusam, ad conferendum robur, ac vires supernaturales, quibus compleatur in ratione potentiæ.

Conclusio I.

Lumen gloriæ non est ipsa Visio Beatifica.

4. Probatur. Visio Dei est operatio vitalis, seu vita in actu secundo juxta illud *Ioan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.* Et *Ioan. 10. Ego vitam æternam do eis.* At operatio vitalis *effectivè* procedit à potentiâ vitali: intellectus verò creatus ex suis naturalibus est improportionatus ad producendam *effectivè* Visionem Dei. Ergò antecedenter ad istam oportet adstruere formam, seu causam supernaturalem, virtute cujus elevetur & proportionetur intellectus ad videndum Deum. At hæc ipsa forma visionis Dei causativa est Lumen gloriæ. Probatur istud

5. assumptum. Nam lumen Gloriæ esse necessarium tanquàm elevans ad Deum videndum, definit Concilium Viennense *in cit. Clement. Ad nostrum. de Hæreticis.* Ex hoc autem innuitur, Lumen istud importare aliquid prævium, & antecedens Visionem. Ergò lumen gloriæ non est ipsa Visio Dei. Confirmatur ex ipso subtili Doctore *in 3. dist. 14. q. 1. n. 1.* fatente, *quòd habitus supernaturalis sit præsuppositus ad actum Visionis supernaturalem.* Omnis namque Visio requirit lumen proportionale prius naturaliter ipsâ Visione; Sicut ergò visio naturalis requirit lumen naturale aliud à se, & prius ipsâ; sic visio supernaturalis requirit lumen supernaturale aliud ab ipsâ, & prius eâ, veluti Scotus *ibid. arg. 2.* argumentatur.

Conclusio II.

Lumen gloriæ non exercet munus speciei Impressæ.

Probatur. Quia species intelligibilis quatenus fœcundat, & actuat intellectum, supponit 6. istum in ratione potentiæ completum, & perfectum. At intellectus creatus *antecedenter* ad infusionem Luminis gloriæ non est completus, & perfectus in ratione potentiæ videndi Divinam Essentiam. Ergò luminis gloriæ infusio in intellectu creato præsupponitur ad Essentiæ Divinæ speciem intelligibilem. Ergò lumen gloriæ non habet rationem speciei intelligibilis.

Respondebis ex Vasquez. *cit. disp. 43. c. 4. n. 10.* Ad hoc, ut facultas aliqua cognoscitiva sit 7. receptiva speciei, requiri quidem virtutem, & efficacitatem circa objectum in genere, non tamen in specie. Hinc enim auditum defectu virtutis circa colorem in genere non esse receptivum specierum albedinis, & nigredinis, sicut etiam sensus defectu efficacitatis circa objectum à materiâ abstractum non esse capaces specierum intelligibilium. At visum cùm *antecedenter* ad receptionem speciei albedinis habeat efficacitatem non quidem completam, & determinatam videndi albedinem, sed generatim circa colorem in universum, idcircò esse perfectibilem, & in ratione virtutis visivæ determinabilem per species colorum. Pari ergò ratione, ut intellectus 8. creatus sit receptivus speciei Divinæ Essentiæ, non esse opus, habere virtutem effectricem completam circa Deum videndum, sed satis esse, habere ex se vim cognoscendi omne intelligibile, atque adeò esse ut sic determinabilem à Divinæ Essentiæ specie intelligibili. Falsum proinde esse, quòd species intelligibilis quà fœcundans, & actuans intellectum, supponat hunc in ratione potentiæ completum, & perfectum.

Contra. Nam aliud est, posse recipere qualitates aliquas supernaturales *secundùm potentiam* 9. *duntaxat obedientialem:* aliud verò est, comparari ad formam supernaturalem *in ratione potentiæ habilitata, & proportionata.* Sic enim anima est susceptiva gratiæ Habitualis absque ullâ præviâ dispositione supernaturali *secundùm potentiam præcisè Obedientialem.* At verò, ut intellectus sit capax Divinæ Essentiæ quà formæ intelligibilis, oportet in ratione virtutis intellectricis esse habilitatum, & proportionatum. Probatur hoc assumptum. Alia est ratio recipiendi formam aliquam *per modum physicæ inhærentiæ:* alia verò ratio est sibi taliter uniendi formam, ut tribuat effectum suum formalem. Sic enim, etiamsi Deus (quod aliqui credunt possibile) in re inanimatâ conservaret conceptum vitalem, vel gratiam in lapide, istæ formæ non tribuerent tali subjecto proprios suos effectus formales. Sic species quoque visibiles in ratione accidentis *physicè* inhærent aëri, quin hunc fœcundent, & actuent ad objectorum suorum Expressionem. Cujus ratio à priori est, quòd informatio, & actuatio speciei *in Esse intentionali* petat potentiam vitalem in se proportionatam, & habilitatam ad vitaliter utendum specie. Hinc enim sensus etiam per potentiam Dei absolutam non est aptus *intentionaliter* recipere species intelligibiles, sed duntaxat sensibiles. At ex sæpè *cit. Clement. Ad nostrum. de Hæret.* eruitur: quòd intellectus humanus *antecedenter* ad luminis gloriæ elevationem non habeat virtutem utendi specie Divinæ Essentiæ repræsen-

10. 11. 12.

præsentativâ: cùm alioquin non minùs naturaliter esset potens videre Deum, quàm oculus corporeus suis naturalibus viribus possit videre lucem Solis. Unde etiam consequens est, virtutem quâ cognoscitivam, adeoque vitalem, & intentionalem non importare *præcisè* efficacitatem circa objectum aliquod in genere, sed *formaliter* dicere proportionem, & virtutem intrinsecam utendi specie, per quam ut sic non tam in *Esse Physico*, quàm in *Esse intentionali*, seu *intelligibili*; sive
13. *in Esse Objectivo* est determinabilis. At verò ipsa Essentia Divina est forma intelligibilis intellectûs videntis Deum per Essentiam. Essentia verò Divina est forma altior omni intellectu creato. Ergò oportet, quòd intellectus creatus dispositione aliquâ sublimiori elevetur ad hoc, ut Essentia Divina fiat ejus forma intelligibilis, veluti eleganter, ac efficaciter arguit Divus Thomas *præs. a. 5. & 3. cont. gent. c. 53.* Hæc autem dispositio est virtutis intellectivæ augmentum, mediante quo elevetur, & proportionetur intellectus creatus ad utendum Essentiâ Divinâ *intentionaliter* sibi unitâ non quidem *in Esse reali physico*, sed *in Esse intentionali*, ac *intelligibili*. At illud ipsum virtutis intellectricis supernaturale augmentum cum S. Doctore *cit. a. 5.* vocamus illuminationem intellectûs, per quam reddamur Deiformes. *Ioan. 3.* estquè illa Dei Claritas, quæ *Apoc. 21.* dicitur illuminare supernam Ierusalem, id est Societatem *Sanctorum* Deum videntium. Cùm proinde Lumen gloriæ præsupponatur ad hoc, ut intellectus creatus habeat virtutem *intentionaliter*, ac *vitaliter* utendi Essentiâ Divinâ tanquam formâ, seu specie intelligibili, consequenter non habet rationem speciei Impressæ.

CONCLUSIO III.

LUmen gloriæ est qualitas supernaturalis recepta in intellectu Beatorum, cujus est elevare, & confortare intellectum, *formaliter* communicando vim eliciendi immanenter Visionem Divinæ Essentiæ, ac disponere ad unionem Divinæ Essentiæ tanquàm formæ intelligibilis.

14. Probatur, & explicatur. Duo concurrunt Lumina ad intellectionem: alterum se tenet ex parte potentiæ, estquè in intellectu possibili Vis intellectiva, adeoque illuminativa objecti per actualem intellectionem: alterum lumen se tenet ex parte objecti, quod S. Thomas *præs. a. 5.* vocat *Lumen intelligibile.* Hoc autem respectu intellectionis Humanæ naturalis est species intelligibilis abstracta à sensibus, *formaliter* illuminans, seu transformans objectum sensibile in intelligibile. At respectu Intellectûs Angelici est species concreata, seu juxta ejusdem connaturalem exigentiam, & proportionem intrinsecam infusa à Deo. Vnde patet, quòd istud lumen intelligibile, seu species ex connaturali vel activitate vel exigentiâ cujuslibet intellectûs creati resultet, sitque adeò intrinseca proportio, & commensuratio inter lumen intellectuale, & intelligibile lumen. Atqui intellectus creatus ex virtute suâ naturali est improportionatus ad videndam Divinam Essentiam. Ergò ex se non habet sibi innatum lumen intellectuale, quod in ratione potentiæ vitalis sit elicitivum Visionis Dei. Oportet igitur, quòd ex Divinâ gratiâ, sive ex supernaturali qualitate ei succrescat virtus intelligendi, seu lumen intellectuale supernaturale. Hoc autem augmentum virtutis 15.
intellectivæ per supernaturalis formæ appositionem vocatur Lumen gloriæ. Ergò hoc est forma supernaturalis per modum habitûs infusa intellectui, *formaliter* per modum luminis intellectualis ei tribuendo virtutem videndi Divinam Essentiam. At verò virtutis, & luminis intellectualis proprium est operari, trahendo objectum intra se, illudquè sibi *intentionaliter* uniendo per modum formæ intelligibilis vel virtute activâ intellectûs agentis abstractæ, & formatæ, vel per connaturalem exigentiam sibi congenitæ, seu communicatæ. Ergò ex hoc ipso, quòd intellectus creatus lumine gloriæ perfusus sit in ratione luminis intellectualis proportionatus, & perfectus ad Dei Essentiam intuitivè conspiciendam, consequens est, habere vim connaturaliter exigendi, sibiquè *intentionaliter* uniendi Divinæ Essentiæ formâ intelligibilem tanquàm comprincipium Visionis Beatificæ. Atqui hæc 16.
forma intelligibilis Essentiæ Divinæ est ipse actus Essendi, seu Esse Dei subsistens, *velut præced. art. demonstratum est.* Oportet igitur, quòd lumen gloriæ connaturalem habeat exigentiam & proportionem intrinsecam uniendi intellectû creatum cùm Essentiâ Divinâ tanquàm formâ intelligibili. Ergò lumen gloriæ supplet defectum tum intellectûs possibilis *formaliter* huic communicando virtutem videndi Deum; tum quodammodò intellectûs agentis, non quidem gerendo munus speciei impressæ, sed *per connaturalem exigentiam, & proportionem intrinsecam* disponendo ad unionem intellectûs creati cum Essentiâ Divinâ tanquàm formâ intelligibili.

Responsio ad argumenta Adversariorum.

AD Scoti *n. 1.* oppositum Respondetur 1. Etsi ad receptionem formæ supernaturalis *secundùm potentiam duntaxat Obedientialem* nulla præsupponatur ex parte subjecti prævia dispositio supernaturalis: cùm aliàs daretur processus in infinitum. Secus tamen esse respectu formæ supernaturalis receptæ in subjecto *secundùm proportionem intrinsecam & connaturalem subjecti exigentiam.* At visionem Beatificam hoc ipso, quòd sit forma vitalis, *ad effectum suum formalem communicandum* præsupponere ex parte subjecti potentiam *intrinsecè* proportionatam in ratione principij tum *effectivi*, tum *materialis*, ac *receptivi*. Ergò lumen gloriæ tribuere intellectui creato vim non Effectivam duntaxat, sed & receptivam Visionis Divinæ Essentiæ. 17.

Respondetur 2. Lumen gloriæ ad Visionem Beatificam non quidem concurrere in ratione *luminis objectivi*, hoc enim esse ipsam Divinam Essentiam. Nihilominùs disponere ad unionem intellectûs cum hoc *Divinæ Essentiæ lumine objectivo*, & *intelligibili* tanquàm Visionis Beatificæ suo comprincipio. 18.

Respondetur 3. Lumen gloriæ esse ad Visionem Dei ex parte potentiæ prærequisitum omninò necessarium, ipsomet Scoto *in 3. sent. dist. 14. q. 1. n. 1.* fatente. Quare locutionem, per 19.

 quam

quam alia ratio luminis ponitur *ex parte objecti* seu *rei visibilis*, alia verò *ex parte potentiæ*, seu *visus*; non adeò Metaphoricam esse, quin optimè conducat ad explicandum, quomodo præter lumen intelligibile Divinæ Essentiæ in intellectu Beati opus sit supernaturali lumine intellectuali *formaliter* conferente virtutem videndi Divinam Essentiam, atque ad hujus cum illo unionem *in Esse intelligibili* disponente.

20. Ad Vasquezij *n. 2.* oppositum Respondetur. Visionem Beatificam esse *formaliter* contactum Vitalem, & intentionalem Essentiæ Divinæ se ipsam *formaliter actualissimè* repræsentantis per purissimam intelligibilitatem, seu actualissimum suum Esse non tantùm reale, sed etiam intelligibile. At istum Divinæ Essentiæ contactum intentionalem esse *formaliter* ut sic supernaturalem, atque adeò quà vitalem *Essentialiter* supponere principium immanenter, ac intentionaliter operativum supernaturale. Hoc verò principium supernaturale habens *formaliter* rationem potentiæ vitalis, ac intentionalis supernaturalis non esse objectum, sive hujus Esse intelligibile. Oportere igitur, præter intelligibilem Essentiæ Divinæ formam concurrere lumen gloriæ non in ratione, seu vice objecti, sed per modum qualitatis conferentis virtutem intelligendi supernaturaliter, seu videndi Divinam Essentiam.

21. Instabis. Cur præter lumen intellectuale ad intellectionem prærequiratur lumen aliquod objectivum seu forma, ac species intelligibilis objecti: tota hujus ratio est indifferentia virtutis intellectricis, quæ per speciem, seu formam intelligibilem determinatur ad certi objecti notitiam. At hæc determinatio respectu visionis Beatificæ *formaliter* fit per lumen gloriæ. Ergò istud videtur se tenere ex parte objecti.

22. Respondetur, Negando Majorem. Nam virtus intellectiva, Essentiam Divinam videndo, hanc per motionem vitalem ita attingit, ut ipsi assimiletur *intentionaliter*. In quo differt intellectus à voluntate, quòd hæc per modum impulsûs feratur in objectum, ille verò per objecti expressionem & assimilationem *intentionaliter* habeat objectum intra se. At verò non minus Potentia spirativa, quàm generativa in Divinis per objectum suum motivum ac specificativum est *intrinsecè* determinata ad productionem tum Spiritûs Sancti, tum Verbi increati, & tamen hujus, non verò illius productio est Generatio *formaliter* procedens in similitudinem objecti, seu Essentiæ, & Naturæ Divinæ. Ergo determinatio Intellectûs lumine gloriæ elevati ad sui cum divinâ Intelligibilitate assimilationem non est præcisè ex conjunctione objecti, sed ex virtute supernaturali conferente vim assimilativam seu visivam divinæ Essentiæ. Ergo luminis gloriæ in Visionem Beatificam influxus non est in *vi objecti*, sed in *ratione potentiæ* quà per connaturalem exigentiam intellectui proportionantis ac *intentionaliter* unientis Essentiam Divinam, atque ut sic unà cum Intellectu elevato vitaliter producentis visionem Divinæ Essentiæ.

***

(IHS.)

CONTROVERSIA. II

Qualis tum Luminis gloriæ, tum Intellectûs creati sit influxus in Visionem Beatificam.

Supponendum. 1. adversùs Nominales ab Amico *præs. disp. 9. n. 226.* relatos, quòd visio Beatifica *efficienter* procedat ab intellectu creato: est enim actio vitalis importans *formaliter* attentionem virtutis cognoscitivæ. Est autem actio vitalis *essentialiter* emanatio à principio vitali se movente ab intrinseco. Ergò tum ex ratione attentionis tum ex ratione vitalitatis importat visio Beatifica influxû effectivum virtutis intellectivæ. 1.

Supponendum 2. In visione Beatificâ esse *ex ratione nostrâ ratiocinatâ* taliter distinguendas formalitates vitalitatis, & supernaturalitatis, ut tamen vitalitas secundùm suam Entitatem sit *realiter*, imò à *parte rei formaliter* ipsa supernaturalitas. Vnde consequens esse, quòd intellectus creatus *virtute* saltem *obedientiali* indistinctâ à suæ entitatis substantiâ *physicè effectivè* concurrat ad visionem Beatificam. 2.

Neque ab hoc discrepant Thomistæ, qui, veluti Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo. disp. 12. c. 2. n. 1.* refert, immediatam respectu visionis Beatificæ virtutem negent intellectui. Nam aliud est, intellectum per suam substantiam influere in actum supernaturalem *per modum principij partialis ex se proportionati* cum vitalitate talis actûs, aliud verò est, intellectum quoad substantiam suam habere respectu actûs supernaturalis *rationem principij secundùm se vitalis, non quidem proportionati, sed elevabilis & proportionabilis* per habitum supernaturalem, ita ut ex intellectu, & habitu supernaturali non fiat concursus duplicis virtutis, quarum quælibet in *suâ partialitate sit* proportionata, sed ex illis duabus qualitatibus, alterâ se habente *tanquam elevabili & proportionabili*, alterâ *tanquam elevante, & proportionante* resultet unica virtus proportionata taliter influens in intellectionem supernaturalem; ut æquè vitalitas, ac supernaturalitas respondeat tanquàm suo immediato effectivo principio tum habitui supernaturali, tum intellectui per hunc elevato, & proportionato. 3.

4. Hoc igitur posterius duntaxat affirmant Thomistæ; agnoscentes in intellectu, non verò in voluntate physicam, & realem virtutem vitaliter producendi Visionem Beatificam, ita ut hæc virtus competat intellectui non à Lumine gloriæ, sed à se, tametsi ex se non sit *proportionata*, sed *proportionabilis* ac *elevabilis* per informationem luminis supernaturalis. 5. Vnde Thomistæ in eo duntaxat sensu negant intellectui immediatam, & proximam virtutem ad influendum in actum illius visionis, quòd ista virtus ex se non sit *proportionata*, sed indigeat *lumine elevante* ac *proportionante* non ad supernaturalitatem duntaxat, sed etiam vitalitatem actûs supernaturalis, utpote habentis unam rationem specificam indivisibiliter promanantem ab intellectu, & habitu supernaturali. Ex Cajetan. *a. 1. q. 12. a. 2. §. ad primam objectionem.* Ioann. à S. Thom. *in. disp. 14. a. 3.* Pesantio *1. p. q. 12. a. 6. notab 3. & concl. 2.* Banne. *ead. q. 12. a. 5. dub. 1. §. Alterum supponendum*

cendum est. Alvarez. *lib. 7. de Auxil. disp 63. n. 6. & disp. 68. n. 31.*

6. His adeò suppositis remanet difficultas, *An intellectus, & lumen gloriæ concurrant ad Visionem Beatificam tanquàm duæ causæ partiales, quarum qualibet in ordine, ac genere suo principalis sit, atquè adeò in visione illâ sit intelligibilis conatus aliquis respondens intellectus tanquàm virtutis naturalis?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

7. Affirmant alijs relatis Salas *1. 2. tract. 2. disp. 5. sect. 5. &* Franciscus de Lugo *cit. disp. 12. c. 4. n. 11. & c. 5. n. 2.* Probatur ex S. Tho. *3. cont. gent. c. 53. in 4. rat. & 1. p. q. 12. a. 5.* docente: Virtutem naturalem intellectûs non sufficere per se ad Visionem Divinæ Essentiæ, ideoquè oportere, ut illi augeatur virtus, & superaccrescat ex Divinâ Gratiâ, ut sic aucta Divino lumine & auxilio perveniat ad illam visionem. Ergò de mente Sancti Doctoris virtus ipsa naturalis intellectiva associata lumini gloriæ influit in Vi-
8. sionem. Confirmatur. Eadem est ratio de influxu intellectûs creati cum Lumine gloriæ in Visionem Beatificam, atque de concursu voluntatis cum auxilio gratiæ in actus supernaturales, ac meritorios. Atqui voluntas virtute suâ naturali influit cum gratiâ in hos supernaturales actus. Minor probatur. Nam gratia eas liberi arbitrij vires fortificat ad actus bonos, quas culpa attenuavit. At culpa attenuavit vires liberi arbitrij naturales quà naturales. ex Concil. Trident. *Sess. 6. c. 1. &* Araus. *c. 25.* Ergò gratia sanat, & fortificat vires liberi arbitrij naturales, ut quà naturales influant in actus supernaturales.

9. Econtrario Suarez. *3. p. tom. 1. disp. 22. sect. 1. §. Dicet fortè aliquis.* negat, quòd intellectus creatus ad Visionem Dei concurrat per potentiam, & efficacitatem naturalem, quà talem, sed prout in se habet potentiam obedientialem, quæ de se extenditur ad omne id, quod non implicat. Cujus rationem *disp. 31. sect. 6. §. Atqui hæ rationes.* affert, quòd potentiæ nostræ non sint essentialiter ordinatæ ad actus supernaturales etiam partialiter eliciendos. Unde *§. Mihi ergo dicendum videtur* infert, has potentias in eliciendis actibus supernaturalibus se habere, ut instrumenta Dei.

10. Inter has oppositas sententias media stat Thomistarum, prout videre est apud Ioan. à S. Thomâ *loco sup. cit.* asserentium, nec potentiam vitalem obedientialem intellectûs, nec virtutem supernaturalem Luminis gloriæ se habere respectu Visionis Divinæ Essentiæ tanquam causam Partialiter influentem, esseque adeò Lumen gloriæ respectu Visionis Beatificæ totalem agendi virtutem, non eo quidem sensu, quasi excludatur consortium alterius principij, intellectûs nimirum *vitaliter efficienter* influentis, sed quatenus sit unica proxima virtus, seu proportionata ad videndum Deum. Ex hâc verò luminis gloriæ virtute ita elevari intellectum, ut non se habeat per modum Instrumenti, sed concurrat tanquam Causa principalis operans tamen ex virtute participatâ, seu per luminis gloriæ activitatem *formaliter* sibi communicatâ.

Conclusio.

Hæc Thomistarum Sententia omnino videtur amplectenda.

Probatur, & Explicatur. Nam alia est ratio *principij verè, ac physicè influentis*; alia verò est II.
ratio *virtutis*, seu *potentiæ proximæ*: sic enim in quorundam etiam Adversariorum senten iâ anima ita est principium operationum vitalium, has *physicè*, & *immediatè* producendo, ut tamen habeat potentias à suâ substantiâ distinctas, ceu qualitates activitatis suæ indifferentiam *formaliter* determinantes ad certum genus operationum. Illæ proinde potentiæ sunt *formale, ac proximum vitaliter operandi principium*, anima verò dicitur *principium radicale*, non ex eo duntaxat, quod mediantibus potentijs influat, sed quod sit principium per potentias suas determinabile ad genus aliquod vitalium actionum. Pari ergo ra-
tione intellectus, & voluntas respectu operatio- 12.
num supernaturalium intuatione virtutis, & efficacitatis sunt ex se improportionatæ, atquè adeò indigent habitibus infusis determinativis ad speciem, seu genus actionum ejusmodi. Et hinc dicitur intellectus respectu Visionis Beatificæ *potentia radicalis* in eo præcisè sensu, quòd sit principium de se improportionatum, *physicè* tamen, & *vitaliter* influens per suam realem entitatem quà elevatam, & proportionatam virtute luminis gloriæ. Quare sicuti in ellectus respectu intellectionis naturalis est tota virtus agendi, seu potentia in eorum quoque opinione, qui asserunt, animæ substantiam ab illo distinctam *efficienter ac immediatè* influere in actus suos vitales: sic tametsi intellectus creatus ad Visionem Beatificam *efficienter*, ac *physicè* concurrat cum Lumine gloriæ, hoc tamen respectu illius visionis dici potest virtus agendi totalis.

Ratio fundamentalis est: Tum quia ratio 13.
virtutis seu potentiæ *formaliter* importat proximum principium operandi. Hoc autem dicit activitatem proportionatam cum actu. At soli lumini gloriæ, non verò intellectui creato competit activitas proportionata respectu Visionis Beatificæ. Ergo licèt intellectus, & lumen gloriæ sint duæ formæ distinctæ, quarum utraque per suam physicam Entitatem *efficienter* influit in Visionem Beatificam; ratio tamen virtutis agentis respectu actûs istius supernaturalis competit soli lumini gloriæ; intellectui verò convenit duntaxat ratio *principij radicalis* vitaliter o-
perativi. Tum quia ista duo principia non con- 14.
currunt partiali influxu, sed æquè vitalitas est à lumine gloriæ, ac supernaturalitas; sicuti & intellectus per realem efficientiam attingit vitalitatem *intrinsecè*, & *formaliter* in suâ Entitate, ac essentiâ supernaturalizatam. In hoc verò duplicis illius principij effectivi influxu pen tùs indivisibili ea est habenda ratio, quòd formalitas etiam vitalitatis non sit ab intellectu nisi quà potentiâ elevabili, & proportionabili per lumen gloriæ. Hæc autem ratio elevabilitatis in eo sita est, quòd intellectus per suam Entitatem, seu potentiam obedientialem à se indistinctam sit capax non tantùm recipiendi Lumen gloriæ, sed cum hoc vitaliter operandi. At ista ratio principij elevabilis operativi vitaliter est quid singulare, *& ultra communem potentiam obedientialem, se-*

lem, secundùm quam omne ens creatum potest per modum instrumenti à Deo assumi ad quodvis, quatenus non est contradictio, efficiendum. Unde meretur nomen *potentiæ obedientialis vitalis*.

15. Ad hanc proinde obedientialem potentiam vitalem se habet supernaturalis habitus tanquam virtus proportionans, ac elevans, atque adeò tanquàm potentia proxima operandi actum vitalem *intrinsecè*, ac *essentialiter* supernaturalizatum.

In quo adeò sensu aliqui Thomistarum dicunt, intellectum respectu Visionis Beatificæ habere *secundùm se* vitalitatem radicalem remotam: proximam verò, & formalem habere à lumine gloriæ. Hoc autem est dicere, intellectui ex se competere activitatem, & vitalitatem per modum potentiæ, & radicis elevabilis per Lumen gloriæ tanquam per virtutem *essentialiter* proportionatam, & *formaliter* communicantem intellectui virtutem proximam videndi Divinam

16. Essentiam. Constat igitur; Lumen gloriæ & intellectum non ita comparari ad se invicem, quasi sint duæ potentiæ proximæ *Partialiter* influentes in Visionem Beatificam; ita ut uni tanquà naturali potentiæ respondeat vitalitas, alteri verò tanquàm lumini Divini ordinis respondeat supernaturalitas. Hoc enim eo ipso repugnat, quòd in visione Beatificâ sit una simplex à parte rei indistincta formalitas vitalitatis, & supernaturalitatis. Solum igitur lumen gloriæ est potentia proxima, utpote unicè proportionata ad illam visionem, & ad formalitatem vitalitatis. Ergo lumen gloriæ est *totalis*, & *adæquata* virtus videndi Divinam Essentiam.

17. Oppones: Ex hoc, quòd nulla in visione Beatificâ sit formalitas, cui proportionari possit intellectus, consequens esse, hunc respectu illius Visionis se habere ut causam solùm instrumentalem.

18. Contra: Nam de ratione instrumenti est ita operari ultra propriam virtutem, ut hæc virtus supra naturalem exigentiam, seu intrinsecam activitatis proportionem communicata non tam instrumenti, quàm Causæ principalis propriò usui, ac motioni subjecta sit. At hoc ipso, quòd intellectus per suam Entitatem ita mediante lumine gloriæ elevabilis sit, ut cum hoc *vitaliter* concurrat ad visionem Beatificam, consequens est, illud lumen supernaturale per participationem ita fieri proprium intellectûs, ut *quoad exercitium* motioni ac usui ipsius vitali subjectum sit. Quod clariùs elucet ex habitibus supernaturalibus voluntatis, quorum exercitium ita est in manu voluntatis, ut subsit ejus libertati. Unde *Obedientialis Vitalis potentiæ* dispar est ratio *à communi*, seu *transcendentali Obedientiali potentiâ*, ratione cujus quodvis Ens creatum potest à Deo assumi ad quodlibet, ubi non est contradictio, efficiendum. Nam in hâc ratio instrumenti considerator non ex hoc præcisè, quòd Entitas aliqua creata assumatur ad effectum sibi improportionatum; sed quòd potentia illa non subsit motioni propriæ virtutis, sed omnipotentiæ duntaxat Divinæ.

19. Quod secus se habet in *potentiâ obedientiali vitali*: hæc enim eo ipso, quòd vitaliter operetur, est se movens ab intrinseco, non quidem virtute innatâ, sed infusâ suo tamen proprio motui, ac usui subordinatâ. Quod D. Thomas *1. 2. q. 23. a. 2.* de actu supernaturali voluntatis ita expressit. *Non potest dici, quòd sic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum, quod etsi sit principium actûs, non tamen est in ipso agere, vel non agere; sic enim tolleretur ratio Voluntarij, & excluderetur ratio meriti, sed oportet, quòd sic voluntas moveatur à Spiritu Sancto ad diligendum, quòd etiam ipsa sit efficiens hunc actum.*

Consequens igitur est, Lumen gloriæ, & intellectum ita ad se unicem comparari tanquàm duo principia effectiva diversi ordinis, ac generis, ut alterum sit *radicale determinabile*, seu *proportionabile*, alterum verò sit *virtus proxima* in ratione activitatis *formaliter* intellectûs *determinativa*, ac *proportionans*: ex quibus adeò duobus diversi generis principijs utrumque in suo ordine esse *totale*, & *principale*. 20.

Responsio ad fundamenta contraria.

AD *n. 7.* oppositum, ejusque *n. 8.* propositam confirmationem Respondetur. Ipsam intellectûs, nec non voluntatis creatæ virtutem *Entitativè* naturalem Lumini gloriæ, sive habitui supernaturali associatam influere in actus supernaturales, non quidem in ratione *virtutis* per entitatem suam *proportionata*, sed in ratione *potentiæ elevabilis*, & *proportionabilis* per virtutem infusam. Ex hoc autem esse consequens, quòd potentiæ vitales intellectûs, & voluntatis ad actus supernaturales concurrant secundùm potentiam naturalem, non tamen *quà naturalem*, sed *quà obedientialem vitalem*. Unde licèt gratia viribus arbitrij creati etiam quà naturalibus conferat aliquid virtutis, per se tamen respectu actuum supernaturalium eas non fortificat *quà naturales*, sed quà per Divinam virtutem *proportionabiles*, & mediante gratiæ auxilio *elevabiles*. 21.

Ad *n. 9.* oppositum Respondetur: Tametsi potentiæ nostræ non sint essentialiter ordinatæ ad actus supernaturales per propriam *proportionatam virtutem* efficienter producendos, ex suâ tamen Essentiâ, seu entitate intrinsecâ in ordine ad actus ejusmodi vitaliter eliciendos esse mediante habitu supernaturali, seu virtute Divinâ *proportionabiles*, ac *elevabiles*. Ex hoc autem verificarj quidem, quòd potentiæ nostræ *secundùm potentiam solùm obedientialem*, non verò *naturalem* sint elicitivæ operationum supernaturalium, hanc ipsam tamen *obedientialem potentiam*, utpote *vitalem* esse alterius rationis, quàm sit *transcendentalis* cuivis Enti creato ad quodlibet, in quo non est contradictio, efficiendum, inexistens *obedientialis potentia*. Verùm de hoc *infra q. 8. a. 1. cont. ult.* 22.

CONTROVERSIA III.

An per absolutam DEI *potentiam Divina Essentia possit videri absque ullo lumine supernaturali intellectui inhærente?*

AFfirmat Durandus *in 4. dist. 49. q. 2. n. 24.* Suarez. *lib. 2. di Div. Attrib. c. 18.* Molina. *1. p. q. 12. a. 5. disp. 1.* Vasquez. *ibi. disp. 48. c. 2.* Fasolus eodem

lus *eodem a. 5. dub. 12.* Amicus *præs. diſp. 9. ſect. 12.*
6 Yſambertus. *hic diſp. 3. a. 6.*

Probatur 1. Authoritate S. Thomæ. *q. 10. de Verit. a. 11.* affirmantis : *Quòd ſicut Deus poteſt aliqua corpora perducere ad effectus, quorum diſpoſitio in prædictis corporibus non invenitur, ſicut Petrum fecit ſuper aquas ambulare, ſine hoc quòd ei Dotem Agilitatis tribueret, ita poſſit mentem ad hoc perducere, ut Divinæ Eſſentiæ uniatur in ſtatu viæ modo illo, quo unitur ſibi in Patriâ,*
2. *ſine hoc quòd à lumine gloriæ perfundatur.* 2. Ratione ; Solum principium vitale à Deo ſuppleri non poteſt. At lumen Gloriæ ad Viſionem Beatificam concurrit cum intellectu quà principium non vitale : Ergò ejus influxus poteſt à Deo ſuppleri per ſuæ Virtutis aſſiſtentiam duntaxat extrinſecam elevando intellectum ad Viſionis Beatificæ effectionem.

3. Ex oppoſito negativam ſententiam tenent communiter Thomiſtæ. Cajetanus *præs. a. 5.* Bannes *ibid. dub. 3.* Ferrarienſis *3. cont. gent. c. 54.* Nazarius *hic cont. 2.* Labat *diſp. 4. de Viſione Dei. dub. 4. §. 3.* Serra *eod. a. 5. dub. 1.* Gonet *diſp. 2. de Viſione Dei. a. 5.* Ioannes à S. Thomâ *cit. diſp. 14. a. 5.* Salmanticenſes *hic tract. 2. dub. 4.* Philippus à SS. Trinit. *diſp. 3. de Lumine gloriæ. dub. 11.*

CONCLUSIO.

IMpoſſibile eſt, intellectum creatum Divinâ Omnipotentiâ extrinſecùs aſſiſtente abſque Lumine ſupernaturali permanente, vel tranſeunte elevari ad videndam Dei Eſſentiam.

4. Probatur 1. Authoritate Divi Thomæ *2. 2. q. 175. a. 3. ad 2.* docentis; *Divinam Eſſentiam videri non poſſe, niſi per lumen gloriæ ab intellectu creato. Quod tamen dupliciter participare poſſe: uno modo per modum formæ immanentis, & ſic Beatos facere Sanctos in Patriâ: alio modo per modum cujuſdam paſſionis tranſeuntis, ſicut dictum fuit de Lumine Prophetiæ. Et hoc modo lumen illud fuiſſe in Patribus.* Ex quo ita licet argumentari. Sanctus Doctor hic loquitur de modo videndi Deum non tantùm Ordinario, uti accidit in Patriâ, ſed etiam extraordinario, veluti Paulo contigit in viâ. At ſimpliciter, & abſolutè dicit, ad Viſionem Dei eſſe neceſſarium lumen ſupernaturale ſive permanens, ſive ſaltem tranſiens. Ergò ſine lumine ſupernaturali intellectui creato inhærente non poteſt videri Deus per potentiam ejus etiam extraordinariam, atque adeò abſolutam.

5. 2. Ratione : Sicuti in ſententia etiam Adverſariorum implicat actio vitalis ſine principio vitali, ſic repugnat intellectio abſque principio *formaliter* intellectuali. At hoc importat *Eſſentialiter* tum lumen intellectuale, quòd ſit virtus, & potentia immanenter elicitiva intellectionis, tum intrinſecam coexigentiam, & proportionem cum formâ intelligibili. Hinc enim intellectus poſſibilis in animâ eſt *intrinſecè* connexus, ſi non *realiter* identificatus cum intellectu agente, per cujus activitatem fit unio luminis intellectualis cum formâ intelligibili. Eâdem ratione intellectus Angeli habet connaturalem proportionem, & exigentiam ſpecierum intelligibilium, à quibus actuetur ad ſubſtantias à materiâ ſeparatas intelligendas. Etſi verò creatus
6. intellectus reſpectu Viſionis Beatificæ ſit principium *phyſicè realiter* effectivum, ex ſe tamen non habet Lumen proportionatum cum Viſione Dei. At licèt ſubſtantia animæ ſit principium per *efficientiam phyſicam* influens in intellectionem, indiget tamen lumine intellectuali, ſeu potentiâ intellectivâ ſuperadditâ, eo ipſo quòd *ex ſe* non ſit determinata, & *formaliter* in ratione virtutis intellectricis proportionata ad intellectionem. Pari ergo ratione, ut intellectus creatus ſit reſpectu Eſſentiæ Divinæ principium *formaliter* intellectivum, ſeu viſivum, indiget lumine ſuperaddito tanquam formâ intellectûs creati conſtitutivâ *formaliter* in ratione principij intellectivi ſeu Viſivi Eſſentiæ Divinæ. At Deus non 7.
poſſet ſuâ etiam abſolutâ potentiâ ſupplere defectum potentiæ intellectricis, ita ut aliqua intellectio procederet à ſolâ animæ ſubſtantiâ, licèt hæc in ſententiâ plurium Adverſariorum ſit principium vitale *Phyſicè* effectivum intellectionis. Similiter ergo tametſi intellectus creatus intelligatur tanquam principium in Viſionem Dei *vitaliter phyſicè* influens, illius tamen Viſionis vitalitas *eſſentialiter* requirit adhuc lumen intellectuale ſibi commenſuratum, ita ut vi hujus luminis intellectus in ratione principij intellectivi coexigat unionem Divinæ Eſſentiæ tanquam formæ intelligibilis, & ut ſic in ratione perfecti, & completi intellectivi principij *intrinſecè* proportionetur cum actu à ſe vitaliter emanante.
Cujus ratio fundamentalis eſt : Quia ſicuti ratio 8.
generica vitalitatis intelligitur cum eſſentiali dependentiâ à principio vitali ; ſic ratio ſpecifica vitalitatis concipitur *Eſſentialiter* cum dependentiâ à ſpecifico principio vitali. Hinc enim, licèt ratio generica operationum animæ quà vitalium ſufficienter poſſet reduci in Phyſicum, & immanentem, ſeu vitalem animæ influxum, attamen ratio ſpecifica intellectionis & volitionis dicit formalitates vitalitatis diverſas, quæ ut ſic requirunt ſpecificas vitales potentias, cum quibus *eſſentialiter* connexæ ſunt. Eſt autem illorum, inter quæ eſſentialis eſt connexio, talis ratio, ut *intrinſecè* habeant cum eis proportionem. At intellectus creatus non habet ex ſuâ entitate lumen intellectuale proportionatum cum Eſſentiâ Divinâ. Ergò licèt habeat rationem principij verè vitalis reſpectu viſionis hujus Eſſentiæ : hæc tamen ratio principij quà vitalis, vel quà intellectivi in creato intellectu non eſt ſecundùm ſpecificam luminis intellectualis cum objecto ejuſmodi commenſurationem. Sicut ergò ratio principij vitalis ex ſe indifferentis in animâ non poteſt ad intellectionem ut ſic determinari per extrinſecam Divinæ potentiæ aſſiſtentiam, ſed opus eſt formâ informante in ratione potentiæ, & virtutis intellectricis, ſeu luminis intellectualis ex ſe proportionatâ : ſic improportio intellectûs creati ad videndam Eſſentiam Divinam nequit ſuppleri ab extrinſecâ Omnipotentiæ Divinæ aſſiſtentiâ, ſed neceſſarium eſt lumen *formaliter*, ac *intrinſecè* conſtitutivum intellectûs in ratione potentiæ intellectivæ, ſeu viſivæ potentiæ Dei.

Reſponſio ad argumenta Adverſariorum.

AD *n. 1.* oppoſitum argumentum Reſpondetur : Argumentum Doctoris Angelici ex 9.
miraculoſâ Divi Petri Dotem Agilitatis necdum ha-

dum habentis ſuper mare deambulatione deſumptum ad probandum, poſſe videri Deum abſque lumine gloriæ; eſſe à ſimili, atque adeò in eo eſſe aliquid paritatis, & aliquid diſparitatis. Illam verò paritatis rationem in eo ſitam eſſe, quòd ſicuti elevari potuit Corpus non glorioſum ad effectum illum extraordinarium; ſic mens viatoris poſſit ad viſionem Divinæ Eſſentiæ à Deo elevari abſque lumine gloriæ permanente, etſi hoc fieri non poſſet abſque lumine ſupernaturali ſe habente per modum auxilij tranſeuntis *intrinſecè* elevantis, ac proportionantis ad viſionem ejuſmodi. In quo eſſe diſparem rationem, reſpectu dotis Agilitatis: hæc enim non ſe habet inſtar formæ proportionantis ad actum vitalem, ſicut econtra lumen illud ſupernaturale eſt virtus *formaliter* conſtitutiva intellectûs quà viſivi, ſeu intellectivi Eſſentiæ Dei. Unde illius, non verò hujus influxus poſſet ſuppleri per Omnipotentiæ Divinæ extrinſecam aſſiſtentiam, velut idem S. Doctor *in q. 13. de Verit. a. 2.* expreſſit, *Nullam creaturam*, inquiens, *poſſe ad viſionem Dei pertingere, niſi aliquo lumine elevetur.*

10. Ad *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur: Eo ipſo, quòd actio vitalis ex ratione non tantùm genericâ vitalitatis, ſed etiam ſpecificâ quà Viſionis Dei exigat principium vitale *intrinſecè* proportionatum & commenſuratum, conſequens eſſe, quòd lumen gloriæ *formaliter* importetur in illius Viſionis principio vitali quà intellectivo proportionato. Si ergo principium vitale à Deo ſuppleri non poſſit; veluti arguunt Adverſarij, conſequenter non poſſe Dei potentiam etiam abſolutam cum intellectu creato abſque intrinſeco lumine gloriæ producere Viſionem ſuæ Divinæ Eſſentiæ.

ARTICULUS IV.

Qualiter Attributa, Perſonalitates, & Libera Decreta Dei ſint attingibilia per viſionem Eſſentiæ Divinæ?

1. DIſcuſſis principijs Viſionis Beatificæ effectivis, progredimur ad ejuſdem objectum exponendum, quorum alterum eſt *Primarium*, Eſſentia nimirum Divina, & perfectiones Deo *formaliter* inexiſtentes; de quo *in præs. 4. articulo.* Alterum verò eſt *Secundarium*, nimirum creaturæ in ſubſtantiâ Divinâ tanquam ſpeculo relucentes, de quo *ſeq. 5.*
2. *articulo* diſſeremus. Tres autem ex Divi Thomæ *præs. 12. quæſt. articulo* præſertim 7. erutæ difficultates hic inſinuantur. 1. *An ſit neceſſum omnia, quæ ſunt formaliter in Deo, videri à Beatis?* 2. Ex prioris affirmativâ deciſione reſultans difficultas eſt; *An Deus comprehendatur, vel comprehenſibilis ſit ab intellectu creato lumine gloriæ illuſtrato? 3. Qualiter Decreta Dei libera in Beatifica viſionis penetrentur?*

***

CONTROVERSIA I.

An de facto, vel etiam de poſſibili fieri poſſit, ut Eſſentia Divina ſine Attributis, vel Perſonalitatibus videatur ab intellectu Beati?

TRes de hoc Doctorum ſententiæ diſtingui 3.
poſſunt. Prima videtur eſſe Alberti Magni *1. p. ſum. tract. 3. q. 13. memb. 2. &* apertè traditur, multis alijs relatis à Salâ *l. 2. diſp. 4. ſect. 2. &* Franciſco de Lugo *lib. 1. de Deo. diſp. 23. c. 5.* negantibus, omnia Attributa latè ſumpta Deo formaliter inexiſtentia videri, imò per abſolutam Dei potentiam videri poſſe à Beatis. Probatur. Nam aliqua ſunt in Deo attributa importantia relationem Tranſcendentalem ad creaturas, veluti Omnipotentia, Scientia tum Simplicis intelligentiæ, tum Viſionis Creaturarum, atque Iuſtitia. Hæc verò Attributa habent in ſe gradus *virtualiter* infinitos numero, ſecundùm relationes tranſcendentales ad ſingulas creaturas ſive de facto exiſtentes, ſive in infinitum poſſibiles. Hi proinde reſpectus, ſeu relationes tranſcendentales Deo formaliter inexiſtentes vocari poſſunt Attributa Dei quaſi ſecundaria, ſeu latè ſumpta: cùm econtra perfectiones Omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Æternitatis, Immenſitatis, quæ vel nullam ad extra important relationem, vel in quibus ſpeciales illi reſpectus tanquàm formalitates earundem modificantes *identicè*, & *formaliter* continentur, ſint *ſtrictè*, ac *propriè* dicta, ſeu *primaria* Dei Attributa. Etſi proinde omnes Dei perfectiones habentes rationem attributi *Primarij*, ſeu *propriè dicti* videantur ſaltem de facto à Beatis: Nihilominùs ſi Omnipotentia, vel Simplicis intelligentiæ Scientia Dei videretur cum omnibus relationibus tranſcendentalibus ad ſingulas ſpecies, & individua creaturarum poſſibilium, conſequens foret, videri quidquid in Deo eſt non tantùm *formaliter*, ſed etiam *eminenter*. At hoc eſſet *comprehenſivè*, videre Divinam ſubſtantiam, veluti patet ex S. Thomâ. *præs. q. 12. a. 8.* Ergò quia implicat, Deum comprehendi ab intellectu creato, conſequenter impoſſibile eſt, à Beatis videri in Deo omnia attributa *latè ſumpta*, & *ſecundria*.

Secunda Sententia eſt Scoti *in 1. diſt. 1. q. 2.* 4.
n. 5. & 9. Lycheti *ibid.* Radæ *in ſuis Controv. Theol. Controv. 8.* Yſamberti Sorbonici *ad præs. q. 12. a. 5.* Arriagæ *tract. de Viſion. Dei. diſp. 9. ſect. 6. concl. 3.* Martinon *to. 1. diſp. 8. n. 74.* Franſc. de Lugo. *cit. diſp. 23. c. 4. & aliorum præcipuè* Scotiſtarum aſſerentium, repugnare quidem intellectum creatum lumine gloriæ illuſtratum ſecundùm potentiam ejus naturalem, imò & Voluntatis abſolutam videre Eſſentiam Dei ſine Attributis, vel Perſonis: attamen de Potentiâ Dei abſolutâ fieri poſſe, quòd videret Eſſentiam non viſis Perſonis, vel etiam attributis. Probatur argumento ſubtilis Doctoris *cit. n. 5.* Pater *priùs Origine*, quàm generet Filium, eſt perfectè Beatus; quia nullam perfectionem ſibi intrinſecam habet à Perſonâ productâ. Beatitudo autem eſt perfectio Perſonæ Beatæ intrinſeca importans fruitionem Eſſentiæ Divinæ tanquam objecti Beatifici. Ejuſmodi

modi verò Fruitio *Formaliter* beatificans supponit intellectionem beatificam, quæ est intuitio Divinæ Essentiæ. Atqui ad intellectionem non minùs requiritur intelligibile, quàm intellectus. Si ergo *in illo priori* Pater est perfectè Beatus, habet Essentiam Divinam ut *formaliter* intelligibilem, seu ut objectum perfecte beatificans. At *in illo priori* Pater ut intelligibile, seu objectum beatificans non habet Essentiam communicatam Tribus, sed Essentiam absolutè, velut est in unâ personâ præcisè. Ergo de ratione Essentiæ Divinæ, quatenus est objectum Beatificum, non est esse communicatam Tribus Personis. Ergò non est contradictio, Essentiam Divinam absolutè, velut est in unâ duntaxat Personâ, videri *intuitivè* ab intellectu etiam creato.

5. Tertia Sententia est S. Thomæ *pras. q. 12. a. 7. ad 2. & 2. 2. q. 2. a. 8. ad 3. item in 3. p. q. 33. a. 5.* Divi Bonaventuræ *in 3. dist. 14. a. 1. q. 2. circa medium Corporis.* Aureoli. *in 1. dist. 1. a. 2.* Heinrici *quodl. 2. q. 4.* Durandi *in 4. dist. 49. q. 3. n. 5.* & plurium ex antiquioribus. Cajetani *2. 2. q. 2. a. 8. & 3. p. q. 3. a. 3.* Bannis *1. p. q. 12. a. 7. dub. 2.* Zumel *ibi. q. 2. concl. 6.* Nazarij *eod. a. 7. cont. 1. & 2.* Serræ *ibid. dub. un. concl. 1. & 2.* Soti *in 4. dist. 49. q. 3. a. 3. concl. 2.* Ioannis à S. Thomâ *pras. disp. 15. a. 1.* Gonet *disp. 3. de Vis. Dei. a. 2.* Labat *hic disp. 4. dub. 8.* & omnium ex Sacrâ Familia Dominicanâ. Item Carmelitarum apud Philippum à S. Trinitate. *disp. 5 de Objecto Vis. Beat. dub. 2.* Benedictinorum Salisburgensium in varijs suis disp. nominatim Patris Rassler *de Vis. Beat. Thesi. 6.* & in Controversijs meis Schol. *Cont. 8. & 9.* Petri à S. Ioseph Fuliensis *lib. 1. de Deo. c. 8. resol. 3.* Puteani Augustiniani *pras. q. 12. a. 8. dub. 1. concl. 1.* Nec non ex Patribus Societatis Iesu Molinæ *hic disp. 4.* Suarezij *1. p. tract. 1. lib. 2. c. 22. n. 8. & c. 23. à n. 19.* Vasquezij *disp. 42. c. 2.* Mæratij *tract. de Deo. disp. 17. sect. 1. concl. 2.* Fasoli *hic a. 8. dub. 2.* Valentiæ *punct. 7. quæstiunculâ 2. ad 1.* Amici *cit. disp. 9. sect. 18. n. 322.* docentium, non tantùm de facto videri à Beatis Essentiam Divinam cum omnibus attributis quà subsistentem in tribus Personis, sed nec *per absolutam Dei potentiam* fieri posse; quòd *intuitivè* videatur Dei Essentia, non visis personalitatibus, & attributis.

Conclusio I.

Certum est, de facto videri à Beatis omnes perfectiones Divinas, tam Notionales, quàm Essentiales, & attributales.

6. Probatur. Per visionem Beatificam videtur Deus, *sicuti est. 1. Ioann. 3.* Ad hoc verò alludens Concilium Florentinum *in Decret. de Purgat.* ait: *Animas Beatas intueri ipsum Deum unum, & Trinum, sicuti est.* Unde ratio definiendi, quòd videatur Deus non tantùm quà in Essentiâ unus, sed etiam Trinus in Personis, erat Concilio Florentino, quòd Beati viderent Deum *intuitivè, sicuti Est.* At hæc ratio militat respectu omnium Attributorum, ac perfectionum *formaliter* Deo inexistentium. Ergò omnia, quæ sunt in Deo *formaliter*, videntur à Beatis.

Conclusio II.

Implicat, Essentiam Divinam videri *intuitivè*, quin videantur Hypostases ejus relativæ, atque omnes ejus perfectiones attributales.

Probatur ex Verbis Christi *Ioan. 14. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum; non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Nam hæc verba procedere de Visione Beatificâ, præter alios testatur S. Augustinus *1. de Trinit. c. 8.* At in illis verbis duæ sunt propositiones inter se taliter connexæ, ut posterior contineat rationem, & argumentum prioris. Ergò circuminsessio, seu inexistentia Patris in Filio probat, quòd visâ substantiâ Filij necessarium sit, videre Hypostasin, & Essentiam Patris. At in bonâ argumentatione æquè necessarium est consequens, ac antecedens, ex vero enim non nisi verum, & ex necessario non nisi necessarium infertur. Ergò æquè necessariò verum est, quòd visâ substantiâ videatur Hypostasis Patris, quàm necessariò verum est, quòd Pater sit in Filio per identitatem substantiæ cum Hypostasi tum Patris, tum etiam Filij. At veritas tam necessaria est, Patrem esse in Filio, quàm necessariò Deus est unus, & Trinus. Ergò omnino immutabilis, & ne quidem per *Divinam absolutam potentiam* variabilis veritas est, quòd visâ substantiâ Filij, videatur etiam Hypostasis Patris. Atqui ratio illa Unitatis, seu identitatis substantiæ tenet respectu omnium perfectionum Divinarum tam absolutarum, quàm relativarum: hæ namque sunt una simplicissima Divinitatis Essentia, tametsi in ratione Hypostasum *quoad esse ad* inter se *realiter* distinguantur. Consequens igitur est, non posse etiam *per absolutam Dei potentiam* fieri, quòd visio Beatifica, seu intuitiva Essentiæ Divinæ non terminetur clarè, ac distinctè ad omnia, quæ *formaliter* per simplicissimam substantiæ unitatem Deo inexistunt. 7.

Respondebis. In Mysterijs Fidei quandoque formari argumentationes ex propositionibus, unâ habente certitudinem intrinsecam naturalem duntaxat, & physicam, alterâ verò habente certitudinem prorsus infallibilem non tantùm ab extrinsecâ Dei revelantis authoritate, sed propter intrinsecam terminorum connexionem. Ex tali proinde argumentatione inferri conclusionem, quæ ab intrinseco non excedit certitudinem physicam, tametsi ab extrinsecâ Divinæ Veritatis authoritate sibi per legitimam consequentiam applicatâ participet certitudinem non tantùm scientiæ, sed etiam fidei Divinæ. Pari ergò ratione illam Christi propositionem: *Quia ego in Patre, & Pater in me*, esse in ratione veritatis absolutè immutabilem, attamen in prætactæ consequentiæ illatione latere hanc quasi majorem: *Quisquis videt Personam, quæ secundùm suam substantiam, & Essentiam est in alterâ Personâ, sive cujus substantia est realiter identificata cum utrinsque Persona Hypostasi, ille visâ unâ Personâ videt & alteram.* De hac proinde propositione non minùs, quàm de conclusione inde deductâ procedere difficultatem. 1. An non tantùm de facto, sed secundùm ipsam rei naturam sit certa certitudine etiam fidei seu Theologicâ? 2. Posito, quòd ex Christi assertione esset certitudo fidei

fidei etiam quoad hoc, quòd Visio Divinæ Essentiæ propter hujus cum Divinarum Personarum Hypostasibus identitatem esset talis naturæ, ut visâ unâ foret necessarium, videri & alteram: manere tamen difficultatem, an ista necessitas sit *tantùm physica* secundum quandam connaturalitatis exigentiam; vel *Essentialis* & *Metaphysica*, ita ut neque per absolutam Dei potentiam variabilis sit?

11. Contra. Nam ex Sacro allegati Evangelij contextu constat; illam Christi argumentationem elicuisse Philippum, quando jam erat instructus de Visione Dei, quæ esset satiativa, adeoque Beatifica hominis; hinc enim dixit: *Ostende nobis Patrem & sufficit Nobis.* Ex quâ petitione alioquin honesta & pia redarguebatur Philippus à Christo: *Non credis, quia Ego in Patre, & Pater in me?* Hæc verò argutio, & quodammodo increpatio fuit in Philippum prolata, quia suo intellectu prætactis fidei propositionibus jam instructo non intenderat ad hoc, quòd æquè Christi, ac Patris Visionem appeteret, cùm, qui videret illum, videret & istum. At verò, si stare

12. posset quoad Essentiam Visio Beatifica per intuitionem Divinæ substantiæ, & Hypostasis Patris, quin persona Filij *in recto* saltem, & *Primariò* attingeretur; cur Philippus Patris Visionem appetens argueretur ex hoc: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Oportet igitur Visionem Dei, ut est in se, talis esse Essentiæ, ut non possit attingi substantia Patris sine Hypostasi etiam Filij. Hanc verò formalem & Essentialem Visionis Beatificæ rationem infert Christus ex natura objecti, nimirum substantiæ Divinæ, per cujus unitatem, & simplicissimam identitatem Pater est in Filio, & Filius in Patre. Cùm igitur Essentiæ rerum respectu *potentiæ Dei etiam absoluta* omnino immutabiles sint, consequens est, Christum in illâ argumentatione indicasse, quòd visâ Dei substantiâ sit omninò necessarium, videri tres Personas, ac perfectiones Divinas attributales, ita ut oppositum implicet, ac repugnet *respectu potentiæ Dei absolutæ*.

13. Cujus ratio fundamentalis est: Visâ Dei Essentiâ videtur purissima Essendi actualitas, *ut est in se*. At sicuti omni enti *Transcendentaliter* inest Unitas *in se*, & *à se*, sine quâ unitate non est *intuitivè* intelligibile ullum Ens: sic purissimus Essendi actus non est visibilis sine suâ unitate. Hæc verò in actu purissimo est eo ipso identitas omnis perfectionis simpliciter simplicis, seu formalitatis Deo inexistentis. Hâc verò identitate visâ non est possibile, non videri omnem perfectionem vi talis identitatis actualissimæ, ac simplicissimæ inexistentem Deo. Ergò implicat, Divinam substantiam *intuitivè* videri, quin tota ejus perfectio, tam absoluta, quàm relativa videatur.

14. Replicabis ex Arriaga *cit. disp. 9. sect. 6.* Inter prædicata Divina, in quibus non est distinctio virtualis, non quidem posse per visionem Beatificam fieri præcisiones objectivas, sed formales duntaxat, ita ut omnia hæc prædicata sit necessarium attingi ex parte objecti, tametsi possit in Visione non minùs Beatificâ, quàm naturali sensuali, vel etiam intellectuali aliqua obscuritas, & claritatis defectus intervenire, ita, ut licèt totus Deus ex parte objecti cognosceretur, nihilominùs esset tam imperfecta visio, ut videns dicere non posset, *Objectum, quod video, est Deus*: sed solùm, *Est Ens*: alia verò visio nonnihil clarior exprimeret Deum quà substantiam, non verò secundùm alia prædicata Divina. Quod à fortiori habere locum inter prædicata *virtualiter* distincta, Essentiam nimirum & relationem, Intellectum & Voluntatem: Si enim ob virtualem illam distinctionem Beatos de facto, sit necessum, facere inter illa prædicata præcisiones objectivas affirmando: *Essentia non producitur, Relatio Verbi producitur*, imò si physica unio Hypostatica in Christo immediatè terminetur ad Relationem Verbi, non verò ad Essentiam; Cur ergò negetur possibile, quòd Visio Dei attingeret Essentiam, non verò Hypostases relativas.

Contra. Nam quòd Entis creati visio sive intellectualis, sive sensualis vel ob medij obscurationem, atque turbationem, vel ob defectum aliquem luminis, vel indispositionis Organi possit adeò esse obscura, ut non discernat inter objecta, atque adeò intellectus certificari tunc queat de uno duntaxat, non verò de alijs rei visæ prædicatis. Hujus ratio desumenda est ex limitatione Entis creati: in his enim omnibus, ac singulis prædicatis seu formalitatibus est *transcendentaliter* imbibita ratio potentialitatis, atque adeò limitationis Essentialis. Hæc verò limitationis ratio facit, ne una formalitas in conceptu suo essentiali *Transcendentaliter* includat aliam formalitatem. At intelligibilitas cujuslibet formalitatis est secundum rationem ejus quidditativam, ac essentialem. Ergò eo ipso, quòd ratio formalitatis creatæ ob potentialitatem, seu limitationem *essentialiter* sibi imbibitam possit quoad conceptum suum quidditativum stare sine aliarum perfectionum, quas *Transcendentaliter* non importat, formalitatibus, consequens est, posse *quidditativè*, ac *intuitivè* videri tam imperfectè, & confusè, ut una duntaxat formalitas v. g. coloris, non verò albedinis ut sic clarè discernatur. At secus est in 16.

Prædicatis Divinis, in quibus ratio actûs puri *Essentialiter* & *transcendentaliter* est imbibita. Ex ratione verò puræ actualitatis est, quòd in Deo non sit alia formalitas Bonitatis, & Sapientiæ, alia Essentiæ & Hypostasis, alia existentiæ, & & substantiæ, sed una simplicissima formalitas per summam identitatem, & actualitatem continens plenam & totam perfectionem. Hanc igitur simplicem in ratione Entis, ac perfectionis simpliciter infinitam purissimam actualitatem necessarium est videri per Visionem Divinæ Essentiæ, ut adeò impossibile sit, intellectum Beati per *præcisionem objectivam* distinguere inter Essentiam, & Hypostasin Verbi dicendo: *Hæc, non verò illa producitur.* Confirmatur. Nam actualitas illa Essendi ita est Dei Essentia improducibilis per *identitatem realem formalem* communis 17.

tribus Personis, ut *formaliter à parte rei* sit Hypostasis Verbi *positivè* incommunicabilis, à Patre *realiter* producta. Si ergò aliqua Visio Dei sit quidditativa, Deum, ut est in se, attingens, consequenter tota, & plena Essendi actualitas, atque adeò omnis perfectio *formaliter* per simplicissimam identitatem Deo inexistens attingi debet non tantùm *ex parte objecti*, sed etiam *ex parte Visionis.* Hinc tametsi per Unionem Hypostaticam Verbi ita supponitetur Humanitas Christi, quin Essentiæ Divinæ *realiter* identificatæ fiat ad eandem na-

idem naturam humanam Unio in ratione essentiæ, & naturæ: nequit tamen Hypostasis Verbi, ut est in se, videri, nisi videatur *intuitivè* Essentia, & omnis formalitas Deo inexistens. Cujus ratio est, quia nequit Ens videri, ut est in se, quin videatur ipsius Esse. Hypostasis autem Verbi non est aliud Esse, quàm actualissimum. At in quantum Enti alicui convenit Essendi actualitas, in tantum excludit potentialitatem. Hæc verò potentialitatis exclusio est *formaliter* per identitatem perfectionis. Si ergò in Ente aliquo sit omnimoda potentialitatis exclusio, oportet habere ut sic *formaliter* sibi indentificam omnem perfectionem seu formalitatem omnimodæ actualitatis. Quia ergò nulla Divina formalitas, *ut est in se*, seu *Quidditativè intelligibilis*, est sine hâc purissimâ & omnimodâ, actualitate, quæ ut sic *formaliter* dicit simplicissimam omnis perfectionis simpliciter simplicis identitatem, consequens est, non posse *intuitivè* videri unam perfectionem, seu formalitatem Divinam, quin omnes videantur.

18. Cujus nostræ argumentationis vim & efficaciam clarè innuit Concilium Florentinum *præi. cond.* allegatum: ubi, quia Beati vident Deum, *sicuti est*, infert, *videre Deum non tantum quà Unum, sed etiam quà Trinum.* Hoc verò argumentum reverà inefficax foret, si stare posset Visio Dei, *sicuti est*, dum tamen *per præcisionem sive formalem*, sive *objectivam* videretur sola Essentia, non verò Trinitas Personarum, seu perfectiones Dei attributales.

19. Instabis ex Ysamberto *cit. disp. 8.* Ad Visionem intuitivam objecti, *sicuti est*, sufficere, ut objectum attingatur sub eo Essendi modo, quo vel per se, vel per speciem repræsentatur intellectui, & ut insuper modus iste Essendi ita existat in re, sicuti videtur. Nec verò opus esse, ut omnis objecti modus Essendi attingatur à Visione; sic enim Dæmon, licèt *intuitivè* viderit Humanitatem Christi, ejus tamen modum existendi in Verbo videre non poterat. Atqui Divina Essentia est sui repræsentativa in intellectu Lumine gloriæ illustrato, eumque movet ad sui visionem non absque concursu Decreti liberi; Unde secundùm applicationem Decreti ejusmodi potest movere intellectum ad Visionem sui secundùm illum duntaxat Essendi modum, quem habet, prout distinguitur virtualiter à suis Attributis, & Personalitatibus relativis.

20. Contra. Nam verum quidem est, Ens aliquod eatenus videri *Quidditativè*, quatenus ejus Essendi ratio in se videtur; at *intuitivè* videri, quatenus cum Essentiâ videtur etiam Existentia. Hinc Dæmon, quia suo intellectu videbat Humanitatem Christi quà terminum actionis sui productivæ, quin tamen ejus existentiam ac subsistentiâ in se, sed in effectibus videret duntaxat in confuso; habuit Humanitatis Christi Visionem Quidditativam, sed imperfectè duntaxat

21. intuitivam. At verò nulla Essendi ratio in Deo est intelligibilis, nisi sub ratione actualitatis purissimæ. Ut sic verò dicet *essentialiter* Existentiam, imò secundùm quod est à parte rei, per actualissimam identitatem non tantùm *realiter*, sed *ex naturâ rei formaliter* importat omnimodam formalitatem, quæ in suâ quidditate nullam includit rationem potentialitatis, atque adeò limitationis. Est autem per se notum, ejusmodi Essendi rationem sicuti est in se, non esse intelligibilem, quin omnis perfectionis simplicis per actualissimam identitatem *transcendentalem* in se imbibita formalitas videatur.

22. Unde facilè patet discrimen inter Visionem Humanitatis Christi, & Formalitatis alicujus Divinæ: Nam quælibet istarum per purissimam actualitatem est *formalissimè à parte rei* plena perfectio Dei, cùm econtra Humanitas Christi *realiter* distinguatur à suâ existentiâ. Quia ergò ex natura modi Essendi Divini implicat, unam formalitatem Divinam sine plena omnimodæ perfectionis Dei actualitate, *sicuti est in se*, videri, consequens est, applicationem Divinæ Essentiæ ad sui intuitivam Visionem non posse à libero Dei Decreto eatenus fieri, ut Dei Essentia quà *virtualiter* distincta à suis Personalitatibus, ac perfectionibus videatur *intuitivè*; quin istæ distinctè, & clarè hoc ipso attingantur; quòd virtualis distinctio illa nihil aliud sit, quam Divinæ perfectionis secundùm omnimodæ actualitatis purissimam, & a parte rei formalissimam identitatem Eminentia.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

23. AD *n. 3.* Oppositum Respondetur. Illud argumentum niti falso fundamento, quòd nimirum Omnipotentia, & Scientia Dei in suâ ratione formali importet relationes Transcendentales ad creaturas. *de quo seq. art. cont. 1.* Unde rejecto illo fundamento, fieri consequens, Divinorum prædicatorum in *primaria*, seu *propriè dicta*, & *secundaria* seu *latè accepta attributa* distinctionem esse ineptam, & meritò eliminandam è Scholis, nisi sub *impropriè dictis attributis Dei* intelligantur perfectiones aliquæ Divinæ, non præcisè secundùm quod sunt *formaliter* in Deo, sed quatenus sub aliquâ ex creaturis per intellectum nostrum in se quasi reflexâ denominatione, seu connotatione important respectum rationis, cujus tamen fundamentum sit absoluta nullam erga creaturam *realiter* importans relationem Deo *formaliter* inexistens perfectio; quam adeò necessarium sit secundùm formalitatem suam realem videri per Visionem Divinæ Essentiæ.

24. Ad Scoti *n. 4.* oppositum Respondetur: Negando, quòd Pater in illo priori Originis, in quo concipitur Principium Filij, Essentiam Divinam quà objectum Beatificans & quà Formaliter intelligibilem habuerit intellectui suo intelligibiliter repræsentatam ut in una præcisè Personâ existentem, non verò quà comunem Tribus Personis. Etenim Pater æternus priùs origine, quàm generaret Filium, erat perfectè Beatus illa ipsâ Beatitudine, quam communicabat Filio. Atqui extra dubium est, quòd Pater comunicarit Filio cognitionem Beatificam quà comprehensivam, adeoque intuitivam non Essentiæ duntaxat, sed omnium Divinarum Personarum, & attributorum. Ergò in priori Originis, in quo Pater intelligitur Principium generans, & activè communicans Filio Beatitudinem perfectam, habuisse Visionem Comprehensivam omnis formalitatis Divinæ.

25. Instabis ex eod. subtili Doctore *cit. q. 2. n. 6.* Si Pater *in priori Originis*, in quo est principium generans Filij, intelligit Beatificâ Visione Essentiam Divinam, quatenus est in Filio, imò & Spiritu

Sancto. Ergò Pater recipit aliquid perfectionis à Filio. Consequentia probatur. Intellectus recipit aliquid perfectionis ab Intelligibili; insinuante Philosopho *12. Metaph. tex. 15.* ubi probat, *si Deus intelligeret aliquid aliud à se, vilesceret ejus intellectus, quia perfectionem reciperet ab intelligibili.* Ergo pari ratione intellectus Patris in *priori Originis* reciperet perfectionem ab Hypostasi Filij tanquàm suo intelligibili, si tunc esset intelligens *comprehensivè* non Essentiam tantùm, sed etiam Filij Hypostasin. Ex hoc autem consequeretur,

26. tum quòd Pater non haberet omnem perfectionem à se, nec adeò esset prior origine: Tum quòd non omnis perfectio simpliciter, & Essentialis sit aliquo modo prior proprietatibus, sed aliqua quasi posterior ipsis Personis, quippe intellectio Patris esset quodammodo posterior Personalitatibus tanquàm objecto intelligibili. Hæc autem sunt absurda, ergò & id, ex quo sequuntur.

27. Respondetur. Quòd intellectus, vel intellectio nihil recipiat perfectionis ab objecto suo nisi quà *Motivo & specificativo*. Hinc enim intellectus Divinus non vilescit intelligendo creaturas, eò quòd ab his, *tanquàm objecto secundario*, & solùm *terminativo* nihil perfectionis accipiat. At verò intellectûs Divini Objectum *motivum*, quod in ratione formæ intelligibilis fœcundat, & actuat, est Essentia Dei, à cujus intelligibilitate ne quidem *Virtualiter* distinguitur intelligibilitas Relationum Personalium & attributorum Divinorum. Unde tametsi Filius procedat à Patre per cognitionem non solius Essentiæ Divinæ, sed etiam Hypostasum, imò & creaturarum, *velut infra demonstrabitur*, tamen Pater in ratione principij generantis, sive ejus intellectus quà fœcundus nihil recipit à creaturis, utpote *objectis* tantùm *terminativis*. Et quia intellectus Patris non habet intelligibile sui *specificativum*, nisi Essentiam Divinam, per quam omnis Deo inexistens Formalitas est *Formalissimè* intelligibilis. Idcirco licèt Pater in *prioriOriginis*, in quo est principium generans Filij sit intelligens non tantùm Essentiam, sed Hypostasin Filij, imò & Spiritûs Sancti; ab his tamen Hypostasibus quà objectis intelligibilibus nullâ accipit Perfectionem, sed intellectio Patris Essentiam Divinam *Formaliter Identicè* specificata habet intelligibilitatem actualissimè expressivâ omnis Deo inexistentis Formalitatis utpote in se non intelligibilis nisi per Essentiæ Divinæ intelligibilitatem, *velut infra q. 5. a. 2. cont. 1. demonstrabitur.*

28. Confirmatur ex ipsius Scoti Argumento. Nam omnis perfectio essentialis est aliquo modo prior proprietatibus personalibus. Atqui cognitio Hypostasum, imò & creaturarum in Divinis est perfectio essentialis, & absoluta, utpote communis tribus Personis. Ergò ista cognitio est quodammodo prior Hypostasibus proprijs Divinarum Personarum, imò cognitio Hypostasis Filij est hoc ipso priùs in Patre, quàm in Filio, quòd huic communicetur à Patre. Constat igitur, inefficacem esse Scoti consequentiam.

29. Replicabis. *Pro illo signo*, in quo Filius est cognitus, est hoc ipso productus: procedit enim Filius per modum termini cogniti. At Essentia Divina, & omnis perfectio absoluta, atque adeò Beatitudo perfecta est *prius origine* in Patre, quàm Filius intelligatur productus. Ergò *in illo signo prioritatis Originis* Pater est perfectè Beatus per Visionem Essentiæ, antequàm Filius sit cognitus. Ergò cognitio Beatifica potest in ratione suâ formali intelligi, quin sit cognitio Hypostasis Filij.

Respondetur: Filium *in priori Originis* esse à Patre cognitum *Essentialiter*, quin *pro illo signo* sit productus per *cognitionem Notionalem*. Neque Filium procedere tanquàm *objectum cognitum cognitione Essentiali*, sed tanquàm *terminum Dictum cognitione Notionali*. At verò Hypostasin Filij unà cum Essentiâ, & omnibus tam proprietatibus Personalibus, quàm Perfectionibus Divinis absolutis esse *objectum* Patris intellectum *Beatificans secundùm sui cognitionem Essentialem*; non verò *Notionalem*. Quia ergò Filius in *ratione termini producti*, seu *per cognitionem Patris Notionalem Dicti* origine posterior est *cognitione sui essentiali*, quà Patri inexistente, sequi quòd ista *in illo priori Originis* sit de ratione Beatitudinis Intellectûs Paterni, quin Filius *secundùm illud instans Originis activæ* sit passivè productus, licèt *pro tali signo* debeat esse cognitus. 30.

Urgebis denique. Cognitio Dei, quà *formaliter* Quidditativa, adeoque Beatificativa intelligitur quatenùs terminata ad Essentiam Divinam. Atqui Hypostases Divinarum Personarum non sunt de Essentiâ Dei, siquidem de fide sit, Patrem communicare Filio totam Essentiam, quin eidem communicet Hypostasin. Quia ergo cognitio Dei *quà formaliter* Quidditativa, adeoque intellectûs tam Divini, quàm creati Lumine gloriæ illustrati Beatificativa concipi potest, quin ut sic terminetur ad Hypostases, consequens est, totum fundamentum ruere, ex quo superiùs desumpta est implicantia, ob quam impossibilis sit Visio Divinæ Essentiæ sine personalitatibus relativis. 31.

Respondetur: Tametsi Hypostases, seu Personalitates Divinæ secundùm virtualem distinctionem & objectivas in hâc fundatas præcisiones non sint de Essentiâ Dei, tanquàm prædicata ejusdem constitutiva, se habere tamen in illâ tanquam realitates ex natura rei etiam *formaliter* Identificatas, imò Divinarum Personalitatum Essendi rationes esse ipsissimum Esse Dei sive ipsam Essentiæ Divinæ formalitatem; quæ eatenus sub ratione Esse Veri seu intelligibilis ac Perfectionis Tota communicatur Filio, ut nihil intelligibilis Veritatis seu perfectionis sit in Hypostasi Patris, quin *Formaliter* sit in Hypostasi Filij, tametsi cum hac secundùm Essentialitatis, Perfectionis ac intelligibilitatis rationem Identitate adhuc subsistat oppositio relativa *Formaliter* distinctiva Patris ac Filij Hypostasum. At verò eo ipso, quòd Essentia *Quidditativè*, ut est in se, videatur, oportere videri ejus Unitatem Transcendentalem, adeoque omnis perfectionis, seu realitatis *Transcendentaliter* sibi imbibitæ *identitatem* etiam *formalem*. Hâc autem visâ implicare, non videri formalitates ita inter se identificatas. Ergò impossibile esse, quòd Visio Divinæ Essentiæ Quidditativa præcisè terminetur ad Essentiam Dei, quin *Essentialiter* attingat Hypostases. 32.

CON-

CONTROVERSIA II.

An, & qualiter Deus ab intellectu creato incomprehensibilis sit?

1. SUpponendum 1. Comprehensionem quandoque accipi, prout est terminus prosecutionis, estque ut sic Finis acquisiti tentio, seu possessio. In quo sensu possibilem esse Comprehensionem Dei quà ultimi Finis Sanctorum, probat illud Apostoli *ad Eph. 3. Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum & c. ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Est igitur alia nostro instituto conveniens Comprehensionis acceptio pro adæquatâ objecti alicujus cognitione. Quo sensu Deum esse incomprehensibilem, testantur, sacræ Litteræ 32. Hierem. *Magnus consilio &, incomprehensibilis cogitatu.* Et Eccles. 43. *Ne laboretis, non enim comprehendetis.* Hinc *cap. firmiter. de Sum. Trinit.* dicitur: *Unus solus est verus Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis, Omnipotens, ineffabilis.*

2. Supponendum 2. Ioannem à S. Thomâ *ad præs. q. 12. disp. 15. a. 8.* meritò reprehendere Vasqueziū *disp. 52.* asserentem, Non esse de fide, quòd Deus sit incomprehensibilis per absolutam potentiam, sed sicuti à Sacris Litteris, & Patribus dicitur invisibilis, ac ineffabilis, qui tamen respectu cognitionis creatæ solùm naturalis, non verò supernaturalis per gratiam invisibilis est; sic esse incomprehensibilem in ordine ad cognitionem creatam duntaxat naturalem. Nam

3. præterquam quòd ista sententia refragetur communi Theologorum sensui, refutatur ex eo, quòd Patres Invisibilitatem, & incomprehensibilitatem recenseant tanquam distincta Dei Attributa. Hinc Beda *in illud 1. Ioan. 3. Videbimus eum, sicuti est,* ait: *Promittimus Vobis videre Deum, nam comprehendere concedi non potest.* Et Gregorius *10. Moral. c. 10. Etsi hunc in Charitate quandoque conspicimus, non tamen ejus Essentiam plenè intuemur.* Ex quo patet; Deum longè magis esse Incomprehensibilem, quàm invisibilem. Est autem Deus ita invisibilis per naturam intellectûs creati, ut tamen ab hoc visibilis fit per gratiam; seu lumen supernaturale. Oportet ergò, quòd respectu virium etiam supernaturalium repugnet, Deum comprehendi ab intellectuali creaturâ, eo ipso, quòd creatura sit: id clarè insinuante Gregorio Papâ *18. Moral. c. 39.* ubi ait: *Longè dispariter videt creator se, quàm videt creatura Creatorem: nam quantum ad Immensitatem Dei, quidam novus modus figitur Contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creaturæ sumus.*

4. Cùm igitur ex hoc ipso, quòd Intellectus creatus limitatæ sit naturæ, non possit, nisi modo finito videre Deum; nequeat autem modus finitus circumscribere substantiam infinitam: Comprehensio verò sit quasi circumscriptio rei intellectæ, Divo Augustino *in epist. 112. c. 9. finem* attestante, *Illud comprehendi, cujus fines circumspici possunt*: neque verò Deus possit intellectum creatum per elevationem supernaturalem extrahere ex statu naturæ limitatæ, & creatæ, consequens est, Comprehensionem Dei non esse respectu intellectûs creati etiam supernaturalis possibilem. His adeò suppositis, restat discutienda difficultas, *Cur Beati videntes omnia, quæ sunt formaliter in Deo, hujus tamen substantiam non comprehendant?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

5. HUjus rationem Thomistæ adstruunt, quòd ad comprehensionem requiratur, & sufficiat cognitio extensiva omnium, quæ vel *formaliter*, vel *eminenter* sunt in objecto: Angelico Doctore *præs. q. 12. a. 8.* asserente. *Nullum intellectum creatum videndo Deum, posse cognoscere omnia, quæ Deus facere potest, quia hoc esset comprehendere ejus Virtutem.*

Subtilis Doctor *in 3. dist. 14. q. 2. n. 10.* contra hanc rationem sic arguit. Quando ipsi A conveniunt B. & C. ordinatè, ita quòd B. sit tota ratio respectu C. tunc si intelligens B. non comprehendit A. multò magis intelligens C. non comprehendit A. Exemplum est de subjecto, Definitione, & Passione: Si enim intelligens definitionem non comprehendit subjectum, neque intelligens Passionem comprehendit illud. Atqui respectu Dei Esse infinitum intensivè, & Esse, in quo infinita possibilia quomodocumque relucent, se habent ordinatè, ita quòd quia est infinitus intensivè, ideo infinita possibilia relucent in eo, & ita infinita possibilia potest. Neque verò cognoscens Deum sub ratione infinitatis intensivæ comprehendit ipsum. Ergò multò magis cognoscens infinita possibilia, quæ relucent in eo, sive ejus infinitos effectus, non comprehendit ipsum. 6.

Conclusio.

RAtio ex Doctore Angelico superiùs insinuata efficax, & omninò tenenda est.

Probatur argumento ejusdem S. Doctoris *cit. a. 8.* Manifestum est, quòd quantò aliqua Causa perfectiùs videtur, tantò plures ejus effectus in eâ videri possunt. Qui enim habet intellectum elevatum, statim uno principio demonstrativo proposito, ex ipso multarum conclusionum cognitionem accipit: quod non convenit ei, qui debilioris est intellectûs, sed oportet, quòd ei singula explanentur. Ille igitur intellectus potest in causâ cognoscere omnes causæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam *totaliter* comprehendit. Ergò quia nullus intellectus *totaliter* Deum comprehendere potest, consequenter videndo Deum non potest cognoscere omnia, quæ Deus facere potest. Ergò intellectus creatus, etsi omnia, quæ *formaliter* sunt in Deo videat, ipsum tamen non comprehendit, *dum non videt omnes effectus eminenter in ipso contentos.* 7.

Respondet Scotus *cit. q. 2. n. 12.* in hoc argumento esse fallaciam consequentis: Licèt enim perfectiùs causam cognoscens possit plures effectus cognoscere, non tamen è converso sequi, quòd cognitio effectûs sit ratio perfectioris cognitionis causæ: cùm possit stare cognitio principij non aucta conclusionibus pluribus ex ipso elicitis. Pari ergò ratione posse stare cognitionem causæ non auctam pluribus effectibus in eâ cognitis. 8.

Contra.

9. Contra. Nam aliud eſt, notitiam concluſionum in, & ex principio tanquam Cauſâ exigere perfectiorem Principij cognitionem; aliud verò eſt, facere ipſam perfectionem. Prius ergò, non poſterius in prætacto argumento aſſeruit Divus Thomas, quem proinde per ſubtilitatem nonnihil tenuiorem in alterum ſenſum retorſit Scotus, veluti advertit Cajetanus *præs. a. 8. § ad Objectiones.* Quia igitur virtus cauſæ, ipſomet etiam Scoto *ubi ſupra* fatente, eſt medium cognoſcendi effectus in ſe *virtualiter* contentos, evidenter ſequitur, quantò perfectiùs penetratur cauſa in ſe *virtualiter* continens omnes effectus poſſibiles, tantò plures in ipsâ tanquam medio
10. cognoſci effectus. At licèt virtus Divinæ potentiæ nullam cum effectibus creatis connexionem & poſſibilitatem, ſeu Tranſcendentalem ad illos relationem habeat, eſt tamen medium ex ſe proportionatum ad effectus in ſuâ virtute cognoſcendos, *velut ſeq. art. demonſtrabitur.* Ergò quantò plures in Virtute Divinæ potentiæ videntur effectus, tantò perfectiùs Deus videtur. At verò Virtus Divinæ potentiæ eatenùs eſt medium cognoſcendi in ſe effectus poſſibiles, quatenùs eſt activa imitabilitas, ex quâ derivantur creaturarum quidditates, & perfectiones participatæ. Si ergo omnes effectus poſſibiles videantur in Deo, oportet Divinæ ſubſtantiæ imitabilitatem videri non tantùm totam ex parte ſui tanquam objecti, ſed etiam *Totaliter*, ita ut tota ejus cognoſcibilitas tunc exhauriatur ſecundùm cognoſcendi modum cognoſcibilitati objecti omninò commenſuratum. At illud comprehenditur, quod in tantum cognoſcitur, in quantum cognoſcibile eſt, ita ut modus cognoſcentis commenſuretur cognoſcibilitati objecti. Ex S. Thomâ *præs. q. 12. a. 7.* Ergò ſi in Deo viderent Beati omnes effectus poſſibiles, comprehenderent ejus virtutem.

11. Replicabis: In hâc conſequentiâ ſupponi, quòd comprehenſio Divinæ ſubſtantiæ importet adæquationem cognitionis cum adæquato Divinæ Omnipotentiæ termino. At iſte terminus eſt tantùm Syncategorematicè infinitus, ſempèr manet intra limites creaturæ. Sicut ergò in ratione Eſſendi diſtat infinitè ab Eſſentiâ Divinâ, ſic in ratione cognoſcibilitatis eſt diſtantia infinita inter omnes effectus poſſibiles, ac eſſe ſubſtantiæ Dei. Ergò ex eo, quòd omnes effectus poſſibiles eſſent cogniti in Deo tanquam ſpeculo, ſeu medio objectivo, non infertur, quòd Divina ſubſtantia deberet comprehendi.

12. Contra: Nam licèt omnium *collectivè* creaturarum cognoſcibilitas in ſe viſa non eſſet medium proportionatum ad Divinæ ſubſtantiæ virtutem *comprehenſivè*, imò etiam *quidditativè* videndam: Nihilominus, ſi omnes Entitates, ac formalitates creabiles, ſive ex Divinâ ſubſtantia derivabiles in hac *intuitivè* viſâ penetrentur, oportet hanc Dei ſubſtantiam non tantùm videri totam, ſed etiam *Totaliter*.

Probatur iſta ſequela. Totalis cognitio eſt ſe-
13. cundùm adæquationē cognoſcibilitatis objecti, & cognitionis. Hæc verò adæquatio in eo ſita eſt, quòd objecti *intuitivè* attacti cognoſcibilitas ceu forma intelligibilis ita uniatur intellectui, ut tanquam *motivum ſpecificativum* determinet ad omnis non tantum *formaliter* ſibi inexiſtentis realitatis, ſed omnimodæ ex ſe, & in ſe intelligibilis Veritatis intellectionem. Atqui talis inter cognoſcibilitatem objecti, & modum cognoſcendi adæquatio præſupponit lumen intellectuale commenſuratum intelligibilitati objecti. Oportet igitur, lumen intellectuale infinitum eſſe in eo, cujus intellectus Divinæ Subſtantiæ modo infinito unitur. At eo ipſo, quòd ſubſtantia Divina *in ſe* tanquam *medio objectivo*, ſeu *motivo formali, ac ſpecificativo* ſit alicui intellectui repræſentans omnes creaturas poſſibiles, oportet, ejus intelligibilitatem in ratione *objecti formalis*, ſeu *motivi ſpecificativi* eſſe unitam intellectui, in quantum poteſt eſſe repræſentativum Veritatis non tantùm intrinſecæ *formaliter* ſibi inexiſtentis, ſed omnimodæ ex ſe tanquam cauſâ derivabilis, & producibilis. Ergò Divinæ ſubſtantiæ intelligibilitas *totaliter* in *ratione formæ intelligibilis*, ſeu *motivi ſpecificativi* eſſet intellectui unita, ſi in ipſa *intuitivè* viſâ viderentur non tantùm omnes formalitates *formaliter* Deo inexiſtentes, ſed omnes quidditates poſſibiles creatæ *Eminenter* in ipſâ
latentes. Ejuſmodi verò cognitionem Totalem dicimus Comprehenſivam ex S. Auguſtino *ep. 111. c. 9.* aſſerente: *Illud comprehendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumſpiciantur, ſive circumſcribantur.* Atqui objectum, cujus intelligibilitas unitur intellectui *Totaliter* ad omnis Veritatis ex ſe cognoſcibilis repræſentationem, ita videtur, ut nihil ejus lateat, ejuſquè fines etiam *extrinſecè* ad illud ſe habentes circumſpiciantur. Conſtat igitur, ex eo, quòd intellectus aliquis in Eſſentiâ Dei *intuitivè* viſâ videret omnes effectus poſſibiles, ſeu quidditates, ac veritates ex eâ derivabiles, rectè inferri, in tali intellectu eſſe Divinæ ſubſtantiæ comprehenſi-
vam intuitionem. At per ſe notum eſt, Divi- 15.
nam Eſſentiam, utpote actu ſimpliciter infinitam non poſſe in *ratione formæ intelligibilis*, ſeu *motivi ſpecificativi Totaliter* uniri intellectui alicui, quin modo infinito ſe habeat ad illam. Si ergò requiritur lumen intellectuale infinitum in eo, cujus intellectui modo infinito unitur Divinæ ſubſtantiæ intelligibilitas; conſequens eſt, non poſſe hanc *infinitè*, nec adeò *totaliter* in *ratione formæ intelligibilis* uniri intellectui creato, veluti argumentatur S. Doctor *cit. art. 7. in corpore.* Ergò per *Dei potentiam etiam abſolutam* non eſt poſſibilis comprehenſio Divinæ ſubſtantiæ.

Ad Scoti *n. 6.* oppoſitum

16. Reſpondetur: Conceſsâ majore, verum eſſe, quòd Eſſe Dei *intenſivè*, ſeu *Eſſentialiter* infinitum ſit ratio, & cauſa, cur in ipſo reluceant poſſibilia infinita. At verò ut Eſſe Dei *intenſivè* infinitum videretur *comprehenſivè* ab intellectu creato, debere huic in ratione formæ intelligibilis uniri modo infinito. Hoc autem eò ipſo futurum eſſe, ſi omnes creaturæ poſſibiles in Eſſentia Divinâ *intuitivè* viſâ intelligerentur ab intellectu creato. Ergò ex hoc ipſo, quòd impoſſibile ſit, Eſſentiam Divinam *modo infinito* ſeu *Totaliter* in ratione formæ intelligibilis uniri creato intellectui; conſequenter per demonſtrationem à priori rectè inferre S. Doctorem *cit. a. 7. & 8.* quòd impoſſibile ſit, Deum comprehendi, & conſequenter omnes creaturas poſſibiles à Beatis videri in ſubſtantiâ Divinâ.

CONTROVERSIA III.

An & quomodo Viſio Divinæ Eſſentiæ penetret Decreta Dei Libera?

1. DEcreta Dei libera ſaltem aliqua videri à Beatis, communis eſt Theologorum ſententia, Sanctis Patribus Auguſtino *9. de Civit. Dei. c.22. & lib. 11. c. 7. & 29. & lib. 2. de Geneſi ad Litt. c.8.* Bernardo. *lib. 5. de Conſid. c. 1. & 4.* Concil. Senonen. & alijs ſæpè atteſtantibus: in Divinâ Voluntate, arte, rationibuſque æternis à Beatis videri mutationes creaturarum factas, aut faciendas ex tempore. Quocirca de modo duntaxat ſupereſt difficultas, *An videantur vi luminis gloriæ formaliter per ipſammet Divinæ Eſſentiæ Viſionem?*

Referuntur ſententiæ Doctorum.

2. NEgat Vaſquez *1. p. diſp. 50. c. 4. n. 23.* Decreta Dei libera poſſe videri in Divinâ Eſſentiâ. 1. Quia ſupra Eſſentiam Divinam ejuſmodi Decreta *formaliter quà libera* important reſpectum rationis. Hic verò non apprehenditur à Beatis. 2. Prius eſt, rem eſſe futuram, quàm Eſſentia Divina ad illam ut ſic habeat reſpectum rationis, ex quo Eſſentia in ſe neceſſaria denominatur in ratione Decreti liberi. Ergò potiùs ipſæ res futuræ ſunt Cauſæ cognoſcendi Eſſentiam Dei ſub ratione Decreti liberi, quàm econtra Eſſentia Divina ſit medium cognoſcendi futura.

3. Verùm oppoſitum ex mente S. Thomæ *1. p. q. 57. a. 5.* adſtruitur non à Thomiſtis duntaxat, ſed pleriſque alijs Scholaſticis Theologis.

CONCLUSIO.

DEcreta Dei libera videntur à Beatis *formaliter* per Viſionem Beatificam ex virtute luminis gloriæ, quatenus habet Vim revelationis ſecretorum Divinæ Voluntatis.

4. Probatur. Viſio Beatifica reſpondet cognitioni Fidei, & lumen gloriæ ad lumen Propheticum, ac lumen Fidei comparatur tanquàm Habitus principiorum. ex S. Tho. *2. 2. q. 171. a. 2.* At Divinorum Decretorum occulta, & Secreta quandoque Divinitùs revelata ſunt Prophetis, & alijs Fidelibus tradita ad credendum. *Pſalm. 50. Incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.* Et Amos 3. *Non faciet Dominus Verbum, niſi revelaverit Secretum ſuum ad Servos ſuos Prophetas.* At verò principium eorum, quæ per Prophetiam manifeſtantur, eſt ipſe Deus, qui tamen per Eſſentiam non videtur à Prophetis. Ex S. Tho. *2. 2. q. 171. a. 2.* Hoc autem principium, ſeu Deus ſe habet ad cognitionem Prophetiæ, ſeu Fidei non tantùm in ratione *cauſæ Efficientis*, ſed *Motivi*, & *objecti formalis.* Ergò quia Principium, & *motivum formale* tam fidei, quàm Prophetiæ, nimirum Deus, videtur à Beatis per Eſſentiam, oportet occulta Sapientiæ, & ſecreta Conſilij Divini ita penetrari in Eſſentiâ Dei *intuitivè* visâ, ſicuti Prophetia, & fides cognoſcendo ſecreta ejuſmodi attingunt Deum *immediatè* tanquam *Motivum*, & *objectum formale*; At hoc eſt videre Decreta Dei libera *formaliter* per Viſionem Beatificam vi luminis gloriæ inexiſtentis intellectui Beatorum per modum formæ permanentis. Ergò Beati vident Decreta Divinæ Voluntatis non tantùm per revelationem extra Verbum, ſed in Verbo, ſeu Eſſentiâ Divinâ, atteſtante Doctore Angelico *1. p. q. 57. a. 5. Eſſe autem & aliam Angelorum Cognitionem, quâ videant Verbum, & res in Verbo. Et hâc quidem Viſione cognoſcere Myſteria gratiæ, non quidem omnia, nec æqualiter omnes, ſed ſecundum quod Deus eis voluerit revelare.*

Dices: Decreta Dei libera per Viſionem Beatificam *formaliter* vi luminis gloriæ penetrantur, vel quia ſunt formalitates Deo intrinſecæ; 5. Unde conſequens erit, visâ Eſſentiâ Divinâ, fore neceſſarium, omnia ejuſmodi Decreta penetrari ab intellectu Beati. Vel decreta illa *formaliter* important connotationem extrinſecam creaturæ, ſine reſpectu Deo intrinſeco vel connexione formalitatis alicujus Divinæ ad creaturam. Ex hoc autem fit conſequens, Eſſentiam Dei, ut eſt in ſe, non eſſe medium proportionatum ex ſe & in ſe manifeſtandi creaturas actu exiſtentes.

Contrà: Decreta Dei libera ſunt *realiter* ipſa Dei ſubſtantia, quatenus hæc *formaliter* eſt 6. ſumma, & abſoluta attingentia, per eminentiam ſuam infinitam valens attingere liberè vel non attingere creaturas. In hâc verò Eminentiâ infinitâ attingendi, vel non attingendi ſecundùm libertatem Divinæ voluntatis, ita ineſt exercitium, ac determinatio libera ad aliquod objectum creatum, ut hæc ipſa tamen formalitas liberi exercitij, à parte rei non tantùm *identicè*, ſed *formaliter* ſit Eſſentia Divina, à quâ tamen *virtualiter* eſt diſtincta, ita, ut ſub hac denominatione, ſeu formalitate liberi exercitij poſſit abſque ullâ variatione non convenire Divinæ ſubſtantiæ. At verò unaquæque res ita ſe habet in cognoſcendo, ſicuti ſe habet in Eſſendo. Ergò quia illa Eminentia infinita attingendi liberè, vel non attingendi in ratione Entitatis eſt ipſa Dei ſubſtantia neceſſaria, conſequenter oportet à Beatis videri omnium Dei Decretorum Entitatem. Quia verò hæc ipſa Entitas ratione ſuæ infinitæ Eminentiæ ita habet ſecum *realiter* identificatum exercitium liberum voluntatis, ſeu determinationem actûs ad hæc, vel illa objecta, ut tamen iſta determinatio vel exercitium liberum poſſit non convenire Divinæ ſubſtantiæ, conſequens eſt, visâ Dei Eſſentiâ, non eſſe neceſſarium, videre Divina Decreta *formaliter* ſub ratione Exercitij liberi, ſeu Terminationis ad objecta. Nihilominùs ſicuti Omnipotentia Divina eſt me- 7. dium proportionatum ad creaturas poſſibiles in ſe conſpiciendas, tametſi nullam importet relationem realem, ſeu connexionem intrinſecam ad illas: ſic illa Divinæ ſubſtantiæ Eminentia, quatenùs eſt realis libera attingentia creaturarum, poteſt eſſe medium, in quo *intuitivè* viſo iſtæ reluceant, At ex hoc ipſo, quòd attingentia iſta creaturarum libera Deo *formaliter* inexiſtens non importet rationem dependentiæ, ſeu connexionis, vel relationis ad creaturas, poteſt tota omnium actuum Dei liberorum Entitas attingi à Viſione Beatificâ, quin videantur creaturæ ex talibus Decretis in tempore producendæ. Un

8. dæ. Vnde patet discrimen inter Decreta Dei libera, & formalitates Divinæ substantiæ per necessitatem intrinsecam, & essentialem inexistentes: has enim oportet eo ipso videri, quòd Essentia Divina videatur, ut est in se. At, quia illa non tantùm in ratione attingentiæ determinatæ libera sunt, sed nec in Entitate, seu formalitate suâ aliquam habent à creaturis dependentiam, idcirco visâ Dei Essentiâ non oportet penetrari ejusmodi exercitium liberum, nec consequenter videri creaturas ex ipsis prodeuntes: attestante Doctore Angelico *q. 8. de Verit. a. 4.* relationes & Consilia Divinorum operum non ita pervia esse Angelorum præsertim inferiorum intellectibus, quin isti quoad objecta ejusmodi illuminentur à Superioribus Angelis plures Divinorum operum rationes in Deo videntibus. Verùm de istâ creaturarum Visione in Verbo agemus latiùs in *seq. Articulo.*

Ad Vasquetij *n. 2.* oppositum

9. RЕspondetur: Negando, quòd Decreta Dei libera *formaliter* importent respectum rationis. Nam quia in Deo non est dependentia, vel connexio aliqua, seu relatio realis ad creaturas, liberam Divinæ Voluntatis ad has terminationem explicamus quidem per respectum rationis; attamen *à parte rei* est absoluta Dei eminentia liberè tangens creaturas, quæ attingentia secundùm suam Entitatem tam in se necessaria est, quàm respectu intellectûs Beati necessariò est attingibilis, ut tamen formalitas Exercitij, ac determinationis liberæ *virtualiter* à Divinâ Essentiâ distinctæ eo ipso, quòd libera sit, possit non convenire Deo, nec adeò, visâ Divinâ Essentiâ, debeat necessariò videri.

ARTICULUS V.

Qualiter creaturæ per Visionem Beatificam videantur in Verbo, seu Essentiâ Divinâ?

1. NOn est quæstio de Esse Eminentiali creaturarum in Deo, quod *formaliter* est vita Dei substantialis, seu ipsa Divina Essentia, juxta illud Ioan. *1. Quod factum est in ipso, vita erat.* Hoc namque videri à Beatis, constat *ex præc. art.* Procedit ergo difficultas de Esse formali, seu quidditate propriâ

2. creaturarum. *An formaliter, vel causaliter tantùm videantur à Beatis in Divinâ Essentiâ?* Etenim creaturæ dicuntur *formaliter* videri in Verbo, quatenus ipsa visio Beatifica eas *tanquam objectum secundarium* attingit, Divinâ substantiâ se habente ad illarum cognitionem per *modum medij objectivi & motivi formalis.* At *Causaliter* dicuntur creaturæ in Verbo videri, quatenus attinguntur à Beatis per revelationem, seu cognitionem à Visione Dei distinctam, ratione tamen statûs Beatifici debitam.

CONTROVERSIA. I

An, & quomodo creaturæ ex vi luminis gloriæ formaliter per Visionem Beatificam videantur in DEO?

VAsquez *præs. disp. 50.* præter alios negat, posse creaturas *formaliter* videri in Verbo, sive Divinâ substantiâ *tanquàm medio objectivo.* Probatur. Divina substantia ita est causa creaturarum, ut tamen secundùm totum suum Esse, ac omnimodam formalitatem suam intrinsecam sit Ens absolutum, ac Independens. Ergò nec attributum Omnipotentiæ, nec Scientiæ, aliudvè Dei prædicatum in ratione suâ formali importat aliquam relationem realem, seu connexionem intrinsecam ad creaturas, quin datâ per impossibile istarum impossibilitate, Deus ut est in se, intelligi possit secundùm omnem suam intrinsecam perfectionem. Confirmatur. Est enim formalitas Omnipotentiæ, ac omnimodæ perfectionis Divinæ imparticipata; ex quâ derivatur omnis creaturæ Essentia, & possibilitas. Ergo jam antecedenter ad possibilitatem creaturæ intelligitur Esse Dei, omnisque ejus perfectionis independenter subsistens in se ipso. At si creaturæ etiam quâ possibiles *formaliter* viderentur in Verbo tanquàm *medio objectivo*, oporteret in hoc esse connexionem intrinsecam cum illis. 1.

Probatur ista sequela. Eo ipso, quòd ejusmodi *medio objectivo* non inesset respectu creaturarum connexio intrinseca, & necessaria, consequens foret, sicuti Esse *medij illius objectivi* posset in se stare etiam non datâ possibilitate creaturarum, sic non esset illud *medium objectivum* infallibiliter inferens, seu repræsentans Essentias creaturarum quà immutabiles, ac necessarias. At implicat, creaturas secundùm Essentias suas repræsentari, quin Essentiæ ejusmodi cognoscantur tanquàm necessariæ, & quoad statum possibilitatis ab intrinseco immutabiles. Ergò implicat, creaturas possibiles evidenter videri in Verbo secundùm proprias suas quidditates, ac Essentias, nisi substantia Divina habeat intrinsecam, ac necessariam cum illis connexionem. At istud repugnare Divinæ substantiæ, constat ex dictis. Ergò repugnat, creaturas formaliter per Visionem Beatificam videri in Verbo. 2.

Opposita D. Thomæ *præs. q. 12. a. 9. & q. 58. a. 7. & de Verit. q. 8. a. 5.* sententia communis affirmat; etsi non omnium eam sequentium una sit ratio: alijs, nominatim Francisco de Lugo *cit. lib. 1. de Deo. c. 1. n. 9.* hujus rationem desumentibus ex eo, quòd plura Dei Attributa dicant relationes transcendentales ad creaturas; nequeat verò relatio aliqua realis *Quidditativè* cognosci sine termino. Econtra alijs maximè Thomistis negantibus Deo, ejusque Attributis relationes reales ad extra. 3.

(IHS.)

CONCLUSIO.

Divina Eſſentia eſt medium objectivum, in quo ex vi luminis gloriæ *formaliter* per Viſionem Beatificam de facto videntur creaturæ, etſi ad has nullam dicat relationem Tranſcendentalem.

4. Probatur Authoritate S. Auguſtini *lib. 22. de Civit. c. 2.* aſſerentis. *Quòd Cognitio creaturæ in ſe ipsâ decoloratior ſit, quàm cùm in Sapientiâ Dei cognoſcitur, velut in arte, per quam facta eſt.* Nam ex hoc patet, à Divo Auguſtino cognoſci creaturarum cognitionem in Dei Sapientiâ. At Doctor hic Eccleſiæ loquitur de creaturis non ſecundùm Eſſe Eminentiale in Eſſentiâ creatrice, ſed ſecundùm Eſſe, quod habent in ſe ipſis. Ergò Eſſe creaturæ proprium, & creatum poteſt videri in Divinâ ſapientiâ ſeu Verbo, uti præter alios Patres, nominatim S. Bernardum *lib. 2. de Conſc. 2.* idem S. Auguſtinus *lib. 13. Confeſſ. c. 15.* apertiùs tradit his verbis. *Beatus non opus habet ſuſcipere firmamentum, hoc enim cognoſcitur videndo Verbum tuum, videt enim faciem tuam ſemper, & ibi legit ſine ſyllabis temporum, quid velit Voluntas tua.*

5. Unde cum eodem Eccleſiæ Doctore *lib. 4. de Gen. ad litter. c. 23. & 24.* & Iſidoro *lib. 1. ſent. c. 8.* Doctor Angelicus *1. p. q. 58. a. 7.* in Angelis diſtinguit duplicem creaturarum cognitionem, alteram *Veſpertinam* per ſpecies innatas, mediantibus quibus creaturæ videntur in proprijs naturis: alteram *Matutinam in Verbo*, quatenus Beati videndo Verbum cognoſcunt non tantùm illud Eſſe rerum, quod habent in Verbo, ſed illud etiam Eſſe, quod habent in propriâ Naturâ.

6. Reſpondebis: Creaturas eatenus Eſſe cognoſcibiles in Verbo, quatenus ſunt veritates participatæ. Eſſe autem veritates participatas, quatenus per primam Veritatem ſunt revelabiles. Ergò creaturas poſſe dici videri in Verbo, quatenus cognoſcuntur à Beatis per revelationem aliquam Divinam Primæ veritati innixam, ſed tamen diſtinctam à Viſione Beatificâ.

7. Contra. Nam creaturæ à Beatis videntur taliter in Verbo, ſicut Deus per hoc, quòd videt ſe, cognoſcit Eſſe rerum, quod habent in propriâ naturâ. ex S. Tho. *cit. a. 7.* At Deus ſcit alia à ſe per Eſſentiam ſuam, in quantum eſt ſimilitudo rerum, velut principium activum earum; ex hoc enim neceſſe eſt, quòd Eſſentia Dei ſit principium ſufficiens cognoſcendi omnia, quæ per ipſum fiunt, non ſolùm in univerſali, ſed etiam in ſingulari. ex eod. S. Doctore *1. p. q. 14. a. 11.* Ergo activitas, ſeu imitabilitas activa Eſſentiæ Divinæ eſt ratio & Principium in Beatis cognoſcendi creaturas. At cognitio veritatis alicujus per ejus principium pro *motivo ſuo formali* habet ipſum principium quà cognitum. Ergo activitas, & imitabilitas activa Eſſentiæ Divinæ quatenus viſa eſt *motivum formale* ſeu *ratio objectiva formaliter* per Viſionem Beatificam videndi creaturas etiam in ſingulari, ſecundùm Eſſe ſuum proprium, atque creatum.

8. Replicabis. Hæc Eſſentiæ Divinæ imitabilitas, tam in ratione ſuâ Eſſendi, quàm in ratione activitatis infinita eſt ita independens à creaturis, ut cum iſtis nullam habeat neceſſariam connexionem. Ergo eſt per intrinſecam ſuam formalitatem, ſeu quidditatem de ſe indifferens ad hoc, quòd creatura eſſet poſſibilis, vel impoſſibilis. Probatur iſta ſequela. Quia 9.
datâ Hypotheſi, quòd omnis creatura eſſet impoſſibilis, non idcircò activitas illa Divina in ſuâ ratione intrinſecâ, & conceptu formali non ſubſiſteret. Ergò ejus conceptus Eſſentialis non exigit determinatè poſſibilitatem creaturarum. At hoc ipſo, quòd Eſſentiæ Divinæ activitas, ſeu imitabilitas activa ſit indifferens ad creaturarum poſſibilitatem, nequit eſſe *medium objectivum determinatum* ad earum Eſſentias in ſe repræſentandas. Ergò non poteſt ſtare, quòd Eſſentia Divina ſit Beatis *medium objectivum* ad repræſentandas creaturas, niſi cum his intrinſecam, atque determinatam habeat connexionem.

Contra. Nam aliud eſt, Eſſentiam Divinam 10.
in ratione Potentiæ, aliuſvè Attributi per modum relationis realiter ſibi inexiſtentis eſſe ut ſic ab intrinſeco connexam, & quodammodò dependentem à creaturarum poſſibilitate; hoc enim repugnat Eſſe Divino in ſe abſolutiſſimo, adeoque ſine ullo reſpectu ad extra, vel connexione dependentiæ perfectiſſimè ſubſiſtenti.

Aliud verò eſt, Eſſentiam Divinam habere continentiam cauſativam, & Exemplabilitatem activam omnis creaturæ poſſibilis. Ex hoc enim, quòd in ratione Entitatis ſit puriſſimè, & actualiſſimè infinita, ſequitur, quòd omnes perfectiones totius generis Entis ſecundùm quaslibet formalitates, & realitates in ſimpliciſſimâ abſolutiſſimæ perfectionis Eminentiâ contineat per modum primi Entis ſecundùm rationem ſuam intrinſecam in infinitum participabilis. At verò iſta participabilitas Divinæ ſubſtantiæ *intrinſecè*, ac *formaliter* in Deo exiſtens ita infert creaturarum in infinitum poſſibilitatem, ut hæc neceſſariò derivetur ex illâ. Unde falſum eſt, quòd Divinæ Eſſentiæ activitas, ſeu imitabilitas activa de ſe indifferens ſit ad creaturarum poſſibilitatem vel impoſſibilitatem; ſed ſicuti in ratione hujus imitabilitatis eſt *in ſe formaliter* determinata per modum puriſſimæ actualitatis, ſic neceſſarium eſt, creaturas eſſe poſſibiles, quin tamen ab his dependeat Divinæ ſubſtantiæ intrinſeca imitabilitas, ſed potiùs ex hac illæ deriventur. Eſt igitur activitas, ſeu imitabilitas activa Eſſentiæ Divinæ *formaliter* inexiſtens, ac ex ſe inferens *neceſſariò* creaturarum poſſibilitatem, *medium objectivum* omninò proportionatum ad creaturas poſſibiles in ſe repræſentandas. In quan- 11.
tum ergo Beati penetrant iſtam Divinæ ſubſtantiæ ad extra imitabilitatem, in tantum cognoſcunt in Verbo creaturarum poſſibilitatem: hæc enim ſe habet ad illam per modum effectûs non quidem *phyſicè* in ſe, ſed *objectivè* in Divinæ ſubſtantiæ participabilitate tanquàm activâ, & radicali creaturarum poſſibilitate exiſtentis. At verò iſta radicalis, & activa poſſibilitas, ſeu Divinæ ſubſtantiæ participabilitas, licèt ſit una ſimpliciſſima Entitas, ſeu formalitas, ex hoc ipſo tamen, quòd in *Eſſe non tantùm reali*, ſed etiam *intelligibili* infinita ſit, non poteſt per formam creatæ viſionis *adæquatè* uniri intellectui Beato. Ergo ad iſtum ſe habere poteſt ſecundùm magis & minus, ita ut, licèt ex parte objecti attingatur omnis formalitas Divinæ ſubſtantiæ, hæc tamen in ordine ad plures, vel pauciores creatu-

creaturas intellectui creato repræsentandas, majori vel minori claritate penetretur à Beatis. Hæc
12. ipsa verò Visionis Beatificæ claritas attingendo Deum, *ut est in se*, licet tangat substantiam Divinam cum identitate formali omnis realitatis sibi inexistentis; attamen per suam Essentiam non debet ita esse penetrativa Divinæ substantiæ, ut in hac quà participabili ad extra videat necessariò creaturas in specie, utpote in ordine ad quas nulla sit substantiæ Divinæ intrinseca connexio, & relatio realis. Cùm igitur Essentia Divina ratione continentiæ Eminentialis omnium creaturarum, seu Activæ suæ imitabilitatis simpliciter actu infinitæ ita sit *medium* proportionatum ad creaturas in se repræsentandas, ut tamen ratione suæ Essentialis Independentiæ, seu Esse à creaturis omninò absoluti posset, ut est in se, videri *intuitivè*, quin aliquam creaturarum speciem actu repræsentaret creato intellectui; consequens est, Essentiam Divinam esse quidem *speculum necessarium* ad omnes formalitates Deo inexistentes *necessariò* repræsentandas intellectui lumine gloriæ illustrato: attamen respectu creaturarum in specie esse *speculum voluntarium*, ita ut participabilitate, seu activitate Divinæ substantiæ intrinsecâ, ut est in se, visâ, possit Deus aliquas, non tamen omnes creaturarum species vel individua in se *tanquam medio objectivo* manifestare, & aliquas, imò omnes in specie creaturas occultare; tametsi eo ipso, quòd Essentiæ Divinæ imitabilitas activa videretur *intuitivè*, necessariò cognosceretur in genere, aliquod Ens extra Deum esse possibile.

Ad argumentum *n. 1.* oppositum ejusque Confirmationem

13. Respondetur: Ex hoc, quòd Essentia Divina secundùm omnes sibi inexistentes formalitates sit Ens à creaturis omninò absolutum sine ullo ad extra respectu connexionis, vel dependentiæ, sive cujuscumque Transcendentalis relationis, consequens esse, quòd antecedenter ad omnis creaturæ possibilitatem sit intelligibilis, ut est in se, *absolutissimè*, ac *perfectissimè* subsistens. Hoc tamen non obstare, quin ratione continentiæ causativæ, & imitabilitatis activæ omnium creaturarum sit *medium proportionatum* ad has in se *intuitivè* visâ repræsentandas, maximè cùm ex se in ratione hujus Eminentiæ, seu continentiæ & participabilitatis activæ ita sit determinata, ut ex ipsâ tanquàm radice, seu radicali, & activâ possibilitate *necessariò* inferatur possibilitas, seu participabilitas passiva creaturarum. Et hinc
14. non tenere istam consequentiam, quòd licèt homo, vel quævis species creata esset impossibilis, subsisteret tamen Omnipotentia Divina. Nam datâ illâ Hypothesi, supponeretur ex parte Dei non esse talem activitatem, & imitabilitatem intrinsecam, ex quâ *per necessariam consequentiam* deduceretur possibilitas omnis speciei creabilis. Hoc autem posito, negaretur formalitas Divinæ substantiæ intrinseca ita quidem independens, & absoluta ab omni respectu reali ad extra, ut ejus tamen Veritas imparticipata faciat infallibiliter ex se derivari veritatem participatam cujuslibet creabilis speciei. Ex qua etiam Veritatis creatæ *Quoad esse Objectivum* in Intellectu Divino derivatione fit, quòd omnis creatæ speciei Essentia sit immutabilis, ac necessaria per immobilitatem Veritatis participatam ex Divinæ substantiæ veritate imparticipa: 3. Quare quòd in substantiâ Divinâ *intuitivè* visâ possint repræsentari creaturæ, id non tam infertur ex formalitatis alicujus Deo intrinsecæ cum creaturis connexione, seu dependentia, vel relatione, quàm econtrario creaturarum immobilitas, ac Essentiarum æterna Veritas, nec non cujuslibet speciei creatæ formalitas inferatur habere connexionem dependentiæ, ac relationis ad Deum.

CONTROVERSIA II.

Quas creaturas de facto videant Beati in Verbo, seu Essentiâ Divinâ?

Suppositâ Veritate *præc. cont.* expositâ, quòd creaturæ *formaliter* videri possint in Verbo, facile est cum S. Thomâ *locis infra citandis* asserere, de facto earum aliquas cognosci vi luminis gloriæ per Visionem Beatificam. At quot, & quales ex creaturis existentibus videant singuli Beatorum, decidendum hoc venit ex communi Theologorum Principio, quòd statum Beatitudinis decet, cuique Sanctorum in Essentiâ Dei tanquàm speculo manifestari: quæcumque ad ejus conditionem pertinent. 1.

Hinc verò resultat difficultas, cùm evenire possit, ut Sanctus majoris meriti pauciora habeat statum suum attingentia, quàm alter minoris meriti, *quomodo hic remissiori lumine gloriæ perfusus plura, quam ille videat in Verbo?* 2.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

Ad hanc difficultatem Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 15. a. 2. ad ultim. Object.* respondet: Visionem plurium creaturarum in Verbo non arguere majorem Visionis perfectionem, nisi quatenùs est Essentiæ Divinæ magis penetrativa. Ex Decretorum autem Dei liberorum, atque adeò creaturarum aliquando existentium in Verbo manifestatione tunc solùm argui majorem substantiæ Divinæ penetrationem, si vel species aliqua, & Essentia priùs non cognita reveletur, vel rationes intelligibiles, aut convenientiæ, ob quas Divina voluntas movetur ad hujus rei creationem, penetrentur. At fieri posse, quòd Beatus aliquis inferioris Beatitudinis videat objecta à Deo decretata solùm *quoad An est*, non penetrando talis objecti saltem omnes intelligibiles rationes, seu convenientias, propter quas mota est Divina Voluntas ad taliter decernendum. Si ergò alter majoris meriti Beatus ex statûs sui ratione pauciores quidem videat creaturas, ex hoc ipso tamen habiturum perfectiorem Visionem Essentiæ Divinæ magis penetrativam, quòd plus videat de illarum creaturarum rationibus intelligibilibus, seu convenientijs, quibus Divina Voluntas movetur. 3.

Con-

Conclusio I.

Beati vident in Verbo cuncta praecipua saltem Mysteria Fidei à se hic credita.

4. Probatur. Perfecta cognitio Ultimi intelligibilis, seu Visio Essentiæ Divinæ succedit Fidei. uti docet S. Thomas. *1. 2. q. 4. a. 3.* hoc ipsum *2. 2. q. 1. a. 5.* probans ex *1. ad Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quæ igitur Mysteria Beati in viâ conceperunt ex auditu ad credendum, hæc in Patriâ ipsis manifestantur in Verbô per Visionem Beatificam, juxta illud *Psalm. 47. Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini virtutum.* Unde Aug. *20. de Civit. c. 2.* super illa Scripturæ verba: *Videbitis & gaudebit cor Vestrum,* ait: *Non expressit quid videbimus, sed quid? nisi Deum & omnia, quæ nunc non videmus, credentes autem cogitamus.* Hoc tamen ita accipiendum est, quòd licè: Beati videant in Verbo omnia Mysteria Fidei quoad substantiam, attamen multa ipsos lateant quoad circumstantias. Nam de die

5. Resurrectionis, & ultimi Iudicij testatur Christus Marci. *13. De die autem illâ nemo scit, neque Angeli in Cœlo.* Quæ sacra verba nonnulli quidem non improbabiliter existimant intelligenda de scientiâ communicabili, cùm Christus de se quoque negârit, se scire Diem illum, *scientiâ nimirum alijs communicabili.* Attamen circa Mysterium Incarnationis plures rationes & circumstantias latuisse Angelos Beatos, constat ex Diu: Dionysio *Cœlest. Hierarch. c. 7.* Vbi Christum Dominum, ac cœlestes mentes inducit, qualiter istæ circa Incarnationis, ac Redemptionis nostræ Mysterium proponerent quæstiones, Ille verò Divinis suis responsis eosdem spiritus Angelicos illuminaret. At verò circa illas veritates, quas Beati utpote invariabiliter, ac semper videbant in Verbo, nunquam de novo edocti sunt spiritûs Beati. Oportuit ergò istos per relevationes extra Verbum fuisse edoctos de pluribus Mysterij Incarnationis circumstantijs, ac rationibus D. Thomâ *1. p. q. 57. a. 5. ad 1. & 2. 2. q. 2. a. 7. ad. 1.* attestante, Angelos à principio Beatitudinis in Verbo cognovisse Mysterium Incarnationis quoad substantiam; non tamen secundùm omnes rationes, & circumstantias.

6. Pari ergò ratione de Animabus Beatis tenendum est non ita videre in Verbo Mysteria fidei, ut singulæ conspiciant omnes S. Scripturæ sensus litterales, & non scriptas traditiones, Ecclesiæque definitiones, sed una plures alterâ videat pro diverso Beatitudinis gradu & statu, vel prout cum majori piâ affectione Fidem colebant in viâ, vel Fidei veritates videndi majori flagrabat desiderio, quod in Beatitudine utpote integrâ Sanctorum satietate omninò congruit expleri. Vel quatenùs in vitâ mortali per studium sacrarum Litterarum Theologicum pluribus instructa erat. Cùm enim Theologia sit subalternata Visioni Beatorum; Scientia verò subalternata principiorum suorum evidentiam accipiens ex subalternante, hujc appetat ad sui perfectionem conjungi, prorsus convenit, labores studij sacrarum litterarum Theologici præmiari per plurium Fidei veritatem distinctam in Verbo cognitionem: S. Hieronymô *epist. ad Paulin. c. 7.* asserente: *Discamus in terris, quorum scientia nobiscum perseveret in cœlis.*

Conclusio II.

Quilibet Beatus videt in Essentiâ Divinâ totum universum complectens Cœlum, ac elementa, singulasque species cum earum proprietatibus, & virtutibus naturalibus, nec non individua, quæ unica sunt in specie suâ, quæque per se pertinent ad ornatum seu perfectionem universi. Ex communi Doctorum nominatim S. Thomæ *h. c. a. 8. ad 4.* sententiâ.

Probatur ratione Doctoris Angelici *3. cont. gent. c. 59. nu. 1.* Nam cujuslibet rei appetitus naturalis quiescit, ubi pervenit ad Ultimum finem. At intellectûs humani appetitum naturalem esse, cognoscere omnia rerum genera, & species, & virtutes, & totius universi Ordinem demonstrat humanum studium erga singula istorum. Est autem visio substantiæ Divinæ Ultimus finis cujuslibet intellectualis substantiæ. Oportet igitur, quemlibet videntium Divinam substantiam videre omnia, & singula prædictorum. Unde Moysi petenti Divinæ Essentiæ visionem respondit Deus *Exod. 33. Ostendam tibi omne Bonum.* 7.

Verùm quoad individua materialia & corruptibilia sunt aliqua, quæ se habent ad perfectionem Universi solùm *secundariò* propter conservationem speciei, quæ non potest conservari in unico corruptibili individuo. De his autem S. Thomas *præs. q. 12. a. 8. ad. 4.* testatur; *Cognoscere singularia non esse de perfectione intellectûs creati, nec ad hoc ejus naturale desiderium tendere.* Ejusmodi ergò individua non cognoscunt Beati in Verbo, nisi quatenùs spectant ad eorum statum. 8.

Alia proinde individua *per se* spectant ad perfectionem universi, vel quia in suâ specie sunt unica, veluti Angelica, & fortè sidera, & stellæ Cœlorum, vel quia intra suam speciem singulares habent virtutes, ut lapides, metalla, herbæ, fontes mirabiles, vel denique quia specialem conferunt universo ornatum; veluti flumina celebriora, mare, lacus ingentiores, & similia. Hæc igitur à Beatis videri in Verbo, evincitur ex illo S. Bernardi *serm. de Triplici sermonum genere. O sapientia quâ tunc omnia, quæ in cœlo & quæ in terrâ sunt, perfectè cognoscimus in ipso fonte Sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes.*

Conclusio III.

Ex futuris contingentibus, ac mentium, seu creaturarum intellectualium secretis cognoscunt Beati ea omnia, quæ ad cujusque statum pertinent, ita tamen, ut juxta Beatitudinis mensuram, ac proportionem aliqua solùm *causaliter*, alia verò *formaliter* in Verbo videant.

Prior pars est S. Thomæ *2. 2. q. 83. a. 4. ad 2.* 9.
atque probatur ex Concilio Senonensi *in Decretis Fidei c. 13.* ubi cùm damnâsset hæreticos dicentes, non cognosci nostras orationes à Sanctis, ait: *Eum, id esse falsum, facilè intellecturum, qui non ignorat, Sanctis pervium esse omniforme Divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, elucescat.* Ex ejusmodi adeò fundamentali ratione Doctor Angelicus *3. p. q. 10. a. 2.* concludit: Christum

videre in Verbo omnia aliquando existentia, quia hæc universa ad ejus, cui subjecta sunt, quodammodò dignitatem spectant, interestque ipsius tanquàm Iudicis Universalis cogitatus hominum internos cognoscere. Hinc pari ratione, 10. quia Beatissima Virgo est Advocata Fidelium, & Mater misericordiæ; quantum ad preces, & cogitationes hominum multò plura videt, quàm cæteri Sancti. Horum verò intuitus in Essentiâ Divinâ tanquàm in speculo contemplatur, quantum eos decet cognoscere de eis, quæ quoad motus etiam interiores cordis circa nos aguntur, uti asserit Gregorius Magnus *lib. 12. Moral. c. 13.* Quod tamen restringendum est, nisi mensura remissioris luminis gloriæ non permittat Visionis Beatificæ extensionem ad omnium, quæ statui alicujus Sancti congruunt, eventuum in Verbo cognitionem, vel nisi Deus ex occultâ quâdam ratione velit eventum aliquamdiu celare Sanctum aliquem: uti mox dicetur.

11. Posterior pars adstruitur à S. Thomâ *in 4. dist. 49. q. 2. a. 5. ad 12.* atque Probatur 1. *ex* Daniel. *10.* Ubi Angeli Persarum, & Iudæorum non voluntatum, sed rerum (uti S. Doctor *1. p. q. 113. a. 8.* asserit:) contrarietate dicuntur inter se pugnare, & altercari circa populi Iudaici liberationem. At hoc ipso, quòd horum Angelorum curæ commissi fuerint populi Persarum & Iudæorum, ad eorum statum pertinebat nôsse, quæ circa ipsos eventura erant. Ergo Angeli sancti quandoque tempore aliquanto ignorant eventus ad statum suum pertinentes. At quia Visio Beatifica mensuratur æternitate, atque adeò invariabilis est, non fertur ad objectum aliquod, nisi quod ab initio Beatitudinis attingebat. Ergo oportet illos Beatos Angelos circa eventus prætactos fuisse extra Verbum posteà instructos. Ergò Beati nonnulla objecta ad statum suum alioquin spectantia non vident *formaliter* in Verbo, sed *causaliter* duntaxat.

12. Probatur 2. Ratione. Essentia Divina per intrinsecam suam Entitatem non minùs est speculum creaturarum actualium, quàm possibilium. Harum verò potest esse speculum *formaliter* repræsentativum, quatenus est *formaliter* activa imitabilitas, seu activitas ad extra: illarum verò potest æquè speculum esse *formaliter* repræsentativum, quatenùs Decreta Divina sibi *formaliter* identificata sunt ex parte Dei Causalitas, seu actualis causatio earundem. At hoc ipso, quòd plures creaturæ possibiles videantur *formaliter* in Verbo, seu Essentiâ Divinâ, oportet, hanc magis penetrari per Visionem Beatificam. Hujus autem alia non est ratio, nisi quòd Essentiæ Divinæ participabilitas tanquàm intrinseca ipsius formalitas magis tunc penetretur. At Decreta Divina, quatenus sunt ex parte Dei causalitas, seu actualitas causativa creaturarum, non minùs important formalitatem Divinæ substantiæ intrinsecam & identificatam. Oportet igitur, Essentiæ Divinæ formalitatem magis penetrari, atque adeò tantò perfectiorem esse Visionem Beatificam, quantò plures videntur in Verbo creaturæ etiam actuales, attestante D. Thoma *in 4. cit. a. 5. ad 12.* Si ergò mensura remissioris luminis gloriæ in Sancto aliquo exigat Visionem Divinæ substantiæ minùs perfectam, non potest extendi ad plurium, ac multò minùs omnium creaturarum actualium in Verbo cognitionem,

Confirmatur: Nam S. Doctor *loc. cit.* expressè docet: *Quòd nihil prohibeat dicere, quòd post diem Iudicij, quando gloria hominum & Angelorum erit penitus consummata, omnes Beati sciant omnia, quæ Deus scientiâ Visionis novit.* Oportet igitur, tunc non omnes videre omnia *formaliter* in Verbo, seu in Essentiâ Divinâ, sed plura, vel pauciora secundùm gradum, quo Deum cognoscunt. Ergò reliqua videbunt in Verbo duntaxat *Causaliter*, Animâ Christi, cujus solius est, omnes creaturas actuales *formaliter* in Essentiâ Divinâ videre, mentes Beatas illuminante, seu ratione statûs Beatifici ipsis communicante plurium veritatum cognitionem extra Verbum, veluti clarè docet idem Doctor Angelicus *ubi supra.* 13.

Ad difficultatem *n. 2.* oppositam

Respondetur: Ex proximè dictis constare, quòd responsio Ioannis à S. Thomâ non subsistat. Unde dicendum, quòd visio creaturarum in Verbo ita commensuretur Lumini gloriæ, ut si quis Sanctorum ratione statûs sui exigat pauciorum creaturarum actualium cognitionem, Deus id compenset per plurium possibilium, vel etiam actualium ejus alioquin statui non necessariarum creaturarum in suâ Essentiâ manifestationem. Si verò alicui Sanctorum minoris meriti pro statu suo respondeant plures actuales creaturæ, tunc videre quasdam *formaliter* in Verbo, cæteras verò *Causaliter* duntaxat, Divinâ Essentiâ respectû cognitionis ejusmodi se habente non instar Verbi *formaliter* earum repræsentativi, sed per modum Causæ supplentis speciem impressam illarum *virtualiter*, seu *Causaliter* repræsentativam. In quo adeò sensu Concilium Senonense superius *in princ. concl. 3.* allegatum (etsi fuerit tantùm Provinciale) accipi debere, tradit præter alios Amicus *præs. disp. 9. sect. 23. in fine.* 14.

CONTROVERSIA III.

Quæ sit causa, cur aliquis Sanctorum has potiùs in Verbo videat creaturas, quàm illas?

Scotus *in 3. dist. 14. q. 2. n. 20.* docet, Verbum Divinum uniri Animæ Christi tanquàm speculum voluntarium in actu primo, seu habitualiter repræsentans omnia. Unde Amicus *cit. disp. 9. sect. 24. n. 450.* infert ex mente subtilis Doctoris, causam proximam videndi in Verbo has potiùs, quàm illas, referendam esse in voluntatem Dei volentis manifestare istas, non verò alias creaturas. 1.

Huic sententiæ ex parte accedit Philippus à SS. Trinitate *to. 1. in. 1. p. disp. 5. dub. 8.* affirmans, si sermo sit de possibilibus, totam rationem proximam, cur quilibet Beatus videat has potiùs creaturas, quàm alias in Verbo, esse diversam luminis gloriæ participationem; si verò sit sermo de actualibus in aliquâ temporis differentiâ existentibus, rationem desumendam esse ex Voluntate Dei volentis unire Essentiam suam ut repræsentantem has creaturas actuales, non verò alias. Fundamentum est, Essentia Divina non 2.

repræſentat creaturas actuales, niſi quatenùs determinatas per Decreta Divinæ Voluntatis. At quòd iſta Decreta Dei libera videantur, eſt immediatè à Voluntate Dei manifeſtante tales actus intellectui creato.

3. Hoc fundamentum ex parte ſaltem coincidit cum Doctrinâ Ioannis à S. Thomâ *præs. diſp. 15. a. 2.* affirmantis, Decreta Dei libera quoad formalitatem liberi, quatenùs tangunt creaturas, videri à Beatis ex vi luminis gloriæ, non ut præcisè eſt penetrativum quidditatis, & prædicatorum Eſſentialium, ſed in quantum habet vim revelationis eorum, quæ Deus voluerit manifeſtare in ſuâ Eſſentiâ Divinâ, & in ſuâ Voluntate, ita ut lumen illud ob ſuam Eminentiam utrumque munus habeat, & Quidditativè cognoſcendi Eſſentiam Divinam, & ea, quæ Deus liberè vult, per modum revelationis, quantum & quomodo voluerit, manifeſtandi. Ratio eſt, Quia lumen gloriæ eminenter continet lumen Propheticum, uti colligitur ex S. Thomâ *2. 2. q. 171. a. 2.* At lumen Propheticum ita ſe habet ad Decreta Dei libera, eorumque objecta, ſeu creaturas actuales, ut ex ſolâ ordinatione, & Voluntate Divinâ ea cognoſcat. Sicut ergò per eandem ſpeciem & lumen, quo unus Angelus cognoſcit ſubſtantiam, & Voluntatem alterius Angeli, cognoſcitur hujus actus liber per hoc ſolùm, quòd iſte velit ordinare ſuam cogitationem ad illum, ſic poſito lumine gloriæ, vi cujus cognoſcitur Divina Natura, cognoſci poteſt etiam actus Dei liber per hoc ſolùm, quòd Deus actum ejuſmodi quà liberum velit ordinare ad Intellectum Beati: Doctore Angelico *1. p. q. 57. a. 5.* aſſerente: *Quòd in Viſione Beatâ Angeli cognoſcunt Myſteria gratiæ, non quidem omnia, neque æqualiter omnes, ſed ſecundùm quòd Deus voluerit eis revelare.*

4. Suarez *lib. 2. de Divin. Attributis. c. 26. n. 20.* ſentit, dari lumina gloriæ non præcisè in intenſione, neque ſecundùm ſpecificam, ſed individualem perfectionem diverſa, quorum unum exigat unius, non verò alterius creaturæ in Eſſentiâ Divinâ cognitionem. Ex quâ proinde differentiâ individuali petendam eſſe rationem, cur iſtæ potiùs, quàm illæ creaturæ in Verbo videantur à Beatis.
5. Non admodùm diſſimilis eſt opinio Yſamberti *ad pra. q. 12. diſp. 9. a. 3. prop. 2.* & Ioannis à S. Thomâ *cit. diſp. 15. a. 5.* exiſtimantium, Cauſam proximam, & phyſicam, à quâ provenit illa differentia Viſionis creaturarum in Verbo eſſe tum determinationem luminis gloriæ ſecundùm intenſionem, vel individualem perfectionem; tum Eſſentiam Divinam in ratione ſpeciei intelligibilis juxta exigentiam luminis applicatam, & determinatam ad repræſentandum ſe ipſam quà Cauſam harum potiùs, quàm illarum creaturarum.

CONCLUSIO.

Cauſa phyſica differentiæ Viſionis creaturarum in Verbo conſiſtit in determinatâ luminis gloriæ perfectione individuali, quæ ut ſic exigit Eſſentiæ Divinæ in ratione formæ intelligibilis cum Intellectu Beati Unionem in ordine ad has potiùs, quàm illas creaturas in ſuâ potentiâ tanquàm causâ, ſuiſque Decretis tanquàm cauſalitate, ſeu actione ſibi intrinſecâ repræſentandas.

Probatur. Principia intellectionis, nimirum objectum, & lumen intellectuale ita ad ſe invicem comparantur, ut influxus objecti commenſuretur perfectioni luminis. Hinc enim Eſſentiæ rerum in ratione intelligibilis aliter ſe habent ad intellectum Angelicum, & aliter ad intellectum humanum. At verò principia Viſionis Beatificæ, quâ mediante creaturæ repræſentantur *formaliter* in Verbo, ſunt lumen gloriæ, & Eſſentia Divina, quæ ad intellectum Beati ſe habet inſtar formæ intelligibilis, & *objecti Motivi*, ac *ſpecificativi*: creaturæ autem in Verbo cognitæ ſe habent ad illum per modum *objecti* duntaxat *Terminativi*, & *materialis*. At *objectum Motivum* eâ proportione, ac menſurâ determinat intellectum ad ſui *objecti ſecundarii ſeu Terminativi* notitiam, quâ proportione intelligibiliter eſt unitum intellectui. Cùm igitur hæc *objecti Motivi* in ratione formæ intelligibilis unio fiat ſecundùm exigentiam, & commenſurationem Luminis, conſequenter reduci debet in differentiam luminis gloriæ tanquàm Cauſæ proximæ, ac phyſicæ, cur Eſſentia Divina unius Beati intellectui uniatur ad has, alteri verò ad illas creaturas in ſe tanquàm ſpeculo repræſentandas. 6.
Atqui hæc differentia luminis major eſt, quàm intenſionis: importat enim vim cauſativam ad Eſſentiæ Divinæ penetrationem perfectiorem *formaliter* imbibitam in entitate Viſionis Beatificæ. Divo Thomâ *q. 8. de Verit. a. 4.* de creaturis poſſibilibus atteſtante: *Aliquas eſſe de ſe latentiores, quas proinde non attingi in Verbo, niſi per Viſionem Beatificam magis perfectam, ac Eſſentiæ Divinæ magis penetrativam.* Pari ergò ratione, cur una Viſio Beatifica has, altera verò illas attingat in Verbo creaturas, oportet in ipsâ Entitate Viſionis eſſe inæqualitatem ſecundùm ſpecialem Eſſentiæ Divinæ quà Cauſæ, imò etiam quà Cauſalitatis ſeu actionis æternæ penetrationem. At iſtam nihilominus Viſionis inæqualitatem non eſſe ſecundùm differentiam ſpecificam *ſeq. art. demonſtrabitur.* Oportet igitur, illam Viſionis Creaturarum in Verbo differentiam eſſe ſecundùm inæqualitatem perfectionis individualis. Ergò etiam lumen gloriæ, quatenùs per intrinſecam ſuam entitatem habet vim intelligibiliter uniendi Eſſentiam Divinam ad has in uno Beatorum, in alio verò ad illas potiùs creaturas in ſe tanquàm ſpeculo repræſentandas, eſt diverſum non differentiâ ſpecificâ, ſed ſecundùm gradus diverſos individualis perfectionis. Ergò iſta ſecundùm individualem perfectionem luminis gloriæ differentia eſt cauſa phyſica, cur aliquis Beatorum has potiùs, quàm illas creaturas videat in Verbo. 7.

Reſponſio ad fundamenta contraria.

Ad *n. 1.* oppoſitum Reſpondetur: Divinam Eſſentiam non ita eſſe voluntarium creaturarum ſpeculum, ut per quamlibet ſui viſionem poſſit eſſe repræſentativa quarumcunquè creaturarum, ſed in ipſam Viſionis Entitatem intrinſecam tanquàm rationem formalem, atque adeò in determinationem intrinſecam luminis Gloriæ tanquàm Cauſam phyſicè Efficientem reduci 8.

reduci debere, cur has potiùs, quàm illas creaturas alicui intellectui Beato in se tanquàm speculo, seu causâ repræsentet.

9. Ad *n. 2. & 3.* oppositum Respondetur: Quòd per Visionem Beatificam hæc potiùs, quàm illa Decreta Divina videantur, eatenùs procedere ex Dei voluntate, quatenùs in hujus liberâ sit potestate infundere lumen ex intrinsecâ suâ entitate determinatum ad ista potiùs intra Essentiam Divinam Decreta libera penetranda. Unde falsum esse, quòd Lumen Gloriæ respectu creaturarum actualium cognoscibilium in Verbo ita habeat præcisè rationem revelationis, ut nulla physica luminum quoad perfectionem individualem differentia arguatur ex hoc, quòd uni Sanctorum istæ, alteri verò illæ pateant in

10. Verbo creaturæ actuales. Nec adeò Ioannem à S. Thomâ sibi bene cohærere, dum *cit. disp. 15. a. 2.* determinationem luminis ad hæc potiùs Decreta in Essentiâ Dei conspicienda reducit in solam ordinationem, & Voluntatem Divinam, Econtrà inferiùs *a. 5. concl. 2.* ejus rei causam inducit ex intrinsecâ luminis determinatione secundùm intensionem, vel individualem perfectionem: sicuti neque lumen Propheticum, neque lumen Angelicum esset à voluntate alterius determinabile ad cogitationes secretas cognoscendas, nisi ab intrinseco haberet istam virtutem penetrandi objecta ejusmodi.

CONTROVERSIA IV.

An visio creaturarum in Verbo admittat aliquam variationem, seu successionem?

1. Scotus *cit. q. 2. n. 20.* affirmat de Anima Christi, videre omnia habitualiter in Verbo, non tamen actualiter simul. Probatur, & Explicatur argumento ejusdem subtilis Doctoris. Verbum intellectui se videnti est manifestativum, ut speculum voluntarium repræsentans omnia. Ergò actus, quo videtur Verbum primò, est actus primus præsens; in quo relucent omnia. At licèt alijs Beatis Verbum sit speculum repræsentans determinata, ultra quæ non possunt ordinatè velle videre alia: attamen Anima Christi potest ordinatè velle omnia quotcumque infinitorum, respectu quorum adeò, videndo Verbum, est in potentiâ ad ea in Verbo conspicienda. At verò illud est habitualiter notum, cujus extat actus primus sufficienter ostensivus. Quia ergò actus, quo Beati vident Verbum, est actus primus, in quo Animæ Christi omnia, cæteris autem Beatis determinata creata objecta ita relucent, ut tamen intellectus non possit ad plura, minùs ad omnia præsertim infinita habere attentionem perfectam, consequens est, objecta creata in Verbo taliter relucere intellectui Beato, ut nihilominùs non ad omnia actualiter perfectè saltem attendat. Atqui ad actualem objecti alicujus cognitionem requiritur attentio. Ergò objecta creata sunt aliquando solùm habitualiter, non verò actualiter nota intellectui Beatorum. Ergò quoad istam actualem cognitionem, seu attentionem datur successio, & variatio circa creaturarum in Verbo cognitionem.

Huc referri potest sententia Ferrariensis *3. cont. gent. c. 59. §. sed remanet dubium.* existimantis, in Visione Beatâ non quidem dari successionem intrinsecam, eò quòd sit unus tantùm actus Visionis Beatificæ semper manens, qui neque intendatur, neque remittatur: dari tamen in eâdem Visione successionem extrinsecam, in quantum terminatur ad objecta singularia: siquidem eadem Visio, quâ in Verbo videtur species humana, possit in se omninò invariata terminari ad hujus speciei individua, seu singularia ex hoc solùm, quòd modò, non autem priùs participarint actu speciem humanam. 2.

Ejusdem opinionis videtur fuisse Ioannes à Thomâ *cit. disp. 15. a. 2. ad 2.* asserens; Ad videndum, quid Deus liberè decernat circa rem aliquam, cujus nulla cognitio antea habebatur in Deo circa ejus possibilitatem, vel naturam specificam, necesse esse, quòd intrinsecè perficiatur talis visio: si tamen notitia talis creaturæ, & accidentium, quæ liberè attinguntur à Deo, habebatur saltem quantum ad speciem, seu possibilitatem; tunc ut videatur, quantum ad exercitium liberum in individuo, & quoad existentiam, non indigere novo lumine, vel intrinsecâ ejus perfectione de novo, sed solùm voluntariâ manifestatione Dei, id est, ordinatione Decreti sui erga talem intellectum, ut videat, quid Deus velit liberè circa illud. Ratio est: Oportet enim visionem tunc solùm reddi majorem, ac perfectiorem, & intrinsecè crescere, si crescat in penetratione majori sui *objecti primarij* in ordine ad cognoscendum *secundarium*, vel ea, quæ ad ipsum Deum pertinent. At quando Deus manifestat Decretum suum, solùm revelando, se velle tale objectum, non autem manifestando rationes, & convenientias volendi illud, ex hoc præcisè non fit major penetratio substantiæ Divinæ: sed quia intellectus jam priùs videbat in Verbo speciem, seu possibilitatem creaturæ ejusmodi, ideo ad cognoscendum, quid circa istam liberè velit Deus, habet jam principia sufficientia solùm per hoc, quòd tollatur occultatio actûs liberi in quantum moralis, & liber est. At ista occultatio ex hoc ipso tollitur, quòd Deus ordinet tale suum Decretum, ut ab isto Beato cognoscatur: sicuti secretarum nostrarum cogitationum occultatio respectu intellectûs Angelici habentis ex se lumen ac speciem tanquàm principia sufficientia eas cognoscendi, eo ipso est sublata, quòd nos ordinemus illas, ut cognoscantur ab Angelo. Quia ergò in prædicto casu non fit major Divinæ substantiæ penetratio, consequenter non requiritur visio *intrinsecè*, & quasi *intensivè* perfectior, sed *extensivè* duntaxat & *extrinsecè*. 3.

Divus Thomas *præs. q. 12. a. 10.* Bannes *ibid.* Nazarius. *ibi. contr. un. concl. 1. & 2.* Philip. à SS. Trinit. *cit. disp. 5. dub. 10.* Suarez *lib. 2. de Attrib. c. 26. n. 5.* Franc. de Lugo *præs. disp. 24. c. 4.* negant, istam creaturarum in Verbo Visionis successionem etiam extrinsecam, & extensivam. 4.

***

Conclu-

CONCLUSIO.

Visio Beatifica est omninò invariabilis respectu objecti etiam secundarij, ita ut ab initio sine ullâ variatione, seu successione attingat simul omnes creaturas, quas Beati vident in Verbo.

5. Probatur. Visio Beatifica mensuratur æternitate. ex S. August. *lib.* 83. *q.* 23. Unde sacræ Litteræ sæpiùs Beatitudinem dicunt vitam æternam, Hæreditatem incorruptibilem, & immarcescibilem coronam. Ergò Visio Beatifica babet permanentiam omninò fixam, & invariabilem. Atqui oporteret, Visionem Beatificam hoc ipso variari in se, si de novo terminaretur ad
6. creaturam actu repræsentandam in Verbo. Probatur istud Assumptum. Hæc namque terminatio *formaliter* dicit attactum intentionalem creaturæ, seu objecti secundarij in Verbo repræsentati. Hic verò attactus est *realiter Formaliter* Visio Beatifica. Si ergò de novo ista attingat in Verbo creaturam aliquam, vel quia incipit actualiter attendere ad illam, vel quia Deus Decretum suum ordinando ad Intellectum Beati tollit occultationem actûs sui liberi; oportet, in Visione Beatificâ dari variationem intrinsecam
7. quoad ipsum actum Visionis. Confirmatur ista sequela. Visio objecti *non Primarij* duntaxat, sed etiam *secundarij* est *formaliter* attentio, seu actualis intentionalis terminatio ad illud. Ergò datâ variatione hujus attentionis, seu terminationis actualis ad objectum aliquod creatum in Verbo repræsentatum, fit hoc ipso mutatio in ipso actu visionis. At istam mutationem pugnare cum Visione Beatificâ, utpote vitâ æternâ, id est, mensuratâ per æternitatem, constat ex dictis *præs. q.* 3. *conc.* 2. Unde Augustinus 15. *de Trin. c.* 16. *Non erunt*, inquit, *volubiles nostræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.*

Responsio ad argumenta Adversariorum.

8. AD Scoti *n.* 1. oppositum Respondetur. Verbum in *ratione primi objecti intelligibilis* ita esse repræsentativum omnis creaturæ, ut tamen cum his in Esse, & consequenter in Cognosci non habeat connexionem intrinsecam, seu dependentiam, aut relationem realem. Ex quo fieri consequens, Verbum *intuitivè* attactum ab intellectu Beati posse non repræsentare actu creaturas aliquas, imò omnes in specie, ac individuo. Quare ad istam actualem creaturarum in Verbo repræsentationem ita requiri attentionem, ut hæc tamen sit *formaliter* attactus intentionalis objectorum ejusmodi, sitque adeò ipsemet actus Visionis Beatificæ. Unde implicare, quòd aliqua creatura ita sit habitualiter nota in Verbo *intuitivè* cognito, ut eadem Divinæ Essentiæ Visio possit ad illam actualiter terminari, nullâ ex parte Visionis, sed attentionis duntaxat interveni-
9. ente variatione seu successione. Neque verò repugnare, quòd hæc *in Uno Primo intelligibili* unquàm specie expressa Visio simul terminetur ad plures creaturas: tametsi præsupponat perfectius Lumen gloriæ; quò enim uniformior est intellectus attingendo plura *in uno Primo intelligibili*, tantò est perfectior virtus intellectrix habens majorem efficaciam attendendi non ad illud duntaxat *Primum intelligibile*, sed ad objecta in eo relucentia. Hæc verò ad objecta in *primo intelligibili* relucentia seu actualis attentio parem durationis mensuram habere debet cum Lumine Gloriæ, utpote ex quo necessariò procedit. Sicuti ergò istud lumen gloriæ mensuratum æternitate est in se omninò invariabile, sic nullam dari posse successionem, seu variationem attentionis ad creaturas visas in Verbo.

Ad Ferrariensis *n.* 2. Oppositum Respondetur. 10.
Implicare, quòd terminatio respectu objecti etiam *secundarij* sit extrinseca Visioni: in tantum enim est objecti cognitio, in quantum hoc est *intentionaliter* attactum ab intellectione. Hunc verò indistinctum ab actu Visionis attactum esse *formaliter* actualem intentionalem terminationem ad objectum cognitum. Impossibile igitur esse, Visionem in Verbo admittere successionem extrinsecam quoad actualem terminationem; sed vel istam terminationem esse simpliciter invariabilem, vel admissâ ejus successione, oportere in ipso Visionis Beatificæ actu admittere variationem.

Ad Ioannis à S. Thomâ *n.* 3. oppositum Re- 11.
spondetur: Sicuti per plurium creaturarum possibilium, seu Essentiarum creatarum in Verbo cognitionem arguitur major penetratio Virtutis Divinæ ad Extra causativæ, sic per plurium creaturarum actualium in Essentiâ Dei intuitionem argui perfectiorem penetrationem actualis ad Extra causalitatis, quâ indistinctæ ab ejus Decretis, atque adeò cum Essentiâ Divinâ identificatæ. At ipsomet Ioanneâ S. Thomâ fatente, non posse Essentiæ, seu Entitatis Divinæ majorem fieri penetrationem absque variatione intrinsecâ Visionis Beatificæ. Ergò nec possibile esse, quòd substantiæ Divinæ, quatenus habet sibi identificata Decreta Dei libera, fiat major penetratio, quin varietur Visio Beatifica. Quia ergò hæc visio est in suâ Entitate omnino invariabilis, consequenter repugnare, ejus extensionem fieri ad novæ alicujus creaturæ in Verbo cognitionem per hoc solùm, quòd Deus suum liberum Decretum ordinet ad intellectum alicujus Beati, quin variari debeat actus Visionis Beatificæ.

ARTICULUS VI.

DE

Inæqualitate, ac Differentiâ Visionis Beatificæ.

NON immorabimur in quæstione, an 1.
Beati inæqualiter videant Deum: Si enim is, *qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in Benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. *ad Corinth.* 9. Idcirco pro diversitate meritorum diversa oportet distribui à Deo præmia, *Unoquoque recipiente mercedem propriam secundum suum laborem.* 1. *ad Corinth.* 3. Nam Beati-

Beatitudo datur per modum coronæ secundùm retributionem Iustitiæ. *2. ad Thimoth. 4. Reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Iudex.* At gratia est semen gloriæ, seu vitæ æternæ: ex hoc verò semine fructificant merita in Iusto dignificata per gratiam sanctificantem. Cùm igitur Iustitiæ ratio secundùm meritorum gradus exigat præmij distributioné, consequens est, diversis meritis respondere inæqualem Beatitudinem, seu Visionem Beatificam, Christo Domino Matth. *13.* testante, *Aliud semen afferre fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud verò trigesimum.* Unde *Ioan. 14.* dixit: *In domo Patris sui mansiones esse multas.* Est igitur de fide tenendum, quòd detur inæqualitas Beatitudinis; Concilio Florentino *in Decreto de Purgatorio* definiente, *Beatos intueri clarè ipsum Deum Trinum & Unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium alio clariùs.*

CONTROVERSIA I.

An inæqualitas Visionis Beatificæ tanquam ex causâ proximâ oriatur ex inæqualitate Luminis gloriæ duntaxat, vel etiam ex inæqualitate intellectûs naturalis?

2. SCotus *in 3. dist. 13. q. 3. n. 2. & in report. Parisiens. lib. 3. dist. 13. n. 22. & 23. Item in 4. dist. 50. q. 6. n. 7.* Richardus *ibi. a. 2. q. 8. & a. 3. q. 2.* Durandus. *dist. 14. q. 1.* Lychetus *in 3. cit. dist. 13. q. 4. ad tertiam quæst. n. 1.* & Scotistæ communiter tenent, Inæqualitatem Visionis, vel amoris Beatifici desumi non ex solâ luminis gloriæ, vel Charitatis infusæ perfectione, sed etiam ex inæqualitate intellectuum, seu voluntatum naturalium, ita ut intellectus, seu Voluntas Angelica cum æquali lumine, seu Charitate per se loquendo posset elicere perfectiorem Divinæ Essentiæ Visionem, vel amorem Beatificum. Probatur. Non lumen Gloriæ duntaxat, sed etiam intellectus activitate sua influit in Visionem. At duabus Causis concurrentibus ad actum aliquem, crescit hujus perfectio ex utriusque causæ perfectione, & activitate. Unde Cajetanus *3. p. q. 10. a. 4. in fine* docet: Si ad æquale lumen gloriæ Angelus assumeretur à Verbo Dei in unitatem Personæ, Angelum illum perfectiùs visurum Deum, quàm Animam Christi, foreque sublimiorem Visionis Divinæ gradum non ex sublimiori lumine, aut Luminis gradu, sed ex sublimiore intellectu æqualiter illuminato.

3. Sanctus Thomas *1. p. q. 12. a. 6. in Corp. & ad 3.* nec non *in 4. dist. 49. q. 1. a. 4. quæstiunc. 2.* Ferrariensis *3. cont. gent. c. 58. §. sed circa.* Scotus *in 4. dist. 49. q. 3. a. 2.* Bannes *præs. q. 12. a. 6. dub. un.* Nazarius *ibid. cont. 1. conl. 1.* Ioannes à S. Thomâ *hic a. 6.* Labat *disp. 6. de Visio. Beat. dub. 6.* Suarez. *lib. 3. de Attrib. cap. 21.* Vas. *præs. disp. 47. c. 6.* Fasolus *dict. a. 6. dub. 3. n. 14.* Amicus *cit. disp. 19. sect. 16.* Ysambert. *hic disp. 6. a. 2. n. 4. & alij* docent, Inæqualitatem Beatificæ Visionis in genere Causæ efficientis Physicæ totam provenire ex solius Luminis gloriæ inæqualitate.

CONCLUSIO.

MAjor perfectio potentiæ intellectivæ nihil confert ad perfectiorem Visionem Beatificam eliciendam, atque adeò hujus inæqualitas, seu major perfectio derivatur ex solo Lumine gloriæ.

Probatur. Visionis Beatificæ perfectio consistit *formaliter* in attingentiâ intentionali Divinæ Essentiæ intellectui creato intelligibiliter unitæ in ratione quasi verbi, seu objecti primarij, & quodammodo intrinseci. Hæc autem Divinæ Essentiæ attingentia intentionalis potest esse major, vel minor tum *secundùm claritatem intensivam*, tum *secundùm penetrationem Divinitatis perfectiorem* in ordine ad plures creaturas in substantiâ Divinâ conspiciendas. At Visio Dei *quoad omnimodam vel intensivam, vel substantiæ Divinæ magis penetrativam claritatem* habet rationem Visionis, & fruitionis Beatificæ, seu vitæ æternæ, juxta illud *Ioan. 17. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant Te Deum Verum.* Atqui Vita æterna, seu visio Beatifica ut sic nihil habet in se formalitatis, ac perfectionis, quæ non respondeat Meritis, & Gratiæ Sanctificanti per modum mercedis, ac præmij, seu hæreditatis Filiorum Dei, Concilio Florentino *ubi sup.* decernente, *Diversitatem Visionis Beatificæ esse pro diversitate meritorum.* At si aliquid perfectionis *quoad claritatem sive intensivam, sive magis Essentiæ Divinæ penetrativam* cresceret ex Angelici supra intellectum humanum perfectione; consequens foret, istum perfectionis gradum ut sic non respondere Gratiæ, nec meritis, sed naturæ potentiæ intellectricis. Hoc autem adversatur Doctrinæ Concilij tum Florentini *superiùs* allegati, tum Viennensis *Clem. Ad nostrum. de Hæreticis.* ubi constat, *Beatitudinem, in quantum habet rationem fruitionis beatificæ, seu Visionis Divinæ Essentiæ, esse ex elevatione Luminis gloriæ.* Si ergò nihil claritatis, seu formalitatis est in Visione Beatificâ, quin procedat ex elevatione Luminis gloriæ, consequenter ex intellectûs creati perfectione majore non crescit perfectio Visionis Dei, sed hujus inæqualitas *Moraliter* est ex meritis, *Radicaliter verò secundùm exigentiam connaturalitatis* ex commensuratione gratiæ sanctificantis, ac *Physicè efficienter* ex Lumine gloriæ duntaxat elevante intellectum, eique *formaliter* conferente vim intellectricem proximam, & proportionatam ad videndum Deum. 5.

6.

Ad Scoti *n. 1.* oppositum

REspondetur. Activitatem crescere ex concursu duplicis causæ; si ambæ sint de se proportionatæ cum effectu: secùs esse, si altera, veluti intellectus se habeat ad Lumen gloriæ instar potentiæ duntaxat elevabilis, ac proportionabilis. Ratio hujus à priori est; Quia in ordine ad efficientiam physicam nulla in Visione Dei est assignabilis formalitas sive vitalitatis, sive intellectionis absque formalitate, & realitate ejus specificâ: Hæc autem est *formaliter* ratione attingentiæ intentionalis Divinæ Essentiæ, ut est in se. At ista Essentiæ Divinæ attingentia intuitiva, & Beatifica importat *formaliter* supernaturalitatem, atque adeò ut sic est ex elevatione luminis gloriæ. *ex cit. Clement. Ad nostrum.* 7.

Ergò

Ergò tota tum Vitalitatis, tum intellectionis, tum quævis alia in Visione Dei ratio non est assignabilis *Efficienter* procedens ex intellectu creato, nisi quà elevato, & proportionato per Lumen gloriæ. At ex terminis manifestum est, Causam aliquam eatenùs suâ activitate *efficienter* derivare in effectum majorem perfectionem, quatenùs cum hâc in ratione activitatis est proportionata. Ergo quia intellectus creatus ex suâ entitate non nisi elevabilem seu proportionabilem habet respectu visionis Dei activitatem, atque adeò totam rationem proportionatæ activitatis accipit *formaliter* ab informatione Luminis gloriæ, consequenter non nisi ex lumine gloriæ se informante, ac elevante potest in Visionem Beatificam derivare augmentum alicujus perfectionis. Ergò Visionis Dei inæqualitas secundùm perfectionem sive *intensivam*, sive *Divinæ Essentiæ magis penetrativam efficienter physicè* est à solo Lumine gloriæ, juxta cujus quoque exigentiam, & commensurationem Essentia Divina tanquàm forma intelligibilis concurrit ad suum attactum intentionalem magis, vel minùs perfectum.

CONTROVERSIA II.

Qualiter in Beatis differant Visiones Divinæ Essentiæ.

1. MAjor *in 4. dist. 49. q. 11.* Arriaga. *Tract. de Visione Dei disp. 12. sect. 3.* affirmant; Visiones Divinæ Essentiæ differre secundùm speciem. Fundamentum hujus opinionis est duplex. 1. Majoris. Nam actus Visionis, seu intellectionis specificatur non duntaxat ab objecto, sed etiam à Principio. Hinc tametsi intellectio Angeli & hominis tendant in idem objectum, differunt tamen specie, ob specificam intellectuum, à quibus procedunt, differentiam, uti tradit etiam Scotus *in 2. dist. 1. q. 5. n. 6.* Si proinde potentiæ Angeli & hominis ad actum Beatificum se non habeant *merè passivè* ac *receptivè*, sed *efficienter* influant; consequens est, ejusmodi actum specie diversum esse in homine, & Angelo, veluti subtilis Doctor *loc. cit.* argumentatur.

2. Alterum & secundum Fundamentum est Arriagæ *ubi supra.* Nam Visioni Beatificæ, quatenus in Deo tanquàm Primario objecto, ac speculo attingit creaturas, æquè Essentialis est respectus ad istas ceu objecta secundaria, atque ad illud primarium objectum; sicuti homini tam Essentialis est materia prima, quàm forma rationalis, licèt hæc nobilior, ac perfectior sit, quàm materia. At differentia respectuum desumitur ex diversitate terminorum. Unde fit consequens, quòd diversa specie objecta terminent diversas cognitiones. Oportet igitur, respectum Visionis, atque adeò ipsam Visionem, quatenus in diversis Beatis attingit in Essentiâ Divinâ diversas specie creaturas, differre secundùm speciem.

3. Durandus *in 3. dist. 14. q. 1. n. 8.* Scotus *in 4. dist. 49. q. 3. a. 2. §. His non obstantibus.* Ioannes à S. Thom. *cit. disp. 15. a. 7.* Fasolus *cit. a. 6. dub. 2.* Suarez *lib. 2. de Attrib. Negat. c. 19. & cap. 26. n. 23.* Ysambertus. *cit. disp. 6. a. 5.* Amicus. *sect. 15.* & plerique alij negant, Visiones Beatificas differre specie, imò hanc specificam differentiam in Visione Divinæ Essentiæ seu Lumine gloriæ esse impossibilem adstruunt plures Theologi.

CONCLUSIO I.

VIsiones Divinæ Essentiæ non sunt, nec possunt esse differentes secundùm speciem.

Probatur. In formis specie differentibus non potest esse æqualitas. Nam species teste Philosopho se habent ad invicem, sicuti numerus ad numerum. At homines secundum Dona gratiæ assumi ad Ordines Angelorum, docet S. Thomas. *1. p. q. 108. a. 8.* Unde erunt Angelis æquales in Beatitudine; testante Christo Domino *Luc. 20. Quòd Filij Resurrectionis erunt æquales Angelis.* Quia ergo inter Visionem Dei in homine & Angelo potest esse æqualitas, consequenter ex differentiâ specificâ intellectûs humani & Angelici non differt secundùm speciem Visio Beatifica. 4.

Cujus ratio à priori est. Visio seu intellectio est ex illis entibus, quæ in sui definitione, & specie dicunt ordinem ad alterum. Hic autem ordo consistit in proportione essentiali, seu habitudine formali ad alterum *tanquam terminum specificativum.* Unde iste *terminus specificativus* Enti specificato *per se* convenit, non quidem *in primo*, sed *quarto modo perseitatis.* Hic verò *quartus modus per se* differt à *primo modo perseitatis*, quia per istum inest aliquid secundùm identitatem Quidditativam, tanquam ratio *intrinsecè, ac essentialiter* constitutiva, per illum verò *specificativum* se habet ad *specificatum* instar *formæ extrinsecæ* non constituentis, sed terminantis habitudinem seu proportionem rei specificatæ convenientem per modum differentiæ formalis ac specificæ. 5.

Unde Visio Dei intrinsecè non specificatur nisi ab illo respectu, qui ex ratione suâ specificâ dicit Proportionem connaturalitatis ad Terminum sui specificativum. At visionem Divinæ Essentiæ non posse connaturalitatis Proportionem habere nisi respectu substantiæ increatæ *præs. q. 4. a. 1. conc. 3.* demonstratum est. Nequit ergo visio Dei ut sic specificari à substantiâ creatâ, ejusque adeò potentiâ connaturali, siquidem nullam cum tali possit habere intrinsecam Formalis habitudinis proportionem. Ergò ex differentiâ specificâ intellectûs Angelici & humani non licet in Angelo, & homine secundùm speciem distinguere Visionem Beatificam. Tota igitur ratio specifica in hâc Visione petenda est ex ipsius *objecto formali.* Hoc verò est Divina Essentia, quæ sicuti est in se sub unâ indistinctâ *ratione formali Motivâ*, sic se habet ad quamlibet sui Visionem intuitivam. Ergò hæc non potest esse nisi unica secundùm speciem. 6.

Oppones: Etsi ex potentijs Intellectûs Angelici, & humani ob eorum cum Visione Dei improportionem nulla desumi possit specifica Visionis Beatificæ differentia: attamen Lumen gloriæ esse ejusdem Principium effectivum Proximū & portionatum. Ergo si possibile sit Lumen gloriæ specie diversum, consequenter posse dari Visiones Dei differentes secundùm speciem. At Lumen gloriæ se habere instar virtutis intellectricis supernaturalis connaturaliter commensuratæ 7.

ſuratæ cum Intelligibilitate Divinæ Eſſentiæ. Etſi verò hæc Divina Eſſentia ſit *formaliter* indiviſibilis, eſſe tamen *virtualiter* multiplicem non tantùm in Eſſendo, ſed etiam conſequenter in cognoſcendo. Sicuti ergò intellectus Angelicus & humanus licèt tendant in unum objectum Entis ſub ratione Veri, differunt tamen ſpecie, quatenùs ſub diverſis rationibus formalibus, ſeu abſtractionibus Ens attingunt, ſic non repugnare, quòd Eſſentia Divina quà in ratione Intelligibilitatis in ſe *virtualiter* diviſibilis attingatur ſecundùm diverſas rationes imitabilitatis ad extra. Ergò ex hac diverſitate rationis formalis objectivæ non quidem *realiter*, ſed *virtualiter* in Eſſentiâ Divinâ diſtinctæ eſſe intelligibilem Luminis gloriæ, & conſequenter Viſionis quoque Beatificæ multiplicitatem ſpecificam.

8. Contra: Effectus aliquis comparari poteſt ad ſuum Principium effectivum, vel quatenus ab iſto dependet in ratione duntaxat Exiſtentiæ actualis, vel quatenus in ſuâ ratione dicit Eſſentialem dependentiam cum formali habitudine proportionis ad illud. At per ſe patet, Principium effectivum ſub priori ratione non eſſe ſpecificativum ſui effectûs, cùm ſpecificatio ſicuti cujuſvis rei creatæ Eſſentia abſtrahat ab Exiſtentiâ. Si ergo Lumen gloriæ ſit ſpecificativum Viſionis Beatificæ, oportet, hanc ex ratione ſuâ ſpecificâ eſſe *intrinſecè* connexam, ſeu proportionatam cum illo. Hæc verò intrinſeca connexio, ſeu proportio Viſionis Beatificæ ſecundùm rationem ſpecificam non poteſt intelligi in ordine ad Lumen gloriæ, ſecundùm quod iſtud eſt Virtus intellectrix ſupernaturalis ex ſe indifferens, ſed quatenus hæc virtus ab intrinſeco eſt determinata ad Divinam Eſſentiam in ratione formæ intelligibilis, ſicuti eſt in ſe, intentionaliter uniendam intellectui creato. Hæc

9. autem Eſſentiæ Divinæ, ſicuti eſt in ſe Viſibilis, Unibilitas eſt cum lumine Gloriæ commenſurata ſecundùm ipſam Divinæ Intelligibilitatis rationem & naturam. Iſta verò Divina intelligibilitas eatenùs eſt *Eminenter*, ſeu *virtualiter* multiplex, ut hæc ipſa tamen virtualis diſtinctio *formaliter* importet formalitatum in Deo *Eminenter* diſtinctarum Identitatem realem, imò ſimpliciſſimæ actualitatis Unitatem formalem. Nequit ergò Divina Eſſentia, ſicuti eſt in ſe, eſſe viſibilis ſecundùm virtualem ſuam diſtinctionem, quin hæc cujuſvis formalitatis Deo inexiſtentis omnimoda in Eminentiali illâ diſtinctione *eſſentialiter* imbibita identitas formalis videatur. Sicuti ergò in Intelligibilitate Divinæ ſubſtantiæ non eſt intelligibilis diverſa ratio formalis, ſic neque in Lumine gloriæ quà Eſſentiæ Divinæ tanquàm formæ intelligibilis creato intellectui conjunctivo intelligi poteſt ratio alicujus diverſitatis ſpecificæ. Ergò ex eo, quòd Lumen gloriæ in uno intellectu ſit unitivum Eſſentiæ Divinæ in ordine ad has, in alio verò in ordine ad illas creaturas in Verbo repræſentandas, id non

10. arguit ſpecificam luminis differentiam. Confirmatur 1. Nam Lumen ad creaturas in Verbo repræſentandas proportionatum ſe habet ad Eſſentiam Divinam *tanquàm objectum Primarium* ſeu *Motivum Formale*, in ordine verò ad creaturas ſe habet *tanquàm* ad *objectum duntaxat materiale, ſeu purè Terminativum, ac ſecundarium*. At verò id, quod eſt ſpecificativum, ſe habet ad inſtar *principij formalis*, non autem *materialis* duntaxat. Unde nec potentia, nec actus aliquis ſpecificatur ob *objecto materiali*, ſed duntaxat *formali Motivo*.

Confirmatur 2. Nam reſpectu tam Luminis Gloriæ, quàm Viſionis Beatificæ Eſſentia Divina eſt objectum Formale Motivum ſecundùm intrinſecam ſui prout eſt in ſe intelligibilitatis rationem. Iſta verò Eſſentiæ Divinæ ſecundùm formalitates ſibi intrinſecas intelligibilitas, ſicuti eſt in ſe, non admittit aliquam objectivæ abſtractionis differentiam. Quia ergò *Motivum formale ſpecificativum* Viſionis Beatificæ, & conſequenter Luminis gloriæ eſt omnino indiviſibile, non eſt intelligibilis differentia aliqua ſpecifica Luminum, ſeu Viſionum in Beatis.

CONCLUSIO II.

INæqualitas Viſionis Dei atque adeò Luminis gloriæ in Beatis non eſt præcisè ſecundùm intenſionem, ſed ſecundùm differentiam individualis perfectionis.

Probatur. Sicuti forma dat ſpeciem, ſic materia quatenus eſt radix Diviſibilitatis incommunicabilis, eſt principium multiplicationis individualis. At *motivum formale* reſpectu intellectionis ſe habet inſtar formæ, licèt extrinſecæ, *objectum* verò *materiale* comparatur ad eandem per modum materiæ. Sicut ergò *motivum formale* eſt intellectionis ſpecificativum, ſic *objectum materiale* eſt radix individualis in intellectione multiplicationis. At verò Eſſentia Divina 11.
12. ſecundùm rationem intelligibilitatis quatenùs eſt in ſe, eſt Viſionis Beatificæ *Motivum formale*: creaturæ autem repræſentatæ in Verbo Divino ſe habent ad eandem Viſionem per modum *objecti materialis*. Sicuti ergò unitas intelligibilitatis Divinæ ſicuti eſt in ſe, fundat Unitatem ſpecificam Viſionis illius, ſic varietas creaturarum quà diverſimodè repræſentabilis in Verbo eſt radix multiplicandi individualiter actum Viſionis Dei. At quatenùs realitatis alicujus ſit augmentum, eatenùs creſcit ejus perfectio. Ergò quia creaturæ repræſentatæ in Verbo *tanquàm materiale* Viſionis Beatificæ *objectum* ad iſtam ſe habent per modum principij individuantis: conſequenter in ratione individuationis tantò perfectior eſt Viſio Beatifica, quantò plures in Eſſentiâ Divinâ creaturas attingit. Cùm igitur Viſionis Beatificæ inæqualitas ſit in Beatis non *ſecundùm objectum formale*, ſed *materiale* duntaxat, conſequens eſt, per hujus Viſionis virtualem ad plures, vel pauciores creaturas in Eſſentiâ Divinâ repræſentandas quaſi extenſionem dari in Beatitudine differentiam ſecundùm perfectionem individualem.

Dices: Hanc totam Viſionis Beatificæ diverſitatem, ſive extenſionem virtualem ad plures, vel pauciores in Verbo creaturas conſpiciendas poſſe explicari per majorem, vel minorem intenſionem. Ergò non eſſe, cur ex illa diverſitate adſtruatur in Viſione Dei inæqualitas quoad perfectionem individualem. Antecedens probatur. Nam intenſio conſiſtit in perfectiori participatione formæ à ſubjecto. Hæc autem ratio perfectioris participationis, ſeu majoris actuationis ſubjecti in eo ſita eſt, quòd eadem individualiter indiſtincta forma per novum modum 13.

Vnionis

Unionis se communicet subjecto ad effectum suum formalem perfectiùs in eo explicandum. Sicuti ergo tota substantia Divina cum omnimodâ suâ formalitate videtur à quolibet Beato, sed non *totaliter*, quæ proinde potest in ratione formæ intelligibilis diversimodè uniri intellectui creato, seque adeò sine ullâ Entitatis, seu formalitatis intrinsecæ differentiâ per majorem sui explicationem modo diverso communicare. Sic eadem Visio Beatifica videtur absque intrinsecâ perfectionis individualis differentiâ posse per solam intensionem perfectiùs communicando se explicare ad plures creaturas alicui creato intellectui in Verbo repræsentandas.

14. Contra: Nam aliud est, quòd diversitas effectûs formalis respectu alicujus formæ sit *formaliter*, ac *præcisè* ex vi hujus formæ; aliud verò est, quòd diversitas ista oriatur ex dispositione subjecti, vel novo modo unionis, seu actuationis subjecti per formam. At licèt in hoc posteriori casu possit in effectu formali esse diversitas, stante eâdem in se intrinsecè invariatâ formâ: attamen hæc ipsa diversitas importat quandam diversitatem in modo unionis, vel dispositionis subjecti, vel alio accidente formam illam concomitante. Veluti fatetur etiam Ioann. à S. Thomâ *loc. cit.* Hinc tota ratio, cur Essentia Divina uni Beatorum has, alteri illas creaturas in ratione formæ intelligibilis, & objecti motivi repræsentet, derivatur ex diversitate Unionis cum intellectibus Beatorum, cujusmodi Unio fit *formaliter* per Lumina *intrinsecè* diversa. Si proinde differentia effectûs formalis sit *formaliter*, ac *præcisè* ex aliquâ formâ, oportet, in hâc esse intrinsecam diversitatem.
15. At verò ex ipsâ suâ Entitate intrinsecâ tum Lumen gloriæ, tum Visio Beatifica est determinata ad has præcisè creaturas in Verbo attingendas. Ergò non præcisè ex parte modi Unionis, seu Intensionis, sed in ipsâ entitate Luminum, ac Visionum est circa Beatos diversitas. Hæc verò non est nisi in ordine ad objectum materiale. Ergò non est specifica, sed individualis. Ergò quatenùs in hâc differentiâ individuali datur quædam extensio virtualis in ordine ad plura, vel pauciora objecta in Verbo attingenda, consequenter datur ut sic in Visione Beatificâ inæqualitas secundùm perfectionem individualem.

Responsio ad fundamenta contraria.

16. AD *n. 1.* oppositum Respondetur: Verùm esse, quòd principium effectivum sit aliquo modo actûs vel effectûs sui proprij specificativum. Hinc enim Aristoteles *lib. 1. poster. c. 4.* innuit, Effectum de suâ causâ per se proximâ prædicari in quarto modo dicendi per se, quia nimirum *propter ipsum inest*, id est, *propriam rationem causæ significat.* Quam nihilominùs specificationem effectûs desumi à suo principio non præcisè, quatenùs Efficiens est, sed quatenus importat in effectu proportionem habitudinis formalis ad causam: quæ proportio ut sic fundat *formaliter quartum modum perseitatis*, uti eleganter probat Ioannes à S. Thomâ *3. par. Curs. Philos. q. 2. a. 3.* 17.
At Visionem Beatificam quoad suam omnimodam, etiam vitalitatis formalitatem esse supra proportionem intellectûs tam Angelici, quàm humani, imò hanc utramque intellectivam potentiam eodem modo sub ratione potentiæ Obedientialis non quidem transcendentalis, sed vitalis se habere ad illam. Ergò licèt illæ potentiæ intellectrices efficienter influant in Visionem Beatam, nequeunt tamen in ratione principij effectivi illam specificare, minùs specificam ejus differentiam denotare.

Ad *n. 2.* oppositum Respondetur: Nullius esse efficaciæ Arriagæ argumentum. Malè enim infertur, Visioni Beatificæ inest respectus ad creaturas in Verbo attactas. Ergò hic respectus Visioni illi essentialis, quatenus terminatur ad creaturas specie diversas, arguit Visionis Beatificæ differentiam specificam. Etenim materia non minùs, quàm formâ composito substantiali est essentialis, tametsi istud ex formâ duntaxat accipiat speciem, materiâ, quatenùs dicit potentialitatem ad formas specie differentes, se habente tanquàm principio generis, quatenùs verò est radix Divisibilitatis incommunicabilis, se tenente tanquàm principio individualis multiplicationis. 18.
Cùm proinde creaturæ per Visionem Beatificam attactæ in Verbo, sint Visionis illius objectum duntaxat materiale, Dei Essentiâ, prout est in se simplicissima omnimodæ formalitatis actualitas, & intelligibilitas; tenente vices objecti formalis, consequens est, ob hujus unitatem formalem & specificam non posse Visiones Beatificas specie differre, sed diversitatem ex respectu ad diversas creaturas tanquàm objectum materiale in Verbo attactas esse duntaxat secundùm individualem perfectionem. 19.

***

(IHS.)

QUAESTIO QUINTA
DE
SCIENTIA DEI.

1. IN Deo esse Scientiam, absoluta Authoritas est. Esther. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Et Psalm. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Hanc verò Dei scientiam sub unâ simplici eminentiali formalitate seclusis omnibus imperfectionibus, sortiri nomen quoque Intelligentiæ, Sapientiæ, & prudentiæ, seu Consilij; advertit S. Doctor *1. p. q. 14. a. 1. ad 2.* Est enim Sapientia cognitio rei per altissimam Causam; Intelligentia, vi cujus intelliguntur principia; Scientia, quatenùs cognoscuntur conclusiones ex principijs; Prudentia denique, seu Consilium, secundùm quod cognoscuntur agibilia. At omnium istorum est in Deo una simplex cognitio, vi cujus Essentiam suam Divinam comprehendendo, in eâ tanquàm *Objecto Motivo*, & altissimâ Logicâ cognoscendi Causâ intuetur sua Attributa; imò in eâdem etiam quà Physicâ Essendi Causâ conspicit creaturas, & actiones ex se ad extra derivatas, &
2. derivabiles. Hæc igitur cognitio per causam in Deo sortitur nomen scientiæ propriè dictæ. Nam ad rationem Scientiæ simpliciter ac propriè sumptam requiritur duntaxat, esse cognitionem rei per causam, non verò ex causâ, Aristotele. *1. posterior. c. 2.* asserente, *Quòd scire sit cognoscere causam, ob quam res est, illius causam esse.* At licèt, *ly Ex causâ* importet vel cognitionem emendicatam ex rebus, vel unam cognitionem deductam ex aliâ, aut succedentem post aliam. Unde repugnat Deo cognitio ex causâ, vel per causam quasi priùs cognitam: hoc enim importat tum pluralitatem cognitionum, tum cognitionis effectuum ex cognitione causæ illationem, & causationem, quæ minimè conveniunt simplicissimæ Divinæ substantiæ, ut adeò Scientia Dei nequeat esse *formaliter* Discursiva, advertente S.
3. Thomâ *præs. a. 7.* Nihilominùs cognitio per causam præcisè dicit talem effectûs notitiam, cujus *Motivum formale* sit causa effectûs cogniti. Hoc autem Divinæ scientiæ eatenùs congruit, quatenùs Essentiam suam Divinam intuendo, in eâ tanquàm radice virtuali, & Causâ logicâ contemplatur sua Attributa, atque in Divinitatis suæ substantiâ tanquàm *Causâ Primâ* conspicit omnes creaturas tam possibiles, quàm existentes. Cùm igitur Scientia in nobis ita importet discursum, ac pluralitatem cognitionum ut hæ tamen imperfectiones non involvantur in scientiæ absolutè considera-tæ ratione formali, sed radicentur in limitatione scientiæ quà contractæ ad humanam; consequenter præcisis istis imperfectionibus, subsistit in Deo simpliciter tota scientiæ ratio. Ergo in Deo est *formaliter* scientia, ita quidem, ut sicuti ejus intellectus est unicus actus attingens omnia principia & conclusiones, sic in Deo sit unicum simplicissimum lumen, quod sub ratione perfectissimâ mereatur nomen scientiæ, ac simul Intelligentiæ, seu habitûs principiorum, nec non Sapientiæ, ac Prudentiæ, juxta illud Iob. *12. Apud ipsum est Sapientia & fortitudo & ipse habet Consilium & intelli-*
gentiam. In hâc proinde Scientiâ Dei explican- 4.
dâ sex distinguemus Articulos. 1. acturi *de Scientiâ Dei secundùm se, ejusque causalitate. 2. De ejusdem Objecto. 3. De Scientiâ simplicis Intelligentiæ. 4. De Scientiâ futurorum contingentium. 5. De Scientia Conditionatorum ante Decretum, sive de scientiâ Mediâ. 6. De ideis Divinis.*

ARTICULUS I.
DE
Scientiâ Dei secundùm se, ejusque Causalitate.

UT difficultates, quæ per totam hanc Quæstionem occurrent, magis dilucidè, ac distinctè deduci possint, expedit Scientiæ Dei in se alioquin simplicissimæ præmittere Divisiones, quas Theologi ratione ratiocinatâ ex connotatione præcipuè materialium objectorum assignant. 1. Enim scientia 1.
Dei dividi solet in *Naturalem*, seu *Necessariam*, & *Liberam*. Hæc utpote attingens res futuras, vel existentes supponit liberum Divinæ Voluntatis Decretum. Illa verò, cùm non attingat rerum existentias, sed quidditates, ac Essentias earum, est antecedens Decretum, & liberam determinationem Divinæ Voluntatis. Inter has Societatis Iesu Theologi adstruunt *Mediam*, quæ versetur circa veritates conditionatè futuras; hanc enim ajunt ex parte objecti esse quasi liberam, siquidem versetur circa objectum contingens; etsi ex

etsi ex parte Dei non sit Libera, atque adeò quasi Naturalis, eò quòd præveniat omnem liberam Dei Volitionem.
2. 2. Dividitur Scientia Dei in *Simplicis Intelligentiæ*, ac *Visionis*. Hæc est intuitiva, & terminatur ad existentias; Illa verò est abstractiva, attingens possibilitatem rerum. Inter quas dicti Theologi *Mediam* inducunt, quæ versetur circa res non absolutè, sed conditionatè futuras.
3. Tertia Divisio est in scientiam *Approbationis*, & *Improbationis*. Ista est scientia Visionis, quatenùs fertur in mala, & peccata, quæ Deus non approbat, sed tantùm permittit, nec adeò supponunt in Deo Decretum positivum, sed duntaxat permissivum; Illa verò est eadem Visionis scientiæ, quatenus fertur in Bona, atque ut sic supponit in Deo Decretum Approbationis: quo modo *Psalm. 1.* dicitur *Deus nosse viam Iustorum*. Sicut econtra in sacris Literis ita dicitur cognoscere mala, & malos, ut tamen *Luc. 13.* dicat iisdem; *Nescio vos.*

CONTROVERSIA. I.

An scientia in Deo demonstretur ex ejus Immaterialitate?

4. Divus Thomas *1. p. q. 14. a. 1.* probat, quòd rei alicujus Immaterialitas sit ratio, cur sit cognoscitiva, sitque adeò modus cognitionis secundùm modum immaterialitas, attestante Philosopho *2. de Anima. tex. 124. & 3. de animâ. tex. 4. usque ad 7.* Plantas non cognoscere propter suam materialitatem, sensum autem esse cognoscitivum, quòd sit receptivus sine materiâ; & intellectum esse adhuc magis cognoscitivum, quia magis est separatus à materiâ. Unde infert S. Doctor, Cùm Deus sit in summo Immaterialitatis, consequenter esse in summo cognitionis.

Referuntur Sententiæ Doctorum oppositæ.

5. Rodericus de Arriagâ *1. p. to. 1. disp. 15. sect. 1. subsect. 1. & 2.* negat, ex spiritualitate, seu immaterialitate inferri vim cognoscitivam. 1. Quia Immaterialitas consistit in negatione materiæ, seu quantitatis: hæc autem negatio æqualiter est in Deo, & in Angelo, Ergo major vis cognoscitiva Dei non provenit ex majore immaterialitate: Sicuti è contrario Forma cæli non magis est materialis, quàm anima vermis, cùm tamen hæc, non verò illa sit cognoscitiva.
6. 2. Si ex Immaterialitate argueretur vis cognoscitiva, hoc ideò foret, quòd quantitas impediret cognitionem. At neque Consequens est verum, neque Illatio, seu sequela tenet. Minor Probatur. Tum quia nulla potest ostendi implicantia, vi cujus repugnet, ac impossibilis sit substantia materialis, constans quantitate, quæ esset cognoscitiva objecti spiritualis. Tum quia possibilis est substantia spiritualis, quæ ex proprio conceptu specifico limitetur, ne sit intellectiva. Ergò neque Quantitas est impeditiva cognitionis neque carentia Quantitatis est illativa virtutis intellectivæ.

CONCLUSIO.

Hæc consequentia: Deus est summè Immaterialis; Ergò summè cognoscitivus; omninò tenet.

Probatur & Explicatur. Sicut materia prima est pura potentia, sic materialitas desumitur ex participatione potentialitatis. 7. Est autem illa materiæ potentialitas quasi Media inter *Nihil*, & *Ens actu*; ita ut S. Augustinus *12. Confess. c. 6.* asserat, si dicere liceret, se Materiam primam dicturum *Nihil aliquid*. At istud *Nihil aliquid* in eo situm est, quòd licèt Materia prima nihil sit *actu*, sit tamen *in potentiâ* omne Compositum Physicum. Cùm igitur materialitas desumatur ex participatione materiæ, vel proportione saltem similitudinis ad illam, consequens est, eatenùs Ens aliquod subire denominationem materialitatis, quatenus est immixtum potentialitati, Ergò à contrario Ens in tantum denominatur immateriale, in quantum recedit à potentialitate. At quodlibet 8.
Ens, in quantum est depuratum à potentialitate, in tantum habet de puritate actualitatis. Hæc autem puritas actualitatis alia est simpliciter in ratione Essendi, vi cuius, quia Deus est suum Esse subsistens, consequenter ipsi proprium est, habere totam rationem Essendi, atque adeò per purissimam, ac simplicissimam identitatem continere omnes perfectiones utpote pertinentes ad rationem Essendi, veluti S. Doctor. *1. p. q. 4. a. 2.* arguit. Alia verò actualitatis puritas est, secundùm quam Ens aliquod fit omnia non entitativè per identitatem Essendi, sed intentionaliter per repræsentationem in Esse cognoscibili. De hâc perfectione, seu puritate actualitatis Divus Thomas *de Verit. q. 2. a. 2. Alius perfectionis modus* ait, *invenitur in rebus creatis, secundùm quod perfectio, quæ est propria vnius rei, in alterâ re invenitur. Et hac est perfectio cognoscentis, in quantum est cognoscens; quia secundùm hoc à cognoscente aliquid cognoscitur, quòd ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscentem*: Et ideò *in 3. de Animâ* dicitur, *Animam esse quodammodò omnia, quia nata est omnia cognoscere, & secundùm hunc modum possibile est, ut in unâ re totius Universi perfectio existat.*

9. Qui proinde duo perfectionis, sive elevationis supra materiam, seu actualitatis modi eatenùs inter se differunt, quòd sicuti Dei proprium est, quòd sit suum Esse subsistens, ita actualitas simpliciter in Essendo nulli creaturæ communicabilis sit. Unde substantiæ etiam Angelicæ, tametsi *absolutè* ac *simpliciter* immateriales sint, *respectivè* tamen in comparatione ad Deum dicuntur quodammodò materiales propter compositionem ex Naturâ tanquam Potentiâ, & Esse tanquàm actu. ex S. Thomâ *1. p. q. 50. a. 1. & a. 2. ad. 3.* At verò actualitas quoad Esse repræsentativum eatenùs est participabilis à substantiâ creatâ, quòd secundùm modum perfectionis Essendi crescat Virtus rerum aliarum perfectiones in se repræsentandi, seque per actualem ejusmodi repræsentationem intentionaliter perficiendi, ac in Esse cognoscibili actuandi non tantùm propriâ, sed omnigenâ rei alterius perfectione. Unde etiam fit consequens, cùm Deus sit actus purus in ratione Essendi, esse actum purum in ratione quoquè intelligibili: Ex hâc autem Esse Divini tum realis, tùm cōsequenter intelligibilis

bilis actualitate purissimâ est consequens, quòd ipsamet Dei Essentia ita sit sibi sua species intelligibilis, ut contineat in se species omnium aliarum rerum; imò Esse intelligibile tam propriæ Dei substantiæ, quàm cujusque rei creabilis sit in Deo ipsemet intellectus, seu actualissima comprehensiva intellectio. Ex S. Thom. *præs. q. 14. a. 2. & 5.* Ergò ex puritate actualitatis, seu purificatione ab omnimodâ potentialitate, atque adeò summâ immaterialitate Divinæ substantiæ, sequitur; Deum esse in summo gradu cognoscitivum.

10. Ratio fundamentalis sic deduci potest. Materialitas est *formaliter* per potentialitatem. Ergo Immaterialitas est per Depurationem à Potentialitate. At infimus à potentialitate Depurationis gradus est Forma Corporis inanimati, quæ cùm tali limitatione est perfectiva materiæ, ut non habeat vim suppositi sui perfectivam ultra perfectionem in Primo generationis instanti congenitam. Supra hunc verò gradum elevatior ac purior Essendi gradus est in formâ Viventis, quæ ut sic habet vim suppositum suum ab intrinseco perficiendi ultra perfectionem sibi connaturaliter debitam. In hoc autem Viventis gradu datur Forma suppositi sui perfectiva per alienarum quoque formarum receptionem seu actuationem. Atqui nulla substantia potest ab intrinseco & connaturaliter per Vitalem quandam intussusceptionem esse receptiva alienarum formarum secundùm harum in *Esse Physico* actuationem & informationem. Unde connaturalis per formas alienas actuatio potest esse secundùm harum informationem in Esse duntaxat *intentionali* seu *repræsentativo*. At iste formas alienas secundùm Esse repræsentativum recipiendi modus fundat eo ipso vim cognoscitivam. Hæc verò cognoscitiva virtus alia ita est coarctata ad objectum potentialitate seu conditionibus materialibus immersum, ut sit restricta ad Entia duntaxat Materialia quà talia: cujusmodi adeò cognoscitiva vis vocatur sensitiva.

11. Alia verò à materialitate depuratior vis cognoscitiva ad ipsum Ens quà tale sub *intentionali* à conditionibus materialibus *abstractione* penetrandum ascendit, quæ nomen & rationem virtutis intellectricis meretur: At hic ipse elevatior & abstractior cognoscendi modus ita commensuratur cum Modo Essendi, ut tamen objecti intelligibilis Esse repræsentativum non sit in cognoscente, nisi secundùm Modum Essendi proprium substantiæ intellectricis. Unde Forma rationalis unita Corpori non intelligit nisi cum dependentiâ à phantasmatibus corporeis, per species ex his taliter abstractas, ut istæ tamen aliquam ex illis recipiant coarctationem. Econtra verò quia Angeli substantia est actus irreceptibilis habens tamen potentialitatem ad Esse existentiæ, non intelligit per speciem puræ actualitatis, sed per diversas ex potentialitate coarctatas, atque adeò multiplicatas formas intelligibiles. Quia verò substantiæ Divinæ Essentia est ipsum Esse subsistens in se purè actuatum & illimitatum, omnis adeò creatæ Formalitatis *Eminenter* contentivum, intelligit invariabiliter per unicam in purâ Esse subsistentis actualitate consistentem formam intelligibilem, omnis Veritatis cognoscibilis actualissimè expressivam. Constat igitur, vim cognoscitivam ita radicari in speciali Depuratæ Potentialitatis, atque adeò Immaterialitatis gradu, ut, pro Immaterialitatis intra specialem illam Depuratæ potentialitatis lineam crescentis Mensurâ crescat perfectio virtutis intellectricis. Ergo quia Deus est in summo immaterialitatis, consequenter est in summo intellectivi gradu.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

AD *n. 5.* Arriagæ oppositum Respondetur: Immaterialitatem non tam consistere in negatione quantitatis seu materiæ, quàm in purificatione à potentialitate, seu elevatione supra materiam, cujusmodi purificatio, seu elevatio *formaliter* importet rationem positivam specialis cujusdam actualitatis. Etsi verò nulla ex creatis substantijs habeat omnimodam in Essendo actualitatem; spirituales tamen, cùm ex Esse duntaxat & naturâ, non verò ex materiâ & formâ sint compositæ, magis depuratas esse à potentialitate, imò in ratione Naturæ esse actus, seu formas simplices, tametsi in ratione existentis seu subsistentis dicant aliquam compositionem, atque adeò potentialitatem. Quocirca sine fundamento Chimæricè supponi ab Arriagâ, quòd Deus & Angelus sint in æquali gradu Immaterialitatis. 12.

Adhæc licèt anima vermis æquè, ac forma cæli sit actus Entis in potentiâ, seu forma materiæ, ac potentialitati immersa, illa tamen, non ista habet ex ratione suâ specificâ modum Essendi elevatiorem, vi cujus possit fieri alia non per receptionem duntaxat in genere causæ materialis, sed per intentionalem aliarum rerum intussusceptionem vitaliter eas repræsentando, atque in Esse cognoscibili perfectionibus ejusmodi se actuando. Ex quâ proinde elevatione animæ vermis, non autem formæ cæli convenire, quòd habeat majorem actualitatis puritatem, sitque adeò magis depurata à potentialitate materiæ propriâ. Cùm igitur hæc specialis à potentialitate depuratio accedat ad rationem immaterialitatis, hic ipse verò supra materiam elevatior essendi modus involvat virtutem *intentionaliter* se actuandi aliarum rerum perfectionibus, hæc autem virtus *formaliter* sit cognoscitiva, consequens est, quòd immaterialitas sit ratio inferens vim cognoscitivam, ita ut secundùm modum immaterialitatis sit etiam modus cognitionis, veluti per inductionem S. Thomas *præs. a. 1.* probat ex Philosopho. 13.

Ad *n. 6.* oppositum Respondetur: Quòd neque consequens, neque consequentia illius argumentationis teneat, sed nec quidquam virium habeat adversùs solidum Angelici Doctoris Discursum. Hic enim *præs. a. 1. & cit. a. 2. de Verit.* vim cognoscitivam ex immaterialitate demonstrando ita procedit. Vis cognoscitiva importat virtutem se actuandi *intentionaliter* rerum aliarum perfectionibus, ita ut cognitum *repræsentativè* sit in cognoscente. Atqui formæ, ac perfectiones rerum ita determinantur, & coarctantur per materiam, ut non possit perfectio, ac forma aliqua esse in alterâ, nisi quatenùs depurata à materiâ, seu conditionibus materialibus. Ergò tum ex parte virtutis cognoscitivæ, tum ex parte cognoscibilis supponi- 14.

ſupponitur depuratio à materiâ, vi cujus tum objectum poſſit in Eſſe cognoſcibili ineſſe alteri, tum Virtus cognoſcitiva poſſit fieri alia à ſe, horum perfectiones intra ſe repræſentativè ha-
15. bendo. Ex quo adeò diſcurſu, ſi conferatur cum iis, quæ Arriaga *locis cit.* adducit, patet, quomodo hic Author pugnet in incertum quaſi aërem verberans, dum impugnando D. Tho. hunc nè tangit quidem, ſed extra difficultatis punctum deflectens, figmenta potiùs, quàm argumenta ſolida adhibet aſſerendo, poſſibilem ſubſtantiã materialem, quæ ſit cognoſcitiva objecti ſpiritualis, imò & ſpiritualem, quæ non ſit intellectiva: quod
16. quàm Chimæricum ſit, ita probatur. Ratio Entis ſpiritualis conſiſtit in modo eſſendi elevatiori ſupra corporalem: At quò elevatior eſt eſſendi modus, eò eſt actualior. Unde Ens ſpirituale & corporale differunt ſecundùm quod participant plus de actualitate, vel potentialitate. At verò in ipſis Entibus materialibus aliqua plus habent de actualitate ſecundùm quod aliarum rerum perfectiones intra ſe repræſentativè ſuſcipiendo in Eſſe intelligibili, majorem participant perfectionis actualitatem: unde iſtæ non quidem ſimpliciter, ſed comparativè ſunt quodammodo immateriales: ex quo immaterialitatis gradu participant etiam virtutem cognoſcitivam. Hæc tamen vis cognoſcitiva in unoquoqe cognoſcente commenſuratur ejus modo eſſendi, cui proportionatur etiam objectum cognoſcibile. Unde S. Doctor *1. p. q. 12. a. 4.* ait: Cognitum eſſe in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis. Ergò cùm objectum ſpirituale in modo eſſendi ſit majoris actualitatis, quàm ſubſtantia materialis; unumquodque verò ſit cognoſcibile, ſecundùm quod eſt actu. ex S. Thomâ *cit. q. 12. a. 1.* conſequenter ob defectum proportionis in modo eſſendi non poteſt ſubſtantia materialis habere vim cognoſcitivam
17. Objecti ſpiritualis. Econtrario verò, quò actualior eſt eſſendi modus, eò actualior eſt modus operandi. At virtus cognoſcitiva in hoc superexcedit modum agendi corporalis, ſeu materialis ſubſtantiæ, quòd magis abſtrahat à potentialitate ſeu materialitate, nec feratur in objectum repræſentativè id ſibi conjungendo, niſi quatenùs eſt actu abſtractum à conditionibus materialibus. Ergò quia modus eſſendi ſubſtantiæ ſpiritualis eſt elevatior, ac purior, ſeu actualior, conſequenter ratione talis elevationis, & actualioris modi eſſendi ex intrinſecâ ſuâ naturâ ſibi vendicat vim cognoſcitivam objecti tum ſpiritualis, tum etiam materialis depurati tamen à conditionibus materialibus. Conſtat igitur, Immaterialitatem in Eſſendo ita eſſe radicem virtutis cognoſcitivæ, ut conſequenter ſecundùm modum Immaterialitatis creſcat perfectio hujus virtutis. Ergò quia Deus eſt ſummè immaterialis, eſt in ſummo cognitionis gradu.

CONTROVERSIA II.

An, & quæ Scientia Dei ſit cauſa rerum ad extra?

1. EXtra controverſiam eſt, quòd ſcientia Dei ſit aliquo modo cauſa rerum, teſtante Scripturâ Divinâ. Pſalm. *103. Omnia in Sapientiâ feciſti.* Et Pſalm. *135. Qui fecit cælos in intellectu.* Hinc Difficultas eſt 1. An cauſalitas Scientiæ Divinæ ſit duntaxat Directiva vel Effectiva? 2. An Scientiæ ſimplicis Intelligentiæ, vel etiam Viſionis conveniat eſſe cauſam rerum ad extra.

Referuntur ſententiæ Doctorum.

DUrandus *in 1. diſt. 28. q. 4.* Vaſquez. *1. p. diſp. 81. c. 2. n. 9.* Yſambertus *ad præs. q. 14. diſp. 10. a. 1. & 2.* Franciſcus de Lugo *lib. 1. de Deo uno. diſp. 34. c. 2. n. 9. & 11.* tenent, Scientiam Divinam, eamque ſimplicis intelligentiæ, non autem Viſionis eſſe rerum ad extra cauſam, dirigendo potentiam executricem, ac præmonſtrando modum efformandi opus; non verò eſſe immediatè effectricem in genere cauſæ propriè efficientis. Probatur 1. Eodem modo debemus philoſophari de Divino intellectu, ſicuti de intellectu artificis creati in ordine ad opus artis faciendum: atteſtante D. Thomâ *præs. a. 8. Scientiam Dei ſe habere ad omnes res creatas, ſicuti ſcientia artificis ſe habet ad artificiata.* Atqui ſcientia Artificis non attingit opus immediatè, ſed ejus actus eſt purè immanens, cujus eſt ſolùm dirigere operationem repræſentando modum operandi, ac illuminando operantem. At vis propriè effectiva debet eſſe ratio immediata effectum producendi per Phyſicum influxum. Ergo ſcientia Dei non eſt ſimpliciter Cauſa effectrix rerum ad extra, ſed directrix duntaxat potentiæ executivæ. 2. In agente per intellectum ea ſolùm ſci- 3.
entia eſt cauſa rerum, quâ ſufficienter cognoſcitur natura, & modus rei faciendæ: Hoc enim poſito ſufficienter determinari poteſt voluntas ad applicandum principium exequens, ſeu efficiens: iſtâ verò applicatione poſitâ, hoc ipſo ſequitur effectus. At ſcientia ſimplicis intelligentiæ quà præciſa à ratione ſcientiæ Viſionis eſt, per quam cognoſcitur & natura, & modus rei factibilis. Ergò ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ per modum tum prudentiæ, tum artis eſt in Deo cauſa rerum ad extra.

Thomiſtæ, nominatim Nazarius *præs. q. 14.* 4.
a. 8. cont. 2. Serra *eod. a. 8.* Ioannes Baptiſta Gonet *tract. de ſcient. Dei. diſp. 3. per totam.* Petrus Labat *de Scient. Dei. diſp. 5. §. 2.* Ioannes à S. Thom. *hic q. 14. diſp. 8. a. 3.* docent, Scientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe rerum ad extra cauſam in actu primo; ſcientiam verò Viſionis immediatè, ac phyſicè cauſare in actu ſecundo.

CONCLUSIO.

CErtum eſt, quòd Deus ſit cauſa rerum ad extra per intellectum, atque adeò per ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ.

Probatur. Vis cauſandi eſt ſecundùm Eſſe, 5.
ac perfectionem naturæ; hæc enim eſt primum, & radicale motûs principium. Eſſe verò Naturæ Divinæ formaliter conſiſtit in intellectione ſuæ Eſſentiæ. At vis cauſandi eſt, ſecundùm quod effectus præcontinentur in cauſâ. Ergo Deus eſt cauſa rerum, quatenùs in ſuâ intellectione præcontinet omnes quidditates creabiles. At ſicut iſtæ quoad totum ſuum Eſſe reale ſunt

derivabiles ex Eſſe Divino, ſic præcontinentur in Intellectione, ſeu Naturâ Dei, quatenùs hæc Eſſentiam Divinam tanquàm motivum ſub reali, imò formali identitate ſui ſpecificativum attingendo, in hoc ipſo Eſſe Eſſentiæ Divinæ, atque adeò in ſe ipsâ repræſentat omnes entitates, & formalitates ad extra producibiles. At
6. ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ eſt attingere, ſeu præcontinere intelligibiliter quidditates ; ac Eſſentias rerum ſecundùm ſtatum poſſibilitatis derivatæ ab Eſſe Dei formaliter identicè repræſentato per intellectionem ceu Naturâ Divinam. Cùm igitur virtus cauſæ ſit ſecundùm præcontinentiam, quæ in Deo, cujus Eſſe eſt intelligere, debet eſſe ſecundùm Eſſe intelligibile : Scientia autem ſimplicis Intelligentiæ ſit præcontinens intelligibiliter omnes quidditates poſſibiles, & ad extra producibiles, conſequens eſt, Scientiam ſimplicis Intelligentiæ habere in Deo rationem cauſæ, ſeu virtutis ad extra productivæ. D. Thomâ *q. 15. a. 3. ad 2.* aſſerente, *Eorum, quæ neque ſunt, neque erunt, neque fuerunt, Deum habere cognitionem* (ſimplicis nimirum intelligentiæ) *quæ tamen non ſit practica, niſi in virtute tantum.*

Conclusio II.

Scientia Viſionis in Deo habet rationem immediatæ cauſalitatis, ac phyſicæ effectionis creaturarum aliquando exiſtentium ; eſtque adeò actio *formaliter* Deo immanens, ſed *virtualiter* tranſiens.

7. Probatur. Forma intellectûs in Deo eſt principium operationis. S. Doctor. *præs. a. 8.* At operatio terminatur ad exiſtentiam in actu exercito. Unde illa Scientia Dei eſt principium actualiter Factivum ſeu operativum, quæ in actu exercito terminatur ad exiſtentiam: Atqui forma intellectûs Divini quà terminata ad exiſtentias rerum in actu exercito habet rationem Scientiæ Viſionis, non autem ſimplicis tantùm intelligentiæ, cùm hæc Eſſentias rerum ſecundùm purum poſſibilitatis ſtatum contempletur. Ergò intellectio Dei quà determinatum in actu exercito operationis ad extra principium importat Scientiam Viſionis.

8. Reſpondebis ex S. Thom. *præs. a. 8.* Formam Intellectûs in Deo eſſe determinatum actionis ad extra principium, quatenùs ei adjungitur inclinatio ad effectum, ſicuti etiam forma naturalis, in quantum eſt forma manens in eo, cui dat Eſſe, non nominat actionis principium, ſed ſecundùm quod habet inclinationem ad effectum. At inclinationem ad effectum adjungi formæ intellectûs Divini per determinationem voluntatis : Cùm enim forma intelligibilis in Deo ſe habeat ad oppoſita (nam oppoſitorum eſt eadem ſcientia) non produceret determinatum effectum, niſi ad unum determinaretur per appetitum. Etſi proinde Deus cauſet res per ſuum Eſſe Naturæ ; hoc verò ſit ipſummet Intelligere Dei, iſtam tamen intellectionem, ſeu Scientiam Divinam non eſſe cauſam rerum, niſi quatenus habet adjunctam Voluntatem. At ſcientiam illam, quæ ad Eſſe, & non Eſſe rerum eſt indifferens, quæque adeò indiget Voluntatis Divinæ determinatione eſſe ſimplicis intelligentiæ. Ergò ex mente Angelici Doctoris Formam intellectûs, quæ in Deo eſt principium operationis ad extra, non importare ſcientiam Viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ quà conjunctam cum Decreto voluntatis Divinæ.

Contra : Aliter conſiderandus eſt Intellectus Divinus ſecundùm quod eſt principium factionis ; & aliter ſecundùm quod eſt præcisè principium cognoſcitivum, ſeu ratio cognoſcendi omnia à ſe factibilia, etiamſi nullo tempore fiant. At licet Intellectus Divinus ſub hâc poſteriori conſideratione importet ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ, ſub priori tamen ratione dicit ſcientiam Viſionis creaturarum, quatenùs actu exiſtentium. Major eſt S. Thomæ *1. p. q. 15. a. 3.* quæ tamen una cum Minore probatur ex Sacris Litteris. Deus operatur adextra *Dicendo* res in Eſſe facti, atque adeò per *dictionem* attingendo eas ſub ratione factionis paſſivæ. *Gen. 1. Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* Item, *Dixit autem Deus, fiant luminaria in Cælo &c. & factum eſt ita.* Ex quo patet, ita factas eſſe res, ut attingebantur per *Dictionem* Dei. At hæc *Dictio* eſt actus intellectûs Divini. Ergò creaturæ ſunt factæ per illum Divini intellectûs actum, qui eaſdem repræſentabat ſeu attingebat ſub ratione facti. At intellectûs Divini actus attingens res creatas ſub ratione factionis paſſivæ, ſeu ſub Eſſe Facti eſt ſcientia Viſionis, non autem ſimplicis intelligentiæ. Ergò Scientia Viſionis in Deo eſt principium Factionis, & cauſa rerum immediata, ac phyſicè productiva. Unde etiam facile eſt explicare Doctrinam S. Thomæ *ubi ſuprà* aſſerentis ; 10.
formam intellectûs, utpote ex ſe indifferentem ad oppoſita, non eſſe cauſam rerum, niſi quatenùs habet adjunctam Divinam Voluntatem. Hoc enim omninò procedit de ſcientia ſimplicis Intelligentiæ, quæ rationes, & quidditates omnium factibilium repræſentando, ita habet rationem principij Directivi, ut tamen non immediatè attingat factionem rerum, ſed determinari debeat à Decreto Divinæ Voluntatis. At verò nec iſta Voluntatis Divinæ determinatio, ſeu Decretum eſt ſufficiens ad actualem rerum cauſationem, ſed opus eſt *Dictione* attingente res formaliter ſub eſſe facti ſeu ſub ratione factionis paſſivæ : atteſtante Prophetâ Regio. *Pſalm. 148. Quia ipſe dixit, & facta ſunt ; ipſe mandavit, & creata ſunt.* At Deus mandavit Verbo. S. Auguſtinus *in cit. Pſalm. 148.* Eſt autem Verbum Dei ſecundùm Intellectum, non ſecundùm Voluntatem. Ergò intellectus, non autem Voluntas Divina tanquàm immediatum factionis principium *mandando,* & *dicendo* attingit res creatas, ut adeò quando ſacra Littera ait : *Deum dixiſſe, & facta eſſe, mandaſſe, & creata eſſe* : ſecundùm D. Auguſtinum *loc. cit.* idem inſinuat, quod *Ioan. 1.* dicitur. *Per Verbum omnia facta eſſe, & ſine ipſo factum eſſe Nihil.* Unde Divus quoque Gregorius *32. Moral. c. 6.* ait : *Non exiſtentia videndo creat Deus : Exiſtentia videndo continet.* Cùm igitur Viſio Divini 11.
intellectûs, ſeu Dictio, & Mandatum, ſive Verbum Dei adſtruatur in ſacris Litteris tanquàm immediata, & actualis cauſa realiter effectivè ponens res in Eſſe Facti ; conſequenter ſcientia Viſionis eſt immediatum principium factionis rerum, Scientiâ ſimplicis Intelligentiæ ſe habente ut principium directivum Divinæ Voluntatis, ex cujus

cujus determinatione, ac decreto consequitur illa Visionis Scientia, res *formaliter* sub ratione factionis passivæ attingens, ac repræsentans. Quæ proinde Visio ex parte Dei est activa causalitas rerum, habetque adeò rationem actionis formaliter quidem Deo immanentis, sed virtualiter transeuntis ad extra.

12. Instabis. Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas Divinæ scientiæ. S. Thom. *in 1. dist. 38. a. 1. & 1. p. q. præs. 14. a. 8.* At in productione artificiali talis est processus. 1. Scientia artificialis ostendit finem: 2. Voluntas intendit ejusmodi finem: 3. Voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus Scientia artificialis ponit formam conceptam. ex eod. S. Doctore. *cit. a. 1. dist. 38.* Patet igitur, Intellectum ad opus artificiatum se habere solùm directivè, ostendendo finem ac Modum operandi; Voluntatem verò imperare, & informare opus artificiatum, habereque adeò rationem completæ causæ. Imò in ipsâ

13. compleri rationem causalitatis, idem Doctor Angelicus *cit. a. 1. in Corpore. & ad 4.* item *ad 6.* asserit. At verò si Scientia Visionis in Deo haberet rationem activæ causalitatis, quæ repræsentando res formaliter in Esse facti, haberet efficaciam per modum Imperij, & *Dictionis* Factivæ, easdem efficienter ponendi actu in rerum naturâ, consequens foret; Voluntatem non habere rationem completæ causæ, minùs in ipsâ compleri rationem causalitatis, neque tam Voluntatem, quàm Intellectum imperare, ac informare opus Dei ab ipso tanquàm supremo artifice efformatum, ac in Esse eductum. Atqui pugnare ista omnia cum allegatâ Doctrina S. Thomæ patet ad oculum. Ergò ex mente Angelici Doctoris Scientia Dei, eaque simplicis Intelligentiæ est causa rerum solùm mediata, ac directiva: nec adeò Scientia Visionis per modum Imperij est immediatè influens, seu in ratione causalitatis physicè effectricis realiter actu ponens res in Esse: sed hæc ratio, ac vis Imperij, & completæ causalitatis potiùs est penes voluntatem Divinam: Scientiâ Visionis hanc Dei Voluntatem consequente ad res actu existentes se habente solùm speculativè, illas supponendo tanquàm existentes; veluti S. Scriptura *Gen. 1.* clare

14. insinuat. *Vidit Deus*, inquiens, *quæ fecerat, & erant valde bona.* Unde Patres, nominatim Cyryllus Alexand. *lib. 5. in Ioan. c. 10.* Iustinus Martyr *lib. quæst. 58. 9.* Hieron. *Dialog. 3. adversùs Pelagianos.* Origenes *in Epist. ad Roman. c. 8. & alij* docent. *Non propterea aliquid esse futurum, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, ideo sciri à Deo, antequàm fiat.*

15. Contra: Nam in viâ causalitatis alius est ordo Intentionis, ac electionis; alius verò Executionis. Hi autem duo ordines ita inter se comparantur, ut ordo intentionis tum quoad finem, tum quoad electionem mediorum incipiat à Directione Intellectûs, & compleatur in voluntate. At verò Executionis ordo suam efficaciam *inchoativè*, ac *motivè* habet à voluntate, sed *ultimatè* completur per Virtutem potentiæ executricis. Ad hunc verò ordinem executivum præcipuè spectat Imperium Ordinans executionem finis, seu effectûs à voluntate efficaciter decreti. Hoc autem Imperium est formaliter actus rationis, seu intellectûs, licèt præsuppositivè, ac Motivè importet actum Voluntatis, utpote in cujus virtute movet ratio per Imperium ad exercitium actûs. Hinc idem Angelicus Doctor verbis *ex 1. dist. 38. a. 1.* allegatis adstruendo processum circa productionem rei artificiatæ, subtiliter advertit, ex eo, quòd Voluntas post intentionem finis imperet actum, per quem educatur opus, consequi, quòd Scientia artificis ponat formam conceptam. Hæc autem forma concepta est in mente Divinâ forma intelligibilis, seu exemplar rerum factibilium, quod tanquàm principium Factionis pertinet ad practicam Dei cognitionem, juxta quam adeò Deus ad extra operando se habet ut artifex. ex eod. S. Doctore *1. p. cit. q. 14. a. 8. & q. 15. a. 3.* At hanc ipsam formam intelligibilem mentis Divinæ exprimit Sacra Scriptura per nomen *Dictionis*: huic verò tribuit vim causalitatis. *cit. Psalm. 148. Quia ipse dixit, & facta sunt.* Unde sicuti Verbum Divinum producitur realiter à Patre vi Notionalis Dictionis, sic tota Trinitas operatur creaturas ad extra per dictionem Essentialem tribus Divinis Personis communem. 17. Quam ob rationem factio rerum *appropriativè* dicitur esse per Verbum; quia nimirum huic vi Dictionis Notionalis formaliter communicatur intellectio Divina, quæ est formalissimè Dictio, per quam facta sunt omnia. At hæc ipsa Dictio est etiam mandatum, atque adeò imperium. *ex cit. Psalm. 148.* Hoc autem ita est formaliter actus intellectûs, ut tamen vim movendi habeat ex virtute voluntatis, Divo Thomâ, *1. 2. cit. q. 17. a. 1.* ita asserente. *Primum movens in viribus animæ ad exercitium actûs est voluntatis. Cùm ergò secundum movens non moveat, nisi in virtute primi moventis, sequitur, quòd hoc ipsum, quòd ratio movet imperando, sit ei ex virtute Voluntatis.* 16.

Ex quo adeò patet, licèt intellectus Divinus, secundùm quod est rerum faciendarum Dictio seu Scientia Visionis, sit immediatè effectrix, imò ex parte Dei causalitas actualis in actu exercito ponens effectus in rerum naturâ; hanc tamen vim causalitatis ipsi competere in virtute motionis Divinæ voluntatis, ut adeò verû sit, quòd causalitas ejusmodi compleatur in & ex voluntate Divinâ. Etsi proindè Voluntas Divina in ordine Intentionis habeat rationem causæ Completæ, & omninò efficacis, attamen in ordine Executionis requirit exercitium alterius potentiæ, nimirum intellectûs Divini, cujus ita est per actum Imperij, seu Dictionis complere causalitatem rerum ad extra, ut tamen hæc ipsa Dictionis, ac Imperij vis in ratione motionis, & applicationis sit à Voluntate: In quo adeò sensu S. Doctor. *1. p. præs. q. 14. a. 4.* dicit, formam Intellectûs Divini non esse principium operationis, nisi quatenùs habet adjunctam Voluntatem Divinam; & hinc Scientiam Dei, quatenus est causa rerum, dici solere scientiam approbationis. 18.

Constat igitur; Visionem Dei, quâ *Gen. 1.* dicitur cuncta vidisse, quæ fecerat, non ita præsupposuisse res factas, quin easdem attingeret faciendas, attestante D. Augustino. *lib. 13. Confess. c. 3. Nos itaque*, inquit, *quæ tu fecisti videmus, quia sunt; Tu autem quia vides, ea sunt. Et nos foris videmus, quia sunt, & intus, quia bona sunt. Tu autem ubi vidisti facta, ibi vidisti facienda.* Quocircà Patres, si quandoquè dicant. *Non propterea aliquid futurum* 19.

futurum esse, quia id novit Deus, cum D. Thoma *de Verit. q. 2. a. 14. ad 1.* exponendi sunt, *quòd scientia Dei non sit causa inducens necessitatem in Scito, ut ex eo cogatur aliquid evenire, quia Deus illud scit.*
20. Si verò iidem Patres asserant, *quia futurum est aliquid, ideo sciri à Deo*, cum dicto Angelico Doctore, *ubi sup.* intelligendum est *secundum causam inferendi*, non *verò secundum causam Essendi.* Etenim, si de causalitate in Essendo sit sermo, ex Sanctis Patribus clarè evincitur, res ideo esse, quia novit Deus, Divo Augustino *15. de Trinit. c. 13.* asserente: *Universas creaturas Spirituales, & Corporales non quia sunt, ideò novit Deus; sed ideò sunt, quia videntur.* Quo sensu Greg. Magn. *20. Moral. c. 23. Quæ sunt*, inquit, *non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur.* Ex quibus adeò luce meridianâ clarius elucet, scientiam Visionis quà Imperium ex vi voluntatis Divinæ motionis realiter sibi identificatæ esse causalitatem immediatam physice effectricem rerum ad extra.

Responsio ad fundamenta contraria.

21. AD *n. 2.* oppositum Respondetur. Hoc ipso, quòd ars sit habitus cum rectâ ratione factivus, ipsius esse non tantùm in ordine intentionis dirigere Voluntatem ad finem artis, sed in executione ordinare factionem operis: hanc vero ordinationem executivam habere rationem imperii, quod in nobis est immediatè movens potentiam executricem; at in Deo esse Dictionem, quæ est operis effectio causativa, & activa, uti ex SS. Litteris superius demonstratum est. Cum igitur scientia Dei instar artis concurrat ad effectiones creaturarum, consequenter ejus actum ita esse *formaliter* immanentem, ut tamen *virtualiter* sit transiens, ac immediatè efficiens rerum creatarum.

22. Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Cùm Scriptura Divina causalitatem immediatam attribuat Dictioni Dei, hæc verò sit actus intellectûs, consequenter actum Voluntatis Divinæ præviâ directione simplicis Intelligentiæ ita determinare potentiam Dei Executricem ad producendos effectus, ut hæc ipsa tamen executiva ordinatio, & causalitas immediata ex parte Dei sit Scientia Visionis habens efficaciam ex motione Divinæ Voluntatis.
23. Unde in agente actuali, præsertim perfectissimo non sufficere scientiam, quæ ostendat Naturam & modum rei faciendæ, sed opus esse Dictione, quæ ipsammet rei faciendæ existentiam, & factionem passivam in actu exercito repræsentet, cujusmodi in Deo non est, nisi scientia Visionis. Hanc igitur quà motam, ac determinatam à Decreto Divinæ voluntatis esse per modum tum Prudentiæ, tum Artis physicè effectricem rerum creatarum ad extra.

***

ARTICULUS II.

De Obiecto Scientiæ Divinæ.

SIcuti respectu creatæ, sic respectu Divinæ quoque Intellectionis distingui potest *Objectum primarium, & Secundarium*, seu *Formale, & Materiale.* Est autem hoc discriminis inter hæc objecta, quòd *Materiale* sit *purè Terminativum*; *Formale* verò *objectum* sit etiam *Motivum*, ac *Specificativum.* Hæc autem intellectionis creatæ ex objecto formali specificatio dupliciter evenit, tum quod objectum vel mediante specie impressâ, vel per immediatam suam causalitatem sit potentiæ Intellectricis determinativum ad eliciendam cognitionem determinatæ speciei, ac quidditatis; cujusmodi specificationem patet esse in ratione causalitatis effectricis; tum quod intrinseca quidditas, ac differentia specifica cognitionis importet relationem transcendentalem ad objectum sub determinatâ aliquâ formalitate attactum. 1.
2. At secus est in intellectione Dei, *in quo Intellectus, id quod intelligitur, species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino idem.* S. Doctor *p. 1. q. 14. a. 4.* Unde Divinæ Intellectionis specificatio nec ab objecto, seu specie intelligibili potest esse derivata in ratione causalitatis; nec potest subsistere in relatione Transcendentali ad *Primarium*, ac *Motivum objectum*; sed Divinæ Essentiæ intelligibilitas tum in ratione objecti formalis, tum sub ratione Eminentiali speciei intelligibilis est intellectionis in Deo specificativa per formalem actualissimam identitatem.

At difficultas superest: *An soli Essentiæ Dei etiam quà virtualiter distinctæ ab Attributis & Personalitatibus conveniat esse objectum Divini Intellectûs specificativum ita, ut sit unica ratio cognoscendi se, & objecta creata etiam mala, sive peccata.* Quam difficultatem aliquot Controversiis expediemus. 3.

CONTROVERSIA I.

Quod sit Obiectum Primarium ac specificativum Divinæ Intellectionis.

IOannes à S. Thomâ *p. 1. q. 14. disp. 17. a. 1. n. 10.* docet, Objectum primarium, & specificativum Divini intellectûs ex parte rei cognitæ & attactæ per rationem formalem cognoscendi esse Ens Divinum, ut est in totâ suâ latitudine, prout etiam includit attributa, & relationes, & quidquid est formaliter in Deo, solis adeò creaturis relictis pro objecto secundario Divinæ Intellectionis. Fundamentum est. Eatenùs constituitur aliquid in Esse objecti, quatenùs constituitur in Esse intelligibilis. Hæc autem intelligibilitatis ratio est secundum Esse Immaterialitatis: At ratio Immaterialitatis est secundùm actualitatem Essendi. Atqui in omni formalitate Divinâ est unica ratio actûs puri, atque adeò immate- 4.

Immaterialitatis, & consequenter Intelligibilitatis. Unde Divinam Essentiam, quatenus habet rationem speciei, oportet habere pro immediato & primario repræsentato quidquid est actus purus, & per modum actûs puri intelligibile. Consequens igitur est, omnem formalitatem Deo inexistentem esse objectum Intellectûs Divini primarium, ac specificativum, siquidem habeat cum Essentiâ Divinâ eandem Intelligibilitatem, Veritatem, Immaterialitatem, & rationem actûs puri.

5. Petrus Labat *disp. 1. de Scientia Dei. dub. 4. §. 1.* Joannes Baptista Gonet *in 1. p. tract. 2. disp. 1. a. 5. §. 2.* tenent, *Objectum per se Primum formale Motivum* Intellectionis Dei esse solam Essentiam Divinam, ut distinctam virtualiter à relationibus, & Attributis. Probatur 1. De ratione formali Intellectionis est unio objecti cum intelligente. Ergò intellectio perfectissima importat summam unionem, seu identitatem objecti cum intelligente. At summa hæc identitas excludit virtualem distinctionem. Ergò perfectissima intellectio importat talem identitatem intelligibilis cum intelligente, ac ipsâmet intellectione, quæ omnimodam Virtualem quoque distinctionem excludat. Atqui Attributorum, & Personalitatum in Deo est Virtualis distinctio ab intellectione, quæ est Divinæ Naturæ formaliter constitutiva. Ergò hujus Intellectionis ut sic objectum non sunt Attributa, & Relationes Divinæ. Ergo sola Essentia Dei, quà virtualiter distincta ab Attributis, & Personalitatibus est objectum per se primum Intellectionis Divinæ.

6. Probatur 2. Illud habet rationem *Objecti Motivi* Intellectûs, quod est species, vel gerit vices speciei intelligibilis, & intellectum ad intelligendum movet, atque fœcundat. Huic autem objecto fœcundanti, ac moventi Intellectum, sive speciei impressæ per se primò assimilari debet verbum, ac species expressa, utpotè cujus sit actualissimè exprimere, ac repræsentare ea, quæ ab ipsâ specie intelligibili per se primò repræsentantur. Unde intellectionis Divinæ Objectum formale Motivum non est, nisi in quo Verbum æternum per se primò assimilatur Patri. At si Verbum Dei per se primò assimilaretur Patri in Attributis, & Relationibus, Filio ex vi suæ processionis formaliter communicaretur æquè Amor, imò & Paternitas, quàm Natura, & intellectio Divina. Hoc autem esse absurdum in fide, constat. Oportet igitur Essentiam Divinam quà Virtualiter distinctam ab Attributis, & Personalitatibus assignari Intellectionis Dei objectum Formale Motivum.

Conclusio.

Etsi omnis formalitatis Deo inexistentis sit una simplicissima etiam virtualiter indivisibilis intelligibilitas; hæc ipsa tamen Essentiæ Divinæ quà virtualiter ab Attributis & Relationibus distinctæ est propria, quæ adeò ut sic est per se *primum formale Motivum* Divinæ Intellectionis.

7. Probatur: Sicuti Veritas Transcendentalis, sic ratio intelligibilitatis radicatur in ratione Entis, quà Entis. At ratio Entis formaliter constituitur per rationem Essentiæ. Ergò ratio intelligibilitatis est formaliter radicata in ratione Essentiæ ut sic. At omnis formalitatis Deo inexistentis est una actualissima formaliter, & virtualiter indistincta Essentia: Hæc ipsa tamen essentiæ ratio ut sic est virtualiter distincta à rationibus formalibus proprijs Attributorum, ac Personalitatum. Unde per præcisionem etiam objectivam est Essentia Divina intelligibilis absque relationibus & Attributis, etsi horum formalitates non sint objective saltem præscindibiles à ratione Entitatis, & Essentiæ Divinæ. Pari ergo ratione Intelligibilitas Attributorum & 8. Relationum in Deo non est secundùm distinctionem etiam virtualem altera, quam ipsius Divinæ Essentiæ Intelligibilitas; etsi hæc objectivè sit præscindibilis ab illorum rationibus proprijs. Consequens igitur est, omnis formalitatis Deo inexistentis ita esse unam simplicissimam virtualiter etiam indistinctam intelligibilitatem; ut Rationes Attributales, & relativæ in Deo non sint intelligibiles, nisi secundum rationem Intelligibilitatis Divinæ Essentiæ sibi à parte rei formaliter identificatæ, quæ tamen intelligibilitas velut Essentia quoque Divina sit virtualiter distincta à proprijs Attributorum, ac Personalitatum rationibus. Ergò objectum per se primò intelligibile, ac formale Motivum Divinæ Intellectionis est Essentia Divina quà virtualiter distincta ab Attributis, & Personalitatibus.

9. Dices: Ex hoc discursu sequi, quòd Attributa & Personalitates Divinæ essent solùm intelligibiles propter identitatem ex naturâ rei formalem cum Divinâ Essentiâ. At oportere formalitates Attributorum, & Personalitatum ex rationibus suis proprijs per rationem nostram ratiocinatam ab Essentiâ Dei præcisis esse formaliter intelligibiles. Ergò horum Intelligibilitatem esse secundùm rationem nostram ratiocinatam formaliter aliam ab intelligibilitate Divinæ Essentiæ, uti probat Arriaga *de Scient. Dei disp. 18. sect. 2. n 17.*

10. Contra. Essentia Divina, ejusque adeò intelligibilitas ita se habet ad rationes proprias Attributorum, & Personalitatum, sicuti se habet ratio Entis ad differentias specificas substantiarum. Atqui ratio Entis est transcendens respectu substantiæ, ejusque differentiarum. Ex hac autem Transcendentia tria inferuntur. Primum est, quòd differentiæ substantiarum non sint intelligibiles cum abstractione Essentiæ, seu Entis ut sic. Cujus ratio est, quia Nihil est intelligibile, nisi sub ratione Entis, atque adeò Essentiæ. Secundum est, quod econtrà 11. ratio Entis non tantùm secundùm nostrum concipiendi modum confusum sit intelligibilis sine explicitâ ratione substantiæ, sed insuper formalitas Essentiæ, ac Entitatis sit in ratione substantiæ conceptibilis cum præcisione objectivâ inferiorum differentiarum. Cujus fundamentum est; Nam istæ differentiæ etsi à parte rei etiam formaliter identificentur cum ratione substantiæ, hæc tamen in unâ illarum differentiarum stare potest distincta realiter ab alterâ differentiâ. Ex quo fit, inter formalitates substantiæ, & inferiorum differentiarum esse distinctionem virtualem, in quâ fundatur præcisio illa objectiva. Tertium est: si ratio Entis 12.

consideretur cum abstractione à dependentiâ, & immixtione potentialitatis, intelligi hoc ipso sub ratione Esse absoluti. Cujus ratio est,
13. quia hoc ipso, quòd Intellectus suâ conceptione præter Esse non attingat aliam formalitatem, remanet in intellectu nostro purum Esse per se, & in se absolutum ab omni imperfectione, & potentialitate. ex S.Tho. *in 1. dist. 8. q. 1. ad 4.* Atqui hoc Esse absolutum est formalissimè Divina Essentia. ex S. Doctore *loc. cit.* At verò, si aliqua Dei formalitas Attributalis, seu Personalis conciperetur sub Esse admixto potentialitati, eo ipso non esset Divina. Oportet igitur, quamlibet Divinam formalitatem esse intelligibilem formaliter sub ratione Esse puri & absoluti. Cùm igitur ratio intelligibilitatis sit formaliter secundum rationem Essendi, seu rationem Entis, consequens est, Essentiam Divinam sub ratione Essentiæ ita Transcendentaliter esse imbibitam in omni formalitate Divinâ, ut hæc non sit intelligibilis, nisi sub ratione Essentiæ Dei.

14. At econtra non repugnat, Esse Divinum præcisè sub ratione Esse puri & absoluti concipi, quin formalitates Divinæ Attributales, & personales tali conceptioni ex parte objecti respondeant. Ergò istæ formalitates sunt quidem in se ipsis intelligibiles, hæc tamen ratio intelligibilitatis non est in earum rationibus proprijs, nisi quatenùs formalissimè, & transcendentaliter habent imbibitam rationem Essendi. Quare in formalitatibus Divinis est unica secundùm nostrum quoque Intellectum indivisibilis Intelligibilitas Essentiæ Divinæ, à quâ non sunt ratione nostrâ separabiles, seu præscindibiles rationes propriæ Attributorum, & Personalitatum, licèt econtra ab his objectivè præscindi possit ratio Essentiæ,
15. & Intelligibilitatis. Unde verificatur, quòd præcisè Essentia Divina sit objectum per se Primum Intellectionis Divinæ; quia nimirum ratio Intelligibilitatis Divinæ est secundùm Essentiam Dei virtualiter distinctam, & objectivè præscindibilè a Personalitatibus & Attributis, cùm ista econtrà secundùm rationes suas proprias sint intelligibilia propter Transcendentiam Essentiæ duntaxat Divinæ, quæ non tantùm per identitatem ex naturâ rei formalem, sed secundum nostrum quoque intellectum Transcendentaliter in illis imbibitur, constituendo ea formaliter in ratione Esse, ac Intelligibilis Divini.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

16. AD argumentum *n. 1.* propositum Respondetur: Verum esse, quod Essentia Divina quà Eminentialis species habeat in Deo pro immediato, & Primario repræsentato, quidquid est actus purus, & per modum actûs puri intelligibile. At omnem formalitatem Deo inexistentem habere unicam Divinæ Essentiæ actualitatem, atque adeò immaterialitatem, & consequenter intelligibilitatem, ac Veritatem. Hanc nihilominùs Essendi rationem, ac Intelligibilitatem in Attributis & Personalitatibus Dei non esse ex rationibus ipsarum proprijs, nisi quatenus istæ transcendentaliter involvunt Essentiam Divinam. Sicut ergò differentiæ specificæ substantiarum sub rationibus suis specificis formalissimè important rationem Entis, secundùm quam ut sic sunt intelligibiles, ut hæc tamen Intelligibilitatis ratio ipsis conveniat formaliter ex ratione Entis in se Transcendentaliter imbibitâ: sic formalitates Dei Attributales, ac Personales esse intelligibiles per Transcendentiam Essentiæ Divinæ. Unde illas posse quidem dici objectum Divinæ Intellectionis, ut tamen hæc ratio objecti, ac intelligibilis ipsis non possit convenire ex præcisis ipsarum rationibus, sed ex ratione Essentiæ Divinæ Transcendentaliter in se inclusæ.

Ad argumentum *n. 2.* propositum Respondetur: Bene probari, quòd perfectissima Intellectio talem importet identitatem Intelligibilis cum intelligente, ac ipsâmet Intellectione, quæ omnimodam, Virtualem quoque distinctionem excludat. At Divinorum Attributorum, & Personalitatum secundùm rationes suas proprias esse qnidem virtualem ab intellectione Naturæ Divinæ constitutivâ distinctionem, ut tamen ratione Essentiæ Transcendentaliter imbibitæ in formalitatibus quà Divinis, his omnibus insit unica virtualiter indivisibilis Essentiæ Divinæ Intelligibilitas. Consequens igitur esse, quòd ratione hujus simplicissimæ Attributis, & Personalitatibus Divinis Transcendentaliter convenientis Intelligibilitatis omni formalitati Dei insit Primaria intelligibilitatis ratio, atque adeò Motiva Intellectionis Divinæ. 17.

Ad *n. 3.* oppositum Respondetur: Verum esse, quòd ratio speciei intelligibilis moventis, ac fœcundantis intellectum Dei Patris, ne quidem Virtualiter distinguatur à ratione Motivâ Primariâ Intellectûs Divini, in quâ debeat Verbum æternum per se primò assimilari Patri. Hanc verò rationem Motivi primarij & speciei intelligibilis convenire quidem Deo secundùm Essentiam ab Attributis, & Personalitatibus virtualiter distinctam, quæ tamen illis formalitatibus Personalibus, & Attributalibus Transcendentaliter insit, easdem formaliter constituendo in ratione Esse & Intelligibilis Divini. Unde Verbum æternum ita assimilari Patri in Esse, ac Intelligibilitate omnis formalitatis Deo inexistentis, quin tamen eidem ex vi suæ processionis formaliter assimiletur in rationibus proprijs Attributorum, & Personalitatum. Consequens igitur esse, quòd in hisce non sit etiam virtualiter alia intelligibilitatis ratio, quàm Essentiæ Divinæ, quæ tam in se, quàm in Attributis, & Personis Divinis respectu Intellectionis Increatæ habet rationem Primæ intelligibilitatis, ac objecti formalis Motivi. 18.

Ex quibus inter se collatis patet, sententias *supra n. 1. & 2.* adductas re ipsâ non differre, sed apparenter duntaxat. Nam 1. Joannes à S.Thomâ *cit. a. 1. n. 10.* fatetur, Intellectum Dei Patris ad generationem Verbi fœcundari per id, quod habet rationem speciei, hoc autem esse Essentiam Divinam quà virtualiter distinctam à Relationibus Personalibus. At id, quod intelligitur, & speciem Intelligibilem in Deo esse omnino unum & idem, probat S. Doctor *præs. a. 4.* Ex quo fit consequens, rationem Motivam Intellectionis Divinæ non esse virtualiter aliam à ratione speciei Intelligibilis. Si ergò ista, consequenter & illa secundùm dictum Authorem est Essentia Divina quà distincta virtualiter à relationibus. 19.

Quæ

Quæ nihilominùs ratio Motiva, seu Intel-
20. ligibilitas Transcendentaliter ita inest formalitatibus Dei Personalibus, & Attributalibus, ut unica omnium istarum ratio Intelligibilitatis non sit alia, nisi Essentia Divina. Quam proinde Intelligibilitatis in Deo identitatem omnimodam, nec non Essentiæ, ejusque Intelligibilitatis respectu omnis formalitatis Deo inexistentis Transcendentiam ita consideravit Author præfatus, ut tamen non negaret ejusdem Essentiæ, & consequenter Intelligibilitatis, ut sic ab illis virtualem Distinctionem. Econtra Ioannes Baptista Gonet *sup. n. 2. & 3.* ob virtualem Essentiæ ab Attributalibus & Personalibus Dei relationibus distinctionem Intelligibilitatis Motivæ rationem primariò ita posuit in Essentiâ Divinâ, ut hujus tamen Transcendentiam, ratione cujus omnibus Dei formalitatibus una virtualiter indivisibilis inest Essentiæ, & Intelligibilitatis ratio, nullatenus negaret.

2. Petrus Labat *dict. n. 2.* quia considerabat
21. cum S. Thomâ *cit. a. 4.* Essentiæ Dei Intelligibilitatem esse *omnibus modis* absque Virtuali adeò distinctione eandem cum intellectione Naturæ Divinæ formaliter constitutivâ, quam tamen Intellectionem, & Naturam Divinam oporteat esse virtualiter distinctam à Personalitatibus Dei, & Attributis. Idcirco intulit, primariam Motivam Intellectionis Divinæ rationem esse præcisè in ratione Essentiæ. Hoc autem catenus verum est, ut licèt hæc ratio intelligibilitatis ac Essentiæ Divinæ sit præscindibilis à formalitatibus Relativis & Attributalibus, harum tamen rationes, secundùm quod Deo inexistunt, non possint objectivè præscindi ab illâ, utpote transcendentaliter ipsis imbibitâ. Tota igitur illorum Authorum discrepantia in eo est, quòd primus considerando Essentiæ, ac Intelligibilitatis Divinæ Transcendentiam, reliqui verò duo posteriores attendentes ad virtualem Essentiæ, & Attributorum Dei distinctionem differant in modo loquendi, & considerandi, non verò in re, seu puncto Veritatis. Verùm nos illam Divinæ Essentiæ, ac Intelligibilitatis Transcendentiam connectentes cum Virtuali ejusdem ab Attributis & Personalitatibus distinctione omnibus illis Doctrinæ Angelico-Thomisticæ assertis conformari credimus.

CONTROVERSIA. II.

An Deus se cognoscat in Creaturis.

1. HAnc difficultatem sub alijs terminis proponit Arriaga *præs. disp. 18. sect. 3. n. 52. An in Deo detur sui cognitio non quidditativa duntaxat, sed etiam abstractiva.* Nam hujus ratio est respectiva ad objectum; unde eadem et cognitionis formalitas etiam ratione nostrâ potest esse abstractiva, & quidditativa respectu diversorum objectorum, nec adeò ex hoc, quòd cognitio sui in Deo sit intuitiva, imò comprehensiva, sequitur, non esse abstractivam: hujus enim nomine venit cognitio rei in medio imperfectiori. Si ergò Deus se cognoscat in creatura tanquàm medio, oportet esse abstractivam, etsi realiter indistinctam à quidditativâ sui in se ipso intellectione.

Referuntur Sententiæ Doctorum oppositæ.

FRanciscus de Lugo *disp. 28. de Deo toto. s. 2. n. 7.* Arriaga *loc. cit.* affirmant, Deum cognoscere se non tantùm in se ipso, sed etiam in creaturis. Probatur. De fide est, Deum comprehendere creaturas, earumque ad Deum Dependentiæ essentialis ordinem transcendentalem. At relatio realis, cùm quodammodò specificetur à termino, quem essentialiter respicit, non est cognoscibilis absque termino. Ergò Deus comprehendendo creaturas, necessariò cognoscit se in illis tanquàm sui imagine, vel vestigio, Divo Thomâ *in 1. dist. 32. q. 2. a. 1. ad 4.* ita differente. *Pater in Verbo videt se ipsum & creaturas, & sic etiam non est inconveniens, quòd per modum istum in creaturâ se videat, quæ ipsius Divinæ Bonitatis repræsentativa est per Imaginem, vel vestigium.* 2.

D. Thomas *hic q. 14. a. 5. in corp. & ad 1.* Ysambertus *ad cit. q. 14. disp. 3. n. 3.* docent, Deum videre creaturas in se ipso, non in ipsis. 3.

CONCLUSIO.

DEus essentialem creaturarum à se dependentiam cognoscendo in suâ Essentiâ tanquàm Motivo formali, cognoscit se ipsum in creaturis tanquàm objecto purè Terminativo & materiali, nec adeò datur in Deo cognitio sui abstractiva, sed quidditativa duntaxat.

Probatur. Si daretur intra Deum abstractiva sui in creaturis cognitio, oporteret hanc specificari ab Esse Intelligibili creaturarum. Atqui absurdum est, aliquam formalitatem Intellectûs Divini specificari ab Esse creaturarum. Sequela Majoris, nec non Minor probatur ex S. Tho. *a. 5. ad 2. & 3.* Intelligere specificatur per suum principale intellectum, seu formale objectum. At quælibet operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis. Ergò intelligere specificatur per objectum suum, in quantum istud per modum formæ intelligibilis est principium intellectualis operationis. Hoc autem convenit objecto non secundùm substantiam, sed secundùm speciem, secundùm quam est in intellectu ut forma, & perfectio ejus. At ista forma intelligibilis faciens intellectum in actu, atque adeò intellectualem operationem specificans est species intellecti principalis, seu objecti formalis. Oportet igitur, cognitionis intuitivæ, & abstractivæ differentias specificas esse ex differentiâ speciei intelligibilis, ita ut dicatur cognosci intuitivè in se ipso, quòd cognoscitur per speciem propriam commensuratam cognoscibili: econtrà verò dicatur cognosci *abstractivè* in alio, quod cognoscitur per speciem alienam, uti cum S. Doctore *cit. a. 4. in Corp.* notant Theologi, & Philosophi communiter. Si proinde Deus abstractivè se cognoscat in creaturis, oportet hanc Divini Intellectûs formalitatem specificari per Esse intelligibile, sive per speciem creaturarum. 4.

Hinc

Hinc verò consequens foret, creaturas non quidem secundùm substantiam, sed secundùm speciem suam esse perfectionem Intellectûs Divini; uti probat Doctor Angelicus *cit. a. 5. ad 2.* At hujus absurditas, præterquàm, quòd ex se ipsâ sit manifesta, clariùs elucebit ex dicendis *sequenti Controversiâ.* Absurdum igitur est dicere, Deum abstractivè cognoscere se ipsum in creaturis tanquàm objecto formali.

Ad argumentum *n. 2.* oppositum

5. RE spondetur cum Ioanne à Sancto Thomâ *disp. 17. cit. a. 2. num. 4. ac seq.* Quando DEUS intuendo suam Essentiam per hanc ceu speciem increatam contemplatur creaturas cum essentialis à se dependentiæ Transcendentali ordine, ita cognoscere se in creaturis, ut tamen hujus Divinæ cognitionis motivum formale sit unica Dei Essentia, quà continens eminenter species omnium creaturarum. ex S. Tho. *cit. a. 5. ad 2.* Unde creaturas tanquàm objectum materiale purè terminativum se habere ad illam cognitionem, quæ proinde sit Essentiæ Divinæ intuitiva, non verò abstractiva notitia. Atque in hoc sensu accipiendum esse Doctorem Angelicum ex opposito allegatum, constat *ex præs. a. 5.* nec non *ex 1. cont. gent. c. 48.*

CONTROVERSIA III.

An Essentia Divina sit Deo unica ratio ac medium cognoscendi Creaturas?

1. SCotus *in 2. dist. 1. q. 1. junctâ expositione* Lycheti *ibi. à n. 23.* ex comparatione intelligibilium ad intellectum Divinum in æternitate duo ponit naturæ instantia: Etenim comparando Essentiam Dei ad intellectum ejus, quæ est primum objectum intellectûs sui, est primum instans naturæ: & comparando alia objecta, quæ sunt secundaria, ad intellectum Divinum, quæ non sunt ex se objecta, sed producta per intellectum in Esse objecti; est secundum instans naturæ. In primo igitur instanti Subtilis Doctor *in 1. dist. 35. q. un. n. 10.* docet, Deum intelligere Essentiam suam, in secundo verò instanti producere lapidem, aliavè objecta creata in Esse intelligibili, & intelligere Lapidem, ac cætera objecta creata. Probationem hujus Doctrinæ ex

2. mente ejusdem Doctoris ita deducit Cajetanus *1. p. q. 14. a. 5. §. circa conclusionem.* Intellectus Divinus actuatus quodammodò Essentiâ suâ ut specie intelligibili, est in actu primo sufficienti ad producendum in Esse intelligibili quodcumque intelligibile. Ergo intellecto se, intelligendo lapidem producit lapidem in Esse cognito, ac per hoc intelligit lapidem in se ipso.

3. Nominales speciatim Ocham. *in 1. dist. 35. q. 3.* tenent, Deum cognoscere creaturas in se ipsis, non autem in Essentiâ suâ, tanquàm primario objecto. Quibus saltem ex parte accedunt nonnulli Recentiores, nominatim Franciscus de Lugo *hic disp. 28. c. 4. n. 16. usque ad 25.* Arriaga *de Scient. Dei disp. 19. n. 17. & 22.* Hi enim ita admittunt Deo scientiam creaturarum in suâ Essentiâ, seu Omnipotentiâ tanquàm objecto primario & Motivo, ut tamen ponant in Deo scientiam quoque creaturarum in se ipsis. Probatur. Non repugnantia creaturarum, sive Essentiæ rerum secundùm Esse, quod habent in statu possibilitatis, sunt in se ipsis immediatè cognoscibiles. Ergo si harum scientia immediata nullam involvat imperfectionem, ponenda est in Deo. At perfectionis est quoduis intelligibile cognoscere omnibus modis, quibus est cognoscibile. Et licèt imperfectionem importaret, Divinæ intellectionis aliud esse objectum primarium specificativum, quàm Essentiam Dei; nihil tamen imperfectionis involvit, creaturas quoad suam propriam cognoscibilitatem esse Divinæ cognitionis objectum formale, prout istud præcisè importat rationem assentiendi, non verò rationem specificandi. Ergò intellectui Divino non disconvenit, creaturas secundùm propriam suam cognoscibilitatem habere objectum immediatum, & formale, secundarium tamen & non specificativum, veluti arguit Franc. de Lugo *cit. n. 25. & 26.*

Vasquez *præs. disp. 60. cap. 3.* Amicus *disp. 12. de scient. Dei n. 12.* sentiunt, Deum cognoscere creaturas in suâ Essentiâ, non quà causâ, sed quatenùs habet rationem speciei expressæ, seu Verbi Essentialis, ac tribus Divinis Personis communis. Probatur. Illud non est prima ratio Motiva cognoscendi creaturas, quo præciso Deus adhuc concipitur, illas cognoscere. Atqui scientia creaturarum in Deo non est consequens Omnipotentiam, quin potiùs attributum Omnipotentiæ fundetur in scientiâ, illamque rationè nostrâ ratiocinatâ supponat. Unde Omnipotentiâ, & causatione rerum præcisis à Deo, Deus adhuc conciperetur perfectissimè intelligens non tantùm se ipsum, sed etiam creaturas. Ergò Omnipotentia, seu ratio Causæ in Deo non est ratio Motiva cognoscendi creaturas. 4.

Cajetanus *præs. a. 5.* Bannes *ibid.* Nazarius *hic Cont. 2.* Gonet. *disp. 2. de scient. Dei a. 1. concl. 1. & 2.* Ioannes à S. Thomâ *cit. a. 2. n. 11.* & Thomistæ communiter cum Doctore suo Angelico, *eod. a. 5.* asserunt, Creaturas non immediatè in se ipsis cognosci à Deo, sed in Essentiâ Divinâ quà Causâ, & objecto priùs cognito. 5.

CONCLUSIO.

DEus per suam duntaxat Essentiam cognoscit creaturas, quatenus hæc habet rationem tum *Medij Quo*, per modum eminentialis impressæ, ac expressæ speciei, repræsentando objecta creata: tum *Medij Quod*, tanquàm objectum priùs naturâ cognitum, quodammodò ducendo in cognitionem creaturarum, ceu objectum secundarium Divinæ intellectionis.

Probatur. Unumquodque cognoscitur, secundùm quod est in cognoscente. ex S. Tho. *hic a. 6. ad 1.* Unde ad notitiam non sufficit lumen intellectuale, sed requiritur unio objecti cum intelligente, juxta vulgatum axioma. *Ex objecto, & potentiâ paritur notitia.* In hoc enim differt intellectus à voluntate, quòd ista operetur per modum inclinationis, ac impulsûs, movendo in 6.

do se in objectum, ille verò per vitalem repræsentationem assimiletur objecto, quam proinde assimilationem, seu repræsentationem oportet procedere ex objecto, seu specie intelligibili realiter inexistente potentiæ. At Deo non potest inexistere forma, seu species intelligibilis nisi increata. Hæc autem est realiter, imò & formaliter ipsa Essentia Divina. Oportet igitur, Essentiam Divinam esse unicam in Deo speciem
7. intelligibilem. At Essentia Divina eo modo est rerum omnium forma, seu species intelligibilis, quo modo universorum essendi rationes in se continet. Nam ratio intelligibilitatis est secundùm rationem essendi. Est autem Divina Essentia continens omnem essendi rationem creabilem, quatenùs est purissimus Essendi actus: Ergò hæc ipsa Essendi actualitas est ratio, per quam Deus omnes species rerum comprehendit. Unde consequens est, universorum creabilium species esse in Deo unicam simplicissimam intel-
8. ligibilem formam, quæ sit purissimus actus. At omnium rerum repræsentativa forma intelligibilis eo ipso inferret aliquid potentialitatis, nisi omnis objecti in se intelligibiliter repræsentati esset actualissima repræsentatio, seu expressio. Oportet igitur, Essentiam Divinam quà formam omnis rei intelligibilitatem sub actualissima essendi ratione continentem esse Verbum, seu speciem universorum actualissimè repræsentativam, seu expressivam. At ista expressio, seu repræsentatio objecti, ac rei intellectæ eo modo se habet in intellectu, quomodo intelligibilitas est unita intellectui: Neque verò Intellectui Divino inexistit alia intelligibilitas, nisi Essentiæ Dei, quæ in ratione formæ intelligibilis est actualissimè repræsentativa omnis intelligibilitatis creabilis, sicuti sub unâ Eminentiali formâ est continens omnes essendi rationes ex se deriva-
9. biles seu creabiles. Cum igitur intelligibilitates creaturarum non sint in intellectu Divino, nisi sub ratione Intelligibilitatis increatæ, seu Essentiæ Divinæ; consequenter intellectus Dei non potest intelligibilitates creatas repræsentare, quin hæc repræsentatio actualissimè attingat Divinam Essentiam tanquam objectum per se primarium intelligibilitatis creaturarum eatenùs expressivum, quatenus universorum essendi rationes in se continet. Consequens proinde est, sicuti intelligibilitates creaturarum secundùm Esse formæ, seu speciei creatæ non sunt unibiles Divino intellectui, sic non esse ita attingibiles à Divino intellectu, & earum propria cognoscibilitas habeat rationem objecti formalis, sed Terminativi duntaxat, attacti in Essentiâ, & intelligibilitate Divinâ tanquàm Motivo, & objecto primario, nec non tanquàm specie tum impressâ, tum expressâ: uti nervosiùs concludi potest ex Doctore Angelico, collatis inter se articulis 2. 4. 5. & 6. *præsentis 14. quæstionis.*

Responsio ad fundamenta contraria.

10. AD *n. 1.* oppositum Respondetur: Doctorem Subtilem rectè distinguere illa duo naturæ instantia: Nam hæc Causalis est vera, *Quia Deus se ipsum comprehensivè videndo in suâ Essentiâ cognoscit creaturas possibiles, ideo istæ sunt verè possibiles.* Sicut enim res creatæ ideo existunt, quia Deus eas videt existentes, non verò econtra, quia existentes sunt, videt Deus eas existere; sic verificatur, quòd Deus non ideò cognoscat creaturas possibiles, quia in se ipsis possibiles sunt, sed econtra, quia cognoscuntur, sunt ex hoc ipso in statu possibilitatis. Quare tàm Scientia quàm Essentia Dei est quodammodò causa creaturarum etiam quà possibiliũ, quatenùs eas intelligendo, aliquo modo producit in Esse intelligibili, atque adeò in ratione Entis possibilis. Quæ tamen causalitas, seu productio non est physica influens Esse simpliciter in creaturas quà possibiles, uti Scotus pluribus tradit *in 1. dist. 36. q. un. à n. 6.* In hoc enim possibilitatis statu Esse creaturarum est diminutum non realiter physicè existens, sed objectivè duntaxat in intellectu Divino secundùm non repugnantiam prædicatorum.

Unde Bannes *a. 6.* immeritò redarguit illam sententiam tanquàm Chimæricam, & parùm fidei consentaneam, quasi Subtilis Doctor posuisset aliquid creatum ab æterno. Nam contra est; quia licèt Scotus à Cajetano *sup. n. 1.* expositus dicat, Intellectum Divinum suâ Essentiâ, seu specie intelligibili actuatum producere in Esse intelligibili objecta creata, idem tamen Doctor *cit. disp. 36. n. 14.* illud Esse creaturarum in æternitate explicat per non repugnantiam, ex quâ consequens sit, lapidem, aliudve Divini intellectûs objectum creatum esse Ens in potentiâ. Quod totum nihil inferre Chimærici, vel alieni à fide manifestum est. 11.

Etsi proinde idem Doctor subtilis *ubi supra* à nobis relatus asserat, Deum intelligere lapidem aliavè objecta creata à Divino suo intellectu producta in Esse Intelligibili, nullatenus tamen dicit, creaturas ejusmodi in se taliter attingi ab intellectione Divinâ, ut sint hujus *objectum formale*, seu *Motivum*, quin potiùs *in prol. lib. sent. q. 3. n. 23.* doceat, si Divina Natura non moveret ad ulteriorem notitiam veritatum, nunquam eas intellecturum intellectum Divinum, cùm hic à nullo alio Motivo, quàm ab Essentiâ suâ possit habere notitiam. Ex quo adeò manifestè evincitur, Doctorem Subtilem in puncto præsenti non discordare à Doctore Angelico. 12.

Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Verum esse, quòd creaturæ possibiles habeant in se veram cognoscibilitatem, ratione cujus sint per se immediatè intelligibiles ab intellectu creato: attamen istam intelligibilitatis rationem nullatenus esse proportionabilem cum Intellectu Divino, nec adeò posse ab isto attingi, nisi mediante Essentiâ Dei, tanquàm objecto per se primario, & Motivo formali. Cujus ratio fundamentalis est. Nihil est actu proximè intelligibile, nisi quatenùs intelligibiliter est conjunctum cum intellectu, uti ex Aristotele probat S. Doctor *hic a. 2.* At nulla Veritas, seu cognoscibilitas creata potest in ratione formæ intelligibilis inesse Divino intellectui nisi per speciem increatam, quæ est ipsa Essentia Divina. Hæc autem habet rationem eminentialem speciei omnium creaturarum repræsentativæ, quatenus universorum similitudines, seu species continet. ex S. Doctore *hic a. 5. in Corp. & ad 3.* At in hac rerum creatarum similitudinum seu specierum continentiâ non est conceptibilis ulla formalitas, quin formaliter importet rationem Increati, seu Esse Divini. Unde non est excogitabile, quòd aliquid 13. 14.

U quid

quid intelligibilitatis sit cum intellectu Divino unibile, nisi sub ratione formæ intelligibilis increatæ. Ergo creaturæ possibiles non sunt cognoscibiles ab intellectu Divino, nisi quà per formam intelligibilem increatam, sive Essentiam Divinam sunt intelligibiliter, seu repræsentativè
15. in intellectu Divino. At repræsentatio quà increata sub ratione adeò puræ actualitatis non est conceptibilis, nisi per summam identitatem in ratione rei etiam repræsentatæ involvat Esse Divinum. Etenim repræsentatio rei creatæ tanquàm objecti per se primarij, seu formalis hoc ipso in suâ formalitate importaret aliquam limitationem, quæ ut sic non haberet summam actualitatem, seu infinitatem in repræsentando. Cùm igitur non sit de Deo conceptibilis formalitas, nisi sub ratione actûs puri, adeoque infiniti formalissimè, & transcendentaliter imbibitâ in omnibus formalitatibus Divinis, consequenter non est in Deo formalitas cognitionis, quæ secundùm virtualem distinctionem possit considerari præcisè quà attingens cognoscibilitatem creatam; Sed quamlibet increati, & infiniti intellectûs formalitatem oportet non esse creaturarum repræsentativam, nisi in Essentiâ Divinâ tanquàm objecto primario Motivo.

16. Confirmatur. Datâ per impossibile formalitate Divinæ intellectionis, secundùm quam sit in Deo repræsentatio intelligibilis creati tanquàm objecti formalis, cum præcisione objectivâ Intelligibilitatis Divinæ, tunc ista formalitas secundùm rationem suam propriam esset in repræsentando ut sic finita: finiti enim non potest esse repræsentatio, nisi quà formaliter finita. At implicat Deo ullam formalitatem inexistere sub ratione quà finitâ, ut sic enim non esset actus purus. Ergo non est de Deo verè prædicabilis formalitas intellectionis attingens cognoscibilitatem creatam tanquàm objectum formale; sed oportet omnem intellectioni quà Divinæ convenientem formalitatem esse repræsentativam primariò solius Essentiæ Divinæ, creaturarum verò duntaxat secundariò in suâ Essentiâ, tanquàm Motivo formali specificativo.

17. Ad *n. 3.* Oppositum Respondetur. Omnipotentiam dupliciter posse considerari. 1. *Radicaliter*, prout importat Essentiam, & Naturam Divinam, ratione infinitæ suæ perfectionis communicabilem ad extra, quam proinde communicabilitatem ad extra intuendo, Intellectus Divinus cognoscit hoc ipso creaturas ex Essentiâ Divinâ derivabiles, easque adeò istâ suâ cognitione quodammodò causando in Esse non repugnantiæ, constituit in statu possibilitatis,
18. sive Entium in potentiâ. Ex quo adeò patet, Omnipotentiam radicalem quatenus importat præcisè Essentiæ Divinæ infinitatem cum communicabilitate sui ad extra, non esse ratione nostrâ posteriorem scientiâ, quam Deus habet de possibilitate creaturarum; nec per consequens, scientiam creaturarum in Deo concipi posse præcisâ istâ radicali Omnipotentiâ, quæ Intellectui Divino est ratio Motiva cognoscendi
19. creaturas possibiles. 2. Potest considerari Omnipotentia *formaliter*, prout est Virtus executiva, quæ virtualiter est posterior scientiâ simplicis intelligentiæ: Nam sicuti creaturæ possibiles sunt, quia Intellectus Dei in Essentiâ suâ Divinâ eas ex se derivabiles cognoscit, sic Potentia Dei executrix est secundùm rationem nostram ratiocinatam consequens scientiam Divinam simplicis intelligentiæ. Quocirca verum est, hâc Dei potentiâ executrice præcisâ, posse adhuc concipi Deum quà intelligentem quidditates creatas, nec adeò Omnipotentiam formaliter esse Deo primam rationem Motivam cognoscendi creaturas possibiles, ejusmodi enim primam Intellectûs Divini rationẽ Motivam non esse nisi Essentiæ Divinæ intelligibilitatem ita distinctam virtualiter ab Attributis Dei, ut hæc tamẽ per Transcendentiam illam ipsam non autem virtualiter aliam intelligibilitatem habeant, dictũ est *præs. a. 2. conc. 1.*

Instabis. Proprium est relativis, quòd cognito uno, cognoscatur & alterum. Ergò si 20.
Omnipotentia Dei sive *Radicalis* sive *Formalis* intellectui Divino est ratio Motiva cognoscendi creaturas, oportet, Essentiam Divinam importare aliquam relationem ad creaturas. Ex hoc autem sequeretur, Esse Dei non esse simpliciter absolutum, imò esse dependens à creaturarum possibilitate secundùm Dependentiam, quam Recentiores dicunt à *posteriori*, cujus dependentiæ ratio in eo sita esset, quòd per impossibile, sublatâ possibilitate creaturarum, non esset in Deo Omnipotentia etiam radicalis.

Respondetur. Illam proprietatem convenire relativis non quarto, sed secundo modo, ita 21.
ut Enti etiam absoluto, seu non respectivo convenire possit. Unde Ens etiam absolutum est medium ducendi in alterius cognitionem, sic enim sensibilia ducunt in notitiam intelligibilium, non in viâ relationis, sed quatenùs intellectus natus est ex illis abstrahere species intelligibiles. Potest proinde eminentialis Continentia in Ente etiam absoluto esse medium cognoscendi res in se virtualiter contentas. Est autem omnis Entis creabilis in Deo ejusmodi virtualis continentia, quæ Divinæ Essentiæ cum creaturarum possibilitate importat connexionem non Dependentiæ alicuius, sed Eminentiæ, vi cuius faciat res omnes creatas à se dependere, sine sui dependentiâ.
Quam proinde connexionem Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 17. a. 2. n. 28.* congruè appellat 22.
Consequentiæ. Hæc verò Consequentia in eo consistit, quòd ex eminentiali creaturarum in Deo continentiâ tanquàm activâ Esse Divini ad extra imitabilitate necessariò inferatur passivâ creaturarum participabilitas, atque adeò possibilitas. In quâ nihilominùs illatione maioris necessitatis ac firmioris, utpote increatæ veritatis est antecedens, quàm consequens, cuius veritas est duntaxat participata.

Unde non stat secundùm rigorem ista sequela: *Si per impossibile nullæ essent possibiles creaturæ, tolleretur Divina Essentia.* Ista namque Consequentia tametsi aliqualiter sustineri posset; 23.
negatâ enim possibilitate creaturarum, tacitè supponitur, in Deo non esse vim determinatam, ex quâ necessariò sit consequens rerum creabilium non repugnantia: attamen in rigore illatio illa significat æqualitatem veritatis, ac necessitatis inter Esse Divinum, & possibilitatem creaturarum. Etsi proinde verificetur, *quòd Divina Essentia per intellectum nostrum destrueretur, si Chimaricè conciperetur, quasi non habens perfectionem, ex quâ sit necessarium, creaturas esse possibiles*; non tamen exinde consequens est, possibilitatem creatu-

creaturarum æquè necessariam esse, ac Esse Divinum. Quare Essentiæ Divinæ cum possibilitate creaturarum est connexio Consequentiæ, absquè ullâ tamen dependentiâ cum Eminentiali duntaxat cuiusvis perfectionis creabilis continentiâ: quam esse Deo sufficiens medium, ac motivum cognoscendi in suâ Essentiâ creaturas, probat illud Div. Dionisij *de Divin. Nom. c. 47. Non secundùm Visionem singulis se immittit, sed secundùm Causæ continentiam scit omnia.* Quo adeò sensu Psalm. 101. dicitur de Deo. *Prospexit de excelso sancto suo* quasi de se ipso excelso alia videns, uti exponit S. Thomas *cit. 1. cont. gent. c. 49. in fin.* Verùm de hoc videri possunt, quæ *prac. q. 4. a. 5. cont. 1. à* nobis deducta sunt.

24. Vrgebis. Continentia virtualis creaturarum in Deo eatenus est medium cognoscendi creaturas in Essentiâ Divinâ, quatenus habet rationem alicuius similitudinis. ex S. Tho. *cit. c. 45. cont. gent. arg. 2.* At inter Deum, & creaturas non est nisi similitudo analoga: hæc verò non est secundùm rationem simpliciter unam; Imò formalitas illa, secundùm quam creaturæ constituuntur in Esse creati, & formaliter distinguuntur à Deo; non potest inesse Deo, sicut econtra ratio Divinæ Essentiæ secundùm Esse increati & actûs puri non est communicabilis creaturæ. At verò nihil potest esse medium, cognoscendi aliud *quidditativè*, nisi contineat in se formaliter totam rationem ipsius. Consequens igitur est, rationes formales creaturarum ut sic non cognosci in Deo tanquam *medio quod*. Ergò has formalitates oportet à Divino intellectu attingi in se ipsis secundùm propriam cognoscibilitatem.

25. Respondetur etsi creaturæ non nisi *Analogicè* assimilentur Divinæ substantiæ, hanc ipsam tamen habere in Esse Intelligibili similitudinem omnis Esse creati eminentialiter præcontinentē; Quæ ut sic Divino Intellectui sit ratio ac medium cognoscendi creaturas. Nam quia omne agens agit in simile, oportet similitudinem omnis effectûs præexistere aliqualiter in suâ causâ. At omne quod inest alteri, est in eo secundùm modum illius, cui inexistit. Est autem Deus causa secundùm Naturam intellectualem; Oportet igitur omnis causati similitudinem esse in ipso intelligibiliter. At quod est in aliquo intelligibiliter, per modum intelligibilem, ab eo intelligitur. Ergo ex eo, quòd Deus omnis rei ad extra sit causa secundùm similitudinem quandam Eminentialem eas continens in suâ Naturâ & Essentiâ, efficaciter infertur, hanc intellectui Divino esse *medium quod* cognoscendi creaturas. Vnde patet, medium proportionatum, in quo intellectus Divinus cognoscit creaturas, non debere formaliter continere rationes creaturarum formaliter constitutivas in Esse creati. Oportet igitur, creaturas, ut in Essentiâ, & Naturâ Divinâ sint cognoscibiles, Deo inexistere non secundùm modum Essendi ipsis proprium, sed secundum modum Naturæ Divinæ.

26. Cuius ratio superiùs deducta est, quòd nulla res sit proximè & actu intelligibilis, quatenus est in se, sed prout est in intelligente. At nequit res creata esse in intellectu Divino, nisi secundùm speciem increatam. Hæc verò non potest sub ullâ suâ formalitate non esse infinita in repræsentando. At infinitum non potest specificari à finito: objectum autem in se immediatè attactum ac repræsentatum habet rationem objecti formalis. Hoc verò non est formale, nisi in ratione obiecti, & termini per se formaliter terminantis in actum diffundat formalem quasi effectum. Est autem rationis, & effectûs quasi formalis specificare. Cùm igitur nullum intelligibile possit esse in Deo, nisi secundùm speciem increatam, huius verò formalitas specificetur per obiectum formale, nequeat autem infinitum specificari per finitum, consequens est, non posse ullum intelligibile intellectui Divino inexistere, nisi sub Motivo, seu obiecto formali infinito, ut proinde vnica Essentia Divina ratione virtualis creaturarum continentiæ, suæque Eminentialis activæ ad extra imitabilitatis & analogicæ creaturarum cum Naturâ Divinâ similitudinis, seu passivæ imperfectæ participabilitatis possit esse medium, & ratio motiva cognoscendi creaturas; istarum cognoscibilitate creatâ se habente ad Intellectum Divinum tanquam obiecto duntaxat materiali, & secundario.

CONTROVERSIA. IV.

An, & qualiter Essentia Divina sit ratio & medium cognoscendi Mala?

DE triplici malo procedit difficultas, nimirum Naturali, Intellectuali, & Morali. Sub malo Naturali hic non intelligimus monstra, utpote Entia vera, & positiva, sed negationes, & privationes, cùm enim Ens, & Bonum convertantur, consequenter *Non Ens* est de genere mali. Nomine mali intellectualis comprehendimus Ens rationis; hoc enim Bono intellectûs, seu Vero opponitur. Deniquè in ratione mali Moralis veniunt peccata, quorum malitia ex voluntate, & libertate omnis moralitatis radice provenit. 1.

Deum cognoscere primi generis mala ex eo evincitur, quòd non tantùm sit *formans lucem* sed *creans tenebras.* Isaiæ 45. Est autem quælibet causatio Dei ad extra per intellectum. 2.

De secundo insuper mali genere argumentari licet, si cuivis homini cum Psalte Regio canere fas est, *Imperfectum meum viderunt oculi tui,* utiquè videt etiam imperfectum intellectûs nostri, sive Ens rationis.

De tertij demùm generis malo testatur sacra Scriptura, *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* Psalm. 85. Vnde illud Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non potes;* negat de Deo circa mala scientiam Approbationis duntaxat, non verò Reprobationis. Solùm igitur superest de modo cognitionis malorum ejusmodi difficultas, eaquè triplex. 1. hac controversiâ expedienda, *An Deus mala cognoscat immediatè in suâ Divinâ Essentiâ. 2. An de eis habeat assensum positivum vel judicium duntaxat Negativum. 3. An cognoscendo formet Entia rationis?*

***

Referuntur sententiæ Doctorum.

3. FRanciscus Zumel *hic a. 10. disp. un.* Navarretus *1. p. contr. 50.* affirmant, omnem rationem mali, etiam secundùm specialem rationem mali, atque adeò peccata secundùm formalem malitiam cognosci à Deo ex vi cognitionis Essentiæ suæ. Fundamentum huius desumi potest ex S.Thomâ *1. cont.gent. c.71.* Nam intellectus Divinus, cùm nullo modo sit in potentiâ, intelligit solû per speciem, quæ est sua Essentia. Ex hoc autem fit consequens, quòd Deus intelligat se tantùm sicut primum intellectum, ita tamen, ut intelligendo se, cognoscat alia, non solùm actus, sed potentias, & privationes.

4. Rodericus de Arriaga *disp. 19. de scient.Dei. n. 39. & 42.* cum alijs tenet, Deum tum negationes, tum Entia rationis cognoscere etiam immediatè in se ipsis. Probatur. Intellectus Divinus est omnium obiectorum cognoscitivus eo modo, quo cognoscibilia sunt. At privationes, imò & Entia rationis possunt immediatè terminare cognitionem veram; uti cùm dicimus: *Privatio est carentia rei in subjecto, vel Ens rationis repugnat existere.* Etsi proinde Deus non possit noscere tenebras, nisi noscendo etiam lucem, non esse tamen necessum, ut priùs lucem noverit, idem Arriaga *loc. cit. n. 80.* tanquàm rem clarissimam tradit ex Sancto Thomâ *cit. cap. 71. cont. gent.*

5. Bannes *præs. a.10.* Nazarius *hic cont. un.* Ioannes à S.Thomâ *disp.18.a.4.n.5.* Ysambertus *disp.5.a.dq.14.n.* Vasquez. *disp. 62. c. 2.* Franciscus Amicus *disp. 12. sect. 15. n. 267* docent, malitiam peccati, seu negationes ac privationes non tantùm non esse in se ipsis cognoscibiles ab intellectu Dei, sed hunc neque per suam Essentiam posse eas immediatè cognoscere. Fundamentum huius peti potest ex D. Thomâ *cit. c. 71. cont. gent.* Ex hoc enim cognoscuntur mala, & privationes, quòd cognoscantur Bona, quibus opponuntur. At ex hoc ipso, quod Deus sit actus purus, nulla ipsi opponitur privatio; opposita enim nata sunt, esse circa idem: implicat autem circa actum purum esse privationem. Ergo si Deus cognoscendo se non cognosceret alia Entia, seu Bona particularia, nullo modo cognosceret privationem aut malum.

CONCLUSIO.

ESsentia Divina ob summam sui puritatem, & actualissimam perfectionem est in ratione non tantùm speciei, sed objecti etiam formalis *Quod* sufficienter proportionata ad negationes, & privationes, nec non peccata cognoscenda; quæ tamen Deus in suâ Essentiâ non nisi mediantibus formis, & bonis creatis intelligit.

6. Probatur. Intellectus Divinus esset in potentiâ, si intelligeret per aliquam speciem, quæ non esset actus purus. ex S.Tho. *cit. c. 71. cont. gent.* Ergo Deus non intelligit mala, seu privationes, & peccata, nisi per Essentiam suam, tanquàm speciem Eminentialem. At species, quæ est actus purus, adeoquè infinita in ratione speciei, ac repræsentationis, non potest habere objectum formale specificativum, nisi infinitum, uti *præc. cont. demonstratum est.* Oportet igitur, objectum formale motivum *Quo* & *Quod*, vi cujus Divino intellectui repræsentantur mala, seu privationes, & negationes, ac peccata; esse ipsam Divinam Essentiam.

Dices. In tantum possunt aliqua cognosci in Essentiâ Divinâ tanquàm objecto primario, in quantum continentur, aut fundantur in illâ, suntque in ipsam reducibilia. At illa solùm reduci possunt in Essentiam Divinam, in eâque continentur, quæ ipsam participant. Est verò Essentia Divina Ens primum, & purus actus, nihil autem participat rationem Entis primi, nisi habeat aliquid Entitatis. At negationes, & privationes nihil habent entitatis, nec verò malitia formalis peccati participat de Essentiâ Divinâ. Ergò hæc mala non sunt reducibilia in Divinam Essentiam. Ergò ista non se habet per modum objecti primarij, seu formalis Motivi ad malorum ejusmodi Divinam intellectionem. 7.

Contra. Ex eo, quòd Deus sit summè Bonus, ac perfectus, est sui communicativus ad extra per productionem rerum creatarum. At ex hac ipsâ infinita essendi perfectione, ejusquè simplicissimâ actualitate est, quòd suam Essentiam non possit simpliciter in ratione Esse Divini secundùm unitatem specificam, seu rationem univocam extra se communicare. ex S. Thom. *1.p. q.11. a.3* Est autem per se manifestum, res extra Deum producibiles esse immersas potentialitati, ac defectibilitati, eo ipso, quòd non possint perfectionem Dei sub ratione puræ actualitatis, & omnimodæ perfectionis participare. Hæc autem ratio potentialitatis, ac defectibilitatis intrinsecæ in rebus creatis importat negationes ac privationes. Constat igitur, negationes, ac privationes mediantibus rebus, ac formis creatis esse reducibiles in Divinam Essentiam, ejusque infinitatem, ac purissimam Essendi actualitatem. 8.

Deinde puritas Esse Divini est primum principium non perfectionis duntaxat physicæ, sed Honestatis quoque moralis ad extra communicabilis. Si ergò infinitas, & simplicissima Essendi actualitas est ratio, cur Esse & perfectio physica non sit à creaturis participabilis nisi cum potentialitate, & defectibilitate intrinsecâ, consequens est, perfectionem, seu honestatem quoque Moralem non esse à Deo ad extra communicabilem cum omnimodâ puritate, & absque immersione potentialitatis, ac defectibilitatis. Hæc autem in genere morum defectibilitas infert peccabilitatem, imò & peccatum. Ergò etiam peccatum in Essentiam Divinam tanquàm objectum primarium est mediante Bono Morali creato reducibile. Consequens igitur est, Essentiam Dei ex ipsâ puritate Essendi, & omnimodâ perfectionis suæ infinitate esse de se proportionatam, ut Divino suo intellectui sit objectum formale, seu ratio motiva in se mediantibus formis creatis tanquàm objectis materialibus cognoscendi mala, privationes ac negationes, atque peccata. 9.

Replicabis. Ex hoc discursu inferri, quòd Deus sit principium defectibilitatis, & mali non physici duntaxat, sed etiam moralis, sive peccati. Hoc autem esse absurdum. Ergò & fundamen- 10.

damentum illius discursûs importare absurditatem.

11. Contra. Deus eatenùs est principium, quatenùs ex ipso fluit Esse rerum ad extra: Hoc autem Esse, eo ipso, quòd sit extra Deum, non potest habere omnimodam puritatem ac perfectionem tum Moralem, tum physicam. Ex hoc verò consequens est, in creatis esse defectus tum morales, tum physicos. Hi autem defectus inferunt quidem privationes, ac negationes, seu rationé peccati, nihilominùs non possunt in Deum tanquàm principium reduci, eò quòd Esse in rebus creatis sit ratio, ex quâ dici possunt derivabiles ex Deo tanquàm principio. Probatur hoc assumptum. Effectus producitur ab aliquâ causâ secundum propriam Naturam, & formam. ex S.Tho. *q. 7. de potent. a. 2.* Essentia autem Divina est Esse subsistens. Ergò Esse ita est ratio, quare aliquid efficitur à Deo, ut Esse in qualibet re creatâ dicatur primò produci à Deo. Vnde Esse dicitur etiam proprius effectus Dei, ex eod. S. Doct. *3. cont. gent. c. 66. arg. vlt. & alibi.* At in rebus creatis Esse est ita immersum, seu transcendentaliter inclusum in differentijs earũ specificis, ac individuantibus, ut sub nullâ formalitate sint intelligibiles sine ratione Entis. Secundùm quam adeò formalitatem Essendi reducuntur in Deum tanquam principium. In quibus nihilominùs differentijs creaturarum negationes, privationes ac defectus radicantur, quatenùs intrinsecam eamque positivam important limitationem. Hæc verò non involvitur in ratione Entis quà Entis simpliciter, sed quà Entis immersi potentialitati tan-

12. quàm radici Defectibilitatis. Cùm igitur defectus, ac negationes, seu privationes non radicentur in ratione Entis ut sic; hæc verò in omni formalitate creabili sit ratio, cur sit reducibilis in Deum tanquàm principium per se, consequenter defectus, negationes, ac privationes non possunt reduci in Deum tanquàm principium per se, sed tanquàm objectum primarium, & formale; ad hoc enim sufficit, ut Essentia Divina modo superiùs exposito possit mediantibus formis creatis repræsentare negationes, & privationes, aliosve defectus. Ex quo fundamento similiter constat, etiamsi peccatum Commissionis consisteret formaliter in positivo, non posse reduci in Deum tanquàm causam, tametsi Essentia Divina possit esse objectum formale *Quod* cognoscendi malitiam ejusmodi.

13. Cujus ratio fundamentalis est, quia effectus in Deum tanquàm principium reducuntur secundùm rationem Entis. At formalitas illa positiva eatenus solùm esset peccaminosa, quatenus importaret difformitatem positivam cum Primâ regulâ, sive Deo. Hæc autem difformitas non est in peccato secundùm Esse, seu rationem Entis, ut sic enim conformatur Deo. Ergò sub illâ ratione, sub quâ Entitas illa positiva est à Deo tanquàm principio, implicat esse peccatum. Etsi proinde Essentia Divina se ipsam intuendo videat participabilitatem sui secundùm Esse non nisi defectibiliter ad extra communicabile, quæ defectibilitas in actu morali creato infert peccatum. Unde etiam fit, quòd Essentia Divina possit esse objectum formale repræsentativum peccati à voluntate creatâ ut sic emanabilis. Nihilominùs quia Esse ut sic est ratio reducendi effectum in Deum tanquàm principium per se, neque verò Esse, seu ratio Entis ut sic dicat formalitatem peccati, consequens est, hanc non esse reducibilem in Deum tanquàm principium, seu Causam.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

AD *n. 3.* oppositum Respondetur. Efficaciter probari ex eo, quod intellectûs Divini non alia sit species, quàm Essentia Divina, hanc esse primum intellectum seu objectum formale Motivum intelligendi non actus duntaxat, sed negationes & privationes. Nihilominus quia istæ non per se derivantur ex Essentia Divina, sed eatenus sunt in hanc reducibiles, quatenus Entia creata, non nisi cum immixtione potentialitatis, atque adeò limitationis, in quâ radicantur privationes, ac negationes, ex Deo procedere possunt. Idcirco neque sunt per se cognoscibiles in Essentiâ Divinâ, sed mediantibus duntaxat formis, seu Entibus creatis. Divo Thomâ *cit. c. 17 cont. gent.* affirmante, *Si Deus cognoscendo se, non cognosceret alia Entia, quæ sunt particularia bona, quod nullo modo cognosceret privationem aut malum.* 14.

Ad *n. 4.* opposi um Respondetur. Neque Majorem, neque Minorem esse veram. Etenim ratio cognoscibilitatis est veritas transcendentalis, quæ convertitur cum Ente. Ergò quia negationes & privationes nihil habent entitatis, neque sunt per se cognoscibiles, sed tantùm per accidens ratione oppositionis cum Entibus, & formis creatis, cognito enim uno oppositorum, cognoscitur & alterum. Unde Angelicus Doctor *loc. cit.* immeritò pro parte Arriagæ allegatus ait: *Deus, quia cognoscendo se, cognoscit etiam Entia, in quibus natæ sunt esse privationes, necesse est, ut cognoscat privationes oppositas, & mala opposita particularibus Bonis.* 15.

Ad *n. 5.* propositum Respondetur. Rationem immediatam cognoscendi mala, & privationes esse bona particularia, quibus opponuntur. At hujus oppositionis, quatenùs se tenet ex parte formæ, seu Entis positivi, causam esse Deum, ex hoc ipso, quòd sit actus purus. Probatur istud assumptum. Ex ratione actûs puri convenit Deo sui ad extra communicabilitas. At superiùs est probatum, ex ratione actûs puri esse, quòd Divina Essentia non sit univocè communicabilis ad extra. Ex hoc autem fit, quòd omne Ens extra Deum producibile sit immersum potentialitati, adeòque limitationi. Ex hâc autem nascuntur negationes & privationes quà oppositæ formis, & Entibus creatis. Ergo Deus ex ratione actûs puri est causa oppositionis quà respectu privationum & negationum se tenentis ex parte Entium; & Bonorum particularium. Hæc ipsa verò oppositio quà radicata in Ente positivo creato est proximum medium cognoscendi privationes, ac negationes. Etsi proinde ratio actûs puri nequeat esse medium proximum cognoscendi negationes, & privationes; harum tamen cognitio ultimatè reducitur in Deum tanquàm objectum formale specificativum. 16.

CONTROVERSIA V.

Utrum Intellectus Divinus positivo assensu attingat negationes, seu privationes: &, an faciat Entia rationis?

1. JOannes à S. Thomâ *cit. disp. 18. n. 14. & 25.* affirmat, Non entia, sive privationes, ac negationes cognosci ab intellectu Divino, non tantùm per Iudicium negativum dissensûs, sed etiam positivum assensûs: ex quo tamen nullatenùs sequi, quòd Deus faciat Ens rationis. Prior pars, cui accedit Arriaga *cit. disp. 19. sect. 6. n. 35. ac seq.* probatur. Assensus convenit cum apprehensione, quòd uterque actus importet repræsentationem objecti, quà Veri & instar Entis concepti; at differunt, quia assensus importat determinationem intellectûs, & adhæsionem circa objectum sibi propositum per modum Veri judicandi; sicuti dissensus consistit in aversione, & determinatione oppositâ circa objectum sub ratione falsi propositum. Econtra verò ratio apprehensiva nihil de hâc determinatione, vel adhæsione involvit, sed duntaxat objecti manifestationem per modum repræsentationis, & cognitionis factam. At licèt Non Ens non sit per se cognoscibile, est tamen ratione oppositionis per accidens cognoscibile in Ente particulari sibi opposito. Hæc autem Non Entis cognoscibilitas est à parte rei non tantùm secundùm aversionem, sed etiam adhæsionem intellectûs: Uti enim objectum quà Bonum prosecutioni voluntatis, sic quà Verum adhæsioni intellectûs est proportionatum; sicuti econtra quà malum aversioni voluntatis, & quà falsum aversioni intellectûs est commensuratum. At plures veritates sunt de negationibus, & privationibus enuntiabiles; verè enim affirmatur, quòd privatio sit carentia formæ, quòd malitia peccati Omissionis sit privatio. Est autem Divino Intellectui nota omnis veritas. Oportet igitur, Deum illas veritates judicare per assensum positivum.

2. Posterior pars probatur. Per Non Entis cognitionem fit Ens rationis, quando accipitur tanquam Ens, ita ut intellectus in Non Entis conceptu objectivo ponat rationem Entis. At Deus attingendo veritates de Non Ente, sive privatione, aut negatione enuntiabiles in Non Ente non ponit Entitatem, sed formaliter sub ratione negationis, aut privationis format de ipsis judicium, quatenùs ratione Veritatis non quidem per se, sed per accidens sibi convenientis sunt per assensum positivum cognoscibiles in formâ seu Ente opposito. Ergo vi illius judicij positivi, vel affirmativi non fit à Deo Ens rationis.

3. Vasquez *hic disp. 61. c. 2.* negat Intellectum Divinum cognoscere privationes, ac negationes per assensum, cùm alioquin Non Ens à Deo cognosceretur per modum Entis, atque adeò Intellectus Divinus formaret Ens rationis, seu figmentum, quod Deo tribui non potest.

4. Ex parte Vasquezio adstipulatur Franciscus de Lugo *pres. disp. 33. s. 1. n. 2.* qui tamen cum alijs *seq. s. 2. n. 5. & 9.* relatis Doctoribus affirmat Entia rationis posse efformari per Divinum intellectum. Fundamentum est, tum quia relatio rationis fit per conceptum rationis conferentis unum alteri. Divus Thomas *1. p. q. 28. a. 1.* At in Deo multiplicantur Ideæ per pluralitatem respectuum, qui non causantur à rebus, sed ab intellectu Divino comparante Essentiam suam ad res. Idem S. Doctor *1. p. q. 15. a. 2. ad 3. & 4.* Tum quia Ens rationis est, cujus Esse est objectivè tantùm in intellectu. At Deus cognoscendo chimæram ab intellectu creato formatam habet eam objectivè in suo Divino intellectu, quam tamen implicat esse extra rationem. Ergo tunc format Ens rationis. 5.

CONCLUSIO.

NOn potest intellectus Divinus attingere Non Entia, nisi per Dissensum.

Probatur. In Deo est unus simplex intuitus attingens omnem veritatem, prout est, vel non est; Unde non ex parte Intellectûs Divini secundùm se considerati, sed ex differentiâ duntaxat objectorum materialium potest in Deo distingui ratio assensûs, & dissensûs. Est enim assensus, prout se habet in nostro intellectu, judicium circa enuntiabilia, judicando per compositionem, cùm econtra dissensus judicet per divisionem. At sicuti Deus scit materialia immaterialiter, & composita simpliciter, ita scit enuntiabilia, non per modum enuntiabilium formando de illis Iudicium per compositionem, vel divisionem, sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intuendo Divinam suam Essentiam, in eâque cognoscendo Essentias omnium, & quæcunque eis accidere possunt. S. Thomas *pres. q. 14. a. 4.* Quare hic simplex Dei intuitus eâ solùm ratione habet formalitatem assensûs, quatenùs per modum adhæsionis versatur circa objectum intellectui Divino repræsentatum tanquam Ens; cùm econtra dissensus per modum aversionis versetur circa objectum sibi repræsentatum tanquam Non Ens; attestante Aristotele *1. poster. c. 2. Quod non est, non sciri*, id est, quod non apparet esse, non cognosci ab intellectu per assensum. Atqui intellectui Divino non obijcitur res, nisi sicuti est, nec adeò, quod non est, obijci potest, ac si esset. Ergò circa Non Ens nequit intellectus Divinus habere assensum. 6.

Responsio ad fundamenta contraria.

AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Unumquodque in tantum esse cognoscibile Verum, in quantum habet de Esse. D. Thomas *1. p. q. 66. a. 3.* At negationes, & privationes formaliter dicere Non Esse: Unde illarum propositionum *Privatio est carentia formæ, & Peccati omissionis malitia est privatio*, aliam esse considerationem prout earum objectum se habet à parte rei, & in ordine ad intellectum Divinum: aliam verò earundem esse considerationem respectu nostri intellectûs. Nam quia totum illud objectum est Non esse, consequenter nihil habet in se Veritatis, & cognoscibilitatis, eodem S. Doctore *cit. a. 3. ad 2.* attestante, *Quòd Non Ens non habeat in se, unde* 7. 8.

unde cognoscatur. At ea est differentia inter assensum, & dissensum, quòd iste explicari solitus per copulam *Non est*, à subjecto removeat Esse saltem prædicati; ille verò exponi consuetus per copulam *Est*, ex parte subjecti ita supponat Esse, ut eidem tribuat Esse quoque prædicati. Unde Non Ens nec verum, nec adeò per assensum cognoscibile est, nisi in quantum intellectus illud facit Ens rationis, & ut sic cognoscibile. Doct. Ang. *loc. cit.*
9. At ex hoc ipso repugnat, fieri à Deo Ens rationis, quòd Deo, ceu Primæ in Essendo & cognoscendo Veritati haud conveniat Esse imponere Non enti. Ergo intellectus Divinus ad prædictarum propositionum veritatem per simplicis intuitûs Iudicium se habet, de earum subjectis, & prædicatis cognoscendo Non Esse radicatum in formis, seu Entibus oppositis: cùm econtra intellectus humanus versando circa eas per viam affirmationis, formet ipsarum objecta in Esse Entis rationis.

10. Ad *n. 2.* oppositum Majore concessâ: Respondetur ad Minorem: repugnare, quòd ullus intellectus per assensionem versetur circa Non Ens, nisi quà verum. At eandem esse dispositionem rerum in Esse, & veritate, uti ex Aristot. *2. Metaph. tex. 4.* tradit D. Thomas *cit. a. 3. arg. sed contra*. Ergo repugnare Non Ens concipi per assensum nisi in ipso ponatur ratio Entis. Unde intellectum Divinum eo ipso facturum Ens rationis, si Non Entia cognosceret per assensum positivum, uti rectè argumentatur Vasquez *sup. n. 3.* allegatus.

11. Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Relationem rationis fieri ab intellectu conferente unum cum altero, dum tamen à parte rei nulla inter extrema ejusmodi sit habitudo, seu respectus. At Essentiam Dei ab intellectu suo Divino cognitam quà creaturis participabilem, & imitabilem, ita habere rationem Ideæ, ut in se quidem non habeat relationem ad creaturas, nequeat tamen à nostro intellectu cognosci, nisi cum respectu & habitudine ad illas. Hunc proinde rationis respectum non esse formaliter de ratione Ideæ Divinæ, nec adeò formaliter, sed fundamentaliter
12. duntaxat causari ab intellectu Divino. Etenim fundamentum proximum illius respectûs rationis est in Deo attingentia Intellectualis creaturarum in suâ Divinâ Essentiâ quà participabili, & imitabili ab illis. Hæc verò attingentia, utpote Entitas absolutissima, etsi in se absque ullâ relationis dependentiâ sit summa Essendi Eminentia, non est à ratione nostrâ cognoscibilis, nisi sub relatione rationis. Unde non potest etiam à nostro intellectu cognosci Essentia Divina in ratione Ideæ, nisi Dei intellectus concipiatur à nobis quasi comparans Essentiam suam
13. ad res creatas. Etsi proinde ratio Idealis in Deo realiter importet illam Essentiæ Divinæ per se ipsam cognitæ Eminentiam & imitabilitatem, quæ est fundamentum relationis rationis; hæc tamen non est de ratione formali constitutivâ Ideæ, sed se habet ut conditio, sine quâ non est à nobis conceptibilis ratio Divinæ Ideæ. Falsum proinde est, quòd Deus ita comparet suam Essentiam ad creaturas, ut faciat Ens rationis; quin potiùs in Essentiâ suâ cognitâ contemplando imitabilitatem sui in creaturis, habeat istarum Ideas sine ullâ relatione rationis. Quare illi respectus rationis, secundùm quos multiplicantur Ideæ in Deo, tametsi fundamentaliter radicentur in Intellectu Divino, formaliter tamen non fiunt nisi ab intellectu creato.

Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Ad hoc, ut aliquid propriè, & in rigore dicatur *Esse* objectivè in intellectu, non sufficere, quòd utcumque sit cognitum, sed ut vi cognitionis habeat repræsentativè *Esse*, ita ut intellectui objiciatur seu repræsentetur sub ratione, & formalitate Entis. At Deum cognoscere quidem, Chimæram taliter objici intellectui humano, ut iste intentionaliter in illâ ponat Esse; attamen in se non attingi Chimæram ab Intellectu Divino, nisi sub ratione Non Entis per dissensum negativum, *uti superius* demonstratum est. Ergò Chimæram non habere Esse objectivum in intellectu Divino, nec adeò hunc formare Ens rationis. 14.

ARTICULUS III.

DE

Scientiâ simplicis Intelligentiæ.

SCientia simplicis Intelligentiæ dicitur de Deo respectu eorum, quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt. S. Thomas. *præs. q. 14. a. 9.* Quare ista scientia contemplatur Entia creata secundùm statum puræ possibilitatis, secundùm quem creaturis nullum convenit Esse simpliciter, sed objectivum in intellectu Divino. Quæ causa est, cur dicatur simplex Notitia, utpote se tenens purè in lineâ cognitionis nihil habens de admixtione, vel connotatione voluntatis, seu coexistentiæ objecti sub cognitionis duratione. Quo adeò sensu Angelicus *Doctor q. 3. de Verit. a. 3. ad 6.* sic effatus est: *Simplex notitia dicitur, ad excludendam admixtionem ejus, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit Scientia Visionis, vel ordo Voluntatis ad res scitas, quem addit Scientia Approbationis.* 1. 2.

CONTROVERSIA. I.

Quale sit Esse Creaturarum possibilium, sub quo terminant Divinam simplicis Intelligentiæ Scientiam.

GRegorius de Valentia *disp. 1. de Scient. Dei. punct. 7.* existimavit, implicare contradictionem, ut ea quæ nunquam fiunt à Deo, terminent objectivè Divinam cognitionem secundùm aliquod Esse suum proprium reale distinctum à suis causis. Probatur. Verum, quod est terminus cognitionis, reciprocatur cum Ente. Ergò creaturæ possibiles terminant Divinam cognitionem secundùm Esse, quod habent; At non habent aliud Esse, nisi in suâ causâ, ex S. Thomâ *hic a. 9. & 1. cont. gen. c. 66.* Est autem ex terminis evidens, quòd Esse in causâ non sit Esse proprium & distinctum ab Esse causæ. Ergò repugnat, creaturas possibiles terminare Divinam cognitionem, nisi secundùm Esse Eminentiale, quod habent in Deo tanquàm Causâ. 3.

Opposi-

4. Oppositum, quod Valentia falsò arbitratus est, non posse cadere in mentem viri Docti, tradunt Scotus *in 1. dist. 35. n. 10. & dist. 36. n. 6. ac seq.* Vasquez *1. p. disp. 70. c. 2. n. 8.* Nazarius *hic art. 9. com. 2.* Xantes Mariales *to. 2. cont. 42. c. 3.* Verùm difficultas est, in quo consistat illud Esse creaturarum possibile, quod in ratione objecti sit terminativum Scientiæ Divinæ.

5. Scotus enim citatus tradit *Esse possibilitatis* non dici simpliciter *Esse*, sed secundùm quid, sive Esse intelligibile productum ab intellectu Divino. Fundamentum ex eodem subtili Doctore deduci potest sequenti discursu. Ex hoc aliquid est possibile potentiâ Logicâ, quia ipsi non repugnat Esse; in hoc enim distinguitur à Chimærâ, quæ hoc ipso impossibilis est, quia ipsi repugnat Esse. At prima omnino ratio, quare homini v. g. non repugnat Esse, est, quia homo formaliter est homo, & hoc sive in re realiter, sive in intellectu conceptibiliter. Econtra prima ratio, cur Chimæræ repugnat *Esse*, est Chimæra in quantum Chimæra formaliter involvens *non Esse*. Unde *Nihileitatis* negatio aliter inest homini in æternitate, & aliter Chimeræ: nam homini non repugnat affirmatio, quæ est Esse aliquid, sed inest tantùm negatio propter negationem actûs, vel Causæ non ponentis in Esse. Chimeræ autem in se formaliter repugnat Esse, & ideo nulla causa potest in eâ causare aliquid esse, quæ proinde est Nihil, non propter solam negationem causæ non ponentis eam in Esse, sed propter repugnantiam affirmationis oppositæ negationi *Nihileitatis*. Ex quo patet, eatenùs aliquid esse possibile, sive non habere non essendi repugnantiam, quia *Est hoc* vel in re realiter, vel in intellectu conceptibiliter. At Esse conceptibile, seu intelligibile est primò ab Intellectu Divino. Ergò intellectus Divinus ponit aliquid in Esse possibili intelligendo, seu affirmando, non habere in se formaliter negationem Essendi. Ergo Esse possibilitatis est Esse intelligibile positum à Divino intellectu.

Conclusio.

Scientia Divina simplicis Intelligentiæ pro objecto formali Motivo habet Esse Eminentiale creaturarum in Deo, quod formaliter est ipsa Essentia Divina: pro objecto autem Materiali habet esse creaturarum reale possibile, distinctum ab Essentiâ Divina objectivè existens in intellectu Divino, à quo in æternitate non physicè, sed in ratione intelligibilis, atque adeò possibilis repræsentativè emanat.

6. Prior pars constat *ex præced. Art. cont. 3.* Posterior autem pars probatur ex D. Paulo *ad Rom. 4.* affirmante de Deo, *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquàm ea, quæ sunt.* At Deus ea quæ sunt, vocat per Dictionem, quæ est actio Divini intellectûs formaliter immanens ac æterna per modum imperij mediante passivâ ex se profluente immutatione creaturarum secundùm Esse proprium in tempore productiva. Si ergò Deus *ea, quæ non sunt, vocat tanquàm ea, quæ sunt*, oportet, creaturas purè possibiles eodem proportionaliter modo, secundùm Esse suum proprium se habere ad intellectum Divinum; quippe particula *Tanquàm* significet similitudinem alicujus proportionis. Oportet igitur, Intellectum Divinum per scientiam simplicis intelligentiæ non attingere duntaxat Esse Eminentiale creaturarum à suâ Divinâ Essentiâ indistinctum, sed Esse creaturarum proprium, sive ipsasmet Essentias creatas. Confirmatur. Nam cujusque creaturæ modus Essendi proprius est, secundùm quem Divinam perfectionem participat. ex S. Tho. *hic q. 14. a. 6.* Hæc autem Divina perfectio est à creaturis participabilis secundùm modum Naturæ Divinæ. Unde, quia Esse Dei est suum Intelligere, consequens est, omnem modum Essendi creaturis proprium esse à Deo intelligibiliter, uti constare potest ex discursu S. Thomæ *cit. q. 14. a. 8.* Ergò creaturarum Esse proprium, sive earum Essentiæ in statu etiam possibilitatis participantur per intellectionem Divinam. At hujus attingentia est intentionalis secundùm repræsentationem objecti. Consequens igitur est, Deum creaturas possibiles eatenus vocare in æternitate; quatenus per assensum positivum in earum conceptibus objectivis repræsentat formalitatem Essendi, non quidem in actu exercito, sed in actu duntaxat signato. At creaturæ ex hoc sunt possibiles, quòd in ipsarum ratione formali quidditativâ non exercitè, seu physicè, sed signatè, seu repræsentativè involvatur Esse. Probatur istud assumptum. Formalitas essendi eatenùs est ad extra determinabilis per Divinam Voluntatem, quatenùs repræsentatur per Divinam intellectionem. Est autem in tantum formalitas, seu modus aliquis Essendi ad extra producibilis per Omnipotentiam Divinam, in quantum est determinabilis à Divinâ Voluntate. At formalitas quà producibilis per omnipotentiam Divinam eo ipso supponitur possibilis. Ergò formalitates Essendi extra Deum ex hoc ipso sunt possibiles, quòd per Divinam intellectionem in earum conceptibus objectivis involvatur Esse. Hoc autem Esse non tantùm exercitè, sed neque signatè in ratione objecti, seu intelligibilis potest secundùm signum aliquod rationis, vel prioritatem naturæ esse antecedenter ad Naturam, seu Intellectionem Divinam; Oportet enim, omne creatum sub quâvis formalitate, atque adeò sub ratione etiam Intelligibilitatis esse dependens & participatum à Deo. At primâ omnium operatio in Deo est intellectio, hujus verò formaliter in ratione intellectionis, non est aliud officium nisi repræsentando. Ergò ex eo, quòd Divina Intellectio in Essentijs, & speciebus creatis sit repræsentativa formalitatis Essendi, sequitur, istam formalitatem non physicè, & in actu exercito, sed repræsentativè in actu signato esse hoc ipso in rebus creatis. At hoc Esse in actu signato, & repræsentativè est Esse objectivum in Intellectu Divino. Ergò istud Esse objectivum est possibilitas creaturarum ut sic in ratione intelligibilis derivata, & participata, ex virtute Divini Intellectûs in suâ Essentiâ tanquàm objecto primario, & formali Motivo omnes Essentias, & species creatas per assensum positivum cognoscentis sub ratione Essendi, atque ut sic eas ponentis in Esse objectivo, atque intelligibili. 7. 8. 9.

***

Respon-

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

10. AD n. 1. oppositum Respondetur. Omne verum in rebus creatis, sicuti Ens, cum quo reciprocatur, esse à Deo tanquàm causâ Intellectuali. Unde secundum mentem S. Thomæ adducti a Valentiâ rectè infertur, creaturas secundùm Esse, quod habent, ita terminare Divinam cognitionem, ut tamen non habeant aliud Esse, nisi in suâ causâ. At effectuum Esse in causâ intellectuali aliud est repræsentativum, quod est ipsa species intelligibilis in Deo omninò indistincta ab Essentiâ Divinâ, aliud est terminativum seu objectivum, quod respectu simplicis intelligentiæ Dei esse aliud, quam Esse substantiæ Divinæ; clare evincunt textus Angelici Doctoris perperam pro suâ sententiâ allegati à Valen-
11. tiâ. Etsi proinde Esse repræsentativum, seu species intelligibilis creaturarum in Deo non sit, nisi Essentia Divina, hæc tamen non est Esse creaturarum possibile, sed potiùs est ratio & causa Logica, ex quâ per consequentiam legitimam à priori infertur creaturarum possibilitas. Unde hæc quà intrinseca Essentijs creatis, est distincta ab Esse Causæ primæ, ita tamen, ut sicuti hoc Esse creaturarum possibile est objectivum duntaxat, seu Terminativum Divinæ Intellectionis, non autem realiter physicè existens, seu Ens simpliciter, ita dicatur ab Essentiâ Divinâ distinctum non simpliciter, sed in Esse objectivo, ac intelligibili, seu possibili duntaxat.

12. Ad Scoti *n. 2.* propositum Respondetur, ex D. Thom. *1. p. q. 25. a. 3.* Ex hoc aliquid esse possibile, quòd ipsi non repugnet Esse: nihil autem opponitur Esse, nisi non Esse. Ergò id solùm habet repugnantiam, seu oppositionem ad Esse, quod implicat seu involvit in suo conceptu objectivo Non Esse. Unde à contrario quælibet species, & Essentia creata est possibilis, quatenùs *Est hoc* in suo conceptu objectivo involvens Esse, seu rationem Entis. At iste conceptus objectivus Entis in qualibet specie, quà formaliter creatâ importat dependentiam à Prima causâ quatenùs intellectuali. Ergo Divinus intellectus ceu Prima causa intellectualis ponit res creatas in Esse possibili per assensum positivum, intelligendo de ipsis rationem Essendi. Unde sicuti intellectus Divinus est virtualiter & ratione nostrâ prior omnipotentiâ, ita possibilitas Logica creaturarum ex hoc Divino intellectu derivata potest absolutè stare secundùm respectum ad Omnipotentiam ex Doctore tam Angelico
13. *cit. art. 3. ad 4.* quàm Subtili *cit. dist. 36. n. 14.* Patet proindè; hæc duo sacræ Theologiæ lumina in hoc puncto ita inter se concordare, ut ex ipsorum mente dici posse videatur, Divinum Intellectum *assentiendo*, seu attingendo in rebus creatis rationem Essendi, esse Logicè causam possibilitatis creaturarum; econtra *dissentiendo*, seu attingendo in negationibus, & Chimærâ *Non Esse* habere rationem causæ Logicæ, per quam à priori liceat inferre, quòd negationes, & Chimæra sint ad Esse improducibiles, atque adeò sub ratione Essendi impossibiles. Cuius fundamentum ex S. Doctore *cit. a. 3. in corp.* desumi-
14. tur. Cùm enim omne agens agat in simile, oportet, cuique potentiæ activæ possibile tanquàm objectum proprium correspondere secundùm rationem actûs, in quo fundatur ejusmodi potentia activa. At Esse Divinum est, supra quod fundatur potentia Dei: Hoc autem Esse ut sic est infinitum, non limitatum ad aliquod Genus Entis, sed præhabens in se totius Esse perfectionem. Unde quidquid habere potest rationem Entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum dicitur Deus Omnipotens. Atqui pos- 15.
sibile explicatur per Angelum sub ratione *Verbi. Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* Non est autem in Deo, nisi Verbum mentis, seu intellectus, quod non est de illis, quæ contradictionem implicant, uti ait S. Doctor. *loc. cit.* At cùm Enti nihil opponatur nisi Non Ens, non implicat contradictionem, nisi quod in suo conceptu objectivo involvit non Esse. Est autem de hoc contradictorio, sive de Non Ente conceptio Divini Intellectûs saltem per dissensum. Oportet igitur, Verbum, vi cujus omne possibile est apud Deum, ut sic habere rationem assensûs specierum seu Essentiarum creatarum repræsentativi sub ratione Entis. Consequens igitur est, rationem possibilis eatenùs competere Essentijs, ac speciebus creatis, quatenùs per assensum positivum à Dei intellectu in Esse suo Divino attinguntur sub formalitate Essendi, seu ratione Entis. Ergo Divinus Intellectus creaturas cognoscit secundùm Esse proprium objectivum, ex ipsamet intellectione Divinâ non *exercitè*, ac *physicè*, sed *signatè* in ratione intelligibilis derivatum, atque adeò in æternitate existens *objectivè* in Verbo, seu Intellectu Divino.

COROLLARIUM.

INfertur, Scientiam simplicis intelligentiæ 16.
in Deo ratione objecti sui formalis esse Intuitivam, ratione verò objecti materialis esse abstractivam. Ratio est. Tum quia cognitio intuitiva est notitia rei præsentis: Hoc autem secundùm nonnullos importat connotationem duntaxat coexistentiæ objecti cum cognitione, cùm econtra abstractiva notitia dicat objecti absentiam. At juxta hanc opinionem Intuitivum & Abstractivum non importaret rationes specificè distinctas, sed duntaxat connotationem diversam ex terminatione, & coexistentiâ objecti: Quocirca nihil obesset, quò minùs posset una cognitio terminata ad diversa objecta habere rationem Intuitivi & Abstractivi. Cùm proinde Divinæ scientiæ simplicis intelligentiæ objectum formale sit Divina Essentia, quæ est suû Esse subsistens realiter formaliter identificatum cum sui intellectione, consequenter illa scientia ex Motivo suo formali dici potest intuitiva. At verò ejusdem notitiæ objectum materiale sunt creaturæ, quæ nec in æternitate, nec in tempore habent existentiam & præsentiam realem. Ergò respectu Objecti materialis est illa scientia Abstractiva.

Tum quia etsi secundùm alios Doctores No- 17.
titia Intuitiva & Abstractiva differant in creatis secundùm speciem; hæc tamen distinctio specifica non est præcisè ex ratione formali Intuitivi & Abstractivi, sed ex limitatione formæ quà creatæ. Ergò sicuti ratio Iustitiæ in forma creata specificè, ac formaliter excludit rationem Sapientiæ, cùm tamen in Deo sit una Eminentialis formalitas importans formaliter rationes Sapientiæ, ac Bonitatis, omnisque perfectionis simpli-

simpliciter simplicis; sic una simplicissima Divinæ intellectionis forma quà Divinæ Essentiæ repræsentativa est Intuitiva, quà verò terminata ad creaturas purè possibiles est abstractiva, nõ obstante, quòd istæ rationes in intellectu creato impor-
18. tent differentias specificas. Tum denique quia ista differentia specifica in eo sita est, quòd per cognitionem Intuitivam ita teneatur præsentia objecti, ut ex vi ipsius cognitionis comprobetur, cùm econtra abstractiva notitia possit esse rei non evidentis, nec adeò ex vi suâ sit demonstrativa præsentiæ objecti. Ex quo etiam fit, quòd abstractiva cognitio dicatur illa, vi cujus attingitur objectum non in se, sed in sui similitudine, quæ tamen ratione suæ Eminentiæ non possit esse repræsentativa præsentiæ & existentiæ objecti. At eo ipso, quòd Esse Dei subsistens sit in Intellectu Divino species intelligibilis, imò ipsa formalis intellectio, nec non primum intellectum, sive objectum Motivum, consequens est, non posse ullam in Deo intellectionis quà Divinæ formalitatem assignari, quin demonstrativa sit Esse Divini tanquàm objecti formalis. Ergò quælibet Divinæ Intellectionis formalitas assignabilis habet ratione sui Motivi formalis rationem Notitiæ Intuitivæ. Nihilominùs hæc Divina Essentia ita est eminenter continens creaturas, ut harum tamen existentiam, ac præsentiam nec in ratione causalitatis, nec adeò in ratione scientiæ attingat, nisi mediante suo Decreto libero. Ergò scientia simplicis intelligentiæ utpote antecedens Divinæ voluntatis Decreta, ut sic non est demonstrativa præsentiæ, ac existentiæ creaturarum, nec adeò respectu objecti materialis dici potest Intuitiva, sed duntaxat abstractiva.

CONTROVERSIA II.

In quâ perfectione, seu Attributo Deus cognoscat creaturas possibiles?

1. TRiplex hìc occurrit difficultas. 1. Est circa *Omnipotentiam*. Nam istam formaliter, quatenùs est virtus executiva, non esse Intellectui Divino primam rationem intelligendi creaturas possibiles, quin hæ potiùs ratione nostrâ ratiocinatâ priùs in Essentiâ Divinâ quà ad extra communicabili sint cognitæ, ostensum est *sup. art. 2. cont. 3. in corp. & ad 3.* Unde S. Doctor *q. 2. de Verit. a. 8.* ait: *Accommodatiùs dicitur, quod Deus intueatur possibilia in suâ Bonitate, quæ est finis omnium, quæ ab eo fiunt, secundum scilicet quod intuetur multos alios modos esse communicationis propriæ Bonitatis, quàm sit communicata rebus existentibus, quia omnes res creatæ ejus Bonitatem æquare non possunt, quantumcumque de eâ participare videantur.*

2. 2. Difficultas ex priori oritur circa *Essentiam* Divinam. Si enim hæc quà communicabilis ad extra prioritate rationis antecedenter ad Omnipotentiam formalem sit Divino intellectui ratio cognoscendi creaturas possibiles, consequens erit, has priùs ratione nostrâ à Deo esse cognitas, quàm ejus Omnipotentiam. At quælibet perfectiones Dei ad intra, sicut habent rationem Primi Entis, ita habent rationem Primi Intelligibilis, atque adeò per primum intellectum oportet secundùm prioritatem rationis esse attactas ante creaturas utpote objecta participata, & derivata ex Divinâ substantiâ quà in omni genere perfectionis simpliciter infinitâ.

3. Difficultatem movet Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 18. a. 2. n. 22.* Nam quælibet creatura est à Divino intellectu cognoscibilis, quatenus participat aliquem gradum, seu perfectionem Divinæ Substantiæ. At prædicata quidditativa, seu essentialia cujusvis rei creatæ participant ut sic de ratione Primi Entis, atque adeò formaliter de Essentiâ Divinâ. Deinde per Sapientiam Dei quà practicam, seu artem repræsentantur creaturæ non solùm quoad prædicata Quidditativa, quæ ab Essentiâ participant, sed etiam quoad possibilitatem existentiæ. Ergò Deus cognoscendo suam Sapientiam tanquàm vim Directivam ad ponendum creaturas in Esse, respicit in eâ creaturas secundùm Existentiæ possibilitatem, sicuti eandem contemplatur in Omnipotentiâ tanquàm in vi executivâ. Ad hæc intellectus Dei intuendo in se Misericordiam, cognoscit vim, & potentiam creaturas sublevandi de miseriâ, seu extrahendi de nihilo: Sicuti etiam Iustitiam suam videndo contemplatur se potentem dare creaturis, quod per naturæ exigentiam ipsis debitum, & conforme est. Denique immensitatem suam aspiciendo, videt creaturas à se in quocumque spatio ponibiles. Ex quibus proinde præfatus author infert, Deum in cognitione creaturarum possibilium respicere ad plura sua Attributa, posseque proinde secundùm diversam formalitatem, quà unumquodque Attributum respicit creaturas, à nobis intelligi, quòd Divinus Intellectûs has cognoscat inadæquatè, ita ut secundùm proprietatem priùs concipiat creaturas sub unâ formalitate, quàm sub aliâ; nec adeò sub omni respectu, quem habent ad Deum illas intelligat adæquatè, nisi per omnia Attributa, quæ circa creaturas possibiles quovis modo versentur. 3.

4.

5.

6.

CONCLUSIO.

Essentia Divina est adæquata ratio videndi in se quaslibet creaturarum possibilium formalitates.

Probatur authoritate S. Thomæ *sup. n. 1.* adducti. Deus cognoscit creaturas possibiles, earumque quaslibet formalitates, quatenùs intuetur modos communicationis propriæ Bonitatis tanquàm omnium finis. At sicuti Essentia Dei quà virtualiter distincta ab Attributis, & Personalitatibus est Primum objectum beatificans Divini Intellectûs, sic est primum volitum, adeoque Finis voluntatis Divinæ. Non est autem ulla formalitas in creaturis possibilis, ac creabilis, nisi intuitu Primi voliti, ac Finis à Divinâ voluntate intenti. Neque verò quidquam est appetibile, seu eligibile, nisi quà præcognitum ab intellectû. Si ergò quælibet creaturarum possibilium est à Divinâ voluntate eligibilis, atque ut sic ad extra producibilis intuitu Divinæ Essentiæ quà primi voliti ac finis omnium, consequens est, omnes formalitates creaturarum possibilium esse cognoscibiles in Essentiâ Dei, quam proinde oportet esse adæquatam rationem cognoscendi in se quaslibet formalitates creabiles, seu ad extra producibiles. Cujus ratio fundamenta- 7. 8.

mentalis est. Nam ipsomet Ioanne à S. Thomâ *sup. n. 3.* fatente, Essentialitas seu ratio Entis participabilis à creaturis est sub hac formalitate intelligibilis ex, & in Essentiâ Divinâ quà primo Ente, seu purissimâ Essendi actualitate. At non est ulla in creaturis possibilibus formalitas, nisi formalissimè, & Transcendentaliter in suo conceptu objectivo involvat rationem Entis: neque verò est ullâ ratione intelligibilis, nisi formaliter sub Essendi ratione. Hæc autem Essendi ratio non est duntaxat in prædicatis essentialibus, sed etiam in creaturarum existentijs, quas oportet hoc ipso esse ut sic à Divinâ Essentiâ participabiles; quòd illa sit Esse actualissimum à se existens. Cùm igitur omnis formalitas creaturæ possibilis eatenus sit in Deo intelligibilis, quatenùs sub ratione intelligibilitatis est participata, seu subordinata primæ Intelligibilitati Essentiæ Divinæ: ratio verò Intelligibilitatis sit convertibilis cum ratione Entis, atque adeò formalitatibus tam Divinis, quàm creatis non conveniat nisi secundùm rationem Entis, quæ ut sic est in Deo Essentia; oportet, omnes formalitates creaturarum possibilium esse cognoscibiles in Divinâ Essentiâ.

Responsio ad fundamenta contraria.

9. AD *n. 1.* propositum Respondetur. Ad hoc, ut Omnipotentia sit Divino intellectui ratio cognoscendi creaturas possibiles, duo requiri: Alterum est, ut per prius sit intelligibilis. At Intelligibilitas non est nisi secundùm rationem Entis: non est autem alia virtualiter diversa ratio Entis in Divinis, nisi ipsiusmet Essentiæ Transcendentaliter imbibitæ in omni formalitate Deo intrinsecâ. Alterum requisitum est, ut per Eminentiam contineat creaturas, quod eidem Omnipotentiæ convenit in ratione virtutis Executivæ. Ex quibus proinde fit, Omnipotentiam esse quidem medium proportionatum cognoscendi in se creaturas possibiles, attestante D. Thomâ *cit. q. 2. de Verit. a. 8. quòd Deus intueatur creaturas possibiles in suâ potentiâ, cùm nihil sit, quod ipse non possit.* 10. Nihilominùs, quia tota ratio Intelligibilitatis in Divinis est secundùm Essentiam, quæ ut sic comparata ad intellectum, & voluntatê est Veritas, & prima Entitativa bonitas, atque adeò finis omnium, idcirco accommodatiùs dicitur, quòd Deus intueatur creaturas possibiles in suâ Bonitate, quâ Omnium finis, sive in Essentiâ suâ, quà Eminenter continente omnes modos communicationis Entitativæ suæ Bonitatis. ex eod. S. Doct. *loc. cit.*

11. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Etsi Divina Essentia quà Virtualiter distincta à formali Omnipotentiâ, intelligi possit, esse Intellectui Dei medium, & rationem cognoscendi creaturas possibiles; hæ tamen sicut in ratione Entis, sic in ratione Intelligibilitatis sunt quid diversum à Divinâ Essentiâ, cùm econtra Omnipotentia istam formalissimè, & transcendentaliter includat, ita ut tam in ratione Entis, quàm Intelligibilitatis non dicat virtualiter aliam formalitatem, quàm Essentiæ. At verò secundùm prioritatem virtualem, seu rationis nostræ ratiocinatæ illud per prius est cognitum à Divino Intellectu, quod habet ipsissimam Divinæ Essentiæ primam Intelligibilitatem. Non ergò stat sequela opposita, Creaturas possibiles si cognoscantur in Dei Essentiâ, esse secundùm rationem nostram priùs Omnipotentiâ cognitas a Divino intellectu.

Cujus ulterior ratio est. Non est intelligibilis Essentia Divina, nisi sub ratione actualissimâ Essendi: Vt sic autem per formalem identitatem includit ex naturâ rei omnem formalitatem simpliciter simplicem, seu non immersam potentialitati. 12. Hæc autem Identitas formalis non est intuitivè visibilis, quin omnis ejusmodi formalitas videatur. Ergò formalitas Omnipotentiæ, & cujuscumque perfectionis Increatæ est respectu intellectûs Divini in primo signo, seu instanti naturæ cognoscibilis. Econtra verò quælibet creata formalitas continetur in Divinâ Essentiâ, non formaliter per identitatem formalem, sed Eminenter secundùm continentiam virtualem. Hæc verò continentia Virtualis dicit ordinem causalitatis. Hic autem Ordo importat prioritatem ex parte causæ, & posterioritatem naturæ ex parte effectûs. Sicut ergò in ratione Essendi, sic in ratione intelligendi sunt creaturæ possibiles respectu Intellectûs Divini posteriores, quàm perfectiones Dei intrinsecæ: ut adeò subtilis Doctor *in 1. dist. 35. n. 10. & dist. 36. n. 13. & in 2. dist. 1. q. 1. n. 13. & 14.* Item Lychetus *ibi. in Com. n. 1.* circa intelligibilia, seu objecta Divini Intellectûs rectè distinguant duo naturæ instantia, in quorum priori Deus cognoscat omnia, quæ sunt ad intra: in secundo verò intelligat producibilia ad extra.

Ad *n. 3.* Respondetur. Verum esse, quòd Attributa per Ioannem à S. Thomâ à *n. 4.* recensita sint 13. Divino Intellectui ratio cognoscendi creaturas, ut tamen tota ejusmodi Attributorum Intelligibilitas etiam secundùm rationem nostram non sit alia, quàm Divinæ Essentiæ, uti tradit idem Author *præs. q. 14. disp. 17. art. 1. n. 3.* Unde meritò displicet, quòd infra *disp. 18. a. 2. n. 22.* adæquatam omnes creaturarum formalitates cognoscendi rationem non ponat, nisi in omnibus Attributis, ita ut Essentia Dei sit ratio intelligendi earum prædicata duntaxat Essentialia. Cujus displicentiæ ratio est. Non enim Attributa 14. Divina sunt medium cognoscendi creaturas possibiles, nisi secundùm quod illa habent rationem intelligibilitatis. At hæc fatente Ioanne à S. Thom. *ubi sup.* etiam secundùm rationem nostram, non est nisi Essentiæ Divinæ. Ergò ista est tota, & adæquata ratio contemplandi creaturas possibiles, quas proinde, consequens est, in illâ cognosci non secundùm prædicata duntaxat quidditativa, sed etiam secundùm possibilitatem existentiæ. Imò cùm Essentia Divina formalissimè sit existentia, à quâ ut sic est derivabilis, ac imitabilis omnis existentia creata, oportet, in hac quà tali cognosci vel maximè possibilitatem existentiæ creaturarum; cujus tamen oppositum insinuat præfatus Author *locis citatis.*

ARTICULUS IV.

DE

Scientiâ Futurorum absolutè existentium.

1. DOmino Deo, antequàm creantur, omnia esse cognita, testatur expressis verbis Ecclesiasticus 23. *cap. Sunt* enim *oculi Domini super solem multò plùs lucidiores, ita ut non tantùm corda hominum intueantur in absconditas partes. cit. c* 23. sed *intelligant cogitationes nostras de longè, & omnes vias nostras prævideant. Psalm* 138.

2. Unde ne audiendus quidem Cicero *lib. de Fato. & 2. de Divinat.* qui cùm libertatem & providentiam humanam non sciret componere cum præscientiâ Divinâ, hanc negando, ut faceret homines liberos, fecit sacrilegos, & Divinæ Providentiæ injuriosos, D. Augustinus 5. *de Civit. c.* 9. Est enim præscientia futurorum speciale Divinitatis argumentum, juxta illud Isaiæ 42. *Annunciate, quæ ventura sunt, & dicemus, quia Dij estis vos.* Quocirca confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est; velut asserit S. Augustinus *cit. c.* 9.

3. Quam proinde futurorum notitiam in Deo esse omninò certam, dubitare nefas foret. Si enim Lumen Propheticum, quod est quædam Divinæ Præscientiæ participatio, infallibile sit, attestante Divo Petro. 2. c. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, oportet, multò firmiorem esse in Deo notitiam futurorum. Hæc enim prænunciarunt Sancti Dei homines inspirati Spiritu Sancto. *ex ejusd. epist. c.* 1. Cujus adeò Divinitas argumento ejusmodi futurorum Præscientiæ comprobatur, Deo *Isaiæ* 45. dicente. *Ventura interrogate me.* Quare Dei Præscientia certa & infallibilis tot habet testes, quot fecit Prophetas, ait Tertullianus 2. *cont. Marcionem.* Superest igitur difficultas duntaxat: *Quæ sit ratio formalis, seu medium Divino Intellectui cognoscendi futura contingentia, præsertim Libera?*

CONTROVERSIA I.

In quo sistat punctum Difficultatis propositæ?

SUbesse hic difficultatem non modicam, facilè apparet ex varietate sententiarum, quas sigillatim ad eum finem recensebimus, ut tandem earum inter se factâ collatione, elucidari possit, in quo lateat fundamentum, ex quo tanta opinionum diversitas, & inter Doctores concertatio exorta est.

4. Divus Bonaventura *in* 1. *dist.* 39. *a.* 2. *q.* 3. docet: Cùm Deus habeat simul præsentes omnium Ideas, cognoscere per has futura ita certitudinaliter, ac si essent præsentia. Ubi notandum, ex mente hujus Seraphici Doctoris Præscientiam futurorum in Deo niti præsentialitate Divinæ cognitionis ad res in tempore existentes. Hæc autem Divinæ Scientiæ ad res quà existentes præsentialitas non subsistit absque Decreto Divino. ex eod. Seraphico Doctore *infra dist.* 45. *a.* 2. *q.* 1. & 2. Non ergò videtur ex illâ sententiâ adstrui futurorum præscientia antecedenter ad Decretum Divinæ voluntatis.

Ægidius Romanus *in* 1. *dist.* 38. *q.* 1. *a.* 2. decernit, Deum certò præscire Futura contingentia ante suæ Divinæ Voluntatis Decretum, in suâ Essentiâ, prout habet rationem Ideæ, aut speciei impressæ. 5.

Molina *in Concord. disp.* 49. *con.* 1. & *disp.* 50. asserit: Deum ex altitudine suæ scientiæ secundùm prioritatem rationis ante omne suæ Divinæ Voluntatis Decretum comprehendere in se ipso omnia, quæ contingenter, aut merè liberè per causas omnes secundas ex suâ Omnipotentiâ possibiles essent futura ex hypothesi, quòd hos vel illos rerum ordines cum his, vel illis circumstantijs vellet statuere. Ex quâ supercomprehensione causarum secundarum, seu Divinæ scientiæ altitudine consequens esse, quòd eo ipso, dum liberâ suâ voluntate Deus statuit eum rerum & causarum ordinem, quem re ipsâ decrevit, ratione nostrâ antecedenter ad rerum in æternitate existentiam in se ipso, atque illo suo Decreto comprehenderit omnia, quæ per causas secundas contingenter, aut liberè re ipsâ erant, aut non erant futura. 6.

Franciscus de Lugo. *disp.* 32. *de Deo uno cap.* 4. in actu primo voluntatis creatæ liberæ distinguit cum fundamento in reduo rationis signa, nempe *Actûs primi remoti*, & *Actûs primi proximi*. In primo signo consideratur Voluntas cum Indifferentiâ tam quoad substantiam actûs, quàm ejus intensionem. Cùm hâc verò Indifferentiâ stare potest Voluntas Dei conditionata cooperandi cum libero creato arbitrio, si nimirum istud *in actu adhuc primo*, attamen *in secundo rationis signo* propenderit ad operandum. In hoc proinde signo secundo Voluntas concipitur per se ipsam propendens ad actum determinatum cum certo intensionis gradu eliciendum. Hæc autem propensio in Voluntate creatâ fit per quandam quasi Mutationem distinctam ab operatione, imò hâc sive actu priorem. Est autem ista mutatio in eo sita, quòd sine aliquâ realitate de novo receptâ, vel superadditâ, virtualiter se habeat aliter, dum agit, quàm dum non agit. Ista verò virtualis alteratio accidit, quatenus voluntas inclinatur in actu primo proximo, semet per se ipsam ad hunc actum taliter inflectendo, ac si inclinatio & inflexio ejusmodi realiter distingueretur ab Entitate Voluntatis, cum quâ tamen identificatur. Quâ igitur inflexione positâ, impletur conditio, sub quâ Deus per Voluntatem conditionalem offert creato arbitrio suum concursum. Illâ verò conditione impletâ, potest Deus post talis propensionis, seu conditionis prævisionem, salvâ creati arbitrij libertate habere absolutum Decretum concurrendi determinatè ad talem actum. Quibus adeò suppositis concludit præfatus Author *n.* 18. Deum prævidere futura contingentia, tum in propensione causæ secundæ, tum in Divino Decreto absoluto concurrendi cum nostrâ Voluntate jam propensâ, & in actu primo proximo inclinatâ. 7.

Fonseca *tom.* 3. *Metaph. lib.* 6. *c.* 2. *q.* 4. *sect.* 11. *cum* Suarezio *in Opus. de Scient. Dei. lib.* 2. *c.* 8 docet, Deum antecedenter ad suæ Voluntatis Decretum absolu- 8.

absolutum non tantùm cognoscere certò, & evidenter, quid unaquæque voluntas creanda in hâc, vel illâ occasione esset electura, vel rejectura, si in eâ poneretur: sed insuper, quia voluntas creata nihil posset velle, aut reijcere, nisi volente, aut permittente Deo, idcircò in signo secundùm rationem, vel virtualiter priori seu antecedente Voluntatis suæ determinationem scire, quid decreturus sit.

Quo adeò supposito ita licere argumentari: Divino Intellectui est antecedenter ad sua Decreta evidenter notum, quid quælibet Voluntas creata esset factura, si poneretur in hâc vel illâ occasione. At Deo in signo rationis priori, vel antecedente Voluntatis suæ determinationem est notum, quid circa creaturas sit decreturus, adeòque in quâ occasione positurus sit quamlibet Voluntatem creatam. Ergò in hoc rationis signo antecedente Voluntatis Divinæ Decretum est in Deo Scientia de quibuslibet futuris per Voluntates creatas faciendis.

9. Suarez *cit. opus. de Scient. Dei. lib. 1. c. 6. n. 4. 6. & 8.* tenet, Actus liberos prædefinitos à Deo evidenter cognosci in & ex vi illius prædefinitionis, hanc tamen non esse *adæquatam*, cùm non extendatur ad actus malos, nec esse *primam rationem* cognoscendi futura, cùm præsupponat de illis conditionatam scientiam. Unde *c. 8. n. 2.* tandem concludit. Deum cognoscere hæc futura solùm per simplicem intuitum Veritatis, vel rei, quæ futura est in suâ temporis differentiâ: sicut enim res præsens est determinata ad unum, ita, ut veritas de ipsâ enuntiabilis necessaria sit, sic veritas de futuro, cùm æquè sit ad unum determinata, est per se simplici intuitu evidenter, ac certò cognoscibilis ab intellectu Divino.

10. Vasquez *1. p. disp. 65. c. 2. & 4.* ait: Ex Decreto Divinæ voluntatis, utpote, quòd deficere, aut falli nequeat, sufficientem desumi rationem certitudinis scientiæ Dei, hanc tamen rationem esse duntaxat remotam; At proximam petendam esse ex Infinitate Divini Intellectûs, & futurorum veritate; cùm enim Intellectus Divinus sit virtutis infinitæ, attingere debet omne intelligibile; ex hoc autem, quòd futura quantumvis libera, & contingentia sint determinatæ veritatis, sunt intelligibilia, adeòque actualiter, eo modo, quo sunt, intellecta à Deo.

11. Theophylus Raynaudus *in suâ Theologiâ Natur. dist. 8. q. 1. a. 2. n. 37. & 38.* docet, Futuritionem conditionatam, quæ eadem, positis conditionibus, erit absoluta, esse fundamentum præmotionis effectûs liberi anterius Divino Decreto; esseque adeò istud Esse actuale futurorum cum necessariorum, tum liberorum primam rationem, seu primum fundamentum Divinæ cognitionis in ea tendentis.

12. Franciscus Amicus *disp. 12. de Scient. Dei. sect. 5. n. 93.* probat, Nullam de futuris contingentibus determinatam Veritatem, nec adeò in suâ futuritione posse certò cognosci. Insuper *sect. 8. n. 130.* negat, Effectus liberos posse à Deo cognosci infallibiliter in suo Decreto tanquàm proximâ cognoscendi ratione; tametsi ratione scientiæ Mediæ, quæ præsupponitur ad Voluntatis Divinæ Decretum, istud sit remota ratio cognoscendi tales effectus. Quocirca *seq. sect. 9.* concludit, Futura ab intellectu Divino cognosci in suâ propriâ præsentialitate, seu duratione existentiæ; Cùm enim Scientia Divina mensuretur æternitate, vi cujus invariata tota simul indivisibiliter, ac semper existat, oportet, præsentialitatem, seu durationem uniuscujusque rei creatæ existentis esse intra ambitum Mensuræ Scientiæ Dei, atque adeò ab Intellectu Divino esse ut sic cognoscibilem.

Nicolaus Ysambertus Doctor Sorbonicus *præs. disp. 7. a. 13.* asserit: Primam & adæquatam rationem, cur Deus supposito aliquo suo Decreto circa res ad extra, & suppositâ futuritione contingentium liberorum cognoscat illa certò, & infallibiliter; coalescere ex pluribus partialibus simul junctis rationibus, quarum alias 1. se tenere ex parte proximarum causarum ejusmodi contingentium, quòd nimirum illæ causæ eâ temporis differentiâ, quæ importatur per Verbum, quo hæc contingentia explicantur futura, sic se ad productionem illorum determinent, ut reipsâ & de facto exequantur illam. Aliam rationem 2. se tenere ex parte ipsorum contingentium, quòd nimirum ista per suas dicto modo affectas proximas causas transeant à statu contingentiæ ad statum existentiæ, & sic ad statum alicujus necessitatis, secundùm quam unumquodque necessariò est, dum est. 3. Aliam rationem se habere ex parte modi, quo Divina Essentia in ratione Causæ particularium ejusmodi effectuum penetrata objicit illa tanquàm futura pro eo tempore, quo adhuc futura sunt, & tanquàm præsentia pro tempore, quo existunt, & tanquàm præterita pro tempore, quo desierint. 4. denique, aliam se tenere rationem ex parte modi, quo infinita actualis intellectio Dei se se ab æterno terminat ad futura contingentia sub præfatis suppositionibus. Hunc verò modum consistere in ratione cognitionis supercomprehensivæ Voluntatis creatæ tanquàm Causæ proximæ ejusmodi contingentium, vi cujus supercomprehensionis Voluntatem creatam non tantùm perfectè cognosci priusquàm operetur, se se in hanc, vel illam partem inclinare, sed etiam quòd in his & istis circumstantijs, factis præfatis primâ, & secundâ suppositionibus, se se de facto, liberè tamen ad hanc & non ad istam partem determinabit. 13.

Triplicem, at re ipsâ unicam futura contingentia cognoscendi Intellectui Divino rationem, nempe Decretum Dei absolutum & efficax, sive Ideas ex proposito Voluntatis Divinæ determinatas, sive futurorum in æternitate præsentiam realem uniformiter ponunt ex S. Thoma *in 1. dist. 39. a. 2. ad 1. & 3. cont. gent. c. 46.* & *1. p. præs. q. 14. a. 13.* Thomistæ, nominatim Cajetanus *in præs. q. 14. a. 13. per totum.* Bannes *ibid. concl. 3. 4. & seq.* Nazarius *hic cont. 2. concl. 4. & 5.* Item *Cont. 3. concl. 4.* Petrus Labat *cit. disp. 5. dub. 6.* Ioannes Baptista Gonet *to. 2. disp. 4. præsertim a. 4. & 8.* Alvarez *de Auxilijs Divin. Grat. lib. 1. c. 9.* Ioannes à S. Thomâ *hic disp. 19. a. 2. concl. 2. & a. 4.* Xantes Marial. *to. 2. cont. 47. & 48.* 14.

Huic Thomistarum sententiæ, quatenùs rationem cognoscendi contingentia statuit in Decreto Dei, præter Richardum, Alensem, & Durandum à Suarezio *cit. lib. de Scient. Dei c. 6. n. 1.* relatos accedit Schola Scotistica cum suo Subtili Doctore. Hic enim *in 1. dist. 39. q. 5. n. 22.* apertè docet, Veritatem complexionum contingen- 15.

tium esse ex determinatione voluntatis Divinæ; quâ proinde suppositâ, Essentiam Dei esse Divino Intellectui rationem intelligendi Verum complexionis contingentis. Et in *quodlib. q. 14. n. 16.* affirmat, Deum primò se determinare ad volendum hoc fore determinatè: secundò ex hoc Intellectum videndo istam determinationem Voluntatis infallibilem, nôsse, hoc esse futurum.

CONCLUSIO.

TOta difficultas cum tantâ opinionum varietate hîc agitata inter Doctores vergit ad unicum punctum, seu centrum: An scilicet futurorum contingentium veritas objectiva seu cognoscibilitas independens sit à Determinatione Divinæ Voluntatis, vel ratione nostrâ cum fundamento in re, ac virtualiter antecedat Dei liberum Decretum?

16. Explicatur & Probatur. Ratio cognoscibilitatis est secundùm rationem Veri: Hæc autem est secundùm rationem Entis. Ergò in tantum est aliquid per scientiam Divinam in æternitate cognoscibile, in quantum in mensurâ æternitatis habet aliquod Esse. At futuritio importat aliquam Essendi rationem supra statum possibilitatis: neque verò supra possibilitatem est alia Essendi ratio, nisi status Esse actualis. Hic verò status Esse actualis rei quà futuræ non convenit intrinsecè secundùm propriæ durationis mensuram. Oportet igitur, esse de re quatenùs futurâ prædicabilem, in quantum habet Esse non tantùm potentiale, sed actuale in suâ causâ. At
17. Esse actuale Effectûs in causâ est secundùm hujus causalitatem. Hæc verò in Deo est actio æterna formaliter immanens, sed virtualiter transiens, quæ *completivè* consistit in *Dictione*, juxta illud: *Quoniam ipse dixit & facta sunt*, *Motivè* autem, ac *primò* importat Divinæ Voluntatis Decretum, juxta illud: *Quæcunque voluit fecit.* Sunt ergò res futuræ Deo in æternitate præsentes, atque adeò ut sic cognoscibiles secundùm præsentiam realem non in propriæ durationis, sive existentiæ mensurâ, sed in actione Dei æternâ, quæ, prout est Dictio, importat Ideam mentis Divinæ determinatam ex Decreto per rationem nostram cum fundamento in re antecedente illam æternam in Dei Dictione sitam actionem. At hæc ipsa æterna actio habet infallibilem veritatis connexionem cum effectibus ex ea pendentibus. Ergò est sufficiens ratio certò cognoscendi futura etiam contingentia.

18. Quando igitur Thomistæ asserunt, Præsentiam rerum in æternitate, sive actione Dei æternâ esse rationem cognoscendi futura contingentia, hujus cognitionis rationem ita referunt in Dictionem efficacem Divini Intellectûs, seu Ideam determinatam, ut eandem rationem *resolutoriè* reducant in Divinæ Voluntatis Decretum Determinativum Ideæ mentis Divinæ, & certò illativum Dictionis res creatas immediatè, ac infallibiliter causantis.

19. Econtrario adversæ partis Doctores ubi semel negarunt Divinæ voluntatis Decretum effectuum futurorum infallibiliter illativum, eo ipso aliam pro futurorum Divinâ Præscientiâ manutenendâ inire viam coacti sunt. In hâc verò indagandâ oportebat unicè laborare circa fundamentum, ex quo erui posset Veritas futurorum, antequàm actu in se ipsis existerent. Neque verò hujus veritatis fundamentum jacere potuerunt, quin, cùm in puncto præsenti unum Doctoribus antiquioribus esset Sacræ Theologiæ labium, illorum confunderentur linguæ, ut non audiret vnusquisque linguam sui proximi, dum in tot dividuntur sententias, quot ferè sunt capita. In quâ proinde dissensione, & confusione opinionum nè vagemur in incertum, oportet ante omnia præsentis Difficultatis firmari fundamentum, indagando in sequenti secundâ Controversiâ: *An Decretum Dei efficax sit intellectui Divino prima, & adæquata ratio Veritatis, & cognoscibilitatis futurorũ contingentium?* Deinde jacto solido fundamento examinandæ erunt Adversariorum sententiæ, quas oportunè videmur nobis reduci posse ad sex Controversias. Quarum Prima, sed ordine Tertia erit: *An Essentia Divina, quatenùs habet rationem Ideæ, seu speciei Impressæ antecedenter ad Decretum Dei possit esse ratio cognoscendi futura?* Quarta. *An futurorum Divina Præscientia radicetur in supercomprehensione causarum secundarum?* Quinta. *An in Decreto absoluto consequente nostræ Voluntatis in actu primo proximo determinationem, seu propensionem?* Sexta. *An in Futuritione Conditionali tum Voluntatis Divinæ Decretorum, tum liberæ creati arbitrij determinationis?* Septima. *An in futuritione absolutâ, vel præsentialitate, sive Entitate propriâ futurorum.* Octava. *An certitudo Divinæ Præscientiæ desumatur tum ex hypothesi determinationis Causarum secundarum; tum ex suppositione existentiæ futurorum, tum ex Divinâ Essentiâ in ratione Causæ particularium effectuum istos objiciente Dei Intellectui; tum denique ex vi cognitionis Divinæ quà supercomprehensivæ Voluntatis creatæ?*

Quibus proinde cum suis fundamentis & rationibus discussis, adijciemus Coronidis loco controversiam Nonam; *An præsentia rerum in æternitate, seu Mensurâ Actionis Dei æterna sit ratio, Cur Præscientia Divina sit certa, & intuitiva?* Interea unicæ veritati eruendæ intenti nostrum super singulis sententijs Iudicium, donec momenta argumentorum, & rationum ponderaverimus, ita tenebimus suspensum, ut tamen in exordio statim fateri cogamur, Divisionem Adversariorum non parùm displicere: asserente Divino Dionysio *c. 4. de Divin. Nom.* quòd *Vera Sapientia sit à multis Opinionibus convertens, & ad unam, veram, & uniformem congregans cognitionem, & uno unitivo lumine complens.* 20.

CONTROVERSIA. II.

An futurorum sit Veritas aliqua Objectiva cognita antecedenter ad Decretum Dei Absolutum, & Efficax, vel istud potiùs sit intellectui Divino prima, & adæquata ratio veritatis, & cognoscibilitatis Futurorum.

PRopositiones de futuro esse ab æterno determinatè veras; quæ veritas æterna sit formaliter in Intellectu Divino, ex parte autem objectorum esse aptitudinem, seu non repugnanti[...] ut Intellectus habens sufficientem intel[...] 1.

virtutem, verè possit judicare de tali objecto; cujusmodi aptitudo realiter non sit aliud præter Esse, quod res suo tempore est habitura, ratione cujus possit comparari ad tempus anterius; cum Suarezio *cit. lib. 1. de Scient. Dei. c. 2. n. 6. & c. 6. n. 6. Item c. 8. n. 8.* sentiunt Recentiores Scientiæ Mediæ propugnatores. Fundamentum potissimum est. Ex ipsâ enim naturâ Contradictoriarum est, quòd una propositionum sit determinatè vera, & altera falsa. Hæc autem proprietas contradictoriarum emanat ex intrinsecâ, & per absolutam Dei potentiam insuperabili repugnantiâ inter *Esse*, & *Non Esse*. Ex hâc enim terminorum Transcendentium repugnantiâ fit, quòd per Metaphysicam omninò inevitabilem necessitatem quodlibet determinatè sit, vel non sit. At verò propositio affirmativa est hoc ipso determinatè vera, quando ipsius objectum est, sicut econtra falsa, quando objectum non est. Non igitur est excogitabilis ulla propositionum contradictio, quin ab æterno una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa. Atqui præscindendo ab omni Decreto Divino, & ad objectum, prout se habet in se ipso, præcisè respiciendo, subsistit, quòd istæ duæ propositiones *Petrus negabit Christum*; *Petrus non negabit Christum*, sint contradictoriæ. Oportet igitur, unam in æternitate esse determinatè veram independenter ab omni Decreto Divino. Ergo determinatio æternæ veritatis futurorum consistit in se ipsâ, vel in objecto, independenter à Divinæ Voluntatis determinatione.

2. Ex opposito, quòd propositionis de futuro contingenti ex intrinsecâ ratione Complexionis nulla sit determinata veritas, tradit Aristoteles *lib. de interpret. c. 10.* Cui consentiunt S. Thomas *ibid. lect. 13. & in 1. dist. 38. q. 1. a. 5. ad 2.* nec non *in 2. dist. 39. a. 1. & q. 16. de Malo. a. 7.* Item *1. p. q. 16. a. 7. ad. 2.* Et Scotus *in. 1. dist. 39. q. 5. n. 23.* adductus, qui determinationem Veritatis de futuris contingentibus referunt in Divinæ Voluntatis libertatem.

Conclusio.

NUlla est futurorum Contingentium veritas determinata, nisi ex vi liberi Decreti Divini, in quo sive Essentiâ Dei ut sic determinatâ tanquàm Medio *Quo* & *Quod* sunt futura contingentia cognoscibilia à Divino intellectu.

3. Probatur. Verum & Ens convertuntur. Repugnat igitur Veritas, nisi sub ratione Entis. At nulla ratio Entis extra Deum excogitabilis est, nisi secundùm participationem dependens sit ab Esse Divino. Unde alibi demonstravimus, ne Essentiarum quidem, seu specierum creatarum veritatem, ac intelligibilita[illegible] sub statu etiam possibilitatis subsiste[illegible] telli[illegible] biliter, ac repræsentativ[illegible] tivu[illegible] ab Essentiâ Divinâ pa[illegible] at[illegible] Atqui ratio futuri, [illegible] d[illegible] minatæ de fu[illegible] bilitatis. A[illegible] seu deter[illegible] à De[illegible] inv[illegible]

suo tempore habitura est, uti asserit Suarez *suprà* adductus. At nullus Essendi status supra possibilitatem est ulli Enti communicabilis, nisi per liberam Dei Voluntatem. 4. Ergò determinatio futuritionis, seu Veritatis de futuro contingenti est duntaxat ex vi Decreti liberi Voluntatis Divinæ. Sicut ergò Essentia Divina secundùm cujuslibet creatæ speciei, ac formalitatis continentiam virtualem est Divino Intellectui ratio cognoscendi creaturas possibiles; sic Voluntatis Divinæ Decretum est Deo ratio in æternitate intelligendi quaslibet res in tempore futuras. Confirmatur ex Divo Thomâ. *1. cont. gent. c. 68. in argum. 2.* asserente, *Deum cognoscendo suam Essentiam, cognoscere omnia, ad quæ sua causalitas extenditur.*

5. Nam istam causalitatem remanere in Causâ primâ, quæ est ipse Deus, extendique ad motus voluntatis nostræ liberos, & contingentes, constat ex eodem S. Doctore *in fin. cit. c. 68.* At causalitatem Dei ad extra esse secundùm Voluntatem, habetur ex illo Apostoli: *Operatur omnia secundùm consilium Voluntatis suæ.* Ergò Deus suam Essentiam, & Voluntatis suæ Decreta intuendo, in æternitate prænovit omnes effectus futuros. Cùm igitur futurorum veritas determinata sit ex vi Decreti Divini; consequens est, hoc esse Medium *Quo* & *Quod* in se, seu Essentiâ Dei cognoscendi futura.

6. Respondebis ex Vasquezio *cit. disp. 65. n. 13. & 18.* Omne quidem futurum esse ex Decreto, ac Determinatione Divinæ Voluntatis, esseque adeò ratione nostrâ priùs definitam à Deo, quàm cognita sit res futura. Unde cùm Decretum Dei irritari nequeat, consequenter scientiam de futuris in Deo esse infallibilem, utpote in omnibus assimilatam Decreto Dei. Nihilominùs isto supposito, futurum esse determinatæ Veritatis, atque adeò in se immediatè intelligibile, seu cognoscibile à Divino Intellectu. Etsi proinde Decretum Dei sit causa remota futurorum in Deo Præscientiæ; attamen proximam hujus rationem esse ipsam veritatem futurorum à Divino Intellectu eo ipso, quòd infinitæ virtutis sit, necessariò cognoscibilem.

7. Contra. Nam Intellectionis Divinæ Motivum formale, atque adeò rationem objectivam proximam non esse nisi Essentiæ Divinæ Intelligibilitatem, *alibi* demonstravimus. Est autem Essentia Divina ratio in se cognoscendi futura contingentia, quatenus est eorum repræsentativa. Hæc verò ratio repræsentationis inest Divinæ Essentiæ solùm quà determinatæ ad eventus futuros ex se derivatos. At ista determinatio est formaliter Decretum Dei cum ipsius Essentiâ realiter formaliter identificatum. Ergò istud est Intellectui Divino ratio immediata cognoscendi futura contingentia, uti clarè evincitur, tum ex Verbis S. Doctoris *suprà adductis*; tum ex S. Hilario *9. de Trinit.* asserente: *Quæ Deus facere decre*[illegible] *n suâ voluntate cognovisse.* Nam *ly in suâ volun*[illegible] [illegible]gnificat rationem motivam proximam fu[illegible] [illegible]um in Deo Præscientiæ. Cujusmodi ratio[illegible] formalem efficaciùs expressit S. Augusti[illegible] *lib. de prædest. Sanct. c. 10. Prædestinatione quippe,* [illegible]uiens, *Deus ea præscivit, quæ facturus erat.*

8. Replicabis ex Suarez *cit. c. 6. n. 4. & 6.* Isto argu[illegible]ento probari quidem actus à Deo prædefinitos [illegible] hac efficaci Voluntatis Divinæ prædefinitio[illegible] [illegible]e evidenter, ac certò cognosci, cùm non stet aliquid

aliquid esse à Deo prædefinitum, & non fieri, alioquin enim Voluntas Dei non esset Efficax. Nihilominùs illam prædefinitionem non esse primam rationem cognoscendi futura, sed necessariò supponere aliam Scientiam nempe conditionatam.

9. Cujus ratio est, quia Voluntas Dei, cujus tanta est Efficacia, ut in Sensu composito non possit non assequi finem absolutè intentum, non posset prudenter habere ejusmodi intentionem, nisi præcognitis medijs, per quæ erit certa, & infallibilis consecutio finis. Hæc autem mediorum præcognitio includit virtute illam conditionalem, si Deus hoc vel istud faciat, aut permittat circa Voluntatem creatam, ista hoc, sive illud operabitur: nam conditionali istiusmodi non præsuppositâ, Deus non potest nôsse, quid oporteat se facere circa Voluntatem creatam, ut hæc liberè, sed tamen infallibiliter faciat actum prædefinitum. Ergò prædefinitio Dei non est ratio actûs creati quà liberè & contingenter futuri infallibiliter illativá, nisi præsuppositâ illâ scientiâ conditionatâ. Ergo prædefinitio Divina non est prima ratio cognoscendi actus liberos creati arbitrij.

10. Contra: Non potest ultra possibilitatis statum creaturis inesse ulla formalitas, seu ratio Entis, nisi ex determinatione liberâ Voluntatis Divinæ. At nulla est Veritas, seu cognoscibilitas, nisi secundùm rationem Entis. Ergò antecedenter ad determinationem Decreti Divini de voluntate creatâ, ejusque actibus liberis non est cognoscibilis ulla veritas, nisi secundùm statum Essentiæ, ac possibilitatis. At in hoc statu est pura indifferentia ad futuritionem, ac Existentiam. Ergo nulla scientia antecedenter ad voluntatis Divinæ determinationem potest in Deo esse ratio futuritionis cujuscumque etiam conditionatæ repræsentativa, seu motiva cognitionis futurorum. Etsi proinde Deus Voluntatis suæ efficaciam, & virtutem intuendo, antecedenter ad libera sua decreta noverit, quibus medijs possit movere creata arbitria ad actus à se prædefinitos certò, liberè tamen efficiendos. Hæc nihilominùs scientia Divinæ Voluntatis determinationem antecedens est simplicis duntaxat intelligentiæ, nullam etiam conditionatam ex parte objecti attingens futuritionem seu existentiæ determinationem. Ergo non potest ut sic Divino intellectui esse ratio cognoscendæ futuritionis ejusmodi, atque adeò prima hujus cognitionis ratio est voluntatis Divinæ Decretum.

11. Instabis ex Ysamberto *præs. disp. 7. a. 2. n. 4.* peccata non esse à Deo prædefinita, cùm tamen sint ab ipso præscita. Ergo horum præscientiæ rationem non posse in Decretum Dei absolutum efficaciter prædefinitivum, seu determinativum referri. At eandem infallibilitatis Præscientiæ Divinæ esse rationem circa unum, atque alterum futurum. Ergo Decretum Dei efficax, seu Voluntatis Divinæ determinationem non esse rationem futurorum in Deo Præscientiæ.

12. Contra est: Quod circa peccata duplex ratione nostrâ in Deo distinguatur Decretum, alterum circa permissionem, alterum circa entitatem peccati, ex quibus infallibilitate consequentiæ, at liberè eveniet peccatum. Nam per Scientiam simplicis Intelligentiæ antecedenter ad omnem Divinæ Voluntatis determinationem novit Deus tum rectitudinem Honestatis, nec non formam Sanctitatis turpitudini peccati, ejusque malitiæ quà mortali oppositam cum omnibus gratiæ auxilijs in thesauro suæ Divinæ Sapientiæ, & potentiæ reconditis; tum Entitatem actûs creati, atque liberi arbitrij exercitium sive positivum, sive etiam, si dari possit, purè omissivum, quod *radicaliter*, respectu Voluntatis creatæ liberæ ita habeat annexam malitiam moralem, ut tamen in genere Entis Transcendentaliter importet aliquam Bonitatem. Etsi proinde in rectitudine oppositâ peccato sit Bonitas non Entitativa duntaxat, sed honestas quoque Moralis, & Sanctitas etiam supernaturalis; quia tamen tota hæc Bonitatis ratio non adæquat puritatem Divinæ Substantiæ, atque adeò in ratione objecti Motivi non est Voluntati Dei simpliciter commensurata; idcirco non per se primò, sed intuitu Naturæ Divinæ, cujus est participatio, ita est appetibilis à Deo, ut tamen ratione ejusdem Substantiæ Divinæ independenter ab universâ formâ creatâ cum omni perfectionis simplicis genere in se subsistentis posset illius Bonitatis tum physicæ tum moralis etiam supernaturalis productio, seu existentia non esse volita à Divinâ voluntate. Unde Deus jam productam potest etiam nolle conservare, subtrahendo auxilia gratiæ, cum quibus à voluntate creatâ unicè, ac infallibiliter ac simul liberè conservabilis est. Quæ proinde voluntas in Deo de non concedendis auxilijs, mediantibus quibus creatura intellectualis liberè conservaret rectitudinem peccato oppositam, dicitur Decretum permissivum peccati. Ex hoc enim consequens est, fieri peccatum, Deo purissimis causalitatis suæ Divinæ radijs ita attingente peccati Entitatem, seu liberum creatæ Voluntatis exercitium, cui radicaliter inest malitia moralis, ut hæc tamen non redundet in Deum. Etenim vi illius Decreti permissivi infallibiliter est consequens negatio rectitu- 13.
dinis congruæ ac debitæ naturæ rationali ad Finem Deitatis supernaturalem elevatæ. Hæc autem negatio posset quidem esse in ratione puræ negationis, Deo nimirum non subministrante Voluntati creatæ exercitium liberum circa illam negationem. In quo adeò casu talis negatio non haberet rationem peccati. At id esset contra exigentiam naturalem causæ secundæ liberæ; cujusmodi exigentia etsi superabilis sit per Dei potentiam, possetque adeò hâc quoque ratione Deus *negativè* impedire malitiam peccati, id ipsum tamen impediendo resultaret ex consequenti malum naturæ, id est, negatio repugnans exigentiæ naturali causæ secundæ liberæ. Quocirca Deo tanquàm Authori naturæ congruit, ut supposito Decreto peccati permissivo, seu negativo de non concedendis efficacibus gratiæ auxilijs, habeat alterum Decretum de concursu efficaci ad liberum Voluntatis creatæ exercitium, in quo, respectu hujus, non autem Voluntatis Divinæ radicaliter inest malitia moralis, seu ratio peccati. At verò istud Decretum Dei tum permissivum peccati, tum Exercitij liberi quoad Entitatem, & Bonitatem entitativam efficaciter causativum est infallibiliter illativum malitiæ peccaminosæ, utpote radicaliter in ordine tamen ad voluntatem duntaxat creatam,

atam illi inexistentiæ. Ergò Deus cognoscendo istud Voluntatis suæ Divinæ Decretum eo ipso infallibiliter prævidet futurum peccatum. Patet igitur, quòd Decretum Dei efficax sit intellectui Divino ratio adæquata cognoscendi in se omnia futura libera etiam quà peccaminosa; etsi ista ut sic consequantur Divinæ Voluntatis Decretum infallibilitate duntaxat Consequentiæ, non autem causalitatis, *velut in præs. q. 5. art. 2. præced. com. 4. n. 11.* probatum est.

Ad fundamentum Suarezij in initio oppositum

14. Respondetur: In æternitate distingui cum fundamento in re tria rationis signa. In primo est conceptibilis Divina Substantia secundùm suas perfectiones formaliter sibi inexistentes: in quo evidens est, cùm Esse præcisè Divinum concipiatur, non posse ullam de creaturis formari propositionem, nec adeò contradictionem enuntiationum de objectis creatis. In secundo consideratur Intellectus Dei, quà creaturas possibiles secundùm Esse objectivum attingens repræsentativè in suâ Divinâ substantiâ: in quo adeò signo possunt quidem à nostro intellectu formari propositiones circa creaturas quoad statum Essentiæ, ac possibilitatis, non verò circa statum existentiæ actualis, & realis. In tertio denique consideratur Voluntas Dei, quatenùs per causalitatem formaliter immanentem, sed virtualiter transeuntem est efficaciter ab æterno determinativa Existentiæ actualis creaturarum producendarum in tempore; atque pro isto duntaxat signo æternitatis possunt de rebus actu aliquando existentibus, seu futuris à nostro intellectu formari propositiones.
15. Est autem contradictio proprietas consequens propositiones. Sicuti ergò pro primo, & secundo æternitatis signo non sunt formabiles propositiones de rebus creatis aliquando existentibus, seu futuris; sic inter illas pro tunc non est conceptibilis ulla contradictio: non enim dicere possum, Petrum peccaturum, considerato statu puræ possibilitatis, vel Divinæ duntaxat Essentiæ. Ergò ista propositio *Petrus peccabit*, non nisi pro illo signo, in quo Voluntatis Divinæ determinatio secundùm libera ipsius Decreta consideratur, potest intelligi contradictoriè opposita propositioni, quæ dicitur: *Petrus non peccabit*,
16. Cujus ratio est, Non enim est contradictio, nisi pro illo rationis signo, in quo est intelligibile Esse, & non Esse terminorum. At sicut Esse rei creatæ, sic non Esse, seu negatio Esse actualis non est determinatè intelligibilis pro signo indifferentiæ ad Esse & Non Esse. Hujusmodi verò Indifferentiam manifestum est involvi in statu possibilitatis. Ergò pro illo duntaxat statu, in quo fit determinatio circa res creatas, est intelligibile tum Esse, tum non Esse determinatum futurorum contingentium. At illam determinationem quoad Esse per se efficienter, quoad Non Esse verò per infallibilitatem consequentiæ esse ex vi voluntatis Divinæ constat *ex præcedentibus*. Ergò contradictio, & consequenter unius contradictoriæ determinata veritas, & alterius falsitas circa futura contingentia non est, nisi consequenter ad Decretum Divinæ Voluntatis.

CONTROVERSIA. III.

An Deus cognoscat contingentia, seu futura in suis Ideis?

Divus Bonaventura *præs. art. dub. 1. n. 1.* relatus affirmat: quem refutat Scotus *in 1. dist. 39. q. 5. n. 7.* Nam complexio contingens non est nata cognosci ex terminis, cùm alioquin non esset necessaria tantùm, sed prima & immediata. At si complexio aliqua non sit nata cognosci ex terminis, tunc neque ratio cognoscendi terminos talis complexionis sufficienter causat ipsius notitiam. Ergo Ideæ seu rationes cognoscendi terminos complexionis seu propositionum contingentium non sunt sufficientes causæ ad has cognoscendas, quantumvis terminos ipsarum perfectè repræsentent. 1.

Adversùs istud Scoti argumentum opponitur Ægidius Romanus *cit. dub. 1. n. 2.* relatus, qui hunc in modum argumentatur. Essentia Divina subit rationem Ideæ, quatenus est creaturarum repræsentativa: At sicut in Essendo, sic in repræsentando oportet Divinam Essentiam esse infinitam. Hæc autem in repræsentando infinitas importat omnis repræsentabilis, atque adeò Veritatis futurorum contingentium actualissimam repræsentationem. Ergò Essentia Divina quatenus habet rationem Ideæ est actualissimè repræsentativa Veritatis futurorum contingentium. Atqui ratio Idealis creaturarum in Deo est per modum Attributi. Est autem cujuslibet Divini Attributi ratio independens à Decreto Dei. Oportet igitur illam repræsentationem Essentiæ Divinæ quà Ideæ convenire independenter, seu antecedenter ad Divinæ Voluntatis Decretum. 2.

Contra istam Ægidij Romani argumentationem rursus stat argumentum Scoti *cit. n. 7.* hoc ferè modo arguentis. Ideæ in Deo naturaliter repræsentant. At omnis illa formalitas, quæ Deo est naturalis, seu necessaria antecedit ipsius liberum Decretum. Si ergò ratio Ideæ in Deo esset repræsentativa futurorum contingentium, ista repræsentatio antecederet Divinæ Voluntatis actum. At futuritio rerum super possibilitatem non est nisi per Decretum Dei liberum. Ergò ratio Idealis in Deo non est repræsentativa ejusmodi futuritionis. 3.

Doctor Angelicus Ideas in Deo secundùm rationem nostram ratiocinatam distinguit in Determinatas, & Indeterminatas, juxta illud *q. 3. de Verit. a. 6. Idea potest esse ejus, quod nec est, nec erit, nec fuit: non tamen eodem modo, sicut est eorum, quæ sunt, vel fuerunt: quia ad ea, quæ sunt vel fuerunt, vel erunt producenda, determinatur ex proposito Divinæ Voluntatis: non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt. Et sic hujusmodi habent quodammodò Ideas Indeterminatas.* 4.

Has proinde Ideas Indeterminatas Voluntatis Divinæ Decretum ratione nostrâ antecedentes non posse Deo esse rationem cognoscendi futura, evincitur ex S. Doctore *in 1. dist. 39. q. 1. a. 2. ad 1.* ubi de scientiâ creaturarum quà existentium ait: *Sicut ipsum scire est subjectum libertati Voluntatis, ita & Idea, secundùm quod ad ipsam terminatur actus Divinæ Scientiæ.* Ex quo simul elucet; 5.

 Ideas

Ideas in Deo, quatenùs ex proposito Divinæ Voluntatis determinatas sufficienter repræsentare futura etiam contingentia, attestante eodem Doctore Angelico *præs. q. 14. a. 13.* asserente: *Omnia, quæ sunt in tempore, esse Deo præsentia, eâ quoque ratione, quâ habet rationes rerum apud se præsentes.*

Conclusio.

Deus præscit futura contingentia in suis Ideis non antecedenter, sed consequenter ad Decretum Divinum eorum futuritionis prædefinitivum.

6. Explicatur & Probatur. Ideæ in Deo sunt ipsa Essentia Divina, prout est objectiva rerum ratio. S. Thomas *seq. q. 15. a. 1. ad 2. & a. 2. ad 1.* Essentia verò Divina ex vi suæ Eminentiæ continens actualissimam omnem Essendi perfectionem cum infinitâ sui ad extra communicabilitate est ut sic ratio objectiva, seu Motivum formale per scientiam simplicis Intelligentiæ cognoscendi omnes creaturas quà possibiles, sive producibiles ad extra. Hæc autem repræsentandi ratio creaturarum possibilium est ratione nostrâ cum fundamento in re antecedens Decretum liberum, vi cujus per modum causalitatis formaliter immanentis est in Deo intrinseca determinatio ad producendum creaturarum Esse actualis Existentiæ tam secundùm substantiam,
7. quàm secundùm quævis accidentia. At verò hanc ipsam Divinæ Voluntatis Determinationem, ac Decretum ratione nostrâ ratiocinatâ consequitur scientia Visionis creaturas in qualibet temporis differentiâ existentes attingens formaliter sub ratione existentiæ, & contingentis essendi actualitatis. Est autem hujus scientiæ Visionis ratio objectiva formalis Motiva ipsamet Essentia Divina secundùm Decreti liberi formalitatem intrinsecam realiter formaliter sibi identificatam. Constat igitur, aliam scientiæ Divinæ quà simplicis intelligentiæ rationem objectivam esse Essentiam Dei secundùm communicabilitatem sui ad extra necessariò, & ratione nostrâ antecedenter ad Voluntatis suæ Divinæ determinationem sibi convenientem. Aliam verò scientiæ quà Visionis rationem objectivam esse Essentiam Divinam sub formalitate Decreti
8. liberi realiter formaliter sibi identificati. At Essentia Divina sub priori formalitate est Idea, quatenus hæc est ratio rerum ad extra producibilium: sub formalitate autem posteriori est Essentia Divina actuale principium futuritionis, habetque ut sic rationem Ideæ, prout hæc importat Exemplar rerum in tempore faciendarum. ex S. Doctore *cit. q. 15. a. 9. in corp. & ad 2.* Etsi proinde ratio Ideæ, quatenùs est in Deo antecedens Voluntatis Divinæ liberam determinationem non possit esse ratio cognoscendi creaturas secundùm statum existentiæ seu futuritionis contingentis; attamen sub formalitate Decreti liberi Essentia Dei est formaliter Idea exemplaris, quæ ut sic est Intellectui Divino ratio intelligendi creaturas quà existentes in quâvis temporis differentia.

***

Responsio ad fundamenta contraria.

Ad Scoti *n. 1.* oppositum Respondetur: Concessâ Majore, negando Minorem. Ratio est: Quia licèt complexionis contingentis termini defectu alicujus connexionis necessariæ non sint nati in ratione objecti parere notitiam propositionis ex se compositæ, maximè certam, & infallibilem. Nihilominùs primam illius Complexionis rationem esse in Deo per modum causalitatis intrinsecæ, quæ cum ejusdem Veritate, seu Essendi æqualitate habeat infallibilem connexionem non quidem aliqualis dependentiæ, sed causalitatis vel consequentiæ. Ergò ejusmodi Rationem Divinam, seu Exemplarem Dei Ideam esse sufficientem rationem cognoscendi quaslibet complexiones contingentes, utpote quæ secundùm ipsummet subtilem Doctorem *cit. dist. 39. n. 14.* immediatè deriventur ex Deo tanquam primâ omnis Contingentiæ radice. 9.

Ad Ægidij Romani *n. 2.* oppositum Respondetur: Essentiam Dei quà in repræsentando infinitam ita esse omnis repræsentabilis non tantùm ad intra, sed etiam ad extra repræsentativam, ut repræsentando in ratione causæ Idealis, seu Exemplaris sit hoc ipso omnis realitatis repræsentabilis ad extra causativa, sive Physicè quoad Esse reale actualis Existentiæ, sive intelligibiliter quoad esse objectivum in Divino intellectu. At verò hanc Divinæ Essentiæ vim repræsentativam quà ad extra causativam Esse realis, vel actualis creaturarum existentiæ formaliter importare Divinæ Voluntatis Decretum, tanquam Actionem Dei ad extra, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. Unde istam vim creaturarum quà in aliquâ temporis differentiâ contingenter existentium repræsentativam non tam habere rationem Attributi simpliciter, naturaliter ac necessariò Deo inexistentis, quàm actûs Divini liberi realiter formaliter identificati cum Divinâ Essentiâ. Quocirca illam vim repræsentativam, seu rationem Idealem, sive rerum in tempore contingenter faciendarum Exemplar non debere in Deo ratione nostrâ esse antecedens Divinæ Voluntatis Decretum liberum, sed potiùs rationem illam objectivam, & Idealem in suo conceptu formaliter importare actum Divinæ Voluntatis. 10.

Ad Scoti *n. 3.* oppositum Respondetur ex S. Thom. *cit. q. 3. a. 3. ad 2. Et de Verit. cit. a. 6.* Antecedenter ad Decretum futurorum contingentium præfinitivum esse in Deo rerum purè possibilium Ideas Indeterminatas, & duntaxat in virtute, quas ut sic non esse in ratione objecti Motivi repræsentativas futurorum contingentium. At Voluntatem Divinam liberè eligendo futuritionem, sive existentiam effectûs alicujus, seu complexionis contingentis, facere hanc determinatè veram, atque tunc Essentiam Divinam esse rationem Intellectui Divino intelligendi istud verum, velut in terminis docet Subtilis Doctor *cit. q. 5. n. 23.* Quam proinde intelligendi rationem S. Doctorem cum D. Bonaventura *ubi suprà* vocare Ideam Determinatam, & Exemplarem. Unde Subtilem Doctorem non tam in præsentis difficultatis puncto discordare cum illis, quàm in eo, quòd omnem Ideæ rationem in 11.

Deo

Deo ponat Naturalem, seu antecedentem Voluntatis Divinæ liberam determinationem.

CONTROVERSIA IV.

An Præscientia futurorum contingentium sit in Deo per comprehensionem Arbitrij creati, aliarumque causarum secundarum?

1. AFfirmat Molina *præc. dub. n. 2.* adductus. Fundamentum est. Deus scit in Tyrijs & Sidonijs futuram fuisse Pœnitentiam in cinere, & cilicio, ex hypothesi, quòd in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in Corozain, & Bethsaidâ erant factæ *ex Matth. 11.* At illud futurum ex liberâ hominum Voluntate dependens nunquam fuit, aut erit in rerum naturâ, nec adeò existit in æternitate: unde non propter existentiam sui in æternitate potuit esse præscitum à Deo, sed per supercomprehensionem duntaxat causarum secundarum. Probatur istud Assumptum.

2. Deus per scientiam Naturalem se ipsum comprehendit. Est autem scientia naturalis in Deo ratione nostrâ cum fundamento in re antecedens omnem Voluntatis Divinæ Determinationem. Neque verò stare potest Divinæ substantiæ comprehensio, quin supercomprehendat omnia Eminenter in eâ contenta, atque adeò liberum arbitrium cujuscunque creaturæ à Deo producibilis. At ista creati Arbitrij supercomprehensio exigit, quòd Intellectus Divinus penetret, quid liberum arbitrium cujusque creaturæ, datâ hypothesi, quòd velit illud creare, in hoc, vel illo rerum ordine, cum his vel illis circumstantijs, aut auxilijs, pro suâ ad oppositum quoque libertate sit facturum. Ergo per scientiam Naturalem quatenùs Essentiæ Divinæ comprehensivam, & consequenter omnium causarum secundarum etiam liberarum supercomprehensivam antecedenter ad omne liberum Decretum Deus scit, quid unaquæque Causa secunda etiam libera, si ab ipso crearetur in quocumque statu, ac rerum peristasi, esset factura, vel non esset factura. Hoc autem naturaliter præscito, non potest non sciri, quid in isto rerum ordine per Voluntatis Divinæ determinationem absolutè decreto sit pro quolibet statu actualiter etiam liberè eventurum. Constat igitur, futurorum in Deo Præscientiam congruè exponi per supercomprehensionem omnis causæ secundæ ex Omnipotentiâ Divinâ possibilis.

3. Franciscus de Lugo *disp. 32. de Deo uno. c. 1. n. 4.* testatur, istam Molinæ sententiam ferè nullum etiam ex Societatis Doctoribus habuisse sectatorem.

CONCLUSIO.

PEr comprehensionem Essentiæ Divinæ quà supercomprehensivam causarum secundarum antecedenter ad suum liberum Decretum non potest Deus præscire eventus liberos, sive effectus contingenter futuros.

4. Probatur. Cujusque rei Veritas, & cognoscibilitas est secundum ipsius Esse. Ergo quod nec in se, nec in suâ Causâ habet Esse determinatum, secundùm talem determinatam Essendi rationem non est intelligibile à Divino Intellectu, utpote non potente res aliter cognoscere, quàm prout sunt à parte rei. Atqui antecedenter ad Decretum Voluntatis Divinæ nulla res extra Deum vel in se, vel in suis causis habet aliquod Esse determinatum actuale, sed est in puro statu possibilitatis, seu Indifferentiæ ad Esse, & Non Esse. Ergò pro tali statu non est ulla veritas determinata cujuscumque Futuritionis ut sic importantis aliquam Essendi determinationem sive absolutè, sive conditionate, cum actualitate quâdam supergressâ statum possibilitatis, seu Indifferentiæ; velut infra *cont. 6. & seq. art. 5. fusius demonstrabitur.* E contrario autem positâ Voluntatis Divinæ determinatione Essentia Divina in vi causalitatis, seu actionis æternæ omnes effectus extra se in tempore producendos secundum rationem actualis Existentiæ continet. 5. At Essentia Divina eatenùs est repræsentativa creaturarum, quatenùs earum Esse Eminenter, ac virtualiter in se continet. Cum igitur Essentia Divina ex vi Decreti liberi realiter formaliter sibi identificati in ratione causalitatis ad extra contineat virtualiter omnis effectûs in quovis tempore producendi Esse actualis Existentiæ; consequens est, comprehensionem Divinæ Essentiæ ita esse supercomprehensivam non tantùm Causarum secundarum, sed omnium etiam actuum liberorum, & effectuum sive naturaliter, sive contingenter futurorum, ut tamen ista supercomprehensio futurorum contingentium ab æterno fuerit in Deo non antecedenter, sed ratione nostrâ ratiocinatâ consequenter ad Decretum liberum Voluntatis Divinæ.

Responsio ad fundamenta contraria.

6. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Molinam rectè supponere in suo argumento, quod Divinæ Essentiæ comprehensio sit eatenùs supercomprehensiva creaturarum, quatenùs illæ virtualiter, seu Eminenter continentur in illâ. At si hæc virtualis continentia respectu creaturarum quà existentium, seu contingentium futurorum in Deo esset antecedens Voluntatis Divinæ determinationem, consequens esset, Existentiam creaturarum æquè fore necessariam, atque earundem possibilitatem: siquidem Essentiæ rerum quà possibiles in suâ ratione formali objectivâ secundùm prædicata sua sint eo ipso necessaria, quòd antecedenter ad Decretum Divinum sint intelligibilia ab intellectu Dei, & ut sic substantiæ Divinæ secundùm Esse objectivum participantia. Oportet igitur, Essentiæ Divinæ comprehensionem non nisi consequenter ad Decretum liberum Voluntatis Divinæ esse supercomprehensivam creaturarũ in tempore existentiũ, seu futurorum maximè contingentium. 7.

At vi hujus Decreti tanquã Causalitatis Dei ad extra omnes res in tempore futuras quoad esse reale actuale in mensurâ nõ propriâ creatæ durationis, sed alienâ Essentiæ ac Decreti Divini coexistere Deo per æternitatem, demonstratum est *supra q. 3. art. 5. cont. 3.* Cùm igitur Essentiæ Dei non quo-

ad perfectiones præcisè naturales, sed quoad liberæ determinationis formalitates comprehensio in Decreto Dei æterno tanquàm causalitate omnes creaturarum Essendi actualitates continente sit ut sic supercomprehensiva non causarum duntaxat secundarum, sed quorumlibet effectuum ab ipsis etiam liberè in tempore producendorum, consequens est, Futurorum contingentium existentiam in æternitate, sive in Decreto Dei æterno ita esse rationem eorundem in Deo Præscientiæ, ut non per nudam causarum secundarum, sed effectuum quoque liberorum in Essentiâ Dei supercomprehensionem sint futura contingentia à Deo infallibiliter præscita.

CONTROVERSIA. V.

An futurorum contingentium Præscientia Divina fundetur in Decreto Dei Absoluto consequente nostræ Voluntatis in actu primo proximo determinationem seu propensionem?

1. AFfirmat Franciscus de Lugo *sup. cont. 1. n. 3.* citatus. Fundamentum est. Ea intervenit differentia inter agens Liberum, ac Necessarium, quòd istud utpote naturaliter determinatum ad agendum, in actu primo proximo constituatur per Extrinsecam passi applicationem, vel objecti debitam propositionem. Quâ proinde positâ, totam suam exerit activitatem, ita ut ratio, cur modò intensiùs, modò remissiùs operetur, non alia sit nisi ex diversâ applicatione passi, vel objecti. Econtra verò Agens liberum habens suam vim agendi in propriâ potestate non completur in actu primo proximo per solam objecti applicationem. Hoc enim eodem modo proposito, quandoque se applicat ad agendum, quandoque non; & aliquando remissiùs, aliquando autem intensiùs. Si proinde hujus quærenda sit ratio, recurrendum erit ad intrinsecum potentiæ liberæ complementum, quod sit in a-

2. ctu primo activitatis illius applicatio. Hujus autem applicationis, seu determinationis natura indaganda est ex Primo libero, ex quo Idealiter derivatur creata libertas. Atqui istud Primum liberum seu Deus non est de absolutâ suâ potentiâ productivus ad extra determinati alicujus effectûs, nisi prius naturâ determinet indifferentiam sui actûs primi. Ista verò determinatio est Deo intrinseca, ab ejus substantiâ realiter indistincta, habens respectu actionis physicæ ad extra rationem actûs primi proximi determinati: Pari ergò ratione actus primus proximus creati arbitrij importat sui determinationem intrinsecam ad operandum, quæ tamen determinatio non realiter, sed duntaxat virtualiter distinguatur ab Entitate voluntatis habentis in se intrinsecam activitatem, & vim se determinandi. At istâ determinatione positâ infallibiliter fit actus, maximè cùm Deus tanquàm causa prima habeat Decretum absolutum, & efficax concurrendi cum nostrâ voluntate jam propensâ, & in actu primo proximo inclinatâ, seu determinatâ. Cùm igitur istud Decretum non possit frustrari suo effectu, consequens est, Deum prævidere futura libera non tantùm in propensione Voluntatis creatæ per se ipsam jam determinatæ, sed in illo quoque suo Decreto Divino.

CONCLUSIO.

DEterminatio in actu primo proximo realiter indistincta ab Entitate Voluntatis creatæ liberæ est Chimærica, nec adeò tum ipsa, tum Decretum Dei absolutum illam consequens potest Intellectui Divino Esse ratio cognoscendi futura libera.

3. Probatur. Impossibile est transire de contradictorio in contradictorium sine mutatione reali. At voluntatis creatæ determinatio formaliter tollit ejus indeterminationem. Hæc verò importat negationem determinationis, atque adeò oppositionem contradictoriam. Unde repugnat, Voluntatem Creatam de statu indifferentiæ transire ad statum determinationis, quin mutetur realiter. At omnis mutatio realis importat aliquid Entitatis distinctæ à subjecto. Hoc enim est in potentia, quæ per mutationem realem reducitur in actum; implicat autem, eandem Entitatem esse respectu ejusdem in actu & potentiâ. Ergò impossibile est, Voluntatem creatam ex statu indifferentiæ intrinsecè reduci in statum determinationis absque Entitate reali sibi superadditâ. Ergo determinatio in actu primo proximo realiter indistincta ab Entitate voluntatis creatæ ex se ad operandum indifferentis non potest utpote implicatoria Intellectui Divino esse ratio cognoscendi futura libera.

Respondebis ex Francisco de Lugo *cit. disp. 32. c. 5. n. 12.* Voluntatem Divinam ratione suæ Libertatis posse indifferentiam sui actûs Primi ita determinare per formalitatem aliquam intrinsecam realem, quin hæc superaddita sit, ac realiter distincta ab Entitate ejusdem Divinæ voluntatis. Ergò in voluntate etiam creatâ esse intelligibile, quòd de statu indifferentiæ transeat ad statum determinationis absque mutatione reali, atque adeò Entitate superadditâ. 4.

Contra. Nam Voluntas Divina nullam habet indifferentiam formalem, & propriè dictam. Hæc namque importat potentialitatem, quæ aliena est à purissimo omnimodæ perfectionis actu. Unde Libertas voluntati Divinæ formaliter inexistens importat indifferentiam quandam Eminentialem. Hæc verò in eo consistit, quòd actualissima Voluntatis Divinæ Entitas sub eâdem simplicissimâ formalitate ita sit ratio volendi, ut omnino invariata ex vi libertatis formaliter inexistentis Voluntati Dei, posset esse ratio nolendi. Quare determinatio Voluntatis Divinæ ad creandum mundum, non importat transitum aliquem de contradictorio, seu de statu indifferentiæ Formalis ac potentialis ad statum determinationis, sed mensuratur æternitate, estque ipsissima Divinæ substantiæ actualissima Essendi ratio absque ullâ potentialitatis admixtione. Econtra verò Voluntati creatæ liberæ competit formalis potentialis ac propriè dicta indifferentia tum activa contradictionis ad Exercitium actûs, vel hujus negationem, tum 5. 6.

Passivæ

passiva ad receptionem ac determinationem actûs vel ejus negationem. Ex hujus autem indifferentiæ formalis ratione fit consequens, quòd voluntas creata libera non possit in actu secundo determinari per Exercitium actûs, quin recipiat operationem physicè à se elicitam atque realiter distinctam à suâ Entitate. Hinc autem rursus fit consequens, quòd illa etiam in actu Primo Proximo determinatio, si daretur, æquè distingueretur à Voluntate creatâ, atque actûs secundi exercitium. Probatur istud assumptum. Nam ratio, cur actûs secundi exercitium debeat à Voluntate creatâ realiter esse distinctum, non est alia nisi quòd illa ad exercitium actûs indifferentia præter vim operandi, & non operandi importet formaliter aliquam potentialitatem. Hinc enim quia nihil respectu sui potest esse in potentia, sequitur, Ens in potentiâ non esse determinabile nisi per actum à se distinctum. Unde si Voluntas creata ad illam actûs Primi proximi determinationem sit in potentiâ, sequitur hanc æquè realiter distingui à Voluntate, atque ejus exercitium in actu secundo debeat esse realiter distinctum.

7. At illa Voluntatis creatæ ad actûs liberi exercitium intrinseca potentialitas concluditur ex eo, quòd Voluntas stare possit cum contradictorio, seu negatione actûs ejusmodi. Atqui positis in voluntate omnibus ex parte cognitionis, aliarumque circumstantiarum prærequisitis secundùm Franciscum de Lugo *cit. c. 4. n. 41.* ejus operandi liberam potestatem adhuc considerare licet pro duobus instantibus, in quorum posteriori habeat formalitatem actûs primi proximi determinati, non verò in priori. Ex quo fit evidens, voluntatem creatam liberam in reali instanti posse subsistere cum negatione formalitatis, per quam in actu primo proximo formaliter determinetur. Ergò æquè deberet esse in potentialitate ad istam formalitatem determinationis in actu primo proximo, quàm ad formalitatem determinationis in actu secundo.

8. At ex eo, quòd Voluntas creata libera sit in potentialitate ad actum secundum, possitque cum istius negatione componi, evincitur, Exercitium Causæ secundæ liberæ non esse ad instar Primi liberi per formalitatem à Voluntate realiter indistinctam, sed per actionem superadditam. Pari ergò ratione inferre licèt, applicationem in actu primo proximo; si, uti asserit Lugo, importet determinationem antecedentem, seu causativam liberi actûs, esse à parte rei distinctam ab Entitate Voluntatis creatæ.

9. Circa quam proinde Voluntatis per qualitatem superadditam in actu Primo determinationem eadem remaneret difficultas, in quo nimirum Motivo seu Medio Divina præscientia haberet illam in æternitate cognitam? Item ratio reddi non posset, cur pro secundo instanti voluntas creata de se indifferens haberet actum primum proximum ex se de determinatè illativum actûs secundi, nisi recurreretur ad Causalitatē Dei, tanquàm Medium cognoscendi Futuritionem tam illius proximi actûs Primi, quàm actûs etiam secundi.

10. Confirmatur: Impossibile enim est, ullum in rebus creatis esse transitum de contradictorio in contradictorium absque influxu Causæ primæ. At Voluntatem pro instanti actûs primi remoti esse indifferentem; in actu autem primo proximo esse determinatam, tradit Lugo *cit. n. 41.* In hoc autem ex statu indifferentiæ ad statum determinationis transitu proceditur de contradictorio, seu negatione determinationis ad contradictorium, ipsam nimirum determinationem. Oportet igitur, intervenire influxum Causæ primæ. De hoc autem influxu quæritur, II.
An habeat vim determinandi Voluntatem creatam, vel non? Si hoc posterius asseratur, consequens erit, posse Voluntatem creatam in actu primo transire de statu Indifferentiæ ad statū determinationis sine omni præviâ determinatione; Ergò à pari in actu secundo intelligi potest transitus de statu indifferentiæ ad statum determinationis sine antecedente voluntatis determinatione. Hoc autem adversatur Doctrinæ ejusdem de Lugo *loc. cit.* affirmantis; non posse rationem reddi, cur Voluntas in secundo instanti actûs primi proximi, seu determinationis, non autem in instanti primo actûs primi remoti sive Indifferentiæ operetur, nisi pro instanti secundo aliquid assignetur, quod non præextiterit in primo. Pari ergò ratione cur Voluntas se determinet in actu primo proximo ad hunc potiùs actum, quàm ejus negationem, vel oppositum cum tantâ intensione eliciendum, nequit dari ratio, nisi intelligatur ex parte voluntatis prævia aliqua Formalitas, quæ non præextiterit in instanti actûs primi remoti. At de istâ formalitate si non sit influxus, seu effectus Causæ primæ, 12.
sed voluntatis creatæ, eadem redibit difficultas. Si enim ista formalitas intelligatur emanare à voluntate creatâ, supponere debet aliam se priorem voluntatis determinationem, aut certè non poterit dari ratio ex parte Voluntatis, cur talem formalitatem, seu actualitatem modò in se habeat, non autem antea. Vel igitur processus erit in infinitum, vel deveniendum est ad aliquam formalitatem determinativam Voluntatis, ab istâ non emanantem. At hæc formalitas determinativa Voluntatis ab hujus libertate independens non est, nisi Motio Causæ primæ. Oportet igitur, respectu Voluntatis creatæ assignare Motionem Causæ Primæ, quæ formaliter determinet Voluntatem. De quâ proinde Causæ Primæ Motione Doctor Angelicus *1. cont. Gent. cap. 3.* in fine disserit in hæc verba: *Dominium Voluntatis super suos actus competens, per quod est in ejus potestate velle & non velle, excludit determinationem ad unum & violentiam Causæ exterioris agentis, non autem excludit influentiam superioris Causæ, quâ est ei Esse & operari, & sic remanet Causalitas in Causâ Primâ, quæ est Deus respectu Motuum voluntatis; ut sic Deus seipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit.* Constat igitur, in Causæ primæ influentiâ Voluntatis creatæ determinativâ, atque adeò in Decreto suo Divino non consequente, sed antecedente determinationem creati arbitrij infallibiliter prævideri à Deo actus ex illo Decreto tanquàm causalitate Dei formaliter immanente, ac virtualiter transeunte liberè futuros in tempore.

Ad argumentum Francisci de Lugo *n. 2.* oppositum

13. Respondetur: Agens liberū in actu 1. Essentialiter importare indifferentiam activâ Dominativam. Hanc verò determinari non per solā objecti

jecti applicationem, sed Motionem intrinsecè ac formaliter Determinativam potentiæ cum indifferentiâ tam objectivâ, quàm electivâ operantis. Hujus autem determinationis naturam ex Primo libero, à quo omnis creata libertas Idealiter derivatur, ita indagandum esse, ut tamen in Primo libero salvetur purissima Essendi actualitas; in secundis verò Liberis spectetur activitas cum admixtione potentialitatis. Ex quo proinde inferri, quòd intrinseca secundi liberi determinatio non fiat, nisi per Entitatem superadditam; cùm econtra Primum Liberum determinetur per formalitatem à substantiâ suâ realiter formaliter indistinctam. Ratio hujus illationis est. Ubi est purissima actualitas, non potest pro ullo instanti inesse aliqua negatio, sed tota Essendi ratio secundùm simplicissimam omnis formalitatis, ac perfectionis Unitatem Eminentialem inexistit per *Nunc* æternitatis omninò indivisibile, & invariabile. Econtra potentialitatis ratio infert pro aliquo reali Naturæ instanti negationem saltem logicam formalitatis, ad quam Ens est in potentiâ, quæ adeò formalitas inexistit per *Nunc* ævi, vel temporis involventis quoad substantiam, vel saltem quoad operationes variabilitatem. Vnde fit consequens, quòd Primi Liberi ceu actûs purissimi ad volendum & nolendum indifferentia sit Eminentialis, vi cuius Deus per vnam simplicissimam formalitatem in æternitate ita sit immutabiliter volens producere mundum, ut per eandem formalitatem sine ullâ variatione posset absolutè esse nolens, nec tamen haberet in se ullam negationem, se privationem. Cùm è contrà secundi Liberi indifferentia cum activitate involvens potentialitatem sit physicè componibilis cum verâ actûs negatione. At verò negatio tollitur formaliter per actum positivum, cujus Entitas non potest stare in subjecto unà cum negatione oppositâ. Est autem facultati liberæ non tantùm vis activa ad exercitium actûs, sed insuper est in potentiâ ad determinationem seu præviam suæ in actu Primo determinativa activitatis, si hæc daretur, applicationem. Oporteret igitur, hanc determinationem non esse ipsam voluntatis liberæ Entitatem, utpotè in quâ stare possit negatio, seu privatio talis determinationis. Neque verò ista determinatio posset esse ex libertate Voluntatis creatæ. Sicuti enim quærenti, Cur facultas libera hunc potiùs, quàm illum actum eliciat, ratio secundùm Franciscum de Lugo redditur ex præviâ determinatione, sic, cur Voluntas, quæ in priori instanti erat indifferens ad opposita, pro instanti posteriori liberè se determinaret ad hunc actum, ex paritate rationis recurrendum esset ad aliam antecedentem determinationem; quæ si rursus esset ex libertate Voluntatis, abiretur in infinitum. Quare sistendum tandem est in Voluntatis præviâ determinatione independente à libertate Voluntatis. Hæc autem reducenda est in Causam primam, in cujus adeò causalitate, sive Decreto absoluto, & efficaci antecedente voluntatis creatæ determinationem infallibiliter prævidet Intellectus Divinus actus liberos in tempore futuros.

CONTROVERSIA VI.

An infallibilis futurorum Absolutorum Præscientia Divina fundetur in Præscientiâ virtualis Futuritionis Decretorum Dei?

DIfficultas hîc movetur ex Fonsecâ, & Suarezio *sup. cont. 1. n. 5.* citatis. Hi namque 1.
adversùs Ochamum in *1. dist. 9. q. 3. &* Gabrielem *in 3. dist. 2. q. 1. a. 3. dub. 3. ad tertiam Scoti rationem* ex communi Theologorum consensu in Deo præsertim quoad ipsius Decreta distinguunt duo signa rationis, in quorum priori concipiatur Voluntas Divina cum necessario Increatæ suæ Bonitatis amore, sed cum indifferentiâ ad amandum objecta creabilia, ut adeò Voluntatis Divinæ determinatio, seu liberum Decretum circa objecta creata considerari debeat pro secundo, seu posteriori rationis Signo. Etsi proinde libera Dei Decreta mensurentur æternitate, quæ non admittit in re mensuratâ prioritatem, ac posterioritatem, seu futuritionem realem; attamen secundùm instantiâ rationis videtur posse concipi Deus in priori Signo cum futuritione Decretorum pro Signo posteriori existentium in ipso per liberam determinationem.

Referuntur sententiæ Doctorum. 2.

JUxta quam adeò Signorum diversitatem cum Fonsecâ & Suarezio tenent nonnulli Recentiores: Intellectum Dei antecedenter ad sua libera Decreta penetrare non solùm, quid quælibet voluntas creata, si poneretur in hac, vel illâ occasione, esset factura; vel quid ipsa Voluntas Divina pro signo posteriori sit decretura circa creaturas, atque in hâc conditionatâ tum creatæ, tum Divinæ Voluntatis actuum liberorum Præscientiâ sufficienter fundari eorundem absolutam Præscientiam.

Fundamentum est. In signo antecedente Decreta Dei libera falsa est hæc propositio: *Deus non est decreturus producere mundum.* Huic verò enuntiationi contradictoriè opponitur ista: *Deus decreturus est creare mundum.* At ex contradictorijs unam oportet esse veram, & alteram falsam. Ergò pro signo antecedente Decreta Dei libera stat Veritas illius propositionis affirmativæ. Atqui pro illo signo, in quo est objecti veritas, inexistit Deo illius Scientia. Ergò antecedenter ad voluntatis suæ determinationem præscit Deus 3.
Decreta sua libera in Signo rationis posteriori futura. Hâc verò Divini Decreti absolutè futuri præscientiâ suppositâ, intellectui cognoscenti, quid quævis Voluntas creata esset factura, si à Deo poneretur in his, vel illis circumstantijs, fiunt evidenter noti omnis effectus liberi cujusvis creatæ Voluntatis. Ergò actûs liberi in tempore absolutè futuri sunt à Deo præsciti antecedenter ad sua libera Decreta, tum in horum futuritione virtuali, tum in præscientiâ conditionatâ effectuum sub conditione futurorum.

Hæc opinio non tantùm reprobatur à Thomistis, inter quos Xantes Mariales *præs. disp. 47. c. 5.* eam vocat *Phantasiam*: sed insuper reijcitur à Vasquezio *hic disp. 65. c. 4. n. 24. & 25.* & pluribus alijs Theologis.

Conclusio.

Implicat, quòd Deus pro aliquo signo rationis prævideat sua Decreta quà futura, nec adeò pro isto voluntatis Divinæ determinationem antecedente signo intelligibile est, quòd Intellectus Dei prævideat creati arbitrij actus liberos tum in futuritione Decretorum Dei, tum in futuritione, seu Præscientiâ conditionatâ liberorum effectuum.

4. Probatur. Futurum ut sic connotat aliquam durationis mensuram. At Deus circa suum Decretum absolutum non potest intelligere aliam mensuram, nisi æternitatis: in hanc verò, atque adeò Decretum Dei æternum non cadit futurum, attestante D. Thomâ *q.6. de Verit. a.3. ad 10. quòd actus prædestinationis, cùm mensuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, sicut nunquam est futurus, sed semper consideratur ut egrediens a Voluntate per modum libertatis.* Consequens igitur est; Deum nunquam cognoscere sua Decreta quà futura.

5. Respondebis. Etsi æternitas sit formaliter *Nunc* indivisibile, in quod non cadit præteritum, ac futurum, attamen ratione suæ infinitatis esse virtualiter divisibile. Hanc vero divisibilitatem virtualem competere æternitati non tantùm in comparatione ad durationes rerum creatarum, quas suo ambitu complectitur, sed etiam in comparatione ad formalitates Deo intrinsecas. Probatur istud assumptum. Nam inter has una ita mensuratur æternitate, ut sit naturalis, & necessaria, alia verò, etsi æterna, est tamen libera. At secundùm prioritatem rationis cum fundamento in re consideratur per priùs inexistere Deo formalitatem naturalem, quam liberam; Ergò pro signo, in quo intelligitur Divina perfectio naturalis, verificatur de formalitate Dei liberâ, esse futuram, atque adeò ab intellectu Divino penetrante in quolibet signo omnem Veritatem, cognoscitur quà futura.

6. Contra. Nam illa prioritas rationis fundatur in eo, quòd possimus cognoscere Divinam substantiam cum perfectione naturali in se actualissimè subsistentem, remotâ qualibet formalitate liberâ: cùm econtra sublatâ per intellectum nostrum perfectione necessariâ tollatur Divinæ substantiæ infinita actualitas. Ex hoc autem fundamento fit, quòd formalitas Dei libera neque dici queat præsens, neque futura pro illo signo, in quo per prius consideratur perfectio Divina naturalis. Probatur istud Assumptum. Signa rationis circa Deum importani objectivas Divinarum formalitatum præcisiones. Ex vi autem hujus præcisionis objectivæ est, quòd formalitas Dei libera ex parte objecti non attingatur pro illo signo, in quo per prius consideratur perfectio Dei naturalis: repugnat autem, formalitatem Dei liberam considerari sive ut futuram pro rationis signo, in quo ex parte objecti non attingitur ab Intellectu.

7. Confirmatur. Una Dei perfectio dicitur ratione nostrâ prior, quæ independenter ab alterâ, vel cum hujus remotione est verè cognoscibilis: econtra verò dicitur posterior formalitas Dei, quæ in cognoscendo est dependens ab alterâ priori. Hæc autem dependentia cognitionis ex eo dignoscitur, quòd priori formalitate sublatâ per intellectum nostrum, saltem mediatè in vi legitimæ Consequentiæ destruatur Divina substantia, atque adeò omnis etiam libera Dei formalitas: cùm econtrà hâc negatâ de Deo, non sit consequens, Divinam Substantiam non esse actualissimè in se subsistentem. At ista cognitionis inter formalitates Divinas dependentia pro signo rationis, in quo perfectio Dei naturalis cognoscibilis est, non arguit aliquam Decreti Divini Futuritionem.

Probatur istud Assumptum. Nam ratio, cur sublatâ aliquâ perfectione Dei naturali, per consequentiam legitimam saltem mediatè tollatur omnis etiam libera Dei formalitas, in eo consistit, quòd eo ipso tunc negetur de Deo purissima, & omnimodè infinita Essendi actualitas; cùm tamen ista possit intelligi, quatenus in se subsistens, quàvis licèt negatâ liberâ Dei formalitate, seu Decreto. At tota hæc Consequentiæ ratio nihil importat de futuritione Decreti Divini quà comparati cum perfectione Dei naturali. 8.

Probatur hoc assumptum. Nam futuritio in ratione objectivâ importat diversitatem realem durationum cum relatione ad superiorem mensuram. At illa consequentiæ ratio fundatur in ratione perfectionis quà naturalis, & purissimæ actualitatis, in cujus conceptu, si quæ involveretur duratio, non esset alia, nisi æternitatis. Hæc autem perfectionum Dei ad intra est unica, & indivisibilis mensura. Cùm igitur futuritio importet diversitatem realem durationum, quarum respectu superioris mensuræ fit inter se comparatio, consequenter æternitatis divisibilitas virtualis, seu Eminentialis differentiarum temporis continentia non potest esse fundamentum alicujus futuritionis formalitatum Dei, quatenùs in se præcisè ad intra considerantur: sed prout comparantur cum tempore, juxta quam comparationem substantia Divina *Est*, *Fuit*, *& Erit*, cùm tamen in se secundùm omnes formalitates non habeat, nisi unicum Essendi *Nunc* absque ullâ variationis successione. Etsi proinde Decreta Divina secundùm aliquod signum rationis per posterius conveniant Deo, quàm perfectiones ejus naturales, tamen rationis posterioritas non importat futuritionem, sed dependentiam Consequentiæ, juxta quam Decreta Dei Libera ex vi Consequentiæ necessariæ præsupponunt Divinæ Substantiæ omnimodam actualitatem, ac infinitam perfectionem. 9.

Ad n. 2. oppositum respondetur:

Negando Majorem. Nam ista propositio: *Deus non est decreturus producere mundum*, æquivalet huic: *Non est futurum Decretum Dei liberum de producendo mundo.* At eo ipso, quòd à parte rei nulla in Decretum Dei æternum cadat futuritio, verum est, quòd Divinum Decretum non sit pro illo signo verè futurum: Unde etiam fit consequens, pro signo antecedente Decreta Dei libera non stare veritatem istius Affirmativæ: *Deus est decreturus creare mundum.* Etenim illud Decreta Dei libera antecedens signum importat formaliter præcisionem objectivam perfectionis Dei quà naturalis. At non potest subsistere ulla propositio etiam de futuro, nisi pro tunc ex parte objecti attingat intellectus subjectum, de quo sit for- 10.

sit formæ alicujus prædicatio. Implicat ergò in illo signo antecedente, in quo ex parte objecti abstrahitur, atque adeò non attingitur Decretum Dei, de hoc pro tunc verificari, quòd sit futurum.

CONTROVERSIA VII.

An Præscientia Futurorum Divina fundetur in futuritione absolutâ, vel Præsentialitate, ac Entitate ipsorum.

1. HÆc quæstio partim tangit sententias Suarezij *sup. cont. 2. n. 6. & 7.* recensitas: coincidunt enim hæc duo, quòd futuris ut sic insit aliqua cognoscibilitas; & quòd in statu futuritionis habeant determinatam Veritatem, quæ in se immediatè attingatur ab Intellectu Divino.

Referuntur sententiæ Doctorum.

2. CUm proinde difficultas ista *præs. art. 4. cont. 2.* discussa fuerit, restat unicum ex Theophylo Raynaudo *art. 2. n. 28.* petitum argumentum hîc examinare, quod ita se habet. Ut aliquid nomen *rationis primæ formalis* obtineat respectu Notitiæ Divinæ, necesse tantùm est, competere ei veram cognoscibilitatem per se, & non vi alterius attingibilem; seu necesse est, esse rationem objectivam non substratam anteriori alicui rationi formali, ad quam ipsa habeat se ut ratio materialis, & objectum duntaxat Terminativum. Atqui utraque hæc conditio competit Esse actuali Futurorum tum necessariorum, tum liberorum: nam tale Esse nullam habet rationem anteriorem cognoscendi, cui substernatur. Item tale Esse cùm sit determinatè verum, & reipsâ exiturum, ac corresponsurum alicui temporis differentiæ, induit necessitatem quandam hypotheticam, ratione cujus est idoneum fundamentum notitiæ certæ & infallibilis, quia ex suppositione futuritionis tam necesse est, fore quod erit; quàm Esse; quod est, vel fuisse, quod fuit. Ergò sicut notitia affirmans, quod est, esse, & quod præterijt, præteriisse, & cognitio rem coram intuens in se ipsâ, vel recognoscens ipsum præteritum in se ipso infallibilis est, & nixa fundamento necessario; ita notitia tendens in futurum, quatenùs supponitur futurum, nutare non potest, perinde enim est, ac si esset præsens, ut propterea D. Thomas *1. cont. gent. c. 67.* affirmet, futura videri ut præsentia; & alibi asserat: *Fundamentum illud, quod quærimus, esse præsentiam objectivam rei cognitæ.*

3. Huic Sententiæ adversatur Franciscus Amicus *cit. cont. 1. n. 9.* relatus, qui tamen *præs. disp. 12. sect. 5. n. 99.* docet, factâ suppositione, quòd res per propositionem enuntiata sit habitura existentiam in aliquâ temporis differentiâ, propositionem fieri determinatè veram, etsi Veritas hæc non possit esse prima ratio cognoscendi Futurum, cùm propositio de futuro nequeat esse determinatè vera, ac certò cognoscibilis, nisi quatenus supponit illud pro aliquâ temporis differentiâ in suo Esse, ac determinatâ Præsentialitate. Fundamentum hujus ab eodem Authore *cit. disp. 12. sect. 9.* exponitur. Nam formalis certitudo Intellectionis supponit certitudinem objectivam. Ergo quamdiu futurum non transit à statu contingentiæ ad statum necessitatis, non est certò cognoscibile. At tunc transit, quando sublatâ indifferentiâ Causæ determinatur per Essendi rationem formaliter sibi communicatam. Hæc autem Essendi ratio est rei existentia in propriâ suâ præsentialitate; quâ suppositâ, est hoc ipso res futura intra ambitum æternitatis, utpote quæ omninò invariabilis tota simul indivisibiliter existens ambitu suo continet quaslibet res habentes in tempore præsentialitatem. At cùm Intellectio Divina mensuretur æternitate, oportet res ejusmodi in temporis præsentialitate determinatam Essendi rationem habentes esse intra sphæram Divinæ cognitionis: Quidquid autem est intra hujus sphæram, ab æterno cognoscitur à Divino Intellectu. Ergò ex eo, quòd res in tempore futuræ pro aliquâ temporis differentiâ habeant propriam præsentialitatem, ac determinatam Essendi rationem, sunt ab æterno cognoscibiles à Divino Intellectu. In hâc igitur propriâ rerum præsentialitate, seu Entitate præscit Deus futura contingentia, attestante D. Thomâ *præs. q. 14. a. 13.* quòd *Dei intuitus feratur ab æterno super omnia, prout sunt in suâ præsentialitate.*

CONCLUSIO.

CErtitudo Divinæ Præscientiæ non potest ultimatè reduci in futuritionem seu præsentialitatem, ac Entitatem propriam rei creatæ.

Probatur. Futurum, secundùm quod in se ipso est actu, intelligitur quà præsens. Ergò 4. formaliter quà futurum contingens consideratur nondum determinatum ad unum, sed prout est in suis Causis contingentibus se habentibus ad opposita. ex S. Thomâ *cit. q. 14. a. 13.* At ut sic non subditur contingens per certitudinem alicui cognitioni. ex eod S. Doctore *cit. a. 13.* oportet igitur, certitudinem cognitionis de futuris contingentibus reduci in certitudinem aliquam objectivam, uti arguit etiam Amicus *hîc a. 2.* Atqui Certitudo est necessitas Veritatis. Veritas autem est secundùm Esse. Unde Certitudo objectiva est secundùm necessitatem Essendi. At nihil præter Deum est absolutè in existendo necessarium: creaturæ autem existunt necessariò ex solâ existentiæ hypothesi, quatenùs omne quod est, dum est, necesse est Esse. ex Arist. *1. Periher. c. 6. ad finem.* & S. Thomâ *cit. a. 13. ad 3.* At licèt positâ creaturæ existentiâ, pro tunc necesse sit, esse creaturam; illa tamen suppositio ac hypothesis ex parte rei, ac objecti formaliter importat creaturæ Entitatem sub statu Existentiæ, ac propriæ præsentialitatis. Hæc autem non est intrinsecè necessaria: Ergò oportet, intrinsecè esse contingentem; quia *Necessarium, & Contingens* adæquant Ens, quod consequuntur formaliter sub ratione Entis. ex S. Tho. *1. p. q. 23. a. 4. ad 3.* Cùm proinde hypothesis existentiæ, ac præsentialitatis creaturarum, sub quâ ut sic necesse est existere creaturas, ex parte rei, seu objecti importet Entitatem, seu existentiam ac præsen-

præsentialitatem intrinsecè contingentem, consequenter illius hypothesis ex parte rei secundùm se considerata non est aliqua certitudo objectiva. Oportet igitur, hypothesi illi, seu præsentialitati creaturarum convenire certitudinem objectivam non secundùm Esse, quod habent in se ipsis, sed prout secundùm suam præsentialitatem sunt in Intellectu Divino. ex S. Tho. *cit. a. 13. ad 3.* At creaturæ secundùm propriam præsentialitatem subsunt Intellectui Divino, eò quòd huic ratione suæ æternitatis sint præsentia. ex

5. eod. S. Doctore *3. cont. gent. c. 154.* Hæc autem rerum in æternitate præsentia est secundùm actionem Dei æternam, quæ in ratione causalitatis Deo intrinsecæ continet actualem earumdem existentiam, vi cujus adeò continentiæ, seu causalitatis dicuntur res creatæ existere in æternitate non secundùm propriam, & intrinsecam durationis mensuram, sed *Denominativè* tanquàm termini illius causalitatis, & actionis æternæ. *uti sup. q. 3. a. 5. cont. 3.* demonstratum est. At ista causalitas, seu actio æterna importat formaliter Voluntatis Divinæ Decretum, juxta il-

6. lud: *Quæcumque voluit, fecit.* Cùm proinde intuitus Dei secundùm certitudinem Metaphysicam feratur in res futuras in suâ præsentialitate, quatenùs per actionem æternam, & causalitatem Deo intrinsecam, sive per Decretum Divinæ Voluntatis sunt in æternitate præsentia, consequens est, non ipsam Futurorum propriam Entitatem, ac præsentialitatem, sed voluntatis Divinæ Decretum, seu æternam Deo intrinsecam actionem esse rationem formalem, in quam reducitur Certitudo Præscientiæ Divinæ.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

7. AD *n. 2.* oppositum Respondetur: Concessâ Majore: negando Minorem. Tum quia res futura ita habet in suâ præsentialitate determinatam Essendi, atque adeò veritatis rationem, ut hæc tamen sit Entitas intrinsecè contingens. At certitudo cognitionis non potest reduci in objectum contingens tanquàm formale Motivum: Oportet enim scibile ex vi causæ, seu rationis Motivæ non posse aliter se habere. ex Aristot. *1. poster. c. 2.* Unde fit, quòd, licèt res creata ex hypothesi futuritionis seu existentiæ sit necessariò futura, vel existens, nequeat tamen ista hypothesis, utpote ex parte rei, seu objecti importans Entitatem intrinsecè contingentem esse objectum Motivum Præscientiæ Divinæ omninò,

8. ac Metaphysicè certæ. Tum quia sicuti formæ est, dare speciem, sic Motivi formalis tanquàm primi Intellecti est secundùm Angelicum Doctorem *præs. q. 14. a. 5. ad 3.* Terminativè specificare. At specificationem formalitatis Divinæ utpote infinitæ non posse reduci in Entitatem finitam etiam quà terminum, seu objectum, constat ex dictis *supra præs. q. 5. a. 2. cont. 1.* Cujus ratio desumi potest ex Ferrariensi *cit. c. 47. contra gentes.* Nam inter Scientiam Divinam, & rem scitam oportet esse adæquationem, cùm de ratione veræ cognitionis sit adæquatio. At inter variabile, & invariabile nulla est adæquatio, Atqui omnis res creata, quatenùs secundùm statum existentiæ mensuratur tempore, est intrinsecè contingens, ita, ut licèt pro illo instanti, in quo est, non possit non esse, atque adeò in sensu composito sit pro tunc necessitate immutabilitatis necessaria, attamen in sensu diviso secundùm se prout mensuratur tempore, maneat intrinsecè variabilis. Quare res creata in Esse scibilis eatenùs duntaxat commensuratur scientiæ Divinæ, prout est in æternitate, vi cujus, sicuti Dei scientia, sic res scita immutabiliter existit. At ratio, vi cujus res creata dicitur esse in æternitate, est actio æterna, seu Causalitas Deo intrinseca ad Entitatem in tempore producendam physicè terminata. Hæc proinde, non autem Entitas creata, est ratio Motiva ac specificativa Divinæ Præscientiæ.

Ad *n. 3.* Oppositum Respondetur. Res creatas per existentiam sibi formaliter communicatam ita transire de statu indifferentiæ ad determinatum Essendi statum, ut tamen absolutè, & in se sint Entia intrinsecè contingentia; & vi propriæ tempori commensuratæ præsentialitatis mutabilia. Cùm proinde Variabile non possit adæquari cum Scientiâ Divinâ ratione mensuræ æternitatis omninò invariabili, consequens esse, quòd res creatæ secundùm se non sint in ratione objecti Motivi, ac Specificativi intra Sphæram Divinæ cognitionis, nisi quatenus Entitas ipsarum, ac propria præsentialitas vi actionis æternæ, & causalitatis Deo intrinsecæ secundùm Esse suum actuale contenta, in virtute Divinæ Substantiæ, mensuratur ut sic æternitate. Ergò Intuitum Dei ab æterno ita ferri super omnia, prout sunt in suâ præsentialitate, ut tamen ista præsentialitas, & propria creaturarum Entitas habeat rationem objecti duntaxat materialis; actione Dei æternâ se habente per modum objecti formalis per identitatem realem formalem specificantis Divinam Præscientiam, uti ex S Doctore *superiùs est* ostensum. 9.

CONTROVERSIA VIII.

An Certitudo Divinæ Præscientiæ ex pluribus rationibus quasi partialibus desumatur?

DOctor Sorbonicus Ysambertus *sup. cont. 1. n. 13.* adductus affirmat, Divinæ Præscientiæ certitudinem desumi tanquàm ex rationibus partialibus tum ex hypothesi determinationis causarum secundarum; tum ex Suppositione existentiæ Futurorum, tum ex Divinâ Essentiâ in ratione Causæ particularium effectuum, istos objiciente Divino Intellectui; tum denique ex vi cognitionis Divinæ quà supercomprehensivæ Voluntatis Divinæ. 1.

Has quatuor rationes idem Sorbonicus Doctor *ad præs. q. 14. disp. 7. a. 13. usque ad 19.* reducit ad tria requisita. Primum duas priores proximè expositas rationes involvens est objectum se se objiciens intellectui, ut infallibiliter tale. Secundum ex tactis rationibus quartam exponens, est vis intellectiva proportionata tali objecto. Tertium ferè coincidens cum tertiâ ex illis rationibus partialibus est, quòd intelligens penetret connexionem Attributi cum subjecto, fore infallibiliter pro eâ temporis differentiâ, quæ impor- 2.

importatur in enunciatione formatâ de tali objecto.

Referuntur Ysamberti fundamenta.

3. Fundamentum primi requisiti ab eodem Authore *cit. disp. 7. a. 14.* ita ferè deducitur. Quando causæ secundæ futurorum liberorum ita se determinant ad ea producenda, vt re ipsâ producant, tunc de facto transeunt effectus liberi ad actum propriæ existentiæ. At ex hujus suppositione est certitudo effectûs liberè futuri, quia in tali hypothesi effectus iste habet aliquam necessitatem Essendi: Ergo pro tunc habent sufficientem certitudinem pro actu cognitionis requisitam ex parte objecti comparati cum intellectu habente lumen perfectissimum, & actualem cognitionem perfectissimam. Cùm igitur ex parte Dei detur perfectissimum lumen, & perfectissima actualis cognitio, quam nullum objectum cognoscibile superare potest, consequens est, libera illa contingentia absolutè futura habere comparatione cognitionis Divinæ sufficientem certitudinem, quanta requiritur ex parte objecti, vt objectum est.

4. Secundum pro Divinæ Scientiæ certitudine requisitum à dicto Doctore *cit. disp. 7. a. 17. & 18.* probatur: Nam Intellectus Divinus in ratione actualissimæ intellectionis est infinitus, & invariabilis. Ex hâc autem ratione infinitæ, & invariabilis intellectualitatis arguitur non tantùm comprehensio Essentiæ Divinæ, sed etiam supercomprehensio invariabilis importans æternam & infallibilem actuum liberorum non tantùm possibilium, sed re ipsâ in tempore existentium in Essentiâ Divinâ quà eorum causâ actuali cognitionem. Constat igitur, ex eo, quòd intellectus Dei sit proportionatus ad actualissimam comprehensionem suæ Essentiæ Divinæ, esse etiam proportionatum ad invariabilem omnis effectûs creati etiam liberi in suâ Essentiâ tanquàm Causâ supercomprehensionem.

5. Tertium requisitum fundatur in eo, quòd in Agente prudentissimo, & omniscio scientia, & Volitio efficax sibi correspondeant, quia non est agens tantùm per voluntatem, sed etiam per intellectum, uti deducit citatus Doctor Sorbonicus *præs. a. 19.* At Deus habet ab æterno omnipotentissimam Voluntatem ad faciendum, ut quævis Voluntas creata exerceat tali tempore actum suæ ad Deum conversionis, consentiendo liberè, sed insuperabiliter, & indeclinabiliter efficaci gratiæ vocanti. Unde Deus penetrando vim, & efficaciam suæ gratiæ vocantis libero arbitrio creato in æternitate præparatæ, in hâc, & Voluntate creatâ quà sibi Deo summè subjectâ certò, & infallibiliter cognoscit consensum liberum pro tali temporis differentiâ: At ista Divinæ futurorum liberorum Præscientiæ infallibilitas non potest reduci in Scientiam Mediam futurorum conditionatorum: Tum quia juxta S. Augustinum, aliosque SS. Patres, nec non sacras Litteras Deus in opere Prædestinationis, & aliorum gratiæ beneficiorum dispensatione nullo modo utitur hâc scientiâ Mediâ utpote ad hoc inutili, imò arguente imperfectionem in eo, qui operatur ex illâ, uti præfatus Doctor citatus demonstrat. Tum quia S. Augustinus disputando contra Pelagianos semper refundit futuritionem actuum liberorum in Omnipotentiam Divinæ Voluntatis utentis his, & istis medijs potentissimis, habentibus ab intrinseco summam suam efficaciam. Oportet igitur, rationem cognoscendi ejusmodi futura liberè contingentia reducere in Volitionem Dei efficacem, seu Essentiam Divinam quà actualem futurorum causam.

Cujus ratio à sæpe citato Doctore *præs. a. 16.* ita deducitur. Nam quodlibet objectum unicâ tantùm cognitione necessariâ invariabili, & perfectissimè comprehensivâ immediatè cognoscibile non se ipsum dundaxat objicit, & manifestat, sed facit cognosci unumquodque habens ad se intrinsecam habitudinem pro omni eâ conditione, quam hoc secundarium objectum habet. At qui Essentia Divina, ut actualis Causa omnium, quæ sunt ad extra, est immediatè objectum unicâ tantùm cognitione necessariâ invariabili, & perfectissimè comprehensivâ cognoscibile ipsi Deo per scientiam Visionis. Omnia verò & singula quæque futura libera contingentia habent intrinsecam habitudinem ad Essentiam Divinam spectatam in ratione actualis Causæ ad extra. At Esse futurum, Esse præsens, & Esse præteritum sunt conditiones aliquæ convenientes ipsis contingentibus pro diversis temporis differentijs. Ergò Essentia Divina immediatè cognita in ratione Causæ actualis omnium, quæ sunt ad Extra, simul etiam objicit Deo ipsi cognoscenda omnia, & singula futura libera contingentia secundùm quamlibet sui conditionem, scilicet Futuri, Præsentis, & Præteriti. 6.

CONCLUSIO.

Ad Præscientiam Divinam Futurorum Intellectio Dei quà supercomprehensiva Voluntatis creatæ se habet tanquàm lumen actualissimum penetrans Futura contingentia in se ipsis, & in causis suis, ita tamen, ut ejusmodi futurorum existentia, ac determinatio causarum secundarum se habeat per modum objecti duntaxat materialis, Essentiâ Divinâ, quatenùs actuali Causâ sive causalitate Dei intrinsecâ, quæ ut sic in prædicationibus de futuro contingenti connexionem prædicati cum subjecto virtualiter, seu causaliter continet, se tenente per modum objecti Formalis & rationis Motivæ. 7.

Explicatur, & probatur. Ad Intellectionem duo concurrunt, Lumen nimirum intellectuale, & objectum in Esse intelligibili. At Lumen intellectuale in Deo est purissimus actus excludens formaliter omnem potentialitatem. Ergò non est instar potentiæ intelligendi, sed actualissima infinita intellectio. At lumen intellectuale præcisè ex vi suâ non est expressivum objecti, nisi quà fœcundatum ab objecto secundùm Esse ipsius intelligibile. Hoc autem objecti Esse intelligibile non est fœcundans intellectum, nisi quatenùs est huic intentionaliter unitum. At eo ipso, quòd Lumen intellectuale in Deo sit infinita purissima actualitas, non potest objecti Esse intelligibile sibi habere conjunctum per informationem 8.

tionem, seu unionem, sed per realem formalem identitatem. Nequit autem in Deo esse ulla formalitas, quin formaliter sit Essentia Divina; imò hujus Esse, atque Intelligibilitas est formalissimè omnis formalitatis Deo inexistentis Esse, ac Intelligibilitas. Oportet igitur Esse intelligibile, sive speciem intelligibilem, prout est fœcundans intellectum Dei, esse ipsammet Divinam Essentiam, ejusque formalissimam Intelligibilitatem. At Essentia Divina sub ratione speciei infinita non potest ut sic esse per se primò repræsentativa ullius objecti quà proportionati, & commensurati, nisi formaliter importet Esse in ratione intelligibilitatis infinitum. Est autem objectum per se primò proportionatum intellectioni Formale hujus Motivum. At quia Intelligibilitas, seu Cognoscibilitas est secundùm Esse, nequit ullum objectum in ratione Intelligibilis esse infinitum, nisi habeat Esse infinitum, quod est ipsissima Essentia Divina. Hæc autem est virtualiter, atque Causaliter continens Esse actuale Futurorum, quatenus habet rationem Causæ actualis ad Extra. Est autem hæc actualis Causæ ratio in Deo secundùm voluntatem, sive Decretum liberum. Ergò objectum formale, seu ratio motiva cognoscendi has Futurorum existentias est Essentia Divina quatenus in vi Decreti Efficacis habet rationem Causalitatis rerum ad extra effectricis. Ergò determinatio Causarum secundarum, & futurorum Existentia se habent ad Intellectionem, seu Præscientiam Divinam per modum objecti duntaxat materialis, ac Terminativi.

9. Confirmatur hic Discursus noster ex Doctrinâ Angelici Doctoris. Nam species intelligibilis intellectûs nostri in hoc differt à specie intellectûs Divini, quòd ille speciem intelligibilem abstrahat à principijs individuantibus: Unde species intelligibilis intellectûs nostri non potest esse similitudo principiorum individuantium, nec adeò intellectus noster cognoscit singularia. Econtra species intelligibilis Divini Intellectûs est Dei Essentia, quæ non est immaterialis per abstractionem, sed per se ipsam, estque principium existens omnium principiorum quæ intrant rei compositionem, sive sint principia speciei, sive individui: Unde Deus per eam cognoscit non solùm Universalia, sed etiam singularia. *ex præs. q. 14. a. 11. ad 1.* Ex quo patet, Essentiam Divinam esse speciem singularium omnium, atque adeò futurorum contingentium in suis proprijs existentijs, ac individuationibus repræsentativam. At in Deo species intelligibilis est omnino idem cum Primo intellectu, atque adeò formali objecto, seu ratione motivâ. *ex cit. q. 14. a. 4.* Ergò primum objectum, atque adeò formale Motivum, seu ratio in Deo intelligendi Futura contingentia est Divina Essentia. *ex a. 5. ad 3.* Et *cit. a. 11. in corp.* ubi Sanctus Doctor: *Cum enim,* ait, *Deus sciat alia à se per Essentiam suam, in quantum est similitudo rerum, seu principium activum earum, necesse est, quòd Essentia sua sit principium sufficiens cognoscendi omnia, quæ per ipsum fiunt, non solùm in universali, sed etiam in singulari.*

***

Responsio ad fundamenta Ysamberti proposita.

Ad *n. 3.* propositū: R̄. Ex hypothesi Existentiæ habere futura contingentia Essendi necessitatem, atque adeò certitudinem hypotheticam, quæ tamen ex parte rei futuræ ultimatè reducatur in Entitatem intrinsecè contingentem. Quocirca ut proportionetur Intellectioni Divinæ, ejusque plus quàm Metaphysicæ certitudini, oportere illam Existentiæ hypothesin reducere in Essentiam Divinam, ejusque supereminentialem certitudinem, ita, ut huic tanquàm Causalitati æternæ per modum termini substando se habeat ad Intellectionem Divinam instar objecti materialis, ac Terminativi, Essentiâ Dei se tenente per modum objecti Formalis, seu rationis Motivæ. 10.

Ad *n. 4.* propositum Respondetur: Optimè subsistere illum Doctoris Sorbonici discursum; ex quo evinci, quòd cum sale intelligendus sit ejusdem *præf. disp. 7.* Articulus secundus, ubi negat Decretum Divinæ Voluntatis prædefiniens futura libera, sive Intellectûs Divini Ideas Decretum Dei liberum etiam consequentes esse primam, saltem adæquatam rationem Divino Intellectui certò & infallibiliter cognoscendi futura ejusmodi. Nam idea objectiva in Deo est ipsius Essentia quatenùs repræsentativa creaturarum. Ex Ysamberto *infra ad q. 15. a. 2. propos. 3.* Est autem Essentia Divina futurorum liberorum repræsentativa non antecedenter ad determinationem suæ Divinæ Voluntatis, sed prout formaliter includit liberum suum Decretum. At ex hoc ipso, quòd Deus habeat ab æterno Omnipotentissimam Voluntatem ad faciendum, ut voluntas creata exerceat in tempore actum aliquem liberè, & tamen indeclinabiliter, & insuperabiliter, oportet huic volitioni omnipotentissimæ correspondere certam futuri liberi Scientiam. *ex eod.* Ysamb. *cit. disp. 7. a. 19.* Ergo sicuti futuritio actuum liberorum à proximè citato Doctore refunditur in Omnipotentiam Divinæ Voluntatis; sic ejusdem futuritionis Præscientia reducitur in Efficaciam Decreti Divini, sive Essentiam Dei, prout habet rationem Decreti liberi, atque Ideæ Futurorum determinatè repræsentativæ. Ergò Decretum Dei liberum, & Idea Dei objectiva est intellectui Divino ratio cognoscendi Futura cum respectu tamen ad Voluntatem creatam quà liberè in tempore exercentem suos actus; tametsi hoc exercitium Voluntatis creatæ se habeat respectu Intellectionis Divinæ per modum objecti duntaxat Materialis. 11. 12.

Ad *n. 5.* Propositum Argumentum Respondetur: Approbando totum illum discursum, sed tamen adijciendo, quòd Doctor ille Sorbonicus, dum asserit, Essentiam Divinam quà Causam actualem rerum ad Extra objicere futura libera, hoc ipso adstruere præsentiam rerum creatarū in æternitate, prout à nobis *sup. q. 3. a. 5. conf. 3.* explicata fuit. Nam actio realis denominat effectum quoad physicam, seu realem existentiam. At Divina Essentia est Causa actualis rerum ad Extra per actionem æternam, & causalitatem intrinsecam sibi realiter formaliter identificatam. Hæc igitur in æternitate denominat Esse physicum Existentiæ realis creaturarum in 13.

tempore futurarum. At inter actionem, & mutationem, seu productionem passivam ea est differentia, quòd illa non constituat effectum simpliciter productum; hoc enim suppositâ productione activâ in actu exercito fit per productionem passivam. Quare actio Dei æterna effectus in tempore futuros denominat in æternitate præsentes duntaxat cum addito *in alienâ actionis Dei æternæ Mensurâ.* Hoc verò additum Diminuens denotat, quantum ex parte agentis, esse in æternitate causalitatem effectuum ad Extra in tempore producendorum, etsi adhuc desit productio passiva, vi cujus in actu exercito educitur effectus extra causas, incipitque existere in propriâ durationis mensurâ. Cùm igitur Ysambertus *cit. disp. 7. a. 16.* asserat, Essentiam Dei quà causam actualem rerum ad Extra, istas quoad proprias existentias objicere Divino intellectui, consequenter in Deo admittit causalitatem futurorum, vi cujus, quantum est ex parte Dei, seu causalitatis activæ in tempore futuræ denominantur in æternitate præsentes. At hæc ipsa causalitas Essentiæ Divinæ identificata est ratio cognoscendi futura. *ex eod. loc. sæpe cit.* Ergo non est, cur iste Doctor Sorbonicus neget, præsentiam rerum in æternitate esse Intellectui Divino rationem cognoscendi futura contingentia, nisi quòd illam futurorum in æternitate præsentiam minùs rectè intellexerit.

CONTROVERSIA IX.

An præsentia rerum in æternitate, seu mensura actionis Dei æternæ sit ratio; Cur Divina Futurorum contingentium Præscientia sit certa, & Intuitiva?

1. PLerique extra Thomistas hujus dubij suppositum negant, nixi eo potissimùm fundamento, quòd realis rerum creatarum in æternitate præsentia importet intrinsecam creaturarum existentiam in se ipsâ mensuratam æternitate: nequeat autem hæc realis intrinseca creaturarum existentia juxta veram fidem salvari.

2. Verùm ad ejusmodi in æternitate tanquàm alienâ extrinsecùs denominante mensurâ præsentiam non requiri existentiam creaturarum in actu exercito, usè probatum est *sup. q. 3. a. 5. cont. 3.* Nam sicuti Essentiæ rerum sunt ab æterno quoad Esse Objectivum *Non repugnantiæ*; Hoc autem Esse objectivum importat realem Creaturarum Entitatem non in propriâ durationis mensurâ, sed quà extrinsecè denominatam à mensurâ Scientiæ simplicis Intelligentiæ, & Omnipotentiæ Divinæ in æternitate attingentis illud Esse creaturarum tanquàm terminum intelligibiliter derivatum à Scientiâ simplicis Intelligentiæ, ac physicè derivabilem ex Dei omnipo-

3. tentiâ. Sic actio rerum in tempore productiva est æterna, inexistens Divinæ substantiæ per modum Causalitatis intrinsecæ realiter eidem identificatæ. Hæc verò actio Dei æterna non est cognoscibilis sine termino. At iste terminus est Esse actuale Existentiæ creaturis in tempore per productionem passivam in actu exercito communicandæ. Est autem actionis natura, quòd terminum denominet in Esse producti. Ergò illa actio Dei æterna denominat Esse actuale creaturarum in Esse producti, non quidem secundùm propriam, sed alienam æternitatis mensuram.

Quod sanè videtur subodoratus subtilis Scotus *in 1. dist. 13. q. 5. n. 9.* ubi arguit, *si sessio mea futura non tantùm, quantum ad Entitatem, quam habet in Esse cognoscibili, sed quam habet in Esse Existentiæ, esset nunc præsens æternitati. Ergo nunc esset producta in illo Esse à Deo.* Etenim ista Consequentia ita tenet, ut ne quidem consequens in sensu à nobis intento & Doctori subtili satis noto censeri debeat absurdum, maximè cùm idem Doctor *in 4. dist. 13. q. 7.* Productionem activam dicat esse in agente, productionem verò passivam in producto; possèque ex hâc utrâque productionis ratione aliquid denominari productum. Ex hoc enim adversùs 4.

Scotum, ejusque sequaces argumentari licet. Si productio activa rerum creatarum est in Deo, oportet esse æternam. At de ratione productionis est respicere terminum secundùm Esse actuale Existentiæ; neque vero ex vi productionis æternæ potest Esse actuale creaturarum denominari productum in aliâ, quàm ipsiusmet actionis æternæ mensurâ; in hoc enim differt à productione passivâ, quæ constituit rem in actu exercito productam pro mensurâ ipsius rei productæ propriâ. Vnde etiam fit, quòd per formalitatem præcisam productionis activæ non dicatur res simpliciter producta, sed cum addito diminuente *in mensurâ durationis actioni, non autem rei productæ propriâ.* Patet proinde, Futura secundùm mensuram actionis Divinæ posse denominari præsentia in æternitate, quin simpliciter in actu exercito dicantur existere.

Vnde illius Quæsiti: *An Præsentia Futurorum in æternitate sit ratio Divinæ Præscientiæ* sensus solummodo sit, *Vtrùm actio Dei æterna*, quæ secundùm Scotum *cit. q. 1. n. 9. ac seqq.* est respectus Dei ad extra fundatus in Velle Divino: *sit ratio certitudinis Præscientiæ Divinæ?*

Referuntur sententiæ Doctorum.

7. SCotus *in 1. dist. 39. q. 5. n. 10. negat*, datâ etiam illâ positione, quòd res creatæ sint in æternitate Deo præsentes, hanc præsentiam conferre aliquid ad certitudinem Divinæ Futurorum Notitiæ. Fundamentum est. Nam sessio ista præter hoc, quòd præsens sit æternitati, est tamen in se futura, secundùm quod respondet alicui temporis differrentiæ. De hâc igitur sessione etiam quà futurâ Deus habet certam notitiam, alioquin enim produceret ipsam, quin cognosceret. Vnde si certitudinaliter nosceret eandem quà postea productam, Divinus Intellectus priùs nosset facta, quàm fienda, quod est contra S. Augustinum *5. super Gen. 2.* Oportet igitur, esse in Deo certitudinalem Notitiam sessionis illius quà futuræ: Hæc verò certitudo non est per hoc, quod sessio jam existens est, sed secundùm quod futura est. At ut sic est aliud ab Essentiâ Divinâ. Non potest autem Intellectus Dei ullam certitudinem accipere ab objecto, quod est aliud à suâ Essentiâ, alioquin enim vilesceret. Sicuti ergò Intellectus Divinus à sessione quà futurâ, sic ab eâdem quatenus in actu positâ non posset habere certitudinem in se causatam à sessione hujusmodi. Ergò eodem modo omnia temporalia, etiamsi quoad

quoad suas existentias essent præsentia æternitati, non possent de se facere certitudinem in intellectu Divino.

8. Huic sententiæ accedunt quàmplures, quorum aliquos *sup. cit. q. 3. a. 5. conc. 3. n. 2.* adduximus: inter quos Franciscus Amicus *cit. disp. 12. sect. 4. n. 77.* sic argumentatur. Priùs ratione intelligitur res extitura in propriâ mensurâ durationis, quàm in alienâ æternitatis: ideò enim res fit Deo præsens ab æterno, quia extitura est in tempore. At res ut extitura in mensurâ propriæ durationis statim fit intelligibilis à Deo, seu intra sphæram Divinæ cognitionis. Ergò adhuc positâ reali præsentiâ Futurorum in æternitate, non esset Deo prima ratio cognoscendi Futura.

Hanc præsentiam rerum in æternitate esse rationem, ex quâ Scientia Futurorum fit intuitiva, & certa, Thomistæ deducunt ex Angelico Doctore *præs. q. 14. a. 9. & a. 13. in corp. & ad 3. Et 1. cont. Gent. c. 66. Et in 1. dist. 38. q. 1. a. 5. item q. 3. de Verit. a. 3. ad 8.*

CONCLUSIO I.

PRæscientia Divina Futurorum ex hoc ipso est intuitiva, quòd res creatæ sint præsentes in æternitate.

Probatur. Nam cognitio dicitur Intuitiva,
9. quæ attingit rem, prout est in se, quoad existentiam exercitam, veluti teste Francisco de Lugo *Lib. 2. De Deo. disp. 12. c. 2. n. 2.* tenet comunis Doctorum sententia. Ad hoc autem secundùm subtilem Doctorem *q. 6. quodlib. n. 8.* sufficit sive res quà existens cognoscatur tanquàm præsens in propriâ existentiâ, sive in aliquo objecto intelligibili Eminenter ipsam continente. At Decretum Dei efficax in viâ intentionis, & Scientia Visionis quà imperium seu Dictio Dei ad Extra in viâ Executionis est completa primæ Causæ Causalitas in se continens Eminenter res in tempore creatas quoad Existentiam exercitam. Illa verò Eminentialis continentia tanquàm actio Dei formaliter immanens, & Virtualiter ad Extra transiens intrinsecè mensuratur æternitate. Sicuti ergò creaturæ quoad existentiam in tempore exercitam sunt virtualiter in illâ actione Dei æternâ, sic existunt in hujus Divinæ actionis duratione, non tanquàm propriâ, sibique intrinsecâ, sed tanquàm Causalitatis suæ mensurâ. Quare vi hujus mensuræ per denominationem extrinsecam res creatæ ita dicuntur præsentes in æternitate, ut ista æternitatis præsentia se habeat per modum denominantis, Futuritio autem, ac præsentia temporalis cum existentiâ in tempore exercitâ
10. se habeat per modum rei denominatæ. At quando dicitur Præsentiam futurorum in æternitate Esse Divino Intellectui rationem cognoscendi intuitivè futura, nihil aliud insinuatur, nisi quòd actio Dei æterna, ejusquè Creaturarũ eminentialis in se, ac suæ durationis mensurâ, seu æternitate continentia se habeat ad intuitivam Futurorum Divinam Præscientiam tanquàm objectum formale specificans, futuritione seu Præsentialitate temporali, vel etiam æviternâ cũ existentiâ creaturarum exercitâ se habente per modum objecti materialis Terminativi. Constat igitur, Præsentiâ rerum in æternitate Esse Divino Intellectui rationem formalem motivam in æternâ Eminentiali Causalitatis Deo intrinsecæ continentiâ attingendi res creatas secundum propriam præsentialitatem, & suam intrinsecam in tempore, seu ævo exercitam existentiam. Ergò illa præsentia rerum in æternitate est ratio, cur Divina Futurorum etiam contingentium Præscientia sit intuitiva.

CONCLUSIO II.

HÆc ipsa futurorum in æternitate Præsentia est ratio certitudinis Præscientiæ Divinæ.

Probatur. Res, quæ sub scientiam cadit, ita 11.
est certa, ut omninò aliter esse non possit. Ex Philosopho. *1. poster. c. 2.* At omnis res futura secundùm Existentiam exercitam est intrinsecè contingens, potestq; adeò aliter se habere. Oportet igitur, altiorem indagare rationem, ex quâ futura maximè libera, & contingentia sint ita certa, ut aliter se habere non possint. Hæc auté ratio est Efficacia Decreti Divini, & Dictionis Dei tanquàm Causalitatis æternæ rerum in tempore ad Extra productivæ. Ex hoc enim, quòd ista causalitas Deo intrinseca mensuretur æternitate, est immutabilis: ex eo autem, quòd infinitæ sit efficaciæ, est infallibiliter consequens, res in tempore à Deo decretas esse futuras. Vnde futura ejusmodi in se aliàs contingentia, prout subsunt æternæ Dei ad Extra Causalitati, sunt necessaria non absolutâ necessitate, sed Immutabilitatis necessitate, & infallibilitate consequétiæ. Cùm igitur actio Dei æterna, secundùm quam res futuræ sunt Deo in æternitate præsentes, sit ratio Immutabilitatis & Infallibilitatis Futurorum contingentium, consequens est, illam rerum in æternitate præsentiam esse rationem Certitudinis Præscientiæ Divinæ.

Responsio ad Argumenta opposita.

AD Scoti *n. 7.* oppositum Respondetur: Ve- 12.
rum esse, quòd Deus in æternitate habeat certitudinalem meæ sessionis quà futuræ notitiam. Hanc verò certitudinem Intellectionis Divinæ non esse nisi ex Divinâ Essentiâ quà Causalitate efficaci Deo intrinsecâ, sessionis illius in tempore productivâ. At vi hujus actionis Deo intrinsecæ, atque adeò æternæ dici sessionem illam Futuram in æternitate Dei præsentem, quam adeò æternitatis à Divina Essentiâ, ejusquè intrinsecâ Causalitate indistinctæ Præsentiam esse rationem, quòd Præscientia Divina non tantùm in se æterna sit, sed intuitus ejus feratur ab æterno in omnes res creatas, prout in suâ præsentialitate habent certitudinem objectivam, adeoque Veritatis necessitatem non absolutam, sed Immutabilitatis & Infallibilitatis in illas derivatæ ex æternâ, invariabili, & omninò efficaci Dei actione.

Ad Amici *n. 8.* oppositum Respondetur: Priùs 13.
intelligi rem creatam, quatenùs est virtualiter in suâ causâ, quàm in se ipsâ. At causalitatem Dei ad Extra mensurari formaliter æternitate. Sicuti ergò res creatæ secundùm existentiam suam exercitam, & propriam præsentialitatem Eminenter sunt per prius in Causalitate Dei æternâ,

sic per prius esse intelligibiles à Divino Intellectu prout sunt in æternitate tanquàm mensurâ actionis rerum creatarum in tempore productivæ, atque adeò hanc æternitatis, sive actionis æternæ rationem ad Divinam Futurorum Præscientiam se habere tanquàm primam formaliter specificativam rationem. Quam proinde actionem æternam intuendo ita videre Deum in illâ omnes res & actiones creatas in tempore transeuntes, prout sunt in suâ præsentialitate, ut hæc ipsa tamen præsentialitas, & intrinseca creaturarum Existentia sit objectum duntaxat Materiale purè terminativum. Ex Doctore Angelico *in præs. q. 14. art. 5. ad 3. art 7. 9. 11. 13. in corp. & ad 3. & alibi passim, præcipuè q. 2. de Verit. a. 12.*

ARTICULUS V.

De

Scientiâ Dei Mediâ Conditionatorum.

1. Nisi periculosè in conciliandâ libertate Arbitrij nostri, & contingentiâ rerum cum Divinâ Præscientiâ hallucinari velimus, Molina *Concord. disp. 52.* (ut infra tamen patebit, perperam) ait: Triplicem oportere in Deo distinguere Scientiam; Vnam merè Naturalem, per quam Deus Omnipotentiæ suæ objectum adæquat; omnia possibilia, tum quoad singulorum naturas, & complexiones necessarias, tum etiam quoad contingentes sub Existendi Indifferentiâ cognoscendo. Aliam merè liberam, quâ Deus post liberum Voluntatis suæ Decretum absolutè ac determinatè novit quaslibet complexiones contingentes re ipsâ futuras, vel non futuras. Tertiam denique Mediam, quâ ex altissimâ, & inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrij in suâ Essentiâ intuitus est, quid pro innatâ suâ libertate, si in hoc vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cùm tamen posset, si vellet, facere reipsâ oppositum.

2. Hanc Conditionatorum Scientiam nonnulli teste Ioanne Baptistâ Gonet *tom. 2. disp. 5. §. 1. annot. 3.* eâ de causâ vocant Mediam, quòd sit Medium inventum ad Pelagij, & Massiliensium ex unâ, nec non Lutheri, & Calvinistarum ex alterâ parte Hæreses evertendas, atque adeò ad cõciliandam libertatem humanam cũ Divinis Decretis, & gratiæ efficaciâ. Cujus Concordiæ difficultas ostẽditur sub hâc Consequentiâ.

3. *Scientia Dei est intrinsecè infallibilis, sicut etiam Prædestinatio, & Gratia, ita quòd hanc infallibilitatem & efficaciam non ex Creaturâ habeat, aut ex aliquo supposito creato, sed ex se, & ex eo, quod Divinum est. Ergò Voluntas creata, in cujus manu non est talis Scientia, si componatur cum efficaciâ voluntatis Dei & Gratiæ, non potest manere libera, quia non potest resistere tali Efficaciæ, & infallibilitati. Voluntati enim ejus quis resistet? Rom. 9. v. 19.*

4. In hâc consequentiâ retro abeuntes Pelagiani, ne destruerent creati Arbitrij libertatem, negârunt efficaciam, & necessitatem Gratiæ. Ex opposito autem Calvinistæ declinantes ad sinistram, ut salvent Decreti Divini Infallibilitatem, & Gratiæ efficaciam, negant Voluntatis creatæ libertatem.

5. Inter hos proinde Mediam semitam ineunt Societatis Iesu Theologi, asserendo: Decretum Divinũ & Gratiam habere infallibilitatem non ex se, sed ex Præscientiâ Dei Conditionali, seu Mediâ quâ Deus vidit ante omne suum Decretum, quid Voluntas libera in quâvis rerũ peristasi esset factura.

6. Hinc Scientiæ hujus objectum tenet locum quasi Medium inter statum meræ possibilitatis, quæ a Scientiâ naturali simplicis intelligentiæ attingitur, & Futuritionem absolutam rerum aliquando existentium, quam Scientia Visionis libera attingit. Vnde hoc etiam titulo meretur nomen Scientiæ Mediæ, utpote participans de Scientiâ naturali, quatenus est antecedens omne liberum Dei Decretum, & de Scientiâ Dei liberâ, quatenùs ad objecta libera, seu Futura contingentia terminatur.

7. De hâc proinde Mediâ Dei Scientiâ inter Patres Dominicanos, & Societatis IESV non tantùm scriptis, sed etiam coram summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. in sacris congregationibus agitata extat Controversia. Cujus Controversiæ expedit utrinque motas difficultates adumbrare, antequàm earum vires, & momenta exactiori Disputationis trutinâ expendamus. Ex parte igitur Societatis. I. Asseritur, quòd Thomistæ negẽt Deo infallibilem, ac certam Conditionatorum Scientiam. II. Quòd Scientia Conditionatorum antecedens liberum Dei Decretum, sit conformis sacris Literis, & SS. Patribus; præsertim Augustino, & Thomæ Aquinati. III. Quòd antecedenter ad determinationem Divinæ Voluntatis sit Futurorum Conditionatorum ex seipsis determinata Veritas, quam necessum sit pro tunc attingi à Divino Intellectu. 4. Quòd cùm propositiones de futuris conditionatis formari possint secundùm infinitas possibiles rerum peristases, oporteret Decreta Dei libera in infinitum ratione nostrâ multiplicare, si nulla esset in Deo Conditionatorum Scientia, nisi consequens Voluntatis Divinæ determinationem. V. Quòd sine Scientiâ Conditionatorum antecedente Decretum Dei Efficax salvari non possit sufficiens Gratiæ auxilium. VI. Quòd Thomistarum sententia supponat in Deo dari actuale Decretum sine ullâ mutatione ad Extra, cùm tamẽ hoc implicet. VII. Quòd istud Decretum ita foret efficax, ut simul esset efficax de negatione Causæ, sive conditionis, ex quâ deberet pendere talis effectus; atque adeò in tali Decreto involveretur contradictio. VIII. Quòd Scientia Media necessaria sit ad certitudinem Divinæ Providentiæ. IX. Quòd stare non possit creati Arbitrij libertas, si Scientia futurorum etiam Conditionatorum præsupponat in Deo Decretum Efficaciter prædefinitivum. X. Quòd admisso tali Decreto sit consequens, Deum ex se prædefinire peccata.

Ex opposito Thomistæ movent. I. Deum habere certam, & infallibilem futurorum Scientiam, sed consequentem Decretum Divinæ Voluntatis. II. Hanc Scientiam quà innixam antecedenti Decreto Dei ex parte subjecti absoluto, sed ex parte objecti conditionato esse conformem menti S. Augustini, & Angelici Doctoris, ac Reliquorum Patrum; imò per Scientiam Mediam sterni viam ad principium Semipelagianorum, seu Massiliensium, ac enervari argumenta Augu- 9.

tâ Augustini, & Catholicorum adversùs ipsos allata. III. Non posse dari Veritatem determinatam sub statu conditionato, nisi ex vi Decreti. IV. Decreta Dei, ex quibus procedit Futurorum status conditionalis, non tantùm nihil habere absurdi, sed illis sublatis, negari Deo universalissimam Causalitatem. V. Scientiam Mediam adeò nihil conferre ad salvandam Gratiam, ut enervet etiam efficaciam Gratiæ. VI. Decretum Dei, ex quo est status conditionalis veritatis, talem ex parte objecti inferre mutationem sibi proportionatam, ut sublato illo Decreto, esset in creaturâ status ultra possibilitatem, quin à Deo derivaretur. VII. Decretum Dei efficax, cui innititur Divina Conditionatorum Scientia non tantùm non involvere contradictionem, sed ex parte Dei omninò esse necessarium, ut in ipso salvetur ratio primi liberi, nec non Radicis contingentiæ, ac libertatis creatæ, atque adeò Primæ Causæ. VIII. Scientiam Mediam non tantùm esse inutilem ad Dei Providentiam, sed tollere specialem Divinæ Prædestinationis erga Electos Providentiam. IX. Scientiam Mediam apparenter solùm favere libertati, cùm tamen reipsâ non illam duntaxat in suo principio præfocet, sed etiam tollat à Deo supremum in nostras Voluntates Dominium. X. Denique, tantùm abesse, quòd admisso Dei Decreto Scientiam Conditionatorum antecedente sit consequens, Deum ex se prædefinire peccata, quin potiùs scientia Media faciat Deum Authorem peccati, ac deterat famam Divinæ Sanctitatis.

II. En igitur hâc in tabulâ delineatas gravissimæ Controversiæ Anthiteses ex unius scientiæ Mediæ assertione exortas, quas Divinam Prædestinationem, libertatis tam creatæ, quàm Divinæ rationes, Actualis Gratiæ tam Sufficientiam, quàm Efficaciam, Primæ Causæ concursum, ejusque Sanctitatis in concurrendo cum Entitate omnis actûs creati sine peccaminosæ formalitatis coinquinatione puritatem, aliaque profundissima S. Theologiæ Arcana tangere cum reflexo in Sanctos Augustinum Gratiæ Magistrum, & Thomam Aquinatem Doctorem Angelicum, aliosque Patres; imò ipsum Dei Verbum acris concertationis congressu compertum est. Quas proinde à primarijs Theologiæ Scholasticæ pro supremo suo Duce Doctorem Angelicum, & Gratiæ Magistrum utrinque ambientibus Antesignanis ex unâ parte Dominicanæ Familiæ, ex alterâ verò parte Societatis Iesu Doctoribus concitatas oppositiones duximus operæpretium accurata, sed æquâ sinceræ de indagandâ veritate Intentionis acie perscrutari, & non ex proprij ingenij judicio, sed ex purâ Augustinianæ Sapientiæ, & Angelicæ Doctrinæ veritate sequentibus Controversijs exactiùs pensare.

CONTROVERSIA. I.

An in Deo sit certa, & infallibilis Futurorum Conditionatorum Scientia?

1. SVpra diximus, Patres Societatis asserere de Thomistis, quòd negent Deo convenire certã Conditio natorum scientiam. Nam 1. Vasquez *1. p. disp. 67. c. 1. n. 1.* ait, recentiores Scholasticos, quotquot asserunt, realem futurorum in æternitate Præsentiam esse unicam in Deo rationem cognoscendi futura, negare; in Deo esse certam futurorum sub conditione scientiam, eò quòd ejusmodi, cùm reverà non sint futura, nullo modo sint realiter præsentia æternitati.

2. Franciscus Amicus *præs. disp. 12. sect. 11. n. 18.* citat Cabreram *in 3. p. q. 1. a. 3. disp. 1. §. 21. Dicto 2. & 3.* quasi negaret, omnem Scientiam Conditionalem esse certam, & infallibilem in Deo, atque admitteret tantùm probabilem, & conjecturalem. 2.

3. Hoc ipsum Amicus *loc. cit.* attribuit Nazario *1. p. q. 14. a. 13. cont. 1.* cujus postea mentem exactiùs, necdum plenè tamen exponendo indicat, alterius fuisse intentionis Nazarium, quàm sonaret sententia ipsi imputata. 3.

4. Ioannes Martinon *disp. 9. de Deo. sect. 7.* asserit, illos præsertim è Thomistis, qui non concedunt Deo certam & infallibilem liberorum conditionatè futurorum Scientiam, conari sacræ Scripturæ testimonia Scientiam illam comprobantia in varios detorquere sensus, affirmando, Scripturam vel esse intelligendam modo exaggerationis locutam, vel exponendam esse de Revelatione, & Scientia non omninò certâ, sed conjecturali, vel hujusmodi revelationes fundari in aliquo effectu præsenti, ex quo verisimiliter colligi poterat, & prædici eventus ex hypothesi futurus, vel denique fundari in aliquo Decreto Dei efficaci de illis eventibus procurandis sub tali Hypothesi. 4.

5. Alarcon *tract. de Scient. Dei. disp. 4. c. 4. n. 4.* in specie citat Cabreram, Cavezudo, Zumel, quasi cum alijs, ut ipse loquitur, ignobilioribus Thomistis docerent, Contingentium conditionatorum scientiam esse in Deo probabilem tantùm, & conjecturalem, seu quasi humanam. 5.

6. Denique Arriaga *to. 1. p. 1. disp. 21. sect. 1. in fin. & sect. 2. a. 3.* supponens, Controversiam de Scientia Mediâ in hoc esse positam, *An Deus cognoscat futura conditionata?* asserit, hanc Scientiam fusè probari à Molinâ, sed cùm ab homine è Societate videretur inventa, multos conspirâsse contra illam, eamque in Deo reperiri negâsse, posteà verò ex ijs non paucos rem meliùs considerantes, Patrum, & Scripturæ testimonia meliùs legentes, vim, ac momenta rationum pro eâ adstruendâ perpendentes, ei tandem subscripsisse. Ne verò viderentur manus dedisse, eam constituisse in alio diverso medio, nimirum in Volitione aliquâ Dei determinatâ de ipsis, quod tamen pertineat ad aliam quæstionem, alio etiam nomine vestivisse, quod non multùm esse curandum. 6.

Zumel *1. p. q. 14. a. 13. disp. 1. concl.* Cavezudo *1. to. de Sacram. ad q. 62. a. 5. dub. 2.* Ledesma *to. 1. de auxilijs disp. 2. de scient. futur. conc. 4. §. Nihilominus* Cabrera *3. p. q. 1. a. 3. disp. 1. §. 22. n. 282. ac seqq.* Navarrete *præs. a. 13. cont. 56. §. 2.* Alvarez *lib. 2. de Auxil. disp. 3.* Sotus *lib. 3. sum. c. 8. lect. 3.* Nazarius *hic Contr. 1. notab. 2. & 6. Item concl. 1. 3. & 6.* Gonzalez *hic disp. 46.* Xantes Mariales *to. 2. contr. 49. cap. 1.* Ioannes à S. Thomâ *ad præs. q. 14. disp. 20. a. 1. à n. 4.* Ioannes Baptista Gonet *disp. 5. de Scientiâ Mediâ. §. 1. notab. 1.* Petrus Labat *disp. 5. de Scientia Dei. dub. 9. in princip.* Serra *hic a. 13. dub.* 7.

aliquæ

alijque Thomistæ communiter ponunt in Deo certam, & perfectam futurorum conditionatorum Scientiam, ita ut P. Matthæus de Rispolis, qui ad initium excitatæ de Scientiâ Mediâ Controversiæ scripsit, dicat *lib. 1. prædestin. q. 1. concl. 2.* sibi Dominicanis, convenire cum adversarijs, quòd Deus habeat scientiam perfectam Futurorum conditionatorum.

Conclusio.

Repugnat Deo quævis cognitio solùm probabilis, sed primæ Veritatis, & infiniti intellectûs ratio non admittit nisi certam & infallibilem de futuris contingentibus etiam conditionatis Scientiam.

8. Probatur *ex 1. Regum. 23.* ubi Davidi interroganti: An, si maneret in Ceilâ, descenderet Saul, ac Ceilitæ essent eum tradituri? respondit Deus, quòd Saul descenderet, ac Ceilitæ ipsum traderent. Et *Matth. 11.* comminatus est Christus: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro, & Sidone facta essent Virtutes, quæ facta sunt in Vobis, olim in cinere & Cilicio pœnitentiam egissent.*

Ex quibus patet revelatio Divinitùs facta de Conditionatis, quæ tamen ob defectum conditionis nunquam evenerunt: Omnis autem revelatio Divina nititur primâ Veritate. At hujus ratio importat infallibilitatem in Dicendo, & Cognoscendo, atque adeò excludit cognitionem duntaxat probabilem, seu opinativam, & conjecturalem, D. Augustino *tract. 37. in Ioan. paulò post init.* attestante, *quòd Divinitas non opinetur.* Oportet igitur, in Deo esse scientiam simpliciter certam, & omninò infallibilem de contingentibus conditionatis.

9. Oppones: In Revelationibus Divinis Conditionatorum quandoque apponi particulam *fortè*, juxta illud *Matth. 11. Et tu Capharnaum, numquid usque in Cælum exaltaberis? usque in infernum descendes, quia si in Sodomis facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te, fortè mansissent in hanc diem.* At verbum *fortè* est ambiguum. Ergò videtur innuere cognitionem revelantis opinativam duntaxat, & conjecturalem.

10. Contra: Nam teste D. Hieronymo *Ezech. 2. & Ierem. 26. Verbum ambiguum Forsitan non potest Majestati Dei convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium.* Unde notant etiam Abulensis, & Titelmannus *super Matth. 11.* in Græcis Codicibus loco particulæ *Forsitan*, seu *Fortè* in versione Latinâ expressæ sæpiùs poni vocem ἄν, quæ certitudinem potiùs, quàm ambiguitatem denotat, quam verti posse *utique*, *sanè*. Quare particula *Fortè* Divinis conditionatorum prædicationibus aliquando apposita non significat incertitudinem Divinæ cognitionis, ac revelationis, sed importat Mysterij alicujus insinuationem, v. g. objecti variabilitatem invariabiliter Dei Scientiæ subjectam, & libertatem creati arbitrij, ex quo contingenter dependet futuritio talis eventûs.

11. Instabis ex S. Tho. *2. 2. q. 171. a. 6. ad 2.* Deum cognoscere Futura Contingentia & prout sunt in suis causis, & prout sunt in se ipsis. At prout sunt in suis causis proximis, non esse determinata ad unum, posseque adeò aliter evenire. Quando autem revelat Deus talia contingentia, Revelationem esse similitudinem aliquam Divinæ Præscientiæ, prout cognoscit Ordinem Causarum ad effectum. In quo adeò sensu intelligi posse sententiam D. Hieronymi superiùs expressam: quòd nimirum Verbum *Fortè* in revelationibus Divinis insinuet contingentiam eventûs, prout habet ordinem ad Causam proximam, creatum nimirum arbitrium liberum. At quicumque cognoscit effectum contingentem in suâ Causâ, non habere de eo, nisi conjecturalem cognitionem, eò quòd Causa contingens se habeat ad opposita, nec adeò possit ut sic contingens subdi per certitudinem alicui cognitioni. ex eod. S. Doctore. *1. p. præs. q. 14. a. 13.* Ergo revelationem Divinam quatenùs est similitudo Præscientiæ Futurorum in suis causis proximis non habere certitudinem, attestante Angelico Doctore *2. 2. cit. a. 6. ad 2.* posse eventus futuros à Deo revelatos, quatenùs ista revelatio est similitudo Divinæ eorum Præscientiæ in Causis proximis quandoque aliter evenire, quàm prædicantur.

Contra. Quando enim Prophetica revelatio est impressa similitudo Divinæ Præscientiæ, prout cognoscit ordinem causarum ad effectus, tunc sensus Prophetiæ est, quòd inferiorum Causarum dispositio, sive naturalium, sive humanorum actuum hoc habet, ut talis effectus eveniat. ex eod. S. Doctore *loc. cit.* At sub isto sensu non potest Prophetiæ subesse falsum, etiamsi effectus prænuntiatus non eveniat. Sic enim, quando *4. Reg. 10. & Isaia 20.* propheticè prænunciatum fuit: *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives*; hoc Dei Verbum erat ita intelligendum, quòd dispositio Corporis Ezechiæ ordinabatur ad mortem; sicuti etiam quando *Ionæ 3.* prædicebatur fore, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subversum iri*; sensus erat; quòd merita ejus exigerent subversionem, ex dicto Doctore Angelico. Atqui totum istud erat Veritatis determinatæ, ac omnimodè certæ. Ergo futura contingentia etiam quà in suis causis contingentia non subduntur Divinæ revelationi, & cognitioni, nisi sub eâ ratione, sub quâ habent omnimodam certitudinem. 12.

Confirmatur 1. & explicatur ille discursus. Nam futura contingentia, maximè conditionata, prout habent ordinem ad suas causas, possunt considerari vel per propositionem hypotheticam, seu Causalem & illativam, vel per modalem. At illationis hypotheticæ enuntiantis eventum sub conditione futurum ea vis est, quòd affirmet existentiam effectûs ex hypothesi Causæ in antecedente positæ. Secus verò est in propositione Modali, per quam cum modificatione dico; Quantum erat ex dispositione Saulis, & Ceilitarum David mansurus in Ceilâ; erat ab hujus civibus tradendus Sauli. Nam ex isto loquendi modo tantùm indico dispositionem Causæ præsentem cum ordine ad effectum, quin etiam ex hypothesi causæ, ejusque præsentis dispositionis affirmetur existentia talis effectûs. Unde propositio ejusmodi Modalis ex parte *causæ præsentis* est similitudo scientiæ Visionis in Deo, ex parte verò effectûs repræsentat scientiam simplicis intelligentiæ, attestante Divo Thomâ *3. p. q. 10. a. 3.* scientiam, prout cognoscit effectus in poten- 13.

in potentiâ creaturarum habere rationem simplicis intelligentiæ. In quo adeò sensu D. Augustinus *super illud Sap. 14. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. lib. de Prædest. Sanctorum. c. 14.* ait, *hoc dictum esse secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei; quia hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.*

14. Confirmatur 2. Ex hoc enim S. Augustini effato ita licet argumentari. Objectum illius Dicti Divini non cadit sub præscientiam Dei, quæ ut sic attingit in objecto aliquam Futuritionem. Ergò cadit sub Scientiam Dei, quatenus in Voluntate humanâ tanquàm causâ, ejusque ex immixtione sensualitatis naturali ad malum inclinatione attingit præcisè possibilitatem, & in actu signato probabilitatem mutationis prædictæ. At licèt falsitati subjecta esset propositio mutationem illam etiam sub conditione sine modificatione simpliciter affirmans: attamen sub enunciatione Modali, quòd probabiliter eventura esset talis mutatio, est veritas infallibilis non excedens metas simplicis Intelligentiæ Divinæ, cujus est, attingere possibilitatem effectuum, non tantùm in suâ Omnipotentiâ, sed etiam Causis creatis, in quibus continentur virtualiter, vel per virtutem ex se determinatam, velut in causis naturalibus, vel per indifferentiam potentiæ liberæ cum naturali ob intrinsecam sensualitatis sympathiam inclinatione ad effectum contingenter ex se producibilem. Constat igitur, illas propositiones quà Modales explicare Veritatem infallibilem Divinæ scientiæ simplicis Intelligentiæ subjectam, tametsi quà hypotheticæ, prout cum abstractione à Dei Decreto important effectûs ex causâ creatâ illationem, nihil habeant certitudinis, nec adeò ut sic cadant sub Præscientiam Divinam, eò quòd ut sic non enuntient objectum quà futurum; Deus autem præsciverit, quod futurum erat, non quod futurum non erat. ex Augustino *ubi supra.*

15. Urgebis: Deum aliquos effectus contingenter sub conditione futuros prædixisse non tantùm secundùm inclinationem Causæ, vel secundùm eorundem in actu signato possibilitatem, sed secundùm ipsammet eorum Existentiam, seu Futuritionem re ipsâ ponendam sub certâ hypothesi, veluti D. Augustinus *lib. de Dono Perseverantiæ c. 9. sub finem* ait, ipsum Dominum attestatum esse, *quòd Tyrij, & Sidonij acturi essent magna humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent Divinarum illa signa Virtutum.* Unde S. Thomam *2. 2. cit. a. 6. ad 2.* dicere, Præscientiam futurorum contingentium, prout sunt in suis causis, etsi in Propheticâ locutione separari possitâ cognitione eorundem, prout sunt in se ipsis: attamen hanc duplicem Futurorum contingentium cognitionem in Divino Intellectu semper esse conjunctam. At futurorum Contingentium in se ipsis cognitionem importare ex parte objecti variabilitatem, *supra in expositione S. Hieronymi* à nobis dictum esse. Ergò ut sic non posse per certitudinem subdi cognitioni Divinæ, quod tamen adversatur S. Doctori *loc. cit.*

16. Contra. Nam futura contingentia sive absoluta, sive conditionata in se ipsis subduntur certæ cognitioni Divinæ, quatenùs habent esse determinatum, atque adeò Veritatem, & cognoscibilitatem determinatam. At repugnat hisce futuris aliqua ultra statum possibilitatis Essendi determinata ratio, nisi ex determinatione Voluntatis Divinæ, tanquàm actualis earundem Causalitatis. Ergò Veritatis quoque determinatæ ratio in eisdem pendet ex Decreto Divino, quod unica est contingentia Conditionata cognoscendi Divino Intellectui ratio; prout ex Sanctis Augustino, & Doctore Angelico, alijsque tum ab authoritate, tum ex ratione argumentis per totum hunc Articulum demonstrabitur; ut proinde nulla sit Controversia de hoc; *An Deus cognoscat Futura conditionata?* sed circa istud: *An talia futura cognoscantur ante, vel post Decretum Divinum?* vertitur præsentis difficultatis cardo, prout videre est, non tantùm ex Thomistarum libris, sed etiam ex disputationis inter Dominicanos, & Societatis Patres coram Sanctissimo Anno 1604. frequentatæ per Ioannem à S. Thomâ *cit. disp. 20.* præcipuè *a. 1.* relatis actis Congregationis, præsertim trigesimæ tertiæ & trigesimæ quartæ.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

Ad *n. 1.* Vasquezij oppositum Respondetur: Sicuti Thomistæ Futurorum absolutorum in æternitate præsentiam ponunt ex vi Decreti Divini tanquàm æternæ eorundem ad Extra causalitatis, seu actionis æternæ, sic Futurorum conditionatorum cognoscendi rationem ex ipsorum mente esse Formale Dei Decretum Exercitum, ex parte subjecti absolutum, ex parte verò objecti conditionatum. In cujusmodi Decreto fundari certitudinem tum objectivam Futuritionis Conditionatorum, tum Formalem Divinæ Futurorum ejusmodi præscientiæ. 17.

Ad *n. 2.* ab Amico oppositum Respondetur, Hunc Authorem remittendo ad Ioannem à S. Thomâ *cit. a. 1. n. 10.* ubi ostendit, Cabreram *3. p. q. 1. a. 3. disp. 1. §. 22. n. 3. 82. ac seqq.* quatuor affirmare. 1. quòd Futura conditionata, quæ cum conditione positâ non habent infallibilem connexionem, vi talis conditionis, atque connexionis cognoscantur solùm probabiliter secundùm efficaciam, & inclinationem conditionis positæ. 2. Quòd tamen hoc intelligendum sit de cognitione non ex parte Dei cognoscentis, qui omnia certò, & infallibiliter cognoscit, sed ex parte objecti cogniti, prout talia objecta duntaxat sunt capacia probabilis cognitionis. 3. Quòd eadem Futura conditionata posset Deus certò cognoscere ex vi aliarum conditionum, ad quas infallibiliter sequeretur, scilicet ex vi auxilij Efficacis, & Prædeterminationis. 4. Quòd infallibiliter ea cognoscat in Decreto dandi talia auxilia, si poneretur conditio, sub quâ essent futura. 18.

Hinc sanè patet ex Cabrerâ, Contingentia conditionata etsi secundùm ordinem ad causam proximam non sint futura nisi probabiliter, hanc ipsam tamen probabilitatem se tenentem ex parte duntaxat objecti à Deo in actu signato cognosci infallibiliter: imò ipsammet Futuritionem conditionatam secundùm se certò cognosci tum in Decreto Divino ex parte quidem objecti conditionato, ex parte tamen Dei absoluto; tum etiam in auxilio efficaci conditionatè prædefinito, ut adeò non videatur subsi- 19.

 stere

ſtere, quòd Cabrera omnem conditionalem ſcientiam in Deo neget eſſe certam, & infallibilem; adſtruatq; eam duntaxat probabilem, & conjecturalem.

20. Ad *n. 3.* ibidem ab Amico oppoſitum Reſpondetur. Mentem Nazarij *cit. cont. 1. notab. 2. & concl. 1. 2. 3. & 7.* eſſe in aperto, quòd in propoſitionibus conditionalibus particula *Si* quandoque importet formalem conſequentis ex antecedente illationem; quandoque verò denotet ſolùm antecedentis cum conſequente concomitantiam. Sub priori adeò ratione aſſerit ille Author eſſe hoc ipſo neceſſarias, ſi veræ ſint: ſub ratione autem poſteriori, Dei prædefinitione ab eorum conſequentibus præciſâ, non habere certitudinem, nec adeò cadere ſub certam, & infallibilem Dei ſcientiam, niſi prout earum ſignificata cognoſcuntur quà poſſibilia per ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ; veluti hoc pateat ex S. Auguſtino *in Epiſt. 105. ad Sixtum. Et lib. de prædeſtin. Sanctor c. 17. Et lib. 1. de Animâ, & ejus origine c. 12.* Nihilominus has conditionales reduci poſſe ad Modales ſub certâ modificatione affirmando, quod erat probabile, ſeu proximè poſſibile, Davidem, ſi maneret in Ceilâ, tradendum Sauli; & Tyrios, ac Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi apud ipſos facta eſſent ſigna, quæ in Bethſaida, & Corozaim fiebant. Sub ejuſmodi proinde modificatione Futurorum conditionatorum probabilitatem, ſeu moralem certitudinem in actu ſignato à Deo certiſſimè, ac evidentiſſimè cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, tametſi eorum exiſtentia, ſeu Futuritio conditionata per ſcientiam Viſionis duntaxat cognita ſit à Deo in ſuis prædefinitionibus.

Ex quibus veritatis Amico manifeſtè conſtat, quòd Nazarius non niſi certam vel viſionis de Futuritione conditionatè Divinitùs præfinitâ, vel ſimplicis intelligentiæ de probabilitate in actu ſignato ſeu proximâ poſſibilitate Conditionatorum ponat in Deo.

21. Ad *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur: Nos in Thomiſtarum tam Recentiorum, quàm Antiquiorum libris, quos ſatis frequentes habemus ad manus, non deprehendiſſe, niſi quòd certitudinem Divinæ conditionatorum Præſcientiæ fundatam dicant in actuali Dei efficaci Decreto, in quo unicum præſentis difficultatis punctum vertatur.

22. Ad *n. 5.* P. Alarcon oppoſitum R. Quòd inprimis Zumel *in 1. p. q. 14. a. 13. diſp. 8. concl. 1.* expreſsè tradat, Conditionata cognoſci à Deo infallibiliter. Et licet *concl. 2.* neget de conditionalibus dari in Deo liberum Decretum, ut adeò non ut futura, ſed quà poſſibilia duntaxat cognoſcantur à Deo in Ideis Divinis ante Voluntatis ſuæ Decretum. Nihilominùs *in 10. de auxilijs lib. 3. dub. 5. concl. 2. & 6.* poſtea impugnans Mediam Scientiam, admiſſis Decretis Dei conditionatis, multis refutat illos, qui Deo tribuunt ſolùm conjecturalem conditionatorum Scientiam. Deinde

23. Cabezudo. *1. tom. de Sacram. ad q. 62. a. 5. dub. 2. concl. 1. & 2.* apertè docet, Conditionata, quorum tota veritas conſiſtit in illatione, & non in ſolâ concomitantiâ, cognoſci à Deo per Scientiam naturalem. At futura conditionata, quæ non accipiuntur in vi conſequentiæ, & illativè, ſed per quandam concomitantiam, non cadere in Scientiam Dei, prout antecedit liberum Decretum Divinæ Voluntatis volentis bonum, aut permittentis malum; quæ proinde conditionata ut ſic cognoſci à Deo per Scientiam Viſionis.

Denique Ledeſma *tom. 1. de auxil. diſp. 2. de Scientia futur. conting. concl. 2.* duo affirmat, alterum eſt, non dari aliqua Decreta circa omnes combinationes Futurorum conditionatorum, nec adeò circa hæc ſumere Deum certam cognitionem ex Decretis ſuis, imò iſtis non admiſſis, non manere Futura ejuſmodi conditionata certò cognoſcibilia, ſed conjecturaliter aut probabiliter tantùm juxta cauſarum inclinationem; nec proinde Deum de illis cognoſcere, niſi iſtam conjecturalitatem, & poſſibilitatẽ ex parte objecti materialis: ex parte verò cognoſcentis Deũ non ſcire conjecturaliter, ſed certò, cùm non ſciat, niſi rem illam, ut conjecturalem ex ſe; atque hoc non minùs certum eſſe, quam, dum videt meam opinionem, & objectum opinabile, certò videat, me opinari, & meam opiniobilitatem. Alterum eſt circa aliqua, quæ pertinent ad Divinam providentiam, quòd nimirum circa hoc univerſum poſſent dari Decreta conditionata, in quibus Deus infallibiliter videat futura conditionalia. Ex reſponſione ipſius Ledeſmæ *ad S. Script. teſt. circa 1. ſol. §. Nihilominus.* En igitur, quomodo evaneſcant allegationes Patris Alarcon. 24.

Ad *n. 6.* denique ab Arriagâ oppoſitum Reſpondetur. Mirari nos, tum quòd illam quæſtionem: *An Deus Futura conditionata prævideat in ſuo ex parte objecti conditionali, ex parte autem Dei abſoluto Decreto?* aſſerat, non eſſe hujus fori; tũ quòd Thomiſtæ priùs negantes Deo conditionatorũ Scientiam argumentis Molinæ, & aliorum Societatis Ieſu Theologorum convicti, tandem dederint manus, alio tamen, quàm Scientiæ Mediæ nomine impoſito, utpote quod ab Homine Societatis inventum adeò odiſſent, ut multi idcircò conſpirarent adversùs illam Mediam Dei Scientiam. Nam primum non ſubſiſtere, apertè conſtat ex S. Congregationis 34. circa Scientiam Mediam coram Sanctiſſimo Anno 1604. à 27. Octobris habitæ actis relatis per Ioannem à S. Thomâ *cit. a. 1. à n. 4.* Neque verò ſecundum aſſertum ſtare, patet ex his, quæ hactenus ex Thomiſtis fusè recenſuimus. 25.

CONTROVERSIA II.

An Scientia Media ſit conformis S. Scripturæ, & menti Sanctorum Patrum?

SUarez *in prol. 2. de Grat. c. 2. q. 8. & in opus. de Præſcient. Dei. lib. 2. c. 1. 2. & 3.* ut omnem Novitatis ſuſpicionem de Scientiâ Mediâ radicitùs tollat, pluribus Sacrarum Litterarum, & Patrum teſtimonijs eam comprobat, congeſtis authoritatibus antiquiorum etiam Scholaſticorum Theologorum, nominatim D. Bonaventuræ *in 1. diſt. 40. a. 2. q. 1.* Et Alberti Magni *in ſum. tract. 16. q. 61. mem. 5. & 6. & q. 63. mem. 2.* quos tamen de illâ Mediâ Scientiâ nihil præſenſiſſe, alibi oſtendemus, interea opponentes Vaſquez *1. p. diſp. 67. c. 4. n. 27.* aſſerentem, antiquos Schola- 1.

Scholasticos de hâc Scientiâ sub conditione nihil omninò disputâsse, aut meminisse. Vnde Novitatis Nota necdum abstersa videtur, nisi cum Fonsecâ *lib. 6. Metaph. c. 2. q. 4. sect. 8.* dicere liceat, Scientiæ illius inventionem ita novam esse, ut tamen habeat fundamentum in antiquis Patribus, ac Theologis Scholasticis, cujusmodi circa nomen duntaxat, & explicandi modum adinventiones novas ex antiquâ Fidei Doctrinâ ad puriorem ejusdem expositionem erutas esse laudabiles, authoritate Patrum fusè demonstrat Petrus à S. Ioseph *suavis Concord. disp. 4. n. 4.* Quare tota vis in eo ponenda est, ut perspiciatur, quibus argumentis ex fidei sacris Litteris contentâ, & à SS. Patribus expositâ Doctrinâ eruatur Scientia Media Conditionatorum, attendendo in hoc ad Punctum Difficultatis: *An scilicet, conditionata ejusmodi præsciantur à Deo ante Decretum.*

Referuntur Argumenta opposita.

2. PRimò ex Suarezio *cit. lib. 2. c. 7. n. 11.* argumentari licet in hunc modum. Nullo sufficienti fundamento ex sacris Litteris affirmatur, Deum habere Decretum liberum circa omnia conditionata objecta. Ergò sententia asserens Scientiam Conditionatorum in Deo niti ejus Decreto libero, supponit aliquid incertum. At minimè convenit, Scientiam Sacris Litteris assertam fundare in ratione cognoscendi non habente solidum fundamentum.

3. II. Ex Ioanne Martinon *disp. 9. de Deo. sect. 7. n. 51.* opponitur, quòd impium sit dicere, in Deo esse Decretum de procurandis omnibus conditionatis à Deo præscitis: nam alioquin essent à Deo procuranda peccata sub conditione revelata. At Deus antecedenter ad creationem absolutè prævisam ac præfinitam præscivisse homines, & Angelos peccaturos, si crearentur, supponitur à SS. Patribus, dum Hæreticis, ac Ethnicis quærentibus, cur Deus homines & Angelos, quos præsciebat peccaturos, si crearentur, suæque relinquerentur libertati, produxerit? respondent, Deum id voluisse ad ostensionem suæ Bonitatis, & suavis suæ Providentiæ, aliosve fines; uti videre est apud Ioannem Martinon *disp. 9. sect. 6. n. 48.* Ubi magno numero Sanctos Patres allegat. Oportet igitur, peccata primorum Parentum, & Angelorum sub conditione creationis, ac libertatis suæ innatæ à Deo præscita esse independenter à suo Decreto.

4. III. Ex Amico *cit. sect. 12. n. 200.* objicitur: Illo S. Scripturæ textu, *Raptus est, ne malitia mutaret Intellectum ejus. Sap. 4.* supponi, Malitiam sub conditione, nisi raperetur, in justo futuram. Unde Patres specialem Dei favorem agnoscere ergà eos, quos vitæ subtrahit in bono statu, ne, si diutius viverent, laberentur in peccata & damnationem æternam incurrerent, veluti prævidebat fore, si non impediret, cujusmodi adeò Conditionaliter, si Deus non impediret, futurum eventũ prævisum fuisse à Divino Intellectu, frequenti à se allegato SS. Patrum numero ostendit Martinon *cit. sect. 6. n. 47.* Confirmatur ex
5. Christi verbis *Matth. 24. Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi. Matth. 24. & Marci 13.* Nam hisce sicuti superioribus *ex Sap. 4.* allegatis verbis insinuatur Peccatorum in Electis sub conditione futurorum prævisio Dei, quam non esse ex vi Decreti, ita demonstratur. Etenim Deus ideo rapit justum, quòd nolit eum peccare. At eo ipso, quòd Deus non habeat Decretum, si diutius viveret, permittendi ejus peccata, tunc secundùm Thomistas, datâ diuturnioris vitæ hypothesi, non est peccaturus, Deus autem pro libertate potest non habere illud Decretum: Non ergò opus erat rapere Iustum, si futuritio peccati est ex vi Decreti Divini. Cùm igitur S. Scriptura, & Patres illis loquendi modis insinuent, prærmaturam Iusti mortem à Deo decretam esse tanquàm Medium evitandi ejus peccata sub conditione vitæ diuturnioris præscita, oportet Deum ad rapiendum Iustum induci non ex vi propriæ Voluntatis, seu Decreti sui conditionati, quod dum liberè non haberet secundùm Thomistas, staret Iusti vita diuturnior absque peccato. Ergò ad Iustum ex hâc vitâ subtrahendum movetur potiùs Deus ex ipsiusmet Iusti Voluntate, per cujus libertatem prævidetur peccati Futuritio, nisi præmaturâ morte raperetur.

CONCLUSIO.

SCientia Media Divinam Conditionatorum Præscientiam adstruens ante Decretum Dei non cohæret cum Divinâ S. Scripturæ & S. Patrum Doctrinâ.

Probatur. Ex conditionatis divinitùs revelatis aliqua sunt disparata, quorum, uti ait 6.
Amicus *cit. disp. 12. sect. 13. in init.* conditiones nullo pacto sunt causa Veritatis, & existentiæ consequentis in propositione conditionali importati. Inter ejusmodi verò est illud *4. Reg. 13. v. 19. Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem.* At in hujusmodi disparatis Conditionalibus nec ex vi extremorum, nec ab intrinseco, nec ex naturâ rei, nec ex vi ullius Causæ secundæ est aliqua connexio consequentis cum antecedente; ejusmodi tamen connexio, seu unius ex altero consecutio in illis significatur per particulam *si*. Oportet igitur, istam consecutionem seu connexionẽ reduci unicè in Deum. At Deus non ordinatur ad Extra nisi secundùm Decretũ liberũ Divinæ suæ Voluntatis. Consequens proinde est, rationem illius consecutionis quà veræ formaliter importare ordinationem, seu Decretum Divinæ voluntatis. Ergò antecedenter, vel independenter ab hoc Decreto Dei non est Veritas, nec adeò cognoscibilitas, nec consequenter in Deo Scientia illius consecutionis.

Respondebis ex Amico *cit. sect. 13. concl. 1. & 2.* In conditionatis disparatis aliam esse Veritatem Materialem sitam in solâ concomitantia unius veritatis cum aliâ: at concomitantiam ejusmodi esse certò cognoscibilem à Deo ante ipsius Decretum. Aliam verò eorundem veritatem esse Formalem, seu hypotheticè illativam, quæ resultat ex Voluntate Dei conditionem in se improportionatam ordinantis ad consecutionem, seu existentiam alterius rei disparatæ. At sicuti Deus cognoscit fore, ut conditionalis disparatæ Veritas materialis resultaret, si cum Creaturâ concurreret ad effectum Conditionaliter futurum; sic cognoscere certò, 7.

quòd

quòd ejuſdem conditionalis Veritas Formalis reſultaret, ſi Deus per ſuum Decretum ordinaret conditionem illam ad rei diſparatæ exiſtentiam. Conſequens igitur eſſe, Conditionalia Diſparata ante Decretum Dei actu exiſtens per ordinem duntaxat ad Decretum Conditionatum objectivum eſſe certò cognoſcibilia quoad Veritatem non tantùm Materialem, ſed etiam formalem conditionaliter illativam.

8. Contra: Nam Conditionalis Diſparata, ſi ſpectetur ſecundùm materialem duntaxat extremorum Veritatem, reſolvitur in duas propoſitiones abſolutas, quarum Veritas per Concomitantiam ſtat ſub uno ſigno durationis, veluti patet ex Amico *cit. ſect. 13. n. 240. & 241.* At in illa conditionali. *Si percuſſiſſes uſque quinquies, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem:* non ſtat tum quintæ percuſſionis, tum conſumptionis Syriæ abſoluta Veritas. Ergò illa conditionalis nequit reſolvi in propoſitiones Categoricas, quarum Veritas per Concomitantiam ſtet ſub uno ſigno durationis, nec adeò ſubſiſtit ſecundùm Veritatem materialem, ſed formalem duntaxat, imò etiamſi hæc, vel quævis alia conditionalis foret quoad Veritatem materialem tali modo reſolubilis, ejuſmodi tamen Veritas utpote abſoluta eſſet ut ſic à Deo cognoſcibilis non per Conditionatorum Mediam, ſed per Viſionis abſolutorum Scientiam. Conſequens igitur eſt; Scientiæ Conditionatorum quà talis objectum non eſſe niſi formalem, ac illativam Veritatem. At futuri Conditionati quà talis Veritas Formalis non ſubſiſtit, dum præcisè verificatur fore, ut prætactæ v. g. Conditionalis Veritas illativa reſultaret, ſi Deus quintam Regis Iſraelitici percuſſionem, ceu conditionem diſparatam, & ex ſe improportionatam per Decretum ſuum ordinaret ad Syriæ conſumptionem.

9. Probatur iſtud aſſumptum. Nam pro ſigno illius verificationis ſupponitur conſumptio Syriæ non ut actu connexa, ſed quà ex vi Decreti Divini poſſibilis connecti cum conditione diſparatâ quintæ vel ſeptimæ percuſſionis. At veritas ſive abſoluta, ſive illativa prout ſtat ſub ſigno præciſæ poſſibilitatis fundat in Deo Scientiam ſimplicis duntaxat Intelligentiæ. Ergò ad fundandam Dei Scientiam Conditionatorum quatenus à Scientiâ ſimplicis Intelligentiæ virtualiter diſtinctam exigitur propoſitionis conditionalis Veritas illativa, ſecundùm quam ex hypotheſi conditionis in antecedente poſitæ, v. g. quintæ à Rege Ioas exercendæ percuſſionis, eſſet actu futurus effectus in conſequente aſſertus, Syriæ v. g. conſumptio. At Futuriotionis circa Syriæ conſumptionem ex hypotheſi quintæ illius percuſſionis faciendam Veritas actualis non ſubſiſtit, niſi quatenùs percuſſio illa per actuale Dei Decretum erat ordinata ad Syriæ devaſtationem. Cùm igitur Conditionalis illa prætacta Divinam Conditionatorum Præſentiam non fundet niſi ſub ratione actualis Conditionalis Futuritionis; hujus autem Veritas Formalis, & illativa fundetur in Dei Decreto de ſe improportionatam conditionem actu ordinante ad effectûs diſparati v. g. Syriæ conſumptionis infallibilem hypotheticam conſecutionem, ex Amico, *ubi ſupra.* Conſequens eſt, Divinam conditionatorum Scientiam ſupponere actuale Dei Decretum.

Confirmatur. Sicuti Victoriam Ioſue contra Chananæos Deus alligavit elevationi Clypei. *Ioſue 8. v. 18.* Sic Deus percuſſionem Syriæ toties futuram ſuo Decreto ordinaverat, quoties Ioas percuteret terram. Ex Cornelio à Lapide *in cit. 4. Reg. 13. v. 19.* Ex vi autem hujus Divini Decreti ad ſeptimam Ioas percuſſionem erat infallibilis conſecutio conſumptionis Syriæ. At iſta Syriæ conſumptio pronuntiatur per Prophetam Eliſæum ex hypotheſi ſeptimæ percuſſionis faciendæ à Ioas, tanquàm actus ab ipſo liberè faciendus. Cùm igitur iſte actus liber habuiſſet infallibilem conſecutionem ex ſeptimâ terræ percuſſione, non ſecundùm ſe, ſed ratione Decreti Divini, conſequens eſt, infallibilitatem Futuritionis actûs ejuſmodi conditionati eſſe ex vi Decreti Divini. At Divina illius conditionatæ Futuritionis Scientia nititur eâ duntaxat ratione, ſecundùm quam ſtat infallibilitas Futuritionis ejuſmodi tam in ſe, quàm in causâ proximâ, nec non prærequiſitâ conditione contingentis. Ergo Intellectui Divino ratio ſciendi Futuritionem illam liberam & contingentem eſt Decretum Divinum. Atqui Præſcientia Divina fundata in Decreto Dei tanquàm ratione ſuâ cognoſcendi eſt libera, non autem Media Dei Scientia. Ergò Futuritio ejuſmodi conditionata contingens & libera attingitur a Scientiâ Dei liberâ Viſionis, nec adeò ſubſiſtit in Intellectu Divino Scientia Media. 10.

Replicabis ex Vaſquez *cit. diſp. 67. c. 4. n. 24. uſque ad 27.* Ad Veritatem conditionalis requiri quidem Bonitatem conſequentiæ per particulam *Si* importatæ: Hanc tamen conſequentiæ Bonitatem aliter ſe tenere, dum conditio ex ſuâ naturâ ſe habet ſolum diſparatè ad conſequens, velut in illâ Eliſæi propoſitione: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies ſive ſepties; percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem.* Tunc enim Bonitatem conſequentiæ, atque adeò veritatem Conditionalis propoſitionis ſubſiſtere ex vi ſolius verbi Dei, ſeu Decreti Divini. Secus verò eſſe, quandò conſequens ad conditionem in antecedente poſitam ſe habet inſtar effectûs ad cauſam quantumvis liberam, & contingentem; tunc enim Bonitatem Conſequentiæ, atque adeò Veritatem propoſitionis Conditionalis ſubſiſtere ex connexione reali Cauſæ cum effectu. Etſi proinde Veritas conditionatæ Futuritionis in illa Eliſæi propoſitione radicetur in Decreto Dei; attamen veritatem propoſitionis conditionalis actus liberos enuntiantis ex hypotheſi conditionis noſtro arbitrio ſubordinatæ ſtare in ipsâmet futuritione actuum ejuſmodi habente realem effectûs cum libertate noſtrâ tanquàm Cauſa connexionem. 11.

Contra. Nam iſtud Chriſti Domini: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem & exhibebit mihi modò plus quàm, duodecim Legiones Angelorum, Math. 26.* Continet in ſe hanc conditionalem; Si rogavero Patrem, exhibebit mihi tot Legiones. At hujus conditionalis conſequens ob defectum conditionis non evenit, & tamen pronuntiatur à Chriſto actualiter futurum ſub hypotheſi ſuæ Orationis. Hæc verò Oratio Chriſti reſpectu Angelorum miſſionis non erat diſparata, ſed habebat moralem Cauſalitatem, quæ tamen non niſi mediante Patris Decreto eſſet ſortitura effectum. Ergò conditionata actualis Futuritio illius Angelorum miſſionis nititur Decreto Dei. 12.

Ergò

Ergò propositionis conditionalis etiam non disparatæ Veritas fundatur in actuali Dei Decreto.

13. Dices: Futura Conditionata, quæ per solum Deum essent futura, cognosci ab ipso infallibiliter in suo Decreto, quod actualiter habet, vel haberet, si poneretur talis conditio. Ex Mæratio *in tract. De Deo. disp. 28. sect. 5. n. 4.* At illius Angelorum exhibitionis causam unicam pronuntiari à Christo Patrem æternum, juxta illud: *Et exhibebit mihi plus quàm duodecim Legiones Angelorum.* At secus esse de actibus creati arbitrij; hos enim ita habere physicam Causalitatis realis dependentiam à nostra voluntate, ut eorum consecutio sit certa ex hypothesi congruæ vocationis. ex Vasquez. *cit. c. 4. n. 26.* Unde conditionatam ejusmodi liberorum actuum Futuritionem antecedenter ad Decretum Divinum esse in se ipsâ determinatè veram ex hypothesi congruæ vocationis. Ergò talem ex congruitatis hypothesi conditionalem actûs liberi Futuritionem independenter à Decreto Dei actuali esse in se ipsâ cognoscibilem à Deo.

14. Contra. Nam sicuti Oratio Christi respectu prætactæ exhibitionis Angelorum habet Causalitatem duntaxat Moralem; ita vocationis congruitas, etsi radicetur in physicâ virtute gratiæ actualis, in ratione tamen congruitatis ut sic habet vim Moralis Causalitatis. At ex Christi oratione præcisè non erat formabilis illatio infallibilis Angelorum exhibitionis, sed hujus consecutio reducebatur à Christo in Patrem æternum. Neque verò ex Deo secundùm suam præcisè substantiam, sed secundùm Decretum actuale consideratо erat certa illa Angelorum exhibitio quà ex hypothesi Orationis Christi futura. Atqui hæc ipsa exhibitio ita fuisset futura ex Decreto Patris æterni, ut tamen per Voluntatis suæ consensum & actionem essent Angeli cooperaturi Decreto Divino; Cùm igitur ista Angelorum exhibitio quà conditionatè Futura ita fuerit fundata in Decreto Dei actuali, ut tamen à Conditione Orationis Christi quà moralis Causæ, & physicâ Angelorum cooperatione quà Causalitate reali penderet; Consequens est, actus nostros liberos à Congruitate Vocationis moraliter, & libertate nostræ Voluntatis physicè pendentes pariter quoad Futuritionem suam actualem, atque hujus ut sic cognoscibilitatem ac veritatem determinatam radicari in Decreto Dei non tantùm Conditionatè secundùm rationem nostram futuro, sed actualiter præsente quà ex parte Dei absoluto, & ex parte duntaxat objecti conditionato, quod intellectui adeò Divino sit prima, & unica ratio cognoscendi futura Conditionata.

15. Confirmatur ex illo. *1. ad Corinth. 4. Quis enim te discernit, quid habes, quod non accepisti? Si ergò accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?* Ex hoc enim licet sic argumentari. Sub ista discretione non venit illa duntaxat, quâ Prædestinati à Reprobis, seu Boni à Malis discernuntur, uti perperam contendit Petrus à S. Ioseph *disp. 4. Suavis Concord. sect. 3. n. 1. in respons. 2.* sed ex generalitate verborum omnem gloriandi de quovis opere bono occasionem amputantium, patet intelligi de discretione, secundùm quam in quolibet opere bono per gratiam datur uni, ut operetur, non alteri. ex D. Augustino *lib. 1. de prædestin. Sanctor. c. 3. in prin. c. 4. in fine & c. 5.* Unde ne illius quidem discretionis, per quam unus, non verò alter in hâc rerum peristasi benè operatur, Causa potest reduci in nostram Voluntatem tanquàm rationem ex se ipsâ certò, ac infallibiliter illativam discretionis ejusmodi. At stante Scientiâ Mediâ, verificaretur, quòd antecedenter ad Decretum Dei Futuritio Conversionis Tyriorum ac Sidoniorum per libertatem ipsorum subsisteret, si Christus apud eos facturus fuisset miracula, quæ in Corozaim, ac Bethsaitâ patravit. Unde futuritionis ejusdem determinatio esset in se ipsâ ex ordine ad liberas Tyriorum, ac Sidoniorum Voluntates abstrahendo ab omni actuali Decreto Divino. Illa ipsa verò Futuritionis liberæ ex vi creatæ Voluntatis determinatio esset ratio prima Veritatis de conversione Tyriorum, ac Sidoniorum futurâ ex prætactâ virtutum Christi, seu Miraculorum hypothesi. Est autem verum aliquid, in quantum est: Ergò ratio discretionis, seu determinationis secundùm quâ Tyrij præ Iudæis datâ illâ hypothesi agerent pœnitentiam, secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores, sub ejusmodi determinationis, formalitate non esset desumenda ex Deo contra præfatam doctrinam Apostoli discretionem, quantumvis ex libertate nostrâ & Gratia Dei pendentem formaliter in ratione discretionis reducentis in Deum, atque adeò ipsius actuale Decretũ.

Oppones ex Petro à S. Ioseph *suavis Concord. disp. 4. sect. 2. Assert. 1. §. Deinde Decretum.* Si futuritio conditionata Pœnitentiæ Tyriorum non 16.
esset ex Libertate ipsorum, nisi supposito Decreto Dei actuali, tunc enervari Christi Domini exprobrationem Iudæis factam. Probatur ista sequela. Potuissent enim Iudæi excipere, quòd Tyrijs sub hypothesi prædicationis, ac miraculorum, non autem sibi esset à Deo efficaciter decreta conversio. Ergò ut justa esset Christi adversùs Iudæos querela, & exprobratio; oporteret, vel conversionem æquè ac Tyrijs sub conditione prætactâ efficaciter fuisse à Deo decretam Iudæis; vel rationem, cur Tyrij, non autem Iudæi in illâ hypothesi agerent pœnitentiam, fuisse ex ipsorum propriæ Voluntatis determinatione.

Contra est sacer Textus *ad Rom. 9.* ubi Apostolus cum Versu 18. conclusisset: *Ergo cujus vult,* 17.
miseretur, & quem vult indurat. exinde versu 19. facit objectionem: *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur?* id est, si Deus cujus vult misereatur, & quem vult indurat, cur ergò conqueritur, & succenset Deus Pharaoni, alijsque impijs? ipse enim Deus eos indurat, cujus voluntati nemo resistit. ex Cornelio à Lapide *in cit. v. 19.* Cui objectioni respondet Apostolus *vers. 20. & 21. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid fecisti me sic?* Ex quo patet, eos esse reprehensione dignos, quos Deus ex vi sui Dominij, & absolutæ potestatis indurat. Hæc verò induratio est ex denegatione gratiæ Efficacis. At in Iudæis ex hoc ipso erat Gratiæ Efficacis ad conversionem denegatio, quòd Deus non decreverit Efficaciter conversionem ipsorum. Ergo Iudæorum præ Tyrijs reprehensio non enervatur ex hoc, quòd ipsis esset negata Gratia Efficax, vel non decreta efficaciter etiam sub conditione ipsorum conversio. Ratio hujus fundamentalis per Ioannem à S. Thomâ *præs. disp. 20. a. 5. n. 8.* deducta est; Quia reprehensio funda-

fundatur ſuper obligatione, & potentiâ iſtam adimplendi: hinc enim ex tranſgreſſione obligationis eſt culpa, propter quam fit objurgatio. At
18. obligatio, & potentia ad operandum inducitur ex auxilio ſufficienti, & non ex Efficaci, cùm iſtud non det virtutem ſeu poſſe, ſed applicationem. Hinc Tyrij & Sidonij non omnino liberià reprehenſione, ac punitione pronuntiantur à Chriſto *cit. Matth. 11.* aſſerente, *ipſis remiſſius fore in die Iudicij.* Ergo ex hoc tantùm immunes erant Tyrij, quatenus defectu prædicationis, & miraculorum, ſub quorum conditione ipſis erat efficaciter à Deo decreta pœnitentia, erant non tantùm deſtituti Gratiâ Efficaci, ſed ſufficienti proximâ ad credendum, cùm tamen damnationi fuerint obnoxij ob non ſervatas alias obligationes legis maximè Naturalis, vel inſpirationes Divinas forſan rejectas, in ordine ad quas habebant auxilium ſufficiens, non tamen ſemper efficax. Cùm igitur Iudæi ſuppoſitâ Chriſti prædicatione, ſignis ac virtutibus roboratâ habuerint credendi Gratiam ſufficientem, erant reprehenſione digni, etſi Deus nequidem ſub conditione prætactâ decreverit ipſis efficaciter Converſionem, ac Pœnitentiam. Imò ex hâc ipsâ per Gratiam ſufficientem credendi, ac pœnitendi potentiâ erat conſequens, quòd ipſorum incredulitas ac impœnitentia non ſe haberet per modum puræ negationis credendi, ſed per modum privationis, ſeu culpabilis reſpuentiæ Fidei ſufficienter propoſitæ. At hæc ipſa culpabilis fidei reſpuentia jam erat impedimentum Doni Efficacis auxilij. Patet igitur, ſtare juſtam Chriſti adversùs Iudæos exprobrationem, etſi ipſis non æquè, ac Tyrijs ſub conditione prædicationis, ac miraculorum fuerit à Deo efficaciter decreta pœnitentia: neque tamen cur Tyrij, non autem Iudæi ſub illâ hypotheſi eſſent acturi pœnitentiam reduci debere in ipſorum propriæ Voluntatis determinationem tanquàm primam hujus Veritatis rationem: nam vi hujus determinationis facta fuiſſet diſcretio Tyriorum ab impijs, cujuſmodi tamen diſcretionem primò eſſe reducendam in Deum, apertè teſtatur Apoſtolus *ſuprà* citatus. Ergò cur ſtet iſta in æternitate Divino Intellectui infallibiliter nota Veritas: *Tyrij, non autem Iudæi Bethſaithæ eſſent ex hypotheſi prædicationis ac miraculorum Chriſti pœnitentiam acturi*, prima hujus ratio reducenda eſt in Deum, ejuſque adeò liberum actuale Decretum.

Reſponſio ad fundamenta oppoſita.

19. AD Suarezij *n. 2.* oppoſitum Reſpondetur. Ex proximè deductis ſacris textibus conſtare, quorundam conditionatorum eſſe in Deo actuale Decretum, vi cujus eorundem Futuritio eſſet ſecutura infallibiliter ex hypotheſi conditionis, nunquam tamen in effectu ponendæ. An verò de omnibus conditionalibus, quæ ſecundùm hypotheſes in infinitum formabiles cognoſcuntur à Divino Intellectu, Deus habeat Decretum, vi cujus de ijs verificetur conditionatè aut futuritio, aut ejus negatio; non parum pendere ex illa quæſtione, An voluntas Divina poſſit ſtare ſub indifferentiâ non ſe determinando ad quaſvis ſub quacunque ſive diſparatâ, ſive Cauſali hypotheſi per ſimplicis Intelligentiæ ſcientiam noſcibiles, & per Divinam Voluntatem, ac potentiam realiter producibiles veritates, ſeu realitates. Quam difficultatem inferiùs diſcutiendam hîc relinquentes intactam, dicimus interea, Veritates conditionales de rebus creatis antecedenter ad Decretum Divinum formabiles non attingere ex parte objecti ullam Futuritionem, ſed poſſibilitatem duntaxat effectûs quà enuntiati ſub formalitate hypotheſis habentis connexionem vel neceſſariam, vel infallibilem, vel quandoque ſolùm probabilem cum effectu ejuſmodi, qui ſub conditione diſparatâ non ex hujus præcisâ virtute, ſed ex vi conditioni ejuſmodi inexiſtentis per potentiam & voluntatem Divinam elevabilitatis poſſit habere conſecutionem infallibilem; Sicuti econtra effectus liber ex hypotheſi conditionis arbitrio creato ſubordinatæ aſſertus ita continetur in Virtute ſuæ Cauſæ, ut tamen reſpectu iſtius quà liberæ ſecundùm ſe conſideratæ non habeat connexionem infallibilem, ſed poſſibilitatem duntaxat probabilem, quæ importat formaliter tum realem actionis ex principio creato libero producibilitatem, tum intrinſecam Cauſæ liberæ pro hac rerum periſtaſi inclinationem: quam adeò inclinationem pro ſtatu poſſibilitatis, ſicuti actionis ex principio libero cum tali inclinatione producibilitatem cognoſcere Deum per Simplicis Intelligentiæ, non verò Mediam Scientiam.

Ad Ioannis Martinon *n. 8.* oppoſitum Reſpondetur. Impium eſſe, ac Sanctitati Dei puriſſimæ repugnans, quòd peccata ſint à Deo prædefinita, etſi ex vi Decreti Divini permiſſivi ſint futura infallibiliter, cùm quo ſecundùm formale peccati habeant connexionem non Cauſalitatis, ſed Conſequentiæ infallibilis, vi cujus adeò ſecundùm futuritionem ſive abſolutam ſive conditionatam ſint cognoſcibilia in ejuſmodi permiſſivo Dei Decreto. *uti ſupra eſt oſtenſum, & magis conſtabit ex dicendis infra.* 20.

Unde, ſi in priori Rationis ſigno ante abſolutum de mundi productione Decretum Deus noviſſet Futuritionem conditionatam peccatorum, quæ tum Angeli, tum homines ſub conditione creationis eſſent facturi, oportere in Deo Decretum conditionatum non prædefinitivum, ſed permiſſivum peccatorum ponere antecedenter ad abſolutum de Angelorum, & hominum productione Decretum. Nihilominùs iſto permiſſivo Decreto conditionato etiam negato per argumentum ex Patribus deductum à Martinon non evinci Scientiam Mediam; ita demonſtratur. Etſi enim nos propter Virtualem Divinarum formalitatum diſtinctionē formando de iſtis formalitatibus præciſiones objectivas in perfectionibus, ac Decretis Divinis ponamus diverſa ſecundùm prioritatem, & poſterioritatem rationis ſigna: attamen Dei Intellectus uno ſimplici intuitu abſque ullâ præciſione attingens omnem ſuæ ſubſtantiæ formalitatem in hac cognoſcit ſingulas quarumcunque poſſibilium creaturarum ad ſe tanquàm finem univerſorum ſub diverſis diſtinctè cognitis Medijs cum omnimodâ certitudine referibilitates. Atqui hæc Dei notitia ita reſpectu objecti ſui ſpecificativi eſt viſionis, ut reſpectu objecti Terminativi, ſeu creaturarum ſub ſtatu poſſibilitatis ſeu in Deum tanquàm finē referibilitatis ſpectatarum ſit ſimplicis Intelligentiæ 21.

ſigentiæ antecedentis omne Dei Decretum. Eſt autem per ſe manifeſtum, ſecundùm noſtras præciſiones objectivas in ſigno rationis antecedente liberum Dei Decretum verificari, ſi Deus ad ſe tanquàm ultimum univerſorum Finem ſub Medijs ad oſtenſionem Divinæ Iuſtitiæ in ultione peccatorum referibilibus decreturus ſit horum in individuo & hominum & Angelorum exiſtentiam à ſe realiter producibilem, oportere pro ſigno rationis poſteriori habere Deum Decretum peccatorum permiſſivum. Unde conſtat, in hac conditionali involvi Decretum Dei permiſſivum, non actuale exercitum, ſed objectivum ſub ratione Logicæ indifferentiæ, ac in ordine ad creaturas ſub ſtatu puræ poſſibilitatis.

22. De hujus adeò Decreti objectivi Scientiâ procedit illa per Martinon propoſita Ethnicorum, & à Patribus ſoluta quæſtio. At ratio illius Decreti objectivi pro dicto priori rationis ſigno nihil aliud eſt, quàm Divina ſubſtantia cum creaturæ rationalis ex hac derivabilitate, & ad ipſam quà finem ſub determinato peccati permiſſionem inferente medio referibilitate. Ergò illius Decreti objectivi ſcientia, ſecundùm quam procedit prætacta Sanctorum Patrum reſponſio, eſt tum Viſio Divinæ ſubſtantiæ, tum ſimplex Intelligentia creaturæ rationalis ſecundùm poſſibilitatis ſtatum conſideratæ. Ergo ex allegato Patrum reſponſo non infertur Scientia Media.

23. Ad Amici *n. 4.* Oppoſitum Reſpondetur 1. Si Sancti Auguſtini *lib. 1. de Prædeſt. Sanctor. c. 14.* ſententia hic tenenda ſit, quod illud in objectione allegatum *Sap. 4.* teſtimonium accipi debeat *ſecundùm pericula hujus Vitæ, non ſecundùm præſcientiam,* oportere conſequenter aſſerere, Deum cùm vellet Iuſtum ex hujus vitæ periculis, ſeu lapsûs ob hujus vitæ tentationes ac innatam inclinationem poſſibilitate probabili per ſimplicis Intelligentiæ Scientiam certò cognitâ eripere, ſtatuiſſe præmaturam ipſius mortem. Vnde ad hoc Decretum ex ſuâ Bonitate ita Deum fuiſſe motum, ut tamen ipſa malitia formaliter ut ſic ex voluntate creatâ derivabilis, ſed ſecundùm ejuſdem Voluntatis propenſionem probabilis eſſet ex ſe ipſâ Medium ad Dei Bonitatem in Decreto præmaturæ Iuſti mortis, atque adeò peccatorum cum aliquâ ob naturalem inclinationem probabilitate poſſibilum evitationis prædefinitivo commendandam. Conſequens igitur eſſe, quòd raptus Iuſti potuerit eſſe Medium ad peccatorum ex innatâ voluntatis propenſione probabilium, atque ut ſic non remotè duntaxat, ſed proxime poſſibilium, ſeu probabilium evitationem, quin oporteat adſtruere Scientiam Mediam peccatorum ſub diuturnioris vitæ conditione futurorum, atteſtante D. Auguſtino, *loc. cit. Deum præſciviſſe quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Sed quod *ſecundùm pericula hujus Vitæ* erat ſolùm probabile, ſeu cum inclinatione Cauſæ innatâ poſſibile. Verùm ſi Adverſariorū aliquis omninò contendere velit, raptum Iuſti eſſe à Deo decretum ad evitationem peccatorum determinatè Futurorum ſub conditione vitæ diuturnioris, Reſponderi poteſt. 2. Iſtam conditionatam peccatorum futuritionem ſtare non poſſe ſine actuali Dei Decreto peccatorum ſub dictâ hypotheſi permiſſivo: Neque verò in iſto Decreto eſſe aliquid abſurdi. Nam licèt Deus certò præcavere poſſet peccata, non habendo ejuſmodi Decretum: ſi tamen Voluntas Divina quoad omnes effectuum creabilium in infinitum poſſibiles hypotheſes ſit actu in æternitate determinata vel ad volendum, vel ad nolendum, poteſt Deus ita habere Decretum non permittendi peccata quà in his, vel illis circumſtantijs non remotè duntaxat, ſed cum proximâ Voluntati creatæ innatâ probabilitate poſſibilia, ut tamen circa alias ſub poſſibilitate hypotheticâ formabiles rerum periſtaſes habeat de Iuſto Decretum conditionatum permittendi ejus peccata, ex ſui conſilij, ac Iudicij fine inſcrutabili. Quo tamen Decreto Conditionato poſito, non idcircò ligata erat manus Domini, quin ex Bonitate ſuâ adverſando peccati malitiam conditionatè futuram prædefiniret negationem conditionis, ſub quâ futura erat peccati permiſſio, atque ut ſic impediret abſolutam peccati hujusmodi Futuritionem. Conſtat igitur, poſſe in Deo Decretum ſub conditione aliquâ permittendi peccatum, ſtare cum Voluntate efficaci non ponendi actualiter conditionem, atque adeò impediendi peccati malitiam.

CONTROVERSIA. III.

An Scientia Media cohæreat cum Doctrinâ Sancti Auguſtini.

1. HAnc quæſtionem teſtatur Ioannes à S. Thomâ *cit. diſp. 20. n. 3.* à Sanctiſſimo Clemente VIII. Sacræ Congregationi de auxilijs Divinis per eiuſdem Secretarios die 15. Iulij Anno 1604. fuiſſe propoſitam ſub hoc tenore: *An ſit ſententia Sancti Auguſtini, quòd ante Decretum abſolutum Divinæ Voluntatis detur in Deo certa, & infallibilis cognitio Contingibilium dependentium à cauſâ liberâ, qualem* Molina *per Scientiam Mediam Deo tribuit.*

Iſti adeò difficultati intenſiùs attendere operæ pretium eſſet vel ex hoc ſolùm; quòd à Summo Pontifice fuiſſet propoſita, niſi Societatis Ieſu Theologi, nominatim P. Rechlinger *in ſuis Theſib. Theol. de Scient. Dei. Theſi 44.* obniterentur, quòd aſſertis ſub Clemente VIII. & Paulo V. in Congregationibus circa auxilia Divinæ Gratiæ inter Patres Societatis Ieſu, & Ordinis Prædicatorum actis ex Decreto Innocentij X. nulla ſit habenda fides. Quare ab hiſce actis nos præſcindentes rationem motæ Controverſiæ adſtruimus ex eo, quòd Scientiæ Mediæ adinventio ortum habuerit ex difficultate conciliandi libertatem cum Gratiæ Efficaciâ, in quâ materiâ Bellarminus *lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 11.* allegatis Summorum Pontificum do S. Auguſtino Encomijs, ait, illum ſequi Fidem Eccleſiæ Catholicæ, qui ſequitur doctrinam iſtius Magiſtri Gratiæ.

Referuntur ſententiæ Doctorum.

HInc non modica utrinque pro S. Auguſtino eſt concertatio: Franciſco inprimis Amico *cit. diſp. 12. n. 201.* ſic argumentante. Divus Auguſtinus *1. ad Simpli. q. 2. in init.* Congruitatem Vocationis explicat per Ordinem ad circumſtantias temporis: *ſed intereſt, quibus Articulis temporum Gratia infundatur.* Hoc autem eſt dictum in ordine ad conſenſum, quem Gratia 2.

causat in animâ. At nihil interesset, Gratiam sive hoc, sive illo tempore infundi, si ex naturâ suâ independenter ab omni extrinseco haberet efficaciam ad consensum infallibiliter operandum. Non igitur subsistit gratiæ efficacia, nisi per quandam congruitatem, vi cujus pro his potiùs, quàm alijs temporis circumstantijs sit attemperata ad obtinendum consensum. At hoc supponit Scientiam, quà independenter à Decreto Divino actu existente Gratia est à Deo prævisa uno potiùs, quàm alio tempore congrua ad consensum infallibiliter obtinendum. Hæc autem Præscientia est Scientia Media. Ergò ex mente S. Augustini asserenda est Media Scientia.

3. Martinon *cit. disp. 9. n. 45.* Pro Scientiâ Mediâ expendit illud Augustini *in lib. de Corrept. & Grat. c. 8. sub. finem. Respondeant*, asserentis, *si possunt, Cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viverent, non hunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Utrùm hoc in potestate non habuit. An eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissimè, & insanissimè dicitur.* Ex quo ita licet argumentari. Mutatio, de quâ hic loquitur Augustinus, erat quidem absolutè futura, priùs tamen, quàm prævideretur absolutè futura, præscita fuit sub conditione. Probatur hoc Assumptum. Quia S. Augustinus affirmat, Deum potuisse per talem Præscientiam impedire, ne illa mutatio in pejus foret re ipsâ. At non potuit impedire per Præscientiam absolutam; hæc enim supponit rem esse absolutè futuram. Ex suppositione autem, quòd sit futura, non potest fieri re ipsâ, ut non sit futura. Si ergò Deus impedire mala ejusmodi habuit in potestate, quatenùs ea præscivit, oportet, hanc Præscientiam esse Conditionatam ante Decretum, cùm ex istius suppositione non posset impedire illa mala.

4. Amicus *loco citato* ponderat D. Augustinum *de Bono Persev. c. 14.* investigantem, Cur Tyrij credidissent, si eadem signa, quæ Iudæi viderunt, ipsi quoque vidissent. Nam hujus rationem non reducit in Decretum Dei, sed assignat solùm conditionem ex parte eorum, qui credituri fuissent: etsi ad Decretum Prædestinationis referat, quòd non sint eis talia signa concessa. *Ex quo*, inquit, *apparet, habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter munus Intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Vnde constat, independenter à Decreto Divino, sed ex conditione ingenij, & intelligentiæ naturalis futuram fuisse congruam Tyriorum per signa, & miracula vocationem: ex cujus hypothesi certò acturi fuissent pœnitentiam. At hæc ipsa vocationis ex hypothesi signorum naturali Tyriorum ingenio, ac intelligentiæ antecedenter ad actuale Dei Decretum proportionata congruitas est objectum Scientiæ, quam Patres Societatis dicunt Mediam. Ergò hæc Dei Media Scientia habet fundamentum in S. Augustino.

5. Ex opposito inter Thomistas non ultimus Joannes à S. Thomâ *cit. disp. 20. a. 3. n. 7.* adversùs Scientiam Mediam pugnat sequenti Syllogismo. Modus cognoscendi futura conditionata ante Decretum Dei præveniens nostram Voluntatem; & juxta illum admittendi efficaciam Divini Decreti, & cum isto conciliandi libertatem nostram fuit à SS. Prospero & Hilario propositus D. Augustino tanquam assertus, & admissus à Massiliensibus. At S. Augustinus illis respondens talem modum Scientiæ non admisit, quin potius, si antea dixerat, Deum præscire ista Conditionata, dicit intelligendum, suppositâ Dei voluntate, ejusque prædestinatione. Ergò Scientia Media, seu cognitio Conditionatorum ante Decretum præveniens, & absolutum ex parte Dei est contra mentem S. Augustini.

In hujus adeò Syllogismi Majori, ac Minori: (quas fusè, ac efficaciter probat prætactus Author *cit. a. 3. à n. 8. usque ad 26.* (cùm totâ præsentis dubij vis consistat. Nos ad difficultatem majori cum claritate examinandam duas distinguemus conclusiones; in Primâ visuri, quid à SS. Prospero & Hilario sit propositum D. Augustino? Postea, quid hoc in puncto sentiendum de mente S. Augustini? 6

Conclusio I.

A Sanctis Prospero, & Hilario tria præcipuè tanquàm à Massiliensibus asserta, sunt Divo Augustino proposita: quorum Primum fuit, quòd modus cognoscendi futura Conditionata ante Decretum Divinum admissus fuerit à Massiliensibus. Secundum, quòd Prædestinationis, ac Decreti Divini efficaciam, seu infallibilitatem statuerint Massilienses in Præscientiâ Divinâ Conditionatorũ. Tertium, quòd libertatis nostræ cum Decreto Divinæ prædestinationis concordiam fundarint in prætactâ Conditionatorum Scientiâ.

Primum probatur ex SS. Prosperi, & Hilarij ad D. Augustinum Epistolis, quæ habentur *in tom. 7. Oper. D. Augustini ante lib. de prædestin. Sancto.* Vbi circa initium suæ Epistolæ S. Prosper refert de Massiliensibus; docuisse; *Deum illos, qui credituri sunt, quive in eâ fide, quæ deinceps per Dei Gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hàc vitâ bono fine excessuros, praeviderit.* Ex quo patet, Massilienses ante prædestinationem, ac Decretum electionis in Deo supposuisse præscientiam eorum, qui sub conditione vocationis essent digni futuri. In quem adeò sensum S. Hilarius. *in cit. epistolâ suâ ante med. testatur, cùm dicitur quare alijs vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, dicere,* Massilienses, id *præscientia esse Divina, ut eo tempore & illis Veritas annunciaretur, quando & ibi prænuntiabatur esse credenda.* Vnde circa hanc difficultatem cupiens cum S. Hilario edoceri S. Prosper *circa fin. prætactæ Epistolæ* quærit ex D. Augustino, *Vtrum præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, ut ea ipsa, quæ sunt proposita, id est, decreta, sint accipienda præscita, an verò in his, qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his verò qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: An verò uniformiter præscientia sit subnixa proposito.* Manifestum igitur est; S. Augustino fuisse propositam quæstionem, *An præscientia Dei sit subnixa, sive innixa Decreto Divini propositi, vel istud econtra supponat Dei præscientiam.* Quid igitur responderit S. Augustinus, *seq. Concl. elucidabitur.* 7

Secun-

8. Secundum probatur ex prætactis Epistolis. Cùm enim teste S. Prospero *circa init. suæ epist. Omnem industriam removeri, tollique virtutes, si Dei constitutio*, id est Divinæ prædestinationis Decretum, *humanas præveniat voluntates, imò sub hoc prædestinationis nomine nomine fatalem induci necessitatem*, arbitrarentur Massilienses: Idcirco *hanc de humanis meritis, quæ non futura novo absurditatis genere confingebant futura, præscientiam adstruebant, secundùm quam gratia Dei vocantis operaretur.* In quam adeò futurorum Conditionatorum præscientiam reducebant rationem, Cur *Deus aliquas Nationes in prætervitis sæculis dimiserit ingredi vias suas, & in veteris ignorantia Impietate deperire, cùm tamen, in quantum prædicatoribus ostium apertum est, Gentium populus, qui sedebat in tenebris, viderit lucem magnam.* Item Cur, *qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sit? Et quorum aliquando Deus non misertus, nunc autem misereatur?* Ideò namque ajebant, Deum ipsorum esse misertum, *quòd prævisi essent Domino credituri, sintque ad unamquamque Gentem ita ordinata tempora, ac Ministeria Magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas Voluntatum.* Ex S. Hilario *ubi sup. &* Prospero *circa med. dictæ Epistolæ.* En igitur, Infallibilitatem prædestinationis à Massiliensibus ita negari radicatam formaliter in efficaciâ Decreti Dei, ut totam præordinationis Divinæ rationem reducant in merita sub conditione præscita: quibus etsi Semipelagiani, non autem moderni Scientiæ Mediæ propugnatores tribuere videantur vim quandam meritoriam, erit tamen difficultas, an non ex illo etiam capite à S. Augustino rejecta sit illa præscientia, quòd Massilienses infallibitatem prædestinationis non adstruerent, nisi prout esset innixa præscientiæ conditionatæ liberi prædestinatorum consensûs.

9. Tertium probatur ex eadem S. Prosperi Epistolâ *circa medium de* Massiliensibus scribētis in hæc verba: *In istam talis Gratiæ prædicationem se vel maximè contulerunt, quia si profiterentur, ab ea omnia merita præveniri, & ab ipsa, ut possint esse, donari, necessitate concederent, Deum secundùm propositum, & consilium, Voluntatis suæ occulto judicio, & tempore manifesto aliud Vas condere in honorem, aliud in contumeliam, sed refugiunt illud fateri, Divinoque operi adscribere Sanctorum merita formidant, nec acquiescunt prædestinatum Electorum numerum nec augeri posse, nec minui, nè locum apud infideles, & negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industria, ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari, si se sciat suâ diligentiâ bonum esse posse, & libertatem suam ab hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat elegerit.* Vides Massilienses, ne libertas Humani Arbitrij tolleretur, negasse infallibilitatem prædestinationis ex præcisâ Decreti Divini efficaciâ, veluti testatur S. quoque Hilarius *in princip. cit. Epist.* Vnde ad voluntatis creatæ libertatem cum Divinæ præordinationis Decreto conciliandam talem ingressi sunt viam, ut eodem S. Prospero *in fine suæ Epist.* attestante *penè omnium par inveniretur, & una sententia, quâ propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam reciperent, & ut ob hoc Deus alios Vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque praviderit, & sub ipso Gratiæ adjutorio, in qua futurus esset, Voluntate, & actione præscierit.* En igitur libertatis nostræ cum Divinæ prædestinationis proposito concordiam ex Mediâ Conditionatorum Scientiâ assertam à Massiliensibus. An proinde ex hoc etiam capite rejecta sit à Divo Augustino ista præscientia, inferiùs patebit.

CONCLUSIO. II.

Conditionatorum præscientia à D. Augustino ad prætactas SS. Hilarij, ac Prosperi Epistolas in libris duobus *de Prædestinat. Sanct.* Et *de Dono Perseverantiæ* respondente rejecta fuit non tantùm quoad abusum, quatenus Massilienses contendebant, homines per opera sub conditione præscita mereri, vel demereri vocationem ad gratiam, & gloriam, sed ex eo etiam Capite; tum quòd poneretur à suis Authoribus antecedenter ad propositum, seu Decretum Divinæ Voluntatis. Tum quòd nulla formaliter ex vi Divinæ prædestinationis admitteretur infallibilitas, sed emendicata duntaxat ex Conditionatorum præscientiâ. Tum denique, quòd per hanc quà antecedentem Decretum Divinæ prædefinitionis adstrueretur ratio conciliandi libertatem nostram cum prædestinatione.

Probatur inprimis *ex cap. 10. cit. lib. 1. de prædest. Sanct. Vbi, quando promisit Deus Abrahæ*, ait S. August. *fidem gentium, non de nostra Voluntatis potestate, sed de suâ prædestinatione promisit: Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quæ præcipit, non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit.* 10.

Ex quo ita licet argumentari. In fidei, vel quovis opere bono formaliter importatur consensus liber. Ergo Deus promittens opus bonum promittit consensum liberum. At promissio Dei est secundùm ejus præscientiam. Ergo Deus promittendo Abrahæ fidem Gentium harum liberum in fidem consensum præscivit. At si Deus hunc Gentium in fidem consensum liberum præscivisset, atque adeò promisisset ex vi Scientiæ antecedentis Decretum & prædestinationem suam; Consequens foret, non jam promisisse, *de suâ prædestinatione, sed de nostra Voluntatis potestate*, vi cujus antecedenter ad Decretum Dei prædefinitvum ex hypothesi Vocationis Gentium harum fides erat futura. Atqui S Augustinus negat, Deum Abrahæ promisisse fidem Gentium *de nostræ Voluntatis potestate, sed de suâ prædestinatione.* Ergo fidei Gentium futuræ sub prætacta conditione Veritas secundùm D. Augustinum fundatur in efficaciâ, & infallibilitate Divinæ prædestinationis, ex vi cujus adeò est futuritio determinata actûs liberi, atque adeò hujus præscientia est consequens Divinæ prædestinationis Efficax Decretum. 11.

Respondebis: S. Augustinum in hoc, & similibus locis agentem adversùs Semipelagianos solùm intendere, quòd fides Gentium Abrahæ promissa sit Donum Dei. Ex hoc autem esse Donum Dei, quòd non *de nostrâ* secundùm vires naturæ *potestate* procedat, sed ex Gratiâ Dei decretâ per Divinam prædestinationem. Hoc autem 12.

autem Divinæ prædestinationis Decretum non esse prædefinitivum consensûs liberi in actu fidei, aliove opere meritorio intervenientis, sed per id decerni à Deo tum auxilia, & circumstantias, tum cooperationem cum libero nostro arbitrio. Quod adeò Decretum posse eatenus esse causam, ut Deus in æternitate præviderit Fidem Gentium, quatenùs suppositâ Scientiâ Mediâ, vi cujus præviderat Deus sub conditione, quid singuli ex Gentibus per hæc vel illa auxilia, in hâc vel illâ occasione cum generali suo concursu essent facturi, erat vi Decreti rerum ejusmodi peristasin statuentis absolutè futura Fides Gentium. Hujus adeò fidei promissionem esse factam Abrahæ à Deo ex suâ prædestinatione, ut tamen ista supponeret Scientiam Mediam in Deo. Consequens igitur esse, hanc Scientiam Mediam non pugnare cum S. Augustini superiùs positâ doctrinâ ex Petro à S. Ioseph. *cit. disp. 4. de Scient. Condit. sect. 3. n. 2.*

13. Contra. Nam S. Augustinus *à cap. 2. libri de Prædestin. Sanctor.* ex sacris Litteris adversùs Semipelagianos ostendit, Fidem, & quævis opera bona ita esse Dona Dei, ut ipsemet Deus operetur Fidem in nobis miro modo agens in cordibus nostris, ut credamus. Hinc ad ipsum actum credendi pertinet etiam illud Apostoli: *Quis est, qui te discernit?* Hoc verò accipiendum est, non quia credere, vel non credere non est in arbitrio Voluntatis humanæ, sed quia in Electis præparatur Voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de Misericordiâ ejus, quid de Iudicio. ex S. August. *lib. cit. usque ad c. 6.* At ista Voluntatis nostræ præparatio, vi cujus Deus præparat bona opera, ut in illis ambulemus, est prædestinatio. ex eod. S. Doctore *c. 10.* De hâc proinde *prædestinatione suâ*, non *de nostra Voluntatis potestate* promisit Deus Abrahæ Fidem Gentium, promisit enim, quòd ipse erat facturus, quatenus ipsam credendi voluntatem in libero nostro arbitrio sitam, sed à se præparatam, atque adeò prædestinatam erat operaturus. At quæ DEUS erat facturus, prædestinatione suâ præscivit. Ex S. Aug. *cit. c. 10.* Ergo fides, ac reliqua opera bona quoad ipsum consensum liberum, vi cujus sit formaliter discretio, seu determinatio Voluntatis bonæ ex mente S. Augustini, ita sunt Dona Dei, ut sint à Deo præparata, & prædestinata, ac ex vi hujus prædestinationis præscita.

14. Atqui Scientiæ Mediæ propugnatores inprimis contra claram S. Augustini doctrinam negant de Deo Decretum, quòd Deo immediata, ac de se sufficiens esse possit ratio præsciendi actus nostros liberos. Insuper negant, Arbitrij nostri libertatem consistere cum prædestinatione, seu præfinitione actûs liberi, nisi hujus futuritio sit antecedens ad actuale Dei Decretum: hanc verò futuritionem conditionatam supponunt tanquàm primam creati arbitrij determinationem, quæ non sit quidem absoluta, sit tamen ultra statum indifferentiæ ac possibilitatis. Quare aliquam in actu bono libero discretionem formaliter in ratione determinationis, atque adeò discretionis actualis reducunt in arbitrium creatum; imò nè quidem in actuali & absoluto creati liberi arbitrij exercitio admittunt discretionem, seu determinationem esse primò ex vi Decreti Divini utpote indifferentis, vel Concomitanter aut subsequenter tantùm Cooperantis. Quæ omnia, si ponderentur cum prætactis S. Augustini verbis, haud congruere, manifestum est. Ergò Scientia Media Conditionatorum antecedens Decretum Dei formale ex multis Capitibus pugnat cum S. Augustino.

Replicabis cum Amico *cit. disp. 12. n. 218.* S. Augustinum *cit. cap. 10.* apertè dicere, quòd *sine prædestinatione possit esse præscientia, cùm Deus sit potens præscire, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Ex quo consequens est, stare posse in Deo præscientiam sine Decreto, nam peccata, teste Augustino, non facit, quæ autem non facit, neque decernit, sed tantùm permittit: Si autem peccatorum præscientia sive absoluta, sive Conditionata, cur non bonorum etiam operum, subsistere possit, quin innixa sit Decreto Dei absoluto? 15.

Contra. Nam discernendum est, quid veniat de Misericordiâ, & quid de judicio. Est autem in Electione Misericordia, docens omnes, qui veniunt ad Christum; Iudicium verò in cæteros, qui excæcati sunt, quosque Pater non docet, ut veniant ad Filium. At sicuti Misericordia, sic Iudicium fit in ipsis hominum Voluntatibus à Deo, qui, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat. Neque tamen ullus, etsi non sit, qui Voluntati ejus resistat, justè conqueritur, Cur me fecisti sic? Quare Deus, quod vult sive adjuvando *per Electionem, & Misericordiam*, sive judicando *per Iudicium*, agit in cordibus hominum, ut per eos impleatur, quod manus ejus, & consilium prædestinavit fieri: ita ut hæc ipsa manus Dei, & consilium prædestinarit fieri à Iudæis contra Iesum, quanta erant necessaria Evangelio propter nos. Ex S. Augustino *cit. cap. 6. 8. 10. 16. & 20.* Vides igitur, etsi Deus non faciat peccatum, id tamen permittere per Iudicium, & Consilium voluntatis, seu prædestinationis suæ, in quo Decreto permissivo certò cognosci peccata supra ostendimus. 16.

Confirmatur hæc illatio ex ipsomet S. Augustino. Hinc enim à S. Prospero *in fin. sup. alleg. Epist.* fuit inter alias proposita quæstio: *An uniformiter*, sive generaliter *Præscientia Dei sit subnixa*, id est innixa, *proposito?* At D. Augustinus *in lib. de prædest. Sanct. c. 10.* respondit, *prædestinatione Deum præscire, quæ fuerat ipse facturus.* Hæc igitur S. Augustini responsio ut congruat interrogationi, perinde habenda est, ac si dixisset, Præscientiam Futurorum esse subnixam, sive innixam Proposito Divinæ prædestinationis, seu præfinitionis, veluti de Pietatis, Castitatis, Charitatis, cæterisque Voluntatis nostræ actibus meritorijs tanquàm Donis Dei idem Augustinus *lib. 2. de Bono Persever. c. 17.* clarè testatur: *Si & dentur & ea se daturum esse Deus præscivit, profectò prædestinâsse*; imò, *si prædestinatio, quam* tanquàm Voluntatis nostræ præparationem in nobis facientem & velle & operari, *defendit, nulla sit, non præsciri à Deo Dona Dei. ex fine ejusd. 17. cap.* Constat igitur ex isto S. Ecclesiæ Doctore, rationem, in quâ Deus præscit futura Dona Gratiæ, esse eorundem prædestinationis Decretum. At verò ex Epistolis SS. Prosperi, & Hilarij constat, quæstionem, quam Massilienses moverunt de Præscientia futurorum, comprehendisse tam bona, quam mala opera, non tantùm absolutè, sed 17. 18.

etiam

etiam conditionatè futura. An igitur D. Augustini responsum dicam imperfectum adeò, ne contineret omnimodam difficultatis solutionem? Absit ut vel ignorantiam non potentis, vel desidiam non volentis ad universa sibi pro-
19. posita respondere inuramus tanto Doctori. En igitur subtilem ob hoc assertum distinctionem inter Conditionata nullam à parte rei involventia realem Futuritionem, & inter Conditionalia verè futura. Prioris generis sunt insinuata per illud *Sap. 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Hoc enim dictum esse secundùm *pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei*: ait Augustinus *cit. lib. 1. de prædest. c. 14.* Atqui peccata secundùm pericula vitæ hujus considerantur præcisè secundùm statum possibilitatis, quatenus hæc ob innatam homini ad malum inclinationē habent rationē propinquæ possibilitatis seu probabilitatis, non autem realis etiam conditionalis Futuritionis. Unde peccata hujusmodi circa lustum, nisi raperetur, proximè possibilia non cadunt sub præscientiam Dei, *hic enim præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat. Ex cit. c. 14.* Etsi proinde de hominibus actu aliquando extituris independenter ab actuali Decreto sint formabiles quàm plurimæ hypotheses, sub quibus sunt intelligibila hominum merita, vel demerita, non quatenus re ipsâ futura, sed quà secundùm proximam possibilitatem probabilia: hæc tamen sub scientiam simplicis duntaxat intelligentiæ, non autem Dei præscientiam cadunt, *ipsa enim exinaniretur præscientia, si quod præscitur, non erit, quomodo enim rectè dicitur præsciri Futurum, quod non est futurum.* Augustinus *lib. 1. de an.*
20. *& ejus Orig.* Aliud igitur posterius prædefinitionem Divinæ Voluntatis consequens Conditionalium genus idem Ecclesiæ Doctor *c. 9. de prædest. & in libro de sex quæst. cont. Pagan. quæst. 2.* inducit quæstioni propositæ: *Cur Christus post tam longa tempora venerit?* respondens, tunc voluisse Christum hominibus apparere, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum credituri erant. Hoc enim ait, se dicere voluisse de præscientiâ Christi sine præjudicio *latentis consilij Dei.* At per istud latens consilium Dei intelligi Decretum Divinæ prædestinationis exponit idem S. Doctor, asserens, se non putâsse, dum respondebat Paganis, tunc necessarium disserere. *An prædicato sibi Christo infideles à se ipsis essent habituri fidem; an Deo donante sumpturi?* id est, *Utrum tantummodò eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus?*
21. Constat igitur, Præscientiam Christi de his, qui essent quibusvis temporibus prædicato sibi Christo credituri, vel non credituri, non fuisse absque latente Dei consilio; ita ut si absque consilio prædestinationis, uti asserunt Scientiæ Mediæ propugnatores prævidérentur credituri, à se ipsis, non Deo donante essent habituri fidem. At illa Christi præscientia de his: *Quinam prædicato sibi Christo ab orbe condito ubivis terrarum essent credituri vel non credituri*, habebat pro suo objecto futura etiam conditionata, quorum unum erat opus bonum, seu fides in Christum; alterum negatio fidei. Ergò futura conditionata sive bona sive mala non prævidentur à Deo ante Divinum latentis Consilij, seu prædestinationis Decretum.
22. Hoc autem latens Divinæ prædestinationis Decretum ita se habet ad bona opera, ut hæc, quæ ipse sive absolutè, sive sub hypothesi aliquâ esset facturus, prædestinatione præsciat Deus, *ex cit. c. 10. lib. de prædest.* Econtra ita præscit, ut tamen non faciat peccatum, sed judicium, per quod tradit Deus aliquos in reprobum sensum, ut faciant quæ, non conveniunt. *ex eod. c. 10.* Unde ex Divino Iudicij consilio quoque factum est, ut Herodes & Pilatus, & populus Israel convenirent in unum adversùs Christum facientes, quanta manus, & Consilium Dei prædestinavit fieri. *ex cit. lib. prædest. c. 16. circa med.* Sicuti ergò Deus opera nostra bona præscit prædestinatione, sic opera nostra mala, seu peccata prævidet in Consilio, seu Decreto Divini sui Iudicij, ex quo est permissio, atque adeò non in vi *Causalitatis*, sed in vi *Consequentiæ infallibilis* est certa sive absolutè, sive conditionatè peccatorum Futuritio.

Dices ex Amico *cit. n. 218.* Augustinum per 23.
latens illud Consilium, sine cujus præjudicio à se dictum fuerat, Christum præscivisse, quinam in eum essent credituri, ita intelligere Decretum Divinum Electionis gratuitæ, seu prædestinationis, ut tamen respectu fidei absolutè futuræ hoc Decretum esset absolutum, respectu autem fidei quà conditionatè futuræ se habere tanquàm purè conditionatum.

Contra: Nam opera Gratiæ, & Gloriæ ad 24.
Divinæ prædestinationis non actuale, sed purè conditionale Decretum comparantur vel sub statu puræ possibilitatis, ac indifferentiæ, vel sub aliquâ determinatione Futuritionis, per quam sint ultra possibilitatis statum. Sub priori statu dicimus nos, Deum comprehendendo suam substantiam, suæque adeò Voluntatis efficaciam & cujusvis Boni creati ex se producibilitatem omnino cognoscere, quòd ex vi Voluntatis suæ per Media Gratiæ à se præparanda ex vi Divinæ causalitatis efficacia possit certò, sed tamen liberè quamvis creaturam intellectualem perducere ad Finem Gloriæ. Unde pro tali statu omninò formabiles sunt ejusmodi Conditionales: Si Deus sit homini decreturus Gratiam, & Gloriam per efficacia Gratiæ Media, infallibiliter est perducendus ad finem Gloriæ. Item, si homo ponendus esset in vitæ hujus periculis secundùm innatæ inclinationis probabilitatem, seu proximam possibilitatem, esset lapsurus in
peccata. Si proinde Amicus in formandis Con- 25.
ditionalibus à Scientiâ Dei omne ipsius Decretum actuale antecedente cognitis, ex parte objecti non involvat aliquam ultra statum Divinæ ad extra indifferentiæ, seu possibilitatis determinationem, certè Nos, & veritatem habebit sibi amicos, etsi revera ejusmodi Conditionalium scientia secundùm Augustinum *ubi supra* non sit præscientia, sed simplex tantùm intel-
ligentia. Oportet igitur, pro Mediâ Scientiâ as- 26.
signari specialem objecti rationem, quæ in Conditionatis quatenùs verè futuris importet aliquid formalitatis, seu realitatis fundantis Veritatem jam supergressam possibilitatis ac indifferentiæ statum. Hanc verò ultra statum possibilitatis à parte rei qualitercumque veram determinationem noluit Augustinus adstruere cum præjudicio latentis Consilij Dei, sive prædestinationis. At si Fidei, aliûsve actûs supernaturalis liberi futuritio licèt conditionata, sed tamen possibilitatis, ac indifferentiæ statum supergres-

ſa ſubſiſteret cùm purè conditionali actualiter non exiſtente Dei Decreto, tunc de creato arbitrio poſſet per prius verificari ſtatus determinationis ſupergreſſus indifferentiæ ſtatum, quàm de Deo, utpote in quo circa talem creati arbitrij determinationem nulla eſſet Voluntatis ſuæ Divinæ determinatio antecedens, ſed primùm conſequens. Hoc autem revera non eſſet aliud, niſi quod S. Proſper *in ſuâ ad Auguſtinum Epiſt. poſt med.* conqueſtus eſt de Maſſilienſibus, quòd, cùm duo ſint, quæ ſalutem operantur, Dei ſcilicet Gratia, & hominis Obedientia, *priorem velint Obedientiam, quàm Gratiam.* At iſtud non tantùm pro confutandis Maſſilienſibus, ſed pro Futuritione conditionatâ Dei actuale Decretum antecedente reijciendâ, quàm efficaciter exagitet D. Auguſtinus facilè conſtat ex ipſius teſtimonijs per nos hactenus deductis, magiſque patebit expendenti argumenta ex Sacris Litteris ab eodem Gratiæ Magiſtro formata in ſæpe *alleg. lib. de prædeſt. SS. ac de Dono Perſeverantiæ.*

27. Confirmatur hic noſter diſcurſus *ex cit. lib. de Prædeſt. cap. 19. & 20.* ubi ex Sacris litteris probatur. Totam liberam determinationē, quæ eſt formaliter actus credendi, peragi vi Vocationis Divinæ, quæ eſt ſecundùm propoſitum. At ſecundùm Scientiæ Mediæ propugnatores iſta libera determinatio in ratione Futuritionis realis etſi conditionatæ eſt antecedens actuale Dei propoſitum, & vocationem Divinam. Hæc verò Conditionata futuritio ſecundùm rationem intrinſecam ex parte objecti non eſt alia à Futuritione abſolutâ, eſtque adeò ipſemet actus liber ſecundùm illam ipſam Entitatem, quæ phyſicè emanat à libertate. Vnde tota futuritionis abſolutæ, & conditionatæ differentia, ipſis etiam Adverſarijs apud Amicum *cit. ſect. 12. n. 211. ac ſeq.* inſinuantibus, eſt in connotatione conditionis, quâ ſtante eſt conditionalis, eâ verò purificatâ, eſt hoc

28. ipſo abſoluta futuritio. At revera usûs liberi Decretum Divinum antecedens determinatio pugnat cum propoſito Dei quà Cauſâ omnimodæ liberi arbitrij in credendo, in caſtè & piè vivendo, ac perſeverando Determinationis, quæ formaliter ſit ipſa actio libera noſtræ Voluntatis, per quam credimus, benè operamur, ac denique perſeveramus. Si ergò hæc omnia bona etiam in ratione noſtræ operationis quà liberæ ſint dona Dei ut ſic emanantia ex Vocatione Dei ſecundùm propoſitum, vi cujus etſi nos faciamus liberè, facit tamen Deus, ut nos faciamus, prout evincitur ex S. Auguſtino: certè iniquum eſt, ipſam conſensûs noſtri ad opera meritoria determinationem liberam in ſuâ intrinſecâ reali entitate ſecundùm illam ipſam actualem Exiſtentiam, quam habet in Eſſe abſoluto, poſſe in aliqua hypotheſi ſupponi cum negatione Decreti Divini actualis. Oportet igitur ex mente Auguſtini, prædeſtinationis Divinæ infallibilitatem non emendicare ex iſtâ conditionali liberâ creati arbitrij Divinum Decretum antecedente determinatione, ſed potiùs hanc cum totâ libertatis ratione reducere in Divinæ prædeſtinationis latens conſilium, ſeu Decretum, & Vocationem Gratiæ, *huic ita ſubjiciendo Voluntatem humanam, ut nihil etiam* ſub ſtatu conditionali *adſtruamus Boni, quod in noſtram participationem non Deo Authore defluxerit.* ex S. Proſpero *circa med. & fin. cit. Epiſt.*

Opponit Amicus *cit. n. 218.* Auguſtinum diſputare adversùs Maſſilienſes Pelagianorum reliquias, qui contendebant, tum quòd Deus homines vel ad gloriam eligat, vel ad pœnas deſtinet ex eorum meritis, aut demeritis ſub conditione præviſis. Vnde ajebant, infantes ſine Baptiſmo morientes damnari propter eorum peccata, quæ victuri commiſiſſent. Contra verò cum Baptiſmo decedentes ſalvari propter eorum bona opera, quæ ſuper victuri egiſſent, tum quòd merita fundentur in ſolâ Voluntate humanâ, quibus homo ſe dignum præbeat Gratiâ, & prædeſtinatione Divinâ. Contra hos igitur docere Auguſtinum, quòd Electio ad gratiam, vel gloriam non ſubnitatur Scientiæ meritorum ſive abſolutè, ſive ſub conditione præviſorum ex ſolâ humanâ Voluntate proficiſcentium, ſed quòd potiùs Scientia Meritorum ſive abſolutè, ſive ſub conditione præviſorum ſubnitatur electioni ſive abſolutæ reſpectu eorum, qui de facto ſalvantur, ſive conditionali reſpectu eorum, qui veluti Tyrij, ac Sidonij præviſi fuerunt ſub conditione pœnitentiam acturi. Cujus eſſe rationem, quòd in ſententiâ Catholicâ Auguſtini nulla prævideri poſſint merita neque ſub conditione futura, niſi dependenter ab electione gratuitâ vel abſolutè, vel ſub conditione gratiam offerente, cùm nullum opus poſſit eſſe meritoriū, niſi ex ipſius gratiâ procedens. Quocirca ex citatis locis Auguſtini nihil evinci adversùs Scientiæ Mediæ propugnatores, cùm Auguſtini intentum ſit, ſcientiam meritorum non præcedere electionem ad Gratiam, cùm ante electionem ad gratiam nulla poſſint prævideri merita nec abſoluta, nec ſub conditione futura. 29.

Contra. Nam quid à SS. Proſpero, & Hilario in ſæpe citatis Litteris fuerit propoſitum D. Auguſtino, manifeſtum eſt *ex primâ concl. præſent. Conv.* Ex quo autem principio traxerint originem errores Maſſilienſium, declarat D. Auguſtinus *in primo ſtatim cap. lib. de prædeſt. Sanct.* quòd nimirum in quæſtione de prædeſtinatione Sanctorum adhuc caligarent exiſtimantes: *Omnem induſtriam removeri, tollique Virtutes, ſi Dei conſtitutio, ſeu prædeſtinatio humanas præveniret Voluntates, imò ſub hoc nomine prædeſtinationis, fatalem induci neceſſitatem.* 31.

Ex hoc proinde falſo præſuppoſito principio moti fuerunt Maſſilienſes, ut initium Salutis ponerent in libero arbitrio creato aſſerentes; Initium fidei ex nobis, ejus verò incrementum ex Deo; nec non electionem ad Gratiam & Gloriam eſſe ex meritis noſtris ſub conditione præviſis. Hos igitur errores S. Auguſtinus in fundamento refutans oſtendit, primam quoque fidem, ſicuti quævis opera bona eſſe Donum Dei, non eâ ratione, quòd facultas tantùm credendi, ſeu benè operandi, ſed ipſum credere, & velle, etſi ſit in noſtro arbitrio, ſit datum à Deo. *ex cap. 2. & 3. de prædeſt.* Eſſe autem hoc velle noſtrum à Deo, quatenus Voluntas præparatur à Domino; Vnde diſcretionem, ſecundùm quam aliqui volunt, alij verò ex arbitrio Voluntatis liberæ nolunt credere, eſſe ex eo, quòd alijs per Miſericordiam in Electione præparetur, alijs per Iudicium non præparetur Voluntas. *Ex c. 5. ac ſeq. ejuſd. libri.* Hanc verò Voluntatis, & Gratiæ præparationem eſſe prædeſtinationem, in quâ ſua futura facta præſcivit. *ex cap. 10. in princip. & c. 17. circa* 32.

33.

fin. de

fin. de prædest. Sanct. Item c. 17. & c. 18. circ. med. de Dono persev. Neque verò exhortationes aliorum ad fidem & perseverantiam impediri, si & ipsa opera, quod verum est, esse Dei Dona, eaque præcognita, id est, ad donandum prædestinata esse dicantur, sed hâc prædestinationis prædicatione subverti potiùs errorem Pelagianorum *cit. c. 17. circ. med. ac seq. de Dono Persever.* Hinc
34. tametsi opera bona à nobis exigantur, ut nos faciamus, ipsum tamen Deum facere, imò nos agi à Spiritu Dei, ut faciamus, sitque adeò de prædestinatione definita Voluntatis Dei sententia, ut alij ex infidelitate acceptâ Voluntate obediendi convertantur ad fidem, vel perseverent in Fide, *ex cap. 11. de prædest. Sanct. & c. 21. de Dono Persever.* Quocirca hanc esse immobilem
35. Voluntatem prædestinationis, & Gratiæ, quòd electi simus ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, in quâ Deus sua futura facta præscivit, istam verò electionem consecutam esse vocationem, quâ Deus id, quod prædestinavit, implevit. Vnde Deum non eligere divites in
36. fide, sed eligendo facere divites in Fide, rectè quippe hoc in Electis dici Deum eligere, quod ut in eis faciat, eos eligit secundùm propositum non nostrum, sed ipsius, qui universa operatur, usque adeò, ut ipse in nobis operetur & velle. *ex c. 17. circa. med. & c. 10. circa fin. cit. lib. de prædest.*

37. Ejusmodi proinde Gratiæ Electionem ac Meritorum ipsius etiam obediendi Voluntatis, atque adeò liberæ Determinationis præparativam Prædestinationem ex mente Augustini adstruere oportet; cum quâ vix cohæret Gratiæ Electio per Scientiæ Mediæ prepugnatores asserta.

Nam primò generalitas verborum S. Augu-
38. stini, & Sacrarum Litterarum evincit, nihil esse operis boni supernaturalis sub quâcumque voluntariæ à libero etiam arbitrio dependentiæ seu determinationis liberæ formalitate; nisi hæc sit ex vi, & causalitate Divinæ prædestinationis, seu electionis ad Gratiam. At Scientia Media supponit statum conditionatæ Futuritionis ante omne Dei actuale Decretum. Hæc autem conditionata Futuritio importat creati arbitrij determinationem sub tali formalitate, secundùm quam actus liber non manet intra statum possibilitatis, seu indifferentiæ objectivæ. Oporteret igitur secundùm S. Augustinum assignare ex parte Dei tale Electionis, seu prædestinationis Decretum, ex quo tanquàm causalitate actualiter in Deo positâ prodiret illa extra possibilitatis, seu indifferentiæ statum extracta conditionata liberæ determinationis Futuritio. At Decretum Dei purè conditionale, quod assignant Mediæ Scientiæ propugnatores, nihil importat formalitatis actualis, secundùm quam Divina Voluntas habeat aliquid liberæ determinationis. Vnde etiam fieret, quòd, si futuritio illa conditionata ex parte objecti aliquid formalitatis ultra possibilitatis statum, imò realem indifferentiæ creati arbitrij determinationem importaret, per prius esse intelligibilem determinationem creatæ Voluntatis, quàm Divinæ. Cùm igitur hæc omnia minimè cohæreant cum prædestinatione per S. Augustinum assertâ, consequens est, neque Scientiam Mediam subsistere secundùm D. Augustinum.

Secundò. Tota ratio adinventæ Mediæ 39.
Scientiæ erat, quòd prædestinatio, seu præfinitio nostrorum liberorum actuum antecedens horum conditionatam scientiam induceret fatalem quandam necessitatem. Ex quâ ratione moventur insuper Adversarij, ut negent, actus nostros liberos absolutè futuros prævideri in Dei absoluto Decreto saltem independenter ab eorundem conditionatâ Futuritione. At S. Augustinus *locis præallegatis* totus in hoc tanquàm erroris Semipelagiani principio refutando ita versatur, ut probet actus nostros liberos non fieri à nobis, nisi Deus per suam prædestinationem, & Gratiæ electionem Bona opera nostra ex se, non ex Voluntate nostrâ præparantem faciat, ut nos, liberè tamen, faciamus: ostendens etiam in hâc suâ prædestinatione præscire Deum futura sua Dona, quæ in nobis operando ipsum etiam Velle, esset facturus.

Tertiò. Quòd S. Augustinus asserendo, Deum 40.
præscire futura in suâ prædestinatione, intelligendus sit etiam de conditionatis, inde evincitur, quòd à S. Prospero *circa. fin. cit. Epist.* interrogatus generaliter de omni, imò singulariter de Conditionatorum præscientia, *An esset subnixa proposito, sive prædestinationi?* nusquam aliter responderit, nisi quòd Deus in suâ prædestinatione præsciat futura.

Quartò. Ne ex eo quidem, quòd à Semipela- 41.
gianis esset objectum, ex prædestinationis nostram libertatem antecedentis infallibilitate tolli virtutes, enervari exhortationes, S. Augustinus recedendum putavit ab ista prædestinationis intrinsecâ, & tali infallibilitate, secundùm quam ex ejusdem, ceu definitæ Voluntatis Dei sententiæ vi aliqui habeant Voluntatem obediendi Fidei, ac perseverandi in fide. At verò Scientiæ Mediæ propugnatores ex simili cum Semipelagianis ratione certitudinem Divinæ Prædestinationis non formaliter in Divinæ Voluntatis præcisam definitionem, sed in conditionatam antecedentem consensûs nostri liberi Futuritionem referunt.

Quintò denique. S. Augustinus primam 42.
rationem Electionis prædestinatorum respectu non Gloriæ dùntaxat, sed cujuslibet boni operis reducit in solum Deum. At Scientiæ Mediæ propugnatores antecedenter ad omnem Electionem Dei actualem ponunt futuritionem consensûs nostri liberi Meritorij conditionatam. Hæc verò secundùm ipsos importat liberi arbitrij nostri determinationem, quæ sit ultra statum possibilitatis, ac indifferentiæ: Imò in eâ radicatur libertas actualis meritorum nostrorum exercitij. At libertas actualis exercitij dicit formaliter electionem inter opposita, atque adeò in Merito secretionem Boni à Malo. Ergò secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores Electio nostra quoad actuale Bonorum operum exercitium reducitur in nostræ Voluntatis determinationem tanquàm primam radicem. Confirmatur: Po- 43.
namus signum rationis, in quo Deus cum Scientiâ simplicis Intelligentiæ, ac Voluntatis suæ Divinæ efficaciâ, & omnipotentiâ intelligitur sine omni Decreto, seu determinatione Voluntatis suæ ad extra; imò etiam sine Media cujuscumque conditionatæ Futuritionis præscientiâ. In hoc signo secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores

natores non est intelligibilis ulla rerum peristasis, quæ sive ex intrinsecâ suâ efficaciâ, sive ex ipsius Dei virtute, sive ex ratione Intellectionis Divinæ possit habere infallibilitatem, seu connexionem infallibilem cum ullo meritorio creati arbitrij opere: Vnde pro isto rationis signo non posset concipi Deus quà potens habere infallibi-
44. le prædestinationis Decretum. At postea in secundo rationis signo, in quo non tantùm scientia simplicis intelligentiæ, sed Conditionatorum præscientia intelligitur, Scientiæ Mediæ Propugnatores in Deo concipiunt infinitas rerum peristases, in quarum aliquibus Voluntates creatæ cum gratiæ auxilio bene, in alijs autem malè ante omne Dei Decretum præsciuntur operaturæ. Hæ autem pro hoc secundo signo Bonorum operum hypotheticæ Futuritiones sunt pro tunc infallibiles, ita ut ex earumdem infallibilitate sit Deus consequenter potens habere efficax, & infallibile Decretum prædestinationis. At illæ ipsæ Futuritiones important in ratione objecti præsciti actualem libertatem, atque adeò determinationem seu Electionem creati arbitrij, vi cujus determinationis pro statu conditionato aliter prævidetur operaturus cum gratiâ, & aliter præscitur non operaturus. Vn-
45. de ex illâ determinatione etsi conditionali jam fit secretio aliqua unius ab altero, in quâ secretione fundatur efficax Divinæ prædestinationis Decretum. Ergo secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores prima Voluntatis Bonæ, ac Malæ secretio, ac Electio nō est ex Deo, sed potiùs ex creato arbitrio, quod cum S. Augustinus *loc. cit.* efficaciter demonstret pugnare cum prædestinatione, ac Electione per sacras Litteras assertâ; Id circò perspicuum est Scientiæ Mediæ propugnatores circa quæstionem de prædestinatione Sanctorum adhuc caligare, quos tamen, quia eò pervenerunt, ut necessitatem Gratiæ agnoscant, non tantùm ad opus Bonum, sed etiam ad Fidem tum inchoandam, tum perficiendam, speramus cum eodem Sancto Ecclesiæ Doctore. *cit. cap. de prædestin.* si ambulent in eis, quæ cognoverunt, & orent Deum, qui dat intellectum, si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipsum quoque illis revelaturum.

Responsio ad opposita Argumenta.

46. AD Amici *n. 2.* Oppositum Respondetur: S. Augustinum *lib. 1. ad Simplic. q. 2.* laborasse pro libero Arbitrio, ut tamen vinceret Gratia, sine quâ nec staret ullum opus Bonum, velut ipse testatur. *lib. 1. de prædest. Sanctor. c. 4. circa fin.* In quem finem, ut distinctiùs procederet *cit. q. 2.* fecisse discrimen Gratiæ, ita ut per unam fiat conceptio duntaxat fidei, per alteram verò fiat hominis in fide regeneratio. Hinc dicere consequenter, quòd intersit, quibus Articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior ac evidentior infundatur. Nam in quibusdam tantam esse fidei gratiam, quanta non sufficit ad obtinendum regnum Cælorum, sicut in Cathecumenis, & in Cornelio, antequàm Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam verò tantam esse, ut jam Corpori Christi, & Sancto Dei templo deputentur. *Templum enim Dei Sanctum est*, inquit Apostolus, *quod estis vos*: Et ipse Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cælorum.* Vnde fieri quasdam inchoationes Fidei, Conceptionibus similes, non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus esse, ut ad
vitam perveniatur æternam. Ex quibus patet, 47.
quàm ineptè Amicus ad ostendendum, Gratiæ congruitatem fundari in Scientiâ Mediâ, arguat allegando, imò & truncando prætactam S. Augustini sententiam; cùm tamen, ex uno præcipuè, alterovè dictæ sententiæ interposito, sed per Amicum omisso verbo constet, illos temporis articulos referri solùm ad hoc, quòd tempore fidei per Gratiam conceptæ nondum tam plena, ac perfecta sit Gratiæ infusio, atque in regeneratione Sacramenti Baptismatis conferentis tempore suæ perceptionis Gratiam, quæ sit pignus Vitæ æternæ.

Ad Martinon *n. 3.* Oppositum Respondetur: 48.
S. Augustinum ibi agere adversùs illos, qui ipsum irridebant, quòd illius quæstionis: *Cur Deus uni, non verò alteri conferret Donum Perseverantiæ*, nullam afferret rationem, sed fateretur suam ignorantiam exclamando: *Quàm inscrutabilia sunt Iudicia Dei, & quàm investigabiles viæ ejus.* Hinc adversùs ejusmodi irrisores concludit istis verbis. *Sicut ergo coguntur fateri Donum Dei esse, ut finiat homo Vitam istam, antequàm ex Bono mutetur in malum; cur autem alijs donetur, alijs non donetur, ignorant: ita Donum Dei esse in Bono perseverantiam secundùm Scripturas, de quibus testimonia multa jam posui, fateantur nobiscum, & cur alijs detur, alijs non detur, sine murmure adversùs Deum dignentur ignorare nobiscum.*

Hoc igitur Magni Gratiæ Magistri intento 49.
clarè cognito pergat Martinon ex nobis quærere, Quomodo Donum Dei sit, Cur unus, non verò alius Iustus rapiatur, antequàm ex Bono mutetur in malum? Quomodo enim hoc fieri potuisset, antequàm Deus præsciret futura peccata? Post peccata autem absolutè præscita, quomodo esset possibile rapi justum, antequàm malitia esset mutatura ejus Intellectum? Nonne ergò oportuit hoc præsciri per aliam, quàm absolutè futurorum Præscientiam, quæ antecederet Voluntatis Divinæ Decretum de peccatis permittendis, vel per raptum Iusti impediendis.

At respondemus; D. Augustinum in illâ ex- 50.
clamatione suspicere Mysterium in Voluntate Dei liberâ absconditum. Cur enim det uni, non alteri, libertatis est. At Scientia Media etsi ex parte objecti supponat Contingentiam, & Voluntatis nostræ libertatem, ex parte tamen Dei non est libera, utpote antecedens omne Dei Decretum. Si igitur in hoc, Cur Deus uni, non alteri det perseverantiam, unum in statu Iustitiæ rapiat ex hâc vitâ; alterum cum diuturniore vitâ permittat labi in peccatum, oportet cum Divo Augustino fateri nostram ignorantiam. Mysterium hoc Magnum reduci debet in inscrutabile Divinæ Voluntatis, non autem Scientiæ Mediæ Iudicium.

Sed inquiet Martinon: Istud tamen Volun- 51.
tatis Divinæ Iudicium præcedere debet Scientia, quâ noverit Deus peccata futura.

At contra est: Si enim ea est Voluntatis Divinæ Natura, ut ex ipsius vi & efficacia sit infallibilis ejusdem cum effectu etiam libero ad extra Decretato Causalitas, vel Consequentiæ connexio; consequens est, Deum hanc suæ Voluntatis Naturam non per Mediam Scientiam, sed

sed per

per substantiæ suæ Divinæ Visionem intuendo, certò scire, in se esse vim liberè determinandi, ac prædefiniendi quemlibet effectum ad extra cum infallibili ejusdem licèt liberi consecutione. Quid ergò, si Deus secundùm istam Voluntatis suæ Divinæ efficaciam intrinsecam, non autem juxta Mediam Scientiam habeat in æternitate Decretum prædefinitivum de uno quidem rapiendo in Iustitiâ ex hâc vitâ; de altero dimittendo in hâc vitâ cum permissione peccati; An non totum hoc erit, in tempore, cujus rationem se ignorare fatetur D. Augustinus exclamando, *Quàm investigabiles sunt viæ ejus?* Hoc igitur est illud altum prædestinationis Mysterium, quòd nimirû infallibilis, ac certa tum Miserationis ab initio Fidei usque ad perseverantiam in prædestinatis; tum obdurationis in reprobis consecutio sit reducenda in Divinam prædestinationem ex se formaliter infallibilem, vi cujus Deus non ex aliâ, quàm Voluntatis suæ Divinæ libertate ac Dominio, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat. Constat igitur, Scientiam illam Mediam non habere locum, si infallibilitatem, ac determinationem omnis etiam liberi effectûs ad extra reducamus in formalem Voluntatis Divinæ Efficaciam, prout S. Augustinum fecisse, præsertim *in lib. de prædestin. Sanctor. supra* demonstravimus.

52. Ad Amici. *n.* 4. Oppositum Respondetur: Legenti *allegatum Caput* 14. *de Dono Perseverantiæ* facilè patere, quàm eleganter S. Augustinus ibi distinguat inter Intelligentiæ naturalis cum fide congruitatem, & inter Dationem fidei procedentem ex Gratiâ prædestinationis. Hanc enim fidei Dationẽ probat ex sacris Litteris, esse à Patre ex vi prædestinationis; at Intelligentiæ naturalis ad credendum congruitatem per modum innatæ aptitudinis de faciliùs formando prudentiali ad Fidem prævio Iudicio ita pertinere ad potentiam credendi, ut tamen etiam ex Hypothesi Vocationis, nisi hæc esset secundùm propositum prædestinationis, non esset per illam Tyriorum Christi signa videntium Congruitatem fides secutura. *ex eod. S. August. loc. cit. & de prædest. SS. c.* 16. evinciturque *ex cit. c.* 14. *de Dono Persever.* Ibi enim Doctor hic Ecclesiæ inquirens: *Ubi Tyrij, & Sidonij, qui etiam credere potuissent, si mira illa signa Christi vidissent, relicti fuerint?* respondet immediatè; *quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, esse ipsis negatum.* Hinc namque constat, congruitatem, quam Tyrij ex naturalis intelligentiæ munere habebant, non reduci à D. Augustino ad Efficaciam Gratiæ, vi cujus fuisset, ut actu crederent, sed ad credendi remotam licèt potentiam. Si ergò ratio, ex quâ sub hypothesi prædicationis Christi ejusque Miraculorum infallibiliter erat secutura Tyriorum pœnitentia, non est illa congruitas, non potest in hâc fundari certa conditionatæ eorundem pœnitentiæ Divina præscientia. Hanc igitur oportet esse fundatam in Decreto Dei, ut ex Augustino *superiùs* ostensum est; quod ipsum tamen Decretum, quia ex parte objecti non erat nisi conditionatum, respectu Tyriorum non habebat rationem Electionis, ac prædestinationis; cùm enim ex istâ Vocatio, ex hâc verò Iustificatio, ex istâ denique Glorificatio sequatur, consequens est, Tyrios eo ipso non esse prædestinatos, quòd ipsis non esset destinata à Deo Vocatio secundùm propositum, ex cujus adeò propositi ceu absoluti de ipsis salvandis Decreti defectu ita relicti erant in Massâ perditionis, ut ipsis nec ut crederent nec unde crederent, esset datum, seu per Electionem præparatum à Deo.

CONTROVERSIA IV.

Utrùm antecedenter ad Decretum Divinum detur status conditionatæ futuritionis habens in se ipso Veritatem determinatam?

SUarez *lib.* 2. *de Scient. Dei. c.* 3. *n.* 1. *&* 4. tradit ex eo, quòd antiquiores Scholastici de Divinâ Conditionatorum Contingentium Scientiâ nihil ferè locuti sint, magnam inter Authores ortam esse difficultatem non tam de re, quàm de modo loquendi; dum nonnulli illam Scientiam dicerent Mediam. Cùm enim non sit de objecto, & veritate necessariâ, non videbatur ipsis, pertinere ad Scientiam simplicis Intelligentiæ; cùmque non sit de re actu futurâ, neque consequatur liberam Divinæ Voluntatis determinationem, non videbatur spectare ad Scientiam Visionis. 1.

Ex quo adeò patet, si ultra has duas ab Antiquis agnitas Dei Scientias inducatur Tertia Media, Novum quid, & Antiquis incognitum introduci in Scholam S. Theologiæ, cujusmodi Novitas circa Doctrinam sacram semper suspecta est.

Verùm idem Suarezius *n.* 2. *&* 3. conatur ostendere, non Recentiores duntaxat stare pro istâ Conditionatorum Scientiâ, sed etiam Antiquiores, atque hos ideo de hâc Scientiâ sub illis terminis, & in particulari nihil movisse, quòd idem sentirent de Conditionatis, atque de alijs futuris. 2.

Nam 1. Durandum, & alios, qui existimant Futura Contingentia absoluta cognosci à Deo in Comprehensione Causarum cum omnibus circumstantijs, in hâc ipsissimâ cognoscendi ratione ponere cognitionem Conditionalium. 3.

2. Alensem, & D. Bonaventuram rationem cognoscendi Futura ponentes in Ideis Divinis, non posse dissentire, eò quòd ratio repræsentandi infinita in Ideis Divinis æquè ad repræsentandum Conditionata sufficiens sit.

3. Nominales, nominatim Gregorium & Gabrielem affirmantes ex omnibus propositionibus de futuro unam esse determinatè veram, ad cujus adeò veritatis cognitionem aliud non requiri, quàm infinitam Intellectûs ac luminis Divini efficaciam, debere necessariò idem sentire de futuris Conditionatis, atque absolutis.

4. Illos, qui dicunt cum Scoto, Futura cognosci in prædeterminatione Divinæ Voluntatis, idem asserere de futuris Conditionatis; ex quo capite non posse Scoto contrariam sententiam attribui.

5. Denique illos, qui præscientiam Futurorum fundant in præsentiâ rerum in æternitate, per hanc optimè explicare Conditionatorum præscientiam: Unde D. Thomam existimari non posse contrarium hujus scientiæ assertoribus. Citari etiam posse pro hâc sententiâ Albertum

bertum Magnum in *Sum. trac. 15. q. 61. memb. 5. & 6.* Item *tract. 16. q. 63. memb. 2.*

4. Unde Suarezius citatus *n. 5. & 6.* tandem concludit, Theologos antiquos istam Conditionatorum scientiam comprehendisse sub Scientiâ Visionis: Tum quia instar hujus est simpliciter libera ex parte objecti, eodemque modo se habet tanquàm intuitio simplex veritatis contingentis: Tum quia Scientia Dei potest universim concipi prout antecedit, vel prout ratione nostrâ consequitur Voluntatis Divinæ determinationem. At sub priori consideratione dicitur *simplicis Intelligentiæ*, sub ratione autem posteriore vocatur *Visionis* scientia. Cùm autem Voluntatis Divinæ determinatio priùs ratione considerari possit, ut futura, quàm ut actu posita in re, ideo omnis Dei cognitio, quæ liberam ipsius determinationem etiam quà futuram consequitur, est Visionis. At Conditionatorum scientia Voluntatis Divinæ Decretum saltem quà futurum consequitur. Ergò continetur sub scientia Visionis, cùm econtra simplex Intelligentia in Deo attingat creaturarum Essentias sub statu puræ possibilitatis antecedentis omnem Divinæ Voluntatis determinationem etiam quà futuram.

5. Nos ad difficultatis fundum tendentes circa ista Suarezij asserta præmonendum censuimus: aliud esse, si ducatur in quæstionem. *An futurorum Conditionatorum Veritas determinata sit objectum Divinæ Scientiæ, sive Motivum, sive (ut in antecedentibus est demonstratum) purè terminativum?* Aliud verò esse, si quæratur. *An ista determinatio trahatur ex prædefinitivo Divinæ Voluntatis Decreto?* Hoc igitur posterius, non prius est materia præsentis circa Scientiam Mediam Controversiæ. Quam proinde studiosè hoc tenore formandam sæpe diximus: *An scilicet Veritas Conditionatorum determinata sub ratione veræ alicujus possibilitatis statum supergredientis Futuritionis sit independens ab actuali Dei Decreto?*

Referuntur sententiæ Doctorum.

NEgant Scientiæ Mediæ propugnatores Determinationem Veritatis in effectibus liberis conditionatè futuris posse adstrui ex Decreto Divino, sed habere in se ipsis determinatam veritatem, quæ Divino Intellectui ex parte objecti sit immediata ratio ea cognoscendi. Fundamentum hujus ex eod. Suarezio. *c. 5. à n. 7.* ita deducitur. Conditionalium propositionum aliæ sunt, quæ fundantur in formali illatione, quæque adeò affirmant necessariam unius ex altero consecutionem: Aliæ verò sunt Conditionales enuntiationes quæ, affirmant tantùm conjunctionem, seu dimanationem unius ab alio, non ut necessariam, sed ut futuram tantùm, si alterum ponatur; veluti si dicas: *Si Petrus hodie esset in hâc occasione, peccaret,* non significas consecutionem peccati necessariam, sed ejus duntaxat conjunctionem cum vitâ Petri, sive dimanationem peccati à Petro quà Causâ. Unde propositiones hujusmodi requirunt bonam illationem non formalem, sed materialem, adeoque consecutionem non necessariam ex tali causâ, sed ex hujus determinatione futuram. Etsi proinde æqui valeant propositionibus Categoricis, quatenus sunt de inesse, affirmando simpliciter unum de inesse, censentur tamen inter hypotheticas, quòd prædicatum non dicatur de subjecto absolutè concepto, sed quà posito sub hâc, vel illâ conditione. Atqui in hujus propositionis: *Petrus in hâc occasione positus peccabit* objecto est determinatio vel peccati, vel hujus negationis, cùm inter Contradictoria non detur medium. Neque verò ad istam ex objecto determinatam propositionis veritatem aut falsitatem interest, sive prædicatum enuntietur de subjecto absolutè concepto, sive quà posito sub hâc, vel illâ conditione. Ergo prædictarum Conditionalium æquè ac absolutarum Veritas, vel falsitas est ex parte objecti determinata. Hæc autem in Conditionalibus futuris Veritatis determinatio si esset ex vi Decreti Divini, oporteret in Deo supponere Decretum liberum circa omnia conditionata objecta, quod tamen incertùm est; imò sub ejusmodi Decreti Divini determinatione supponeretur, Deum peccati Adæ, si crearetur præscium, id scivisse sub prætactâ conditione futurum ex vi Decreti Divini. Hoc verò à Veritate, & pietate alienum est. Oportet igitur, sicuti absolutorum, sic conditionatorum ex se ipsis independenter ab actuali etiam sub conditione Decreto saltem prædefinitivo determinatam esse Veritatem, quam Deus immediatè in se ipsâ intueatur.

Ex opposito Thomistæ, nominatim Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 20. a. 44. à n. 27.* Ioannes Baptista Gonet *disp. 8. de Scient. Med. §. 3.* Petrus Labat *cit. disp. 5. de Scient. Dei. dub. 9. §. 3.* varijs Doctoris sui Angelici allegatis testimonijs, probant, Scientiam Mediam non cohærere cum ipsius Doctrinâ. Tum quia S. Doctor *q. 9. de Verit. a. 3. ad 3.* ait. Etsi ad effectum prædestinationis inducendum oporteat supponere Causam Secundam, hanc tamen subjacere ordini prædestinationis. Unde Voluntatem Dei, cui nihil resistit, ita habere certitudinem ad effectum cum præsuppositione Causæ secundæ, ut tamen prædestinationis Causam secundam sibi subjectam habentis certitudo non sit conditionalis duntaxat, sed absoluta. Ex quo patet, certitudinem prædestinationis radicatam esse in ipso Voluntatis Divinæ Decreto antecedente, & causante suppositionem Causæ secundæ. Atqui Scientia Media in Voluntatis Divinæ Decreto non admittit certitudinem, nisi ex præsuppositione Causæ secundæ, seu operationis ipsius conditionaliter futuræ, ac prævisæ ante Decretum, & non causatæ ex antecedente Divini Decreti efficaciâ. Tum quia S. Doctor *1. periher. c. 8. lect. 13.* universaliter docet, propositiones de futuro contingenti non habere determinatam Veritatem. At si hoc conferatur cum præcedenti, constat effectus prædestinationis, atque adeò Voluntatis creatæ actus liberè & contingenter futuros comparatos ad Divinum Decretum ita habere certitudinem, & consequenter necessitatem, ac determinationem Veritatis, ut tamen illa certitudo radicetur, seu formaliter inexistat Divinæ Voluntati, cui nemo resistit. Ergò D. Thomas, etsi neget futurorum contingentium Veritatem determinatam, hoc tamen intelligendum est de determinatione veritatis antecedente Decretum Divinum. Consequens igitur est, de mente S. Thomæ Futuritionis Veritatem determinatam universaliter, atque adeò in statu 6.

etiam

etiam conditionato non stare antecedenter ad Divinum Decretum.

7. Cum Angelico Doctore consentit Doctor subtilis Scotus *in 1. dist. 39. q. 5. n. 23.* docens, Determinationem futuritionis effectuum contingentium esse ex immutabili Dei Decreto. Etsi verò Nominales à Suarezio *sup. n. 2.* allegati teneant, alteram ex propositionibus de futuro contingenti esse determinatè veram, superest tamen quæstio: *An ista Veritatis determinatio sit antecedens, vel Consequens Divinæ Voluntatis Decretum?* De D.
8. Bonaventurâ constat ex dictis *præced. art. Cont. 1. n.14. & Cont. 4. n.11.* Rationem cognoscendi futura Intellectui Divino esse Ideas, non quà antecedentes, sed quà consequentes Voluntatis Divinæ Decretum. Quòd autem ex mente Durandi asseratur, Futura Conditionata cognosci à Deo ex vi comprehensionis Causarum cum omnibus circumstantijs, hoc ipsum refutat Suarezius *cit. cap. 7. à n. 4.* Nemo igitur, nè Albertus quidem Magnus *cit. tract. 15. q. 61. memb. 5. in fine. Veritatem in Contingentibus de futuro absolutè, id est in se determinatam* negans, stat pro Suarezio: ut adeò miremur; Doctores illos pro Scientiâ Conditionatorum, quatenus est in Controversiâ per ipsum adduci, nisi Vir aliàs summæ eruditionis non adverterit ad punctum Controversiæ ab ipso *cit. cap. 3. n. 6.* alioquin tactum. *An scilicet futuritionis conditionatæ determinatio, ac præscientia sit antecedens actuale Dei Decretum?*

CONCLUSIO.

9. Repugnat Veritas futuritionis in statu etiam conditionato determinata ante Decretum Dei actuale.

Probatur. In tantum est aliquid verum, in quantum habet Esse; Hoc autem Esse est tum Essentiæ; tum Existentiæ: At sola Dei Essentia est suum Existere. Omnis verò creata Essentia est indifferens ad Esse, & non Esse Existentiæ; unde oportet eam determinari ad existendum ex vi alicujus Causæ. Hæc autem Causa, per cujus causalitatem fit determinatio actûs creati liberi ad existendum in certâ hypothesi, vel est causa duntaxat secunda, Voluntas nimirum creata, vel unà cum Causâ Primâ. At ista nihil habet ad extra Causalitatis, nisi ex vi Decreti sui liberi. Hoc autem Decretum Dei non habet rationem actualis causæ, vel causalitatis, nisi sit actuale. Atqui ad causalitatem, ex quâ ultra Essentiæ quà duntaxat possibilis statum fit indifferentiæ ad Essendum qualiscumque determinatio, requiritur, ut non sit in potentiâ duntaxat sive physicâ, sive Logicâ, sed ut sit actu. Ergò in quantum sub ratione Existentiæ, licet conditionalis est actûs liberè futuri determinata Veritas, in tantum supponitur actualis causalitas, quæ si respectu actûs v. g. Fidei esset ex vi solius Causæ secundæ, posset hæc per se solam habere rationem actualiter causandi opus Fidei. At hoc est semipelagianismus. Ergo oportet illam causalitatem, ex vi cujus in actu fidei est illa Existentiæ licèt Conditionatæ è statu indifferentiæ, ac puræ possibilitatis extracta Essendi determinatio, esse non tantùm Voluntatis creatæ, sed maximè Dei. Si ergò Deus ad extra non sit causativus, nisi per Voluntatem, ille verò actus fidei etiam sub statu conditionato sit ultra statum possibilitatis, neque vero ullius Entitatis possit extra statum possibilitatis esse Extractio, nisi per formalem aliquam Essendi actualitatem, quæ indifferentiæ ad Essendum formalis sit determinatio. Hæc autem formalis ad Essendum ultra statum possibilitatis in actu fidei determinatio secundùm fidem Orthodoxam non subsistat, nisi per Causalitatem Dei & Gratiæ, hæc verò Causalitas debeat esse actualis, consequens est, oportere in Divinâ Voluntate esse actuale Decretum ad hoc, ut sit status Futuritionis etiam conditionatæ habens realitatem aliquam ultra statum possibilitatis, ac indifferentiæ. Atque hæc quoad rem, ipsissima est 10.
ratio, propter quam Petrus à S. Ioseph *cit. disp. 4. suæ Conc. sect. 4. n. 4.* acerrimus alioquin Scientiæ Mediæ propugnator Scientiam istam à Summo Pontifice, ac plerisque Congregationis *de Auxilijs* Consultoribus in certo tamen mox exponendo sensu fatetur rejectam fuisse.

Respondet igitur Petrus Fuliensis, attestante uno ex disputationis & Congregationis prædictæ Consultoribus, rem ita se habere. 11.
Cùm quidam Pater Carmelitanus defensionem scientiæ Mediæ suscepisset, quæsivisse ab eo Pontificem; *Quid præsciret Deus per illam Scientiam?* Cùm Carmelita responderet; *Bonum usum liberi arbitrij*, rursus postulasse Papam; *aut quem Gratia, aut quem Natura erat factura, si primum; est contra Doctrinam Molinæ: si secundum; est secundùm Cassianum.* Ex quibus adeò, ait Fuliensis, patere, sententiam Molinæ de Scientiâ Mediâ ita fuisse summo Pontifici expositam, ut putaret, Deum ex mente illius per ejusmodi scientiam cognoscere bonum usum libertatis ex solis Naturæ viribus ortum, qui erat unus ex erroribus Semipelagianorum. Unde valde probabiliter conijci posse, Scientiam Mediam non eo sensu, prout communiter defenditur, quidquid sit de sententiâ Molinæ, rejectam fuisse à Summo Pontifice.

Contra est. Nam 1. Petrus à S. Ioseph) de 12.
quo alioquin P. Rechlinger *in suis Thesibus Theolog. de Scientia Dei, Dilingæ disputatis,* Anno 1656. gloriatus est, quòd ea, quæ in præjudicum Doctrinæ de Scientiâ Mediâ à quibusdam vulgata sunt de consultationibus, & disputationibus habitis coram Clemente VIII. & Paulo V. multis refellat) in proximè allegatis jam jam fassus est, Propugnatores Scientiæ Mediæ non esse certos, sed tantùm probabiliter posse conijcere, quòd Scientia Conditionatorum, prout ab ipsis defenditur, non sit condemnata, seu rejecta à summis Pontificibus: Imò de Molinâ nè quidem præsumere audet, sed quidquid de ipso sit, in suspenso tenet.

2. Ex eodem Patre Fuliensi quærimus, An per statum conditionatæ futuritionis Decretum DEI actuale antecedentis intelligat aliquam realitatem è statu possibilitatis ac indifferentiæ, extractam vel non? si hoc posterius, quomodo stabit Scientia Media nullum jam habens objectum, nisi quod sub eâdem omninò ratione seu formalitate est simplicis Intelligentiæ? Quomodo etiam certitudo Divinæ prædestinationis in ordine ad effectus libero nostro arbitrio subjectos secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores stabit ex unicâ supposi- 13.

 sitione,

sitione, vel præscientiâ talis Futuritionis, quæ supra statum possibilitatis, atque adeò indifferentiæ nihil habet r.. litatis, seu formalitatis realis?

14. Quare oportet Scientiam Mediam, prout communiter defenditur, non stare, nisi in futuritione conditionatâ, tanquàm Scientiæ illius objecto supponatur formalitas, seu realis determinatio extracta è statu possibilitatis, ac indifferentiæ objectivæ. At nulla creatæ Entitatis formalitas potest ex hoc indifferentiæ, ac possibilitatis statu esse extracta, nisi ex vi Causalitatis actualiter existentis. Si autem hæc actualis Causalitas esset per gratiam, consequenter argueret Divinæ Voluntatis Causalitatem actualem, atque adeò supponeret Decretum Dei actuale. Hoc autem est contra Molinam. Ergo oportet illam causalitatem, vi cujus actus liber in futuritione Conditionatâ tanquàm realitate statum possibilitatis supergrediente ponitur, esse à nostro arbitrio secundum præcisas naturæ vires. Hoc autem est Semipelagianum. Ergo vel oportet in statu Futuritionis Conditionatæ nihil realitatis ultra liberi actûs possibilitatem, ac objectivam indifferentiam admittere; quo admisso ruit Scientia Media: vel opus est labi in Semipelagianismum; prout efficaciter argumentatus est Summus Pontifex. Constat igitur argumentum istud Pontificis militare ad Scientiam Mediam in eo etiam sensu, quo communiter defenditur, reijciendam.

15. Dices cum Amico. *cit. sect. 12. n. 234.* Aliam esse rationem de transitu purè possibilis ad Futurum absolutum; hic enim transitus utpote subjectivus ponens mutationem subjectivam in re, quæ per Existentiam exercitam à statu possibilitatis transfertur in Futuram, hoc ipso supponit Decretum actu existens in Deo. Aliam proinde rationem esse de transitu purè possibilis ad statum Conditionatæ duntaxat Futuritionis, hic namque transitus solùm objectivus in re nullam nisi objectivam ponens mutationem intelligi potest absque actuali, seu subjectivo, sed cum objectivo Dei Decreto, quod non simpliciter, sed sub conditione esset concursurum ad Mediæ Scientiæ objectum, seu Futuritionem conditionatam.

16. Contra. Formemus enim istam Conditionalem. *Si in Tyro, ac Sidone factæ essent virtutes, quæ in Bethsaida & Corozain, acturi fuissent magnam pœnitentiam.* De hac proinde Conditionali prout Scientiæ Mediæ est objectum importans pœnitentiam Tyriorum objectivam cum Decreti Divini non actu existentis, sed duntaxat objectivi connotatione quæramus inprimis, Quid hoc Dei objectivum Decretum importet? An pro signo rationis, in quo verificatur illa Conditionalis, importet aliquam Voluntatis Divinæ determinationem liberam actui existentem in Deo, vel non? Si posterius dicatur, oportet Scientiæ Mediæ propugnatores memores esse illius principij à se positi. *Ideo fieri à Deo aliquid futurum, quia Futurum est, non econtra.* Ex hoc enim principio fit consequens, prætactam de Tyriorum Pœnitentiâ Conditionalem vel nihil formalitatis Divinæ includere in suo objecto, vel certè formalitatem Dei in illo scibili involutam jam esse in Deo pro signo, in quo verificatur illa Conditionalis. At hæc attingitur à Scientiâ Mediâ antecedente omnem Voluntatis Divinæ liberam determinationem. Unde sicuti futuritio illius Tyriorum conditionatæ pœnitentiæ, sic ratio illius objectivi Decreti quà importati in Scientiæ Mediæ objecto jam subsistit pro illo signo, in quo Voluntas Divina intelligitur pro suâ libertate indifferens absque ullâ formali determinatione alicujus ad extra effectûs. At hæc formalitas pro tali signo non est nisi necessaria Dei perfectio. Ergo Decretum Dei objectivum quatenus in Scientiæ Mediæ objecto, sive in conditionali liberorum nostrorum actuum Futuritione importatur, est perfectio Dei necessaria. At quænam sit hæc Dei formalitas, ac perfectio necessaria in Pœnitentiâ Tyriorum quà Scientiæ Mediæ objecto connotata, non potest assignari per adversarios, nisi nobiscum dicere velint, esse ipsam Voluntatem Divinam consideratam secundùm efficaciam suam cum infallibilitate radicali certissimæ consecutionis omnis ad extra effectûs, quem pro signo secundo per actualem sui determinationem statuerit in tempore producendum.

17. Hoc adeò posito rursum quæramus, An conditionalis Tyriorum pœnitentia talem duntaxat importet objectivam mutationem, quæ in ratione objecti importet aliquid formalitatis ultra objectivæ indifferentiæ, seu puræ possibilitatis statum, vel non? Nam hæc sunt contradictoria, in quibus nullum est medium. Unde oportet secundùm adversarios præsertim unum esse determinatè verum, & alterum falsum, debetque adeò responderi simpliciter vel affirmando, vel negando absque ulterioris distinctionis medio. Si ergo neget Amicus, ecce in pœnitentiâ conditionali Tyriorum non est determinatio ex parte objecti considerabilis, quippe tota ejus formalitas sit secundùm puræ possibilitatis, ac indifferentiæ objectivæ rationem. Hæc autem pœnitentiæ Tyriorum conditionatæ formalitas rationem possibilitatis non egressa est secundùm Nos taliter ordinabilis ad Divinam Voluntatem in actu primo, sive in suâ indifferentia consideratam, ut quia huic talis inest efficacia, ut habeat infallibilem vel Causalitatis, vel Consequentiæ cum objecto decretato seu permisso connexionem; ideircò pro signo antecedente liberam Voluntatis Divinæ determinationem verificatur, & à Deo per substantiæ suæ Visionem cognoscitur certò, quòd pœnitentia Tyriorum sit etiam liberè secutura, si Divina Voluntas eam statueret. 18. Econtrario Scientiæ Mediæ propugnatores pro illo signo Voluntatis Divinæ nullam actu habentis liberam determinationem, nec ex hujus intrinsecâ efficaciâ, seu radicali infallibilitate volunt reddere rationem pœnitentiæ illius Conditionalis, nec ex cujusvis rei creatæ Essentiali possibilitate reddere possunt rationem certitudinis de Conditionali Tyriorum conversione. Unde ad adstruendam hujus Conditionalis certitudinem compelluntur in ejus Veritate objectivâ ponere aliquam liberæ determinationis formalitatem supergressam possibilitatis, ac indifferentiæ statum. Hæc proinde liberæ ad pœnitentiam Tyriorum determinationis etsi non subjectivæ, sed duntaxat objectivæ formalitas statum indifferentiæ, ac possibilitatis supergressa formalitatem Dei, quam connotat, vel antecedit, vel consequitur, vel saltem comitatur?

19. tur? Si secundum, ac tertium? Ergo Deus respectu illius liberæ ad pœnitentiam determinationis non consideratur sub ratione Causæ, potestque ista pœnitentiæ libera determinatio in ratione objecti quà scibilis a Deo subsistere cum connotatione non alterius Causæ, quàm creati Arbitrij, quod sapit Semipelagianismum. Si primum asseratur habemus intentum, quòd nimirum Conditionatæ Futuritionis Veritatem, ac determinationem objectivam antecedat formalitas Dei. Hanc verò oportet habere rationem determinationis in Voluntate Dei, cùm aliàs per prius esset intelligibilis determinatio creati arbitrij, quàm Voluntatis Divinæ. At hujus determinatio est formaliter Decretum Dei liberum. Sicuti ergò determinatio Pœnitentiæ Tyriorum conditionatæ licèt objectiva quà Scientiæ Mediæ objectum supponit Decretum Dei liberum: sic Scientia Conditionatorum non est intelligibilis sine antecedente Dei Decreto, vi cujus adeò futurorum Contingentium tam absolutorum, quàm Conditionatorum, quæ tum ex se ipsis, tum in causis suis secundis neque sunt determinatè veræ, neque falsæ, fit determinatio & futu-
20. ritionis, & Veritatis, Divo Thomà *1. p. q. 16. a. 7. ad 3.* attestante, *quòd ea, quæ sunt futura, semper verum fit, esse futura, non aliâ ratione verificari, nisi quatenus in Causâ sempiternâ fuit, ut essent futura, quæ est solus Deus.*

21. Replicabis ex Suarezio *cit. c. 3. de præsc. Dei Condit. n. 6.* Conditionalem Tyriorum Pœnitentiam, quà Scientiæ Mediæ objectum involvere Decretum Dei quà futurum, non quà actu existens pro illo signo, in quo illius Conditionalis veritas objectiva est scibilis a Deo.

22. Contra. Nam positâ | istâ Decreti Divini Fututione, *de qua sequenti Controversiâ*, eam comparemus cum Conditionalis Tyriorum pœnitentiæ Futuritione, quærendo: *An illa in ratione objectivæ Veritatis sit prior?* si enim hoc negetur, sequitur Futuritionem pœnitentiæ Conditionatam licèt purè objectivam esse in ratione Veritatis priorem Futuritione Decreti Divini. Hinc verò esset denuo consequens, liberam talis pœnitentiæ determinationem Conditionalem, quæ ut sic veritatem puræ possibilitatis statui congruam esset supergressa, fore intelligibilem in ordine ad solas Naturæ vires sine Dei, & Gratiæ causalitate. At hoc sapere Semipelagianismum, patet ex dictis. Oportet igitur actuum liberorum Fidei, ac pœnitentiæ futuritionem quà Scientiæ Mediæ objectum non esse assignabilem, nisi cum præsuppositione Decreti
23. Divini, vel saltem hujus Futuritionis. At hanc ipsam Decreti Divini Futuritionem secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores, *scibile esse prius Scientiâ etiam Divinâ* asserentes, oportet jam subsistere pro signo, in quo antecedenter ad omnem Voluntatis Divinæ liberam determinationem est Scientia Media. Tunc autem nihil est in Deo intelligibile, nisi ejus perfectio necessaria. Illam ergo Futuritionem oportet in signo Scientiæ Mediæ vel nihil esse Divinum, vel esse formalitatem Necessariam. Hoc autè posterius asseri non potest. Si verò ad prius dicatur, esse quid Divinum non in ratione actualitatis præsentis, sed in ratione objectivæ veritatis; Contra est, quòd omnis veritas objectiva radicetur in Esse. Ergò illa futuritio Decreti Divini pro signo Scientiæ Mediæ eatenùs solùm habet Veritatem objectivam, quatenus habet Esse. Sed non habet Esse pro tunc determinatum. Ergò nec Veritatem objectivam. Ergò Decreti Divini Futuritionis Veritas objectiva est fictitia.

Ad Suarezij *n. 8.* oppositum Fundamentum.

Respondetur I. Propositionum Conditionalium, sive formaliter, sive materialiter 24.
tantùm illativæ sint, objecta debere sub eâ ratione objectiva, sub quâ subijciuntur Scientiæ Divinæ, omnimodam habere infallibilitatem, ac certitudinem. At istius Conditionalis: *Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. 4. Reg. 13. v. 19.* objectum præcisè non est Futuritio percussionis Syriæ, sed particula *si* in illa propositione significat dependentiam Syriæ percussionis à percussione terræ. At ista dependentia sive importet consecutionem necessariam, sive solius dimanationis, aut significationis, aut cujuscunque alterius rationis conjunctionem, saltem quà infallibilis stare non poterat ex vi alicujus Causæ secundæ. Oportet igitur substitisse ex vi Causæ primæ; cujus solius est, posse quamlibet creaturam, sive in ratione signi, sive in ratione Causæ etiam physicæ secundum potentiam ejus Obedientialem assumere ad effectum virtuti suæ naturali omninò improportionatum. At Deus ad extra non ordinatur absque Decreto suæ Divinæ Voluntatis. Consequens igitur est, sicuti Deus Iosue victoriam contra Chananæos alligavit elevatione Clypei. *Iosue 8. v. 18.* sic non nisi per Decretum Dei fuisse dispositum, ut Ioas toties percussurus esset Syriam, quoties percuteret
terram. At istud Decretum in Deo fuisse actuale 25.
ex eo evincitur, quòd negatio percussionis Syriæ usque ad consumptionem ab Elisæo imputetur Regi, cui proinde iratus exprobravit, quòd sicuti propter trinam percussionem tribus vicibus sit percussurus Syriam, sic eandem percussurus fuisset usque ad consumptionem, si terram septies percussisset. Quæ sanè exprobratio significat, ex parte Regis stetisse, quòd Syria non esset consumenda. Ergò ex parte Dei oportuit per Voluntatis suæ Divinæ Decretum fuisse Syriæ consumptionem sub conditione septimæ illius percussionis actualiter præordinatam. Ex quo adeò Decreto Dei actuali erat infallibilitas Conditionatæ consumptionis Syriæ, nec non hujus effectûs ex percussionis terræ conditio-
nis dependens Consecutio. Cùm proinde con- 26.
secutions ista dependentia involvatur formaliter in objecto illius Conditionalis, cujus utpote Divinitùs enuntiatæ ratio objectiva quà infallibilis nequit subsistere, nisi in Dei Decreto, consequens est, rationem formalem objectivam, sub quâ illa conditionalis, imò quævis alia est cognoscibilis, non esse, nisi Decretum Divinum: siquidè nulla circa futura contingentia fit excogitabilis Conditionalis, cujus antecedens ex vi alicujus Causæ secundæ, vel cujuscumque conditionis creatæ habere possit infallibilem cum consequente sive illationis, & Causalitatis, sive dimanationis, aut significationis, aut cujuscumque conjunctionis connexionem, ac dependentiam, cujusmodi tamen significatur con-

nexio seu dependentia per particulam *si*; ut adeò nulla Conditionalis de futuro cadere possit in Dei scientiam, nisi sub ejus Divino Decreto tanquàm ratione formali objectivâ. Constat igitur, Conditionalem, etsi sumatur tantùm materialiter, cùm tamen ut sic per particulam *si*, fatente ipsomet Suarezio, importet aliquam conjunctionem dimanationis, seu alterius conjunctionis rationem, non esse scibilem à Deo, nisi in suo Decreto: ex quo unicè potest Contingentis conjunctionis, aut dependentiæ ratio accipere infallibilitatem, & certitudinem objectivam.

27. Respondetur II. Controversiam, *Utrum propositiones de futuro Contingenti sint determinatè veræ vel falsæ?* in eo difficultatis puncto se tenere; *An ex ratione suâ objectivâ præcisâ à Decreto Dei sint veræ vel falsæ?* Hoc autem ita negatur à Doctore Angelico *cit. lect. 13. periherm.* ut fundamentum hujus negationis adstrui debeat ex eo, quòd aliquid antequam esset, non erat futurum, nisi quatenus erat in suâ Causâ, ut fieret. ex eod. S. Doctore *1. p. q. 16. a. 7. ad 3.* Unde tota ratio futuri est secundùm modum Essendi non in se, sed in Causâ. *ex eod. q. 16. de Malo. a. 7.* At Esse, & Verum ita convertuntur, ut unumquodque cognoscatur secundùm quod est in actu, non autem secundùm quod est in potentiâ, veluti idem ibid. docet, *ex 9. Metaph.* Unde impossibile est, quòd aliqua cognitio respiciens futura in ratione Futuri cognoscat ea in se ipsis, *ex loco proximè cit.* Oportet igitur, futura cognosci in se ipsis ab illo duntaxat intellectu, cujus cognitio est elevata supra Ordinem temporis, ita ut totus decursus temporis, & ea quæ per totum tempus aguntur, præsentialiter ejus aspectui subdantur. *ex eod. loc.* Hæc autem præsentialitas Futurorum, secundùm quam subijciuntur Divino Intellectui, est secundùm actionem Dei æternam, seu Causalitatem & operationem Deo intrinsecam, uti ex S. Thomâ ostensum est, *prac. art. cont. ult. & sup. q. 3. a. 5. cont. 3. patetque ex cit. art. 7. de malo. q. 16.* At ista actio æterna & Causalitas Dei intrinseca est Decretum Divinum, ac præscientia in Deo consequens istud Decretum, juxta illud: *Dixit*, per actum scilicet præscientiæ *& facta sunt, quæcunque voluit, ut fierent.* Unde Futurorum determinata veritas, seu cognoscibilitas non est prior, sed posterior Dei scientiâ. *ex 1. cont. Gent. c. 79.* ita ut res non ideo sciantur à Deo, quia futuræ sunt, sed quia ex adjunctâ Dei Voluntate sciuntur, ideo futuras pronuntiarit S. Doctor. *1. p. q. 14. art. 8. & q. 2. de Verit. art. 14. ad 1.* Cùm igitur futura, quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existant, in quantum sunt ab ipso cognita & præordinata *ex q. 12. de Verit. art. 3.* Sint autem à Deo cognoscibilia prout in æternitate sunt Deo præsentia, *ex loc. praalleg.* Hæc autem ratio præsentiæ futurorum in æternitate sit secundùm actionem Dei æternam, quæ est formaliter Dictio, & Decretum Dei, consequens est, non nisi in hâc Causalitate Dei formaliter immanente, sed virtualiter transeunte esse cognoscibilia futura quæcunque, ita quidem ut absolutè futura Decretum Dei ex parte etiam objecti absolutum, Conditionatè autem futura Decretum ex parte Dei absolutum, sed ex parte objecti conditionatum præsupponat; ex cujus adeò Decreti determinatione subsistat determinata Veritas, seu cognoscibilitas futurorum sive absolutè, sive conditionatè enuntiabilium, Divis Prospero *in sæpe cit. epist.* S. Augustino *in lib. de prædest. passim; & epist. 109.* supponentibus: nulla esse futura, imò conditionata confingi quà futura, quæ à Deo non sunt præordinata. Constat proinde alterutram ex propositionibus de futuro contingenti esse determinatè veram in eo tantùm signo, in quo stant sub ratione futuri, cujusmodi signum nequit voluntatis Divinæ actuale Decretum antecedere; cujus oppositum nunquam probant, sed supponunt Scientiæ Mediæ propugnatores.

CONTROVERSIA. V.

An status Conditionalis Fururitionis subsistere possit per Decretum Dei non tantum objectivè, sed etiam subjectivè conditionatum?

SCientiam Conditionatorum in Deo consequentem Decretum Dei saltem quà futurum asserit Suarezius allegatus in *præc. cont.* Hoc autem Decretum Amicus *cit. disp. 12. n. 244.* dicit Conditionatum, quod solâ ratione præcedat Absolutum actu existens. Nam cùm Deus priùs ratione cognoscat rem conditione futuram, quàm absolutè futuram; oportere ait Amicus, priùs etiam ratione præcedere Voluntatem ipsius, ut Causam rei creatæ sub conditione futuræ, quàm ut Causam ejusdem rei prout absolutè futuræ. 1.

Referuntur sententiæ cum fundamentis.

CUjus adeò Decreti Conditionalis quà futuri Scientiam in Deo adstruunt Fonseca *lib. 6. Metaph. c. 2. q. 4. sect. 10. §. sed quæret.* Suarez *lib. 2. de Scientiâ Dei. c. 8.* Amicus *cit. n. 252. contra* Molinam *1. p. q. 14. a. 13. disp. 9.* Vasquezium *disp. 65. n. 25.* & Franciscum de Lugo. *lib. 1. de Deo. disp. 29. c. 4. n. 12.* Fundamentum est. Decretum Dei cognoscitur ponendum ut est sub conditione, cognoscitur autem actu positum purificatâ conditione. Ergò si Deus ab æterno cognovit suum liberum Decretum ut ponendum, independenter ab eodem actualiter posito, oportet priùs cognovisse sub conditione, quàm ut absolutum. At eo ipso, quòd effectus creatus priùs ratione cognoscatur sub conditione futurus, quàm absolutè futurus, debet etiam Decretum Divinum priùs ratione cognosci sub conditione ponendum, quàm actu positum. Probatur istud Assumptum. Quia sub nullo signo intelligi potest effectus creatus sine dependentiâ à Voluntate increatâ. Ergò sub nullo etiam signo intelligi potest effectus creatus sub conditione futurus, quin sub eodem intelligatur Decretum Dei sub conditione futurum. Si ergò priùs ratione intelligitur effectus creatus sub conditione futurus, quàm absolutè futurus, oportet etiam Decretum Divinum priùs ratione intelligi sub conditione ponendum, quàm actu positum. 2. 3.

Alterum Conditionatum Dei Decretum, quod nunquam de facto existit in Deo, existeret autem, si certa conditio poneretur, à Divina præsci- 4.

præſcientiâ cognitum Amicus dict. *diſp. 12. n. 246. cum Fonſeca & Suarezio locis cit.* adſtruit contra Molinam *1. p. q. 19. a. 13. diſp. 17.* Fundamentum eſt. In actu ſupernaturali creato libero nunquam abſolutè, ſed ſub conditione tantùm futuro Deus cognoſcit ſuum Decretum concomitans, ſub conditione offerens auxilium Gratiæ tanquàm Cauſam illius conditionalis ſupernaturalis conſenſûs. At eadem eſt ratio Decreti, quod comitatur creatum liberum arbitrium, illud mediante Gratiæ auxilio in actu primo complendo in ordine ad actum creatum liberum, atque illius Decreti, quod eſt cauſa effectûs à ſolo Deo ſine influxu Cauſæ ſecundæ producendi: nam utrumque pendet ex ſolâ voluntate Dei, eſtque antecedens, non autem Conſequens effectum, utpote cauſa iſtius. Sicuti ergo in effectu per arbitrium creatum cauſando non abſolutè, ſed tantùm conditionatè futuro Deus cognoſcit Decretum Voluntatem creatam conditionatè concomitans, eamque in actu primo cauſandi complens: ſic in effectu, per ſolum Deum producendo, etſi nunquam abſolutè, ſed conditionaliter tantùm futuro cognoſcit Deus Decretum ſuum conditionatum, ex quo tanquàm Cauſâ pendet effectus ille conditionaliter futurus.

5. Ex quibus ex Amico deſumptis fundamentis patet, non poſſe ullam Futuritionem effectûs creati etiam purè conditionalem aſſignari ſine dependentiâ à Voluntate increatâ, cujus adeò Decretum conditionatum tanquàm Cauſa antecedens futuritionem ejuſmodi importetur in hujus conceptu objectivo. At ſupereſt difficultas. 1. An iſtud Decretum ſit Concomitans vel prædefinitivum actûs creati liberi, de quo ad præſens de Scientiâ Mediâ inſtitutum aliqua diſſeremus *ſequenti cont.* 2. An illud Decretum ſit purè conditionale non tantùm ex parte *objecti*, ſed etiam *ſubjecti*, ſeu *Voluntatis Divinæ*? Hoc eſt: An Decreta Divina, quibus tanquàm Cauſâ nititur Futuritio Conditionata, actualiter ſint re ipsâ in Deo, vi quorum tamen objecta ſeu effectus, non ſint unquam de facto producendi, ſed eſſent ponendi in rerum naturâ ſub conditione actu non extiturâ?

6. Adversùs iſta *ſubjectivè* abſoluta, & duntaxat *objectivè* Conditionata Decreta Amicus *cit. diſp. 12. n. 209.* opponit 1. Quia hoc Decretum ponitur in Deo actuale abſque ullâ mutatione ad extra. At eo ipſo, quòd Decretum Dei ſit Eſſentia Divina cum connotatione productionis extrinſecæ effectûs liberè à Deo pendentis, implicat dari in Deo actuale Decretum ſine mutatione ad extra. 2. Sequeretur, in Deo eſſe efficax Decretum de effectu, & ſimul efficax Decretum de negatione Cauſæ ſive Conditionis. Probatur iſta ſequela. Non enim magis pœnitentia Tyriorum ſub conditione Chriſti ſignorum fuit decreta, quàm negatio hujus Conditionis. Si ergò conditionata Tyriorum pœnitentiæ Futuritio fundatur in Decreto Dei non purè conditionali, ſed ex parte Dei abſoluto & actuali, oportet ſimul eſſe Decretum actuale de negatione ſignorum coram Tyrijs faciendorum. At hoc inane eſt: Nam quando effectus, & cauſa pendent ab eodem Agente, velut pœnitentia Tyriorum & manifeſtatio ſignorum à Deo prædefiniente, fruſtra tunc Agens habet efficacem Volitionem de uno, ſi habet efficacem Volutionem de alio; ad quid enim faciebat efficax Decretum de pœnitentiâ, ſi Deus efficaciter nolebat dare ſigna, ex quibus ut ex cauſâ, vel conditione pendebat pœnitentia Tyriorum? Ad minimum ergo tale Decretum eſſet otioſum.

Ex oppoſito Thomiſtæ 1. Negant Futuritionem in Decretis Divinis, Petrus Labat *cit. diſp. 5. de Sciem. Dei. dub. 9. §. 3. n. 3.* Ioannes à S. Tho. *cit. diſp. 20. a. 5. n. 4.* 2. purè Conditionalia Decreta negant ſufficere ad Conditionatam futuritionem, ſed in Deo dari Decretum *ſubjectivè* ex parte Voluntatis Divinæ abſolutum, & tantùm ex parte objecti conditionale, vi cujus Deus actu reſolutoriè, ac firmiter velit aliquid fieri, ſi conditio talis ponatur, Ioannes à S. Thom. *cit. diſp. 20. a. 2. n. 25.* Hilden Symb. Milit. *par. 2. §. 1. n. 2.* Labat *loc. cit.* Gonet. *cit. diſp. 5. a. 3. §. 1.* Xantes *cit. to. 2. de Scient. Dei. Contr. 49. c. 1. & alij communiter.* 7.

CONCLUSIO I.

DEum circa ſuum Decretum cognoſcere propriam alicujus futuritionis rationem implicat tum ex parte Divinæ Scientiæ, tum ex parte Decreti.

Probatur. Futuritio alia eſt impropria, per quam res modò exiſtens ſecundùm eandem indiviſibilem durationis menſuram coexiſtit tempori ſequenti: Sic Deus eſt, Erit, & Fuit, ut adeò Divina quoque Eſſentia dici poſſit Eminenter Futura. Alia verò Futuritio eſt propria, quæ non præciſè importat coexiſtentiam cum duratione ſubſequente, ſed inſuper negationem Exiſtentiæ pro præſenti duratione. At Decreta Divina eo ipſo, quòd menſurentur æternitate, priori tantùm modo, non autem ſecundùm acceptionem poſteriorem dici poſſunt Futura. 8.

Reſpondebis ex Suarezio citato: Præter hanc duplicem realem Futuritionem eſſe in Decretis Divinis intelligibilem Tertiam ſecundùm ſigna rationis. Nam priùs ratione concipimus cognoſcere Deum Voluntatem ſuam, quatenus poteſt hoc vel illud liberè velle, quàm ut actu volentem hoc vel illud. Ergò priùs ratione eandem Voluntatem ſuam Deus deberet cognoſcere ut volituram, quàm ut actu volentem; ſicuti ſi ab æterno creatus eſſet Angelus, cujus Voluntas ex æternitate haberet actum liberum, Deus cognoviſſet hunc actum non ſolùm ut præſentem, ſed etiam ut emanaturum à Voluntate Angeli. 9.

Contra. Si enim diſtinctio ſignorum rationis in Divinis ſufficit, ut Intellectus Dei dicatur aliquam in ſe formalitatem priùs ratione cognoſcere quà Futuram, quàm ut actu præſentem, poterit etiam Spiritus Sanctus ab Intellectu Divino intelligi quà futurus. Probatur. Nam pro aliquo priori rationis intelligitur Pater ut generans, & Filius ut genitus non intellectâ ratione Spiratoris, nec adeò Perſonâ Spiritûs Sancti. Sicut ergò Decretum Dei dicitur in aliquo priori rationis ab Intellectu Divino cognoſci quà futurum, eò quòd Voluntas Divina priùs ratione concipi poſſit quà potens velle, quàm ut actu volens: Sic Spiritus S. pro illo priori, in 10.

quo Pater generat, & Filius est genitus, intelligitur à Patre non ut præsens, sed quà futurus. At hoc impugnatur à Suarezio *lib. 9. de Trinit. c. 5. n. 9.* eò quòd inter Filium & Spiritum S. nulla sit prioritas *in Quo*, sed tantùm *à Quo*, quæ non excludit simultatem omnimodam in Existentiâ, & cognitione: Futuritio autem importet in objecto aliquam posterioritatem Existentiæ. Pari ergò ratione, si pro illo signo, in quo Filius secundùm prioritatem Originis est prior Spiritu S. non licet dicere; Patrem intuitivè cognoscere Spiritum Sanctum non ut productum, sed ut producendum, seu ut futurum; neque dicere possumus, Deum pro aliquo signo priùs cognoscere suam Voluntatem, quà volituram, quam ut actu volentem.

11. Confirmatur. Nam Voluntatem Dei pro illo signo, in quo denominatur volitura, non actu volens, oportet in se habere aliquid formalitatis, quæ sit fundamentum reale illius denominationis: Hæc autem formalitas si neque virtualiter distinguatur à Voluntatis Divinæ potentiâ volitivâ, ejusque Indifferentiâ Logicâ, nequit esse Voluntatis Divinæ determinativa in ratione potiùs Volituræ, quàm non Volituræ: Atqui formalitas virtualiter distincta à Voluntate Divinâ ejusque indifferentiæ Logicæ determinativa est hoc ipso actualitas libera in æternitate inexistens Deo. Ejusmodi verò actualitas libera Voluntatis Divinæ ejusquè indifferentiæ Logicæ determinativa est volitio actualis. At nulla est in Deo Volitio libera nisi ad extra. Oportet igitur pro signo, in quo Indifferentia Logica Voluntatis Divinæ quoquo modo est determinata vel jam esse in Deo Volitionem, seu Decretum Dei liberum ad extra, vel illam formalitatem, per quam denominatur Deus voliturus, esse ipsammet potentiam volendi cum indifferentiâ suâ Logicâ. At in hâc potentiâ Dei Volitivâ quà indifferente ad volendum, vel nolendum nulla est determinatio, in quâ cognosci possit Voluntas Divina potiùs volitura, quàm non volitura. Repugnat igitur Volitionem Dei ad extra, seu Decretum ipsius liberum quà determinatè in ratione Volitionis futurum cognosci à Divino Intellectu.

12. Replicabis ex eodem Suarezio, *loc. cit. n. 4. & 6.* Amico *cit. n. 212.* Si per impossibile Decretum Dei ad extra non esset æternum, & aliquando illud habiturus esset Deus; nihilominùs semper intellecturum fuisse, Voluntatem suam fore illud Decretum habituram. Ergo etiamsi nunc sit æternum, intelligi cognoscibile de Divina Voluntate ad modum futuri independenter ab actuali præsentiâ.

13. Contra. Nam etiamsi Decretum Dei ad extra non esset æternum, importaret formaliter connotationem temporalem alicujus creati effectûs: hæc autem connotatio supponere deberet saltem in ratione fundamenti formalitatem Deo intrinsecam virtualiter distinctam à Voluntatis Divinæ Logicâ Indifferentiâ. De hac igitur formalitate Deo intrinsecâ Decreti Divini secundùm Suarezium, & Amicum *seq. quæst.* citandos formaliter in Esse liberi constitutivâ redibit difficultas, An prætacta replica probet, posse intelligi in ratione Futuræ. Etenim si supponatur non æterna, ex parte Dei erit potentialitas formalitatis ejusmodi in tempore receptiva. Ejusmodi verò potentialitas ex parte Dei foret destructiva Actûs puri, atque adeò essentiæ Divinæ. At implicat, intelligere Decretum Dei sub formalitate, quæ Essentiæ Divinæ est destructiva. Ergo Decretum, quod per Replicæ allegatæ hypothesin supponitur non esse æternum, non est Dei, nec adeò sub ratione Decreti Divini sive quà futuri, sive quà præsentis intelligibile. Unde patet, quàm Chimæricis, & fictitijs commentis Scientiæ Mediæ propugnatores utantur circa præscientiam Divinam.

Confirmatur. Nihil est intelligibile nisi in ratione Entis: nulla autem formalitas habet rationem Entis, nisi sub ratione Essentiæ; Omnis verò formalitatis Deo intrinsecæ non est Essentia, & consequenter Intelligibilitas, nisi unica Divinæ Substantiæ. Sicut ergò Essentiæ Divinæ, sic omnis formalitatis Deo inexistentis Intelligibilitas rationem futuritionis excludit hoc ipso, quòd formaliter importet purissimam, & actualissimam Essendi rationem. 14.

Conclusio II.

De effectibus creatis etiam contingentibus, ac liberis sunt formabiles infinitæ Conditionales, quarum tamen objecta nihil realitatis, ac veræ futuritionis ultra statum possibilitatis involvunt, nec adeò cognoscibiles sunt à Deo, nisi per scientiam simplicis Intelligentiæ.

Probatur, & explicatur. Non enim tantũ in thesauro Divinæ Omnipotentiæ, & activæ Dei imitabilitatis, sed in virtute Causarum quoq; secundarum reconditi sunt effectus possibiles infiniti. Has proinde Causas secundas secundùm potentiâ tum naturalem, tum Obedientialem conspicit Deus posse constitui in infinitis hypothesibus sive conditionalibus, ac verè Causalibus, sive Disparatis. Inter has verò hypotheses aliquæ tendunt ad effectum contingentem, seu liberum; aliæ verò ad actum ex intrinsecâ Causæ in actu primo determinatione necessarium. Deus igitur Causarũ secundarũ virtutes, quoad infinitas hypotheses, in quibus statui possunt, contemplando, effectus ex ipsis producibiles cognoscit non secundùm Existentiæ determinationem exercitam, sed secundùm possibilitatem. Nihilominus quia Causæ ejusmodi etiam naturales, ac necessariæ non tantũ in Essendo, sed in operando Causæ primæ sunt Essentialiter subordinatæ, idcircò in nullâ penitus Causarum secundarum peristasi est formabilis propositio Conditionalis cum infallibilitate, ac certitudine enuntians aliquem effectum sub statu etiam possibilitatis, nisi cum ordine ad Voluntatem Divinam. Hæc autem Dei voluntas ad effectus intra statum meræ possibilitatis se tenentes nullum habet actuale Decretum, sed potentiam duntaxat determinandi quoslibet creatos effectus ex se, atque Causis secundis producibiles. Ista verò Voluntatis Divinæ potentia quorumlibet effectuum ad extra determinativa habet vim suâ Causalitate attingendi immediatè, ac infallibiliter quaslibet actiones, ac effectus creatos. Hanc igitur Voluntatis Divinæ vim ex se infallibilem considerando, de Causis secundis, quatenus secundùm potentiam tum obedientialem, tum naturalem constitui possunt in infi- 15. 16.

in infinitis hypothesibus, formari possunt Conditionales infinitæ. In his autem Conditionalibus vis consequentiæ, & illationis quà infallibilis non est, nisi in ordine ad Voluntatem Divinam, ejusque radicalem infallibilitatem. Probatur istud assumptum. Tum quia si Conditionalium aliqua constet conditione merè disparatâ, nihil habet connexionis cum effectu, nisi ex vi Voluntatis Divinæ potentis elevare conditionem ejusmodi vel in ratione signi, & Causalitatis Moralis, vel in ratione potentiæ Obedientialis ad effectum ex se improportionatum. Tum quia licet virtus Causæ secundæ ab intrinseco determinata fundet in aliquâ rerum peristasi consequentiam cum physicâ certitudine illativam effectûs, hujus tamen infallibilitas omninò inevitabilis, ac Methaphysica non est considerabilis nisi cum ordine ad infallibilitatem Voluntatis Divinæ. Tum denique, quia Causæ creatæ liberæ salvâ libertate sub nullâ hypothesi considerari possunt cum certâ, sed conjecturali duntaxat effectûs ex ipsis consecutione: Unde non nisi ex Voluntatis Divinæ, cui nihil resistit, efficaciâ, & radicali infallibilitate potest actûs liberi, quà ex arbitrio creato producibilis, esse illa-
17. tio infallibilis. Etsi proinde Deus cognoscat omnes Conditionales antecedenter ad actuale Dei Decretum formabiles; hæ tamen, si effectus creati comparatio fiat tantùm in ordine ad Causas secundas, nec non certas, in quibus statui possunt, rerum peristases; ex parte objecti non enuntiant de Causâ nisi inclinationem vel naturalem ex se determinatam physicè quidem certam, sed Methaphysicè impedibilem vel liberam duntaxat, & conjecturalem. ex S. Tho. *q. 16. de Malo. a. 7. in Corp. circa finem.* Quam adeò sub hypothesibus non actu, sed de potentiâ Dei ponibilibus Causarum secundarum inclinationem in actu signato cognoscit Deus per Scientiam Simplicis Intelligentiæ: sicuti suæ quoque Voluntatis efficaciam, & radicalem infallibilitatem omninò insuperabilem videt per substantiæ suæ Divinæ comprehensionem. Unde Causas creatas, earumque effectus sive necessarios, sive liberos in quibuslibet in infinitum possibilibus conditionibus producibiles in ordine ad illam Voluntatis suæ Divinæ virtutem, & infallibilitatem, seu efficaciam insuperabilem in suâ substantiâ contemplando cognoscit de Causis, & effectibus creatis Conditionales in infinitum formabiles sub meræ possibilitatis statu latentes.

CONCLUSIO. III.

Conditionales realitatem aliquam seu veram Futuritionem ultra statū possibilitatis enuntiantes ex parte objecti important Decretum Dei non merè objectivum, sed actuale, in cujusmodi Decreto ex parte duntaxat objecti conditionali; sed actuali, & absoluto ex parte Dei non tantùm nulla est repugnantia, sed datur de facto.

18. Probatur 1. Ex Sacræ Scripturæ locis, in quibus sub conditione disparatâ aliquid futurum pronuntiavit DEUS. *4. Reg. 13. Si percussisses terram quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem.* Nam connexio Consumptionis Syriæ nulla erat cum percussione terræ, nisi ex vi Decreti Divini, *ut sup. est demonstratum.* Ergò in Conditionali disparatâ divinitùs revelata supponitur Decretum Dei actuale, in quo consequentis cum antecedente per particulam *si* significata connexio fundetur. Probatur 2. Ex Sacris Textibus, in quibus pronuntiatur Deus aliquid facturus fuisse, si certa conditio esset posita. *Gen. 18. Si invenero in Sodomis quinquaginta iustos, dimittam omni loco propter eos. Psalm. 80. Si populus meus audisset me, Israel si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem. Matth. 26. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim Legiones Angelorum?* Ex his namque constat, Deum sub certis conditionibus ita pronuntiâsse aliquid à se faciendum, ut nisi conditionis propositæ defectus interveniret, quantum esset ex parte suâ, determinatè esset futurum. At nihil est determinatè ex Deo futurum, nisi quatenus operatur secundùm consilium Voluntatis suæ. Oportet igitur Voluntatem Dei fuisse in se determinatam ad effectus illos sub conditione ponendos. Hæc autem Voluntatis Divinæ determinatio est actuale Decretum ex parte Dei absolutum, seu actu existens, & conditionale ex parte duntaxat objecti. 19.

Confirmatur. Deus ex vi pacti tenetur salvare omnes, qui cum Gratiâ decesserint. Hoc autem pactum importat actum Divinæ Voluntatis, de quo nimirum testatus est Apostolus *1. ad Timoth. 2. quòd Deus velit omnes homines salvos fieri.* At ex hoc ipso, quòd voluntas ista in pactum deducta obliget Deum; Arriaga *1. p. dip. 25. sect. 2. concl. 1.* probat, esse conditionatè efficacem, ita, ut quantum est ex parte Dei, certò sit danda salus æterna, si conditio, sub quâ promissa est Gloria, adimpleretur ex parte hominum, quibus Deus tribuat omnia ad effectum Gloriæ consequendum media necessaria, uti præter alios Scientiæ Mediæ propugnatores tradit Amicus *infra disp. 15. sect. 4. n. 134.* 20.

De quâ adeò omnes homines salvandi voluntate Dei antecedente S. Doctor *in 1. dist. 46. q. 1. a. 1. ad 2.* ait, *quòd Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte Voluntatis Divinæ, sed ex parte Voliti.* Vides igitur, in Deo dari Voluntatem, secundùm quam conditionatè vult omnibus salutem: At voluntas secundùm quam actu vult, est formaliter actualiter in Deo, non verò tantùm objectivè. Datur igitur Decretum actuale in Deo ex parte Dei volentis absolutum, & ex parte voliti, seu objecti duntaxat Conditionatum. 21.

Respondebis ex Arriaga *cit. sect. 2. concl. 2.* Non nisi circa illa objecta, quæ de facto aliquando existunt, dari in Deo Volitiones actuales ex parte duntaxat objecti conditionales, & absolutas, seu efficaces ex parte Divinæ Voluntatis. Oportere igitur conditionales de objectis nunquam exstituris formabiles in se ipsis esse determinatè veras, atque adeò cognosci à Divino intellectu independenter à Decreto Dei formali & actuali, seu subjectivo, sed duntaxat objectivo. At Scientiam Mediam eo ipso adstrui debere, quòd Futuritionis Conditionatæ Veritas supponat Decretum Dei non *subjectivè* existens in Deo, sed *objectivè* se habens ad veritatem Conditionalis Futuritionis connotantis ut sic Decretum Dei non 22.

non actu positum sed ponendum, si conditio existeret. Ergò datis etiam circa objecta aliqua Decretis ex parte Dei absolutis, & tantùm ex parte objecti conditionatis, necdum expugnari Scientiam Mediam circa futura merè conditionalia in conceptu suo objectivo connotantia Decretum Dei merè Conditionale, ac objectivum.

23. Contra. Nam ex prætactis à S. Scripturâ assertis Futuris conditionatis, si non omnia, saltem pleraque nunquam erant absolutè extitura. Ergò Decretum de futuris Conditionatis existens actualiter in Deo, se extendit non ad ea duntaxat objecta, quæ aliquando existent actu, sed etiam ad illa, quæ sub hypothesi Conditionis nunquam exititurâ sunt à Deo statuta. Hinc D. Augustinus *lib. de prædest. Sanctor. c. 9. & 10.* disserens de Divina futuri Conditionati præscientiâ, secundùm quam Deus sciebat, *quòd isti, vel illi ad fidem converterentur, si illis tali tempore, & loco Evangelium prædicaretur*: recurrit ad latens Divinæ prædestinationis Consilium, ac Decretum. In hoc autem Decretum reducit totam illius Veritatis, ac præscientiæ rationem. At ex istis futuris Conditionatis pleraque non erant unquam actu ponenda. Ergo circa futura Conditionata, quæ nunquam extitura sunt, datur in Deo Decretum actu existens.

24. Replicabis ex eod. Arriaga *cit. sect. n. 16.* aliam esse rationem in effectibus purè conditionalibus, qui nunquam existent actu, sunt tamen proximè possibiles, ita ut creaturæ rationales, quando existunt, ad eas conditiones, sub quibus effectus illi sunt futuri, in proxima sint potentiâ. Aliam verò rationem esse de effectibus purè possibilibus: de his enim Decreta Dei ex parte Voluntatis Divinæ absoluta, & tantùm ex parte objecti conditionata videri otiosa, cùm econtra respectu Conditionalium proximè possibilium conducant ad Dei Providentiam perfectè complendam.

25. Contra. Nam etsi hic Mediæ Scientiæ propugnator jam condescenderit, necdum tamen sinit acquiescere Veritas sequenti discursu dilucidanda. Futuritio, quam attingit Divina Conditionatorum præscientia, est extra nihilum, atque adeo ultra merum possibilitatis statum, uti Amicus *cit. sect. 14. n. 247.* fatetur ex mente aliquorum Scientiæ Mediæ propugnatorum: nam alioquin futuritio ejusmodi esset objectum simplicis Intelligentiæ, non autem Mediæ alicujus Scientiæ. At nisi Deo negemus rationem Causæ primæ, ac universalissimæ, oportet cum D. Thomâ, *1. periher. lect. 14.* asserere, quòd *Voluntas Divina sit Causa quadam profundens totum Ens, & omnes differentias.* Ergo ex ratione Causæ primæ universalissimæ statuendum est, Futuritionem illam statum possibilitatis supergressam esse ex causalitate Divinæ Voluntatis. At Decretum Dei objectivum hoc ipso, quòd non sit actu, latet adhuc in virtute actûs primi, seu in potentia Voluntatis Divinæ, ex Arriagâ *disp. 24. n. 7.* Neque verò voluntas Divina prout est in actu primo habet ullam determinatam Causalitatem, vel Causæ actualis rationem, sed tanquàm potentia libera manet ad extra omninò indifferens. Oportet igitur, Causalitatem, seu rationem Causæ proximæ, ex quâ derivatur illa statum possibilitatis egressa conditionalis Futuritio esse Formalitatem determinativam Voluntatis Divinæ. At secundùm Arriagam *in physic. disp. 7. n. 44.* ac reliquos Scientiæ Mediæ propugnatores nulla Entitas, seu formalitas habere potest rationem Causæ actualis, minùs Causalitatis in actu exercito, nisi dum actu existit. Consequens ergo est, aut Futuritionem illam quà possibilitatis statum egressam non esse à Deo, aut in hujus Divinâ Voluntate esse actu formalitatem ejusdem determinativam, quæ in ordine ad futuritionis illius Entitatem habeat rationem Causæ, sive Causalitatis. Constat igitur, nisi negetur Deo ratio Causæ primæ universalissimæ, debere pro illo signo, in quo conditionata possibilitatis statum supergressa Futuritio verificatur, atque adeò præscitur à Deo; supponi in Deo Decretum actuale, quod non nisi ex parte objecti sit conditionata.

Oppones denuo ex Arriagâ *cit. concl. 2.* saltem de omnibus Conditionalibus, quæ nec in se ipsis, nec in potentiâ proximâ aliquando extituræ sunt, non esse admittendas volitiones Dei ex parte Voluntatis Divinæ absolutas, & conditionatas ex parte tantùm objecti. Nam ponere in Deo, tot, ac tam infinitas Volitiones liberas, quot in infinitis rerum combinationibus, si darentur hæ, vel illæ conditiones, existerent, videri planè incredibile. 26.

Contra. Nam certum est, Conditionales, quatenus in conceptu suo objectivo non involvunt aliquid formalitatis ultra possibilitatis, ac Indifferentiæ statum, attingi à Scientiâ Simplicis Intelligentiæ, non autem à Mediâ Dei præscientiâ. At nihil positivæ formalitatis ultra possibilitatis, atque adeò indifferentiæ statum posse in futuris conditionatis reperiri absque prævio Dei actuali Decreto, probat ratio primæ causæ *uti sup.* est demonstratum. Etsi verò controverti possit: *An effectuum sive absolutorum, sive Conditionatorum possibilium negationes ex purâ quasi omissione Volitionis Divinæ ceu effectuum ejusmodi causalitatis, vel causæ actualis proveniant?* hæc ipsa tamen quasi omissio esset libera, Voluntatis Divinæ ex se indifferentis ad extra determinativa. Nulla igitur stat sive negationis, sive positionis alicujus determinata etiam Conditionalis Futuritio sine determinatione Divinæ Voluntatis liberâ actuali, sive deinde hæc determinatio respectu effectûs negativi, ac negationis sit Decretum positivæ nolitionis, sive virtualiter habeat rationem puræ quasi omissionis, *de quo in seq. quæst.* Aut ergo Deus plerasque Conditionalium, quæ in combinationibus in infinitum possibilibus formari possunt, novit secundùm formalitatem statûs duntaxat possibilitatis per Simplicis Intelligentiæ Scientiam: aut si formalitatis aliquid ultra statum possibilitatis, ac indifferentiæ involvant, oportet in ipsorum conceptu objectivo supponi aliquam actualem Divinæ Voluntatis determinationem. 27.

Responsio ad Argumenta opposita.

AD fundamentum *n. 2. & 3.* oppositum Respondetur. Illud procedere ex falso supposito tum quòd effectûs creatus secundùm statum è purâ possibilitate extractum independenter ab actuali Decreto cognoscatur priùs sub conditione ponendus, quàm absolutè futurus: tum quòd ex Con- 28.

ex consequenti Decretū etiam Dei tanquàm effectûs futuri causa priùs intelligatur ponendum, quàm actu positum. Ratio utriusque istius suppositæ assertionis falsitatē demonstrans est. Quia pro illo signo, in quo nulla intelligitur Voluntatis Divinæ determinatio actualis; non est ulla creaturæ formalitas intelligibilis, nisi sub ratione possibilitatis, ac objectivæ indifferentiæ. At effectus creatus quà Futurus sub conditione in suo conceptu objectivo involvit formalitatem, quæ sit extra sphæram nihili, seu puræ possibilitatis. ex Amico *cit. sect. 14. n. 247.* Si ergò effectus creatus sub nullo signo possit concipi absque dependentiâ à Voluntate increatâ, consequens est; oportere Futuritionem etiam conditionatam ex parte Voluntatis Divinæ importare determinationem actualem, atque adeò Decretum ex parte Dei absolutum, & ex parte duntaxat objecti conditionatum.

29. Ad fundamentum *n. 4.* Oppositum Respondetur. Nos mirari, quòd ibi dicatur Decretum Dei conditionatum esse Causam effectûs sub conditione futuri, neque tamen hunc videri in Decreto illo Conditionato, sed econtra istud cognosci in effectu.

Ratio nostræ admirationis est. Nam effectum sub conditione futurum, quatenus fundat Scientiam Mediam ratione nostrâ distinctam à simplici Intelligentiâ, oportet involvere formalitatem extractam ex sphærâ possibilitatis, ac indifferentiæ. Ergò Voluntatem quoque Divinam pro signo Futuritionis ejusmodi Conditionatæ oportet stare non sub ratione indifferentiæ, sed cum formali sui determinatione. Hæc autem est Decretum actuale ex parte Dei absolutum, etsi conditionatum ex parte objecti. At istud Decretum Essentiæ Dei identificatum magis conjunctum est Intellectui Divino, quàm effectus conditionatus, cùm hic secundùm fundamentum etiam oppositum sit consequens, illud verò tanquàm causa sit antecedens effectum ejusmodi. Ergò oportet per prius intelligi à Deo illud Decretum, quàm effectum sub conditione futurum. Ergò hunc intelligit Deus in illo suo Decreto tanquàm Causâ ipsius, seu Causalitate Voluntati Divinæ intrinsecâ.

30. Ad 1. *n. 6.* Oppositum Respondetur: Stare posse Decretum Dei actuale absque mutatione ad extra exercitâ. Tum quia Decretum Dei ab æterno, uti loquuntur *à parte antè* erant in Deo sine mutatione tunc exercitâ, sed in tempore exercendâ. Cur ergò non etiam à *parte post* æternitatis subsistere queat sine mutatione exercitâ, sed exercendâ solùm sub conditione nunquam extiturâ? Tum quia Decretum Dei actuale se habet in Deo tanquàm Causalitas ad extra & actio æterna formaliter Immanens, & virtualiter transiens, cui per modum termini respondet mutatio passiva in tempore exercenda. Hæc autem mutatio passiva exercenda in tempore eatenus connotatur ab actione illâ æternâ, seu voluntatis Divinæ Decreto, quatenus est volita à Deo: Si ergò Deus non absolutè, sed sub conditione nunquàm ponendâ velit aliquid futurum huic Divinæ Volitioni, ac Decreto respondere; debet mutatio passiva in tempore non absolutè, sed sub conditione duntaxat futura esse.

31. Ad 2. *n. 6.* Oppositum Respondetur: Si stare potest in Deo Voluntas conditionata salvandi omnes homines, cur non subsistere possit simile Decretum de pœnitentiâ Tyriorum, vi cujus decreverit Deus hanc pœnitentiam sub conditione tantùm prædicationis, ac signorum Christi? At Decretum salvandi omnes homines ita esse conditionatum, ut tamen imperfectio non sit ex parte Voluntatis Divinæ, sed voliti duntaxat, testatur D. Thomas *in 1. dist. 46. q. 1. a. 1. ad 2.* Si ergo istud Decretum potest ex parte Voluntatis Divinæ absolutum, & efficax esse, quin ob negationem conditionis in plerisque hominibus subsequentem non tantùm ex ipsorum libertate, sed etiam ex voluntate Dei sortiatur effectum, quid absurdi argui posset de Decreto circa Tyriorum pœnitentiam ex parte Voluntatis Divinæ absoluto, & tantùm conditionato ex parte objecti? Nec enim Decreto ejusmodi, quod conditionatè, non absolutè efficax est, ulla imputari potest otiositas; tum quòd sit Medium præscientiæ Futurorum Conditionalium; tum quòd sit actualis determinatio Voluntatis Divinæ de se indifferentis ad conditionalem illam quà consideratam sub statu puræ possibilitatis; tum quod Conditionatæ Tyriorum Pœnitentiæ quà possibilis objectiva indifferentia determinetur per illud Decretum ad Veritatem Futuritionis Conditionalis, cujusmodi futuritio pendere potest ex sola Causæ Primæ, cui nihil resistere potest, Determinatione. ex S. Tho. *1. p. q. 16. a. 7. ad 3. & q. 16. de Malo. a. 2. & q. 2. de Verit. a. 12. ad 7.*

CONTROVERSIA. VI.

An Decretum ad Veritatem Futuritionis requisitum oporteat esse præfinitivum ex se & antecedenter ad usum etiam conditionalem creati arbitrij, inferens operis præfiniti infallibilitatem.

Duplex hic venit discutienda difficultas. Alteram insinuat Amicus *cit. disp. 12 n. 246.* 1. ubi ex eo, quòd Decretum Dei Conditionatum determinatè respiciens effectum sub conditione futurum asserat esse Concomitans effectum ejusmodi; consequenter infert: non posse in ipso tanquàm medio præsciri Futuritionem conditionatam. Fundamentum est. Nam Decretum Dei concursum cum creato arbitrio offerens dupliciter potest considerari. 1. antecedenter ad Voluntatis creatæ determinationem. Vt sic autem est indifferens, nec magis determinat Voluntatem ad unum, quàm ad alterum; Ergo Deus non potest in eo ut sic cognoscere certò liberum creaturæ consensum. 2. Considerari potest Decretum illud ut concomitans. Vt sic autem formaliter dicit liberam creaturæ determinationem; nam ut sic formaliter dicit concursum concomitantem liberum creaturæ consensum. Ergo nec hâc ratione potest Deus in Voluntatis suæ Divinæ definitione, sed in creati arbitrij propriâ determinatione cognoscere consensum liberum. ex Amico *cit. disp. 12. sect. 8. n. 135.* Hoc autem supposito, sequitur: etiamsi in Scientiæ

Mediæ objecto, sive in futuritione conditionali involveretur Decretum Dei ex parte duntaxat objecti conditionatum, & ex parte Dei absolutum, adhuc subsistere difficultatis rationem, ob quam Scientia Media est inventa.

2. Probatur istud assumptum. Hæc enim Scientia in eo consistit, ne consensûs liberi infallibilitas adstrui debeat ex Voluntate Dei antecedente. At posito, quòd Decretum Dei respectu consensûs liberi sive absolutè, sive conditionatè futuri sit concomitans, non potest ex hoc adstrui infallibilitas, cùm in eo antecedenter ad liberam Voluntatis creatæ determinationem non magis contineatur futurus consensus, quàm dissensus: Unde tota infallibilitas Decreti absolutè & actu positi in Deo est secundùm præscientiam Scientiæ Mediæ, vi cujus consensus creatus liber sub conditione futurus cognoscitur in seipso cum dependentiâ à Voluntate Dei non antecedente, sed concomitante, ac de se indifferente, nec determinatâ nisi per connotationem liberæ arbitrij creati determinationis.

3. Alteram difficultatem movet Suarez *cit. lib. 2. de Scient. Condit. c. 4. n. 4.* asserens: Etsi à communi Doctrinâ præsertim D. Augustini, necnon à Divinâ perfectione, & Omnipotentiâ alienum sit, dicere: Non posse Deum liberum actum honestum in particulari, & cum omnibus circumstantijs prædefinire absolutâ, & efficaci voluntate suâ, & salvâ libertate voluntatis creatæ: Hanc tamen prædefinitionem non habere locum, nisi suppositâ præscientiâ Conditionatorum. Fundamentum est, quòd hæc præfinitio esse non possit executiva physicè, & prædeterminativa potentiæ liberæ, salvo usu libertatis illius. Ergò solùm esse potest per modum Intentionis efficacis. Hæc autem Intentio efficax ut sit prudens, & impediri nequeat, supponit in intendente Scientiam Mediorum, per quæ infallibiliter possit talis intentio ad effectum perduci. At cognitis his Medijs cognoscitur Veritas conditionalis, scilicet quòd, si illa adhibeantur, talis effectus liber sequetur. Est igitur Scientiæ Conditionatorum in Deo necessitas ex ipsius Divinæ Providentiæ perfectione, ejusque effectibus.

4. Harum opinionum fundamentum præstruxit Molina *1. p. q. 23. a. 6. Manifestum est,* inquiens, *prædestinationem esse certam, in ea tamen non esse aliam certitudinem, quam certitudinem præscientiæ, quâ Deus prævidet per Media, per quæ unusquisque prædestinatus est perventurus ad vitam æternam.*

Verùm Molinæ sufficere deberet Authoritas Angelici Doctoris disertis verbis contradicentis tum *1. p. q. 23. a. 6.* tum præcipuè *q. 6. de Verit. a. 3.* ubi ponderans difficultatem conciliandi libertatem nostram cum Divinæ Prædestinationis infallibilitate, sic ait: *Non enim potest dici, quòd prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur, quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium; sed cum hoc de prædestinato scit, quòd non deficiet à salute: sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventus; & sic præscientia esset Causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per Electionẽ prædestinationis; quod est contra Authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ ipse Ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* Cui sancti Doctoris doctrinæ apertè contradicit Molina. *inferiùs citandus* hisce verbis: *Nos verò collocantes Certitudinem totius prædestinationis Divinæ non in Decreto, quo Deus ei, quem prædestinavit, providere statuit de Medijs, quibus libertate suâ perventurus in Vitam æternam prævidebatur, neque etiam in ratione ipsâ providendi, sed in præscientiâ, quâ id prævidebat, ratione cujus tale Decretum & providentia sortita sunt rationem Prædestinationis.*

CONCLUSIO.

DEcretum ad Veritatem Futuritionis requisitum ita oportet esse præfinitivum, ut ex se ipso antecedenter ad usum etiam conditionalem creati arbitrij inferat actûs liberi infallibilitatem.

Probatur. Negato isto præfinitivo Decreto adstruitur prædestinatio secundum præscientiam Conditionatorum. Hæc autem prædestinatio secundùm præscientiam a D. Augustino *in lib. de præd. Sanct. & de Dono Persev.* efficaciter refutatur ex triplici præsertim Capite: tum quòd adversùs sacras Litteras sequeretur, Opera nostra bona non esse Dona Dei, tum quòd Sacro textu contradicente, foret consequens, Discretionem in bonis operibus fore ex nobis; tum denique quòd stante illâ secundum præscientiam prædestinatione negaretur Dei Dominium à S. Scripturâ assertum. Major constat ex Molinâ *1. p. q. 23. a. 6. & in Conc. ejusd. quæst. 23. a. 5. disp. 1. Memb. 11. conc. 8. & alibi.* Minor autem probatur. Nam D. Augustinus exinde potissimùm probat, actus nostros liberos, ac ipsum fidei initium esse Dona Dei, quia sunt ex vocante, non autem ex operibus, ita ut credere non sit volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quatenus nemo venit ad Filium, nisi quem traxerit Pater, & cui datum sit a Patre. At si propositum, ac prædestinatio Dei est secundùm præscientiam etiam conditionatam, nihil horum subsistit: Tum quia id non est ex Deo vocante, ac miserente, ad quod de se non habet virtutem, ac efficaciam. At propositum Dei secundùm præscientiam non habet efficaciam ex vi Virtutis Divinæ Voluntatis, ac Omnipotentiæ, sed tota illius efficacia est ex consensu conditionato antecedente Divinæ Voluntatis Decretum actuale. Si ergò nihil potest esse ex Deo vocante & miserente nisi per Decretum Dei actuale, consequenter consensus sub conditione futurus non est ex Deo vocante, ac miserente. Atqui ex eo est consensus absolutè futurus cum infallibilitate, quòd antecedenter ad Decretum Dei actuale sit certò futurus sub conditione. Ergò ratio, per quam stat consensus liber in fidem, aliaque bona Opera non est ex Deo miserente, ac vocante, sed ex arbitrio creato volente, atque currente. 5.

Tum quia Deus non nisi pro signo actualis Decreti potest intelligi miserens, & donans, siquidẽ donatio importet formaliter liberam donantis Voluntatem. Atqui antecedenter ad Decretum Dei actuale Voluntas creata est consensura in fidem, si in hâc rerum peristasi ipsi offeratur concursus Dei indifferens. Ergò hic tantum 6.

tùm Dei concursus est ex Dono Dei, ejusque Misericordiâ, non autem consensus in fidem. Confirmatur ista consequentia. In eo, quòd consensus in fidem sub conditione futurus reducatur in statum absolutum, duo considerari possunt. Alterum est consensus non alius ab illo, qui erat sub conditione futurus; alterum est purificatio conditionis. Hæc proinde etsi sit ex Deo miserente, seu donante, ille tamen jam, antequam Deus erat misertus, ac donans, erat futurus sub conditione. At hic secundùm se, ac Entitatem suam intrinsecam etiam quoad exercitium, & determinationem liberam non est alius à consensu absolutè futuro. Ergò iste consensus, dum conditione purificatâ est absolutè futurus, secundùm intrinsecam suam Entitatem etiam quoad determinationem liberam non est ex Deo donante, ac miserente, sed tantùm quoad extrinsecam conditionis purificationem. At reverà textus Sacri, quos D. Augustinus *in lib. de præd. Sanct. & de Dono Persev.* congerit, probant ipsum consensum in fidem ita esse nostrum, ac ex nostrâ libertate, ut in se ipso quoad substantiam sit Donum Dei datum à Patre miserente, & vocante. Cùm igitur prædestinatio Dei secundùm præscientiam conditionatam à nostris bonis operibus tollat rationem Doni quoad liberum eorum exercitium, fit manifestum, ejusmodi Dei Propositum repugnare cum sacris litteris.

7\. Respondebis ex Molinâ *cit. memb. n. 12. & 13.* Prædestinationem secundùm præscientiam in duplici sensu accipi posse; uno modo, quia bonus usus liberi arbitrij prævisus sit id, pro cujus qualitate, aut propter cujus qualitatem Deus distribuat Dona, & auxilia sua, ac prædestinet hominem. Quo modo negandum esse, quòd prædestinatio utpote gratuita sit ex præscientiâ boni Usûs liberi arbitrij. Alio igitur modo prædestinationem dari secundùm præscientiam, quatenus non sine præscientiâ boni usûs liberi arbitrij, habitaque consideratione illius, Deus prædestinat homines; ita ut Decretum, ac Providentia Dei, prout prædestinationis nomen sortitur, à Conditionato creati arbitrij usu bono pendeat tanquàm à Conditione, non tanquàm Motivo, & Causâ. Hoc proinde posterius duntaxat cùm à Semipelagianis fuisset assertum, per allegatos sacros textus impugnatum fuisse à D. Augustino, qui ut etiam S. Thomas, si hâc de re fuissent consulti, respondissent, non fuisse prædestinationem, & reprobationem sine hâc præscientiâ, habitâque consideratione usûs liberi arbitrij futuri, tametsi non ita, ut pro qualitate illius Dona Gratiæ, & prædestinationis à Deo conferrentur. Ex eod. Molina *cit disp. 1. Memb. 6. post. §. Quod ad Augustinum.*

8\. Contra. Tum quia S. Augustinus fatente Molinâ *citato* omnino à S. Prospero consultus, de prædestinatione secundùm præscientiam Conditionatam, Respondit *c. 1. de prædest. Sanct.* Massilienses caligare circa quæstionem Prædestinationis. Hic autem Semipelagianorum error ab eodem S. Ecclesiæ Doctore non in eo duntaxat sensu impugnatus fuit, quòd merita sub conditione futura posuerint Motivum prædestinationis, sed eâ maximè ratione, quòd non tantùm Gratiæ auxilia, sed etiam noster in bonis operibus consensus liber, quoad velle ac Operari sive ipsammet obediendi Voluntatem sint ex Deo miserente, ac Donante. At cum istâ sacris litteris expressâ veritate non subsistere prædestinationem secundùm præscientiam *superiùs* est probatum. Nam ista secundùm præscientiam prædestinatio vel nullam, vel ad summum talem actûs, & consensûs nostri liberi præfinitionem importat, qualem inducit Suarezius *supra citatus*, quæ nimirum nihil ex se operetur ad extra, sed mediante duntaxat Electione, ac Usu Divinâ applicet Omnipotentiâ ad finem, seu opus intentum ijs medijs efficiendum, quæ per Scientiam Conditionatorum prævisa sunt infallibiliter habitura effectum. Iuxta quam adeò præfinitionem Deus duntaxat præpararet Media, cum quibus antecedenter ad prædestinationem tum Gratiæ, tum bonorum operum eramus sub conditione in bonis operibus ambulaturi, & ipsimet, quod faceremus, electuri.

At D. Augustinus econtra ex Sacris Scripturis talem adstruit prædestinationem, quæ sit 9.
præparatio non tantùm Gratiæ, sed etiam bonorum operum, faciendo, ut in eis ambulemus. Unde id, quod Deus in nobis eligendo facit, nos facturos præscit in suâ prædestinatione; nec adeò de nostrâ Voluntate, sed de suâ prædestinatione promisit Abrahæ Fidem Gentium. Cujus proinde prædestinationis certitudo non est ratione præscientiæ duntaxat, sed ratione ipsiusmet Voluntatis Divinæ juxta illud: *Voluntati ejus nihil resistit*, veluti hæc patent legenti citatos S. Augustini libros.

Tum quia licèt hic Ecclesiæ Doctor proposi- 10.
tum Dei secundùm præscientiam ex illo etiā capite rejecerit, quòd Massilienses bonū liberi arbitrij usum sub conditione futurum ponerent Motivum Divinæ Sanctorum prædestinationis: nec ipsa tamen Moliniana prædestinatio est omninò depurata ab istius erroris periculo, quin eidem viam sternat. Etenim bonus ille vocationis ad Fidem, aliaque bona opera usus liber sub conditione futurus est secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores ratio, cur prædestinatio inferat ex parte Voluntatis nostræ necessitatem, vel infallibilitatem duntaxat consequentem. At hæc infallibilitas consequens supponere debet liberam determinationem Voluntatis creatæ, ita ut talis determinatio sit extra possibilitatis, ac indifferentiæ statum. Hæc autem ipsa libera ad fidem determinatio cùm sit quoad Entitatem intrinsecam ipsemet actus fidei, habet illam ipsam supernaturalitatem, ac libertatem, secundùm quam in statu absoluto est meritorius. At verò ratio meriti saltem congrui fundatur præcisè in ratione libertatis, seu liberæ arbitrij creati determinationis, ac supernaturalitatis. Cur ergò actus fidei in statu conditionato, si ex parte ipsius actûs importetur Entitas supernaturalis ex libertate voluntatis creatæ determinata non sit aliqualiter meritorius? Certè tametsi Cassianus *in Collat. c. 13. & 14.* Credulitatis ex parte nostræ Voluntatis initia non vocaret merita, sed tantùm occasiones, ratione quarum Deus daret Gratiam. *cit. c. 14. Præsto*, inquiens, *est Deus occasione nostræ tantummodo Voluntatis oblatæ ad hæc omnia conferenda.* Nihilominus adversùs illum Collatorem concludit S. Prosper *c. 6. Non posse nullius meriti haberi petentis fidem, quærentis pietatem, pulsantis instantiam.* A fortiori igitur, si actus fidei, imò

& Charitatis in statu conditionatæ Futuritionis importet ipsammet liberam Voluntatis creatæ determinationem cum actuum ejusmodi supernaturalitate, indistinctam ab actu absolutè posito, licebit inferre, quòd non possit nullius esse meriti, cùm habeat totum actûs, quà de congruo saltem meritorij fundamentum. Quod ipsum insinuare videtur Molina *cit. memb. 11. circa fin. §. Illud etiam.* asserens verisimile, quòd Animas Christi Domini, ejusque Gloriosissimæ Virginis Matris præviderit Deus *meliùs, quam cæteras pro innatâ suâ libertate usuras suo libero arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius, quam cæteras fuisse electas.* An non igitur hoc est innatæ libertati contra sacros à S. Augustino productos textus antecedenter ad Decretum Dei adscribere Usum bonum, ratione cujus Animæ Christi, ejusque Matris sint electæ ad dignitatem Unionis Hypostaticæ, ac Maternitatis Divinæ, qui proinde Usus bonus ex innatâ libertate prævisus habuerit se tanquàm Motivum illius Electionis.

11. Tum denique S. Thomas haud nescius quæstionem de prædestinatione secundùm præscientiam fuisse D. Augustino propositam, resolvit *cit. q. 23. a. 6. & q. 6. de Verit. a. 3.* talem oportere adstrui prædestinationem, quæ habeat certitudinem non tantùm præscientiæ, sed Ordinis Causalitatis. Quomodo ergò verum est, quod dicit Molina, si D. Thomas esset consultus, fuisse responsurum, non dari prædestinationem in Deo sine præscientiâ Conditionatâ, secundùm quam sit tota prædestinationis certitudo? Cur autem hic Angelicus Doctor neget, *quod prædestinatio supra certitudinem Providentiæ nihil aliud addat, nisi certitudinem Præscientiæ*, ipsemet hanc allegat rationem, *quòd alioquin prædestinatus non differret à non prædestinato ex parte Ordinis, sed ex parte præscientiæ eventûs.* Etenim datâ prædestinatione secundùm præscientiam fieri potest, ut duo, unus prædestinatus, alter reprobus habeant æqualia Gratiæ auxilia in ijsdem etiam circumstantijs, hic tamen prævideatur per libertatem suam non usurus, ille verò ratione præscientiæ, per quam à Deo prævidetur benè usurus Gratiæ auxilijs, certò sit salvandus. Oportet igitur, ex parte Ordinis seu Causalitatis Divinæ in prædestinatione Mediorum salutis à voluntate nostrâ dependentium non esse differentiam inter prædestinatum, & non prædestinatum. At ex hoc contra Authoritatem S. Scripturæ, & SS. Patrum *inferri, quòd præscientia sit Causa prædestinationis, atque prædestinatio non sit per electionem prædestinantis*: tradit S. Doctor *loc. cit.* Probatur hæc illatio: Prædestinatio est pars Divinæ Providentiæ: hæc autem est ordo rerum in finem. At iste ordo est quandoque certus quoad finem duntaxat Universalem, veluti reprobi ita ordinantur ad salutē æternam, ut ab hoc tamen fine particulari deficiant; Providentiâ Divinâ id permittente, atque hanc permissionem ad se tanquàm finem Universalem sub ratione Justitiæ, ac Judicij ordinante. Alius proinde Ordo hominum in finem salutis æternæ tam ex parte Mediorum, quàm finis etiam particularis certus est quoad ipsam æternæ salutis consecutionem. Hæc autem certitudo est distinctiva prædestinationis à communi Dei Providentiâ circa salutem hominum. Ergo si prædestinationis certitudo non sit alia, quam secundum præscientiam conditionatam, ratio & causa, cur Decretum, vi cujus eadem Gratiæ auxilia cum ijsdem circumstantijs, duobus, uni prædestinato, alteri reprobo sint à Deo statuta, respectu illius dicatur prædestinatio, est præcisè sumenda ex præscientia boni creati arbitrij Usûs sub tali conditione futuri: Ex hoc autem rursùs contra sacrarum litterarum, & Patrum dicta sequitur; Prædestinationem non esse per Electionem prædestinantis. Probatur ista sequela. De hâc Dei prædestinantis Electione ait Apostolus *ad Rom. 11. Reliquiæ per Electionem Gratiæ salvæ factæ sunt.* Hæc verò Electio Gratiæ est, vi cujus discernitur benè operans à non operante, secundùm ipsummet in actu fidei, & Charitatis consensum Voluntatis præparatæ à Domino, Veluti ex S. Script. demonstrat D. Augustinus *cit. lib. de prædest. a c. 3. maximè in fine c. 5.* At si prædestinationis certitudo non sit ex vi Ordinis, & Causalitatis Divinæ, sed ex conditionatâ præscientiâ, tunc ratio certitudinis, cur unus scilicet prædestinatus quoad liberum in actu fidei consensum discernatur a Reprobo cum ijsdem Gratiæ auxilijs dissentiente, est ex operante, non ex Electione Gratiæ. Ergò prædestinatio secundùm præscientiam conditionatam pugnat cum Electione Gratiæ asserta à Divinis Scripturis & SS. Patribus.

Replicabis ex Petro à S. Ioseph *cit. disp. 4. de Scient. Condit. sect. 3. n. 1. in respons. ad 3.* Ad hoc, ut 12.
Deus secundùm Electionem Gratiæ prædestinatum cum æquali Gratiæ auxilio dicatur discernere à non prædestinato, sufficere, quòd illi conferat eam Gratiam, cum quâ novit eum convertendum, si detur, alteri verò non prædestinato tribuat tale ab intrinseco æquale Gratiæ auxilium, cum quo scit eum de facto non convertendum, etsi possit, si velit: sic enim prædestinatum non posse gloriari de suâ conversione, ac si ipse suis viribus sine supernaturali Dei auxilio eam perfecerit, & consequenter dici non posse, quòd ipse tanquā Causa principalis seipsum discreverit à Paulo, etsi verè dici possit, & debeat, eum ut Causam minùs principalem ad ejusmodi discretionem cooperatum fuisse.

Contra. Nam Apostolus Paulus *1. ad Corinth. 4.* ex eo, quod Deus nos discernat, infert, non 13.
posse quemquam gloriari in ullo, quasi id non acceperit à Deo. At positâ prædestinatione secundùm præscientiam conditionatam verificatur, quòd prædestinatus non ex vi Electionis Gratiæ, sive per certitudinem Causalitatis Divinæ sit certò salvandus, sed ex suppositione consensûs sui liberi sub conditione prævisi ante omne Decretum Dei actuale. At eo ipso, quòd Causalitas Dei nihil ponat extra statum puræ possibilitatis, nisi interveniente Voluntatis Divinæ determinatione, oportet, illum consensum sub conditione prævisum, atque ut sic positum extra nihilum, seu statum puræ possibilitatis, non esse ex causalitate Dei. Unde prædestinato licebit adversùs Deum gloriari, certitudinem, imò ipsam rationem prædestinationis quà distinctæ à Communi Providentiâ, nec non Gratiæ efficaciam ut sic non esse à Deo per Electionem Gratiæ. Insuper poterit prædestinatus objicere DEO, quòd pro signo antecedente Scientiam Mediam non fuerit tantæ Virtutis, ac efficaciæ, ut possit prædestinare ullam ex creaturis rationabilibus cum certitudine consecutionis æternæ Gloriæ.

Hinc

Hinc etiam licebit homini se componere DEO, dicendo: In meâ potestate fuit, ut essem dissensurus omnibus per tuam omnipotentiam possibilibus Gratiæ auxilijs. Ex Amico *cit. disp. 12. sect. 12. in fin.* Hoc autem posito, non posses me prædestinare. Ergo non ex te, sed ex me ortum est, quòd possis, O Deus! me prædestinare, ac prædestinatus sim certò consecuturus salutem. Imò eò jam sunt progressi nonnulli Scientiæ Mediæ assertores, ut Amicus *cit. disp. 12. n. 217.* testetur, se legisse apud viros doctos, quòd Deus infinito lumine Scientiæ Conditionatæ semper viderit Beatissimam Virginem in quibuscumque circumstantijs positam sanctè operaturam? An non ergo Sanctissimæ huic Deiparæ dicere liceat? Per meam stat libertatem, ut Deus fuerit necessitatus, aut me non producere, aut me productam in statu puræ naturæ relinquere, aut semel elevatam ad statum gratiæ in hâc ita conservare, ut sit ipsi impossibile in ullâ rerum peristasi me constituere, in quâ sim amissura Gratiam; atque adeò non potuit Deus juxta legem ac justitiam suam me non præmiari Coronâ gloriæ: nec adeò libertas Deo fuit, ut me faceret in Vas vel honoris, vel contumeliæ.

14. Dices cum Amico *n. 239. circa fin.* A Censoribus Societatis JESU sub Generali Caraffa fuisse conclusum, ne illa de SS. Deiparâ opinio admitteretur in scholis, eo quod omnis creatura libera ex se peccabilis sit, imò peccatura sit de facto, nisi adsit auxilium efficax: Deus autem videat per scientiam Conditionatam non solùm circumstantias, in quibus cuicumque creaturæ liberæ daret hoc auxilium Efficax, sed etiam alias, in quibus non daret. Unde à contrario secundùm Amicum *n. 239.* infertur: nec minùs impossibile esse, dari creaturam, quæ cum nullo auxilio in quibusvis circumstantijs oblato consensura sit: quia cùm in infinitâ serie auxiliorum, quibus Deus voluntatem creatam salva ejus libertate allicere ad se potest, sint alia, & alia tam in persuadendo, quam efficiendo valentiora, impossibile est, quin tandem Voluntas creata, quantumvis Divinæ Gratiæ rebellis, & in malo obstinata, cum aliquo ex his consensura sit.

15. Contra. Nam illa quantumvis infinitâ auxiliorum serie positâ ex sententiâ Adversariorum, nominatim Amici *cit. 239. in fin.* competit libertati creatæ in resistendo Divinæ vocationi vis infinita, quæ nisi physicè determinetur, vel objectivè per claram Dei visionem, vel subjectivè per physicam, aut moralem actionem; resistere poterit cuicumque Vocationi Divinæ. Quomodo ergo impossibile sit, quò minùs per libertatem creatam stare possit, ut in nullis circumstantijs sit Divinæ Vocationi consensura? Hoc autem posito, impossibile erit talem creaturam prædestinari à Deo ad Coronam gloriæ bonis operibus consequendam. An non igitur cuivis creaturæ liberæ licet gloriari, quòd per ipsam, ejusque libertatem stet, ut à Deo possit prædestinari in Vas honoris? *At cur Deus alium faciat in Vas honoris, & alium in Vas Contumeliæ*, primam hujus rationem Apostolus *ad Rom. 9.* reducit in unicam Divinæ Voluntatis libertatem, & absolutam potestatem, ejusque omninò independens Dominium. Hæc autem absoluta Dei potestas, ac Dominium Dei independens pro libertate suâ, faciendi alium in Vas honoris, & alium in Vas contumeliæ, non subsistit, si dependeat ex libertate creatâ, secundùm quam debeat antecedenter esse futurus creati arbitrij consensus Vocationi Divinæ in aliquibus circumstantijs liberè præstandus.

Confirmatur. Nam absoluta Dei potentia, 16.
ac Dominium Dei independens est antecedens Futuritionem cujusvis actûs creati etiam conditionati habentem rationem Contingentiæ, ac libertatis positæ extra nihilum, seu statum possibilitatis. At pro signo isto antecedente Futuritionem consensûs creati liberi arbitrij conditionatam secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores Deus nec potens est creaturam ullam rationalem efficaciter eligere ad Præmium, seu mercedem gloriæ, nec potens est decernere Media de se efficacia ad Gloriam seu mercedem Justitiæ cum infallibilitate, ac certitudine obtinendam. Ergo Electio ac prædestinatio ad gloriam non est possibilis in Deo pro signo, in quo intelligitur absoluta Dei potentia, ac Dominium Dei independens. Hoc autem est contra Apostolum *loc. cit.* quem nervosè expendit D. Augustinus *c. 8. de prædest. sanct. circa medium.* Constat igitur, Prædestinationem Dei secundùm præscientiam non stare cum Dominio Dei per Apostolum asserto ad nos pro Voluntate, & potestate suâ faciendos in Vas honoris, vel Contumeliæ, & consequenter ad nos secernendos ac eligendos, quoad ipsum liberum in Sanctis Operibus consensum nostrum, nec non ad donandum non tantùm gratiæ auxilia, sed ipsummet operari meritorium. Ergò oportet in Deo ponere Decretum Electionis, ac prædestinationis præfinitivum non tantùm finis, sed etiam Mediorum, nostrorumque bonorum actuum, antecedenter ad præscientiam Conditionatam.

Ratio secundùm veram Philosophiam, & 17.
Sacram Doctrinam fundamentalis est. Nullus est effectus sine Causalitate Divinâ; hæc autem causalitas est Deo intrinseca, estque actio Dei æterna. *de quâ D. Tho. 1. p. q. 46. a. 1. ad 10.* At hoc ipso, quod actio secundùm eund. S. Doctorem. *1. p. q. 44. a. 1. & 2.* sit actualitas virtutis, ac effectûs ex agente actualis emanatio, sive effluxus in passum ab agente, in conceptu formali actionis involvitur determinatio activa Causæ cum intrinsecâ connexione, & infallibili consecutione Immutationis passivæ, per quam effectus ponitur actu extra causam.

Est autem actio Dei æterna Decretum, & Dictio Dei operantis ad extra mandando, ac dicendo secundùm Concilium Voluntatis suæ, ac Verbum suum increatum. *ex Gen. 1. Psal. 148. ad Eph. 1. v. 11. Ioan. 1.* At hoc ipso, quod effectus Dei ad extra sequantur secundùm Imperium Voluntatis suæ, non oportet, quòd operatio Dei æterna, & intrinseca non semper sit conjuncta effectui, sed qualiter Deus voluit. ex S. Doctore *q. 1. de potent. a. 1. ad 8. & 1. p. q. 46. a. 1. ad 10.* Unde quorumlibet ad extra effectuum Causalitas Deo intrinseca stare potest in æternitate sine immutatione passivâ, per quam effectus actualiter, & physicè ponitur in Esse Existentiæ. Probatur hoc assumptum, Nam illa actio Dei æterna importat operationem Intellectûs, & Voluntatis Divinæ, *ex allegatis sacris textibus.* At operatio Intellectûs & Voluntatis respiciunt objectû in Esse sciti, ac voliti. ex Doctore Angel. *in 1. dist. 40. q. 1. a. 1. ad 1.* Hic autem respectus ad

objectum in Esse sciti, ac voliti, sine Esse effectûs quà existentis in se ipso stare potest ex hoc tantùm, quòd Esse ejusmodi effectûs præcontineatur in Causâ seu Causalitate præcognitâ, cujusmodi Causalitas respectu omnis qualitercumque futuri effectûs Deo inexistit, ab Angelico Doctore dicta executio activa, seu præparatio agentis existens in mente Divina. *1. p. q. 23. a. 2. in Corp. & ad 1. & ad 3.* At per hanc ipsam Causalitatem activitatis, & Voluntatis Divinæ formaliter & intrinsecè determinativam effectus futuri denominantur, qui non in se ipsis, sed in Causæ suæ determinatione duntaxat sunt cognoscibiles. *ex eod. q. 16. de Malo. a. 7.*

18. Si ergò sint aliquæ Veritates æternæ contingentium sub ratione veræ Futuritionis supergressæ statum possibilitatis, ac indifferentiæ objectivæ, oportet istam Futuritionem esse ex determinatione Causæ increatæ, ac æternæ. At eo ipso, quòd ista Causæ æternæ determinatio sit secundùm Imperium Voluntatis, seu qualiter Deus vult, potest ferri in effectũ vel absolutè, vel sub conditione: ut adeò veritas æterna Futuritionis etiam conditionatæ supergressæ statum possibilitatis ex parte Dei ceu Causæ æternæ præsupponat Voluntatis Divinæ determinationem tanquàm actionem æternam, vi cujus effectus sive absolutè, sive conditionatè volitus quà præcontentus in Causalitate Divinâ, ita existit in æternitate, ut ex hâc ipsâ in Deo præcontinentiâ denominetur futurus vel conditionatè sub hypothesi conditionis non efficaciter à DEO decretæ, vel absolutè pro illo temporis momento, pro quo est decreta passiva Effectûs in Esse actuali positio, consequens ex Imperio Dei æterno.

19. Cùm igitur nihil realitatis sit futurum sine causalitate Dei, ratione autem Causalitatis actualis sit determinatio causæ habens cum effectu infallibilitatem consequentiæ, illa verò Causalitas Dei sit secundùm Imperium, atque Consilium Voluntatis Divinæ, oportet istud respectu cujuscumq; realitatis futuræ esse in ratione Causalitatis antecedens. At Decretum in ratione Causalitatis antecedens effectum importans formaliter determinationem Causæ cum infallibili ex eâ effectûs consecutione, est prædefinitivum. Ergò quia nullum Futurum etiam conditionatum supergressum possibilitatis statum est cognoscibile in se ipso, sed tantùm in determinatione suæ Causæ; oportet ad futuri Conditionalis Veritatem, & cognoscibilitatem præsupponi Decretum Dei actuale prædefinitivum, tanquàm ejusdem Causalitatem æternam, quæ tamen DEI Causalitas ex hoc ipso stare possit sine effectu actualiter ponendo, quòd actio æterna non debeat esse conjuncta effectui, nisi conditionatè, qualiter Deus voluit. Cùm proinde ipsa Voluntas Divina in se talis efficaciæ sit, ut de quocumque effectu habere possit in se causalitatem, ex hac ipsa Causalitatis ratione habentem, qualiter voluit Deus, connexionem infallibilem cum effectu; imò in hâc duntaxat Causalitate Dei formaliter immanente, ac virtualiter transeunte sit cognoscibilis quæcumque etiam conditionata statum possibilitatis supergressa Futuritio. Idcircò evanescere oportet Mediam scientiam, quæ non tantùm excludit Decretum Dei effectuum contingentium prædefinitivum, sed adstruit Veritatem Conditionatæ futuritionis antecedentem actuale Dei Decretum.

Responsio ad Argumenta opposita.

AD Amici *n. 1.* Oppositum Respondetur: Illud Decretum concomitans cum indifferentiâ offerens creato Arbitrio Dei concursum non stare cum veritate; Tum quia respectu consensûs sub conditione Futuri ex mente Amici est tantùm objectivum: ex hoc autem sequitur, quòd vel in conceptu objectivo Futuritionis conditionatæ nihil involvatur realitatis ultra possibilitatis statum, atque adeò enervabitur Scientia Media: vel possit intelligi realitas ultra hunc statum possibilitatis sine Causalitate Divinâ actuali. Si dicat Amicus hanc Causalitatem Dei esse objectivè, non autem subjectivè in Deo, adhuc erit difficultas, an importet formalitatem ultra Voluntatis Divinæ actum primum? Si asserat, esse formaliter in Deo istam formalitatem esseque virtualiter distinctã à Voluntatis Divinæ actu eminenter primo, sed tamen esse in Deo solùm objectivè; An nõ facit Ens rationis? Tum quia Decretum Dei indifferens non nisi per Voluntatis creatæ determinationem ad actualem in actu creato libero concursu determinabile opponitur D. Paulo & S. Augustino asserentibus: Discretionem, quâ benè operans in hoc ipso bono opere per liberum suum consensum à se elicito discernitur à non operante, esse à Deo ex vi Electionis, ac prædestinationis præparantis non tantùm gratiam, sed ipsa bona opera, ut in illis ambulemus, & facientis, ut faciamus, imò operantis in nobis Velle, & operari, veluti hæc latiùs deducta sunt in antecedentibus. 20.

21. Ad fundamentum Suarezij *n. 3.* Oppositum Respondetur: Manifestum esse ex præcedentibus, quòd præfinitio meritorum nostrorum, seu actuum liberorum sit in ratione Causalitatis immediatè effectiva omninò independenter à præscientiâ, vel Futuritione consensûs nostri liberi conditionali, habens ex se ipsâ efficaciam cum infallibili ex se consecutione effectûs cujuscumque à Divinâ Voluntate decreti. Unde præfinitionem illam Suarezianam esse fictitiam.

CONTROVERSIA. VII.

An certitudo Gratiæ fundetur in Scientiâ Media?

1. PEtrus à S. Ioseph *cit. disp. 4. sect. 4. n. 4.* Sorbonicos Doctores, eò quòd negent physicam prædeterminationem, in partes Conditionatæ Scientiæ trahere nititur, ut eos adversæ parti objiciendo, efficaciùs repellatur tum Doctorum Lovaniensium acris contra Scientiam Mediam censura, recensita per Ioannem à S. Thomâ *cit. disp. 20. a. 4. n. 25.* tum assertum Salmanticensium *1. p. tract. 3. de scient. Dei. disp. 10. dub. 3. §. 2.* scribentium: *Causam de Scientiâ Mediâ, & alijs* Molinæ *propositionibus ad summum Pontificem delatam, & ab hoc triginta Viris gravissimis commissam, atq; coram ipso summo Pontifice disputatã, ab omnibus,* inter quos erant duo Sorbonici: *uno, alterovè duntaxat excepto fuisse rejectam, tanquàm contrariam Doctrinæ* S. Augustini, & Angelici Doctoris.

2. Etsi porro Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 20. a. 6. n. 6. & 7.* è libro Domini de

Pegnâ Rotæ Auditoris à quodam Notario Apostolico extractum producat testimonium, in quo dicitur, Sacræ de Auxilijs Congregationis Consultores, duobus tantùm exceptis in Censurâ persistentes confirmâsse, quòd inventum de Scientiâ Mediâ jam à Massiliensibus excogitatum fuerit ad extenuandam Gratiam bonæ Voluntatis effectricem. Nos tamen ab omni censurâ abstinentes, neque Scholasticorum Theologorum, quos occasione Scientiæ Mediæ inter se acri certamine divisos novimus; sed Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, imò ipsarum Sacrarum Litterarum Authoritati intenti prætactam tum Lovaniensium Doctorum, tum Congregationis de Auxilijs Consultorum censuram tenentes in suspensò, unicum hic duximus monendum, quòd Petri à S. Ioseph Sorbonicos, ex eo, quòd negent physicam prædeterminationem, in Scientiæ Conditionatæ partes trahentis, consequentia non teneat.

3. Ysambertus enim Sorbonicus *1. 2. ad q. 106. de Gratiâ. disp. 7. a. 1. n. 2.* negat quidem, Efficaciam Gratiæ consistere in qualitate etiam per modum fluentis à Deo impressâ Voluntati, illam prædeterminante physicè ad consensum in bonum illud, ad quod Deus illam vocat. Nihilominùs idem Author non tantùm *in 1. p. ad q. 14. disp 8. præsertim n. 6. & 7.* non admittit in Deo scientiam Mediam, sed *ad cit. q. 106. de Grat. disp. 9. a. 3. n. 8.* cum plerisque Ordinis Eremitarum S. Augustini negat, Gratiam efficaciter Excitantem esse in actu primo efficacem ex connotatione Scientiæ Mediæ à Semipelagianis assertæ & à S. Augustino rejectæ, imò ipsomet Molinâ teste, Patribus antiquis universim incognitæ. Quare Doctor ille Sorbonicus *dicta disp. 9. n. 5.* gratiam in actu primo efficacem ait ex ipsâ ratione sibi intrinsecâ, quæ uti *disp. 8. a. 1. ac seqq. disserebat*, in speciali aptatione, & contemperatione Vocationis cum Voluntate vocati, ejusque circumstantijs, ac remotione impedimentorum per Gratiam externæ protectionis consistat, vi cujus adeò aptationis, & contemperationis Gratia Vocans sit efficienter potens per viam tamen Causalitatis moralis ducere insuperabiliter, & indeclinabiliter Voluntatem in liberum consensum dandum Deo sic illam vocanti.

Referuntur sententiæ Doctorum.

4. NE porrò, dum difficultas ob physicam liberi arbitrij prædeterminationem à Petro Fuliensi mota circa gratiæ efficaciam hîc discutienda venit, ambulemus in incerto, arbitramur operæpretium prænotare, quid de hâc præmotione sentiant Scholæ tum subtilis, tum Angelici Doctoris. Primò igitur Scotistæ antecedenter ad concursum simultaneum admittunt in Causâ creatâ quandam præmotionem Dei, ex quâ tamem negant, poni aliquid physicè impressum Causæ secundæ. Secundò. Causam primam, ajunt, per solam efficaciam sui Decreti quasi per quandam sympathiam, & morale Imperium, sicuti Anima movet manum, movere causas secundas, eo tamen discrimine, quòd causam liberam moveat mediante cognitione, cæteras verò motione immediatè. ex Fuentes *2. Phys. q. 5. d. 3. a. 3.*

Tertiò Scotus *in 4. dist. 13. q. 1. n. 14. 15. & 18.* distinguens Actionem à Passione, illam asserit inesse moventi, cujus est actus. Unde etiam in Deo ad extra esse aliquam actionem Divinam, quæ tamen non sit de genere, seu prædicamento Actionis, sed esse quendam Dei ad extra respectum ait idem Doctor *n. 15. & 20.*

Ex Thomistis physicæ prædeterminationis assertoribus aliqui negant, hanc causæ secundæ à Deo præmotionem esse aliquid creatum de novo productum in creaturâ, sed esse solùm Decretum, seu Voluntatem Dei efficacem extrinsecùs assistentem, vi cujus moveatur Causa creata per quandam Sympathiam, & naturalem ad Deum subjectionem. Alij verò motionem illam à Deo derivatam, seu qualitatem Causæ secundæ impressam per modum motionis, cujus sit Causæ secundæ intrinsecam indeterminationem, & ad operandum potencialitatem tollendo, applicare virtutem creatam ad suam operationem. ex Ioan. 5.
à S. Th. *in Phys. q. 24. a. 2. Concl. 3.* ubi ait, istam Dei præmotionē non esse qualitatē aliquam per modum virtutis in actu primo, sed per modum transeuntis motionis, quæ non det activitatem, sed applicationem activitatis ad effectum. Hinc consequenter idem Author *in 1. 2. ad q. 113. disp. 24. a. 3. n. 11.* asserit, Efficaciam Gratiæ consistere in qualitate à Deo immissâ per modum transeuntis, cujus effectus formalis sit, reddere Causam secundam, seu actum primum applicatum, & ultimatè actuatum ex conjunctione Causæ Primæ, ut operetur. At verò Magister de Rispolis cum ab initio motæ de prædeterminatione, ac scientiâ Mediâ Controversiæ; hujus statum ederet in lucem *in lib. 2. q. 1. concl. 3.* negat, illam Dei motionem esse qualitatem, sed esse transeuntem Dei concursum sive influxum per modum fluentis in ipsâ Causâ secundâ. Unde patet, illam Dei præmotionem advertente eodem de Rispolis *cit. concl. 3. circ. med.* esse influxum Causæ primæ in causam secundam hujus ad actualem operationem prædeterminativum, non verò (saltem formaliter ratione nostrâ ratiocinatâ) esse influxum in effectum, quem, utpote simultaneum cum Causâ secundâ concursum Dei realiter identificari cum Causæ creatæ actione, nec adeò istam causari ab actione Dei ad extra, sed ab actione Dei immanente, & æternâ, probat Ioannes à S. Thomâ *in Phys. cit. q. 25. a. 1.*

6.

7.

Conclusio.

NOn stat certitudo Gratiæ ex connotatione Scientiæ Mediæ, seu liberi creati consensûs Futuritionis Conditionatæ.

8. Probatur. Nam *ex Luc. 14. 1. ad Corinth. 1. Rom. 8. & 9.* Divus Augustinus *in lib. de præd. Sanct. c. 16.* duplicem distinguit Vocationem, ita ut alia sit, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias: cujusmodi vocatione sunt quoque vocati tum Judæi, quibus Christus Crucifixus erat scandalum, tum Gentes, quibus Christus Crucifixus erat stultitia, ut adeò verificetur multos esse vocatos, paucos verò electos. *Matth. 22.* At per hanc vocationem erat vocatus populus etiam Israeliticus, cui dictum est *Isaje 5. Quid est,*

quod

quod ultra debui facere Vineæ meæ, & non feci? Hæc autem Israelitarum Vocatio conferebat ipsis vires sufficientes ad faciendas bonorum operum uvas, quas expectabat Deus. Datur ergò Gratia Vocationis conferens vires sufficientes ad fidei, aliosque supernaturales actus, quin tamen ex vi talis Vocationis sequatur in Vocatis operatio & consensus. Alia proinde à S. Augustino *ubi sup.* adstruitur Vocatio secundùm propositum, sive secundùm prædestinationem, aut Gratiæ Electionem. Hanc autem Vocationem ait hic Sanctus, non tantùm dare vires ad credendum, sed esse talem, ut eâ vocatus fiat credens. Ista proinde vocatio est efficax, vi cujus procul dubio etiam illi, quibus stultitia est Verbum Crucis, venirent ad Christum, si audivissent, & didicissent à Patre. Idem Ecclesiæ Doctor *cit. lib. de prædest. c. 8. circ. med.* ita concludens: *Absit ergo, ut quisquam non veniat, qui à Patre audivit, & didicit.* At verò si illa Gratiæ efficacia non sit ex vi propositi, ac Electionis Dei, seu ipsius Gratiæ, & Vocationis, quatenus provenientis à Patre, consequens est, ideò non omnes esse efficaciter à Patre doctos, ut actu venirent ad Filium, quia prævisi erant, si in talibus circumstantijs docerentur, nolle discere. Hoc autem Augustinus ibidem refutans ait: *Si dicatur, aliquos ideo non doceri, ut veniant ad Christum, quia nolunt discere*, id pugnare cum *Psal. 48. Domine tu convertens vivificabis nos.* Unde idem S. Doctor ait etiam, ab Ecclesiâ non aliam ob causam orari pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur & Velle. Constat igitur, Gratiam Efficacem, seu Vocationem secundùm propositum conferre ipsum Velle, & operari, ita ut secundùm Voluntatis Divinæ definitam sententiam sit, quòd prædestinati acceptâ obediendi voluntate de infidelitate veniant ad fidem, & acceptâ perseverantiâ maneant in fide ex ejusd. S.
9. Doct. *lib. de Bono persev. c. 15.* At si efficacia Gratiæ non stet, nisi per connotationem Scientiæ Mediæ, atque adeò Futuritionis operis, seu consensûs nostri per liberam nostram determinationem antecedenter ad DEI propositum sub conditione prævisæ, tunc obediendi Voluntas, & perseverantia prædestinati libera non sunt ex vi definitæ de prædestinatione Voluntatis Divinæ sententiæ: nec ex vi Vocationis, quatenus est ex Deo, secundùm Electionem, ac prædestinationem operante creati arbitrij Velle, & operari, sed quia Voluntas creata liberè erat se
10. determinatura ad hoc Velle & operari. Imò hæc ipsa libera Voluntatis creatæ pro statu conditionato determinatio esset ita antecedens Voluntatis Divinæ Decretum, ut Voluntas Divina nihil posset circa illam, imò Omnipotentia, ac Virtus Divinæ Voluntatis non possent efficaciter movere Voluntatem, sive Velle, & operari meritorium conferre creato arbitrio, nisi quatenus hoc in istis, vel illis circumstantijs erat pro suâ libertate se determinaturum, ex quâ etiam Voluntatis creatæ determinatione penderet Voluntatis Divinæ, ejusque actualis ad opera nostra libera concursûs de se indifferentis determinatio. Manifestum ergò est, efficaciam Gratiæ petitam ex Scientiæ Mediæ, seu conditionatæ consensûs creati arbitrij Futuritionis connotatione pugnare cum vocatione, & Gratiâ, quæ secundùm propositum, ac ex vi prædestinationis efficax est, à cujusmodi tamen Gratiâ non debere quidquam eorum, quæ ex opposito præcipuè circa libertatem movent aliquid difficultatis, deterrere, asserit idem S. Ecclesiæ Doctor *cit. c. 15. de Dono persever.*

Opponesex Petro à S. Ioseph *in cit. suavi Conc. disp. 20. sect. 2. n. 8. §. Rursus.* D. Augustinum, 11.
cùm *cit. lib. 12. de Civit. c. 6.* quæsivisset, Cur ex duobus æqualiter dispositis, & pari tentatione pulsatis unus tentationi succumbat, alter verò eam superet? respondisse, hujus non aliam apparere rationem, quàm quòd alter voluerit à Castitate deficere, alter verò noluerit. At verò si efficacia Gratiæ, vi cujus hic non deficiebat à Castitate, ita fuisset secundùm propositum, ac Electionem Gratiæ, ut hæc esset antecedens, ac independens à futuritione etiam conditionatâ liberæ de persistendo in Castitate volitionis; tunc rationem, cur iste non defecit, non in ejus voluntatem, sed in antecedentem Gratiæ efficaciam reducendam fore.

Contra. Nam illam D. Augustini quæstionem procedere de æqualitate dispositionis dun- 12.
taxat naturalis, nec non tentationis; non verò de æqualitate Gratiæ, constat expressè ex integro perlecto *Capite 6.* Si enim quæstio procedat secundùm Gratiam, illum qui persistit in Bono, abundantiori præ illis, qui labuntur, Gratiâ adjuvari, habet idem Ecclesiæ Doctor *in seq. c. 9.* Imò *in lib. de prædest. Sanct. cit. 16.* ex eo, quòd Paulus *Rom. 9.* dixerit, certam secundùm propositum Vocationem esse *ex Vocante*, infert, oportere totum in operibus nostris bonis tribuere Deo. At verò, si efficacia Gratiæ est ex Futuritione conditionali liberæ arbitrij creati determinationis; imò si & Gratia, & Decretum Dei cum Voluntate creatâ concurrens ad actum meritorium de se indifferens est, ac determinatur ex liberâ illius determinatione, sequitur, quòd vocatio quà efficax, & certa secundùm propositum sit ut sic ex creato nostro arbitrio. Ergò quà in his circumstantijs efficax non est ex Deo quatenus secundùm Gratiæ electionem vocante, seu misericorditer donante.

Confirmatur. Nam Donum & Misericor- 13.
dia sunt secundùm liberam, & gratuitam Voluntatem. Non est autem secundùm Adversarios in Dei potestate, quòd Gratia in his circumstantijs sit efficax, sed tota ista efficacia est ex consensûs liberi creati conditionatâ Futuritione antecedente omnem Divinæ Voluntatis determinationem liberam, seu actuale Decretum. Etsi proinde hujus in talibus circumstantijs Gratiæ donatio esset ex Deo, non tamen ipsa Gratiæ efficacia esset Donum Dei, utpote antecedens Decretum Dei liberum: sicuti hominem existere est quidem ex liberâ Dei voluntate; at esse Animal rationale, non est ex Deo donante, cùm sit ex ejus Essentiâ, quam Deus immutare non potest. Pari ergò ratione Gratia quà efficax, seu quà secundùm propositum certa non esset ex Deo donante, & vocante, seu miserente, sed ex arbitrio nostro volente, ac liberè currente. Constat igitur, quàm malè S. Augustinus, alijque Patres, nominatim Fulgentius allegentur à Petro Fuliensi, si enim exactè observentur eorum verba, videre licebit, aggravatos esse oculos legentium Patres illos, quos adeò ad exactam SS. PP. lectionem, atque maturam considerationem invitamus, cùm

nil

nè opus nostrum in immensum excrescat, non vacet singulos hic attexere.

14. Instabis: S. Augustinum *lib. 1. quæst. ad Simplician. q. 2.* distinguendo vocationem; Unam per Gratiam Efficacem illorum, qui consentiunt, & alteram per Gratiam duntaxat sufficientem, illorum, qui non consentiunt; ita scribere: *An fortè illi, qui hoc modo Vocati non consentiunt, possent alio modo Vocati accommodare Fidei Voluntatem; ut & illud verum sit, multi vocati, pauci electi, ut quamvis multi uno modo sint vocati; tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur Vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Ex quo patet, inter illos, qui uno modo sunt vocati, aliquos consentire, alios verò dissentire. At hi dissentiunt, quia non sunt affecti, sicut illi, qui vocationi capiendæ reperiuntur idonei. Ergò ex eo sunt aliqui consensuri, quòd ratione suæ capacitatis ita afficiantur Vocatione, ut propter hujus congruitatem ex eâ reddantur idonei. At ex istâ congruitate antecedenter ad Decretum prævisâ præscit Deus futurum consensum, si per talem congruam vocationem vocetur creata Voluntas. Hæc autem præscientia est conditionata, atque ut sic vocationis infallibilitatem, adeoque Gratiæ efficaciam importat. Ergo Gratiæ efficacia est secundùm præscientiam Conditionatam.

15. Contra. Nam S. Augustinus mox subdit: quòd illi sequuntur Vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. At si Gratiæ efficacia esset per futuritionem consensûs conditionalem à liberâ Voluntatis nostræ determinatione dependentem, tunc arbitrij volentis, non autem Dei miserentis esset, quòd aliqui sequantur Vocationem Dei. Oportet igitur illam ipsam Vocationis capiendæ idoneitatem, cùm sit ex Deo miserente, importare Gratiam, & Donum Dei, præfato Sanctæ Ecclesiæ Doctore hoc insinuante verbis mox subjectis, ait enim: *Ad alios pervenire quidem Vocationem, sed quia talis fuit, quâ moveri non possunt, & eam capere apti essent,*
16. *vocatos quidem dici potuisse, sed non Electos.* Ex quo ita licet argumentari. Si vocationis efficacia nihil Doni supernaturalis ultra Gratiam sufficientem conferret, sed importaret solam liberi nostri consensûs conditionalem Futuritionem, tunc datâ Gratiâ sufficiente jam omnes essent apti eam ita capere, ut eâ moveri possent. At eo ipso, quòd aliqui sint quidem vocati, non tamen electi, ad eos pervenit talis duntaxat vocatio, per quam habent in actu primo sufficientes vires ad operandum supernaturaliter, etsi non habeant illam aptitudinem, ex quâ in actu secundo moveri possunt. Hæc igitur vocatio tribuens aptitudinem non in actu duntaxat primo, sed in actu etiam secundo movendi se supernaturaliter non inest arbitrio creato ex viribus sufficientis tantùm vocationis, sed ultra hanc importat aliud supernaturale Donum, quod est ex Deo vocante, non autem ex nostro arbitrio sive absolutè, sive conditionatè pro tunc operante. Ergò vocatio secundùm Electionem ac propositum non est ex conditionali arbitrij nostri liberâ determinatione.

17. Dices: Si ergo Gratiæ efficacia est Donum Dei se tenens ex parte actûs secundi, hoc ipso importat consensum liberum realiter identificatum cum actu secundo procedente ex actu primo supernaturaliter operativo, sive ex potentiâ elevatâ per vires Gratiæ actualis sufficientis. At D. Augustinum ponere Gratiæ efficaciam in aptitudine, & idoneitate, quâ moveri potest Voluntas creata ad consensum, seu actum supernaturalem liberum.

18. Contra. Nam ad actum secundum ex parte Causæ primæ duplex intervenit actio. Prior est immanens & æterna consistens in Dei Decreto cujusvis ad extra effectûs prædefinitivo, uti *præced. cont. n. 17.* ostensum est. Hanc verò, quatenus Deus voluit, consequitur actio formaliter extra Voluntatem Divinam transiens. Ista verò Dei extrinseca Causalitas ad actionem æternam Divinæ substantiæ formaliter immanentem se habet instar passionis, seu passivæ immutationis; etsi respectu effectûs per eam producendi habeat rationem veræ actionis, & effectionis. At licèt ista effectio sit realiter indistincta à Causæ creatæ actione, seu Causalitate, *veluti q. seq. a. ult. cont. 2. demonstrabitur*, potest tamen considerari tum sub ratione influxûs Dei cum Causâ secundâ in effectum, tum sub ratione motionis à Deo impressæ in Causam secundam, ad istam constituendam in Esse motæ à Causâ prima, & applicatæ actualiter ad operandum. Sub hâc igitur consideratione motio illa ita consistit in causalitate Dei ad extra, seu actione creatâ, ut importet actionem quoque æternam, seu Voluntatis Divinæ Decretum, vi cujus fit motionis illius impressio in causam secundam, ad hujus tollendam indeterminationem, & actuandam ejusdem in operando potentialitatem. Unde Causæ secundæ per Causam Primam prædeterminativa motio, secundum quòd actionem Dei æternam motionis Dei ad extra in Causâ secundâ receptæ effectricem impressionem importat, realiter inadæquatè distinguitur ab actione Causæ creatæ. Etsi verò physica illa præmotio, si præcisè in ratione Entitatis creatæ consideretur, non distinguatur realiter à Causæ secundæ actione; hæc tamen potest ratione nostrâ per prius intelligi secundùm respectum, quem habet ad Deum, quàm in ordine ad Causam secundam, atque effectum creatum. Ergo illa Dei in causam secundam motio non tantùm ratione actionis Dei æternæ habet prioritatem realem physicæ Causalitatis tum in motionem potentialitatis, & indeterminationis Causæ secundæ prædeterminativam, tum in effectum, & actionem Causæ creatæ; sed insuper creata Causæ secundæ à Deo impressa, ac recepta motio in ratione motionis Causæ Primæ habet respectu actionis Causæ secundæ, ejusque in effectum influxûs prioritatem rationis cum fundamento in re. Quæ proinde Causæ secundæ per primam Causam motio meretur hoc ipso nomen *Præmotionis*, ac *physicæ prædeterminationis*, tum quòd in ratione Causalitatis physicæ importet realem ex parte actionis Dei æternæ se tenentem prioritatem; tum quòd motio illa creata fluens ex Causalitate Deo intrinsecâ in ratione formæ actuans potentialitatem Causæ secundæ, formaliter tollat hujus ad operandum indeterminationem. In ejusmodi proinde potentiæ liberæ viribus Gratiæ sufficienter elevatæ, & in actu primo ad supernaturaliter operandum jam completæ præmotione, ac præ-

determinatione statuimus Gratiæ efficaciam.

19. Ratio ex S. Augustino petita est. Vocatio secundùm propositum, seu electionem per hunc Ecclesiæ Doctorem in hoc distinguitur à Vocatione merè sufficiente, quòd per hanc vocati moveri non possint, ut eam capere apti essent. *ex cit. q. 2. lib. 1. ad Simplician.* At mobile, in quo antecedenter ad receptionem formæ est intrinseca improportio, non est aptum moveri in ordine ad formæ ejusmodi effectum tum formalem, tum effectivum, nisi ex connotatione moventis, seu agentis, vel ex ipsamet formâ receptâ intrinsecè proportionante, sicuti patet in intellectu creato, qui secundùm nullam Capacitatis naturalis formam intrinsecam est elevabilis ad Luminis gloriæ receptionem, nec ad hujus effectum, seu Visionem Divinæ Essentiæ proportionatur, nisi ex ipsâ Luminis Gloriæ informatione. Cùm proinde actio secundùm substantiam supernaturalis sit supra proportionem, & capacitatem creati arbitrij spectati non tantùm in ratione activitatis, sed in ratione potentiæ quoque receptivæ, idcircò sicuti Voluntas creata se movendi supernaturaliter vim habere non potest, nisi ex informatione virtutis, seu auxilij supernaturalis; sic non potest esse mobile supernaturaliter ab intrinseco, sed tantùm ex Causæ Divinæ connotatione, seu formæ supernaturalis informatione. At licèt Gratia sufficiens det Virtutem secundùm rationem potentiæ supernaturaliter operativæ in actu primo completam; non tamen constituit Voluntatem in actu secundo mobilem, sicut vis generativa est ex se ipsâ quidem determinata in ratione potentiæ effectricis; ex hâc tamen non est materia proximè mobilis per motum generationis, sed hoc competit materiæ propter ultimam dispositionem. Oportet igitur, ultra Gratiam secundùm rationem activæ Virtutis ac potentiæ in actu primo completam adstruere aliquid, ex quo Voluntas creata sit apta moveri in actu secundo ad capiendam Divinam vocationem in ratione virtutis effectricis perfectam, & sufficientem.

20. At ea est ratio habituum, & actuum supernaturalium, ut in ordine ad illos recipiendos non detur aliqua prævia dispositio, sed sufficiat potentia obedientialis, quæ adeò respectu ejusmodi formarum supernaturalium constituitur proximè mobilis per connotationem solius actionis æternæ, ac Volitionis Divinæ efficaciter decernentis formarum illarum infusionem, atque adeò potentiæ creatæ in earum receptione passivam immutationem. Etsi verò actus supernaturalis vitalis in potentiâ creatâ præsupponat formam supernaturalem intrinsecam, vi cujus intrinsecè proportionetur virtus activa supernaturaliter operandi, illa tamen supernaturalis forma non requiritur nisi ex parte actûs primi. Unde sicuti ad actum primum supernaturali operationi proportionatum non requiritur prævia dispositio, seu forma supernaturalis, sic ad actum secundum non præexigitur alia intrinseca supernaturalis forma se tenens ex parte actûs secundi, sed ex parte actûs duntaxat primi. Oportet igitur actum illum, per quem Voluntas creata in actu secundo constituitur tam proximè mobilis, seu apta moveri, tum mota à Deo, non esse, nisi actionem Dei æternam & Causalitatem ejusdem ad extra, ita quidem, ut actio illa Dei æterna importet formaliter aptitudinem proximè, & infallibiliter illativam, & causativam consensûs liberi realiter identificati cum illâ motione, quam Deus imprimit Causæ secundæ seu Voluntati creatæ ad hujus in operando potentialitatem actuandam. Unde vi hujus motionis ita dicitur Voluntas creata in actu secundo supernaturaliter à Deo mota, ut consequenter ista in actu secundo Motio supernaturalis indistincta à nostro meritorio libero consensu debeat vocari Donum Dei, quatenus nimirum ejus determinatio sit ex Deo vocante, & miserente, non autem ex arbitrio creato volente, liberè alioquin cooperante. Cùm igitur Gratia quà Efficax secundùm D. Augustinum distinguatur à merè sufficiente, quatenus est secundùm propositum, sive Electionem. Hoc autem Electionis, ac prædestinationis Divinæ propositum sit actio Dei æterna immediatè effectiva actûs nostri liberi meritorij: cui adeò Dei æternæ actioni respondeat Voluntatis nostræ motio tanquàm Causalitas ipsius ad extra, identificata cum libero nostro consensu; consequens est, Gratiæ efficaciam non ex scientiæ Mediæ connotatione, sed ex illo Dei proposito, & inde consequente Dei ad extra Voluntatis nostræ in actu supernaturali motione desumendam esse.

CONTROVERSIA. VIII.

An Gratiæ sufficientia salvetur non admissâ Scientiâ Mediâ.

PEtrus à S. Ioseph. *suav. sua Concord. disp. 2. sect. 2.* multis argumentis probare nititur, tolli Gratiam sufficientem, si Gratiæ efficacia, ex quâ sola est actualiter Voluntatis creatæ operatio supernaturalis, non dependeat ab ejusdem consensu libero sub conditione futuro, ac præviso. Fundamentum potissimum est, quia Gratiæ sufficientia importat omne id, quod ex parte Voluntatis liberæ ad agendum, si vellet, est necessarium, juxta illud, *Isaiæ 5. Quid est quod debui ultra facere Vineæ meæ, & non feci? An expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* At si gratiæ efficacia independenter à consensu libero etiam conditionatè futuro ex se habeat vim præcipuè physicam ducendi voluntatem insuperabiliter, ac indeclinabiliter in Bonum, ad quod est vocata, tunc homini per gratiam purè sufficientem excitato deest ista vis ad agendum prærequisita. Ergo non habet Gratiam simpliciter sufficientem contra S. Scripturæ supra expressum textum. Repugnat enim, Iudæos facere uvas sine motione Dei efficaci. An non ergò, ut facerent uvas, debuisset Deus hanc efficacem motionem illis adhuc tribuisse? Ergo sine hâc efficaci Dei motione non sunt omnia ad agendum requisita. Ergò nec Gratiæ sufficientia. 1.

Ad præsentem difficultatem elucidandam præmitti debet, quid veniat nomine *Gratiæ sufficientis.* Scimus equidem Wendrochium *de Morali, & Politica Discipl. in epist. 1. not. 4. & epist. 2. not. 1.* Alvarezij discipulos carpere tanquàm novos Thomistas, quòd licèt per Gratiam sufficientem 2.

non

non aliud innuant, quàm Antiquitas, illud tamen Nomen non fuerit in usu apud antiquos Theologos. Nihilominùs quia veritatis scrutatorem non admodùm de nomine, sed de re oportet esse solicitum, monente etiam Philosopho, loquendum esse cum multis, ac sentiendum cum paucis. Idcirco nomine Gratiæ Sufficientis cum D. Augustino *cit. q. 2. ad Simplician. lib. 1.* intelligimus vocationem Dei, quæ non est secundùm propositum Electionis, seu prædestinationis. Cùm autem nomen prædestinationis latè sumptum à SS. Patribus nominatim Dionysio *de Divin. Nom. c. 5.* Damasceno *Orat. 1. de Imagi:* Isidoro. *lib. 5. sent. c. 18* usurpetur pro quocumque Decreto Dei præordinante, ac prædefiniente Futuritionem alicujus effectûs: idcirco ad præsens nostrum institutum oportet nomine propositi intelligere Decretum Dei præfinitivum non vocationis duntaxat, sed ipsius Operis meritorij à libero creato arbitrio per Divinæ Vocationis Gratiam prævento, ac excitato eliciendi.

3. Aliam Gratiæ sufficientis ex D. Augustino *lib. 2. de Correpț, & Gratiâ c. 12.* affert definitionem Ioannes à S. Thomâ *1. 2. ad q. 111. disp. 24. a. 1. n. 2. & 4.* quòd sit *adjutorium, sine quo aliquid non fit, non quo aliquid fit.* Vel, *quòd sit auxilium, quo accipimus posse facere bonum, non tamen accipimus de facto ipsum*
4. *facere, & operari.* Advertit porrò idem à S. Thomâ *cit. a. 1. n. 5.* Gratiæ sufficientiam totaliter, & adæquatè sumptam, prout est sufficientia simpliciter, conflari ex multis, sicut enim potentiæ cognoscitivæ sufficientia adæquata, & integra consurgit ex potentia, specie & lumine, sic ad producendum actum supernaturalem requiritur principium, quòd sit habitus infusus, vel per modum habitûs: deinde sufficiens objecti propositio per internam Intellectûs illustrationem: item lex sive præceptum, aut Consilium, aut suasio; denique affectio aliqua pia, quæ sit pulsatio, & excitatio Voluntatis. Ex his enim omnibus, quorum singula sunt partialiter tantùm Gratia sufficiens, ita conflatur virtus ad agendum supernaturaliter requisita, ut constituant unum integrum auxilium, quod eò ipsò sit merè sufficiens, dum non sortitur effectum.

Conclusio.

Stare potest Gratia verè sufficiens, etiamsi Gratiæ efficacia non in Scientiæ Mediæ connotatione, sed in physicâ *præc. dub.* explicatâ prædeterminatione statuatur.

5. Sicuti Virtus agendi supernaturaliter est realiter distincta ab actu secundo actualis operationis, sic potest in Deo stare Decretum de immittendis Voluntati creatæ viribus supernaturalis auxilij cum omnibus ad actum primum, seu potentiam supernaturaliter operandi requisitis, quin Voluntas Divina habeat actu Decretum Operis meritorij præfinitivum, ac per modum actionis æternæ causativum, & infallibiliter illativum nostri liberi in opus meritorium consensûs. At ex vi prioris Decreti stabit in creato arbitrio Gratia verè sufficiens cum totali, & adæquatâ supernaturaliter operandi potentiâ, quin hæc supernaturalis meritoria operatio per liberam arbitrij creati Voluntatem sit secutura. Tunc igitur stabit Gratia sufficiens sine efficacia ob defectum Divini propositi opus supernaturale, ac meritorium creati arbitrij consensum prædefinientis. Sicuti ergo Gratiæ efficacia est secundùm Decretum ejusmodi prædefinitivum independenter à Scientiâ conditionatâ, sic ista Scientia Media est inutilis ad Gratiæ sufficientiam adstruendam.

Ad oppositum *n. 1.* Fundamentum

Respondetur: Gratiæ sufficientiam importare omne id, quod in Voluntate creatâ ex parte potentiæ ad supernaturaliter operandum completæ cum omnibus in actu primo prærequisitis est necessarium. Unde efficaciam Gratiæ merè sufficienti oppositam non se tenere ex parte virtutis in actu primo, sed ex parte actûs secundi; imò esse ipsam motionem seu Causalitatem Dei tum æternam formaliter immanentem, tum temporalem ad extra transeuntem, ac receptam in creato arbitrio: atque ab hujus actu supernaturali meritorio non realiter, sed ratione duntaxat ratiocinatâ distinctò. Cùm proinde Judæi essent à Deo instructi viribus supernaturalibus, quibus ad faciendas bonorum operum Uvas erant completè potentes, habebant eò ipsò Gratiam verè sufficientem, sine tamen Gratiæ efficaciâ, cujus adeò defectu non uvas, sed labruscas pravorum operum faciebant. 6.

Replicabis ex eodem Fuliensi *cit. sect. 2. n. 4.* allegante Patres, nominatim S. Chrysostomum, asserentes: Deum, quantum ex se, Voluntati offerre omnia subsidia, quæ sunt necessaria ad conversionem, adeoque meræ illius Voluntati imputandum, si non convertatur. Atque istud indicari etiam *ex Apoc. 3. Ego sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum* Ex hoc enim ita licere argumentari, si apertio Cordis ad pulsum Gratiæ Excitantis sit ex physicâ prædeterminatione, non est cur Deus pulset, & exigat à me Cordis apertionem. At ille sacer textus indicat, Deum pulsando à creato arbitrio exigere Cordis apertionem, ut intret in illud: Ergò apertio non pendet ex Dei pulsantis prædeterminatione, sed ex creati arbitrij liberâ determinatione. 7.

Respondetur. Eò ipsò, quòd Deus Voluntati creatæ immittat vires supernaturaliter operandi cum obligationis ex lege aut præcepto resultantis repræsentatione, cæterisque ad actum primum agendi requisitis, subsistere voluntatis creatæ libertatem cum perfectâ, & completâ supernaturaliter operandi facultate, indeque adeò resultare actualem agendi obligationem. Si proinde Voluntas non operetur, tunc ista operationis negatio in sententiâ negantium dari puram omissionem liberam erit ex vi positivæ volitionis à creata Voluntate liberè elicitæ: in sententiâ verò puram omissionem admittentiû, illa operationis negatio erit adhuc influxus indirectè, & interpretativè voluntarius liberè, dependens ex voluntate creatâ. Constat igitur, non apertionem Cordis ad Divinæ Vocationis pulsum omninò esse ex nostrâ libertate, atque adeò imputari meritò ad culpam. 8.

Hinc à contrario, si vocatus ad pulsum Dei aperiat, hoc ita est ex nostræ voluntatis liberta- 9.

 te, ut

te, ut tamen Deus agat in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus, *ex epist. Cælest. Papæ ad Galliæ Episcopos. c. 12.* Nam in actibus fidei, & Charitatis ita nostrum est credere, & velle, ut tamen Dei sit, non tantùm dare credentibus, & Volentibus facultatem benè operandi per Spiritum S. sed ipsum credere, & velle est etiam Dei, utpote præparantis Voluntatem nostram, & miro modo in nobis agentis, ut liberè velimus. Unde bene velle ac operari est quidem nostrum, quia non fit in nobis, nisi liberè volentibus, est tamen etiam Dei miserentis, vocantis, eligentis ac prædestinantis non tantùm Gratiam, sed præparantis etiam bona opera nostra, ut in ijs per liberum nostrum consensum ambulemus. ex S. Augustino *lib. de prædest. Sanct. c. 3. & 10.* Manifestum ergò est, Facultatem benè operandi ceu Gratiam sufficientem ita distingui à Dono Bonorum operum importante Gratiam Efficacem, ut istud actûs supernaturalis liberi Donum non excludat Voluntatis nostræ operationem, seu determinationem liberam, etsi hæc per prius attribuatur Deo vocanti ac eligenti, seu prædestinanti, quàm creato arbitrio ad Divinæ Vocationis Pulsum, seu per Spiritum S. bene operandi concessam facultatem consentienti, & cooperanti.

10. Instabis. Etsi physica prædeterminatio non esset de requisitis ad actum primum, seu supernaturaliter operandi potentiam, quatenus tamen importat Causalitatem Dei intrinsecam, seu actionem æternam, esse antecedentem motionē Causæ secundæ à Deo impressam, atque adeò Voluntatis creatæ consensum liberum. Unde tametsi absque illâ DEI Causalitate intrinsecâ consensûs nostri supernaturalis liberi præfinitivâ subsisteret facultas supernaturaliter operandi cum omnibus ad actum primum requisitis, non tamen staret requisitum omninò necessarium ad actualiter faciendum opus supernaturale. At gratiam sufficientem dicere potentiam supernaturaliter operandi cum omnibus ad agendum ex parte Dei requisitis.

Hinc enim Deus *Isaiæ 6. expectavit à Iudæis, ut facerent uvas,* frustra autem expectâsset, si caruissent Judæi requisito omnino necessario ad faciendas uvas bonorum operum. Hinc etiam D. Augustinus *lib. 83. quæst. q. 68.* agens de vocatis ad cœnam inquit, *Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerant, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum potestate.* At si antecedens Dei Causalitas seu prædeterminatio physica esset ex necessarijs requisitis, impossibile fuisset illos venire sine prædeterminatione. Ergò hujus carentiæ, non autem libertati illorum, qui vocati non venerunt, tribui deberet, quòd non venerint, velut arguit Petrus Fuliensis *sæpe cit. sect. 2. n. 1. §. Præterea.*

11. Respondetur. Ex hypothesi, quòd Deus de bono opere, ad quod per Gratiam sufficientem cum perfectâ supernaturaliter operandi facultate aliquis est vocatus, non habeat Decretum ejusmodi præfinitivum, omnino deesse requisitum in Viâ Causalitatis actualis, atque adeò ex parte actûs secundi, non autem Primi antecedens ad Dei Transeuntem motionem, nec non creatæ voluntatis liberum actualem consensum. At verò Gratiam sufficientem importare præcisè potentiam supernaturaliter operandi cum omnibus ex parte actûs primi requisitis, non autem ex parte actûs secundi, siquidem hic actus secundus ex parte Dei per modum Causalitatis de se efficacis infallibiliter inferat nostram operationem, ac liberum consensum, sitque adeò illa Causalitatis in actu secundo ratio distinctiva Gratiæ Efficacis à merè sufficienti. Unde Deus à Judæis facientibus labruscas non ita expectavit bonorū operum uvas, quasi ex gratiæ sufficientiâ nullum ipsis ex parte actûs secundi, sed ex parte actûs duntaxat primi, seu facultatis operandi deesset requisitum, Concilio Arausicano *Can. 4.* definiente in hæc verba: *Si quis, ut à peccato purgemur, Voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus per S. Spiritûs infusionem, & inspirationem in nos fieri, confitetur, resistit ipsi Spiritui S. per Salomonem dicenti: Præparatur Voluntas à Domino. Et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est, qui operatur in nobis & Velle & perficere pro bona Voluntate.* Ex hoc enim Canone, si conferatur cum allegato Isaiæ sacro textu, constat, aliam esse Dei de nostris Bonis operibus expectationem secundùm Propositum Divinæ prædestinationis seu præfinitionis, de quâ expectatione procedit Concilium Arausicanum negans, Deum expectare nostram Voluntatem, ut purgemur à peccato, cùm potiùs ipsa Voluntas nostra, per quam disponimur ad remissionem peccati, sit ex Voluntate Divinâ præfiniente, & operante in nobis ipsum velle liberum. Alia proinde, de quâ procedit præfatum Isaiæ testimonium, Bonorum nostrorum operum expectatio est in Deo secundùm communem ipsius Providentiam, cujus secundùm D. Thomam *1. p. q. 23. a. 4.* est, hoc ipso aliquos in rebus sibi subjectis defectus permittere, quòd non sit conjuncta cum efficaci Divinæ Voluntatis Decreto præfinitivo perfectionis oppositæ illi defectui. 12. Sicuti ergò Deus per suam Providentiam ita destinavit pueros projici in fornacem Babylonicam, ut tamen impediendo eorum ex flammâ ignis læsionem, hunc ignis in comburendo defectum ordinaret ad altiorem suæ Providentiæ finem. Sic illis, qui non secundùm propositum vocati sunt, Deus conferendo vires ad supernaturaliter operandum merè sufficientes, ex libertate eorum supernaturaliter præventâ per Providentiam communem non in ipso actu secundo, sed in actu duntaxat primo, seu in ipsorum potestate liberâ completâ bonorum operum uvas expectans, ita permittit ex Propositi, seu efficacis volitionis suæ negatione consequi labruscas, ut hanc ipsam tamen expectationem mediorum duntaxat, non autem finis actualiter effectricem, nec non operis, seu finis ex suâ permissione secundùm defectum referat in Finem suæ Excellentiæ. Patet igitur, non frustra, 13. sed ex communis Providentiæ Divinæ Fine cum permissione defectûs expectari ex illis etiam bona opera, quibus Gratiæ sufficientis auxilia absque præmotione efficaci non ad actum primum supernaturaliter operandi, sed ad actum duntaxat secundum spectante sunt Divinitùs præordinata: cum quibus adeò Dei auxilijs subsistit vis supernaturalis activa perfecta, & in actu primo completa, ut non operantibus consensûs liberi negatio imputetur eo ipso, quòd ista non operatio stet vel per actum positivum liberum, vel per omissionem indirectè saltem, ac interpretativè

tativè voluntariâ ex vi propriæ libertatis, & Voluntatis. Unde ficuti impoſſibilitas veniendi orta ex negatione præmotionis Dei utpote conſequens negationem actûs ſecundi, non tollit abſolutam veniendi poſſibilitatem in virtute actûs primi, ac liberæ per vocationem ſufficientem inſtructæ Voluntatis contentam, ſic conſequenter hujus Voluntatis libertati imputandum eſt, ſi per Gratiam in actu primo perfectè, atque completè ſufficientem vocata non veniat.

14. Urgebis. Etſi hæc veniendi impoſſibilitas ex phyſicæ prædeterminationis defectu reſultans ſit conſequens actûs duntaxat ſecundi negationem, hæc ipſa tamen negatio non eſt in noſtrâ poteſtate, ſed ſolius Dei. Ex hâc autem negatione infallibiliter, ac neceſſariò ſequitur, Vocatos non venturos, nec adeò hiſce imputandum erit, quòd vocati non veniant. Si Thomiſta dicat; phyſicam prædeterminationem ita quidem eſſe à Deo, ut tamen ſit in noſtrâ poteſta-
15. te, eò quòd Deus ex ſe paratus eſſet illam dare, ſi nullum poneremus impedimentum, ut adeò culpæ noſtræ imputandum ſit, quòd de facto non detur. Contra licebit adverſarijs objicere: Antecedenter ad primam culpam Adami fuiſſe illam phyſicæ prædeterminationis negationem ex ſolo Deo, ex quâ etiam negatione fuiſſe infallibiliter conſequens, quòd Adamus non eſſet habiturus obediendi Voluntatem, atque adeò eſſet peccaturus. Ergo primam phyſicæ prædeterminationis negationem non habuiſſe in homine impedimentum culpæ.

16. Si rurſus Thomiſta cum Patre Hilden *ſymb. milit. p. 3. n. 57.* afferat; Impedimentum aliquod Voluntarium comitari ſaltem primam auxilij efficacis denegationem; eò quòd denegatâ Gratiâ Efficaci, detur in homine vel peccatum, vel inconſideratio, quæ ſit impedimentum concomitans auxilij efficacis.

Contra licebit adverſarijs opponere: ſicuti affirmatio ſe habet ad affirmationem, ſic negationem ſe habere ad negationem. Si ergò phyſica prædeterminatio conſenſum Voluntatis creatæ liberum antecedens ſit hujus cauſativa, & infallibiliter illativa, conſequenter etiam negatio prædeterminationis erit in vi rationis antecedentis certò inferens actûs boni negationem. Ergò rationem primam, ex quâ vocati tantùm ſufficienter non erant venturi, ſe tenere ex parte Dei. Ergo quia hæc ratio ſe tenens ex parte Dei antecedenter ad determinationem creati arbitrij eſt infallibiliter inferens negationem conſenſûs liberi, ſequi, quòd iſta negatio non ſit imputanda in culpam Voluntatis creatæ libero arbitrio.

17. Reſpondetur ſequenti diſcurſu deducto ex SS. Auguſtino *lib. 12. de Civit. c. 6. & 7.* nec non Paulo Apoſtolo *ad Rom. 9.* Voluntas humana incipit eſſe mala, non quia Natura eſt, ſed ex eo, quòd de nihilo Natura facta eſt. *ex cit. c. 6.* Auguſtini. Ex hoc enim ipſo, quòd de nihilo facta ſit creatura intellectualis, ſubeſt Dominio Divino, quod ſecundùm Apoſtolum *ad Rom. 9.* eſt poteſtas faciendi alium hominem pro libitu in vas honoris, alium in vas contumeliæ. Ex iſto autem Dominio, & huic ſubordinatâ creaturæ intellectualis ſubjectione, ac Eſſentiali dependentiâ oritur, quòd Voluntas creata, etſi Gratiâ ſufficiente cum omnibus ad agendum requiſitis in actu primo completa nihil habeat Juris, quo Deum obligare poſſit ad concurſum, ac præmotionem in actu ſecundo. At negatâ iſtâ in actu ſecundo motione Divinâ, eſt infallibile, Voluntaté creatam non operaturam cum Gratiâ ſufficiente. Ergò quia negatio Gratiæ efficacis, ſive phyſicæ in actu ſecundo præmotionis ad Bonum eſt ſecundùm Voluntatis Divinæ placitum ex vi Dominij ergà Naturam creatam fundati in hujus de nihilo origine; conſequens eſt, negationem operationis cum Gratiâ ſufficiente originaliter reducendam eſſe in Voluntatem creatam, ex eo, quòd ejus natura ſit facta de nihilo. At hæc ipſa operationis in Voluntate per Gratiam ſufficientem inſtructâ negatio non habet rationem culpæ, niſi quatenùs legi æternæ diſſona eſt à Voluntate creatâ, non quâ Efficiente, ſed deficiente. *ex cit. c. 7.* Divi Auguſtini.

Hæc autem actionis à lege æternâ deviantis non tam effectio, quàm uti Auguſtinus *cit. c. 7.* loquitur, defectio eatenus ſolùm imputatur voluntati creatæ deficienti, prout ſive per omiſſionem puram liberam, ſive per actum poſitivum liberè elicitum eſt Voluntaria. Conſtat igitur, non primam duntaxat rationem, ex quâ eſt defectibilitas noſtra in malum, eſſe ex intrinſecâ Voluntatis creatæ de nihilo origine, ſed ipſam formalem rationem culpæ in non operatione cum Gratiâ ſufficiente ut ſic eſſe per ejuſdem Voluntatis deficientiam ſive in ratione puræ omiſſionis, ſive in vi alicujus actûs poſitivi liberè voluntariam. Unde licet Deus ex vi ſui Dominij fundati in noſtrâ de nihilo origine deneget Gratiam Efficacem, ex quâ negatione eſt in arbitrio per Gratiam ſufficientem prævento infallibiliter futura non operatio legi æternæ diſſona; ex hoc tamen Deus non dando auxilium efficax tradens permiſſivè hominem in reprobum ſenſum, non facit peccatum, ſed Judicium, ex Auguſt. *c. 10. de præd. Sanct.* Ergò tota ratio peccati tum originaliter reduci debet in creati arbitrij originem de nihilo; tum formaliter in ratione culpæ imputari debet Voluntati creatæ deficienti, ſeu cum Gratiâ ſufficiente non operanti ſive per omiſſionem puram liberam, ſive per actum poſitivum liberè elicitum. 18.

CONTROVERSIA IX.

An Scientiâ Mediâ non admiſsâ Voluntatis creatæ libertas ſubſiſtat cum Divinæ Præfinitionis, nec non Gratiæ Certitudine, & Phyſicâ Dei Præmotione?

HOc difficultas punctum olim à Maſſilienſibus excitatum, & à SS. Proſpero, atque Hilario propoſitum D. Auguſtino; ab iſto Eccleſiæ Doctore non per ſcientiam conditionatam, ſed per Dei propoſitum ex ſe, ac ex Voluntatis Divinæ definitâ ſententiâ efficax ſolutum fuiſſe, conſtat ex præcedentibus, *præcipuè ex cont. 3. præs. art.* 1.

Hoc non obſtante Scientiæ Mediæ propugnatiores Sapientis neglecto exemplo, & conſilio non tam in Antiquorum Sapientiâ exquirendâ, quàm in novis (de hujuſmodi enim novitate à 2.

 ſe circa

se circa Scientiam Mediam excitatâ gloriari adversùs SS. Patres Molinam, testatur Ysambertus Sorbonicus *in 1. 2. ad q. 111. disp. 9. a. 4.*) adinventionibus excogitandis seduli, ac studiosi *Divinæ prædestinationis propositum* Scientiam liberi nostri consensûs Conditionatam antecedens de novo impugnant, argumentis ex creati arbitrij libertate desumptis,

Referuntur Argumenta opposita.

3. Suarezius præcipuum in Societatis Iesu Lumen *in Opusc. lib. 1. de concursu Dei c. 13. n. 4.* ita argumentatur. Juxta physicæ prædeterminationis & absolutæ præfinitionis Divinæ assertores, oportet actum creatum liberum ita pendere à Voluntate non tantùm creatâ, sed etiam Divinâ, ut hæc tanquàm superior incipiat illam movere, ceu inferiorem, nec in hujus sit potestate, ne motio illa inchoetur, sed in solâ potestate Voluntatis Divinæ superioris. At inferior Voluntas non potest non sequi motionem superioris. Ergò nullo opouu est in potestate Voluntatis inferioris actionem illam impedire, nec antecedenter, faciendo, ut motio Dei non ponatur, nec consequenter, impediendo, ne habeat effectum. Ergò nullo modo est tunc in potestate Voluntatis humanæ posse non agere. Ergò est ibi necessitas simpliciter quoad exercitium.

4. Neque prosequente argumentum Suarezio *citato* argumentationis illius efficacia elidi potest per vulgatam distinctionem *de sensu Composito, & Diviso.* Nam in sensu illo Composito involvitur Voluntas Divina Efficax se habens omninò antecedenter ad Voluntatem humanam, ejusque consensum. At ex suppositione hujus Divinæ Voluntatis efficacis necessariò sequitur opus, ita ut nulla creatura possit illi resistere. Ergò hæc suppositio, atque adeò sensus compositus involvens formaliter Voluntatis Divinæ efficacis præmotionem infert necessitatem antecedentem. At quævis necessitas antecedens tollit hoc ipso libertatem, uti probat S. Anselmus *in lib. de concord. libertatis cum præscient. & Volunt. Dei.* Ergò libertas non stat cum præmotione Voluntatis Divinæ efficaciter, & absolutè præfinientis actus creatæ Voluntatis.

5. Idem Author *n. 9.* inter alios Patres producit Sanctum Chrysostomum *Hom. 2. ad Hebr. in par. Moral.* ita disserentem: *Oportet nos eligere primùm, quæ bona sunt, & hinc ipse* Deus, *quæ sua sunt introducit, non antecedit nostras Voluntates, ne lædatur arbitrium; Cum autem nos elegerimus, tum multam nobis affert auxiliationem.* Ex quo patet, lædi liberum arbitrium, si ad eam præsupponatur Gratia Dei taliter antecedens, ut per eam, non per nostrum arbitrium fiat in bono opere prima Electio, seu determinatio. At hoc facit physica prædeterminatio. Ergò hæc tanquàm libertatis creatæ destructiva admitti non debet.

6. Petrus à S. Ioseph *cit. disp. 2. sect. 7. n. 1.* opponit, physicæ prædeterminationis assertores fateri, se convenire cum Calvinistis in principio illo, quod contendunt esse Augustinianum, & Catholicum, nempe Deum suo æterno absoluto, & efficaci Decreto antecedenter ad omnem præscientiam Futuræ cooperationis nostri arbitrij prædetermináſſe omnes actus, qui à nobis eliciuntur, & in tempore movere motione efficaci Voluntatem nostram, ut eos actus eliciat, quos suo æterno consilio statuit, ut fierent, ita scilicet ut positâ ejusmodi motione necesse sit, Voluntatem operari. Ex hoc autem principio à Thomistis asserto esse consequens, quòd vel nullum sit reale discrimen inter ipsos, & Calvinistas quoad præsentem Controversiam; vel differentia ejusmodi debeat constitui in diversâ explicatione. Atqui Calvinistas non modò probare ejusmodi principium, sed etiam intelligere illud, ac explicare in eodem sensu, in quo communiter accipi soleat ab Authoribus physicæ prædeterminationis, veluti pateat ex Calvini, ejusque sectariorum verbis, ac sententijs ab eodem Fuliensi *per totam cit. sect. 7.* deductis. Ergò inter Calvinistas, & Thomistas nullum esse verum discrimen, quantum ad rem, etsi quoad voces non sit omnimoda inter eos consensio, imò quoad intentionem maxima dissensio.

Conclusio.

Scientia Media nihil confert ad creati arbitrij veram libertatem tuendam, sed hæc optimè concordat cum absoluto efficaci Dei Decreto, ac Divinæ Causalitatis intrinsecâ certitudine, sive cum physicâ prædeterminatione.

Probatur. Talem oportet libertatis creatæ cũ Dei tanquàm primo Libero, ejusque in Causę secundæ non facultatem duntaxat operandi, sed in ipsum operari, ac Velle liberum influentis Causalitate cohærentiam adstruere, per quam creatæ actionis liberæ quæcumque sive Entitativa, sive Moralis Bonitas, & honestas maximè supernaturalis referatur in Deum tanquàm primam Causam, Voluntatis suæ Consilio in creato arbitrio effectricem actûs, & primi & secundi. Hæc autem actionis creatæ liberæ in Deum tanquàm Causam primam liberam reductio non subsistit, si Gratia quoad actualem operationem subijciatur creato libero arbitrio, sed oportet Gratiam sibi subijcere humanam Voluntatem. *ex epist. S. Prosperi ad D. Augustinum. post medium.* At ista Voluntatis humanæ respectu Gratiæ subjectio ita fit per vocationem secundùm propositum prædestinationis, ut hæc non tantùm Gratiæ, sed ipsorum bonorum operum, ut in ijs ambulemus, præparatio sit. ex S. August. *in lib. de prædest. Sanct. c. 10.* Hæc autem fidei, aliorumque Bonorum operum nostrorum præparatio non tantùm ex seipsâ, ceu Divinâ prædestinatione habet certitudinem, ita, ut Deus certam de fide Gentium fecerit promissionem ex suâ prædestinatione, non autem ex prævisâ nostrâ voluntate. *ex cit. c. 10.* sed insuper illa ipsa in vi prædestinationis Bonorum operum præparatio habet in obediendi, aut perseverandi liberum nostrum consensum immediatam Causalitatem, ita ut per definitam Voluntatis Divinæ sententiam acceptâ Voluntate obediendi vocati venerimus ad fidem, vel acceptâ perseverantiâ maneamus in Fide *ex ejusd. Ecclesiæ Doctoris libro de Dono perseverantiæ. c. 15.* Unde non tantùm facultas meritoriè operandi in nobis est Gratia, sed ipsum Velle & 7.

8.

Opera-

Operari est Donum Dei vocantis; si quidem quoad boni operis consensum sit solius Dei discernere nostrum arbitrium, qui merita ita, ut in nobis faciat, & eligit, & eligendo facit divites in fide, sicut hæredes regni cælestis. *ex cit. lib. de prædest. sanct. c. 17. circa finem.* Etsi proinde actus tum fidei, tum Charitatis sit noster propter arbitrium Voluntatis, uterque tamen est datus per Spiritum fidei, & Charitatis; unde actus ejusmodi liberi, quatenus non nisi volentibus nobis fiunt, ita nostri sunt, ut tamen etiam sint Dei, quia ipse præparat Voluntatem. *ex lib. proximè cit. c. 3. circa med.* Patet

9. igitur, liberum Voluntatis nostræ in nostris actibus consensum *ex mente* S. Augustini, *imò secundùm Sacram Fidei Doctrinam,* ita reducendum esse in Voluntatem Divinam, ut ipsa obediendi Voluntas, atque adeò consensus liber sit ex præparatione Voluntatis Divinæ in nobis eligentis, & hâc electione, seu consilio suo facientis in nobis bona opera, ex quo etiam prædestinationis consilio ceu definitâ Voluntatis Divinæ sententiâ esse talem certitudinem operis boni per nos facendi, ut hoc ipsum tamen ratione arbitrij proprij sit nostrum, seu in Dominio nostro, & potestate liberâ Voluntatis nostræ. Ergò tametsi Voluntatis Divinæ Decretum in vi causalitatis consensum nostrum liberum immediatè attingentis sit de se infallibile, ac certum, non tantùm non tollit libertatem creati arbitrij, sed hanc ita conservat, ut in ejusdem exercitio faciat, ut liberè ambulemus *in bonis operibus.* Ratio hujus insinuatur à S. Thomâ

10. *q. 6. de Verit. a. 3. ad 3.* sic disserente: *Deus agit in Voluntate non per modum necessitatis, quia Voluntatem non cogit, sed movet eam, non auferendo modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit: & ideò, quamvis Divinæ Voluntati nihil resistat, tamen Voluntas, & qualibet alia res exequitur Voluntatem Divinam secundùm modum suum, quia & ipsum modum Divina Voluntas rebus dedit, ut sic ejus Voluntas impleretur, & ideo quædam implevit necessariò, quædam contingenter; licèt illud, quod Deus velit, semper fiat.*

11. Ecce ideo quædam agentia Voluntatem Dei adimplent liberè, seu contingenter, quia modum contingentiæ ipsis dat Voluntas Divina. Hæc igitur volendo, ut liberè agat Voluntas creata, eo ipso facit istam liberè agere, S. Anselmo *in lib. de Concord. præscientiæ Dei cum libero arbitrio* ita disserente: *Quoniam quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis Voluntatem nullâ cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, & vult effectum sequi Voluntatem, hinc necesse est, Voluntatem esse liberam, & esse, quod vult.*

12. Opponit Suarezius *cit. c. 13. n. 6. & 7.* implicare contradictionem, quòd Deus voluntatem creatam physicè prædeterminatam velit agere liberè; quia ad libertatem est necessarium, posse resistere motioni, de ratione autem physicæ per absolutam, & efficacem Dei voluntatem prædeterminationis est, non posse resistere.

13. Contra. Libertas radicaliter consistit in indifferentiâ Iudicij, seu objecti per Intellectum Voluntati propositi. In motu enim cujuslibet potentiæ consideranda est ratio, per quam potentia movetur ab objecto. At voluntas fertur in suum objectum sub ratione Boni. Si ergo Voluntati possit proponi objectum, quod secundùm unam considerationem est bonum, sub aliâ verò ratione deficit à bonitate, consequens est, Voluntatem non necessariò ferri in tale objectum. ex S. Tho. *1. 2. q. 10. a. 2.* Ex hoc ipso igitur inest Voluntati vis electiva, quòd ejus objectum sit cum indifferentiâ Boni & Mali per intellectum repræsentabile. In hâc autem vi Electivâ est quædam dominativa facultas agendi pro libitu, ita, ut positis omnibus ad agendum necessarijs Voluntas possit agere, vel non agere. In istâ verò operandi, vel non operandi facultate consistit formaliter libertas. Si ergò prædestinatio Scientiam conditionatam antecedens, seu physica prædeterminatio Voluntatem relinquat cum indifferentiâ tum objectivâ Iudicij, tum activâ facultatis electivæ, ac dominativæ, tunc illa non derogat libertati. At ex hoc ipso, quòd Deus bona opera nostra prædestinans ea non faciat voluntatem cogendo, aut Voluntati resistendo, sed dimittendo in suâ potestate, imò conferat virtutem ea agendi cum libertate Dominativæ facultatis ad utrumlibet; necesse est, hominem non nisi liberè agere. Probatur & explicatur hoc Assumptum aliàs fundatum in S. Thomâ citato, & D. Anselmo *supra. & de Concord. Prædest. circa med.* Oportet distinguere in creato arbitrio in ordine ad actiones tum naturales, tum supernaturales liberas actum primum, & secundum. Hic autem uterque est à Deo non operante, nisi secundùm consilium voluntatis suæ. At libertas creata in actu primo completo seu in ratione perfectæ potentiæ respectu actuum supernaturalium constituitur per Gratiam sufficientem. Hæc verò importat principium effectivum supernaturale Voluntati à Deo inditum cum objecti sufficiente propositione per internam intellectûs illustrationem: hæc autem illustratio intellectualis ita relinquit intactam circa objectum indifferentiam, ut consequenter auxilium quoque supernaturale Voluntatis in ratione principij supernaturaliter operativi constitutivum non tantùm non immutet Voluntatis facultatem dominativam pro libitu agendi, vel non agendi, sed potiùs conferat vires ad supernaturaliter cum libertate operandum, D. Augustino *in lib. de Corrept. & Grat. c. 8.* attestante, *Voluntatem humanam Gratiâ consequi libertatem.* Quâ proinde liberâ ad supernaturaliter operandum facultate per Gratiam constitutâ, libertas est in actu primo completa, stante indifferentiâ non tantùm objectivâ Iudicij, sed etiam activâ virtutis dominativæ ad agendum, vel non agendum. Quare, ut constituatur in actu secundo, nihil superest, præter actionem. 14. 15. 16.

17. At nulla est actio causæ creatæ, quin attingatur à Causalitate Causæ primæ. Hæc autem primæ Causæ causalitas præsertim in ordine supernaturali habet etiam rationem gratiæ, utpote per quam merita ita nostra sunt propter arbitrium, ut tamen sint Dona Dei miserentis, & vocantis secundùm propositum. Istud autem propositum, seu prædestinatio teste D. Thoma *1. p. q. 23. a. 2.* habens in Deo rationem activæ executionis est Causalitas Dei, cujus terminus tà in ratione voliti, quàm in ratione effectûs physici est actus per nostram voluntatem, vi prætactæ Gratiæ sufficientis cum Iudicij objectivâ, & consequenter Virtutis dominativę activâ indifferentia elicitus. Cùm proinde per illud prædestinationis (sumendo cum Patribus hoc *prædestinationis* nomen pro quolibet efficaci actionis creatæ præfinitivo Decreto) propositum Deus a-

ctum

ctum à Voluntate eliciendum velit cum ipso modo libertatis formaliter consistentis in arbitrij virtute dominativâ, consequens est, Voluntatem Divinam suo efficaci Decreto dare libertatem non tantùm in actu primo, sed cum hâc omninò illæsâ per suam Divinam Voluntatem facere actum secundum liberum D. Augustino *lib. de Grat. & lib. arb. c. 21.* asserente: *Agere Omnipotentem in cordibus hominum etiam motum Voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* Etsi proinde nihil resistat Divinæ Voluntati, ita ut hâc volente necessum sit sequi effectum, hic ipse tamē à Voluntate hominis actus elicitus est liber, quia Deus volendo, ut Voluntas humana agat liberè, dat etiam modum libertatis eam sub objecti indifferentiâ constituendo in facultate dominativâ, atque ex eâ ut sic eliciendo actum sub tali modo libertatis procedentem ex Voluntate hominis, uti ex SS. Anselmo, & Thomâ *sup. dictum est.*

18. Replicabit Suarezius *ubi sup.* necdum solutam esse difficultatem in eo positam, quòd de ratione libertatis sit posse resistere Motioni Divinæ, de ratione autem physicæ prædeterminationis sit, non posse voluntatem resistere. In quibus evidentem esse contradictionem, atque adeò implicare Voluntatem physicè prædeterminatam esse liberam.

19. Contra. Nam *Voluntatem liberam efficaciter à Deo motam posse resistere motioni Divinæ* duplicem potest habere sensum. Unus est, quòd stante istâ Dei motione impedire possit Voluntas ejus effectum. Hunc autem sensum reprobat D. Augustinus *in lib. de Corrept. & grat. c. 14.* asserens: *Sic velle, & nolle, in Volentis aut nolentis est potestate, ut Divinam Voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Nam illa Dei motio, seu physica prædeterminatio includit Causalitatem Dei in actum secundum operationis creatæ liberæ. Ista verò Causalitas tùm est intrinseca Deo consistens in ejus decreto efficaci, tum est passiva hujus executio, seu motio Causæ creatæ impressa, *uti prac. cont. 7. & 8.* ostensum est. At de fide esse, Voluntati Divinæ neminem posse resistere, asserit ipsemet Suarezius *cit. c. 13. n. 4.* Illam porro Divini Decreti passivam executionem, seu motionem Causæ secundæ impressam non distingui realiter ab hujus actione *cit. cont. 7. & 8.* demonstravimus, indicatque Augustinus *ubi sup.* affirmans: *Deum agere in hominibus motum Voluntatis, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit.* At per se notum est, impedire actum Voluntatis creatæ esse impossibile ex hypothesi, quòd actus iste jam sit positus, necesse enim est, quodlibet esse,

20. dum est. Negandum igitur est, quòd stante Dei motione efficaci, seu physicâ prædeterminatione possit voluntas creata impedire ejus effectum, juxta quem adeò sensum negant Thomistæ, posse Voluntatem liberam à Deo efficaciter motam *in sensu composito* resistere motioni Divinæ: nam isto *sensu composito* admisso, oporteret in Voluntate creata esse *potentiam simultatis*, vi cujus posset facere, ut actus ex vi Motionis Divinæ teste Augustino *in lib. de Corrept. & grat. c. 12.* indeclinabiliter, & insuperabiliter existens non existeret, quod apertam implicat con-

21. tradictionem. Alius igitur enuntiationis prætactæ sensus est, quòd stante illâ Dei motione, in Voluntate creatâ subsistat adhuc potentia non operandi. Hoc autem esse de ratione libertatis per Concilium Tridentinum *Sess. 6. de Iustif. can. 4.* ita decernitur. *Si quis dixerit, liberum arbitrium hominis à Deo motum, & excitatum non posse dissentire, si velit, anathema sit.* Physica autem prædeterminatio importat actum secundum tenentem se ex parte Dei per modum Causalitatis tum immanentis, tum transeuntis ad extra. Atqui actus secundus Dei, seu Causalitas Causæ primæ influendo in effectum, in Causâ secundâ hujus virtutem seu actum primum non destruit. Est autem Voluntatis creatæ actus primus in ordine ad operationem supernaturalem completus per gratiam sufficientem, cum quâ stat Iudicij objectiva indifferentia. Hanc verò ita est consequens Voluntatis activa indifferentia eidem innata, ut ex hoc ipso habeat vim electivam, & dominativam agendi pro libitu, vel non agen-

di. Cùm igitur physica prædeterminatio, seu Decretum Dei efficax neque cogat, neque resistat Voluntati creatæ, sed per modum Causalitatis producat actum dependenter ab indifferentiâ activâ, seu vi dominativâ Voluntatis tanquàm à Causâ efficienter cooperante, consequenter hujus libertas illæsa subsistit cum physicâ prædeterminatione, etsi hâc positâ actus voluntatis secundùm necessitatem consequentem, non verò antecedentem necessariò existat. *ex argum. D. Anselmi in cit. concord. prædest. circa med.* Atque hoc est, quod affirmant Thomistæ, Voluntatem efficaciter motam posse dissentire *in sensu Diviso*: per hunc enim sensum insinuare volunt, quòd cum efficaci Dei motione, seu physicâ prædeterminatione stet simultas potentiæ ad operandum, & non operandum, etsi cum motione Divinâ nequeat componi non operatio. 22.

Instat cum alijs physicæ prædeterminationis Impugnatoribus Petrus à S. Ioseph *cit. disp. 2. sect. 4. n. 2.* Hâc distinctione *quòd homo possit dissentire Gratiæ efficaci in sensu diviso*, non autem *in sensu composito*, aliud non significari, quàm hominem posse dissentire tali Gratiæ, si concipiatur secundùm se, & ut secundus, seu divisus ab illâ, non autem si concipiatur ut actu habens ejusmodi gratiam, eique substans. At Conciliũ Tridentinum superiùs adductum statuere, hominem posse dissentire Gratiæ efficaci, quatenus concipitur illam in se habere, eique substare. Ergo illam Thomistarum distinctionem pugnare cum Concilio Tridentino. 23.

Contra est. Quod Alvarez *lib. 9. de auxil. grat. disp. 44.* fuerit jam pridem protestatus contra illam sensûs compositi, ac divisi explicationem, ut adeò mirum sit, adversarios tam studiosos esse in refovendis sinistræ expositionis jam olim extinctis cineribus. Nam Thomistæ neque dicunt Voluntatem physicæ prædeterminationi substantem non posse dissentire, neque asserunt posse dissentire quatenus sejunctam, ac Divisam à Gratiâ. Etenim libertas dissentiendi non est nisi stante potentiâ consentiendi. Hæc verò in ordine ad consensum supernaturalem importat Gratiæ auxilium quà sufficiens. Ex vi autem hujus supernaturalis auxilij ita est libertas completa in actu primo, ut tamen ejus actus secundus non stet, nisi per Causæ etiam primæ Causalitatem. At istâ Causalitate positâ non potest ex hypothesi ipsius tanquàm physicæ præmotionis Divinæ *in sensu composito*, non esse actus, 24

etsi

etsi quantum est ex parte potentiæ, seu Voluntatis per Gratiam instructæ nec quoad libertatem mediante prædeterminatione seu Decreto Dei efficaci destructæ, posset ab hâc procedere non actus, atque ut sic *in sensu diviso* in eâ subsistere dissensio, seu negatio actûs consequentis
25. physicam prædeterminationem. Ex verâ igitur atque Germanâ Thomisticâ *sensûs Compositi*, ac *Divisi* expositione (quam videre est apud P. Hilden *Symb. Milit. p. 3. n. 33.*) sensus ille Divisus non dividit præmotionem à Voluntate, quasi hæc ut prædeterminata ad amorem non amare, sed actum quatenus ex physicâ prædeterminatione consequentem dividit ab opposita actûs ejusmodi negatione, interserendo veluti voluntatem quà potentem ad utrumque; ita ut hæc potentia simpliciter stare possit cum efficaci Dei motione, etsi cum hac nequeat subsistere actûs negatio, utpote contradictoriè opposita. Hinc à
26. contrario neque sensus Compositus importat præcisè compositionem prædeterminationis cum Voluntate, sed prædeterminationem, & actum ex ea consequentem componit cum hujus oppositâ negatione, seu actu contrario, ita ut Voluntas prædeterminata, atque adeò amans non possit non Amorem componere cum prædeterminatione ad amorem. At totum hoc esse tum conforme philosophiæ neganti posse duo contradictoria esse in eodem subjecto, tum nihil habere à Concilio Tridentino alienum, imò ab adversarijs quoque admitti debere, ita
27. demonstratur. Negatio consensionis, seu dissensio æquè incompossibilis est cum consensione conditionatâ, atque cum causalitate actûs consensionis. At secundùm adversarios efficacia Gratiæ importat Futuritionem conditionatam consensionis liberæ. Si ergo Catholicum est, quòd suppositâ istâ consensionis conditionatâ futuritione non possit conditione purificatâ non consentire voluntas, æquè Catholicum erit, quòd suppositâ Causalitate Dei formaliter immanente, sed ad extra transeunte per motionem ab hujus actu libero indistinctam non possit non
28. consentire creatum arbitrium. Sola igitur circa prætactam difficultatem inter Thomistas & adversarios differentia est; quòd isti Gratiæ efficaciam Consensûs nostri infallibilitatem ex prævià voluntatis nostræ determinationem antecedente Voluntatis Divinæ motione, ac determinatione liberâ Conditionali desumant: illi verò Causalitatem, atque adeò determinationem consensûs nostri liberi ordiantur ex Deo. At istud posterius, non autem prius servat in Deo rationem primi Liberi, primæ Causæ, ac supremi Dominij, uti partim ex se evidens est, partim constat ex antecedentibus. Non ergo Thomistarum, sed adversariorum sensus videtur veræ Philosophiæ, & sacræ Fidei Doctrinæ minùs consonus.
29. Urget Suarezius *cit. c. 13. n. 9.* adducens inter alios Patres S. Damascenum *lib. 2. de Fide c. 29.* ita disserentem: *Quæ in potestate nostrâ sita sunt, non providentiæ, sed libero arbitrio assignari debent.* Est autem Providentia secundùm Damascenum *ibid.* Voluntas Dei, vi cujus omnia fiunt, nec ullus est, qui resistat isti voluntati. Ergò quæ in nostra potestate sita sunt, non debent assignari Voluntati Divinæ, cui nemo resistit, nec adeò sunt Divinitùs præfinita, eodem Damasceno *infra c. 30.* attestante, Deum omnia præscire, sed non omnia prædefinire; *Præscire enim ea etiam, quæ in nostrâ potestate, & arbitrio sita sunt; & non item ea prædefinire. Neque enim Vitium velle admitti, neque virtuti vim inferre.*

Contra. Nam D. Thomas *1. p. q. 23. a. 2. ad 1.* respondet, Damascenum in loco posteriori intelligere nomine *prædestinationis* impositionem necessitatis, cujusmodi est in rebus naturalibus, quæ sunt ad unum determinatæ. Probatur ista responsio ex eo, quòd uti Suarez *citatus*, ait, particula *enim* sit causalis, contineatque duas rationes, priorem de malis, *quòd Deus mala non præfiniat, qui vitium non vult admitti*; posteriorem de bonis, quòd Deus *virtuti non inferat vim.* At per istam vim non intelligitur Voluntas Dei omnium quæcumque fieri voluit taliter effectrix, ut nullus ei possit resistere. Probatur 31.
istud assumptum: Nam istam Dei voluntatem Damascenus *cit. c. 9.* accipit pro Providentiâ: Hujus verò opera partim propensâ Dei Voluntate fiunt, quæ nimirum citra controversiam bona sunt, partim fiunt permissione, quæ nonnullam absurditatis speciem præseferunt. Ex ijs autem, quæ in nostro arbitrio consistunt, ea quidem quæ bona sunt, primariè vult, mala contra nec primariè, nec secundariè, verùm libero arbitrio permittit. Oportet igitur, bona opera nostra libera ita Providentiæ Divinæ esse opera, quatenus Deus ea vult propensâ Voluntate. At isti voluntati, per quam Deus omnia quæcumqué voluit fecit, qui resistat, nullus est. Ergo bona opera nostra libera ita Deus facit per suam Voluntatem, cui nemo resistit, ut tamen non efficiantur per vim. Quocirca per hujus discursûs formalia non nisi ex *cit. c. 29.* Damasceni desumpta consequens est, stare Voluntatem Dei, vi cujus Deus bona opera nostra libera ita efficit volendo, ut illi nemo resistat, quin arbitrio nostro vim inferat. Ergò Damascenus ita 32.
vult mala nostra adscribenda nostro arbitrio, ut à Divinâ Providentiâ procedant per solam permissionem; econtra verò bona ita esse Deo tribuenda, ut ab hujus Providentiâ proficiscantur per propensam Divinam Voluntatem, quæ nullam inferat vim Voluntati creatæ, etsi nemo sit, qui eidem valeat resistere, atque adeò importet infallibilitatem, non autem necessitatem liberæ operationis. Vides igitur omnem ex S. Damasceno, imò & quibusvis alijs Patribus contra Decretum Dei Bonorum nostrorum operum efficaciter prædeterminativum motam difficultatem disparere, si unicum hoc servetur discrimen circa necessitatem, ac infallibilitatem, seu certitudinem etiam absolutam, & antecedentem operandi.

Ratio fundamentalis est. Quia certitudo nihil aliud est, quàm necessitas Veritatis: Esse 33.
autem & Verum convertuntur. Unde in tantum est aliquid necessariò verum, in quantum est in ratione Essendi immutabile. ex S. Tho. *q. 16. de Malo. a. 7.* At omnia opera nostra bona etiam libera ita sunt à Deo prædestinata, ut vi hujus prædestinationis sint Deo præsentia. ex D. Anselmo *de Concord. prædest. circa med.* Hoc autem Divinæ prædestinationis propositum, secundùm quod vocati sunt Sancti in æternitate, in quâ non est præteritum, vel futurum, sed tantùm præsens, ita immutabile est, ut tamen in ipsis homini-

hominibus ex libertate arbitrij aliquando mutabile sit. ex eod. Anselmo *de Concord. præscientiæ circa med.* Ergo actus nostri liberi, etsi respectu nostræ libertatis mutabiles, & contingentes, sunt respectu propositi, ac prædestinationis Divinæ immutabiliter, atque adeò necessariò veræ:

34. Hæc autem Veritatis in actibus nostris liberis necessitas, ac secundùm æternitatem immutabilitas est, quatenus Deus constituit apud se immutabiliter, quod apud homines, priusquam fiat, mutare potest, ex Anselmo *proximè citato.* At istud Dei statutum, seu Decretum est actio æterna, in quâ tanquàm Causalitate Deo intrinsecâ præcontinentur actus creati liberi secundùm rationem Essendi determinatam producendi in tempore ab arbitrio creato quatenus habente indifferentiam tum Iudicij objectivam, tum activam Virtutis Dominativæ, ac Electivæ propriam. ex dictis *tum isto, tum duobus præced. Cont.* desumiturque. ex S. Thomâ *cit. a. 7.* Consequens igitur est, posse actum ex vi creati arbitrij contingentem, & in tempore mutabilem, ex vi prædestinationis in æternitate immutabilem esse, atque prout est in proposito, seu Decreto Dei tanquàm Causalitate sui effectivâ habere certitudinem objectivam, seu necessitatem Veritatis. *ex proximè cit.* Angelico Doctore.

35. At hæc Decreti Divini ratio, ex quâ in actibus nostris liberis secundùm æternitatem est veritas necessaria, & immutabilis, est nostra bona opera antecedens, hoc ipso, quòd ex illo omnis nostra actio eatenus promanet, quatenus Deus vult, & prædestinat, ex Anselmo *in Concord. Præscient. circ. fin. & Concord. prædest. circa Med.* At hæc ipsa tamen prædestinationis ratio, per quam actui creato libero in æternitate convenit Veritas immutabilis, non infert necessitatem agenti, quia Deus ea, quæ prædestinat, non facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illâ potestate dimittendo *ex cit. Concord. prædest.*

36. Evidens ergò est, posse in æternitate subsistere in actibus liberis Veritatem ex vi prædestinationis necessariam, & immutabilem, quin creato arbitrio inferatur agendi necessitas. Ergò potest certitudo objectiva, seu veritatis necessitas, & immutabilitas etiam absoluta creati nostri arbitrij determinationem liberam antecedens subsistere in æternitate, quin Voluntati nostræ inferatur agendi necessitas, attestante D. Thomâ *de Verit. q. 6. a. 3. & 4. Deum non agere in Voluntate creata per modum necessitatis, sed movere eam non auferendo modum suum, qui in libertate consistit: unde prædestinationis ordinem non esse, nisi cum suppositione voluntatis humanæ implentis scilicet hunc ordinem eo modo, quem Deus illi dedit ad agendum non necessariò, sed liberè, & contingenter. Quo tamen non obstante Divinæ prædestinationis ordinem habere absolutam certitudinem, quòd licèt oporteat Causam secundam supponere ad inducendum prædestinationis effectum, hec ipsa tamen Causa secunda subjaceat ordini prædestinationis.* Ex quibus adeò patet, agendi necessitatem, quam D. Anselmus vocat Antecedentem, non induci ex hoc præcisè, quòd Divinæ prædestinationis Decretum se habeat antecedenter ad Arbitrij nostri operationem certò, & immutabiliter ex eâ prodituram in tempore statuto.

37. Hujus verò rationem ex SS. Thomâ, Anselmo, Damasceno, & Augustino esse, quòd vis, seu necessitas agendi creato arbitrio opposita sit determinatio causæ secundæ in actu primo: præfinitio autem Dei efficax, & physica Voluntatis creatæ Divina præmotio se habeat ex parte actûs secundi, qui actus secundus prout est Motio Dei Voluntati creatæ impressa sit ipse motus Voluntatis, ab hâc, quà in actu primo completâ procedens cum indifferentiâ tum Iudicij objectivâ, tum Virtutis Dominativæ, ac Electivæ physicè effectiva.

Responsio ad fundamenta opposita.

AD Suarezij *n. 3.* oppositum Respondetur: Actum creatum liberum ita pendere à Voluntate Divinà, ut hæc tanquàm Superior incipiat illam movere ceu inferiorem, nec in hujus esse potestate, ne superior Dei Voluntas illam motionem inchoet, ex quâ fit necessario consequens, moveri voluntatem inferiorem efficaciter à Divinâ voluntate præmotam. Nihilominùs, quia sub illâ Dei motione Voluntas creata in actu primo completo stat cum indifferentiâ tam Judicij, quàm Virtutis activæ Dominativâ, atque adeò oppositorum pro libitu electivâ, stante illâ motione esse adhuc potentiam faciendi oppositum actui ex physicâ prædeterminatione infallibiliter consequenti, etsi non possit cum istâ præmotione efficaci ponere negationem actûs præfiniti, seu prædeterminati, atque adeò esse necessitatem actûs consequentem Causalitatem actûs secundi formaliter consistentem tum in Causalitate Dei intrinsecâ, tum in motione ad extra transeunte Voluntati creatæ impressâ, & ab hujus actu libero indistinctâ. Quam proinde necessitatem consequentem, cùm non sit ex parte actûs primi completi, non tollere libertatem, cujus ratio importet formaliter actûs primi indifferentiam Dominativam, ac Electivam, seu Effectivam. 38.

Ad ejusdem Authoris *n. 4.* oppositum Respondetur. Si dicatur, Voluntatem efficaciter à Deo præmotam posse in sensu Diviso, non autem in sensu composito dissentire; in hujus sensûs compositi conceptu objectivo involvi quidem Voluntatis Divinæ præfinitionem ex vi suæ intrinsecæ efficaciæ incompossibilem cum negatione actûs prædefiniti: Quam tamen Voluntatem Dei efficacem ita se habere antecedenter ad Voluntatis humanæ consensum, ut sit per modum Causalitatis actualis, specterque ad actum secundum, non verò ad actum primum creatæ Voluntatis, siquidem ista independenter à Decreto creati consensûs liberi præfinitivo habeat vi Gratiæ sufficientis, & innatæ circa objectum indifferenter propositum virtutis Dominativæ perfectam in actu primo electivam oppositorum libertatem. 39.

Etsi proinde suppositio Voluntatis Divinæ efficacis sit in ratione Causalitatis antecedens creatum liberum consensum, non tamen inferre necessitatem antecedentem. Nam ista est, quæ voluntatem cogendo, aut illi resistendo, seu vim inferendo, non verò illam in suâ potestate dimittendo, facit opus à Deo prædestinatum. ex SS. Anselmo, & Damasceno *sup. citatis.* At Divinæ Voluntatis præfinitio in vi Causalitatis attingit actum nostrum liberum ita dimittendo Voluntatem nostram in suâ potestatis ad oppositos actus virtute Dominativâ, ut ab hac ipsa potestate habente indifferentiam tum Judicij objectivam, 40.

vam,

vam, tum oppositorum electivam velit procedere actum Voluntatis creatæ. Si ergo, quod Deus vult, non potest non esse, eo ipso, cùm vult hominis voluntatem nullâ cogi, vel prohiberi necessitate, sed in volendo uti suâ potestate Dominativâ, tunc ita est necessum, voluntatem esse liberam; ut sit *necessitate tamen consequente* simul necesse effectum, seu actum liberum a Deo volitum ac præfinitum existere in tempore statuto. ex eod. Anselmo *in cit. Concord. præscient.* Vides igitur,
41. qualiter stet præfinitio Divinæ Voluntatis, ex cujus suppositione sit necessum sequi actum à Voluntate creatâ liberè elicitum; quæ suppositio absolutam quidem certitudinem, non verò antecedentem agendi necessitatem inferat.

42. Ad *n. 5.* Oppositum Respondetur. Facilem fore ad prætacta S. Chrysostomi verba responsionem, si cum Vasquezio *1. p. disp. 91. c. 7. n. 44.* sentire liberet. Hic enim suo adversus SS. Patres calamo satis aperto scribit *ibidem*: Sententiam Massiliensium à multis Græcis Patribus fuisse traditam, inter quos præcipuum extitisse Chrysostomum, quem & Cassiano Magistrum fuisse, prout tum ex alijs, tum ex allegatâ ejusdem
43. sententiâ constet. Verùm ab hâc notâ & injuriâ D. Chrysostomum vendicant Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 20. a. 5. n. 22. & 23.* & Sixtus Senensis *lib. 5. Biblioth. annot. 17.* qui posterior advertit, illam S. Chrysostomi sententiam accipiendam esse de Gratiâ sanctificante, & Habituali, cujus infusionem omninò antecedat nostræ Voluntatis motus, & dispositio libera, cùm aliàs nostrum læderetur arbitrium, sive in Gratiæ sanctificantis infusione non servaretur, si daretur independenter à nostro arbitrio, sive antecedenter ad Voluntatis nostræ liberam dispositionem.
44. Quòd si verò quis contendat, S. Chrysostomo fuisse *loco citato* sermonem de Gratiâ actuali, exponendum esse, quòd *Gratia non antecedat nostram Voluntatem, ne lædat arbitrium liberum,* taliter præveniendo, ut opus bonum liberum totum tribuatur Deo, nihil autem operetur Voluntas, sed merè passivè se habeat; *veluti ex subjectis ejusdem verbis patere possit.* Constat igitur S. Chrysostomum aut nihil movisse adversùs physicam prædeterminationem, aut si, uti contendit Vasquezius, negasset antecedentem Gratiam actualem, non magis adversari Thomistis, quàm omnibus illis, qui ex Doctrina Sacrorum Conciliorum adstruunt Gratiam prævenientem.

45. Ad Petri à S. Ioseph. *n. 6.* oppositum Respondetur. Thomistico Augustinianum verè Catholicum à nobis assertum principium esse istud, *Quòd Deus suo æterno, absoluto, & efficaci Decreto antecedenter ad omnem præscientiam futuræ cooperationis nostri arbitrij prædeterminârit omnes actus, qui à nobis eliciuntur, quòdque in tempore efficaci motione Voluntatem nostram ita moveat, ut hæc motio Voluntatis creatæ impressa sit Dei ad extra Causalitas promanans ex illâ ipsâ Dei Voluntate efficaci tanquam Divina formaliter immanente Causalitate, & Virtualiter tantùm transeunte; cujus adeò Causalitatis Divinæ tam immanentis, quam transeuntis ratio stare non possit sine actu creati arbitrij secundum eum modum eliciendo, quo Deus suo æterno consilio statuit, ut fieret per Causalitatem non suæ duntaxat Divinæ, sed creatæ etiam Voluntatis influentis efficienter cum indifferentiâ tum Iudicij objectivâ, tum facultatis effectivæ virtute Dominativâ in actu primo per Gratiam sufficientem ita completâ, ut ex vi hujus actûs primi possit non operari Voluntas; etsi ex suppositione illius Voluntatis, ac Motionis Divinæ spectantis ad Causalitatem in actu secundo necesse sit, existere actum non minùs à creatâ, quàm Divinâ Voluntate per eandem numero actionem temporalem efficienter liberè elicitum.*

Si ergo in hoc taliter constituto principio nobiscum sentiant Calvinistæ, nihil quoad istam 46.
doctrinam hæreticæ labis ipsis adhærebit, utpote quam Sacris Litteris, Divis Augustino, Prospero, Anselmo, Damasceno, Thomæ Aquinati, veræ Philosophiæ, ac Theologiæ principijs omninò consentaneam demonstravimus; sed numquid idcircò illos puros, & mundos dicimus?

En Eutiches verò Catholico principio posi- 47.
to, *Esse in Christo unam Personam*, exinde subsumendo, *quòd Hypostasis non distingueretur à Naturâ*, ita erravit in Philosophiâ, ut inferret dogma hæreticum, *esse in Christo unam Naturam.* E contrario Nestorius Dogmate Catholico constituto, *Esse in Christo duas Naturas*: idem cum Eutiche ex falsâ Philosophiâ depromens subsumptum incidit in hæresin subinferendo, *quòd in Christo essent duæ Personæ.* Quid ergò si & Calvinistæ in principio superiùs posito, & à nobis exposito consentirent, sed non distinguentes infallibilitatem, ac certitudinem à necessitate agendi, negarent cum Decreto Dei efficaci stare Arbitrij creati libertatem? Verùm quid ex modernorum hæreticorum scriptis Zizania à tritico, & Verum a falso segregando, Ecclesia damnârit Hæresis, ipsam in Concilio Tridentino audiamus. Hoc igitur Oecumenicum
Concilium *sess. 6. de Iust. can. 4.* statuit inprimis, 48.
Liberum arbitrium non tantùm moveri, sed etiam excitari à Deo. At excitatio supponit potentiam cum virtute Dominativâ, & inter actus oppositos Electivâ: Hanc verò potentiam in ordine ad actus supernaturales Fidei & Charitatis non stare viribus solius creati arbitrij, sed Gratiæ per Iesum Christum Prævenientis, & Adjuvantis, decernit idem S. Concilium *cit. sess. 6. can. 1. 2. & 3.* Ostendat igitur Fuliensis, Calvinistas in omnibus hisce convenire cum Thomistico-Augustinianis, & credemus, ni aliud occurrat istos non in principio, sed in consequente inde deducto factos esse Hæreticos. Ad hæc patet ex *cit. can. 4.* Concilium decernere adversùs illos, qui assere-
bant: *Liberum Arbitrium à Deo motum, & excitatum* 49.
nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere. An hoc igitur est concordare cum principio *superiùs* exposito? Illa proinde falsi Dogmatis ab Universali Concilio damnati Doctrina per modum antecedentis positâ inferebatur, *Liberum arbitrium esse rem de solo titulo, aut titulum sine re, vel motum à Deo non posse dissentire. ex cit. can. 4. & 5.* An non igitur tam in antecedente, quàm in consequente illius Hæreticorum ratiocinationis, & falsæ suppositionis latebat venenum? Quod per Dei Gratiam nunquam hausisse Thomistico-Augustinianos efficacissimè ita demonstrat Ioannes a S. Thomâ *cit. disp. 20. a. 7.* ut meritò erubescat Fuliensis cum Scientiæ Mediæ propugnatoribus, has adversùs viros Zelo, ac Doctrinâ Fidei Orthodoxæ præclaros effutire nullo nixas fundamento injurias, & calumnias; sed de hoc Puncto ex instituto agimus *q. seq. art. 5. cont. ult.* de efficacia Div. voluntatis.

CONTROVERSIA X.

Utrùm negatâ Scientiâ Mediâ sit consequens, Deum prædefiniendo actum peccati esse creato arbitrio Causam peccandi?

1\. EX mente Scientiæ Mediæ propugnatorum, nominatim Amici *cit. disp. 12. n. 203. & 205.* ita licet argumentari. Deus novit peccata conditionatè futura: attestante D Bernardo *serm. 54. in Cant. in fin. Subtrahi interdum Gratiam non pro Superbiâ, quæ jam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur.* At si hæc superbia, vel aliud peccatum conditionatè futurum prævideretur in Decreto ex parte Dei absoluto, & tantùm ex parte objecti conditionato, tunc Deus prædefiniret peccata: hoc autem adversatur Concilio Arausicano *can. 5.* neganti *Deum ex se prædefinire peccata.* Oportet igitur, peccata conditionatè futura in se ipsis, seu veritate suâ objectivâ, non autem in aliquo Dei actuali Decreto prævideri à Divino Intellectu. Ergò circa conditionatam peccatorum Futuritionem est in Deo Scientia Media.

CONCLUSIO.

NEc ex eo, quòd Deus suæ Voluntatis Decreto tanquàm Causalitate formaliter Immanente, ac virtualiter transeunte attingat Entitatem actûs peccaminosi, est consequens: hujus malitiam reduci in Deum tanquàm Authorem, seu Causam peccati: nec Scientia Media quidquam confert ad explicandum, quomodo Deus cum voluntate nostrâ concurrendo ad actum pravum, non sit causa peccati.

2\. Probatur. Nam licèt ipse Deus sit, qui peccatores tradit in reprobum sensum, ut faciant, quæ non conveniunt; non tamen ibi peccatum Dei est, sed Judicium. S. Augustinus *de præd. Sanct. c. 10.* Hoc autem Judicium Dei est illa manus Dei, & consilium, per quod Deus prædestinavit fieri, quæ ut facerent Herodes, Pilatus, & Populus Israël, convenerunt in unum adversùs Dominum. *ex cit. lib. c. 17. post medium.* Ergò Deus Voluntatis suæ prædestinatione, seu Decreto potest attingere Entitatem peccati, quin faciat peccatum, sed judicium.

3\. Opponescum Petro à S. Ioseph. *cit. disp. 2. de Prædeterm. sect. 6. n. 1.* in Concilio Arausicano secundo *c. 25.* ita decerni: *Aliquos ad Malum Divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiamsi sunt, qui tantum Malum credere velint, cum omni detestatione in illos Anathema dicimus.* At verò prædestinare aliquem ad malum nihil aliud esse, quàm efficaci Decreto statuere, ut ille actum malum perpetret, eumque ad talem actum efficaciter impellere. Ergò impiè dici, Deum statuere Decreto, ut fiat actus malus etiam entitativè secundum physicam Bonitatem consideratus.

4\. Adhæc Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iust. can. 6.* ita definire: *Si quis dixerit; Mala opera, ita ut Bona, Deum operari non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, anathema sit.* At consequens fore, Deum, propriè, ac per se operari opera mala, & non tantùm permissivè, si Decreto absoluto statuat, ut ea fiant, & ad ea facienda Voluntatem prædeterminet. Ergò in Deo non esse admittendum Decretum absolutũ actûs peccaminosi, etiam quoad materiale, præfinitivum, ac prædeterminativum.

Contra. Nam solo excepto Durando, cujus sententia, teste Suarezio *in opusc. lib. 1. de Concurs. Dei. c. 4. n. 1.* rejicitur tanquàm error in fide, omnes Doctores in eo conveniunt, quòd omnes actus nostri liberi à Deo promanẽt immediatè, ac pendeant ab ipso in suo Esse, ac fieri. Hujus autem Veritatis demonstrativum præter alios sacros textus, argumentum est ex illo *1. ad Corinth. 12. Operatur omnia in omnibus.* At Deus ad extra non operatur, nisi secundùm Consilium Voluntatis suæ: eatenus enim facit, quatenus vult, juxta illud *Psalm. Omnia quæcumquè Voluit, fecit.* At Deus est volens ad extra per Decretum liberum. Ergò in Deo est Decretum liberum, quo vult omnem nostræ Voluntatis actionem à se manantem ac pendentem tanquàm Causâ immediatâ. At hoc Decretum, per quod Deus influit immediatè in nostras actiones, est prædestinatio, quæ, teste D. Anselmo *de Concord. prædestin. post. init.* non tantùm Bonorum, sed etiam malorum dici potest. 5.

Non igitur est contra Consilium Arausicanum, utpote cum quo S. Anselmus in indivisibili veritatis puncto non discordat si, mala (non *reduplicativè*, quà mala; sed *Entitativè spectata*) dicantur etiam à Deo prædestinata, eo tamen discrimine, *ut Bona specialiùs dicatur Deus prædestinare, quia in illis facit, quòd sunt, & quòd bona sunt, in malis autem non nisi quòd sunt essentialiter, non quòd mala sunt. ex cit.* Divi Anselmi *Conc.* Unde etiam patet, Deum mala opera non facere uti bona propriè ac per se, sed tantùm permissivè. Etsi proinde ad omnem arbitrij nostri etiam malam actionem in DEO præsupponi debeat Decretum, ex quo manat Dei in nostram actionem influxus, hic autem influxus, qui secundùm Suarezium *cit. c. 4. n. 5.* est indistinctus ab actione Voluntatis creatæ, sit ipsa actionis peccaminosæ Entitas, atque adeò vi illius Decreti sit à Deo prædestinata actionis nostræ peccaminosæ entitas, non tamen exinde sequitur, Malitiam hujus actionis reduci debere in Deum tanquàm Causam. 6.

Replicabis ex Petro à S. Ioseph *cit. sect. 6. n. 4.* Ex hoc ipso, quòd Deus prædefiniret Voluntatem hominis ad Entitatem peccati, debere peccatum Deo ut Causæ imputari, nullam enim cogitari posse Causam, cui veriùs, & rationabiliùs effectus aliquis imputari debeat, quàm illam, quæ ex se ipsâ, & propriâ sponte statuit absolutè, ut talis actus fiat, quæque consequenter ad tale Decretum eligit, & applicat Media efficacissima, quæ necessariam habent conjunctionem cum effectu Volito. 7.

Contra. Nam Scientiæ quoque Mediæ propugnatores ita adstruunt influxum, seu concursum Dei simultaneum cum Voluntate nostrâ indistinctum ab Entitate actionis peccaminosæ, ut ille ipse influxus in Voluntate Divinâ supponat Decretum. In hoc autem statuunt concursum Divinum oblatum Voluntati nostræ in actu primo, ac de se indifferentem. Hic verò concursus ita sequitur nutum Voluntatis nostræ, ejusque 8.

quæ determinationem, ut tamen Deus jam antecedenter prænoverit, Voluntatem nostram hoc modo operaturam, si ponatur in istis circumstantijs. Juxta hanc porrò conditionalem prævisionem habet Deus Voluntatem, homini in his ipsis circumstantijs posito præbendi suũ concursum: hic autem concursus in actu primo de se indifferens habet ratione illius Scientiæ conditionatæ infallibilem connexionem cum actu peccaminoso. Si ergo peccatum Deo sit imputandum, quòd à Voluntate Divinâ applicentur Media habentia infallibilem, adeoque necessariam conjunctionem cum malitiâ peccati, Deus secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores dicendus erit Causa peccati, tum quòd sua tanquàm Causæ primæ actio sit indistincta ab actione Voluntatis creatæ, cui actioni utpote intrinsecè malæ inseparabiliter est annexa malitia: tum quòd prævidens hominem infallibiliter peccaturum in hisce circumstantijs eundem ponat in illis. Ergo Scientia Media non abstergit à Deo maculam, quam ejus propugnatores contendunt ex physicâ actionis peccaminosæ prædeterminatione Deo imputari.

9. Confirmatur. Nam secundùm Scientiæ Mediæ propugnatores ratio, propter quam Deo non imputatur peccatum, desumitur ex Divini concursûs indifferentiâ: hæc autem indifferentia jam est determinata per Scientiam Mediam. At pro signo hujus Scientiæ Mediæ, tametsi esset Voluntatis creatæ conditionata determinatio, hæc tamen non haberet rationem peccati, quà imputati creato arbitrio, cùm alioquin posset esse demeritum in peccato conditionatè præviso, atque Semipelagianis faveretur in eo, quòd intuitu demeritorum sub conditione futurorum quis posset reprobari, ac damnari. Si ergò peccatum debet illi imputari, qui est Causa determinationis ad actum peccaminosum, pro signo autem Decreti quà Scientiæ Mediæ innixi antecedenter ad determinationem arbitrij creati absolutum jam sit determinatio, ex quâ infallibile, ac necessarium est, sequi peccatum, consequens est, Deum esse Authorem peccati, quà imputati agenti libero: nam ista imputatio respectu creati
10. arbitrij non est pro signo Scientiæ Mediæ, pro signo autem posteriori debet secundùm adversarios peccatum imputari illi voluntati, quæ est Causa determinationis ad actum, cui ab intrinseco est formalis malitia.

At suppositâ Scientiâ Mediâ jam est determinatè verum, ac secundùm imputationem quoque demeriti necessariò futurum peccatum ex Decreto de se licèt indifferenti, ratione tamen Scientiæ Mediæ jam determinato. Ergò ratio imputabilitatis, quæ non est ex conditionali, sed absolutâ duntaxat peccati futuritione, primò reducitur in Decretum Divinæ Voluntatis quà subnixum Scientiâ Mediâ. Vides igitur, Scientiam
11. Mediam nihil conferre ad explicandum, quo modo Deus cum Voluntate nostrâ concurrendo ad Entitatem actûs peccati non sit Causa peccati; eò quòd non prima duntaxat determinatio in ordine ad imputabilitatem peccati sit per Dei Decretum quatenus Scientiæ Mediæ innixum, sed insuper ab isto Decreto dimanet immediatus Dei influxus indistinctus ab actione voluntatis creatæ, cui ab intrinseco inseparabiliter est annexa malitia moralis.

Ratio ergò fundamentalis Divinam Sanctitatem, & puritatem in actionis malæ Entitate per Deum physicè productâ demonstrans *præs. q. a. 2. cont. 4. n.13. & a.4. cont. 2. n. 3.* Item *hoc art. cont. 8. n. 12.* insinuata, & alibi ex instituto 12.
tractanda pro statu difficultatis hîc emergentis ita deducitur. Actio peccaminosa formaliter quà talis non est effectio, sed defectio, sive Boni secessio. ex SS. Augustino *de Civit. 12. c. 7.* & Ioan. Damasceno *2. Orth. Fid. c. 30.* Unde non datur peccati Causa Efficiens, hujus enim est influere Esse, malum verò peccati, seu injustitiæ omninò caret existentiâ. ex D. Anselmo. *de Concord. præscient. post med.* Quia ergò Causa peccati quà talis non est nisi Deficiens, oportet Malitiæ in actu peccaminoso Originem reduci in rationem defectibilitatis. At ista defectibilitatis ratio, ex quâ peccati malitia profluit, alia est radicalis; alia verò se habet per modum proximæ Causalitatis. Illam S. Augustinus *cit. c. 7.* desumit ex eo, quòd creaturæ rationales sint ex nihilo factæ; hinc enim sicut in Esse, sic in operari dependent à Dei Dominio. Unde non tantùm non possunt operari sine Dei influxu, & concursu, sed neque in hunc habent adversùs Deum aliquid Juris. Ergo potest Deus ex vi sui Dominij inter creaturas intellectuales ita partiri suum Divinum concursum, ut in ordine ad rectitudinem moralem uni concedat illum tam in actu primo, quàm in actu secundo per Gratiæ efficaciam; alteri respectu honestatis maximè supernaturalis, seu fidei non det concursum in actu etiam primo per Gratiam proximè sufficientem: alij denique præparet concursum suum in actu primo per Gratiam proximè & completè sufficientem, non tamen in actu secundo per Gratiæ Efficaciam. At per istam auxilij ad supernaturaliter operandum tum efficacis, tum proximè 13.
sufficientis denegationem fit excæcatio, & obduratio, in quâ Deus relinquens hominem utendo jure sui Dominij non facit peccatum, sed judicium. ex S. August. *lib. de prædest. Sanct. c. 8.* Hoc autem judicium inchoatum in Gratiæ tum proximè saltem sufficientis, tum efficacis denegatione demùm perficitur, tradendo hominem in reprobum sensum, ut ea faciat, quæ non conveniunt. Ista verò traditio in sensum reprobum fit, quatenus Deus creaturæ intellectuali exhibet suum concursum ad Entitatem actûs liberi, cui respectu talis creaturæ est annexa privatio debitæ rectitudinis. Ejusmodi autem concursum Deus ita præparat per justitiæ suæ Judicium, ut ex ipso jure, ac Dominio Primæ Causæ nolit rationalem creaturam esse sine exercitio libero. Hoc verò liberum exercitium, tametsi secundùm nonnullos Doctores in ratione puræ omissionis imputari possit ad culpam, supponit tamen positivum Intellectûs Judicium objecti cum indifferentiâ repræsentativum, atque importat formaliter actûs carentiam interpretativè, ac indirectè voluntariam eatenus imputabilem, quatenus posset, ac deberet Voluntas elicere actũ oppositum.

Ad ejusmodi proinde actum sive ab intelle- 14.
ctu duntaxat; sive etiam à Voluntate elicitum, quem consequitur malitia, seu privatio rectitudinis debitæ, concurrit Deus per actionem tum Immanentem Decreti sui Divini, tum transeuntem motionis creaturæ rationali impressæ, & ab istius actione indistinctæ. In hoc autem suo concursu

cursu tum immanente ex ratione Causalitatis infallibiliter inferente liberũ creati arbitrij exercitium; tum transeunte ratione identitatis realis inseparabili à creaturæ intellectualis operatione Deus hoc ipso exercet suum judicium, quòd uta-
15. tur Dominio primæ Causæ. Ex isto adeò jure, etsi Deus posset creaturas omnes relinquere otiosas sine cujuscumque actionis exercitio, congruit tamen Divinæ Providentiæ, ejusque suaviori Causarum secundarum exigentijs magis attemperato modo secundùm cujusvis creaturæ innatam virtutem providere de concursu ex parte sui tanquàm Causæ primæ requisito ad actuale facultatis operativæ exercitium. Unde etiam fit, Concursum Dei, etsi quà immanens in ratione Causalitatis inferat infallibiliter motionem Dei transeuntem ab Entitate actûs peccaminosi indistinctam, neque formaliter contrahere malitiam, neque esse fundamentum etiam remotum moralis malitiæ.

16. Probatur istud assumptũ. Hæc enim malitia formaliter importat privationem Justitiæ, seu rectitudinis debitæ. ex S. Anselmo *in Concord. de præscient.* & Augustino, & Damasceno. *ubi supra.* At fundamentum hujus privationis nequit esse actio, quatenus procedit ex rectâ ratione, seu ex Jure, ac Dominio Primæ Causæ fundante ut sic Justitiam, & Judicium. Oportet igitur, actionem, per quam à creaturâ rationali datâ in sensum reprobum, fiunt, quæ non conveniunt, esse Malitiæ fundamentum proximum respectu illius duntaxat agentis liberi, quod contra rectam rationem sine Jure, ac Dominio absoluto operatur.

17. Hic autem operandi sine jure absoluti Dominij modus supponit hoc ipso defectibilitatem, ratione cujus creatura rationalis est ita per libertatem suam ordinabilis ad internam Primi Intellectivi Legem, ut tamen ab hâc possit eo ipso deficere, quòd actus eius liberi non habeant sibi identifi-
18. catam honestatis Regulã. At sicut ista cum omnimidi Voluntatis Divinę actûs primâ honestate, seu Sanctitate identitas est in Deo ex ratione actûs puri, seu ratione Essendi à se, sic illa cum primâ Honestate identitatis negatio convenit actibus liberis creaturæ rationalis ex eo, quòd sit de nihilo. In quo adeò sensu accipi potest, quod supra diximus, creaturæ rationalis de nihilo creationem importare rationem defectibilitatis, quæ sit radicale fundamentum Malitiæ Moralis re-
19. sultantis ex ejusdem liberâ actione. Hoc autem radicale fundamentum induit proximæ malitiæ radicem ex ipso actionis non tendentis in motivum honestum exercitio.

Cùm proinde motio Dei transiens licèt indistincta ab actione creaturæ rationalis peccaminosâ, nequeat esse Deo volita, & voluntaria, nisi in ordine ad suæ Sanctitatis motivum omninò indistinctum à Voluntatis Divinæ Decreto, consequens est, Entitatem peccaminosi actûs ita esse ex Deo quà Causâ Efficiente, ut tamen non sit ab ipso quà deficiente, nec ut sic fundare privationẽ rectitudinis debitæ, atque adeò Deum non facere in illâ peccatum, sed Judicium ex Jure, ac Dominio Primæ Causæ ita procedens, ut formaliter quà Voluntarium reducatur in Divinæ Sanctitatis Motivum. Unde S. Anselmus *in cit. concord. præscient. & prædest.* dixit: *Posse quidem dici, prædestinationem Dei non tantùm esse bonorum, sed etiam malorum, Deum tamen in omnibus Voluntatibus & operibus bonis facere, & quòd essentialiter sunt, & quòd bona sunt: in malis, verò non quòd mala sunt, sed tantum quòd per Essentiam sunt.*

Ad Argumentum *n. 1.* oppositum

Respondetur; Singulariter notandum esse, quòd Concilium Arausicanum negat, Deum ex se prædefinire peccata: hoc enim loquendi modo insinuari, radicem peccati tum remotam, tum proximam non esse ex Deo, sed ex creato arbitrio. Nam ratio peccati non est reducibilis nisi in illam Causam, cui malitia, seu privatio rectitudinis directè vel indirectè Voluntaria est. At eo ipso, quòd Deus concurrens cum creato arbitrio ad Entitatem actûs peccaminosi jure, ac Dominio primæ Causæ utatur per Voluntatis suæ Divinæ Decretum in ratione Motivi formalis habens sibi identificatam Primam honestatis regulam, nequit rectitudinis privatio Primæ honestati opposita directè vel indirectè esse voluntaria Deo. Ergò Deus ita prædefinit Entitatem actûs paccaminosi, quin Voluntate Divinâ, atque adeò Causalitate suâ attingat etiam indirectè ejus malitiam. 20.



ARTICULUS VI.

De

Ideis DEI.

Etsi D. Thomas specialem de Ideis Divinis Ordine decimam quintam moverit quæstionem, visum tamen est, eam innectere Quæstioni de Scientiâ Dei, quòd illæ importent vel formalem Divini Intellectûs actum rerum ad extra effectivum, vel ejusdem objectum sive Primarium, sive secundarium, prout patebit *cont. secundâ.* Ex simili adeò ratione huc transferemus S. Doctoris *quæstionem 26. de Beatitudine Dei*, maxime, cùm ex Scoto *in 1. dist. 35. q. vn. n. 13.* erit occasio dubitandi, *Qualiter mens non tantùm creata, sed etiam Divina constituatur Beata per visionem Idearum.* 1.

Nomen porrò *Idea* Græcum significat rei effectibilis formam exemplarem primam, & Originale: Unde Causalitas ipsius à S. Thoma *5. Metaph. lect. 2.* reducitur ad rationem formæ extrinsecæ. Nam forma teste eod. S. Doctore *3. de Verit. a. 1.* potest tripliciter accipi. 1. Quatenus ab ipsâ rei à se efficiendæ formatrice procedit effectus; quo modo non habet rationem Ideæ, cùm in causis maximè æquivocis non sit necessarium, effectum pertingere ad completam formæ agentis rationem. 2. Prout est constitutiva rei, hanc formando per sui communicationem formalem, & Causalitatem intrinsecam, quo modo nequit participare nomen Ideæ, cùm istud significet formam separatam ab eo, cujus est forma. 3. Igitur sortitur rationem formæ, ad cujus imitationem formatur aliquis effectus, quo modo ipsi convenit habere rationem Ideæ, ut hæc adeò definiri possit Forma exemplaris, ad cujus similitudinem aliquid constituitur, seu quam imitatur aliquis effectus. Cujus proinde Idealis, seu Exemplaris formæ Causalitas comparatur ad forma- 2.

formalem speciem, seu intrinsecam effectûs ideati formam, quatenus ista est imitatio, & derivatio ab Ideâ, tanquàm formâ principali seu Ideali. At ista in effectu ideato imitatio importat rationem habitudinis ad ideam tanquàm mensuram extrinsecè specificativam. Hæc autem extrinseca effectûs ideati specificatio eatenus procedit ab ideâ, quatenus ex hâc tanquàm primâ Regulâ derivatur forma, ideati intrinsecè & formaliter specificativa. Ergo idea in ratione formæ imitabilis ita comparatur ad ideatum, ut hoc non formaliter specificet per sui intrinsecam communicationem, sed mediante duntaxat formâ seu speciâ se exemplatâ rei ideatæ intrinsecè constitutivâ, & formaliter specificativâ. Ergo Causalitas idealis dat specificationem per modum formæ duntaxat extrinsecæ, non autem intrinsecæ.

3. Causalitas idealis potest sub aliquo respectu etiam reduci ad causam Efficientem, Divo Dionysio, *de Div. Nom. c. 5.* & S. Augustino *12. de Civit. c. 25.* attestantibus, *Ideas Divinas esse effectrices creaturarum.* Nam advertente Ioanne à S. Thomâ *ad præs. q. 15. disp. 1. a. 1. n. 27.* ad ideam pertinet non tantùm intelligibilis formatio, seu repræsentatio ideati, sed quatenus ab artifice formatur ex intentione ponendi aliquid in Esse, confert ad rei ideatæ executivam extrà causas positionem. At causalitas efficientis respicit existentiam, seu positionem rei extra Causas. Ergò Idea quatenus Intellectui formanti, ac determinanti Veritatem ideati deservit, ita refertur ad Causam formalem, ut ad Causam quoque Efficientem reduci possit, quatenus Voluntati & intentioni artificis deservit ad rem executioni mandandam, D. Thomâ *cit. a. 1.* asserente, *Artificem accipere ab Ideâ formam, quâ agit.*

4. Etsi Causalitas finalis diversa sit ab Ideali, quòd hæc sit quædam ideæ in ideatum expressio imitativa, illa verò consistat in allicientiâ appetitûs. Nihilominùs idealis Causalitas quatenus artifex in opere suo intendit Exemplaris à se formati imitationem, secundùm Doctorem Angelicum *in fin. a. 1.* induit rationem Finis; manente tamen inter illas Causalitates formali distinctione, eò quòd idealis causatio importet imitationem ideæ ab intellectu formatæ, ac mediante Voluntatis executione expressæ in ideato. Quæ proinde exemplaris imitativa in exemplato expressio est tantùm Materiale finalis Causalitatis eidem superinductæ, quatenus sub ratione pulchri, seu Boni alliciendo appetitum Voluntatis, movet ad sui prosecutionem.

CONTROVERSIA I.

Utrum Ideæ Creaturarum sint in mente Divinâ?

1. PLato Ideas primus appellâsse perhibetur teste D. Augustino *lib. 83. quæst. 46.* ubi tamen addit, non esse verisimile, nullos ante Platonem fuisse Sapientes, quibus essent cognitæ res illæ, quas Plato vocans Ideas, statuebat esse principales rerum creatarum, creandarumque rationes æter-
2. nas, & incommutabiles, contentas in mente Divinâ. *ex cit. q. 46. circ. finem.* Ex quo videtur evinci sententia Hurtadi *Metaph. disp. 5. sect. 1. §. 2. & aliorum apud Caramuelem, Metalogiæ lib. 4. disp. 8. in initio* affirmantium; Aristotelem Magistro suo imposuisse, asserendo, Platonem, statuisse Ideas, quæ essent substantiæ à singularibus separatæ, realiter, ac per se subsistentes. Verùm consideranti ea, quæ Plato *tom. 3. in Timæo. & de animâ Mundi*: Item *in Parmenide junctis Serrani notis*, tradit, patebit; Divinum illum Philosophum distinxisse *Ideam Primam, & Secundam*, atque illius nomine intellexisse Dei architectricem mentem rerum omnium causam: ex quâ fluxerint Ideæ secundæ, sive species creatæ finitæ cum Primâ Ideâ id habentes commune, ut sint unum, quod tamen unum in speciebus sit à se ipso, individua verò existant ex secundis Ideis accipientibus à primâ Ideâ ceu Causâ primariâ omnem potestatem, vi cujus efficiant, ut res singulares subsistant. Quibus adeò discussis, ipsemet judica, An non ex sententiâ Platonis subsistat, tum quòd una Idea, nimirum Prima sit in Mente Divinâ, veluti D. Augustinus *cit. q. 46. de Platone recensuit*: tum quòd altera Idea, nempe secundà ex mente Divinâ derivata sit per se existens, ex qua subsistat singulare, uti Aristoteles *lib. 3. Metaph. à tex. 10.* & D. Thomas. *1. p. q. 15. a. 1.* Item *q. 84. a. 1. de eod. Philosopho Divino retulit.*

CONCLUSIO.

IN mente Divina oportet esse Ideas rerum omnium creatarum effectrices.

Probatur. Vel oportet effectus creatos à Casu accidere, vel omnia fieri ex necessitate Naturæ, 3.
vel esse in mente Divinâ Ideas rerum creatarum effectrices. At neque Primum continens errorem Epicureorum; neque secundum complectens Epidonis opinionem, subsistit cum fide, & verâ Philosophiâ.

Major & Minor probantur argumento Angelici Doctoris *q. 3. de Verit. a. 1.* Ex hoc ipso, quòd 4.
videamus Cursum Naturæ uniformi ordine, ac modo progredi; evincitur; effectus naturales non esse à Casu. Atqui ipso, quòd effectus non sit à Casu, est ab agente habente sibi præstitutum determinatum finem, hæc autem finis determinatio, ac præstitutio quandoque fit ab ipso agente, velut in Causis Intellectualibus, quandoque verò agens determinatur ab alio superiori Intellectu præstituente finem, velut operatio Agentis naturalis, quod secundùm veram Philosophiam non tam agit, quàm agitur in finem, præsupponit Intelligentiam Ordinatricem naturæ in finem, ratione cujus ordinationis opus naturæ dicitur opus Intelligentiæ. At hunc Intellectum res creatas in suos fines ordinantem in causando universalem oportet esse infinitum, & Primum, tum ne detur processus in infinitum, tum quòd ejus vis, & Causalitas se possit extendere ad infinitam multitudinem effectuum creabilium, & Causarum creatarum in suos fines ordinabilium. Ex hoc ipso autem, quòd iste primus Intellectus ordinet agentia in fines à se præstitutos, oportet habere in se rerum omnium creatarum Ideas. Probatur istud assumptum argumento D. Thomæ *1. p. q. 15. a. 1.* In omnibus, quæ non à Casu generantur, necesse est, formam esse finem generationis. Agens autem non agit propter formam,

nisi

nisi in quantum similitudo formæ est in ipso. At ista formæ faciendæ similitudo potest esse in Agente vel secundùm Esse Naturale, velut in Causis naturalibus, vel secundùm Esse intelligibile, velut in Causis Intellectualibus. Ex hoc ipso autem, quòd ea, quæ agunt ex necessitate Naturæ, non prædestinant sibi finem, oportet, agentia Naturalia determinari in finem ab Agente superiore Intellectuali. Ergo in hoc primo Intellectuali agente oportet rerum à se factibilium, & in finem determinatum ordinabilium esse formas, seu similitudines secundùm Esse intelligibile. At forma ejusmodi, ac secundùm Esse intelligibile rei faciendæ similitudo est Idea, quam definit S. Doctor *cit. 4. t. de Verit.* quòd sit forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem. Constat igitur, in Primi Intellectûs mente Divinâ esse rerum creatarum Ideas, ad quarum similitudinem, & imitationem ordinantur in fines à Voluntate Divinâ determinatos ac præstitutos.

5. Dices, Divinum Dionysium *lib. de Divin. Nom. c. 5.* & D. Thomam *ibi lect. 3.* affirmare, quod Ideæ seu Exemplaria in Deo sint existentium rationes substantificæ singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat & Divinas, & bonas Voluntates existentium prædeterminativas, & effectivas, secundum quas supersubstantialis Essentia omnia prædefinivit, & produxit. Ex quo patere, Ideas rerum creatarum non tam in mente, seu intellectu, quàm in Voluntate Divinâ statuendas esse.

6. Contra. Nam Idea advertente Doctore Angelico *cit. q. 15. a. 3. in Corpore. & ad 2.* duo importat, nimirum rationem rerum factibilium repræsentativam, & Exemplar, ceu principium factionis rerum in tempore faciendarum actu effectivum. Inter has verò Divinas formalitates ea est differentia, quòd ratio rerum factibilium sit secundùm rationem nostram antecedens præfinitiones Divinæ Voluntatis, cujus in effectibus ad extra statuendis, ac ordinandis est directrix. At verò ratio exemplaris quà repræsentativa rei in Esse facti est ratione nostrâ consequens præfinitionem Divinæ Voluntatis, ex cujus motione habet efficaciam Causalitatis effectricis. Hæc proinde ratio exemplaris *specificativè* considerata, prout habet rationem efficientiæ & Causalitatis Deo intrinsecæ rerum ad extra effectricis, formaliter involvit non tantùm Divinam Visionis Scientiam, sed etiam Voluntatis Decretum præfinitivum, at *reduplicativè* quà Exemplar formaliter importat rationem rei ad extra producendæ repræsentativam in Esse facti: quam Divin. Dionysius *ubi sup.* rationem substantificam, id est substantiæ factricem, seu formatricem appellat. Quare Exemplar, seu Idea in Deo solùm radicaliter, ac præsuppositivè dicit Voluntatis Divinæ præfinitionem, priùs enim oportet à Deo esse præfinitum, quo modo, & in quem finem aliquid sit faciendum, quàm ut sub isto modo in Esse facti sit repræsentatum, atque adeò ideatum in Intellectu Divino. Ergò Idea formaliter est in Primo Intellectu, etsi secundùm quod habet rationem Exemplaris rerum repræsentativi in Esse Facti importet *præsuppositivè* Voluntatis Divinæ præfinitionem.

7. Confirmatur ex illo Ioan. *1. Quod factum est, in ipso, scilicet Verbo, vita erat.* Ex hoc namque cum S. Augustino *ibid. tract. 1.* ita licet argumentari. Terra, quæ facta est, non est vita. Ergò in Verbo æterno eatenus erat Vita, quatenus in ipsâ Sapientiâ spiritualiter erat ratio quædam, quæ terra facta est. At hæc vita Verbo non per Voluntatem, sed per Intellectum procedenti appropriata connotat actum Mentis, non Amoris Divini. Illa ergò ratio, secundùm quam Terra in Verbo erat vita, quæque secundùm eund. Augustinum *cit. lib. 83. quæstionum. q. 46.* est Idea, est in mente, seu Intellectu, non autem in Voluntate Divinâ.

CONTROVERSIA II.

In quo consistat ratio Ideæ Divinæ.

Scotus *in 1. dist. 35. n. 12* existimat, Creaturas quoad Esse objectivum, sive secundùm rationem Intellecti, & sic non quoad Esse simpliciter, sed quoad Diminutum, seu intelligibile Esse in æternitate productum, habere in Intellectu Divino rationem Idealem. 1. Probatur. Idea describi potest ex S. Augustino, quòd sit *ratio æterna in Mente Divinâ, secundùm quam aliquid est formabile extra, ut secundum propriam rationem ejus.* At sicut arca in mente artificis potest dici ratio respectu arcæ in materiâ, estque propria ratio, secundùm quam arca in materiâ formatur: sic lapis à Deo intellectus est factibilis extra, estque ratio propria sui quà physicè producti: hanc autem Lapidis quà intellecti à Deo rationem oportet hoc ipso æternam esse, quòd habeat Esse objectivum, & intelligibile in mente Divinâ, in quâ nihil potest non esse incommutabile ac æternum. Ergò lapidi quatenus cognito à Deo & ut sic secundum Diminutum seu intelligibile Esse existenti in Divino intellectu convenit ratio idealis.

Suarez *lib. 3. de Attrib. Dei c. 5. n. 6.* tenet, 2. ipsummet Verbum Divinum, seu formalem conceptum Essentialem, quem Deus habet de creaturis ut possibilibus esse in Deo Ideam. Fundamentum est, Idea nihil aliud est, quàm Exemplar artificis, cui opus suum facit conforme. At Deus non intuetur extra se aliquid, ut ad illius imitationem operetur, cùm ratio agentis perfectissimi exigat habere in se totam vim efficiendi sive Exemplarem, sive productivam. Oportet igitur, Ideam in Deo esse formam intrinsecam rerum ad extra efficiendarum repræsentativam per modum imaginis. Hoc autem non convenit Essentiæ Divinæ, nisi in ratione formalis conceptûs, quem habet de creaturis. Ille ergò conceptus formalis, seu Verbum Dei Essentiale, ut repræsentat creaturas factibiles, est Idea, juxta illud ad *Hebr. 11. Fide intelligimus, aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

Vasquez *præs. disp. 72. c. 1. & 2. à. n. 7.* sententiæ proximè deductæ fundamentum ex D. 3. Bonaventurâ *in 1. dist. 35. a. 1. q. 1.* confirmat sequenti discursu. Triplex excogitari potest similitudo. Prima participationis univocæ; cujusmodi nulla est creaturæ ad Creatorem. Secunda Imitationis secundùm perfectionem duntaxat analogicam, cujusmodi est Sapientiæ creatæ comparatæ ad Divinam. Hæc autem si respectu il-

lius

lius haberet rationem Ideæ, sequeretur, sicuti imitatio in ratione Essendi est tantùm secundùm quid: sic rationem & Causalitatem idealem consistentem in illa Essendi imitatione esse in Deo imperfectam. Tertia igitur Similitudo est repræsentationis secundùm expressionem objecti in hujus specie, vel cognitione. Hæc autem similitudo tantò est perfectior, quantò species seu intellectio rei expressior, & magis propria est. At Essentia Divina perfectissimo modo, & ad vivum proprio, & quidditativo conceptu res intelligit eas repræsentando in se ipsâ tanquàm cognitione, & specie expressâ creaturarum.

Hæc autem speciei creaturarum expressivæ ratio ita habet rationem Verbi Essentialis Tribus Personis communis, ut tamen approprietur Filio, qui ex Notione propriâ est Verbum Personale ex vi suæ generationis habens formaliter sibi communicatam Essentiam Divinam quà speciem cujusvis etiam creatæ Veritatis expressivam. Unde D. Thomas *1. p. q. 45. a. 7.* ait, Filio Dei, cùm procedat per intellectum, vi suæ generationis convenire rationem principij, per quod facta sunt omnia. Ista igitur similitudo repræsentationis secundùm omnis à Deo factibilis creaturæ expressionem, conducit, ut Deus aspiciendo ad suam Essentiam faciat creaturam instar illius, quoad expressionem, ac repræsentationem. At Idea est forma exemplaris, quam artifex aspiciens instar illius aliquid aliud operatur. Patet igitur, Essentiæ Divinæ, quatenus est Verbum Essentiale tribus personis commune seu creaturarum in se ipsâ expressiva species, convenire rationem Idealem.

4. Franciscus Amicus *disp. 13. à n. 12.* ponit aliquam rationis distinctionem inter Ideam, & Exemplar, asserendo, istud in Deo esse Essentiam Divinam ut actu cognitam; Illam verò esse Divinam Essentiam quà speciem expressam, & actualem similitudinem creaturarum. Fundamentum est Exemplar est primum Directivum in aliud non reducibile. Idea verò est immediatum, & proximum Directivum in aliud reducibile. Unde quia Exemplar non debet Intellectum proximè determinare ad opus producendum, non est necesse, ut cum opere producendo univocè conveniat. At verò de ratione Ideæ est proximè determinare artificem ad consimile opus producendum, nequit autem determinare Idea, nisi per id, quod intentionaliter continet. Ergò debet in repræsentando intentionaliter habere univocam continentiam Ideati: Atqui Divina Essentia quà creaturas eminenter continens ita est Primum in aliud non reducibile Directivum effectionis creaturarum, ut tamen ista ratio Directivi includat etiam cognitionem dictantem de opere sic & sic effigiando, ut ad instar exemplaris præconcepti producatur. Ergo Essentia Divina non præcisè sumptà, sed quà cognita respectu creaturarum à Deo producibilium habet rationem proximi Exemplaris. Atqui Essentia Dei neque ut cognita habet univocam convenientiam cum creaturis in repræsentando. Oportet igitur, rationem Idealem convenire Essentiæ Divinæ, quatenus est vitalis imago expressa & intentionalis similitudo creaturarum. Hæc autem ratio compeit Essentiæ Divinæ, prout est species expressa, seu Verbum Essentiale creaturarum repræsentativum. Ergò ut sic habet rationem Ideæ.

Nicolaus Ysambertus Sorbonicus ad *præs. q. 15. disp. un. a. 2. prop. 3.* Ideæ in formalem, & objectivam distinctione positâ, asserit; Essentiam Dei ut objicitur Divinæ cognitioni, quatenus est imitabilis à creaturis, convenire rationem Ideæ objectivæ: at Divinæ cognitioni terminatæ ad Essentiam Dei quà imitabilem, ut in se tanquàm objecto primario repræsentativam Modi singulas creaturas producendi, competere rationem Ideæ Formalis. Ratio est tum conciliandi S. Thomam cum D. Bonaventurâ, quorum prior *præs. q. 15. a. 3. & 1. contra gent. c. 54. nec non de Verit. q. 3. a. 2.* docet; Essentiam Divinam obtinere rationem Ideæ, prout est imitabilis à creaturis: Posterior autem *in 1. dist. 35. a. 1.* asseritur docuisse; Essentiam Divinam prout est formalis de creaturis conceptus, ad cujus imitationem Deus ad extra operatur, esse Ideam. Tum ex sequenti fundamento. Etenim ad rationem Ideæ totaliter & complete consideratæ requiritur, quòd sit forma intelligibilis repræsentans formali similitudine opus suum faciendum, quòdque in exequendo tali opere dirigat per sui inspectionem ipsum operantem. At Essentiæ Divinæ quatenus est Idea objectiva, neque competit esse formalem similitudinem operis à Deo ad extra faciendi, neque ut sic formaliter dirigere, sed ista ratio Directivæ, & formalis similitudinis convenit actuali cognitioni, quam Deus quà agens per Intellectum habet de suâ Essentiâ. Econtra verò eadem Dei Essentia prout est cognitio & formalis Idea non dirigit *ut quod*, sed tantùm *ut quo*. Idea autem importat id, ad quod respicit artifex in faciendo opere; adeòque debet dirigere *ut quod* seu quà cognitum. Constat igitur, rationem completam Ideæ consistere in Essentiâ Divinâ non quà præcisè est *ut quod* imitabilis à creaturis, sed prout habet rationem conceptûs formalis, seu cognitionis creaturarum in se tanquàm primario objecto cognoscibilium, & ad instar sui producibilium.

6. Thomistæ ex Doctore suo Angelico *superiùs* adducto, Ideam constituunt in Essentiâ Divinâ quà cognitâ non absolutè in se, sed comparativè ad creaturas secundùm sui ab istis imitabilitatem. ex Ioan. à S Thomâ *cit. disp. art. 2. n. 2.* Gonet. *to. 2. disp. 6. a. 1. post notab. 5. & concl. 3. & alijs communiter.*

Conclusio.

Idea Dei formaliter consistit in Essentiæ Divinæ imitabilitate, cui per ejusdem Essentiæ Divinæ intellectionem expressæ per modum objecti secundarij respondet passiva creaturarum imitabilitas, habens rationem Ideati & attracti. tum quoad statum possibilitatis per scientiam simplicis Intelligentiæ; tum quoad statum Existentiæ actualis per Scientiam Visionis.

7. Probatur. Ex hoc, quòd Essentia Divina sit purissimus Essendi actus, est consequens, habere

 intel-

intelligibilitatem summæ immaterialitatis. Ex hâc autem summæ immaterialitatis intelligibilitate, seu purissimo in ordine tam existentium, quàm intelligibilium actu est, Divinam Essentiam esse speciem Intelligibilem, & objectum per formalem Identitatem specificativum Divinæ omnium creaturarum cognitionis. At creaturæ habent Esse intelligibile in mente Divinâ secundùm sui speciem intelligibilem formaliter specificativam cognitionis de se habitæ ab Intellectu Divino. Veluti hæc patent ex D. Thoma *q. 14. ab art. 1. usque ad 5.* Ergo Essentia Divina est ratio, per quam creaturæ in Intellectu Dei habent Esse intelligibile. At idea est rei faciendæ forma in agente per Intellectum præexistens secundùm esse intelligibile, ex eod. S. Doctore *præs. q. 15. a. 1.* Ergò Idea in Deo est Divina Essentia, quà in Esse intelligibili præcontinens creaturas ad extra factibiles.

8. Dices. Esse intelligibile creaturarum in Essentiâ Divinâ esse ipsummet Dei Esse Eminentiale, quòd per purissimam sui actualitatem virtualiter præcontinendo omnes Essendi formalitates, est hoc ipso ad extra participabile. Hoc autem Esse Dei Eminentiale non nisi analogicè esse à creaturis imitabile. At de ratione Ideæ perfectæ esse, ut sit imitabilis secundùm omnem formalitatem in ratione Ideali repræsentatam. Ergò Essentiæ Divinæ Esse intelligibile quà in ratione tum objecti specificativi, tum in ratione speciei intelligibilis etiam expressæ præcontinens Eminenter Esse creaturarum non esse in Deo Ideam. Oportere igitur, Esse formale creaturarum secundariò tantùm, ac terminativè objectum Divinæ Intellectioni, in eâque ut sic repræsentatum esse Ideam Dei, sicut enim arca objectivè in intellectu artificis existens habet imitabilitatem omnimodæ formalitatis taliter repræsentatæ; sic creaturarum Esse non Eminentiale, sed formale quà objectivè existens in Mente Divinâ habere perfectam omnimodæ formalitatis taliter expressæ imitabilitatem. In quo adeò sensu Platonem Ideas posuisse ipsas rerum quidditates, habentes Esse cognitum in Intellectu Divino, ex Scoto. *cit. dist. 35. n. 12.*

9. Contra. Nam illa ratio non est prima Idea, ad quam supponitur forma intelligibilis, ex quâ ut sic ratio illa est imitabiliter derivabilis. At secundùm subtilem quoque Doctorem quidditates creaturarum non ita sunt in Intellectu Divino, ut hujus esse possint objectum Motivum, ac specificativum. Unde ipsa Essentia Divina tanquàm Esse Dei formale, & Esse creaturarũ Eminentiale est Divinæ rerum creabilium Intellectionis objectũ Motivum specificativum, ac earundem in Deo species intelligibilis. At ista species intelligibilis creaturarum Eminentiale Deo secundùm purissimam actualitatem formaliter inexistens per omnimodam Intellectûs, Intellectionis & Intellecti identitatem realem ita constituit in Esse actualiter intellecti, ac expressi, ut consequenter per istam Esse Eminentialis expressionem actualem formale creaturarum Esse secundùm rationem creatæ quidditatis sit objectivè, non autem formaliter in Intellectu Divino. Consequens igitur est, creatarum quidditatum in Intellectu Divino Esse objectivum derivari ex earundem Esse Eminentiali in ratione Esse intelligibilis actualissimi Divino Intellectui per formalem sui expressionem inexistente. Ergo Esse creatarum quidditatum objectivè existens in mente Divinâ est reducibile in formam priorem intelligibilem: Hæc autem forma importans formaliter Esse Eminentiale creaturarum est ab his imitabile, quatenus earum Esse intelligibile, seu Esse objectivum in Intellectu Divino non subsistit, nisi per derivationem intelligibilem ex illo esse Eminentiali actualiter intellecto. Etsi proinde istud Esse Eminentiale non sit ab ullâ creaturâ, imò à totâ etiam collectione creaturarum secundùm omnes formalitates imitabile, nihil tamen obest, quò minùs perfectam Ideæ rationem habeat.

Confirmatur 1. Nam hujus perfectio solùm exigit, ne in Ideato ulla sit formalitas non expressa in ratione ideali. At illud Esse Eminentiale per sui actualissimam intelligibilitatem in ratione tam objecti specificativi, quàm speciei, imò actualis etiam Intellectionis est omnis ad extra creabilis formalitatis ita expressivum, ut ex hoc ipsi vel maximè conveniat, quòd D. Augustinus *serm. 38. de Verb. Dom.* dixit de Verbo Dei, esse *formam non formatam, sed omnium formatorum.* Cùm igitur quidditates creatæ existentes objectivè in Mente Divina sint reducibiles in priorem formam intelligibilem, ex quâ earum passiva imitabilitas secundùm Esse intelligibile derivatur, consequens est, illas quidditates sive sint per se subsistentes, sive objectivè in Mente Divina existentes, non esse primas Ideas, sed rationem primæ Ideæ convenire Essentiæ Divinæ, quatenus secundùm Esse creaturarum Eminentiale sibi formaliter inexistens habet activam ad extra imitabilitatem in se intelligibiliter expressam, & ut sic fundantem passivam creaturarum quidditatum imitabilitatem in Mente Divinâ repræsentatam, uti etiam ex Platone *præced. conc. 1. n. 2.* constare potest. 10.

Confirmatur 2. Sicuti in ordine ad cognoscendas creaturas aliquando existentes se habent ad Intellectum Divinum præfinitiones Divinæ, seu voluntates rerum existentium prædeterminativæ, ac effectivæ, sic in ordine ad quidditates creatas in puræ possibilitatis statu intelligendas se habet Esse Eminentiale creaturarum formaliter inexistens Divinæ Essentiæ. At Dei Intellectus penetrando suam prædefinitivam rerum existentium Voluntatem, format intelligibiliter, ac repræsentat res creatas in esse facti secundùm rationem passivæ factionis. Unde Scientia Visionis in Deo huic prædefinitivæ Voluntati tanquàm objecto Motivo, ac specificativo innitens, habet pro formâ intelligibili hanc ipsam Divinam Voluntatem, quâ supersubstantialis Essentia omnia prædefinivit, ac produxit. Hæc autem Divina rerum existentium præfinitio quà forma intelligibilis realiter identificata Essentiæ Divinæ Intelligibilitatis, nec non Scientiæ Visionis formaliter identicè specificativa est illa ratio substantifica, quam Divinus Dionysius *c. 5. de Divin. Nom. & ibid.* S. Thomas *Lect. 3.* vocant Exemplar rerum existentium. Pari ergò ratione Essentia Divina quà Eminenter continens Esse creaturarum, quatenus est forma intelligibilis motiva, & formaliter identicè specificativa simplicis creatarum quidditatum Intelligentiæ est rerum creandarum ratio, quam cum S. Augustino *cit. lib. 83. quæst. q. 46.* 11.

q. 46. in fin. vocare licet Ideam, sive formam sive speciem.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

12. AD Scoti *n. 1.* propositum Respondetur. Ex mente ejusdem subtilis Doctoris *in 1. dist. 36. n. 10.* quidditatem creatam ex hoc esse possibilem, & ad extra factibilem, quòd habeat Esse Intelligibile in mente Divinâ. Ergò primam rationem rei ad extra factibilis esse formam illam, per quam est ab intellectu Divino intelligibilis. At secundùm eundem Doctorem non esse Essentias creatas per se primò intelligibiles ab Intellectu Dei, sed per Essentiæ Divinæ Intelligibilitatem tanquàm objectum Motivum, ac specificativum. Ergò possibilitatem quidditatum creatarum ex mente Scoti reduci debere in priorem formam intelligibilem, vi cujus quà intellectæ sint ab Intellectu Divino formabiles creatæ Essentiæ. Non has igitur, quà objectivè existentes in mente Divinâ, sed ipsam Essentiæ Dei intelligibilitatem quà Divinæ creaturarum Intellectionis specificativam, & ut sic rerum ad extra factibilium in Esse intelligibili formativam habere in Deo rationem primæ Ideæ.

13. Ad Suarezij *n. 2.* Oppositum Respondetur. Verum esse, quòd Idea in Deo sit forma intrinseca rerum ad extra efficiendarum per modum Imaginis repræsentativa. Hanc verò rationem Imaginis quà imitabilis ad extra *ut quo* importare formalem Dei Intellectionem, *ut quod* verò Intelligibilitatem Divinæ Essentiæ. Nam Idea est ratio rerum ad extra faciendarum. Ex hoc hoc autem sunt res ad extra factibiles, quòd sint intelligibiliter in Deo: Ratio autem, per quam sunt res creatæ à Deo intelligibiles, est Divinæ Essentiæ Intelligibilitas tanquàm Motiva, ac specificativa Divinæ creaturarum Intellectionis, nec non in ratione formæ intelligibilis expressiva, & actualissimè repræsentativa rerum creatarum. Ergò ratio primæ Ideæ consistit in Essentiâ Divinâ, quatenus per sui intelligibilitatem actualissimam formaliter realiter identificatam Intellectioni creaturarum, harum est expressiva, & imitabilis ab illis. Ergò completæ Ideæ ratio in Deo ita importat tum Essentiæ Divinæ Intelligibilitatem, tum actualem in hâc creaturarum Intellectionem, ut ista dici possit Idea *ut quo*, illa verò *ut quod*.

14. Ad Vasquezij *n. 3.* oppositum Respondetur ex D. Bonaventura *cit. q. 1.* Ideam esse rationem cognoscendi: hanc verò se habere aliter in nobis, aliter in Deo. Cùm enim Intellectus noster non sit actus purus, sed respectu cogniti sit passibilis, ideò fit in actu per aliquid cogniti, quod est hujus similitudo accepta & expressa ab intrinseco. Unde in nobis ratio cognoscendi est illa similitudo, cognitum verò est Veritas. At in Deo ratio cognoscendi est ipsa Veritas, & cognitum est similitudo Veritatis, scilicet creatura. Oportet igitur, Ideam in Deo esse ipsam primam Veritatem summè expressivam, & ut sic cogniti perfectissimè assimilativam assimilatione cognitioni competente. Ex

15. quo S. Bonaventuræ discursu patet, Ideam in Deo esse primam Veritatem, quatenus est ratio cognoscendi, & ut sic assimilandi cognitum assimilatione competente cognitioni. At ratio cognoscendi creaturas est ipsa Divinæ Essentiæ intelligibilitas habens ut sic rationem primæ Veritatis, quæ hoc ipsò, quòd sit actus purus, est actualissimè expressiva sui, omnisque in se contenti objecti. Ergo Essentiæ Divinæ Intelligibilitas quatenus per realem formalem Identitatem est ipsa Divini Esse creatas quidditates eminenter continentis repræsentativa Intellectio; est ut sic creaturarum expressiva, & assimilatione repræsentationis assimilativa, habens ut sic in Deo rationem Verbi Essentialis. Hoc proinde Verbum Intelligibilitatis Divinæ creaturas Intellectui Dei proportionantis, & sic in Esse intelligibili constituentis per formalem realem identitatem expressivum importat formalem rationem primæ Veritatis tum formalis *ut quo* imitabilis, tum objectivæ *ut quod* imitabilis à creatis Essentijs: Ergo sub ratione primæ Veritatis formalis est Idea *ut quo*, sub ratione autem primæ Veritatis objectivæ est Idea *ut quod*.

Ad Amici *n. 4.* Oppositum Respondetur: 16. Essentiam Divinam quà cognitam actu ab Intellectu Dei in ratione suâ formali importare Intelligibilitatem actualissimam intellectione formaliter realiter sibi identificatâ expressam. Sub hac autem consideratione Essentiam Divinam ita habere rationem objecti cogniti, ut formaliter sit species expressa sui *primariò*, creaturarum autem in eminentiali earundem continentiâ *secundariò* repræsentativa. Hæc autem actualissima creaturarum in sui Eminentiali Deo formaliter inexistente continentiâ expressio est rerum creatarum in repræsentando ita assimilativa, ut nulla in rebus creatis sit excogitabilis formalitas, quin hæc per illam rationem sit expressa, & repræsentata. Hæc proinde creatarum Essentiarum in Esse Dei Eminentiali Intelligibilis actualissima expressio habet rationem Verbi Dei Essentialis importantis formaliter primam veritatem tum objectivam, tum formalem: quæ adeò prima Veritas objectiva per se ipsam actuata, & ut sic habens rationem Veritatis quoque formalis, ita est rerum creandarum Idealis ratio, ut in ordine ad res aliquando existentes actu habeat rationem Exemplaris, ex S. Thom. *præs. q. 15. a. 3.*

Ad Ysambertin *5.* Oppositum Respondetur. 17. Illam Doctrinam cum Fundamento ibi deducto haud displicere, nisi quòd S. Bonaventuram, & D. Thomam in præsenti puncto minimè discordantes nitatur reducere in concordiam. Nam ex D. Bonaventurâ *superiùs* adducto patet, formalitatem Ideæ Divinæ per ipsum statui in primâ veritate, quatenus est ratio cognoscendi, & assimilandi creaturas. At istam rationem esse Divinæ Essentiæ Intelligibilitatem ex se actualissimam, atque adeò in suo Eminentali creaturarum Esse non tantùm objectivè, sed sub ratione formalis actualis expressionis repræsentativam rerum ad extra faciendarum, constat ex deductis. In hâc verò Divinæ Essentiæ Intelligibilitate creatas quidditates in Esse Intelligibili proportionato Divino Intellectui, consti-

stituente, ac per se ipsam actuata, quatenus Esse non tantùm Eminentialis Divini, sed etiam formalis creaturarum proprij, formaliter actualiter est expressiva, secundùm mentem D. Tho. consistere Ideam Divinam colligitur ex dictis *in probat. ad Conclusionem*, potestque firmari argumentis per Ioan. à S. Tho. *praes. disp. 1. à n. 15.* adductis. Consequens proinde est, Divos Bonaventuram, & Thomam Aquinatem non re, sed modo tantùm loquendi inter se differre.

COROLLARIUM.

18. INfertur. 1. Ideas in Deo non realiter, sed ratione duntaxat ratiocinatâ cum fundamento in re plurificari, ita quidem, ut respectus rationis, secundùm quos multiplicantur Ideæ Divinæ, Fundamentaliter ab Intellectu Divino, Formaliter autem ab Intellectu duntaxat creato causentur. Ratio est. Nam Idea in Deo est Essentia Divina, quà imitabilis ad extra. Hæc autem imitabilitas Divinæ Essentiæ est derivabilis in creaturas secundùm formam intelligibilem. Ista verò forma intelligibilis est formaliter ipsum Esse Divinum Eminenter & Causaliter præcontinens omnes effectus ad extra factibiles, eosque ut sic in Esse objectivo Intelligibili proportionans, seu uniens Divino Intellectui, imò constituens illos actualiter in Esse expressi, seu intentionaliter repræsentati per Divinam Intellectionē. At ista ratio creaturarum in Deo expressiva, earumq; cum Divino Intellectu in Esse objectivo Intelligibili unitiva est à parte rei unica indivisibilis formalitas Intellectionis increatæ, in objecto suo secundario repræsentans intentionaliter plures syncategorematicè infinitas quidditates, ac realitates ad extra factibiles in uno simplicissimo Dei Esse tum realiter Eminenter, tum intelligibiliter repræsentativè inclusas, secundùm suas tam Essentialitatis, quàm Intelligibilitatis proprias rationes. Consequens adeò est, Divinæ Ideæ rationem, quæ teste D. Thomâ *praes. a. 3.* in se *formaliter* unica est, *terminativè* ex parte objecti, seu termini sui importare plures in infinitum factibiles quidditates, ac existentias creaturarum.

19. Hæc autem Entitatum creatarum distinctio eatenùs radicatur in ratione Ideali, quatenus ipsa Divina Essentia diversimodè imitabilis est principium, & Causa pluralitatis rerum à Deo factibilium. ex S. Thoma *in 1. dist. q. 2. a. 2. ad 3.* At ex hoc ipso, quòd Essentia Dei quà cognita à suo Divino Intellectu sit principium diversitatis creaturarum, oportet in Divino Intellectu considerare quandam distinctionem, & pluralitatem rationum intellectarum. ex eod. S. Doct. *de Verit. q. 3. a. 2. in Corp. & ad 6. & in 1. cont. gentes cap. 54. circa finem.* Hæc autem distinctio rationum Intellectarum in Deo est, secundùm quod in intellectu Divino comparante Essentiam suam ad res in infinitum multiplicabiles est propria diversorum ratio *ex loc. proximè cit.* Unde fit consequens, quòd pluralitas rationum Idealium, sive respectus, quibus in Deo multiplicantur Ideæ, non causentur a rebus Ideatis, sed ab Intellectu Divino, comparante Essentiam suam ad res creatas. ex Angelico Doctore *praes. a. 2. ad 2.* Ista

20. vero respectuum Idealium causatio est ab Intellectu Divino, non quà formante, sed fundante respectus ejusmodi. Ex hoc enim, quòd Divinus Intellectus suam Essentiam per Eminentialem omnis formalis respectûs, ac dependentiæ exclusivam comparationem sub absolutissima Essendi perfectione comparet ad res creatas tanquàm istarum pluralitatis eminentiale principium, Intellectus noster ex ipsâ Dei Essentiâ ut sic à Deo cognitâ sumit fundamentum distinguendi Ideas, seu rerum ad extra factibilium rationes Divinas. Constat igitur, Ideam Divinam ita esse in se unicam Divinæ Essentiæ Eminentialem Formalitatem, ut tamen ratione nostrâ ratiocinatâ sit multiplicabilis, fundamento hujus pluralitatis se tenente in Dei Eminentiâ, atque hujus Divinâ Intellectione, habente ex se ipsâ formalitatem ideandi ac formandi unumquodque ideatum secundùm rationem suam propriam, ac singularum quidditatum differentias specificas, & individuales exprimendi, ac discernendi. Unde fit, quòd respectus, secundùm quos multiplicantur Ideæ, in Intellectu Divino sint *fundamentaliter ab æterno, etsi formaliter* non sint nisi per ratiocinatam creati Intellectûs rationem; uti pluribus tradit Ioannes à S. Thom. *cit. disp. 1. a. 2.*

Infertur 2. Mala formaliter sub ratione Mali, seu defectûs non habere Ideam in Deo. ex S. Thoma *cit. q. 15. a. 3. ad 1.* Ratio est. Quia Idea in Deo est forma imitabilis expressiva in Intellectu formalitatis ex Essentiâ Divinâ participabilis. At hoc ipso, quòd Esse sit effectus Dei proprius, nihil est à Deo participabile nisi sub ratione Essendi. Unde quia materia prima separata à formâ nec habet Esse, nec consequenter secundùm se cognoscibilis est, negat S. Doctor *cit. a. 1. ad 3.* habere in Deo diversam Ideam ab Idea compositi. At verò Malum formaliter importat defectionem ab Essendo, quod proinde non per propriam rationem, sed per rationem Boni duntaxat à Deo cognoscitur. Unde Idea nec secundùm quod est exemplar, nec secundùm quod est ratio in Intellectu Divino, est in ordine ad malum. 21.

Infertur 3. Respectu purè possibilium Deum habere Ideam, non actu, sed habitu tantùm practicam: cui inest propria Idealis ratio. ex S. Th. *de Verit. q. 3. a. 6. & praes. a. 3.* Ratio est, quia Idea est intelligibilis formatio rei arte faciendæ. Hæc autem formatio intelligibilis potest in objecto suo repræsentare vel modum duntaxat rei faciendæ de possibili, vel ipsam factionem passivam. At prior formationis ratio in Intellectu Divino est respectu illorum duntaxat, quæ purè possibilia sunt, in ordine ad quæ datur cognitio non actu, sed virtute tantùm practica: posterior autem se habet ad illa, quæ *executivè* per Voluntatis Divinæ propositum sunt in tempore producenda, respectu quorum est in Deo cognitio actualiter practica, *exercitè* effectrix rei Ideatæ. Datur igitur respectu purè possibilium propria Idealis ratio non actu, sed habitu practica. 22.

Infertur 4. Verificari dictum S. Augustini *in lib. 83. quæst. q. 46. circa finem* asserentis: Visione Idearum Divinarum Beatissimam fieri Animam, atque adeò Mentem etiam Divinam. Ratio est: Cùm enim Beatitudo sit perfectum Intellectualis naturæ bonum, Deus autem secundùm omnem perfectionis gradum habeat Naturam Intellectualem simpliciter perfectam, oportet Beatitudinem maximè convenire Deo. ex S. Tho. 23.

1. p. q.

1.p.q.26.a.1. At perfectissimum in Intellectuali Naturâ, ejusque adeò Beatitudo est intellectualis operatio, secundùm quam capit quodammodo omnia. Ex hoc ipso autem, quòd Esse Dei omnem non tantùm simpliciter simplicem, sed à Creaturis cum potentialitate participabilem perfectionem formaliter aut eminenter continens sit suum Intelligere, est consequens, quòd per Intellectionem suæ Divinæ Essentiæ, Deus capiat omnia, atque adeò hæc ipsius Essentiæ perfectio non tantùm sit Beatitudo objectiva, sed etiam formalis habens in se sub ratione Eminentiali omnem etiam creatam fælicitatem, ex eod. S. Doctore. cit. q.26. a.2.3.&4. Atqui Idea Divina est Essentia Divina per suam actualissimam Intelligibilitatem actualiter formaliter expressiva non tantùm sui, quà in se perfectissimè subsistentis, sed quà imitabilis secundùm quaslibet quidditates ad extra formabiles, ac producibiles. Ergò per Visionem Ideæ suæ Mens Divina est formaliter Beatissima.

Motûs, & Quietis principium. At sub ratione proximæ potentiæ se habet ad naturam substantialem per modum proprietatis ex eâ connaturaliter emanantis. Est igitur in omni substantiâ naturalis ad Bonum & Finem sibi proportionatum appetitus, qui est tum radicale, tum proximum Motûs, & Quietis connaturalis
4. principium. At verò in hoc differunt Naturæ cognoscitivæ à non cognoscitivis, quòd istæ, non illæ sint coarctatæ ad formam suam, sed moverese possint ad illarum rerum formas intra se intentionaliter, ac taliter recipiendas, ut Intellectus intelligendo fiat omnia. Hæc igitur aliarum formarum per vitalem Intellectûs motionem in Esse repræsentativo intussusceptio intentionalis, cùm sit propria naturæ Intellectualis perfectio vel adæquat proportionem, seu capacitatem hujus Naturæ, & tunc ad eam consequitur affectio Quietis: vel si non sit satiativa Intellectualis Naturæ, consequens est, ex ipsâ excitari motum tendentiæ ad ulteriorem sui perfectionem. At ista tendentia importat motum præsuppositivum cognitionis repræsentantis objectum quà conveniens Naturæ Intellectualis. Iste verò motus est vitalis actio elicita à Naturâ Intellectivâ. Hanc ipsam verò vitalem in Bonum seu Finem naturæ Intellectuali congruum
5. motionem, vel in eodem fine, qua satiativo Quietem vocamus appetitum elicitum. At iste appetitus elicitus vel se habet per modum actionis emanantis ex aliquo priori principio: atque tunc appetitum rationalem supponit tanquàm Principium ex prævià cognitione elicitivum illius actionis. Vel appetitus ille elicitus habet se per modum per se subsistentis, atque tunc velle est ipsum Esse subsistens. Hoc autem nequit esse in Naturâ Intellectuali, nisi cujus Intelligere est suum Esse, quod solius Dei proprium est. Ergò ex hoc, quòd Deus sit Intellectivus, est consequens, esse Volitivum, & ex eo, quòd ejus Intelligere sit suum Esse, sequitur velle ipsius esse suum Esse.

Responsio ad opposita Argumenta.

6. AD Vasquezij *n. 1.* Oppositum Respondetur. Doctorem Angelicum inter appetitum innatum in rebus naturalibus, & appetitum rationalem in Naturâ Intellectuali faciendo quandam proportionem non obscurè insinuare illud demonstrativum principium, *quòd cuivis substantiæ per modum innati appetitus inexistat principiū motûs & quietis.* Sub hâc autem majori subsumere hanc Minorem, *quòd, cum natura intellectualis sit sui perfectiva per aliarum formarum in Esse repræsentativo intussusceptionem intentionalem, debeat circa istam perfectionem in illâ Naturâ esse appetitus elicitus vel tanquàm Motio ulterioris perfectionis prosecutiva, vel Quies satiativa.* Quo supposito in vi demonstrativæ argumentationis inferri, *quòd in natura intellectuali, quæ non est purus Essendi actus, detur appetitus elicitus per modum actionis emanantis ex potentiâ appetitivâ: in Natura verò Intellectuali, cujus Esse est suum immanens Operari detur Velle per modum Esse per se subsistentis.* Ex quibus adeò patere, illam Divi Thomæ ratiocinationem non esse solius congruentiæ, sed demonstrativam.
7. Ad 1. Arriagæ *n. 2.* Oppositum Respondetur. Ex dictis constare, quòd in Naturâ Intellectuali admittendus sit appetitus circa Bonum per prævìam cognitionem repræsentatum tanquàm Motio, & Quies, quæ important actionem sive elicitam à potentià appetitivâ, sive per se subsistentem.

Ad 2. Ejusdem Authoris Respondetur. Arriagam invertere quidditatem Naturæ Intellectualis, & novam Chimæricam in scholas inducere, dum ait, Appetitum Naturæ cognoscitivæ proprium non esse in omni Intellectivo volitivum, vel dari posse Intellectivum non Volitivum, uti etiam probat Amicus *præs. disp. 14. sect. 1. n. 3.* 8.

Ad 3. Respondetur. Si Arriaga exhibere possit substantiam, cujus natura non sit principium Motûs & Quietis, tunc nos ipsi credituros, quòd non omni formæ substantiali (circa quam utpote Naturam procedit D. Thomæ argumentatio) inexistat appetitus elicitivus Motionis & Quietis vel naturalis, ac physicæ, vel Intentionalis ac volitivæ. Neque verò ex hoc sequi processum in infinitum, cùm tandem deveniatur ad unam formam infinitam, seu actum purum, qui est omnis etiam intrinseci appetitûs seu Voluntatis per suum Esse satiativus. 9.

CONTROVERSIA. II.

An in Voluntate Divinâ sit formalitas, quæ ad Voluntatem Dei Essentialem à parte rei non formaliter, sed virtualiter ab ipsâ distinctam se habeat instar actûs Primi, seu potentia volitiva.

ARriaga *cit. disp. 24. sect. 2. n. 7.* docet: Intellectionem Divinam esse actum primum Volendi non solùm ratione nostrâ, sed etiam virtualiter. Fundamentum est, quòd Intellectio Divina distincta Virtualiter à Volitione, sit virtuale Volendi principium. Probatur istud fundamentum. Natura Divina prioritate rationis non tantùm ratiocinantis, sed etiā ratiocinatæ fundata in distinctione Virtuali antecedenter ad volitionem constituitur per ipsum Intelligere Dei, seu per Intellectualitatem in actu primo. Est autem de ratione Naturæ esse principium operationis: Ista autem operatio se habet ad suum principium tanquàm actus secundus. At non est alia in Deo operatio Intellectioni Divinæ quà principio respondens, nisi Volitio Divina. Hæc igitur ad illam ceu actum primum, seu principium virtuale se habet instar actûs secundi. 1.

Non esse in Deo ex parte rei conceptæ, sed quoad modum duntaxat concipiendi potentiam Volitivam respectu Essentialis Volitionis, tradunt Ferrariensis *2. cont. gent. c. 10.* Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo uno. disp. 16. c. 4.* Amicus *cit. sect. 1. n. 1.* Ioannes à S. Thomâ *q. 19. disp. 4. a. 2.* Gonet *cit. tom. 3. disp. 1. art. 1. §. 1. concl. 2.* Labat *præs. disp. 6. dub. 1. §. 1.* Dominicus de Marinis *hic art. 2. c. 2.* 2.

Conclusio.

EO ipso, quòd Voluntas Divina sit actus purus in Essendo, ac Volendo per se subsistens, non est in Deo assignabilis 3.

ulla

ulla formalitas, quæ sub distinctione etiam virtuali secundùm rationem objectivè præcisam dici possit actus primus, seu potentia volendi.

Probatur. Potentia activa est principium agendi in aliud. ex Philosopho. *5. Metaph. tex. 17.* Ergò in Deo non est formalitas activæ potentiæ nisi ad alterum, D. Thomâ *2. cont. gent. c. 10.* attestante, *Potentiam importare respectum ad alterum in ratione principij.* At voluntas Divina non est altera respectu Volitionis Essentialis, sed tantùm respectu Facti, seu Effectûs ad extra: Sicuti Volitio Notionalis activa in Patre, & Filio est altera respectu Volitionis Notionalis passivæ, seu processionis Spiritûs Sancti. Ergò Voluntas Divina non habet rationem potentiæ respectu Volitionis Essentialis, sed ad extra duntaxat respectu objecti, & effectûs creati; sicuti Volitio quoque Notionalis activa habet rationem principij re-
4. spectu Spiritûs Sancti, veluti S. Doctor *cit. c. 10. cont. gent.* docet hisce verbis. *Si aliquæ actiones Deo conveniant, quæ non in aliquod factum transeant, sed maneant in Agente, respectu horum non dicitur in Deo potentia, nisi secundùm modum Intelligendi, non secundùm rei Veritatem: Hujusmodi autem actiones sunt Intelligere, & Velle: Potentia igitur Dei propriè loquendo non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus: Intellectus igitur, & Voluntas in Deo non sunt ut potentiæ, sed solum ut actiones.*

5. Dices: In signo rationis liberam Voluntatis Divinæ determinationem antecedente, posse Voluntatem Dei cum fundamento in re intelligi cum indifferentiâ ad libera Decreta: hanc verò indifferentiam esse potentiam volendi, vel nolendi. Ergò ratione nostrâ ratiocinatâ esse in Deo intelligibilem aliquam formalitatem, cui respectu Volitionis essentialis conveniat ratio potentiæ.

6. Contra est. Quòd illa volendi ac nolendi indifferentia in voluntate Divinâ sit Logica duntaxat, nec adeò habeat rationem Potentiæ. Probatur istud assumptum. Nam in præfato rationis signo antecedente intelligitur Essentia Divina in se subsistens, actualissima, & infinita: Ex hâc autem Essentialitate actualissimâ est, quòd per se ipsam sit forma intelligibilis habens actualissimum Esse repræsentativum in Intellectu Divino, ut sic per se formaliter Motivum, atque adeò sub actualissimâ, simplicissimâ formalitate suâ specificativum & constitutivum Volitionis suæ Divinæ. Sub ista adeò formalitate est in Deo voluntas virtualiter, & secundùm præcisionem objectivam in aliquo rationis signo antecedens Decreta libera. In hoc autem priori signo verè, & cum fundamento in re concipi potest Voluntas Dei cum indifferentiâ Logicâ ad Velle seu Nolle suum intrinsecum, & cum indifferentiâ physicâ ad effectus extrinsecos. Illa verò Logica indifferentia in eo sita est, quòd Esse Divinum tam in ratione Essendi, quàm sub ratione objecti Motivi Volitionis suæ identicè formaliter specificativum eam habeat Essendi Eminentialitatem, cui per realem formalem identitatem actualissimè possit convenire amor ac determinatio libera rei à se volitæ ad extra effectrix. Ejusmodi verò potentia per realem formalem identitatem habendi formalitatem aliquam, hoc ipso est logica, non autem physica, quòd ista sit ad alterum, ejusmodi verò inter Voluntatem Divinam, ejusque liberum Decretum alteritas excludatur per rationem actûs puri secundùm realem formalem identitatem habentis in se omnem formalitatem si-
bi inexistentem. Illa proinde potentia Logica 7.
etsi componi queat cum negatione, vi cujus *pro illo signo, in quo Deus decrevit producere mundum, dicere liceat, non esse in Deo nolitionē de creatione mundi.* Nihilominus ista de creando mundo negatio nolitionis non est physica, cùm hæc importet negationem Esse physici: in Deo autem illud ipsum Esse, quod est volitio creandi mundi, subsisteret, licèt noluisset creare mundum. Consequens proinde est, in Deo esse potentiam, ac Indifferentiam duntaxat Logicam, non autem physicam respectu liberæ Volitionis, seu Nolitionis.

Replicabis. Etsi ratio actûs puri importet omnis Deo inexistentis formalitatis realem formalem in Essentiâ suâ identitatem, cum hâc tamen in Voluntate Dei per Essentiam suam quà actualiter Motivam, & formaliter identicè specificativam constitutâ stare virtualem respectu liberæ effectûs creati volitionis distinctionem. Ergò ratione hujus virtualis distinctionis posse Voluntatem Divinam se habere tanquàm virtuale principium, seu potentiam in actu primo elicitivam liberi circa creaturas Decreti. 8.

Contra. Nam Voluntas Dei essentialiter est actus propensionis sub Esse intelligibili Essentiæ Divinæ per seipsum expresso & ut sic per actualissimam Bonitatis in se repræsentatæ allicientiam Motivo, formaliter identicè specificatus. Hic autem actus eò ipsò potest determinari ad objecta etiam creata, quòd ista sint derivabilia ex Essentiâ Divinâ propensionis illius motivâ, & formaliter identicè specificativâ. Ergò ratio terminationis ad effectus creatos potest in Voluntate Dei intelligi consequens Divinæ Essentiæ Volitionem, in quâ subsistit prima Voluntatis Divinæ ratio. Unde verum quidem est, quòd inter volitionem Dei quà specificatam ab Essentiâ suâ Divinâ, & quà terminabilem ad 9.
objecta creata sit distinctio virtualis: Hæc ta- 10.
men virtualis distinctio importat prioritatem, & posterioritatem duntaxat Logicam, non autem physicæ causalitatis, seu realis alicujus emanationis. Si ergò quis contendat, *quòd Volitio Dei per Essentiam suam in ratione appetibilis actualiter Motivam, & formaliter identicè specificativam constituta, sit principium Virtuale, seu potentia in actu primo elicitiva liberi circa effectus creatos Decreti*; in ipsis terminis committitur contradictio, eò quòd *ly virtuale* supponat realem formalem Decreti liberi cum Volitione Divinæ Essentiæ identitatem: hæc autem realis identitas tollat eo ipso rationem actûs primi, ac principij, nec admittat nisi rationem potentiæ Logicæ. Ergo in Voluntate Divinâ nec virtuale Volitionis Essentialis principium admitti debet, nisi per hoc intelligatur potentia Logica, vi cujus per realem formalem identitatem potest esse in Deo liberæ circa objectum creatum Volitionis ratio & formalitas.

(IHS.)

Respon-

Responsio ad fundamenta opposita.

11. AD fundamentum *n.1.* oppositum ejusque probationem Respondetur. Intellectionem Divinæ Essentiæ habere in Deo formalitatem Naturæ sub ratione actualitatis purissimæ ac per se subsistentis operationis, non autem sub ratione principij: hoc enim quatenus secundùm Philosophum est constitutivum Naturæ, debet esse physicum in substantiâ vivente immanenter operativum Motûs, & Quietis: Repugnat autem Deo, nisi quoad processiones Notionales inesse realis physicæ emanationis principium. Etsi proinde Intellectio Essentiæ Dei quà constitutiva Naturæ Divinæ virtualiter sit distincta à Volitione, hæc ipsa tamen virtualis distinctio importans realem formalitatum identitatem excludit formalitatem principij physici, nec stare potest cum ratione potentiæ nisi logicæ, prout non ex parte rei, sed juxtà nostrum intelligendi modum duntaxat potest concipi Volitio emanare ex Intellectione Divinâ. At ista
12. emanatio Logica nihil aliud importat, quàm Volitionis ex Intellectione illationem fundatam taliter in Eminentiali Intellectionis, ac Volitionis, nec non potentiæ Volitivæ creatæ continentiâ, ut hæc ipsa tamen Eminentialis formalitatum in creatis distinctarum continentia in Deo per formalem realem illarum inter se identitatem sit ex parte objecti exclusiva unius ab alterâ emanationis, atque adeò illius Logicæ processionis ratio involvat duntaxat actuum rationis nostræ inter se distinctionem ac præcisionem, seu unius ex alio deductionem. Constat igitur, Velle Dei non esse talem actum, qui designet processionem ab aliquo principio; nec adeò respectu Volitionis Essentialis posse salvari in Deo rationem potentiæ, nisi secundùm nostrum duntaxat Intelligendi, ac significandi modum; uti clarè asserit D. Thomas *1. p. q.14. a. 4. ad 3.*

COROLLARIUM.

13. INfertur. Qualiter Velle Dei sit Esse Divinum, atque ut sic constitutivum Essentiæ & Naturæ Divinæ. Nam 1. cùm omnis formalitatis Divinæ non sit nisi unicum simplicissimum purissimæ actualitatis Esse, consequens est, Esse Dei ita esse Transcendentaliter inclusum in formalitate Divinæ Volitionis, ut illud sit hujus Essen-
14. tia. 2. Sicuti tamen ratio Veri includit essentialiter rationem Essendi, quin ista Metaphysicè importet rationem Veri: siquidem in secundo dicendi modo per se ita prædicetur proprietas de subjecto, ut istud sit de ejus Essentiâ, non verò econtra. Sic ratio Volitionis non est Metaphy-
15. sicè, seu ratione nostrâ ratiocinatâ formaliter de Essentiâ & Naturâ Dei. Cujus fundamentum est Virtualis tum Essendi formalitatis, tum Intellectionis Dei quà Naturæ distinctio à formalitate Volitionis Divinæ. At in quantum est distinctio, in tantum unum est extra aliud. Etsi proinde Essentia Dei ex naturâ rei formaliter includat omnem formalitatem sibi inexistentem, atque adeò hæc plena Dei perfectio, & purissima in omni perfectionis simplicis ratione actualitas Simplicissima ex Naturâ rei formaliter sit de Essentiâ Dei, extra hujus tamen quà Essentiæ formalitatem à parte rei virtualiter, & consequenter ratione nostrâ ratiocinatâ formaliter est formalitas tam Intellectionis, quàm Volitionis Divinæ; sicuti hujus quoque rationem esse virtualiter distinctam à formalitate Intellectionis demonstrat processio Spiritûs Sancti, quæ est per Volitionem, non autem per Intellectionem. Patet igitur, Volitionem Divinam à parte rei virtualiter, & ratione nostrâ ratiocinatâ formaliter seu Metaphysicè secundùm conceptus nostros objectivos non esse de Essentiâ & Naturâ Dei. Verùm de his egimus ex instituto *sup. q. 2. a. 2. cont. 2. & 3.*

ARTICULUS II.
DE
Objecto Divinæ Voluntatis.

HOc Articulo continentur, quæ D. Thomas *præs. q.19. a. 2. 3. & 5. nec non sequentis q. a. 2. 3. & 4.* exposuit.

CONTROVERSIA. I.

Quodnam sit objectum Formale Motivum ac Terminativum Divinæ Voluntatis?

DIfficultas prima movetur ex S. Thomâ: Nam illud, quod est volitum tanquàm finis, est movens Voluntatem. *in 1. dist. 45. q. 1. a. 2. ad 3.* At Deus alia à se non vult, nisi propter finem, qui est sua bonitas. Hæc igitur sola est finis movens Divinam Voluntatem. *ex loco proximè citato.* Contra quod tamen militare videtur, tum quia finis est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem. *ex 1. cont. Gent. c. 86.* Hæc autem ratio volendi Deo non est sua tantùm Bonitas, sed cùm bonum particulare ordinetur ad Bonum Totius, sicut ad finem, oportet Universi Bonum esse quoque finem, & rationem, quare Deus vult unumquodque bonum particulare in Universo. *ex proximè cit. c. 86.* Tum quia Finis est causa volendi. *ex 1. cont. gent. c. 87.* At cùm Deus unico simplicissimo actu velit omnia in suâ Bonitate, ejus voluntatis nulla prorsus est causa. *ex 1. p. q. 19. a. 5.* Quomodo ergò subsistit, Bonitatem Dei, eamque solam esse voluntatis Divinæ Finem Motivum. 1.

Xantes Mariales *tom. 3. suæ Biblioth. cont. 14. c. 1.* cùm Divinæ Voluntati assignâsset rationem aliquam volendi, non verò Causam Finalem; tandem *c. 4. circa medium* distinguit illam volendi rationem, ita ut respectu Voluntatis Divinæ alia sit formalis Motiva ipsius actûs volendi, alia verò sit ratio Finalis Terminativa ex parte Volitorum; quarum prior sit sola Bonitas Divina; posterior autem possit esse creata respectu alterius objecti creati à Deo voliti. Explicatur & probatur ex D. Tho. *præs. a. 1. ad 1. & ad 3.* Item *1. cont. gent. c. 86. & 87.* Nam si quæ Divinæ Voluntatis esset Causa Finalis, ista non 2.

esset, nisi Bonitas increata, implicat enim aliquid Divinorum causari à creato tanquàm Causâ etiam Finali. At Bonitas Increata ita est Finis Divinæ Voluntatis, ut hæc sit ipsa Dei Essentia, per quam Deus est Bonus Essentialiter, atque ut sic finis suæ Volitionis. Cùm proinde causa importet distinctionem à causato, consequens est, Bonitatem Dei Increatam ita esse finem, atque adeò rationem Finalem Motivam suæ Divinæ Voluntatis, ut tamen non sit ejusdem Causa Finalis, nisi secundùm nostrum intelligendi modum. Hæc autem finalis motiva Divinæ Voluntatis ratio in eo differt à ratione finali ex parte Volitorum Terminativâ, quòd ista non sit movens Voluntatem ad volendum, sed tantùm habilitans volitum minus principale, ut in gratiam sui sit volitum. At universum habilitat Elementa, ut in gratiam sui Constitutionis sint volita, terminentque Divinam Volitionem. Unde Universum est ratio volendi *passivè* ex parte volitorum, nō autem *activè* ex parte volitionis activæ Divinæ.

3. Vasquez *præs. disp. 28. c. 1. n. 3.* importat, quòd aliquod creatum possit Divinæ voluntati ita esse ratio volendi alteram creaturam, ut illa tamen ratio se non teneat ex parte volitionis *activè* sumptæ, sed ex parte duntaxat voliti. Nam rem aliquam esse volitam à Deo propter aliam, proinde esse, ait ille Author, ac si diceretur, Deum velle rem aliquam propter aliam. Unde *seq. c. 2.* infert, etiamsi Deus velit unam rem creatam esse propter aliam, non tamen velle unam propter aliam, sed velle omnia creata propter suam Bonitatem, & sic inter objecta creata nullum esse rationem Deo volendi aliud, sed solam suam Bonitatem esse rationem per modum Finis volendi reliqua. Ratio ex eodem Authore *n. 8.* ita deduci potest. De Divinâ Voluntate philosophandum est instar humanæ. Huic autem ratio volendi non est, nisi Finis, qui sub ratione Boni honesti, aut Delectabilis est gratiâ sui appetibilis. Medium autem, ac Bonum utile quà tale sicuti non est propter se expetibile, sic non habet rationem volendi. At omnia creata comparantur ad Deum ut Media, cujus adeò sola Bonitas increata est Finis. Ergo hæc duntaxat potest Divinæ Voluntatis esse ratio Volendi.

4. Huic Vasquezij doctrinæ extremè opponitur Arriaga *to. 1. in 1. p. disp. 24. à n. 30.* docens, Deum posse amare creaturas ut finem *Cui*, sed posse se ipsum amare propter creaturas, ut propter Finem *Qui*. Fundamentum est. Tum quia ex Fidei principijs constat, amorem spei esse honestum moraliter. At in hoc amat homo sibi Deum. Ergò etiam Deus potest se amare homini. Tum quia Deus potest amare suam Omnipotentiam, quà Utilem ad benefaciendum homini. Probatur istud Assumptum. Nam Omnipotentia sub istâ ratione est bona. At Deus potest se amare sub omni ratione, sub quâ Bonus est. Cùm igitur Deus amare possit suam Omnipotentiam quà Utilem ad bene faciendum homini, consequenter potest se amare propter creaturam, ut propter Finem *Qui*.

5. Huc reduci potest, quod idem Arriaga *cit. disp. 24. à n. 58.* tradit: Actus Divinæ Voluntatis posse ex parte nostrâ habere Causam Moralem. Probatur. Nam causa Moralis est, quæ prævisa movet ad volendum aliquid. At Bona opera nostra prævisa movent Divinam Voluntatem ad decernendum nobis præmium, sicuti mala econtra opera movent Deum ad decernendam pœnam: hæc autem bonorum & malorum nostrorum operum motio tangit non tantùm præmij, aut pœnæ objectum creatum, sed attingit ipsum Divinæ Voluntatis actū, alliciendo Deum, ut habeat istum actum, siquidem omnis causa Moralis in tantum causet effectum externum, in quantum Bonitate, aut malitiâ suâ excitat Volitionem, à quâ procedit ille effectus. Consequens igitur est, objectum aliquod creatum posse Divinæ Voluntatis esse Motivum quoad ipsam Dei volitionem intrinsecam.

Confirmatur. Vis meritoriè motiva inest Bonis in Gratia elicitis operibus nostris, tum ratione Bonitatis moralis propriæ, & ex creatâ Sanctitatis forma in ea derivatæ, tum ratione Honestatis, quatenus fundant honestatem justitiæ, ex quâ intuitu meritorum Deus sit præmij Debitor. At non illa duntaxat bonorum nostrorum operum sive propria, sive derivata ex Sanctitate creatâ merentis Honestas est quid creatum, sed oportet etiam Honestatem Motivam Justitiæ, quà virtutis Moralis specificativam esse Bonitatem moralem creatam. Consequens igitur est, in creatis dari objectum Motivum, ac specificativum alicujus Divinæ Volitionis. 6.

Conclusio.

Etsi bonitas aliqua creata possit esse ratio Finalis ex parte Volitorum Terminativa Divinæ Voluntatis, sola tamen Increata Divinæ Essentiæ Bonitas potest Volitionis Divinæ quoad hujus formalem intrinsecam Terminationem esse objectum formale.

Explicatur, & Probatur. Sicuti forma dat intrinsecè speciem, sic objectum formale est specificativum actûs ad se terminati. Est autem specificatio alia Causalis, velut objectum Motivum Intellectûs sub specie suâ propriâ impressum, seu intelligibiliter repræsentatum efficienter movet Intellectum, seu efficit, ac efficiendo determinat quidditativam sui Intellectionem. Similiter objectum Motivum Voluntatis ab hac distinctum in vi Causalitatis finalis alliciendo movet Voluntatis actum ex motione suâ Finali determinando ad certam actionis speciem. At si actus aliquis Divinus sub formalitate suâ intrinsecâ à formâ aliquâ creatâ per causalitatem sive Finalem sive Efficientem specificaretur, esset talis Divinæ formalitatis quoad rationē suam intrinsecam aliqua dependentia à formâ creatâ. Hoc autem repugnat rationi Essendi quà Divinæ. 7.

Nequit ergò ullus Divinæ Voluntatis actus causaliter specificari à Bonitate aliquâ creatâ. Atqui præter hanc Causalem specificationem superest Formalis: Hæc verò aliquandò est secundùm commensurationem actionis cum aliquo termino seu objecto. Ista verò Commensuratio importat intrinsecam actionis habitudinem ad objectum, seu Terminum tanquàm mensuram determinativam illius quoad specificam & essentialem perfectionem. Atqui nullius Divinæ formalitatis potest aliquid extra Deum esse mensura, sed 8.

ra, sedè converso Essentia Divina secundùm activam suam imitabilitatem omnis ad extra perfectionis ex se derivabilis repræsentativa, ejusque voluntas universæ creatæ Formalitatis, & actualitatis definitiva ac determinativa, nec non scientia Visionis cunctarum creaturarum quoad Esse actuale expressiva habet rationem primæ mensuræ, ad cujus Normam seu rationem Idealem, ac Exemplarem omnis extra Deum perfectionis Essentia, & Existentia conformatur, & secundùm passivam suam imitabilitatem commensuratur; ut adeò universæ creaturæ sit essentialis, ac intrinseca habitudo Commensurationis ad Esse Divinum, non econtra sit formalitatis alicujus Divinæ ad ullum Terminum, seu objectum creatum relatio seu habitudo Commensurationis. Si proinde objectum aliquod possit actûs Divinæ Voluntatis esse specificativum, oportet illam specificationem esse in ratione formæ intrinsecè constitutivæ non per informationem, cùm ista arguat potentialitatem actûs puri exclusivam, sed per identitatem realem formalem. At per
9. se notum est, hanc Divini actûs specificationem non posse ulli objecto creato convenire: Sicut ergò solius Essentiæ Divinæ habentis purissimam Intelligibilitatis actualitatem ut sic identicè formaliter importantem actualem sui intellectionem, est per realem formalem identitatem specificare intellectionem Dei increatam; sic ejusdem Essentiæ Divinæ quà in Intellectione Dei expresè habentis ut sic appetibilitatem actualissimam, est specificare Volitionem Divinam, hanc movendo non per causalem aliquam motionem, sed per formalem realem cum illâ identitatem, attestante D. Thomâ *præs. q. 19. a. 1. ad 13. Objectum Voluntatis Divinæ esse Bonitatem suam, quæ est ejus Essentia. Unde cùm voluntas Dei sit ejus Essentia, non moveri ab alio, sed à se tantùm, eo loquendi modo, quo Intelligere, & Velle dicitur Motus. Et secundùm hoc dixisse Platonem, quòd primum Movens moveat seipsum.* Cùm igitur sola Essentia Divina, seu Bonitas increata possit Voluntatis Dei esse specificativa; objectum autem formale oporteat esse specificativum, consequens est, nullam creatam Bonitatem posse Volitionis Divinæ esse objectum formale.

Responsio ad opposita Argumenta.

10. AD *n. 1. & 2.* ex D. Thomâ, & Xante Mariali propositum Respondetur. Ex ijs, quæ iste Author solidè deduxit, clarum esse, qualiter subsistat; solam Dei Essentiam esse Voluntati Divinæ Finem, seu rationem Volitionis Divinæ Motivam, atque specificativam; & tamen unum Bonum creatum posse Voluntati Divinæ non quoad actum volitionis, sed ex parte Volitorum esse rationem volendi aliud Bonum creatum. Hæc enim ratio volendi se tenens præcisè ex parte volitorum, nihil aliud est, quàm ratio habilitans, sub quâ alterum Bonum creatum applicatur ad Divinæ Essentiæ Bonitatem Increatam, cujus tanquàm Finis Voluntatem Divinam per se moventis intuitu sub ratione Boni creati habilitantis, seu ad Voluntatem Dei, ejusque Bonitatem applicantis amatur illud alterum Bonum creatum. At ejusmodi rationem alterius Boni creati applicativam ad Dei Bonitatem increatam, ejusque Voluntatem Divinam, inveniri in rebus creatis, patet tum ex *1. cont. gent. c. 86.* tum ex eo, quòd SS. Patres, atque Doctores, cur Deus velit hunc, vel illum effectum, v. g. Filij, non autem Patris, seu Spiritûs Sancti in hoc potiùs, quàm alio tempore ex Matre de stirpe Adæ Incarnationem, assignent rationes, seu congruentias se tenentes non tantùm ex parte Dei, sed objectorum creatorum. Consequens igitur est, unum objectum creatum posse esse rationem alterius voliti habilitantem, seu applicantem ad Divinam Voluntatem, atque ad hujus Finem, seu Objectum Motivum, etiamsi ratio Finis Volitionem Divinam Moventis, ac specificantis non possit esse nisi Essentia Divina, quæ per formalem Identitatem specificando Voluntatis Divinæ actum, est hujus causa non realis, sed secundùm nostrum duntaxat intelligendi modum, uti Ferrariensis *in cit.* S. Doctoris *cap. 86. cont. gent.* demonstrat.

Ad Vasquezij *n. 3.* Oppositum Respondetur. Ipsum falli asserendo, rem aliquando esse volitam à Deo propter aliam, perinde esse, ac si diceretur, Deum velle rem aliquam propter aliam. Nam ista posterior propositio importat Motionem Finalem Objecti Motivi in ipsam Dei volitionem. Hæc autem Motio Finalis non per Causalitatem realem, sed per formalem à parte rei Identitatem respectu Volitionis Divinæ convenit soli Increatæ Dei Essentiæ Bonitati. Ergo nunquam tenet propositio, quòd Deus unam rem creatam v. g. Bonum particulare Universi velit propter aliud Bonum creatum totius v. g. Universi. At verò altera propositio, *Elementa v. g. sunt à Deo volita propter Constitutionem Universi*, duo importat; nempe quandam quasi Causalitatem, seu consecutionem Volitionis Elementorum ex volitione universi, nec non rationem se tenentem ex parte universi, habilitantem Bona particularia Elementorum, ut sub ratione Boni Universi terminent Volitionem Divinam. At licèt primum non subsistat, ut adeò S. Doctor *cit. q. 19. a. 5.* affirmet, *Deum velle hoc esse, propter hoc, non tamen propter hoc velle hoc.* Nihilominùs in hâc ipsâ enuntiatione. *Deus vult hæc Bona creata particularia esse propter hoc Universi Bonum,* involvitur ratio se tenens ex parte Boni Universi habilitans bona creata particularia, ut sub illâ Universi ratione sint à Deo volita, terminentque sub istâ quoque Volendi ratione Divinam Volitionem ex solâ Essentiâ Dei quà Motivâ formali ratione specificatam. Constat igitur, posse Voluntatis Divinæ assignari rationem se tenentem non ex parte Volitionis *activè* sumptæ, sed ex parte voliti duntaxat, seu Volitionis *passivè* consideratæ. Ratio nostra Vasquezij rationem enervans ita deducitur. In Voluntate humanâ potest talis Mediorum, ac Finis esse subordinatio, ut unum Medium respectu alterius, sub ratione Boni honesti, aut delectabilis induat rationem Finis. Quæ ratio Philosophis, ac Theologis suggessit distinctionem in Finem sive absolutè ac positivè, sive comparatè, ac negativè Ultimum, & proximum; seu non ultimum. Ista verò Finis, ac Mediorum ad Voluntatem humanam comparatio, atque subordinatio ita se potest habere, ut ratio honesti, seu Delectabilis in fine intermedio se habeat *disparatè* ad Finem saltem Respectivè ultimum: nec ex isto adeò secundùm nostram saltem apprehensionem ultimo fine, intelligatur

ligatur Boni appetibilis ratio derivari in illum. Ex quo fit, ut ratio illa honesti, ac Delectabilis in fine intermedio sit per se Motiva Voluntatis nostræ humanæ. At verò Bonitas Dei Increata in ratione motivi per formalem realem Identitatem specificativi ita se habet ad Voluntatem suam Divinam, ut nihil in ratione Boni à Deo appetibilis possit ab ejus Divino Intellectu cognosci, nisi cum Ordine Causalitatis tam efficientis, quàm finalis ad ipsam Dei Essentiam. Unde licèt una ratio Boni creati v. g. Universi possit alteri Bono creato esse ratio habilitans ad terminandam sub tali ratione Volitionem Divinam: hæc ipsa tamen ratio habilitans per Essentialem habitudinem refertur in Bonitatem Increatam, ex cujus Finali Causalitate derivatur. Etsi proinde hæc sola increata Dei Bonitas possit esse Finalis ratio Divinæ Volitionis Motiva, ac specificativa, sub hanc ipsam tamen rationem Finalem cadit ratio Boni universi habilitans Bona particularia ad Volitionem Dei sub ista Boni universi ratione terminandam. Ergo ista ratio Boni universi ita potest esse ratio Boni particularis quà à Deo propter Constitutionem Universi, ut hæc nihilominùs ratio Terminativa se tenens ex parte voliti neque sit Motiva, neque finalis ex parte actûs Divinæ Voluntatis.

13. Ad Arriagæ *n. 4.* oppositum Respondetur. Duplici ratione fieri posse, quod Esse Divinum, seu *Finis Qui* à Deo ametur & appetatur Menti creatæ tanquàm *fini Cui*. 1. Ut esse Divini Bonitas Increata, prout est in se cognita, intelligatur in omne Bonũ creatum, atque adeò objecti Spei honestatem derivare non tantùm Efficientem, sed etiam Finalem Causalitatem. Hæc autem Finalis Causalitas importat Motionem allectivam Voluntatis. Cùm igitur Voluntati Divinæ nequeat ullum Bonum creatum proponi, nisi sub Causalitate Finali ex increato Dei Esse derivatâ in Bonum illud creatum, oportet hoc per Voluntatem Divinam stare non posse, nec Amoris adeò Divini esse Terminativum, nisi sub Motione Essentiæ Divinæ, quà allicientis ac Finaliter moventis Divinam Voluntatem omnis extra

14. Deum Boni effectricem. Unde etiam fit, quòd Deus mentem creatam Sanctificationis Gratiâ informatam amando amore amicitiæ velit ipsi bonum sine suo commodo, non tamen sine amabilitatis creaturæ in Bonitatem Essentiæ suæ increatam reflexione. Hæc autem amabilitatis in mentis creatæ Sanctitate fundatæ, ac ex Divinæ Essentiæ Causalitate tam Finali, quam Efficiente derivatæ in hanc ipsam Divinæ Essentiæ increatam Bonitatem reflexio ita se habet, ut Sanctitas creatæ Mentis sit ratio habilitans, & quodammodo exigens, ut ejus intuitu Voluntas Divina amando illam creatam Mentem velit, quòd ipsi bene sit, seu Bonum Gloriæ in ipsâ fiat propter Sanctitatem eidem inexistentem. Unde Amoris istius ratio Finalis ex parte Volitorum Terminativa, seu Boni Gloriæ quà per Divinam Voluntatem decreti ad Essentiæ Divinæ Bonitatem Increatam applicativa ita est illa creatæ Mentis Sanctitas, ut hæc ipsa tamen quà ratio Finalis Terminativa, & modo dicto applicativa reduci debeat in Essentiæ Divinæ Causalitatem Finalem *formaliter identicè* Motricem Divinæ Voluntatis. Constat igitur, nullam creatam Honestatem esse respectu Voluntatis Divinæ intelligibilem nisi cum reductione seu reflexione ejusdem in Essentiæ Dei Bonitatem increatam tanquam Voluntatis Divinæ *reali formali identitate* Finaliter Motricem ad Bona creata amanda, utpote quæ nullam habere possunt Bonitatem, nisi ex ejusdem Bonitatis increatæ Causalitate tam finali, quàm Efficiente. Unde si 15.
Deus Omnipotentiam suam dicatur amare quà utilem ad benefaciendum homini, nihil aliud secundùm rei Veritatem significatur, nisi quòd Omnipotentiæ Divinæ, quà Bonitatis in hominem derivandæ effectrici insit amabilitas, Voluntatis Divinæ *per se formaliter identicè* Motiva ad decernendum homini Bonum. Ergò illius amoris Finis seu Motivum non est homo, sed ipsa Omnipotentiæ Divinæ, quatenus Bonitatem Dei ad extra communicandi virtutem habentis perfectio. Nequit ergo ullum objectum creatum sub quavis Honestatis, vel Bonitatis suæ ratione respectu Voluntatis Divinæ esse, nisi materiale objectum, etsi ipsorum volitorum creatorum inter se comparatione, seu subordinatione habitâ, possit unum alteri esse ratio habilitans, & applicans ad hoc, ut Bonum ejusmodi creatum propter increatam Essentiæ Divinæ Bonitatem sit specialis Dei erga se amoris Terminativum, quæ ipsa tamen habilitans & Amoris Divini Passivè Terminativa ratio sit objectum duntaxat materiale.

Ad *n. 5. & 6.* Oppositum Respondetur juxta *superiùs dicta*. Merita nostra respectu Divinæ Voluntatis non habere vim motivam, sed tantùm applicativam præmij ad increatam Dei Bonitatem finaliter motricem Volitionis Divinæ, per quam præmium meritorum tanquàm rationis ex parte duntaxat Volitorum Finalis intuitu decernitur. Unde non nisi Honestatem increatam esse Motivum Formale specificativum Justitiæ alteriusvè Deo inexistentis virtutis, etsi hujus ex parte Voliti, seu Objecti Materialis ratio *passivè* Terminativa, & ut sic ad Dei amorem sub Bonitatis increatæ Motivo applicativa possit esse Honestas, seu Bonitas aliqua creata, velut infra *q. seq. a. 2. elucidabitur*. 16.

COROLLARIUM.

INfertur 1. Deum necessariò se amare non tantùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium; Ratio est. Tum quia Essentia Divina per actualissimam suam Intelligibilitatem in se expressa habet sub ratione Bonitatis infinitæ amabilitatem actualissimam. Hanc igitur oportet ex se ipsâ *formaliter identicè* esse actuatam. Ut sic verò est sui amor actuatus per ipsummet Esse Divinum in se per actualissimam sui Intelligibilitatem expressum, ac *formaliter identicè* Motivum Voluntatis Divinæ. Huic ergò, utpote in ratione essentialiter sui constitutivâ *realiter formaliter* importanti Essentiæ Divinæ amorem, non tantùm non potest esse libertas ad sui odium, sed neque potest se continere ab amore sui actuali. Ergò in ordine ad Essentiæ suæ Bonitatem Increatam in Voluntate Dei neque est libertas Contrarietatis, neque Contradictionis, sed Amor Dei, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium est ipsi necessarius, siquidẽ ipsum Esse Amoris Dei sub formali hujus amoris ratione 17.

tione

tione sit Essentiale Voluntatis Divinæ Constitutivum.

18. Infertur 2. Etsi Deus creaturas aliquando existentes necessariò amet quoad specificationem, hunc ipsum tamen Amorem in Deo esse liberum. Ratio ex S. Doctore *1. p. q. 20. a. 2.* petita est. Impossibile enim est, aliquod creatum esse existens nisi per Dei Causalitatem: Hæc autem est Decretum Dei operantis omnia secundùm Consilium Voluntatis suæ: Istud autem Decretum est amor Dei infundens creaturæ Bonitatem ab ejusdem Voluntate Divinâ volitam. Unde impossibile est, ullam existere creaturam, nisi Deus ipsi velit Bonum existentiæ, ac totius perfectionis ex Deo sibi communicatæ. At amare est velle alicui Bonum. Ergò ex hypothesi, quòd sit creatura, necessarium est esse in Deo amorem in vi Causalitatis tam Finalis, quàm Effectricis infundentis, & creantis Bonum in tali re creatâ. Hæc nihilominùs necessitas involvit suppositionem, quæ ex liberâ Voluntatis Divinæ creaturæ Existentiam decernentis promanat. Ergò non obest, quò minùs creatura dicatur liberè amari à Deo. Confirmatur istud

19. consequens: Nam creato Bono non est respectu Voluntatis Divinæ ulla ratio amabilitatis nisi ex Ordine ad Bonitatē increatam tanquam unicum Amoris DEI Increati formale specificativum, ac Motivum objectum. At cùm nullius Boni creati existentiâ est Divinæ Essentiæ connexio necessaria, quin absque ullâ extra se derivatâ Bonitate possit cum omnimodæ perfectionis infinitâ actualitate in se ac per se subsistere. Ergò sicuti Voluntatis Divinæ ratio motiva ex se non necessariò est Motrix, sic Voluntas Divinà non est in se necessariò mota ad Bonum creatum decernendum, atque ut sic efficaciter amandum creaturas.

20. Infertur 3. Qualiter subsistat hæc propositio, quod Deus inæqualiter amet creaturas, magis diligendo meliora. Nam ista inæqualitas 1. potest considerari ex parte actûs seu Motivi formalis. Ut sic autem non potest in Divino Amore creaturarum *ratione quoque nostrâ ratiocinatâ* inveniri ulla formalitatum inæqualitas, cùm licet actuum, seu virtutum Divinæ Voluntatis *à parte rei virtualiter & ratione nostrâ formaliter* distinctarum objecta materialia sint inæqualis perfectionis, hæc tamen non applicentur ad Voluntatem Divinam nisi sub infinitâ Bonitatis increatæ ratione Motivâ per se ipsam *formaliter* specificante actum Volitionis Divinæ ex tali specificatione constitutæ in summo Perfectionis gradu. *Velut infra Art. 2. ostendetur.* 2. potest Dei

21. erga creaturas Dilectionis inæqualitas attendi ex parte objecti materialis, seu Boni creaturis voliti; cùm enim Voluntas Dei sit Causa Bonitatis in rebus creatis, fit consequens, aliqua creata ex hoc esse meliora, quòd Deus eis majus Bonum velit. At dicimur aliquem magis alio amare, cui volumus majus Bonum, etsi ex parte actûs non sit major intensio seu perfectio. Cùm igitur Deus Voluntatis suæ actione effectrice inæquales tum naturales, tum supernaturales Perfectiones conferat creaturis, consequens est, amorem erga istas esse inæqualem ex parte voliti, ut adeò dicere liceat, Deum meliores magis diligere ex Tho. *cit. q. 20. a. 3. & 4.*

CONTROVERSIA. II.

An & qualiter Deus amet creaturas possibiles?

IN hoc puncto inter ipsos etiam Thomistas est 1
dissidium. Nam creaturas in statu possibilitatis terminare actum Divini Amoris, simpliciter negant Ioannes a S. Thom. *præs. q. 19. disp. 4. a. 6. n. 4.* Labat *disp. 6. de Volunt. Dei. Dub. 3. §. 1* Gonet *cit. to. 3. disp 2. art. 4. §. 2.* Fundamentum Ioannis a S. Thomâ *n. 12.* est. Si enim Deus rerum purè possibilium haberet Amorem etiam inefficacem simplicis complacentiæ, tunc iste amor vel esset liber, vel necessarius. At primum dici non potest; quia Bonitas, sub quâ amatur res possibilis, est necessaria, ipseque Amoris actus ex parte Dei invariabilis est. Nequit autem esse libertas sine variatione, & contingentiâ se tenente vel ex parte actûs, vel ex parte objecti. Neque secundum dici potest, quia Bonum quidditativum possibilium est finitum, ac limitatum, nec majus, nec excellentius, quam ipsæ res existentes. At voluntas Divina necessitari non potest à Bono finito & limitato, utpote quod illius potestatem non adæquet. Ergò creatæ quidditates sub statu possibilitatis non magis possunt necessitare Divinam Voluntatem ut amentur, quam sub statu Existentiæ. 2

Marcus Serra *in q. 20. a. 2.* Xantes Mariales *in q. 19. cont. 11. cap. 2.* affirmant, Deum affectu simplicis Complacentiæ amare omnes creaturas possibiles. Hanc Sententiam cum Scoto *in 3. dist. 32. n. 2.* amplectuntur plures alij Doctores, quorum tamen nonnulli, nominatim Valentia *præs. disp. 1. punct. 2. & 3.* Franciscus de Lugo *disp. 35. c. 1. a. n. 8.* Arriaga *disp. 24. sect. 6. n. 41.* ajunt, illum creaturarum possibilium amorem in Deo esse liberum. Econtra alij, speciatim Mariales, & 3
Serra *ubi supra.* Amicus *disp 13. sect. 2. n. 18.* Vasquez *disp. 79. cap. 2.* Martinon *disp. 13. sect. 2. n. 20.* dicunt illum amorem necessarium.

CONCLUSIO.

QUidditates creatæ in statu etiam puræ possibilitatis sufficientem habent Bonitatem ad terminandam Amoris Divini Simplicem Complacentiam.

Explicatur & probatur. Sicut verum con- 4
vertitur cum Ente, sic & Bonum. ex S. Tho. *1. p. q. 16. a. 3.* At sicut verum est id, in quod tendit intellectus, sic Bonum est id, in quod tendit appetitus. *ex cit. q. 16. a. 1.* Sunt autem Essentiæ seu formæ rerum creabilium veræ unâ primâ Veritate, quatenus huic unumquodque assimilatur secundùm quidditatis suæ Entitatem *ex art.* 5
6. Est autem quodlibet creatum Bonum, secundùm quod participat similitudinem aliquam Summi Boni. ex eod. S. Doctore. *1. p. q. 105. art. 6. ac de Verit. q. 21. a. 4.* Cùm igitur creatæ quidditates veræ sint, in quantum participando de Esse, conformantur primæ Veritati, quæ est suum Esse, ac Intelligere, omnisque Esse, ac Intellectûs Mensura: ex eo autem, quod aliquid

participet de Esse, sit aliquo modo per summi Boni sibi inditam similitudinem perfectum, sitque adeò appetibile, ac Bonum. *ex 1. p. q. 5. a. 2. ad 3. & q. 16. a. 3. 4. & 5.* consequens est, creatas quidditates, seu Essentias in statu possibilitatis quantum participant de veritate, tantum habere Bonitatis. 5. At Essentiæ creatæ secundùm statum pûræ possibilitatis dicuntur æternæ Veritatis ex participatione Veritatis divinæ, quæ sui Esse purissimi ac infiniti per se ipsam expressiva creatas ex se derivabiles quidditates in se ipsâ repræsentando, & contemplando eisdem imprimit intelligibiliter suam similitudinem, easque adeò per ipsarum in se cognitionem, seu expressionem intellectualem constituit in Esse intelligibili, seu in ratione æternæ Veritatis objectivæ. ex Doct. Angelico *cit. q. 16. a. 1. 6. & 7.* Ergo sicuti Essentiæ creatæ secundùm istud in Mente divinâ Esse objectivum habent Veritatem æternam, sic habent Bonitatem Voluntati Divinæ in æternitate applicatam sub ipsâ primæ Veritatis, atque adeò Summæ Bonitatis ratione increatâ, sub quâ adeò ratione habent in æternitate appetibilitatem, quæ Voluntatis Divinæ sub increatæ Bonitatis Motivo possit esse terminativa.

6. Oppones ex Ioanne à S. Thomâ *præs. q. 19. disp. 4. a. 6. n. 4.* Tum quòd S. Thomas sæpiùs affirmet, Deum non velle omnia, quæ potest facere, sed solum ea, quæ sunt secundùm aliquod tempus. *ex 1. cont. gent. c. 8. & 89. in fine q. 23. de Verit. a. 4. ad 13. & in 1. dist. 45. q. 1. a. 2. ad. 2.* Item *1. p. q. 20. a. 2.* Tum quòd idem S. Doctor deneget rationem Boni, & appetibilis ipsis rebus, nisi in ordine ad Esse, & ut subsunt alicui Esse. *ex 1. p. q. 5. a. 2. ad 3. a. 3. ad 2. & 3.* Item *q. 21. de Verit a. 2. ad 4.* Ergò quæ penitus abstrahunt ab Esse, quamdiu sub illo statu considerantur, carent ratione Boni, & Appetibilis. Atqui ad omnem Volitionem etiam simplicis complacentiæ requiritur ratio Boni ex parte objecti. Ergo sub statu abstrahente ab Esse nullam complacentiam terminare possunt creatæ rerum Essentiæ: Talis autem status est puræ possibilitatis. Ergo sub isto non possunt creatæ quidditates terminare etiam simplicem Dei Complacentiam.

7. Contra. Nam idem Ioannes à S. Thoma *loc. cit.* fateri cogitur, Loca Doctoris Angelici in priori argumento allegata nihil evincere, sed explicari posse de Voluntate Dei efficaci. Ratio hujus expositionis est, quòd S. Doctor *locis citatis* solùm intendat, Deum extra se non velle aliquid ex necessitate dando ei Esse. At voluntas Dei Efficax est, quâ vult aliqua ponere in Esse. Constat igitur, illis locis esse sermonem de efficaci duntaxat creaturarum amore, qui neque respectu ullius creaturæ est necessarius, neque ad omnia creabilia se extendit etiam liberè, etsi omnis creatæ quidditatis oporteat in Deo esse amorem inefficacem seu Complacentiam.

8. Probatur istud assumptum enervando simul posterius partim à Doctoris Angelici Authoritate, partim à ratione petitum Ioannis à S. Thomâ argumentum. Etenim non minùs ratio veri, quàm Boni est secundùm quod aliquid habet Esse. ex S. Tho. *1. p. q. 16. a. 3.* Hoc autem Esse æquè in ratione Veri, quàm Boni debet esse actu, ex eod. Doctore Angel. *præs. q. 12. a. 1. & q. 14. a. 3.* At istud Esse inclusum in ratione Veri non debet esse physicum realis actualis Existentiæ, sed sufficit esse objectivum in Mente Divinâ; Doctore Angelico *cit. q. 16. a. 1.* attestante, res naturales dici veras, secundùm quod assequuntur similitudinem specierum, quæ sunt in Mente Divinâ; sic enim dicitur verus Lapis, quia assequitur propriam Lapidis Naturam secundùm præconceptionem Intellectûs Divini. ex *prox. cit. a. 1.* Unde Veritas, *velut. ibid.* habetur, principaliter est in Intellectu, secundariò verò in rebus, secundùm quod comparantur ad Intellectum, ut ad principium non quà physicè effectivum quidditatum creatarum, sed quà istarum in Ideali Essentiæ suæ Divinæ ratione repræsentativum, & ut sic earundem in Esse cogniti, atque adeò veri objectivi constitutivum. *ex præs. q. 13. a. 3.* Item *cit. q. 16. a. 3. ad 3.* ubi dicitur, quòd ratio veri consequatur apprehensionem Entis. At in hoc differt verum à Bono, quòd ratio 9. Veri ab Intellectu scilicet primo derivetur ad rem intellectam, econtra verò ratio Bonitatis derivetur à re appetibili in appetitum. *ex cit. a. 1. q. 19.* Hæc autem derivatio Bonitatis in appetitum rationalem, seu in Voluntatem est ex appetibili, secundùm quod habet Esse cognitum, adeòque objectivum in Intellectu. *ex q. 23. de Verit. a. 1.* Cùm igitur quidditates creatæ sint objectivè in Mente Divinâ, atque ut sic æternò Veræ, consequens est, eas in tantum esse bonas, in quantum habent Esse Intelligibile derivatum ab intellectu Divino quà principio non physicè effectivo, sed sub ratione Divinæ suæ Essentiæ Ideali earundem repræsentativo, ac in se expressivo.

Replicabis ex eodem Ioanne à S. Thomâ 10. *cit. art. 6. à n. 7.* Possibilitatem objectivam creaturarum non importare nisi vel non repugnantiam ad existendum, vel denominationem extrinsecam possibilitatis derivatam ex Dei potentiâ. At illam existendi non repugnantiam non inveniri *quasi subjectivè* extra Deum positam in aliquo subjecto. Quare Esse Essentiæ, Existentiâ remotâ, seu non communicatâ, in se omninò nihil esse, sed totaliter esse intra Causam, seu virtutem Divinæ potentiæ. Ergò istud Esse Essentiæ solùm posse complacere Deo, quatenus est in potentiâ Divinâ, cùm solùm sit Ens intra Causas, & in potentiâ. At ut sic complacere ipsam Dei potentiam, non verò illud Esse creatæ Essentiæ. Ergo Esse Essentiæ creatæ secundùm se, cùm ut sic nihil sit extra causam, non posse terminare Voluntatis Divinæ complacentiam.

Contra est. Quòd Divinæ voluntatis obje- 11. ctum Terminativum esse possit, cui nihil formalitatis realis inexistit *subjectivè*, sed quod *Totaliter* latet intra virtutem seu Causalitatem Dei. Probatur istud assumptum. Nam Veritas Conditionalis Futuritionis ex mente omnium Thomistarum supponit in Deo Decretum ex parte subjecti absolutum & ex parte duntaxat objecti conditionatum. Hoc ipsum verò Decretum est Amor Dei terminatus ad Esse conditionalis futuritionis. At istud conditionalis Futuritionis Esse nunquàm erit in se, cùm licèt Decretum illud conditionale se habeat per modum actionis immanentis, seu Causalitatis Deo intrinsecæ effectûs illius sub conditione prædefinitivæ, ac effectivæ, nunquàm tamen sit futura actio Dei transiens, vi cujus effectus ille actualiter sit ponen-

ponendus extra causas secundùm physicum Esse actualis Existentiæ. Ergò effectûs alicujus creati Esse potest esse objectum Divinæ Voluntatis, etsi ratio existendi seu Essendi nunquam inveniatur in ipso *subjectivè*, sed teneatur duntaxat intra Causalitatem Deo intrinsecam, habeatque Esse duntaxat objectivum, seu Terminativum respectu alicujus actûs Divini. Etsi proinde Esse Essentiæ creatæ, remotâ seu non communicatâ Existentiâ, nihil sit in se *subjectivè*, ejus tamen *Esse objectivum* intelligibiliter existens in Mente Divinâ, sub Ideali Essentiæ Divinæ ratione secundùm propriæ Essentialitatis suæ formalitatem expressum, potest Voluntatis Divinæ esse objectum Terminativum, S. Doctore *1. cont. gent. c. 84.* asserente, Deum velle non tantum ea, quæ sunt, sed etiam quæ possunt esse Bona.

12. Instabis ex Gonet. *cit. a. 4. §. 3. in object. 3.* Ex præallegatâ Angelici Doctoris authoritate demonstrari quidem, quòd ratio Boni *secundum quid* conveniat Enti non tantùm *Participialiter* accepto, prout est Existens, sed etiam *nominaliter* sumpto, prout importat quidditatem, ac Essentiam; nam ut sic creaturæ possibiles sunt perfectæ perfectione Essentiali. Nihilominus istam perfectionem Essentialem arguere Bonitatem duntaxat *Transcendentalem*, non autem *Formalem*. Hanc enim consistere in convenientiâ respectu alterius, illam verò importare integritatē in proprio ordine. At cùm voluntas nequeat attrahi nisi ab aliquâ convenientiâ, idcircò rationē appetibilitatis non consequi, nisi ad Formalem Bonitatem. Neque verò istam sub ratione convenientiæ Formalem Bonitatem posse haberi sine Esse, vel ordine ad illud. Cùm igitur Essentiæ creatæ in statu possibilitatis neque habeant Esse, neque ordinem ad Esse; non posse respectu Voluntatis Divinæ habere aliquam appetibilitatis rationem, nec adeò secundùm propriæ quidditatis rationes objectivas terminare Divinam Voluntatem, attestante D. Thomâ *præs. q. 19. a. 7. ad 2.* Deum cognoscere omne verum, non autem velle omne Bonum, nisi in quantum vult se, in quo omne Bonum est virtualiter existens.

13. Contra. Nam Angelici Doctoris proximè allegatus Locus, si ex integro consideretur, in talem discursum redigi potest. Deus volendo se, vult omne Bonum. Hoc autem Bonum quà conveniens creaturis totum *virtualiter* existit in Deo, etsi non totum existat in rebus creatis. Unde oportet duplex Boni creaturis convenientis quasi genus distinguere, ita ut alterum sit existens in rebus creatis, quod Deus ita vult, ut semper impleatur ejus voluntas: alterum verò virtualiter tantùm existens in Deo lateat sub statu possibilitatis, quod Dei voluntas non vult, secundùm quòd res creatæ sunt in se ipsis, nec adeò licèt tale Bonum nunquam fiat, frustratur Divina Voluntas. Ex quo proinde constat, quòd Deus volendo se velit omne creaturarum Bonum prout etiam in se *virtualiter* existit. Hoc autem Bonum *virtualiter* in Deo existens non est esse creaturarum Eminentiale, istud enim est *formaliter* in Deo; ipsum verò Esse formale creaturarum est *virtualiter* in Deo contentum. Cùm igitur Bonum creaturis conveniens in Deo *virtualiter* contentum sit ab ipso volitum, oportet adstrui in Divinâ voluntate complacentiam non de illo duntaxat Esse, quod existit in rebus creatis, sed quod sub statu puræ possibilitatis latens est in Deo expressum in ratione quidditatis ac Essentiæ ad extra producibilis.

Ratio fundamentalis est. Nam verum quidem est, quod ratio Boni non quà transcendentalis præcisè, sed sub ratione formalis convenientiæ sit appetibilis à Voluntate: Hinc enim pœna sensûs, etsi ut in ratione Entis sit Transcendentaliter Bona, non tamen est appetibilis Voluntati, cujus respectu habet rationem mali. At verò Esse objectivum creatarum quidditatum quatenus Divinæ Menti sub Dei Essentiæ Ideali ratione intelligibiliter repræsentatum, atque ut sic in Esse actualiter expresso secundum proprias cujusque Essentiæ producibilis, & passivæ imitabilitatis rationis Deo intentionaliter inexistens, est Bonitati Dei increatæ maximè conveniens. 14

Tum quia ex hac Dei Bonitate per suum Esse subsistens in se ipso Intelligibiliter expressum actuata emanat intelligibiliter totum illud creatarum quidditatum Esse objectivum. Tum quia istud ex Ideali Bonitatis Increatæ ratione intelligibiliter derivatum, atque sub ratione passivæ Dei imitabilitatis repræsentatum creaturarum Esse Quidditativum est pro aliquo priori rationis signo prærequisitum ad hoc, ut Voluntas Divina possit ejus existentiam ad extra decernere. Consequens igitur est, hoc creatarum Quidditatum Esse objectivum habere rationem convenientiæ tum ad Voluntatem Divinam, tum ad Dei Bonitatem increatam, tanquàm illius Finem, seu rationem volendi motivam, ac specificativam. Sub hâc igitur Bonitatis Increatæ ratione motivâ potest creaturarum Esse possibile esse objectum Determinativum voluntatis, ita ut hæc possit ferri in creaturas non tantùm quoad existentiam actualem per amorem efficacem, sed illud ipsum Essentiarum creatarum in statu puræ possibilitatis Esse objectivum quà Voluntati Divinæ, ejusque rationi motivæ, ac specificativæ conveniens possit terminare inefficacem simplicis complacentiæ amorem Divinum. 15

Ad Argumentum *n. 1.* oppositum

Respondetur: Simplicis complacentiæ amorem inefficacem ergà creaturas possibiles esse necessarium in Deo. Nam licet Essentiæ creatæ habeant Esse finitum, ac limitatum, nec adeò possint esse Motivum per se necessitans Voluntatis Divinæ; attamen cum earundem creatarum quidditatum Bonitate habet increata Dei Bonitas necessariam connexionem imitabilitatis ac Derivabilitatis tam Idealis, quàm Finalis. At ex hoc ipso, quòd Voluntas Divina per increatam Dei Bonitatem actuata, ad ejusdem quà finis *formaliter realiter* sibi identificati amorem determinata sit; oportet Dei Voluntatem necessitari ad amorem Mediorum, quatenus cum Increatâ ejusdem Bonitate necessariam habent connexionem. Ergò quidditates creatæ non quidem per se, sed ratione Bonitatis Increatæ specificantis ac per identitatem formalem realem finaliter moventis Divinam Voluntatem, necessariò amantur à Deo per inefficacem simplicis complacentiæ amorem. 16

ARTI-

ARTICULUS III.

DE

Libertate Voluntatis Divinæ.

1\. Libertatis Divinæ Mysterium, quod Ioannes Baptista Gonet *to. 3. disp. 3. a. 2. in init.* vocat Ænigma sacratissimum humanis discursibus prorsus inexplicabile, ita torquet Theologorum Ingenia, ut in quo veritatis puncto acquiescant non invenientes, in diversissimas prolabantur sententias; Francisco Amico *cit. disp. 14. sect. 3.* enumerante octo hâc de re sententias, quas Arriaga *præs. disp. 28. per totam* redactas ad pauciores reijcit omnes, & singulas, ingenuè fassus *n. 92.* sibi quidem certum videri, actus Dei liberos constitui per aliquid Dei purè intrinsecum, quid verò illud sit, haud capere, imò ne apparenter quidem explicare posse hoc Mysterium.

2\. Nos in Doctoris Angelici Divinæ Sapientiæ radijs illustratâ Mente circa hoc Mysterium *ex præs. q. 19. a. 3. 7. 8. & 10.* nec non *1. cont. gent. c. 82.* indagandâ unicè soliciti, hujus articuli difficultates ad septem sequentes Controversias reducemus. Prima erit, *Qualiter demonstretur in Deo esse liberum Arbitrium?* Secunda. *An ratio Divini Decreti liberi formaliter importet Deo aliquid extrinsecum?* Tertia. *An ejusdem ratio formalis consistat in aliquo respectu rationis.* Quarta. *An importet formalitatem ab Essentiâ Dei quodammodò distinctam?* Quinta. *In quo formalitas Decreti liberi Deo adæquatè intrinseca, & cum ejus Essentiâ Entitativè, imò formaliter realiter identificata consistat.* Sexta. *An formalitas Decreti Dei liberi habeat contingentiam repugnantem Divinæ Immutabilitati?* Septima denique. *Utrùm in Deo detur Libertas Contradictionis, vi cujus Voluntas Divina absque omni actu libero posset manere suspensa?*

CONTROVERSIA. I.

Qualiter probetur, in DEO esse liberum arbitrium?

3\. Hic procedendum est tum contra Hæreticos apud Bellarminum. *lib. 3. de Grat. & lib. arbit. c. 15.* & *16.* negantes Deo liberum Arbitrium; tum contra Ethnicos philosophos. In priori processu captivanti intellectum suum in fidei obsequium nihil est difficultatis, Sacris Litteris asserentibus. 1. *Deum operari secundum consilium. ad Ephes. 1. & Isaia. 46.* Etenim necessaria, ad quæ agenda quis ex naturæ necessitate est determinatus, non subduntur consilio, & arbitrio. Ergò quia Deus operatur secundùm consilium, agit liberè, juxta illud *Psalm. 93. Deus ultionum liberè egit.* 2. Divinæ Scripturæ attribuunt Deo tale Dominium, vi cujus *subest ipsi, cùm voluerit posse. Sap. 13.* Unde *Psal. 134.* dicitur, *Omnia quæcunque voluit, fecisse tanquàm Dominus.* Vi hujus adeò Dominij esse Deo, faciendi quod libuerit, potestatem, ipsemet asseruit *Matth. 20. An non licet mihi, quod volo facere. Volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi.* Hinc etiam Spiritus S. *1. Corinth. 12.* dicitur dividere *singulis prout vult*, libero nimirum voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio. Uti exponit S. Ambrosius *lib. 2. de Fide c. 3.* 3. Misericordia Dei per Sacras Litteras ita collaudatur, ut *cujus vult, misereatur*, cùm tamen possit, *quem vult obdurare. Rom. c. 9.* Ex quibus omnibus nulli veritatis semitam ambulanti non potest non esse certitudo de libero Dei arbitrio.

4\. At difficultas est in secundo processu adversùs Ethnicos Philosophos apud D. Thomam *infra q. 26. a. 5.* statuentes: Deum agere ex necessitate Naturæ, nec adeò posse ex operatione Divinâ alias res, vel alium rerum ordinem effluere, nisi prout nunc est. Ex quo principio emanavit etiam sententia Aristotelis ponentis Mundum ab æterno. In quibus ex lumine naturali convincendis videtur efficax Doctoris Angelici *præs. q. 19. a. 3. & 10.* argumentum ita deductum. Nam Voluntatis Divinæ inclinatio est infinita, cujus adeò objectum commensuratum per modum Finis satiativum, & Motivum nequit esse, nisi Bonitas infinita. Ergò alia à Deo non possunt respectu Voluntatis Divinæ appetibilia esse, nisi in quantum ordinantur ad Increatam Essentiæ DEI Bonitatem ut ad finem. At ea, quæ sunt ad finem ex necessitate volitum, non appetuntur necessariò, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest. Est autem Lumine Naturæ notum, Dei Bonitatem Increatam in se ita perfectam esse, ut nihil ei perfectionis ex creaturis accrescere valeat, possitque adeò sine istis subsistere in se ipsâ cum summo perfectionis gradu. Ergò non est necessarium, velle Deum alia à se. At liberum arbitrium est eorum, quæ non ex instinctu Naturæ, seu intrinsecâ determinatione, ac necessitate appetit Voluntas. Ergò respectu effectuum Dei ad extra est Voluntas divina libera.

5\. Nihilominùs in hoc ipso argumenno latet difficultas. Etenim in signo rationis antecedente liberam Dei voluntatis circa objecta creata determinationem, præsupponitur divina Voluntas cum indifferentiâ. In illo autem Signo est Bonitas Dei increata per sui Esse actualissimam Intelligibilitatem formaliter identicè expressa in Intellectu Dei, atque ut sic repræsentata, seu proposita ejus Voluntati cum omni Bonitate creatâ ex se derivabili. At juxta argumenti proximè expositi assertum neque Bonitas creata etiam collectivè sumpta potest esse Motivum Voluntatis divinæ, neque Bonitas Dei Increata tanquàm Finis & Motivum potest ejusdem Dei Voluntatis esse determinativa ad volendum potiùs, quàm ad nolendum creaturas. Nulla igitur est assignabilis ratio objectiva, per quam Voluntas divina determinetur potiùs ad volendum, quàm ad nolendum. Cur ergò Deus voluerit hunc mundum producere, alium verò noluerit, imò cur determinaverit se ad incarnandum Verbum divinum, nulla potest dari ratio ex parte objecti Voliti. Ergò Voluntatis Dei liberæ determinatio esset irrationabilis.

***

CON-

Conclusio.

Secundùm Naturæ Lumen demonstrative probatur liberum Dei Arbitrium ex ejus summâ Immaterialitate.

6. Explicatur ista demonstratio ex S. Tho. *q. 23. de Verit. a. 1.* Nam Lumine Naturæ notum est, Deum Esse Ens perfectissimum, adeòque Summè remotum à potentialitate. Quò autem Ens à potentialitate magis est depuratum, eò immaterialius est. Hæc autem Immaterialitas infert quandam in Essendo Universalitatem, vi cujus per formam, ac speciem intentionalem Ens immateriale est aliarum perfectionum in se susceptivum, attestante Philosopho, Intellectum intelligendo fieri omnia. Ex istâ verò secundùm Esse intentionale, seu intelligibiliter susceptivum ac repræsentativum Essendi universalitate fit, quòd Ens intellectuale possit quaslibet, easque diversas convenientiæ, ac disconvenientiæ formalitates circa idem objectum non simpliciter perfectum, seu imperfectè ac limitatè Bonum habere in se expressas, ac repræsentatas. Ista verò convenientiæ, ac disconvenientiæ in uno objecto varietas facit, ne tale objectum uno determinato modo inclinet appetitum: unde relinquit indifferentiam inclinationis in appetitu. Hæc autem indifferentia infert libertatem. Ergò immaterialitas Entis Intellectualis arguit in ejus appetitu, seu Voluntate libertatem. Cùm igitur Deus sit Ens summè Immateriale, oportet ejus Voluntatem Esse summè liberam.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

7. AD Doctoris Angelici *n. 2.* Propositum argumentum Respondetur. Esse omnino efficax, sed ultimatè reduci in ipsam Immaterialitatis Dei rationem. Hæc enim formaliter est essendi purissimus actus: Hujus verò est Intelligibilitas actualissima per suum Esse actuata, ut adeò Esse ipsius sit suum Intelligere. Hæc autem Intelligibilitas per suum Esse actuata, atque adeò per se ipsam actu expressa, & in actualissimâ sibi realiter formaliter identificatâ intellectione repræsentata est actualissimè inclinativa, atq; adeò formalis actualis Inclinatio Voluntatis, cujus per Esse sui formalem identitatem est Motiva. Ergò ex summâ divini Esse immaterialitate est consequens, quòd istud Esse in Intellectu Dei per se actualiter expressum ac repræsentatum identificetur cum sui amore, ut adeò iste tam necessarius sit, quàm ipsum Esse Dei. At ex hoc ipso, quòd Voluntas Dei per summam Esse divini Immaterialitatem sit actuata, atque ut sic tam in Essendo, quàm volendo, seu amando sit infinita, est consequens, nullam Bonitatem, nisi infinitam posse ejusdem esse Motivam ac determinativam. Etsi verò Bonitas increata Esse Divini quà Efficienter, ac finaliter communicabilis possit esse ratio volendi hanc sui ad extra communicationem, ad hanc ipsam tamen ratione summæ Immaterialitatis seu purissimæ Essendi actualitatis præsupponitur in Bonitate Increatâ & Voluntate divinâ Esse independens, in se ipso perfectissimè subsistens sine ullâ sui ad extra communicatione, Ergò ex summâ Esse divini Immaterialitate est, communicationem Dei ad extra ita posse à Voluntate divinâ amari, ut tamen nec in se ipsâ, nec in Voluntatis Dei Motivâ Bonitate Increatâ habeat rationem determinativam, ac necessitatem ad sui amorem: Consequens igitur est, hujus Libertatem esse in Deo per summam Esse divini Immaterialitatem.

Ad *n. 3.* Oppositum Respondetur. Aliam volendi rationem esse determinatè Motivam, aliam esse per modum solius congruentiæ sive Motivam, sive purè terminativam. Etsi verò nulla possit esse ratio objectiva Voluntatis divinæ determinativa ad volendam Bonitatis suæ Increatæ ad extra communicationem, posse tamen divini ad extra Amoris, seu Decreti liberi quà rationabilis assignari rationes congruentiæ, quarum una se tenens ex parte perfectionis divinæ sit Motiva, altera se tenens ex parte Bonitatis alicujus creatæ sit Terminativa. Explicatur & Probatur istud Assumptum. Nam Deus per Bonitatis suæ infinitæ comprehensionem habet in se expressas & cognitas omnes de quavis producibili facturâ suâ convenientiæ rationes excogitabiles, asserente D. Thomâ *q. 1. de potent. a. 5. ad 11. Deum omnium, quæ potest, habere rationes quasi excogitatas.* Ex his autem convenientiæ, seu congruentiæ rationibus circa Verbi divini v. g. Incarnationem alias reduci immediatè in Attributa Dei, alias in Bonum tum Universi, tum particularis alicujus creaturæ, constat ex eod. S. Doctore *3. p. q. 1. ejusque Commentatoribus.* Ea autem est ratio convenientiarum se tenentium ex parte creaturarum, ut unum Bonum creatum possit esse ratio finaliter terminativa, propter quam aliud creatum sit volitum, etsi non possit esse ratio Motiva ipsius Volitionis Divinæ, *uti praeced. a. 2. cont. 1.* ostensum est. Unde Decreti Dei liberi ratio finalis Motiva non est nisi convenientia se tenens formaliter ex parte perfectionis, ac Bonitatis divinæ, quæ est optima ratio, quâ Deus omnia facit. *ex cit. art. 5. de potent. ad 7.* Hæc autem Bonitatis & Sapientiæ divinæ ratio maneret, etiamsi Deus alio vel alio modo faceret creaturas. *ex loc. prox. cit.* Unde cùm etiam negatio universi, seu cujuscumque creaturæ non productio sit ordinabilis in Dei Bonitatem secundùm ejusdem à creaturis independentiæ, ac Supremi Dominij ratione, consequens est, Motivum formale, quo de facto Deus vult hoc universum non magis esse Bonum, quàm si noluisset ullius creaturæ productionem, aut decrevisset alterius mundi creationem. In quo adeò sensu ait Doctor Angelicus *cit. a. 5. ad 15. Illud, quod facit Deus, esse optimum per ordinem ad Dei Bonitatem: & ideò quidquid aliud est ordinabile ad ejus Bonitatem, secundum ordinem suæ Sapientiæ esse optimum.* Patet igitur, omnis Decreti divini esse ex Bonitate, & Sapientiâ Dei Increatâ rationem objectivè finaliter Motivam, non tamen determinativam. Quare cur ex infinitis rerum à se factibilium combinationibus, ad quas Bonitas ejus Increata æqualiter se habens est de se non magis ad unius, quàm alterius volitionem Motiva, & inclinativa, Deus præ alijs eligat istas creaturas, reduci debet in unicum Voluntatis Divinæ supremum Dominium, ex quo ita habet Voluntas Divina Eminentiæ ac Universalissimæ ad objecta creata pro libitu determinanda & immutanda activitatis indifferentiam, ut per solam ejusdem Voluntatis suæ

tis suæ Consilium, seu determinationem, non verò per rationis seu consilij ex parte Intellectûs præponderationem illius quæsiti ratio reddi possit, juxta illud *Ephes. 1. Qui operatur omnia secundùm consilium Voluntatis suæ.* De quâ proinde ex vi Dominij liberâ Voluntatis determinatione, cùm summam contineat difficultatem, in sequentibus Controversijs exactiùs disseremus.

CONTROVERSIA II.

An ratio Divini Decreti quà liberi formaliter importet Deo aliquid Extrinsecum?

1. AUreolus, cui consentit Amicus *cit. disp. 14. sect. 3. n. 22.* docuit *in 1. dist. 47. q. 1. a. 1.* Deum producere, quidquid producit, absque hoc, quòd per aliquod velle intrinsecum determinetur ad producendum. Nihilominùs dici Voluntariè producere, quia in suâ potestate habet producere, & non producere, sicut v. g. Ignem, si in suâ potestate haberet præsentem stipulam ignire & non ignire, dum igniret, dicendum fore, voluntariè ignire, & quærenti, cur igniret? respondendum fore, quia vult. In quo tamen responso *per ly Velle* non fore exprimendum actum aliquem determinatum, sed plenitudinem potestatis.

2. Vasquez *præs. disp. 80. n. 8.* illam Aureoli Doctrinam approbans, mentem suam *à n. 5.* exponit per quinque sequentes propositiones. In 1. negat esse Deo intrinsecam aliquam realem perfectionem, quæ liberè ei conveniat. In 2. negat, Voluntatem Dei esse puram relationem, & habitudinem rationis ad res volitas: cùm enim dicitur Deus velle creaturas producere, hoc loquendi modo *inquit* non solùm respectum rationis, sed etiam vitalem operationem, vel ipsam Dei Essentiam ad modum vitalis operationis, ac proinde aliquid DEO intrinsecum denotari. In 3. negat Voluntatem DEI liberam esse nudam Essentiam divinam, siquidem ista ita necessariò insit Deo, ut non possit non inesse; Unde infert ille Author, si sola Essentia divina redderet Deum volentem producere creaturas, non posse non velle eas producere; cùm forma, quæ necessariò inest, necessariò etiam præstet suum effectum. In 4. affirmat, Voluntatem DEI liberam esse divinam Essentiam significatam per modum actûs vitalis, & affectûs eliciti, includere tamen quandam etiam rationis ad res futuras habitudinem, quæ libere Deo conveniat, sicut etiam res liberè sint futuræ. In 5. asserit, hanc relationem consurgere ex fundamentis non necessarijs, nempè ex objectis futuris, atque adeò liberè Deo convenire non intrinsecè, sed extrinsecâ solùm denominatione.

3. Ex opposito Capreolus *in 1. dist. 45. q. 1. a. 1.* Cajetanus *præs. q. 19. a. 2. §. ad hoc. & a. 3. §. ad hoc.* Nazarius *ead. q. 19. a. 2. Cont. un.* Gonet *disp. 3. §. 3.* Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 5. a. 4. n. 2.* Labat *disp. 6. de Volunt. Dei. dub. 4. §. 4.* Scotus *in 1. dist. 39. q. 5. n. 22.* Ysambertus *hic. disp. 3. art. 5. à n. 6. & art. 6. n. 3.* Fonseca *lib. 7. Metaph. cap. 8. q. 5. sect. 4. & 5.* Arriaga *cit. disp. 28. n. 92.* & alij tenent, liberum Dei Decretum esse formalitatem realem adæquatè Deo intrinsecam.

CONCLUSIO.

VElle DEI liberum non constituitur etiam Partialiter, ac inadæquatè per aliquid extrinsecum.

Probatur. Decretum Dei Liberum est æternum. At verò ut aliquid dicatur æternum, quodlibet sui æternum esse debet, uti Vasquez *1. p. to. 2. disp. 120. n. 9.* arguit. Est autem omnis actio Dei transiens, ac effectus temporalis. Nequit ergò Decretum Dei Liberum formaliter in ratione liberi constitui per denominationem extrinsecam desumptam ex actione, seu effectu temporali. 4.

Respondebis ex Henrique *citato* ab Arriaga *dicto n. 4. 5. & 14.* Deum non esse Liberum ad volendum, sed ad producendum per volitionem necessariam: nec adeò fuisse ab æterno in Deo actum liberum, sed primò in tempore immediatè ex volitione necessariâ libere prodire creaturam. 5.

Contra. Nam elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem *ad Eph. 1.* Atqui ante mundi constitutionem nulla erat actio DEI Transiens, ac effectus temporalis, sed Esse duntaxat divinum, æternum ac Deo intrinsecum. Illam ergò electionem oportet secundùm totam sui formalitatem esse DEO ab æterno intrinsecam. At sub istâ formalitate Electionis erat libera, tum quia Electionis ratio formaliter importat libertatem, tum quia illâ Electione positâ, est necessarium dari Gratiam, & Gloriam Electis, cùmque ista Electio sit in Christo, ex ejus positione necessarium est, fuisse Verbi divini Incarnationem à Deo prædestinatam. Nisi ergò in illâ ipsâ Electione quà æternâ, & Deo intrinsecâ admittatur libertas, omnes effectus & actiones temporales ex eâ infallibiliter ac indeclinabiliter prodeuntes, oportet esse necessarias. Nequit ergò ratio Decreti Divini quà liberi stare ex connotatione, & denominatione extrinsecâ effectûs, seu actionis temporalis. 6.

Replicabis ex Amico *cit. disp. 14. n. 91. 106. & 107.* Etsi Deus non sit liber quoad vitalem tendentiam, quam in recto dicit actus liber in Deo, sed solùm quoad connotationem extrinseci termini seu effectûs temporalis. Nihilominus Deum ab æterno habuisse actum connotantem Futuritionem effectûs liberè à se in tempore dependentis. Ergò ab æterno habuisse actum liberum volendi effectus in tempore producendos. 7.

Contra est 1. Nam illa connotatio Futuritionis, quatenus importat formalitatem realem, secundùm mentem Angelici Doctoris videtur esse actio æterna in ratione causalitatis Deo intrinsecæ præfinitiva effectûs temporalis. Ergò si in tali connotatione consistat Formalitas Decreti quà liberi, oportet hanc esse DEO intrinsecam. 8.

Contra est 2. Quia illa Futuritionis connotatio effectûs futuri quoad Esse determinativa secundùm Amicum *præs. disp. 12. à n. 98.* importat suppositionem ipsius rei futuræ, quatenus habituræ existentiam in aliquâ temporis differentiâ. Hujus autem suppositionis objectum importat Esse creatum. At istud Esse creatum non est nisi ex causalitate Dei operantis omnia secundum 9.

dùm consilium Voluntatis suæ *ad Eph. 1.* Est autem Causa naturâ prior suo effectu. At in isto priori naturæ & causalitatis oportet Voluntatem Divinam considerari non sub illâ præcisâ formalitate, quam habet pro signo, in quo intelligibiles sunt creaturæ sub statu puræ possibilitatis, nam alioquin sequeretur, determinationem productionis mundi esse à Voluntate Divinâ spectatâ secundùm illam præcisam formalitatem, quam intelligitur habere pro signo, in quo creaturæ sunt intelligibiles sub statu meræ possibilitatis. Ex hoc autem consequens foret, ex Voluntate Divinâ non esse assignabilem rationem Causalitatis, vi cujus iste potiùs, quàm alius Mundus possibilis sit productus. Oportet igitur, respectu effectuum Futurorum pro priori Naturæ, & Causalitatis in Voluntate Divinâ esse assignabilem Formalitatem quodammodò, seu virtualiter aliam à formalitate ejusdem Dei

10. voluntatis, quà intelligibilis cum ordine ad creaturas purè possibiles. At si ista formalitas non sit libera, consequens est, Voluntatem Dei quatenus in ratione Causæ intelligitur se habere ad creaturas sub ratione existentiæ, non esse liberam. Cùm igitur in Voluntate Divinâ quà Causâ actualis creaturarum existentiæ oporteat esse formalitatem quodammodò, seu virtualiter aliam à formalitate, sub quâ eadem Dei voluntas se habet ad creaturas sub statu meræ possibilitatis: hæc autem Formalitas sit libera, sitque prioritate naturæ & Causalitatis prior cujusque realitatis creatæ Esse actuali, oportet, illam Futuritionis effectuum temporalium in Voluntate Divinâ connotationem vel esse quid Increatum, vel esse ordine Causalitatis posteriorem Formalitate, secundùm quam concipitur voluntas Dei se habere ad Esse actuale creaturarum, atque adeò ad illam Futuritionis connotationem. At id, quod causalitate est posterius, non potest esse constitutivum prioris. Ergò vel illa connotatio Futuritionis non est constitutiva Decreti Dei quà liberi, vel connotationem ejusmodi, utpote priorem omni creato, oportet esse quid Increatum, atque adeò Deo intrinsecum. At ex utroque istorum erit consequens, Formalitatem Decreti Dei quà liberi constitutivam esse Increatam, & Voluntati Divinæ intrinsecam.

11. Ratio Fundamentalis est. Ex eo, quòd voluntas Dei sit causa creaturarum, est consequens, quòd creaturæ in tantum habeant aliquod Esse, seu quodcumque bonum, in quantum sunt volitæ à Deo; ex S. Tho. *præs. q. 19. a. 2. & 4. & 9. q. 20. a. 2.* Unde Deus habet omnium, quæ fecit, dilectionem. *Sap. 11.* ita ut hic Dei amor sit infundens, & creans Bonitatem in rebus. ex *cit. art. 2.* At de ratione Amoris est esse actum vitalem, & consequenter immanentem. Est igitur Amor creaturarum Deo intrinsecus per modum vitalis inclinationis in objecta creata propter suam Increatam Bonitatem volita. At hunc ipsum amorem formaliter sub ratione Amoris, ac vitalis tendentiæ oportet esse in Deo liberum. Probatur istud Assumptum. Hoc Amore, per quem Deus vult alicui creaturæ existentiam, posito, est necessarium; consequi Causalitatem Dei extrinsecam creaturæ in Esse Existentiæ eo modo productivam, quo modo Deus voluit, *juxta illud Psalm. 113. Omnia quæcumque voluit, fecit. Et Psalm. 17. Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Hæc enim enuntiatio, utpote ex ore Dei derivata est infallibilis veritatis. 12.
At pronuntiatur, actionem per quam David salvus est factus, consecutam esse ex eo, quia Deus voluit. Ergò in quantum Deus vult aliquem effectum seu actionem ad extra, in tantum est infallibile, ac necessarium, consequi ex voluntate Dei talem effectum. Nisi ergo fuerit libertas in ipso actu Divinæ Volitionis in ratione Causæ se habentis antecedenter ad actionem Dei transeuntem, tunc ista actio est omninò necessaria utpote procedens ex causâ ita habente infallibilem connexionem cum illâ, ut nec actus Causæ intrinsecus, ex quo illa actio Transiens non potest non emanare, habeat in se libertatem. Cùm igitur oporteat esse libertatem in Amore creaturarum quà actu vitali, atque adeò Immanente, consequens est; Formalitatem, seu rationem liberi esse intrinsecam Decreto Dei, seu actui Voluntatis Divinæ.

CONTROVERSIA III.

An ratio liberi in Decretis Divinæ voluntatis importet respectum rationis?

AFfirmant Serra. *q. 19. a. 3. dub. un. concl. 3. cum alijs relatis* per Ioannem à S. Thomâ. *cit. disp. 4. a. 3. n. 10.* Probatur 1. Authoritate S. Thomæ *1. cont. gent. c. 82.* ita differentis, *Voluntas namque Dei uno & eodem actu vult se, & alia, sed habitudo ejus ad se est necessaria, & naturalis, habitudo autem ejus ad alia est secundùm convenientiam quandam, non quidem necessaria, & naturalis, neque violenta, aut innaturalis, sed voluntaria.* Ex quo patet, quòd, sicut creatio activè sumpta secundùm mentem S. Doctoris *1. p. q. 5. a. 3. ad 1.* significat actionem Divinam, quæ est ejus Essentia cum relatione ad creaturam, sic actus Dei liber nihil aliud sit, quàm actio Divina, quæ est ejus Essentia, ac consequenter Entitas, ac perfectio necessaria, cum habitudine seu respectu ad creaturas volitas, eodem Angelico Doctore *q. 23. de Verit. a. 4. ad 13.* asserente: *Cùm dicitur, Deum velle aliquid, importari ordinem ipsius Dei ad illius factionem.* Atqui nullam Dei relationem ad creaturas esse realem, sed rationis, tradit D. Thomas *1. p. q. 13. a. 7. & de Potent. q. 7. a. 10.* Ergo actus Dei liber formaliter importat relationem rationis.

2. Ratione. Nam actus Dei liber importat Entitatem Divini actûs quà terminatam ad creaturam. Hæc autem actûs Divini terminatio importat quandam relationem, quæ ut sic potuit non esse in Deo. Ergo ista relatio, quæ rationis est, unà cum Entitate Divini actûs est constitutiva actûs Dei liberi.

Conclusio.

SEntentia affirmans actum Dei liberum formaliter, vel saltem completivè inadæquatè constitui per respectum ad creaturas existentes, seu futuras, vel falsa est, vel impertinens ad tollendas difficulta-

tes se tenentes circa voluntatis Divinæ libertatem.

Explicatur & Probatur. Nam illa sententia potest intelligi vel de relatione rationis *formaliter* sumptâ, vel *fundamentaliter* acceptâ. At prius est falsum, posterius autem impertinens. Minor probatur. Volitio Dei æterna quà actus vitalis, ac Deo intrinsecus habens rationem Causæ effectricis creaturarum, est ut sic non necessaria, atque adeò libera, *uti præc. cont.* est demonstratum. At respectus aliquis rationis non nisi ab Intellectu creato formabilis, neque potest formaliter esse æternus, neque ut sic potest habere rationem causæ, seu causalitatis efficienter derivantis ex se Esse actualis Existentiæ in creaturas à Deo volitas. Falsum igitur est, actum Dei liberum importare respectum rationis, nisi

4. iste sumatur solùm *fundamentaliter*. Tunc autem relationis ejusmodi fundamentum actûs Dei in ratione liberi constitutivum oportet esse voluntati divinæ intrinsecum, *uti præc. cont. 12.* ostensum est. De hoc proinde fundamento realiter Deo inexistente redibit tota difficultas. Nam si posset non esse in Deo, foret consequens, aliquam formalitatem divinæ substantiæ intrinsecam esse defectibilem; si verò non potuit non esse in Deo, erit consequens, illam fundamenti realitatem Volitionis divinæ quà liberæ constitutivam esse necessariam. Prius autem repugnat Essentiæ divinæ utpote Enti secundùm purissimam Essendi actualitatem, & summam omnis ipsi inexistentis formalitatis simplicitatem omninò necessario. At posterius adversatur rationi quidditativæ Actûs quà liberi. Ergò sententia affirmans Formalitatem liberi in Deo importare respectum rationis, si intelligatur de formali rationis relatione, est falsa, si verò accipiatur de reali relationis ejusmodi fundamento, non solvit difficultatem, quæ versatur circa divinam Libertatem.

Responsio ad opposita Argumenta.

5. AD 1. *n. 1.* Oppositum Respondetur. Aliud esse, quòd libertas divinæ Volitionis explicetur à nobis per habitudinem, seu relationem rationis, aliud verò esse, quòd asseratur ista habitudo, esse Formale constitutivum divini quà liberi. Prius ergò, non posterius est secundùm Mentem Angelici Doctoris. Nam Volitio Divinæ existentiæ creaturarum præfinitiva est est hoc ipso Ens ex ratione suâ formali reali absolutum, quòd sit actuata per ipsum Esse Dei independens, & absolutum, quæ nihilominùs Volitionis Divinæ formalitas in se absolute subsistens est in vi Causalitatis Dei intrinsecæ infallibiliter, ac necessariò illativa existentiæ creaturarum. Hæc autem infallibilis Volitionis Divinæ cum existentiâ creaturarum connexio Eminentiæ, & Causalitatis, non autem Dependentiæ, ac relationis non est à nobis explicabilis, nisi ad instar habitudinis, ac relationis. Sicut ergò formalitates Potentiæ, Scientiæ, ac Ideæ in ordine ad creaturas non intelligimus de Deo, nisi per respectum rationis; sic volitionem DEI liberam tanquàm Bonitatis ipsius increatæ communicationem activam *formaliter immanentem* Divinæ substantiæ sed *terminativè transeuntem* ad extra in creaturas, non cognoscimus, nisi secundùm quandam ad effectus creatos habitudinem, etsi re ipsâ sit formalitas Deo adæquatè intrinseca.

6. Ad 2. *n. 2.* Oppositum Respondetur. Verum esse, quòd actus Dei liber importet Entitatem Divini actûs quà terminatam ad creaturas. At hanc ipsam Divini actûs terminationem activam importare formalitatem in se omninò absolutam, ac sine ullâ formali ad extra relatione, seu dependentiâ in se actualissimè subsistentem, etsi sub ratione Communicationis Dei ad extra non sit à nostro Intellectu cognoscibilis, nisi cum respectu rationis. Ergò actum Dei liberum in ratione sui constitutivâ non importare nisi formalitatem realem actui Divino Immanenti identificatam, licèt ista formalitas non intelligatur à nobis nisi cum relatione rationis.

CONTROVERSIA IV.

An ratio Decreti Liberi in Deo importet formalitatem à Divinâ Substantiâ quodammodo distinctam.

NOnnulli perstringunt acriori censurâ Cajetanum, quòd *præs. q. 19. art. 2. & 3.* docuisset, Deum in suâ indifferentiâ liberâ ita determinari per aliquid sibi intrinsecum, ut ista determinatio se habens ad instar alicujus Extensionis, aut terminationis ad objectum, sit aliqua realis perfectio superaddita actui Dei necessario; quam adeò liberam Dei determinationem habentem rationem perfectionis secundùm quid, potuisse non esse ab æterno, etsi semel existens in Deo, necessariò duret in æternum. 1.

Verùm Cajetani mentem in saniori sensu exponunt Nazarius *ad cit. q. 19. a. 3. §. secundum*, Ioannes à S. Thom. *cit. disp. 14. a. 4. n. 16.* & Gonet *cit. a. 2. §. 1.* asserendo, quòd non intellexerit, dari aliquam perfectionem in Deo liberam, quæ secundùm suum intrinsecum, & per ordinem ad subjectum possit deesse Deo, sed aliquam perfectionem secundùm sui extensionem ad objectũ posse non inesse Deo. Hoc autem nihil aliud importare, nisi quod illa perfectio libera, secundùm quod tangit creaturam, & dicit habitudinem ad ipsam, sub hac denominatione deesse possit. Fundamentum hujus expositionis ex ipso Cajetano depromptum videri potest apud Ioannem à S. Thomâ *loc. citato*. Nos enim non tam de sensu Cajetani, quàm de Veritate circa rem ipsam indagandâ soliciti, superfluum duximus; illud hic inserere, unicum hoc advertentes, Franciscum Amicum *cit. disp. 14. n. 46.* recensere etiam Fonsecam, & Salam inter sectatores Cajetani. 2.

Arriaga *cit. disp. 28. sect. 4.* refert opinionem quorundam Recentiorum non tam asserentium, quàm alijs judicandum proponentium, quòd actus Dei liberi consistant *in Virtuali defectibilitate* seu potiùs *Mutabilitate Virtuali*, sintque adeò formalitates reales, quæ possint in Deo realiter non esse, etsi à divinâ Essentiâ distinguantur solùm virtualiter: Unde sicuti per Virtualem Personalitatum ab Essentiâ Dei distinctionem de relatio- 3.

lationibus, ac Essentiâ verificantur prædicata contradictoria, scilicet produci & non produci, communicari & non communicari, sic propter illam Virtualem distinctionem potuisse formalitates actuum Dei liberorum abesse, licèt non potuerit Essentia abesse.

4. Adversùs istam Virtualitatem movet Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 14. a. 3. n. 14. ac seq.* quòd nihil valeat ad solvendam præsentem difficultatem. Verùm Dominicus de Marinis *præs. q. 19. a. 14. c. 3.* arbitratur, illum de libertate Dei philosophandi modum esse omninò conformem doctrinæ Thomistarum antiquiorum ac recentiorum, ipsius etiam Ioannis à S. Thomâ. Fundamentum ab eodem de Marinis deductum est. Tum quia, sicut distinctio Virtualis fundatur in virtute, & Eminentiâ divinæ Simplicitatis, ratione cujus formalitas divinæ Substantiæ, quamvis sit unica, tamen præstat, quòd præstaret, si foret multiplex, ita mutatio Virtualis radicatur in Virtute, & Eminentiâ divinæ Immutabilitatis, quæ præstat idem, ac si Deus de facto mutaretur. At si Deus mutaretur de facto formaliter, fieri posset de nolente volens, & de volente nolens. Ergò ratione Mutationis Virtualis id ipsum ita præstat, ut dum est volens, possit esse nolens, & econtra. Ergò idem actus divinæ Voluntatis manens formaliter immutabilis, & immutatus ita vult & decernit creationem

5. Petri, ut possit non velle, & non decernere. Tum quia radix hujus virtualis Mutationis est ipsa Infinitas divinæ Voluntatis, ratione cujus unicus ipsius actus continet eminenter infinitos actus nostros. At quod eminenter continet aliud, idem præstat, ac illud. Ergo unicus actus idipsum præstat Voluntati divinæ, quod Voluntati nostræ plures, & infiniti actus præstarent. At ratione plurium actuum volitionis & nolitionis possumus non velle id, quod volumus, & econtra. Ergò divina Voluntas ratione unius simplicissimi actûs ita voluit creare mundum, ut potuisset non velle, & sic liberè voluit.

Conclusio I.

NOn licet simpliciter, & absolutè dicere, quòd actus Divini liberi sive aliqua Dei formalitas possit deficere, sive substantiæ Divinæ deesse.

6. Probatur. Nam ex ratione actûs puri & simplicissimi est, quòd omnis formalitas Deo inexistens sit divina Essentia, & ipse Deus. Unde talis Formalitatis Quidditas est ipsum Esse divinæ Essentiæ. Hæc autem per se subsistens, & ex se actuata Essentia non tantum habet in se ipsâ Essendi necessitatem, sed per formalem identitatem Transcendentaliter est inclusa in ratione quidditativâ omnis Formalitatis divinæ. At intrinsecè repugnat concipi formalitatem defectibilem, quæ in suo conceptu quidditativo importat Essendi necessitatem. Cùm igitur formalitas actûs divini liberi sit Deo adæquatè intrinseca, sitque adeò de ejus ratione quidditativâ Essendi necessitas, nequit de eâ simpliciter, & absolutè verificari, quòd sit defectibilis, seu quòd possit Deo deesse.

7. Dices. Si Deus noluisset creare Mundum, non esset in ipso volitio creandi Mundum. At hæc volitio creationis Mundi est in *Nunc* æternitatis Deo adæquatè intrinseca; Ergo potuisset in DEO non esse volitio adæquatè intrinseca.

Contra. Nam ex ipsis terminis manifestum est, quòd *Volitio creandi Mundum* duo importet. 8.
Unum in recto, scilicet Volitionis divinæ liberæ formalitatem; alterum in obliquo, nimirum terminum illius Volitionis divinæ, seu Mundi creationem. At termini habentis duplex significatum unum in recto, & alterum in obliquo, ea est conditio, ut ipsius significatio non subsistat, deficiente alterutro significato. Ergo ex hoc tantùm, quòd non esset creatio Mundi non staret in *Nunc* æternitatis Volitio divina de creando. At hæc divinæ creandi Mundum volitionis non subsistentia non esset ex parte formalitatis actûs divini liberi Deo adæquatè intrinseci, sed ex parte creationis Mundi ad Extra Transeuntis se habentis ad illam Dei Formalitatem per modum Termini in obliquo importati per *ly Volitio creandi Mundum.* Etsi proinde ista denominatio Deus est volens creare Mundum, posset non esse, hæc tamen defectibilitas non est circa formalitatem actûs divini liberi Deo adæquatè intrinsecam, sed tenet se penes terminum illius Formalitatis, nec non penes denominationem nostri Intellectûs non potentis illam formalitatem intelligere, nisi ratione habitudinis seu relationis rationis ad creationem Mundi.

Instabis. Illa formalitas Decreti divini liberi 9.
independenter à denominatione seu conceptione nostri Intellectûs habet in se ipsâ realiter infallibilem causalitatis connexionem cum creatione Mundi. Ergo eâ subsistente non potest non fieri creatio Mundi. Ergo si secundùm se, & quoad rationem suam intrinsecam non possit in *Nunc* æternitatis non esse in Deo, oporteret, creationem Mundi non potuisse non fieri à Deo.

Contra. Nam illa Decreti divini liberi for- 10.
malitas habens rationem Causalitatis Deo intrinsecæ est per ipsum Bonitatis Increatæ Esse divinum tanquàm objectum Motivum formaliter identicè specificata. At istud Esse divinum, ceu actus cum plenâ perfectione in se omninò independenter subsistens habet ex ipsâ summæ Bonitatis ratione sui ad extra communicabilitatem, absque ullâ tamen dependentiæ necessariâ cum creatione Mundi connexione. Hæc autem independentiæ ad extra communicabilitas Deo intrinseca ab intellectu divino intentionaliter expressa, atque ut sic Voluntatis divinæ inclinativa ratione suæ Independentiæ *liberè*; ratione verò suæ purissimæ actualitatis *formaliter identicè* actuat Voluntatem Dei, hanc per ipsum suum Esse subsistens constituendo in Esse formalis Decreti tum liberi ad extra, tum necessarij quoad intrinsecam Essendi formalitatem. At ista *quoad Essendi formalitatem necessaria*, in ratione autem *Decreti ad extra libera* formalitas ita habet cum creatione Mundi causalitatis connexionē infallibilem, ut hæc ipsa tamen infallibilitas importet formaliter libertatem utpote radicata in connexione non alicujus dependentiæ illius formalitatis, sed causalitatis Eminentialis specificatæ & actuatæ per Bonitatis increatæ, ejusque actualissimæ ad extra communicabilitatis Esse independens, ac per se subsistens. Constat igitur, qualiter Decreti divini formalitas in Essendo sit

necessaria, & tamen libera ad extra, totâ & adæquatâ libertatis ratione formaliter Deo inexistente secundùm infallibilem effectûs ex tali Eminentiali Bonitatem suam Increatam ad extra communicante Causalitate consecutionem, absque ullâ tamen ex parte hujus Causalitatis se tenente connexione Dependentiæ relationis.

CONCLUSIO II.

Modus explicandi Dei libertatem per Virtualem defectibilitatem, seu Mutabilitatem tangitquidem, non tamen soluit Mysterij hujus difficultatem.

II. Probatur. Nam Modus iste, prout ab Arriagâ *sup. n. 3. exponitur*, in hoc saltem durus est, quòd asserat, reales actuum Dei liberorum formalitates posse in Deo realiter non esse. Hoc autem *prac. concl. 1.* refutatum est. At verò quatenus à Dominico de Marinis *n. 4.* expositus est, reddit Libertatis divinæ rationem ex eminentiali creatorum liberorum actuum continentiâ. Hæc autem Eminentialis omnium creaturarum continentia non subsistit in Deo, nisi cum depuratione omnis imperfectionis, ac potentialitatis. De hâc proinde potentialitatis exclusione, ac omnimodâ imperfectionis depuratione circa Dei libertatem remanet difficultas. Nam cùm ex unâ parte Libertas importet in potentiâ volitivâ indifferentiam, in actu verò libero contingentiam, seu non necessitatem, ex alterâ verò parte omnis Deo intrinseca formalitas cum Essentiâ divinâ identificata sit in Essendo necessaria; idcirco in hoc ipso latet Libertatis divinæ Mysterium, quòd Libertas secundùm rationem suam formalem, & non Eminentialem duntaxat stare possit in Deo *realiter formaliter* identificata cum Essentiâ divinâ.

CONTROVERSIA V.

In quo tandem consistat ratio Divinæ Libertatis?

1. Suarez *disp. 30. Metaph. sect. 9. n. 38. et seq.* asserit, Eminentiam hujus Mysterij in eo consistere, quòd actus divinus liber apprehendatur ut forma quædam, quæ secundùm totam realitatem suam sit necessariò in Deo, imò sit ipse Deus, nec tamen conferat necessariò quasi adæquatum effectum formalem, quem conferre possit, in ordine ad objecta extrinseca, sed in manu & potestate habentis talem actum sit, per illum tendere, vel non tendere in talia objecta, ita quidem, ut si tendat, verè illa amet, ac velit, & nihil ideo plus habeat, quàm si non amaret. Fundamentum est. Tum quia velle divinum, cùm non sit forma informans, neque actus actuans, sed actus purissimus, altiori modo est intelligendum, constituere Deum volentem. Hic verò altior modus in eo situs est, quòd attingat objecta cum eminenti quâdam potestate ad attingendum vel non attingendum secundaria objecta, nullâ in ipso actu mutatione, vel reali additione factâ. Tum quia velle creatum differt ab Increato, quòd illud sit totum naturâ suâ ordinatum ad objectum, à quo sumit speciem. Ex quo fit, non posse talem actum esse in potentiâ, quin actu inclinet ad objectum seu Bonum creatum sui specificativum. Est autem ejusmodi actualis in objectum suum Motivum inclinatio forma Volitionis, constituens Voluntatem formaliter volentem tale objectum. Econtra verò velle Increatum nullam speciem sumit ab objectis creatis, neque habet realem habitudinem ad illa, sed eminentissimo, & absolutissimo modo illa attingit, quando Deus illa vult. Hinc autem est, quòd velle divinum secundùm totam suam Entitatem necessariò sit, non tamen necessariò attingat talia extrinseca, seu secundaria objecta. At ex hoc ipso est consequens; Entitatem illius velle, cùm liberè attingit ista objecta, nihil importare supra Esse Dei Increatum, quod adeò se ipso sit volitio eorum, liberè volendo, ac determinando.

Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 5. a. 4.* hanc de Libertate Dei difficultatem duabus conclusionibus absolvit. In quarum primâ *à n. 2. usque ad 7.* expositâ, & probatâ asserit; Volitionem Dei ut liberum actum Deo intrinsecum distingui à Voluntate divinâ ut necessariâ, quòd hæc respiciat divinam Bonitatem ut objectum omninò adæquatum, imò ut omninò identificatum sibi: cùm econtrà ut libera non constituatur per ordinem ad objectum creatum, nec per habitudinem realem, utpote quæ esset dependentia: sed ut sic importare, ac dicere summam, & absolutam Independentiam à creaturis, & summam creaturarum respectu ipsius subjectionem; adeòque non tam respicere creaturas ut objecta, quàm ut effectus inadæquatos contingentes, & sibi non necessarios. Unde Bonitatem duntaxat divinam esse proprium illius actûs objectum, creaturas verò esse ejusdem, etiam ut volitio est, effectus. 2.

Fundamentum *n. 5.* deductum est. Quia libertas in nobis postulat Independentiam ab objecto, non quidem in specificando actum, sed in movendo ad exercitium actûs. Nam licèt hic specificetur ab objecto, adeòque ab isto dependeat quoad specificationem; nihilominùs ut actus sit liber, oportet objectum ejus esse tale, quod non cogat potentiam ad habendum actum, nec superet totam resistentiam illius, sed licèt possit allicere & attrahere potentiam, non tamen omnem adæquationem ejus superet. At ex hoc ipso est quædam potentiæ independentia ab objecto. Hæc autem Independentia in eo sita est, quòd potentia non subjiciatur objecto, nec ab isto moveatur, nisi in quantum voluerit. Ista verò non subjectio, nec nisi secundùm placitum motio importat potentiæ Dominium, ac libertatem erga actum quâ tendentem in tale objectum. Cùm igitur Libertas consistat in Dominio, ac Independentiâ, tantò major erit Libertas Voluntatis erga aliqua objecta, quantò ab his in movendo, ac specificando, imò & terminando est magis independens, & absoluta. At Voluntatis divinæ Independentia est non penes egressionem, vel non egressionem actûs à potentiâ, siquidè in Deo sit tantum actus secundus purissimus, & unicus. Est igitur Voluntatis Dei Independentia dunta- 3.

xat in

xat in tangendo, vel non tangendo objecta creata. Hæc autem Voluntatis divinæ circa objectum creatum attingentia eſt per terminationem, non quà indigeat actus terminari, ſed quà poſſit ſe communicare, & ſubjicere ſibi objecta creata. In hâc igitur independentiâ conſiſtit libertas Volitionis divinæ, quod iſta nec in ratione actûs egredientis dependeat à potentiâ; nec in ſui terminatione aut ſpecificatione dependeat ab objecto, atque adeò terminetur ad objectum per hujus à ſe dependentiam, non ſui ab objecto.

4. In 2. Ioannis à S. Thomâ n. 7. & ſeq. expoſitâ concluſione aſſeritur, Volitionis quà diſtinctæ à nolitione, vel quà determinatæ magis ad unum, quam aliud, rationem formalem conſiſtere in abſolutâ, & intrinſecâ actualitate ſuâ, ut immutatâ, & neceſſariâ in ſe, immutante autem objectum, ſeu communicante rationem objecti non neceſſariò. Sicuti econtra nolitionis rationem formalem eſſe ex eâdem immutatâ, & neceſſariâ actualitate, ut non immutante, nec conſtituente rationem objecti. Fundamentum à n. 10. deductum eſt. In hoc Voluntas noſtra differt à divinâ, quod noſtra ſupponat Bonitatem, quam amet, divina verò ſit per amorem creans, & rebus creatis infundens Bonitatem, ex S. Doctore 1. p. q. 20 a. 2. Unde Volitio divina comparatur ad volita creata non ſupponendo ipſa in ratione objecti, ſed conſtituendo, & participando creaturæ, quod ſit objectum, etſi non neceſſarium ſibi, ſed inadæquatum. At ex hoc ipſo, quòd volitio divina amando participet Bonitatem, ſecundum quam creatura eſt objectum illius Volitionis, eſt conſequens, hujus determinati objecti volitionem diſtingui ab ejuſdē nolitione, non per determinationem aliquam ex creaturis pendentem. Ergo per hoc ſolùm, quòd talis volitionis actus ſit immutans objectum, ſeu conſtituens illud in ratione Boni, ac determinatè volibilis. At hæc in Eſſe objecti Volibilis conſtitutio fit per actualitatis voluntatem divinam identicè ſpecificantis, ac Moventis participationem limitatam; nec adeò Voluntati divinæ adæquatam. Ex hoc ipſo autem eſt, quòd iſta objecti per Voluntatem divinam attingentia, & derivatio, ſeu participatio non ſit neceſſaria. Quamvis ergò Eſſe actûs ſive Volitionis, ſive nolitionis ſit neceſſarium, poteſt tamen fundare habitudinem non neceſſariam, non quidem propter Eſſe actûs, ſed propter limitationem objecti non adæquati ſibi tam in ratione actûs Voluntati divinæ erga objectum Immanentis, quam in ratione actûs ad extra immutantis objectum Volitum. Etſi proinde iſte actus de ſe indifferens ſit ad volendum & nolendum, ex hoc ipſo tamen, quòd ſit actus purus, poteſt fundare determinatam volendi habitudinem, activè conſtituendo objectum in Eſſe Volibilis, huic per Cauſalem participationem communicando rationem Bonitatis. Conſtat igitur, divinæ circa iſtud Objectum Volitionis rationem determinatam conſiſtere in abſolutâ, & intrinſecâ Voluntatis Dei actualitate in ſe immutatâ, & neceſſariâ, ſed immutante objectum, eique utpote non adæquato non neceſſariò communicante rationem objecti Volibilis, ſeu Bonitatis participatæ.

***

CONCLUSIO I.

DIvina Voluntas quà libera, eſt Amor DEI neceſſarius per actualitatem Increatæ Bonitatis ex ſe ipsâ intelligibiliter in DEO expreſſam, atque ut ſic Inclinationis Divinæ Motivam formaliter identicè ſpecificatus habens rationem Virtutis ad extra volitivæ ſecundùm ſui ex eâdem Increatâ DEI Bonitate quà in infinitum communicativâ formalem intrinſecam ſpecificationem, habens verò rationem potentiæ ad extra Liberæ ex ipſius Increatæ actualiſſimæ Bonitatis Independentiâ Amoris quà Divini formaliter identicè ſpecificativâ.

Explicatur & Probatur. Specificatio Amoris divini eſt per formalem realem identitatem Bonitatis Dei Increatæ quà per ſe ipſam intelligibiter in Deo expreſſæ, atque ut ſic Inclinationis divinæ *formaliter identicè* Motivæ. At Bonitas Dei Increata hoc ipſo, quod ſit actus purus, eſt infinita in Eſſendo, & cauſaliter efficiendo, ac finaliter movendo. Hæc igitur omnis tum Eſſendi, tum efficienter cauſandi, tum finaliter movendi infinitas ſub ratione puriſſimæ actualitatis ſpecificando Amorem Dei, huic *formaliter realiter* ſe identificando, conſtituit Amorem divinum in ratione inclinationis ad Bonitatem Increatam ſui *formaliter identicè* ſpecificativam infinitè communicandam ad extra. Hæc autem activa Bonitatis Dei per Amorem ſui communicabilitas, cùm ſit actus purus, formaliter importat ſui independentiam. Ex iſta vero independentiâ eſt, quòd illa communicabilitas in ratione Eſſendi infinita ſit per ſe ſubſiſtens abſque ullâ ſui ad extra communicatione. Ex hoc autem fit, quòd Eſſendi actualitas, ſeu communicabilitas in ſe actualiſſimè ſubſiſtens nullam cum aliquâ ſui ad extra communicatione habeat neceſſariam connexionem. Conſtat proinde ex Amoris divini per puriſſimam, & in Eſſendo infinitam Bonitatis Increatæ actualitatem *formali identicâ* ſpecificatione haberi, tum quòd iſte Amor in Eſſendo infinitus ſit quædam vis ſub ratione actualiſſimæ Inclinationis, atque adeò Voluntatis activa, ſeu Bonitatis Increatæ in infinitum communicativa: tum quòd ille ipſe Amor per Eſſe divinum ſpecificatus ſit per ſe ſubſiſtens, atque adeò poſſit ſtare independenter ſine ullâ ſui ad extra communicatione. Atqui facultas libera nihil aliud eſt, quàm vis activa non neceſſitata ad agendum. Conſequens igitur eſt, ex præallegata Amoris divini per Bonitatem Dei Increatam in ſe actualiſſimè, ac independenter ſubſiſtentem ſpecificatione convenire Amori illi divino rationem Voluntatis ad extra liberè activæ.

5. (margin, beside "Explicatur & Probatur")

6. (margin, beside "finitè communicandam ad extra")

CONCLUSIO II.

ACtus DEI liber conſtituitur *formaliter* in ratione actûs per ipſam Bonitatis Increatæ ſui Motivæ, ac ſpecificativæ actualitatem, habetque rationem Vo-

litionis liberæ, quatenus per finalem Bonitatis Increatæ motionem sibi *realiter formaliter* identificatam est inclinatio actualiter præfinitiva Bonitatis ex se participatæ: at rationem Nolitionis habet, quatenus per finalem perfectionis Dei, quà independenter in se subsistentis motionem est actu præfinitiva negationis creatæ Bonitatis.

7. Explicatur, & Probatur. Nullus sive creatæ sive increatæ Voluntatis actus est, quin habeat aliquod Motivum. At omnis actûs Divini liberi Motivum *formaliter idemquè* specificativum est unica Bonitas Increata in ratione Essendi purissima, & actualissima. Ex hoc ipso verò, quòd actus Dei liber non subsistat, nisi per formalem identicam illius Essendi actualitatis specificationem, oportet cujusvis Decreti Divini liberi non esse, nisi unam simplicissimam Actualitatem, Essentialitatem, ac Formalitatem. At ista simplicissima formalitas habet rationem Volitionis quatenus est inclinatio, rationem autem nolitionis habet, quatenus est aversio: Sicuti autem inclinatio Dei in Bonum creatum est infundens Bonitatem, seu creans Bonum à se derivatum: sic aversio Dei est propter increatæ Bonitatis Independentiam denegans Bonitatem ex se derivabilem. Quemadmodum igitur infusio illa Bonitatis, seu creatio importat actionem æternam seu causalitatem Deo intrinsecam, quæ ut sic est Volitio effectûs ac Boni creati præfinitiva: ita denegatio Bonitatis ex Deo derivabilis est actus Dei Immanens, ac intrinsecus, ex quo *negativè* fluit in rebus creatis negatio Bonitatis, quæ est objectum aversionis, seu terminus Nolitionis Divinæ.

8. Oppones: Si cujusvis actûs Divini Liberi non sit nisi una Formalitas, sequi, quòd de facto sit in Deo formalitas, quæ Decreti Divini de alio Mundo producendo, si nunc daretur in Deo, secundùm totam ejus rationem non tantùm Essentialem, sed etiam Individualem esset formaliter constitutiva. At non esse intelligibile, quòd Decreti Divini de alio Mundo producendo tota constitutiva ratio sit in Deo, & tamen Decretum illud Divinum non sit de facto.

9. Contra. Nam formalitas Decreti de alio Mundo producendo aliter est intelligibilis, prout est in se, & in ordine ad Intellectum Lumine gloriæ elevatum; & aliter prout objicitur nostro Intellectui non nisi dependenter à creatis, ac sensibilibus cognoscenti. Etenim nos illam formalitatem apprehendimus sub ratione Terminationis activæ causaliter communicantis Bonitatem participatam, atque ut sic constituentis objectum creatum in Esse boni volibilis. Illa verò Divinæ Volitionis activa Terminatio ex parte rei Intellectæ importat quidem Formalitatem Deo adæquatè intrinsecam, conceptam tamen à nobis sub ratione habitudinis non necessariæ ad effectum ex eâdem Dei formalitate causatum, atque ut sic constitutum in Esse objecti, seu Boni volibilis. At ea est ratio habitudinis, ut concipi non possit sine termino. Unde hoc ipso, quòd alter mundus nunquàm sit extiturus, non verificatur secundùm nostrum Intellectum, esse in Deo formalitatem Decreti Divini liberi de altero Mundo producendo. Nihilominus à parte rei nunc verificatur, quòd sit in DEO illa ipsa Formalitas, quæ esset, si alter Mundus esset producendus. 10. Hæc autem formalitas est nunc alterius Mundi producendi Nolitio, quatenus ex eâ pro Divini Dominij arbitrio est consequens negatio Existentiæ alterius Mundi. Hæc autem consecutio negationis alterius Mundi ex hoc solùm est, quia Deus pro libertate suâ non vult habere suæ Voluntatis objectum alterius Mundi Existentiam; sicuti econtra ex eo, quòd Deus Mundi jam producti Existentiam velit habere voluntatis suæ objectum, erat certa hujus existentiæ consecutio; juxta illud Ionæ *1. Tu Domine sicut voluisti, sic fecisti.* Et *Iudith. 9. Hoc factum est, quod voluisti.* At hæc sive Existentiæ, sive non Existentiæ circa eandem etiam rem ex Divinâ Voluntate consecutio importat quidem Voluntatis Divinæ determinationem, quæ supponit ejusdem indifferentiam circa objecta, non verò indifferentiam potentialitatis ad oppositos Volitionis, ac Nolitionis actus. ex S. Tho. *1. cont. c. 82.* Ex hoc ipso autem, quòd Voluntas Divina nullam ad actus Volitionis & Nolitionis dicat potentialitatis indifferentiam, oportet in Dei Voluntate esse unicam Divinæ substantiæ Formalitatem simplicissimam. Constat igitur, tametsi illa ipsa formalitas in Nunc æternitatis sit Divinæ Voluntati inexistens, quæ etiam esset in Deo, si decrevisset producere alterum Mundum, non tamen dici, Deum habere Decretum de altero Mundo producendo.

Tum quia ista ratio Decreti *secundùm nostrum Intellectum* importat habitudinem terminationis ad Mundi Existentiam, seu productionem passivam Transeuntem; ex cujus adeò habitudinis secundùm nostrum Intellectum de Deo enuntiabilis defectu negamus, in Deo esse formalitatem Decreti de alterius mundi productione. 11. Tum quia ratio illa Decreti *secundùm se* esset formalitas Esse Divini ita specificantis, ac moventis Amorem Dei, ut per hunc esset Volita existentia alterius Mundi. Hæc autem formalitas excludens potentialitatis ad intra indifferentiam per se ipsam in Nunc æternitatis formaliter determinata est in ratione Nolitionis, quatenus per Independentiæ suæ libertatem habet pro termino suo negationem alterius Mundi; quæ tamen ipsa formalitas posset esse determinata in Esse Volitionis ex hoc solùm, quòd per Virtutis suæ activæ Dominium absque ullâ habitudinis realis, sed ex Eminentialis Causalitatis connexione secundùm libitum habere possit pro objecto seu termino Existentiam Mundi alterius. Unde quia non ista alterius Mundi Existentia, sed ejus negatio est de facto Terminus illius Divinæ Formalitatis; hæc à Beatis sine ullâ ratione seu habitudine rationis, sed sub eminentiali independentiæ ratione intelligitur esse in Deo Decretum de non producendo altero Mundo.

Responsio ad fundamenta opposita.

AD Suarezij *n. 1.* & S. Ioannis à S. Thomâ *n. 2. ac 3.* proposita Respondetur. Ea non minùs verè, quàm eleganter esse dicta, in quibus tamen attendendum inprimis esse, ne in

Liber-

Libertatis Divinæ conceptu nostro objectivo fiat confusio tum formalitatis, quæ in tali conceptu se habet *ut quo*, estque relatio, seu habitudo rationis *sub quâ* libertatis Divinæ actum per se absolutissimè subsistentem intelligimus; tum alterius formalitatis, quæ in illo conceptu se habet *ut quod*, estque ipsa realitas actûs Divini formaliter inexistens Deo. Nam quando volitio Divina explicatur à nobis sub ratione attingentiæ, Terminationis, seu connotationis, & participationis activæ derivantis ex se Bonitatem creatam, atque ut sic causaliter constituentis objectum in Esse boni volibilis, non potest ex parte conceptûs nostri objectivi non importari respectus rationis. Hæc autem relationis ratio non se habet *ut formalitas* Volitionis Divinæ liberæ *intrinsecè* constitutiva, sed ut ratio *sub quâ* ista formalitas est cognita à nostro Intellectu. Juxta quod adeò discrimen verificatur, quòd Deus sit potiùs volens Mundi existentiam, quàm nolens, sine ullius ex parte creaturarum mutationis connotatione reali, etsi non sine absolutâ Eminentiali Independentiæ
14. Causalitate ex se illativâ talis Mutationis. Quia verò ista Eminentialis causalitas secundùm nostrum concipiendi modum non est intelligibilis, nisi cum connotatione mutationis creaturarum: idcirco in illâ denominatione Dei volentis potiùs, quàm nolentis omninò importatur connotatum ex parte creaturarum non quidem tanquàm forma, uti contendebat Vasquez extrinsecè denominans, & constituens Deum in ratione liberè Volentis, sed tanquàm terminus illius connotationis, seu habitudinis rationis. Quo adeò Formalitatis Divinæ liberæ *prout est in se, ac prout est sub nostro modo intelligendi* considerato discrimine, facilè ruunt omnia, quæ adversùs Suarezium movet Arriaga *cit. disp. 28. sect. 3.*

CONTROVERSIA VI.

An Formalitas Decreti Dei Liberi importet contingentiam repugnantem Divinæ Immutabilitati?

1. Voluntatem Divinam esse Immutabilem evincitur ex illo *Num. 23. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; neque ut Filius hominis, ut mutetur. Et Proverb. 19. Multæ cogitationes in corde Viri, Voluntas autem Domini in æternum manet.* Unde si quando Deus dicitur pœnitere *Gen. 9. & Ierem. 18.* intelligendum est Metaphoricè, tum quia nos pœnitendo destruimus, quod fecimus: hoc autem Voluntas Divina sine ullâ sui mutatione fecit circa hominem, delendo ipsum à facie terræ per diluvium. Ergò pœnitentia in Deo importat Voluntatem rei à se factæ destructivam, nullâ in se contingente mutatione. Tum quia homines dicuntur etiam pœnitere, si non adimpleant, quod comminati sunt. At Deus potest aliquid fuisse comminatus vel conditionatè, vel habito respectu ad exigentiam præcisè, ac merita Causarum secundarum, quin ex altioris sui Iudicij consilio adimpleat. In hoc autem fit mutatio quidem sententiæ, non autem Consilij Voluntatis Divinæ, uti habet D. Gregorius *lib. 20. Moral. c. 23. in med.* Tunc adeò potest Deus *metaphoricè* dici pœnituisse non mutando Voluntatem, seu Consilium, sed comminationem non adimplendo. ex S. Thomâ *præs. art. 7. ad 2.*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

Quo adeò posito, triplex restat difficultas. 2.
I. Quòd libertas importet actûs contingentiam, hæc verò inferat Mutabilitatem. Si contra ponatur, libertatem sitam in potentialitatis indifferentiâ arguere mutabilitatem, non verò libertatem in purissimæ actualitatis, & ad extrà communicabilitatis infinitæ independentiâ consistentem; tunc secunda emergit difficultas.

Nam ista purissimæ actualitatis ratio præstar, quòd communicabilitas ad extra independenter, ac per se subsistens se ipsâ absque ullâ realis formalitatis additione determinetur in ratione Volitionis liberæ causativæ actûs creati. Hinc autem fit, quòd Voluntas Divina ex volente possit constitui Nolens sine ullâ sui mutatione: nec adeò videtur stare argumentum S. Thomæ *cit. art. 7.* non minùs de voluntate Divinâ, quàm creatâ arguentis; mutandam fore, si desineret velle, quod voluit. Ex eo porrò quòd idem S. Doctor *loc. cit.* asserat non posse voluntatem desinere velle, quod voluit, nisi factâ mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiæ ipsius volentis, resultat tertia difficultas: *An ex Dei Scientia, ac substantiæ immutabilitate efficaciter probetur Voluntatis Divinæ Immobilitas.* Nam illam Doctoris Angelici rationem à Vasquez *præs. art. 7. Comm. n. 38.* & Suarez *cit. sect. 9. Metaph. n. 57. & 58.* argui de inefficaciâ, & insufficientiâ; inferiùs patebit. 3. 4.

Conclusio.

Ex Immutabilitate Divinæ Scientiæ efficaciter demonstratur Voluntatis Divinæ invariabilitas.

Explicatur ratio Angelici Doctoris. Duplex est mutatio; physica, quæ ex parte Mobilis infert potentialitatem; & Moralis, quæ importat animi Inconstantiam, dum ex parte objecti voliti nulla se offert ratio nova. Hæc autem ex parte objecti ratio nova esse potest vel *secundùm cognitionem*, dum nova aliqua ratio incipit ex parte intellectûs esse expressa, ac repræsentata voluntati; vel *secundum dispositionem subjecti*, cui ex variatione dispositionis incipit esse aliquid conveniens, seu Bonum, quod prius non congruebat. At invariabilitas Divinæ Scientiæ est, secundùm quod omnis veritatis cognoscibilis est in Deo repræsentatio, ac tota simul per æternitatem mensurata expressio. Ergò si Deus aliquam in suâ Voluntate subiret Decreti Mutationem, vel arguendus esset de Inconstantiâ, vel oporteret aliquid incipere conveniens, seu Bonum esse Voluntati Divinæ, quod priùs non congruebat. Hoc autem arguit in Substantiâ Dei Mutationem physicam, illud verò Moralem, vituperabilem in genere moris. Cùm igitur hæc utraque mutatio repugnet summæ perfectionis actualitati, & Sanctitati purissimæ, 5.

 ita na-

ita neganda est de Deo, ut consequenter negari debeat Decretorum variabilitas.

6. Oppones ad mentem fortè Vasquezij *loc. cit.* Mutationem Voluntatis importare in genere moris vituperabilem animi Inconstantiam, si nullâ prudentiæ ratione nitatur. At omnis Decreti Divini rationem prudentialem esse Boni creati congruentiam respectu alicujus Attributi Divini. In æternitate verò ita repræsentari invariabiliter à Divino Intellectu cujusvis participatæ Bonitatis cum Increatâ Dei Bonitate tanquàm causâ Ideali, Finali, ac Effectrice convenientiam, ut tamen simul stet omnis creaturarum existentiæ negatio immobiliter à Divino Intellectu expressa quà congrua Dei absoluto Dominio, ac Independentiæ. At istas tum Existentiæ creaturarum ad Dei Bonitatem Increatam, tum earundem negationis ad Dei Independentiam, & Dominium absolutum congruentiæ rationes ita se habere in ordine ad Divinam Voluntatem, ut neutra ex se ipsâ præponderet, atque adeò voluntatem Dei posse absque ullâ Imprudentiæ labe non nisi ex ratione sui Dominij, ac summæ libertatis se ad alterutram determinare, ita ut si quæratur: *Cur Deus decreverit hujus potius, quam alterius Mundi Existentiam*; sive *cur unum prædestinaverit ad Gloriam, alterum verò reliquerit in massa perditionis*, nulla dari possit ratio, nisi, quia ex Dominio suo voluit. Cùm igitur ista ratio subsisteret, etiamsi Deus ex vi sui Dominij in tempore incepisset nolle Mundi Existentiam, quam prius voluisset; non apparere, cur Deus mutando Voluntatis suæ Consilium foret arguendus Inconstantiæ, seu Imprudentiæ, siquidem hæc ipsa mutatio niteretur illâ ratione prudentiali, quâ ejus Decreta regulabantur in æternitate.

7. Contra. Nam ex hoc ipso, quòd prudentia sit Virtus Intellectualis; oportet, rationem prudentialem niti Veritate in primo præsertim Dei Intellectu, qui ita est Prima veritas, ut sit mensura, & Causa omnis alterius veri resultantis ab unâ Divini Intellectûs Veritate. ex S. Tho. 1. *p. q. 16. a. 1. & 5.* Unde quia Intellectus Divinus est immutabilis, sit; omnem veritatem etiam creatam quà comparatam ad Dei Intellectum esse æternam, ac immutabilem. ex eod. S. D. *cit. q. 16. a. 7. & 8.* At si Decretorum Dei posset fieri aliqua variatio, oporteret, Veritatis quà comparatæ ad Divinum etiam Intellectum, esse mutationem. Cùm igitur ista Veritatis mobilitas repugnet rationi Primæ Veritatis, quâ niti debet omnis in Deo ratio prudentialis, non posset Voluntas Divina habere aliquam Decretorum in se variationem, nisi cum Inconstantiæ, atque adeo Imprudentiæ notâ. Etsi proinde ex ratione absoluti Dominij *Nunc* posset *in sensu Divino* nolle, quod in æternitate voluit, ex hypothesi tamen, quòd voluerit, atque adeò *in sensu composito*, Veritatis Decreto suo nitentis Immobilitas non admittit in Deo, posse *Nunc* non velle.

8. Replicabis ex Suarezio *ubi supra*. Hâc ratione probari, quòd ex variatione Decreti, aut liberæ terminationis non tam inferretur physica Voluntatis Divinæ mutatio, quàm animi quædam imprudens Inconstantia.

9. Contra. Nam illo argumento evincitur, oportere, Decretum Divinum tam esse immutabile, quàm immobilis est veritas rerum creatarum nixa libero Dei Decreto. At Divini Intellectûs formalis Veritas cujusvis creatæ Veritatis objectivæ mensura, & causa in se immobilis mensuratur æternitate. Hæc autem est tota simul, & perfecta vitæ possessio, differtque à mensurâ æviternâ, ac temporaneâ, quòd istæ vel in operatione, vel in substantiâ admittant mutationem, seu durationis variationem: Hanc ipsam verò in ævo, seu tempore variationem oportet esse physicam, quòd sit de non Esse ad Esse, nec adeò versari possit circa formalitatem, cujus Esse est per se actualiter subsistens. Unde si Decretum Divinum esset mutabile, tunc non mensuraretur æternitate, sed oporteret mensurari ævo, vel tempore, nec adeò tunc esset intelligibile in ratione purissimæ actualitatis, seu formalitatis identificatæ cum Divinâ Essentiâ. 10.
At verò ex hoc, quòd æterna ex Divino Intellectu, ceu Primâ formali veritate resultans creaturarum objectiva Veritas nitatur Decreto Dei libero, est consequens, Decretum Divinum mensurari æternitate, atque adeò habere sui quà liberi Decreti totam simul perfectam possessionem *formaliter* in se sub purissimæ actualitatis ratione subsistentem. Ex hoc autem est, quòd Decretum Dei liberum sit non tantùm moraliter, sed etiam physicè immobile. Ergo ex præallegatâ ratione evincitur physica Voluntatis Divinæ quoad libera Decreta Immutabilitas.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD 1. *n. 2.* Oppositam Difficultatem Respondetur. Cùm Libertas divinæ Voluntatis non consistat in potentialitatis ad actus oppositos indifferentiâ, sed in purissimâ actualitatis ad extra in infinitum communicabilis independentiâ, fieri hoc ipso consequens, quòd Decreta Dei libera non sint contingentia. Nam ratio contingentiæ est immediatè ex ratione Entis, uti probat Scotus *in 1. dist. 39. n. 13* Unde non convenit actui libero, cujus Essentialitas, & formalitas est Esse divinum in se necessariò subsistens. At Decreta Dei libera ex hoc ipso, quòd per purissimam Essendi actualitatem sint *formaliter* Esse Dei necessarium, habent ut sic rationem Independentiæ ab objectis creatis. Ex hâc verò Independentiæ formalitate habent rationem liberi, sicuti ex Causalitatis per se absolutè subsistentis formalitate habent rationem Decreti, ex vi suâ intrinsecâ inferentis Contingentiam, seu contingentem effectûs existentiam, vel hujus pro libitu negationem. Constat igitur, divinæ Voluntatis Decreta non esse contingentia, sed in Essendo necessaria, esse tamen libera, quatenus propter Essendi independentiam non sunt necessaria in causando. 11.

Ad 2. *n. 3.* Oppositam difficultatem Respondetur. Ex hoc ipso, si voluntas divina desineret velle, quod voluit, fore consequens, ejus Decreta non mensurari æternitate. Unde consequens fore, non esse purissimam Essendi actualitatem per se necessariò subsistentem. Ex isto verò rursùs sequi, quòd in ratione volitionis liberæ non posset voluntas divina per se ipsam sine formalitatis realis additione, atque adeò mutatione determinari. Ergo rectè inferri à S. Thomâ, quòd Voluntas divina esset mutanda, si desineret velle, quod voluit. 12.

Ad 3.

13. Ad 3. *n.* 4. Oppositam difficultatem Respondetur. Etsi stante Decreto Existentiæ Mundi præfinitivo sit adhuc in Intellectu divino repræsentata ratio congruentiæ de Mundo propter Esse divini Independentiam, & absolutam Dominij sui Libertatem non producendo, ex hypothesi tamen illius Decreti stare immobilem de existentiâ Mundi Veritatem. At ratione hujus veritatis repugnare Deo, nec adeò Bonitati divinæ congruum esse, Mundū non producere. Cùm igitur Deus non possit velle, nisi Bonum, quâ suæ divinæ substantiæ conveniens, esse consequens, quòd ex hypothesi illius Decreti divini liberi *in sensu composito* non possit Deus per suam libertatem non velle Mundi Existentiam, nisi hujus negatio inciperet esse congrua divinæ substantiæ, quod tamen, constat ex dictis, fieri non posse, nisi vel Deus posset agere contra Veritatem sui Intellectûs, vel posset veritas in divino Intellectu semel expressa esse mobilis. Hoc autem utrumque arguere Mutationem tum Intellectûs divini; tum dispositionis Dei Volentis. Ergò ex hujus Immutabilitate per S. Doctorem efficaciter probari divinæ Voluntatis invariabilitatem.

CONTROVERSIA VII.

Utrùm in DEO detur Libertas Contradictionis, vi cujus Voluntas Divina absque omni actu libero posset manere suspensâ?

1. JOannes Baptista Gonet *cit. disp.* 3. *a.* 3. *cum alijs à se relatis* affirmat. Voluntatem Dei ab omni terminatione liberâ ad creaturas potuisse manere suspensam, ac proinde illam esse liberam non solùm libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis. Fundamentum est. Nam ratio adversariorum negantium in divinâ Voluntate omnis Decreti, seu liberi erga creaturas exercitij suspensionem, est; tum quòd ista importaret aliquid imperfectionis, tum quòd Deus non sciret determinatè, res esse futuras, si voluntas ipsius se non determinasset circa futuritionem vel non futuritionem rerum aliquarum possibilium. At neutrum ex istis habet aliquid firmitatis. Minor probatur quoad priorem partem. Cùm enim exercitium Dei liberum nihil ad perfectionem Dei necessariam addat Entitatis, actualitatis, aut perfectionis, sed rationem puræ terminationis, idcirco nullius perfectionis, aut actualitatis defectus sequeretur, etiamsi Voluntas divina omninò cessaret, atque adeò maneret suspensa à libero suo exercitio. Probatur eadem
2. Minor quoad secundam partem. In hoc enim differt Futuritio effectûs alicujus à non Futuritione, quòd ista sit sola negatio existentiæ aliquando habendæ, illa verò sit effectus positivus, dicatque ordinem positivum ad existentiam aliquando habendam. At licèt effectus positivus petat pro causâ liberam Dei volitionem, negatio tamen futuritionis, seu existentiæ aliquando habendæ non exigit positivum influxum, sed sufficit hujus negatio. Cùm igitur non Futuritio ut sic possit esse determinata ex solâ Decreti divini liberi negatione, vel suspensione; consequens est, cum tali suspensione posse stare, quòd Deūs de qualibet re sciat determinate, *an sit futura, vel non futura.*

Ioannes à S. Thomâ *cit. disp.* 4. *a.* 6. *n.* 24. *cum alijs* tenet: omnimodam Decreti liberi suspensionem non tantùm non pertinere ad meliorationem Dominij, seu Libertatis, sed importare imperfectionem, nec adeò esse ponendam in Deo. Fundamentum est. Nam alia est ratio potentiæ executivæ, seu operativæ ad extra, alia verò potentiæ quâ volitivæ per electionem ac determinationem dirigentis, ac operantis actu immanenti intra se. Huic enim, cùm sit vitalis, melius est vitali actu, & deliberatione exercere vitalem libertatem, quàm ab eâ abstinere. Ergo in ratione libertatis, ac Dominij non est major perfectio, si libertas sit omissiva, vel omnis actûs suspensiva, quàm si per positivam Inclinationem, ac deliberationem seu Electionem determinetur circa suum objectum. Etsi proinde de ratione perfecti Dominij Dei sit, posse potentiam suam executivam, seu ad extra operativam suspendere, non operando aliquid extra se, de ratione tamen potentiæ Divinæ, quâ volitivæ est, habere libertatem quæ cum positivâ inclinatione & electione possit non coarctari circa sua objecta secundaria. 3.

CONCLUSIO.

NOn videtur intelligibile, quòd Voluntas Divina possit omnis actûs circa objecta creata esse liberè suspensiva.

Explicatur & Probatur. Non potest in Deo esse ullum liberum, etiam negativum Exercitium, nisi habeat pro motivo Increatam DEI Bonitatem, quâ Independenter per se cum infinitâ perfectione actualissimè subsistentem. At ratio ejusmodi non nisi per formalem realem Identitatem potest esse Motiva. Nequit autem Exercitium aliquod liberum intelligi in ratione puræ omissionis, seu negationis, aut privationis, cujus ratio per formalem realem identitatem Motiva est purissima Esse divini per se independenter subsistentis Actualitas. Ergo non est intelligibile, qualiter voluntas divina circa objecta liberè, sed purè omissivè se habeat ad objecta creata. 4.

Respondebis ex Gonet *cit. art.* 3. *§.* 1. *ad* 1. Non quidem esse intelligibile, quòd liberum voluntatis divinæ Exercitium vel in ratione Entitatis, & actualitatis, vel in ordine ad objectum suum primarium possit esse purè omissivum, bene tamen in ratione Terminationis ac Extensionis ad obiectum secundarium. 5.

Contra. Nam ista extensio, seu Terminatio ad objectum Voluntatis divinæ secundarium duo importat, unum in obliquo, ipsam nimirum Effectûs, seu Termini creati ex Voluntate divinâ Transeuntem productionem, vel hujus negationem. At licèt Dei Voluntas potentiæ suæ ad extra operativæ sit hoc ipso suspensiva, si nolit effectûs alicujus effectionem, seu velit istius effectionis negationem, ac omissionem. Nihilominùs sicuti hæc effectio, sive ejus negatio, & omissio non *formaliter* est libera, sed *consecuti-* 6.

 vè dus-

vè duntaxat, vel *imperativè*, sic per omissionem ejusmodi Voluntas divina in se formaliter spectata non suspenditur ab actu libero. Ut igitur Voluntas Dei libera per puram omissionem diceretur sui suspensiva, oporteret eam suspendi ab actu sibi immanente formaliter, & in recto importato per liberam Voluntatis divinæ ad obiecta creata terminationem.
7. At nullum est de Deo intelligibile liberum Voluntati divinæ immanens exercitium, nisi ex motivo actualissimæ perfectionis divinæ *formaliter identicè* specificatum. Ut sic autem nequit habere rationem negationis: Omissio autem pura importat rationem negationis. Ergò nequit de Deo intelligi pura omissio libera, secundùm quam Voluntas divina in se maneat suspensa.

8. Ratio fundamentalis jam insinuata ita deducitur. Voluntatis divinæ quà liberæ in ordine ad objecta sua secundaria determinatio non est nisi per actualitatem Esse divini in ratione Motivi formaliter identicè specificantis divinæ Voluntatis liberum exercitium. At hoc ipso, quòd istud Esse divinum in ordine ad Voluntatis divinæ objecta etiam secundaria nequeat esse Motivum, nisi sub purissimâ secundùm rationem etiam Motivi actualitate, oportet omne Voluntatis divinæ exercitium ex Motivo illo determinatum esse actualem motionem, siquidem non sit intelligibile Motivum sub ratione Motivi actualissimum, nisi hoc sit formalis actualis Motio ad illud objectum, in ordine ad quod est Motivum Voluntatis. Atqui exercitium liberum habens rationem Motionis, nequit ut sic esse pura Voluntatis suspensiva omissio. Cùm igitur Esse divinum cujusvis Exercitij divini liberi in ordine ad objecta Dei extrinseca specificativum sit purissima in ratione etiam Motivi actualitas, repugnat, in Deo dari Exercitium liberum purè omissivum, seu Voluntatis divinæ ab omni actu suspensivum.

9. Hinc patet 1. Joannis à S. Thomâ, non autem Gonetij *sup. n. 1. & 2.* doctrinam expositam solidam esse. Cùm enim omnis liberi Exercitij debeat assignari Motivum, nequeat autem Voluntatis divinæ esse ullum Motivum, nisi in ratione Motivi actualissimum, ut sic Voluntatis in ratione actualis motionis formaliter constitutivum, idcircò nequit in Deo esse liberum Exercitium nisi sub ratione immanentis motionis, & actûs vitalis. 2. Non esse absurdum, quòd in Deo sint actu Decreta infinita tum absoluta, tum conditionata, circa quaslibet in quavis possibili rerum peristasi in infinitum formabiles combinationes, quæ adeò Decreta sint Intellectui divino ratio sciendi infallibiliter omnia futura tam absoluta, quàm conditionata.

ARTICULUS IV.

DE

Voluntate DEI Antecedente, & consequente.

D. Thomas *præs. q. 19. n. 11.* distinguit circa Deum Voluntatem *Signi*, & *Beneplaciti*. Hæc est ipse Voluntatis Divinæ actus formaliter DEO inexistens: Illa verò est aliqua operatio externa, seu effectus aliquis Divinæ Voluntatis manifestativus; cujusmodi signa, quibus Divina Voluntas dignoscitur, quinque à S. Doctore *cit. q. 19. a. 12.* enumerantur, nimirum Operatio, Præceptum, & Consilium respectu Boni, nec non Prohibitio, & Permissio respectu Mali. Nam potest quis demonstrare, se velle aliquid per se ipsum vel directè, vel indirectè: prior modus evenit, dum quis per se operatur, cujusmodi Voluntatis signum dicitur operatio; posterior autem modus accidit, dum non impedit operationem, diciturque hoc signum Permissio. Insuper potest quis declarare se aliquid velle per alium, hunc ad quidpiam faciendum ordinando, vel necessariâ inductione, diciturque præceptum; vel prohibendo contrarium illius, quod alter cupit; vel denique inducendo persuasoriè quod ultimum pertinet ad Consilium. Ejusmodi proinde Voluntatis Divinæ signa veniunt nomine Divinæ Voluntatis: sic enim de Præcepto, Prohibitione, & Consilio intelligitur illud *Matth. 6. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.* Et de Operatione, ac Permissione scribit S. Augustinus *in Enchirid. c. 95. in fin. Nihil fieri, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel faciendo.* 1.

De hâc Voluntate *Signi* moveri potest difficultas: *An semper sit declarativa voluntatis beneplaciti formaliter DEO inexistentis?* Cujus resolutionem S. Doctor *q. 23. de Volunt. Dei. art. 3. in resp. ad 6.* tradit sequentibus verbis. *Sciendum est, quòd Voluntas Signi tribus modis se habeat ad Voluntatem beneplaciti; quædam enim est Voluntas Signi, quæ nunquam incidit in idem cum Voluntate beneplaciti, sicut Permissio, quâ permittit Malum, cùm malum fieri nunquam velit, quædam semper in idem incidit, sicut Operatio, quædam vero quandoque incidit, & quandoque non, sicut Præceptum, Prohibitio, & Consilium.* Ex quibus patet, significatum Voluntatis Signi non semper esse sub Voluntate Divinâ, etsi ex hâc possit esse consequens. Nam 1. Permissio est Signum Mali, seu peccati à Voluntate creatâ perpetrandi, hæc tamen permissio non infert Voluntatem Dei de peccato faciendo, sed Decretum duntaxat permissivum de non concedendâ Gratiâ Efficaci, & de concurrendo cum Voluntate creatâ ad Entitatem actûs peccaminosi. Quod adeò Permissionis Decretum ita est illativum peccati, quin de hoc Deus habeat Voluntatem Beneplaciti. 2. Deus prohibendo, præcipiendo, & consulendo habet Voluntatem Beneplaciti de creaturâ rationali ad normam Legis suæ æternæ ordinandâ. Quæ tamen ordinatio potest esse duplex, altera in ratione duntaxat Directionis, per præcepti, consilij, ac prohibitionis cum auxilij sufficientis 2.

cientis præparatione intimationẽ, altera in ratione actualis Executionis per Efficaciam Gratiæ. Etsi verò ista posterior executiva ordinatio sit sub signo præcepti, aut Consilij obligantis, aut persuasoriè ad eam inducentis, non tamen respectu omnium, ad quos dirigitur Præceptum aut consilium, sed respectu duntaxat aliquorum est à Deo absolutè, & efficaciter intenta, seu volita. Unde prior duntaxat Directiva, non autem posterior Executiva ordinatio est objectum immediatum Voluntatis Divinæ Beneplaciti, per DEI Preceptum, Consilium, Prohibitionem significati, ex quo Beneplacito Divino emanat tanquàm effectus. Sola igitur operatio, quam semper oportet esse ex Divinæ Voluntatis Causalitate est universaliter Signum Voluntatis Beneplaciti, prædefinientis ejusmodi Operationem.

3. Juxta hæc oritur Quæstio: *An Voluntas, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire,* sit tantùm signi, vel Beneplaciti? Nam Vasquez *disp. 83. c. 1. n. 2. & 3.* plures recenset asserentes, illam Dei Voluntatem non esse Beneplaciti, seu talem, quæ proximè referatur ad salvationem omnium, & ad observationem præceptorum in omnibus hominibus, ita ut secundùm se hæc sint reipsà volita a Deo; sed Voluntatem Dei terminari proximè ad *Media tantùm*, quæ Deus tribuit hominibus, ut per ea salvari possint; nec non *ad præcepta*, quæ eisdem tradit, ut bene operentur. Quam nihilominùs utramque Voluntatem respectu observationis præceptorum, & salvationis hominum esse Signi, quòd Deus præbendo Media absolutè, & tradendo præcepta cum jussione eorum observationis, videatur indicare, se habere Voluntatem circa omnium salutem, & circa observationem præceptorum, cum tamen eam non habeat.

4. Circa illam ipsam de omnibus hominibus salvandis Dei Voluntatem excitatur etiam difficultas ex occasione responsionis D. Thomæ *q. 19. a. 6. ad 1.* petitæ ex S. Ioanne Damasceno *lib. 2. Orthodox. fidei. c. 29. propè finem*, quod nimirum intelligi debeat de Voluntate Dei *Antecedente*, non autem *Consequente*. Hinc enim ex diversimodâ Voluntatis *Antecedentis, & Consequentis* explicatione Doctores dubitant. 1. *An ista de omnibus salvandis Voluntas Antecedens propriè inexistat Deo?* 2. *An hæc Voluntas sit Beneplaciti, & habeat aliquid Efficaciæ.* 3. *An & qualiter sit conditionata, sitque expectans consensum & determinationem Voluntatis nostræ.* Quibus tandem per modum Corollarij alibi ex instituto tractandi superaddemus, qualiter per istam Voluntatem Antecedentem præparentur, & conferantur omnibus Media ad salutem sufficientia.

5. Ne porro ex nominis incertâ significatione de Voluntate Antecedente & Consequente oriatur confusio ac æquivocatio; earum ex Ioan. Bapt. Gonet *to. 3. disp. 4. §. 1. concl. 2.* exhibemus descriptiones, quòd nimirum Voluntas Dei Antecedens sit illa, quæ versatur circa objectum, ut nondum vestitum omnibus circumstantijs, quibus est executioni mandandum. Econtra verò dicatur Voluntas Dei Consequens, quæ objectum inspicit omni suâ circumstantiâ vestitum. Fundamentum desumitur ex S. Thomâ *cit. art. 6. ad 1.* ita disserente: Unumquodque secundùm quod est Bonum, ita est volitum à Deo: potest autem aliquid in primâ sui consideratione Bonum vel Malum esse, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur (quæ est consequens consideratio ejus) e contrario se habet. Sicut hominem vivere est Bonum, & hominem occidi, est malum secundùm absolutam considerationem, sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic Bonum est, eum occidi, & malum est, eum vivere. Unde potest dici, quòd Judex justus *antecedenter* vult hominem vivere, sed *consequenter* vult homicidam suspendi. Similiter Deus, *antecedenter* vult, omnem hominem salvari, sed *consequenter* vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ Justitiæ.

CONTROVERSIA. I.

An in DEO sit Voluntas Antecedens de omnibus hominibus salvandis?

1. Divinæ de omnibus hominibus salvandis Voluntatis testimonium habemus ex illo *1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri.* Ex quo nihilominùs Dei voluntatem de salute omnium non simpliciter evinci, videntur probare expositiones S. Augustini, quarum Prima *lib. 4. cont. Iulian. c. 8.* sic se habet. *Cur ergò non sic accipimus, quod dictum est, qui omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quo modo & illud accipimus, quod idem dixit Apostolus Rom. 5. Per unius Iustificationem in omnes homines gratia pervenit ad Iustificationem vitæ? Hos enim omnes vult Deus salvos fieri, & in agnitionem Veritatis venire, in quos omnes per unius Iustificationem gratia pervenit ad Iustificationem vitæ.*

Secunda desumitur ex *Enchirid. c. 103.* ubi D. Augustinus scribit sequentia: *Debemus ita intelligere, quod scriptum est; Qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem salvum fieri, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quòd nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri voluit, sed quòd nullus fiat, nisi quem velit, & ideo sit rogandus, ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit; sic enim intelligimus id, quod in Evangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem, non quia nullus est hominum, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso, nullus illuminatur.*

Tertia accipitur *ex eod. c. 103. Enchirid.* ubi asseritur: *Aut certè sic dictum est, Qui omnes homines vult salvos fieri, non quòd nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet: sed ut omnes homines, omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum, Reges, privatos, Nobiles, Ignobiles, Doctos, Indoctos.*

2. Quarta petitur ex *lib. de Corrept. grat. c. 16.* ubi disseritur in hæc verba: *Potest etiam sic intelligi, quòd omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle, sicut misit Spiritum Filij sui clamantem Abba Pater, id est, nos clamare facientem &c. Si ergo clamantem Spiritum rectè dixit Scriptura, a quo efficitur, ut clamemus, rectè etiam & Volentem Deum, à quo efficitur, ut velimus.*

3. Adversùs istam Doctrinam invehitur Vasquez *cit. disp. 83. n. 12.* asserendo, S. Augustinum non solum frustra noluisse concedere voluntatem Dei Antecedentem circa omnium salutem, sed allegatum Apostoli locum nullo modo fuisse

rectè expositum ab isto Ecclesiæ Doctore, eò quòd ex citati *1. ad Tim. 2. Capitis* contextu pateat, ita esse acceptum coram Deo; omnes tranquillam, & rectam vitam agere, sicut omnes salvari. At homines rectè, & sanctè vivere vult Deus Voluntate Beneplaciti, juxta illud *Thessal. 4. Hac est voluntas Dei, Sanctificatio vestra.* Ergo omnes, ac singulos homines salvos fieri vult Deus Voluntate Beneplaciti.

Hinc idem Vasquezius *cit. disp. 83. n. 8. 10. & 13.* insistendum judicat doctrinæ Sanctorum Ioannis Chrysostomi *hom. 1. in Epist. ad Ephes.* & Damasceni *lib. 2. de fide. c. 29. cir. fin.* Cujus posterioris sunt ista verba formalia. *Quin illud quoque nos fugiat, Deum ut Bonitate præstantem primariè quidem omnes homines servare, ac Regni sui compotes esse velle, neque enim supplicij, ac Cruciatûs causâ, sed ad hoc, ut Bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit. Ut iustam ijs quoque, qui peccant, pœnam inferri nihilominus velit: ac prius illud Antecedens Voluntas seu Beneplacitum dicitur ex ipso manans: secundum autem consequens voluntas ac Permissio à nostro vitio ortum ducens: atque hujus permissionis duplex est genus, alterum dispensatorium & erudiendi vim habens, quod ad salutem nostram spectat; alterum à desperatione proficiscens, quod ad extremam, certissimamque pœnam tendit. Atque de his rebus, quæ in nostrâ potestate minimè sita sunt, statuere debemus. At verò in ijs, quæ in nostro arbitrio consistunt, ea quidem, quæ bona sunt, primariò vult, grataque habet Deus &c.*

4\. Idem Vasquez *infra disp. 96. n. 10.* doctrinæ superiùs de Divinâ circa omnium salutem Voluntate ex Patribus probatæ, & à se approbatæ vix memor asserit, illud *1. Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri*: esse intelligendum de solis adultis, non autem de parvulis. Fundamentum est, quòd addiderit Paulus, Deum ita velle omnes fieri salvos, sicuti vult omnes ad agnitionem Veritatis venire. Hoc autem non procedit, nisi de adultis. Ergò & illud.

5\. Referunt Petrus à S. Ioseph *in defens. S. August. adversus Augustinum Iprensem par. 4. arg. 10. §. Scio, ne Consequentia admittatur.* & Ioannes Bapt. Gonet *cit. disp. 4. §. 1. in init.* quod Jansenius *to. 3. lib. 3. c. 10.* conetur Voluntatem Antecedentem pro omnium salute in Deo extinguere, aut inutilem efficere, saltem pro statu Naturæ lapsæ, licèt in statu Innocentiæ primis Parentibus perutilem fuisse, ab eaque Gratiam sufficientem in eos derivatam profiteatur. Cujus argumentum ab Authoritate tum S. Scripturæ; tum Sanctorum Ecclesiæ Doctorum ab eodem Gonetio *cit. a. 2. §. 4. object. 2. ac seq.* affertur ex eo, quòd nonnulla S. Scripturæ testimonia videantur insinuare, Christum non esse mortuum pro omnibus, nec suam Passionem & Redemptionem pro omnium salute ordinâsse, juxta illud *Math. 26. Hic est Sanguis novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Nam apprimè notandum hic venit, cur non dicatur Sanguis Christi effundendus pro omnibus, sed *pro multis*, qui enim alij veniunt hic voce *Multum*, nisi de quibus scribit S. Thomas *3. p. q. 21. a. 4. ad 2.* asserens: *Christum non orâsse pro omnibus Crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, sed pro his solùm, qui erant prædestinati, ut per ipsum Vitam consequerentur æternam.* Juxta quem adeò sensum maximè congruit illud S. Augustini *Epist. 1. ad Evodium,* dicentis, non perire unum ex his, pro quibus mortuus est Christus. *Et serm. 8. Natalis S. Vincentij. Christum non perdere, quos emit Sanguine.*

CONCLUSIO.

PRo certo tenendum est, Deum habere aliquo modo Voluntatem pro statu etiam Naturæ lapsæ de omnibus hominibus salvandis.

Probatur. Indubitatum est, omnes homines ordinari ad Finem supernaturalis Beatitudinis, 6.
nam alioquin deordinatio ab isto Fine non imputaretur culpæ hominis non tendentis in æternam salutem. At illa ad finem supernaturalis Beatitudinis, seu salutis æternæ ordinatio non est quid latens intra puræ possibilitatis statum: neque verò ex hoc statu quidquam extrahi potest, nisi per Divinâ Voluntatem. Oportet igitur, esse in Deo Voluntatem de ordinandis omnibus hominibus ab salutem: ex quâ adeò Voluntate non tantùm in statu Innocentiæ, sed Naturæ etiam lapsæ fluxerint præcepta cum Divino fœdere, seu promissione vitæ æternæ ea servantibus conferendæ, nec non Verbi Divini post peccatum Adæ incarnandi Decretum, indeque Christi Mors juxta Apostolum *Rom. 5. & 8. nec non 1. Cor. 5. pro omnibus* divinitùs sit destinata, & tolerata. Cùm igitur Deus suâ Voluntate ordinaverit omnibus hominibus Media salutis, imò ipsis hominibus indiderit legem se, ac quoscumque alios actibus suis ordinandi ad vitam æternam, oportet in Deo esse Voluntatem istorum Mediorum, nec non hominum in salutem ordinationis. At hæc ipsa de omnibus hominibus per media à se destina- 7.
ta ordinandis in salutem Voluntas Divina est, quâ vult omnes homines salvari, & ad agnitionem Veritatis venire *1. Tim. 2.* nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti *2. Petri 3.* Non ergo dubitandum, quin sit in Deo Voluntas de omnibus salvandis; etsi difficultas *seq. cont.* elucidanda esse possit, An Deus ita velit omnibus salutem, ut hæc in se, & non tantùm in Medijs volita sit pro omnibus.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD D. Augustini *n. 1.* propositas expositiones Respondetur. Illas optimè stare, etiamsi 8.
dicatur, de omnium, nullo quantumvis reprobo excepto, hominum salute esse in Deo Voluntatem inefficacem. Ratio est: Nullum enim est dubium, quin unus, ac idem sacer Textus possit habere plures sensus etiam Litterales. Ergo nihil absurdi est, si dicatur illud Apostoli, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, procedere tam de Voluntate efficaci salvandi prædestinatos, quàm de voluntate inefficaci salutis non prædestinatorum. At constat ex ipsius S. Augustini supra adductis verbis, quòd in tribus prioribus expositionibus fuerit locutus de voluntate Dei efficaci, ex quâ salus æterna cum effectu confertur omnibus non *absolutè, sed in sensu accommodo; seu secundùm distributionem pro generibus singulorum.* Nam sicuti dicens de aliquo Magistro, quòd omnes Civitatis pueros erudiat, intelligendus est loqui secundùm Universalitatem *non absolutè, sed accommodè,* quòd scilicet quotquot de Civitate pueri frequentant Scholas, doceantur ab illo Magistro: sic Deum *velle, omnes salvos fieri*, potest juxta primam, & secun-

& secundam expositionem intelligi de salvandis actu, *ly Omnes* sumendo non *in sensu absoluto, sed accommodo,* quasi diceretur, nullum esse salvandum nisi per Dei Voluntatem. Similiter secundum tertiam expositionem illius Apostolici dicti procedit de omnibus actu & realiter salvandis *secundum distributionem pro generibus singulorum*, non autem *pro singulis generum*, ita ut nulla sit humani generis conditio, ex quâ non aliqui salventur; Sicuti *Omne animal* dicitur in Arcâ Noe fuisse, non quod singula individua, sed de omni animalium genere aliqua ibi extiterint. At verò Quartam Expositionem (quâ insinuatur, Deum omnium salutem velle non *formaliter,* sed *causaliter*, id est, faciendo nos velle, & procurare omnium salutem, juxta illud Christi: *Prædicate Evangelium omni creaturæ: Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*) constat procedere de Voluntate Dei non efficaciter causante Voluntatem nostram de Evangelio omnibus hominibus actualiter prædicando, eisque effectivè docendis, & baptizandis. Unde manifestum est, S. Augustini fuisse sententiam, quod prætacta Apostoli verba ita essent significativa voluntatis Divinæ Efficacis de omnium *in sensu accommodo, & secundum distributionem pro generibus singulorum* salute, ut tamen simul significarent voluntatem Dei Inefficacem, quam tum *causaliter*, tum *formaliter*, pro omnium etiam non salvatorum salute habet; uti S. ille Doctor ex-
9. pressis verbis tradit *lib. de Spiritu & lit. c. 33.*

Ad Vasquezij *n. 2.* Oppositum Respondetur. Hunc Authorem esse injurium S. Augustino; tum quòd ipsi imputârit, noluisse concedere Dei de omnium salute Voluntatem Antecedentem, quam tamen claris verbis asseruit *cit. c. 33. lib. de spiritu, & lit.* tum quòd Magno illi Ecclesiæ Doctori exprobet, quasi prætactum Apostoli locum nullo modo rectè exposuerit; cum tamen plures ex unius litteræ fœcundo Dei Intellectu sensus eruendo, nusquam negârit Dei de omnium salute Voluntatem inefficacem: cujusmodi tamen circa parvulos negare ausus est Vasquezius apertus in hoc Desertor SS. Patrum,
10. *velut infra n. 14.* patebit.

Ad *n. 3.* Oppositum Respondetur. Omnino insistenoû esse Doctrinæ SS. Chrysost. ac Damasceni ibidem allegatæ ac expressæ, & approbatæ sensu aliorum Patrum, nominatim Hieronymi *in c. 1. epist. ad Ephes.* Clementis Rom. *lib. 2. constit. Apost. c. 50.* Prosperi *lib. 2. de Vocat. Gent. c. 19. & 25.* Augustini *ubi sup.* Thomæ de Aquino *præs. art. 6. ad 1.* Bonaventuræ *in 1. dist. 46. q. 1. a. 1.* & Concilij Moguntini
11. *2. contra Haliauum.*

Ad Vasquezij *n. 4.* Oppositum Respondetur. Hunc toti Orbi patefacere, quàm pronus sit, à Doctrinâ Patrum, quam ipsemet *cit. disp. 83. n. 13.* veram sententiæ Apostolicæ interpretationem dixerat, ex proprij Capitis judicio declinare sine solido fundamento. Nam 1. firmiter stat, Deum sicuti vult parvulos salvare, sic velle eos in agnitionem Veritatis venire, & non adultos tantum; tum quòd in regno Dei certa sit agnitio veritatis. ex D. August. *lib. 4. cont. Iulian. c. 8. post init.* tum quòd parvuli per Baptisma veniant ad fidem, quæ pro statu viæ est habitualis Veritatis agnitio. 2. Idem Augustinus *cit. c. 8. Numquid,* ait, *parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, vult omnes homines salvos fieri?* Etsi verò hic Ecclesiæ Doctor *in sequentibus*, hæc Apostoli verba non accipiat, nisi de efficaci circa re ipsâ salvandos Voluntate Dei, æquè tamen ibi extendit ad parvulos: alijs autem in locis, nominatim *cit. c. 33. de Spiritu, & lit.* accipit illud dictum Apostolicum cum universalitate ad omnes homines etiam non salvandos. In quo adeo sensu *lib. cit. ad articulos sibi impositos a. 2.* inquit, *Sine exceptione credendum est, quod Deus voluit omnes homines salvos fieri.* Unde Chrysostomus quoque *Rom. 9.* ait, *quod ad Deum attinet, omnes salvi facti sunt.* Quo igitur Veritatis fundamento nititur Vasquez excipere parvulos? 3. Quia Deus est incarnatus ac mortuus propter omnium hominum salutem. *ex 1. Ioan. 1. 2. Corint. 5. & Symb. Niceno.* At istud *propter salutem* importat causalitatem finalem, quæ supponit Voluntatem ordinantem illud Mysterium in salutem omnium etiam parvulorum. Hæc autem Voluntas Incarnationis Divinæ, ac Mortis Christi ordinatrix in totius humani generis salutem non est tantùm Humana Christi per affectum simplicem, uti innuit Vasquez *cit. disp. 96. n. 11.* sed oportet, vel maximè Divinam Voluntatem ordinâsse illud Incarnationis, ac Redemptionis nostræ remedium in omnium etiam non prædestinatorum parvulorum salutem.

Probatur istud Assumptum. Non tan- 12.
tùm Christus qua homo per passionis suæ merita, sed etiam *DEUS est salvator Omnium. 1. ad Timoth. 4.* At Deus est hominum salvator decernendo, ac per Voluntatem suam efficiendo Redemptionis Mysterium tanquàm medium pro omnium salute destinatum. Ergo Deus habet Voluntatem, ex quâ fluxit Redemptionis nostræ remedium pro omnium etiam parvulorum salute destinatû, juxta illud *Ioan. 3. Sic Deus dilexit Mundum, ut Deus Unigenitum suum daret.* Hæc autem Voluntas importat de omnium salute Voluntatem saltem inefficacem, & antecedentem. Ergo Voluntas Dei antecedens de salvandis omnibus hominibus se extendit etiam ad quoscumque parvulos sine Baptismate decedentes.

Ad *n. 5.* Oppositum Respondetur. 1. Cùm 13.
sciamus propositiones Jansenij negantis Voluntatem Dei de omnium salute Antecedentem, nec non Christi redemptionis, ac sanguinis ejus effusi ad omnes extensionem aliter exponi à nonnullis, quòd scilicet Deus non ita velit omnes salvos fieri, nec Christus sit pro omnibus taliter mortuus, ut ex illâ Dei Voluntate, & merito Redemptionis Christi sit hominibus etiam reprobis parata gratia in sensu Moliniano sufficiens, vi cujus sit penes liberum arbitrium non tantum proxima, & immediata ad actus supernaturales potentia, sed sine aliâ interiori gratiâ facere actus salutis æternæ meritorios, uti patere potest ex Pauli Irenæi *disquisitionibus, nec non tredecim Theologorum super quinque Iansenij propositiones Voto Innocentio Decimo traditis.* Idcirco nos, quibus non incumbit indagere sensus propositionû Jansenij, sed intentos sensu esse in Sacris litteris fundato, in illa quæstione facti, *quid circa Voluntatem Dei de omniû salute, nec non Redemptionis Christi ad omnes extensionem senserit Iansenius,* suspensum tenemus nostrum Judicium. Unde Respondetur 2. cum Christi humana Voluntas semper fuerit conformis Voluntati Divinæ, ideo sicut Deus non nisi de prædestinatis habet Voluntatem absolutam Consequentem, ac efficacem ipsos salvandi; sic Christum orando, & offerendo Patri æterno Sanguinis sui, ac Mor-

ac Mortis pretium, de illis, quos Pater ipsi dederat, ut ex ipsis non perderet quemquam, habuisse voluntatem consequentem, & absolutam, applicando cum efficaciâ Passionis, & orationis suæ vim, ac merita. Juxta quam adeò Voluntatem non esse Christum mortuum nisi pro illis, qui per Divinæ prædestinationis efficacem Voluntatem erant actu salvandi. Nihilominùs circa reliquos, quorum salus æterna non nisi Voluntate Antecedente erat à Deo inefficaciter volita, habuisse Christum moriendi, eosque adeò redimendi Voluntatem Antecedentem; ex quâ proinde Voluntate Sanguinem Christi fuisse effusum, non tantùm pro multis quoad efficaciam, sed pro omnibus quoad sufficientiam, D. Thomâ in allegatum *Math. 16.* asserente: *Sanguinem Christi fusum esse & pro multis, & pro omnibus: quia si consideretur sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed pro totius Mundi. Sed si consideremus efficaciam, effectum non habet, nisi in his, qui salvantur, & hoc ex culpâ hominum.*

CONTROVERSIA II.

An Voluntas DEI Antecedens de omnium salute sit Beneplaciti, habeatque aliquid Efficaciæ?

1. EX dictis *in princ. præs. a. n. 2. & 3.* constare potest, hujus Controversiæ punctū in eo consistere, *An scilicet Dei de omnium salute Voluntas antecedens habeat pro objecto immediato, ac in se volito Salvationem omnium? An verò terminetur duntaxat ad Media sive proxima, sive remota, quibus homines salvari possint, quin ista salvatio sit in se volita?* Si enim prius subsistat, Voluntas illa salvandi homines erit *Beneplaciti*, utpote habens rationem Complacentiæ seu Velleitatis saltem simplicis erga omnium salutem. Si verò posterius subsistat, erit in Deo Voluntas *Beneplaciti* duntaxat de Medijs ad salutem omnium hominum parandis, ac exhibendis, quæ ipsa tamen Voluntas per exhibitionem talium Mediorum manifestata dicetur respectu omnium salutis Voluntas *Signi*, quatenus *secundùm nos* habet vim significativam de omnibus salvandis.

Referuntur sententiæ & opposita Argumenta.

2. SCotus *in 1. dist. 47. q. un. n. 3.* docet: Etsi Deus non habeat Voluntatem Beneplaciti ad quemlibet salvandum, velle tamen cuivis adjutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus possit sufficienter bene vivere, & salvari, propter quæ dici posse, quòd Deus, quantum est ex parte sui, velit omnes salvos fieri. Fundamentum ejusdem subtilis Doctoris *n. 1.* deductum est. Quia sicut Omnipotens potest omne possibile, ita quando Voluntas determinat se ad ponendum aliquid *in Esse* ultimâ determinatione, illud erit. Velle autem illud Voluntate *Beneplaciti* est ultima determinatio, quæ potest poni ex parte Voluntatis Omnipotentis volentis ponere effectum *in Esse*. Ergò respectu cujuscumque effectûs, si Deus est sic volens, illud erit; Cùm igitur omnium salvatio non sit ponenda in *Esse*, oportet hanc non esse à Deo volitam Voluntate *Beneplaciti*.

3. In hanc sententiam Vasquez *cit. disp. 83. c. 1. n. 2.* trahit D. Bonaventuram *cit. q. 1.* ubi tamen hic Doctor Seraphicus expressè ait, illud Apostoli; *quòd Deus vult omnes homines salvos fieri*, non posse exponi de Voluntate *Signi*, sed necessariò explicari de Voluntate *Beneplaciti*, quam à Damasceno vocari Antecedentem, dicique à Magistris Conditionalem; cùm econtra Voluntas *consequens* dicatur absoluta. Hoc autem velle *consequenter*, sive *absolutè* salvare, esse velle dare salutem ei, quem præscit Deus ad salutem perventurum per suum auxilium, & gratiam, atque adeò istud velle connotare salutis eventum. At verò velle hominem antecedenter salvare, esse, ordinatum ad salutem facere, & volenti pervenire non deesse. Unde velle *antecedenter* salvare non connotare salutem, sed ordinabilitatem ad salutem.

4. Doctor Angelicus *præs. art. 6. ad 1.* Voluntatem de omnibus salvandis dicit antecedentem: hanc verò esse *Beneplaciti* evincitur ex eo, quòd idem S. Doctor *q. 23. de Verit. a. 3. & in 1. dist. 47. q. 1. a. 2.* Voluntatem *Beneplaciti* ex parte volitorum, non autem ex parte Divinæ Volitionis distinguat in *Antecedentem, & Consequentem*.

CONCLUSIO.

VOluntas Dei de omnibus salvandis est *Beneplaciti* habens pro immediato objecto tum salutem in se, sed conditionatè volitam, tum hominum per media sive proximè, sivè remotè sufficientia ad finem æternæ salutis ordinabilitatem absolutè, atque adeò efficaciter volitam.

5. Explicatur, & Probatur 1. ex Sacris Litteris, quibus *1. ad Timoth. 2.* dicitur, quòd Deus velit omnes salvos fieri; ac nolit aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti *2. Petri. 3.* Nam isti Sacri textus in sensu proprio indicant ipsam omnium salvationem esse objectum volitionis Divinæ, atque adeò esse in se volitam à Deo; sicut econtrà perditionem cujusvis hominis esse objectum nolitionis Divinæ. Unde verba illa Sacra non nisi in sensu tropico, seu figurato, ac Metaphorico acciperentur, si procederent de Voluntate non terminatâ ad omnium salutem, quà volitam à Deo, sed ad ordinabilitatem in salutem. Hæc enim Ordinabilitas in ratione *Signi*, ac *Methonomicè* diceretur Salus; ex quâ locutione Tropicâ Voluntas Dei ad illam ordinabilitatem terminata mutuaret nomen *Voluntatis signi* de omnium salute. At textus S. Scripturæ, dum in sensu proprio nulla apparet absurditas, ex vulgatâ S. Augustini Regulâ non sunt detorquendi ad sensus Tropicos, seu Improprios. 2. Ab Authoritate Patrum, inter quos S. Chrysostomus *hom. 1. in Epist. ad Ephes.* Voluntatem Dei Antecedentem, seu ut ipse loquitur *Primariam* explicans ait, *Hoc esse, quòd mirum in modum Deus cupiat, & vehementer desideret nostram Salutem.* At istum, uti reliquorum Patrum loquendi modum, patet clarè innuere,

innuere, quòd Divinæ ergà nos affectionis ob-
6. jectum sit ipsissima salus nostra. 3. Ex Redemptionis Christi ergà omnes homines extensione. Hujus enim Mysterij origo per Symbolum Nicænum describitur hisce verbis: *Qui* Filius nimirum Patri consubstantialis *propter nos homines, & propter nostram Salutem descendit de cælis.* Hoc autem *ly propter* importat Causalitatem finalem. Hæc autem finalis causalitas denotat motionem Voluntatis Divinæ Filij descendentis de cælo. Ista autem motio Voluntatis Divinæ Filij etsi non possit dependere à nostra salute tanquàm Causâ Finali, ipsa tamen Descensio per Incarnationem Verbi facta habens rationem actionis extra Deum transeuntis est eatenus propter nostram salutem, quatenus hæc salus nostra erat ratio volendi Incarnationem Verbi. At quòd Incarnatio Verbi, seu descensio de Cælis sit à Filij voluntate Divinâ volita propter nostram salutem tanquàm rationem volendi, non quidem Volitionis Divinæ Motivam, sed ex parte Volitorum finaliter Terminativam; nequit subsistere, nisi hæc volendi ratio sit volita per illam ipsam volitionem Divinam, vi cujus volita est Incarnatio Verbi quà ordinabilis, imò quà actualiter ordinata ad nostram salutem. Cùm igitur Incarnatio Verbi sit pro omnibus hominibus volita quà ordinata ad eorum salutem: hujus autem passivæ in Incarnatione Divinâ ordinationis per voluntatem Divinam prædestinandæ ratio sit ipsa salus nostra, oportet, omnium salvationem esse à Deo formaliter volitam per volitionem Incarnationis Filij sui.

7. 4. Ratione. Nam Medium vel potest considerari *materialiter* duntaxat, vel *formaliter* secundùm sui ordinabilitatem ad finem. At Deum media salutis, præsertim Verbi Incarnati merita velle non tantùm *materialiter* secundum absolutam in se spectatam Bonitaté suam, & convenientiam, sed *formaliter* sub ratione ordinabilitatis ad nostram salutem constat ex prætactis. Sicuti verò efficax Voluntas Medij quà *formaliter* ordinabilis, imò actualiter ordinati ad finem, non potest stare sine formali finis efficaci, & absolutâ intentione, velut *infra de prædestinatione* demonstrabitur. Sic voluntas Medij inefficax sub illâ ordinabilitatis ratione formali non potest subsistere sine finis volitione saltem inefficaci: siquidem finis sit ratio volendi, exerceatque in Medium ut sic volitum Causalitatem aliquam finalem, & nequeat finalis causalitas derivari in Media nisi per Volitioné. Consequens igitur est, Deum hoc ipso, quod voluntate suâ divinâ præparet omnibus hominibus Media sufficientia, hominum per hæc in finem salutis æternæ ordinabilitatem non posse ut sic à Deo volitam esse, quin ipsa salus æterna tanquàm ratio volendi ex parte volitorum terminativa sit in se volita, volitione Dei antecedente, quam S. Thomas *cit. a. 6. ad 1.* ait, *magis posse dici velleitatem, quam absolutam Voluntatem.*

8. Oppones. Deum omnia, quæcumque voluisse, fecisse in cælo & in terrâ. *Psal. 113.* Neque verò cum D. Thomâ *loc. proximè cit.* licere dicere, *quòd fiat quidquid Deus simpliciter vult, licèt illud, quod antecedenter vult, non fiat.* Nam ille sacer textus loquitur de omni volito, quòd fiat eo ipso, quia Deus voluit: ut adeò Voluntas Dei, quantum ad omnia semper impleri debeat, ut arguit subtilis Doctor *sup. n. 1.* Oportet igitur, Voluntatem de omnibus salvandis in Deo non esse *Beneplaciti* terminatam ad ipsam omnium salvationem, cùm hæc alioquin esset actu facienda, sed ad Media duntaxat sufficientia.

Contra. Nam ex Voluntatis Divinæ per sacras litteras assertâ efficaciâ oportet omnia, quomodo voluit Deus, fieri: hinc enim licèt omnis creaturæ in tempore producendæ actio causativa esset æterna, non tamen effectus ejusmodi erant æterni, sed quales Deus voluit, ut scilicet Esse haberent post non Esse, ex S. Tho. *1. p. q. 46. a. 1. ad 10.* At Dei de omnibus salvandis Voluntas antecedens est respectu Finis seu salutis æternæ duntaxat conditionalis, uti habent D. Thomas *in 1. dist. 46. q. a. 1. ad 2.* & S. Bonaventura *loc. cit.* Hæc autem conditio tam pro statu Naturæ lapsæ, quàm pro statu Innocentiæ connotabat perseverantiam tum in gratiâ, tum aliam *seq. cont.* exponendam conditionem. At per Voluntatem Dei antecedentem nulli non prædestinato est absolutè volitum Donum Perseverantiæ, etsi efficaciter & absolutè sint volita Media sive remotè sive proximè sufficientia ad gratiæ tum consecutionem, tum perseverantiam. Cùm igitur Voluntas Dei Antecedens quà talis sit conditionalis, etsi prout terminatur ad Media salutis remotè saltem sufficientia sit absoluta, & efficax, oportet Voluntatem Dei antecedentem quà talem, seu quà purè conditionaliter terminatam ad finem salutis, nullum sortiri effectum, etsi quà terminata ad Media salutis, respectu quorundam proximè, respectu aliorum remotè sufficientia omninò impleri debeat per actualem ejusmodi Mediorum exhibitionem, velut *infra cont. 4.* ostendetur. 9.

Responsio ad fundamenta opposita.

AD Scoti *n. 2.* Oppositum Respondetur. Majori concessâ cum distinctione Minoris, quòd alia Voluntas *Beneplaciti* in Deo sit absoluta, se habens per modum determinationis seu actionis æternæ, & Causalitatis Deo intrinsecæ statuentis physicam effectuum creatorum positionem in Esse reali, & actuali, nec adeò fieri posse, quin talis *Beneplaciti* voluntas sortiatur effectum. Aliam proinde voluntatem *Beneplaciti* in Deo esse Conditionalem, quæ ex parte actûs sit quidem absoluta Voluntatis Divinæ ad extra determinatio libera, ex parte tamen objecti, seu effectûs per ipsam prædefiniti involvat conditionem. Talem autem *Beneplaciti* Voluntatem esse Antecedentem tum de omnibus sub conditione acceptæ, & usque in finem conservatæ Iustificationis salvandis, tum de peccatoribus ad Iustitiam sub conditione Pœnitentiæ recipiendis, tum de ipso pœnitentiæ & Iustificationis ac perseverantiæ Dono, si Bono universi congrueret, omnibus hominibus conferendo. Cujusmodi adeò Voluntatem consistere in formalitate Divinâ, quatenus infallibiliter illativâ Veritatis de omnium salute, ac Iustificatione sub conditione tamen Pœnitentiæ, nec non Iustitiæ Medijs divinitùs præscriptis obtentæ, ac ex Perseverantiæ Dono usque in finem servatæ. Quam proinde veritatem hypotheticam ex vi illius conditionati Decreti non minùs stare in æternitate; quàm Veritas absoluta 10.

luta ex vi absoluti Decreti subsistat in æternitate antecedenter ad physicam effectûs præfiniti in Esse positionem. Quamvis igitur Voluntas Dei antecedens de salvandis omnibus defectu conditionis secundùm Voluntatis Divinæ Decretum in non prædestinatis nunquam adimplendæ effectu careat, posse tamen esse Voluntatem *Beneplaciti* non quidem absolutam, sed conditionalem.

II. Ad n. 3. propositum Respondetur, D. Bonaventuram perperàm trahi à Vasquerio in partes adversas. Nam licèt hic S. Doctor asserat; Divinæ de omnibus salvandis Voluntatis antecedentis, quam vocat *Beneplaciti*, connotatum non esse salutem, sed ordinabilitatem ad salutem, istam nihilominùs ordinabilitatem, ait, fieri actu per illam Voluntatem Antecedentem. At voluntatem actualiter effectivam alicujus effectûs, ut sic oportet esse absolutam; cùm tamen ex mente ejusdem Doctoris voluntas Dei de omnibus salvandis antecedens sit conditionalis. Oportet igitur secundùm D. Bonaventuram distinguere inter connotata Voluntatis illius Antecedentis, ita ut unum realiter ponendum in Esse, adeòque absolutè volitum à Deo, sit ordinabilitas ad salutem: alterum verò ex vi illius Voluntatis non efficiendum actu, sit salus æterna pro omnibus hominibus solùm conditionaliter à Deo volita. Quare constat, Voluntatem Dei Antecedentem ex mente Divi quoque Bonaventuræ esse *Beneplaciti* absolutam quidem, ac efficacem respectu Ordinabilitatis ad salutem, sed conditionalem, ac inefficacem respectu salutis.

CONTROVERSIA III.

An Voluntas Antecedens salvandi omnes homines sit supponens vel expectans Voluntatis humanæ consensum, seu determinationem liberam saltem conditionatè prævisam?

1. Scientiæ Mediæ propugnatores cum Molinâ *in Concord. ad præs. q. 19. a. 1. disp. 1. §. ex his constat.* conditionem in Dei de omnibus salvandis Voluntate Antecedente connotatam ita explicant: quòd scilicet Deus homines omnes, Angelosque, quos condere statuebat, ex æternitate voluerit salvos fieri, sempiternamque vitam; mediaque ad eum finem necessaria eis conferre, sub conditione tamen, si per ipsos, aut primum parentem non staret. Quam nihilominùs expositionem Molina citatus ita limitat; quòd scilicet Deus spectatâ primâ conditione generis humani velit omnes homines, nemine excepto, salvos fieri; si per ipsos, vel primum parentem, cui primò Dona gratuita toti soboli per generationem communicanda collocata sunt, non stet. Positâ verò ruinâ humani generis, & Beneficio Redemptionis ait, velle Deum etiam omnes homines salvos fieri, servatâ tamen constitutione, cursuque Universi, dependenterque à libero arbitrio hominum. Unde quòd aliqui præsertim parvuli in utero materno pereant, quibus neque, alij neq; ipsi sibimet ipsis subvenire queant, effectû esse ac pœnam peccati primi parentis, idque non per se, sed per accidens ex ipsâ dispositione Causarum Universi, ac primi Parentis casu, præter Dei institutionem, ac voluntatem evenire: ad id quoque interdum conferre malitiam aliquorum, quæ omnia Deus minimè impedire teneatur.

Etsi hæc Moliniana expositio in sensu *inferius* explicando admitti possit, latet tamen in eâ difficultas, quam in hâc ipsâ controversiâ discutiendam proponimus. Nam *ly Si per homines, aut primum Parentem steterit*, dupliciter intelligi potest. 1. ut reddatur sensus; quòd determinatio veritatis de homine non salvando non stet nisi per consensum liberi arbitrij creati saltem conditionatè prævisum. Ex quo sensu foret consequens, ut antecedenter ad nostrum consensum saltem prævisum conditionatè non subsisteret in Deo Decretum permissivum, ex quo inferri posset determinata de ullo homine non salvando veritas. 2. ut sensus sit, quòd licet ex vi Decreti permissivi Divini pro aliquo signo liberum nostrum consensum antecedente stet veritas de aliquibus non salvandis, hæc ipsa tamen non salvatio, seu damnatio dependeat à nostrâ libertate, sicuti econtra salvatio dependet à nostrâ liberâ Voluntate non tanquàm Causâ Volitionis Divinæ, sed tanquàm à causâ Executivâ salutis à Deo volitæ, siquidem Deus velit nos salvare medijs nostris operibus. 2.

Iuxta hunc duplicem sensum formari potest præsentis difficultatis punctum; *An prima ratio, per quam non stat, ut aliquis hominum salventur, sit cujusdam hominis libera determinatio*, vel econtra *antecedenter ad omnem humanum consensum sit in Deo Decretum permissivum, ex quo ita stet aliquos non salvari; ut tamen hæc non salvatio in executione dependeat ab hominis alicujus libertate?* Sive, *An Voluntas Dei Antecedens ita sit de omnibus sub conditione, si per ipsos non steterit, salvandis, ut tamen Deus pro hujus Voluntatis suæ signo per Scientiam Conditionatam præviderit tum per primi parentis, tum per plurimorum hominum consensum proprium eos repudiaturos Media, sub quibus essent salvandi?* Sive, *An Voluntas Dei antecedens sub conditione mediorum per alicujus hominis Libertatem applicandorum ita velit omnibus salutem; ut hæc ipsa media ex se sufficientia ad actualem sui usum nihil ultra requirant, nisi hominis consensum.* Sive denique, *An Voluntas Dei Antecedens salvandi omnes homines præcisè dependeat à consensu Voluntatis humanæ tanquàm à Conditione, quam supponat, vel expectet Deus à libero creato arbitrio?* 3.

Ex quibus proinde patet, totum difficultatis punctum derivari ad hoc; *An Media, quorum Voluntas Divina per Volitionem omnes salvandi est præparativa, sint talis Naturæ, ac conditionis, ut per liberum hominis consensum possint esse efficacia, nec nisi per libertatem humanæ Voluntatis stet, quò minùs forent efficacia ad salutem re ipsâ consequendam.*

CONCLUSIO.

Voluntas DEI Antecedens salvandi omnes homines non est dependens à consensu Voluntatis humanæ tanquàm à conditione, quam supponat, vel expectet à libero arbitrio, sed importat conditionalem voluntatem salvandi omnes, nisi hoc repugnet ordini suæ Divinæ Provi-

Providentiæ, ac inde impediretur Bonum universale, & manifestatio suorum Attributorum. ex communi Thomistarum consensu Ioannes Bapt. *Conti cit. disp. 4. a. 6.*

5. Probatur ex S. Augustino *c. 8. cont. Iulian. & in Enchirid. c. 25. & 27.* ubi ait: *quòd multi salvi non fiunt, non quia ipsi nolint, sed quia Deus non vult, quod absque ulla controversia manifestatur in parvulis.* Ex quo ita licet argumentari. Nam *præced. cont. 1. n. 6.* apertè demonstravimus, Voluntatē Dei Antecedentem de omnium salute ex sententiâ D. Augustini se extendere ad omnes, nullo excepto, etiam parvulos, Hæc autem voluntas DEI respectu præsentium parvulorum secundùm Augustinum non includit illam conditionem, *si ipsi velint,* Ergò ex mente hujus Ecclesiæ Doctoris Voluntas Dei antecedens de omnibus salvandis non dependet ab illâ conditione, *si homines voluerint,* sive, *si per ipsos, ne salventur, non steterit.*

6. Dices. Voluntatem DEI Antecedentem de omnibus etiam parvulis in utero materno sine Baptismate decedentibus salvandis dupliciter posse ad istos comparari. 1. enim etiam erant inclusi in illo Dei fœdere inito cum Adamo de totâ ejus sobole in statu Gratiæ concipiendâ, si Adamus servaret Dei præceptum. Ergo etiam si parvulis in utero materno cum peccato originali decedentibus succurri non possit, essent tamen salvandi per Gratiam Originalem, si non staret per Voluntatem primi Parentis. 2. Suppositâ

7. licèt culpâ Originali, Deus ex voluntate omnes salvandi misit Christum universi generis humani Redemptorem. Ex pretio autem superabundanti hujus redemptionis institutum est Sacramentum Baptismatis ex intentione Voluntatis tam humanæ Christi, quàm SS. Trinitatis, condendo pactum in hoc Sacramento, ac promissionem de omnibus, si sacro isto lavacro abluerentur, justificandis. Ex eodem autem Sanguinis Christi pretio, ac meritis providit Deus, ut omnes adulti aliquâ illustratione prævenirentur, quam sequendo tandem devenirent ad verum Fidei Lumen. Circa parvulos verò in utero præsertim materno decedentes excitat Deus ipsorum parentes mediante inspiratione Angeli Custodis, vel motione ac illustratione ex se immediatè emanante, cui obsequendo infans ederetur in lucem, posseque adeò ablui sacro Fonte, ad cujus notitiam illi ipsi parentes sub infidelitatis caligine cæcutientes, parendo internis divinitùs inspiratis illustrationibus, tandem ducerentur, ut tam sibi, quàm soboli suæ succurrere possent. Constat igitur, ex Voluntate Dei omnes salvandi talia præparari cuivis homini media, ut nisi per ipsorum, vel aliorum, sub quorum sunt curâ, Voluntatem staret, forent salvandi.

8. Contra est 1. Nam verum quidem est, omnes Adæ posteros etiam parvulos in utero materno decedentes fuisse inclusos in illo Dei fœdere inito cum Adamo. At hoc ipsum fœdus ex parte Adami includebat obligationem servandi præceptum, sub cujus observantiæ conditione promittebatur gratiæ sanctificantis in omnes Adæ posteros primo statim conceptionis instanti transfusio. De illius proinde obligationis observantiâ difficultas hic latens eruenda est; Quânam Adamus indigêret gratiâ, ut actu servaret Dei præceptum. Nam Moliniani Antecedentem de omnibus hominibus, nisi per ipsos, vel primum parentem staret, salvandis Voluntatem Dei ita accipiunt: quòd Adamo tale fuerit concessum gratiæ Adjutorium, ut ex ipsius libero arbitrio staret non tantùm posse, sed si vellet, ex se actu servare illud præceptum. Unde secundùm præscientiam Dei non stetisse, ne servaret, nisi ex hypothesi liberæ saltem conditionatæ Adami determinationis. At hoc ipsum esse contra doctrinam S. Augustini evincitur *ex libro ejusdem de Corrept. & Grat. cap. 11. & 12.* ubi tandem concludit in hæc verba: *Ita factum est, ut Voluntas hominis invalida, & imbecilla* (in statu scilicet Naturæ lapsæ) *in Bono adhuc parvo perseveraret per Dei Virtutem, cum & Voluntas primi hominis fortis & sana in Bono ampliore non perseveraverit habens Virtutem liberi arbitrij: quamvis non de futuro adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè quod Bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Ex quo patet, aliud esse 9.
adjutorium, sine quo non est potentia in Voluntate ad perseverandum; aliud verò adjutorium esse, quo in libero creato arbitrio Deus operatur, ut velit. Hoc igitur posterius adjutorium, quia fuit primo Parenti negatum, non potuit ex ejus præcisè arbitrio libero stetisse, si vellet actu per observantiam præcepti perseverare. Ex hoc ipso verò, quòd Deus negârit Adamo posterius illud adjutorium, consequens fuit, ipsum dimitti, ac permitti facere, quod vellet, peccatum. Atqui defectus illius posterioris adjutorij, quo Adamus per præcepti observantiam vellet perseverare in Gratiâ, itaque Causa esse gratiæ ad omnes homines in primo conceptionis instanti transfundendæ, est per Voluntatem Divinam, non verò per Voluntatem primi Parentis. *ex eod. Ecclesiæ Doctore cit. c. 11. de corrept. & grat.* Etsi proinde per Libertatem Adami steterit in executione, ut cum adjutorio, sub quo posset perseverare, caderet è statu gratiæ, per prius tamen ex vi Voluntatis Divinæ negantis actualis perseverantiæ adjutorium erat infallibile, quòd Adamus non perseveraret, sed per Dei permissionem, ac suum liberum ex illâ permissione certò secuturum consensum peccaret. Non potest igitur de omnibus salvandis Voluntas Dei antecedens subsistere secundùm illam in sensu Moliniano acceptam conditionem, *si per primum parentem non steterit.*

Contra est 2. Nam positis omnibus illis per 10.
Divinam omnes salvandi Voluntatem Medijs à Deo præparatis, adhuc superest difficultas: An Virtute illorum Mediorum sufficientium ita detur posse, ut ex hominis præcisè arbitrio per gratiam sufficientem instructo pendeat Operari ac velle; An verò requiratur adhuc aliud adjutorium dans ipsum velle, & operari; ita ut istius adjutorij Donatio sit ex Voluntate Divinâ antecedente creati arbitrij consensum. Nam hoc posterius esse conforme Doctrinæ S. Augustini manifestum est *ex cit. 12. de grat. & corrept.* ubi sic habetur. *Aliud adjutorium est, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Primo itaque homini, qui in eo Bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum Bonum non deserere, datum est donum Perseverantiæ, non quo fieret, ut per-*

ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantùm tale adjutorium Perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine isto Dono Perseverantiæ esse non possint, verùm etiam, ut per hoc Donum perseverantes sint.

11. Ex quibus ita licet argumentari. Perseverantia importans velle humani arbitrij est Donum ex Electione Dei, per quod stant fideles, ne vincantur *ex proximè sequentibus verbis ejusdem capitis 12.* Hoc autem Donum Dei, ratione cujus fideles per ipsum velle suum liberum stant & perseverant, non est, nisi donante illo, ex quo misericordiam consecuti sunt. *ex conseq. cit. cap.* At verò, si dato sufficienti Gratiæ adjutorio, ita esset in libertate humani arbitrij non tantùm Posse, sed velle, ut istius determinatio vel ejus carentia non jam penderet nisi ex liberâ Voluntate per Gratiam sufficientem instructâ, præter adjutorium, ex quo primus homo acceperat posse non peccare, & non deserere Bonum, ad hoc ut vellet stare in Bono, opus non fuisset alio adjutorio, per quod si stetisset, haberet velle, & stare, seu perseverare in Bono, sed totum istud haberet, si per innatam suam libertatem vellet ex viribus Voluntatis Gratiâ sufficiente instructæ. Constat igitur, ad hoc, ut aliquis stet in Bono, præter sufficiens Gratiæ ad-

12. jutorium, requiri aliud Donum. Hoc autem non est nisi ex Deo dante, ac miserente, qui per suum absolutum Dominium cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat. Si ergo pro absoluto Voluntatis suæ Dominio istud Donum; per quod est velle & Operari, deneget, hoc ipso non erit velle. Unde ex ipso Decreto Divino negante hoc adjutorium erit infallibiliter consequens, ut Voluntas creata non stet in Bono. Ergo ex illo Decreto Dei antecedente omne velle humanum erit verum, illos, quibus ad perseverandum datur prius, non autem posterius adjutorium, non fore salvandos. Ergò licèt in executione non stet, aliquos non salvari nisi vel propter culpam personalem, vel propter primi saltem parentis peccatum, adeòque culpam Originalem, absolutè tamen pro signo Decreti Divini permissivi, ac denegantis illud posterius adjutorium, non verificatur, omnes præsertim Angelos fore salvandos, nisi per ipsos, vel per primum parentem steterit. In quo adeò sensu D. Augustinus *lib. de Dono persev. c. 13.* ait: *Quid dicam, quòd parvulus aliquando, antequam illi per Mysterium Baptismatis succurri possit, exspirat, plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen volente, non datur.*

13. Replicabis. Ioannem Damascenum à nobis *sup. cont. 1. n. 3.* citatum affirmare, quòd Voluntas Dei *Antecedens* sit acceptio ex ipso Deo existens; econtra Voluntas *Consequens* sit permissio ex nostrâ causâ existens, sive ut alij legunt, à nostro vitio ortum ducens. At si Dei de omnibus salvandis Voluntas includeret conditionem, nisi hoc repugnaret Ordini Divinæ Providentiæ, ac inde impediretur Bonum universale, & manifestatio suorum Attributorum, tunc Voluntatem *consequentem* de pluribus non salvandis, non ducere ortum ex nostro vitio, sed ex permissione Dei *antecedenter* ad nostrum consensum, atque adeò peccatum denegantis efficax Gratiæ adjutorium. Potiùs ergò illam Dei de salvandis omnibus Voluntatem esse exponendam sub conditione, nisi per homines, seu primum Parentem steterit; si quidem juxta hanc conditionalem Voluntas de salute omnium ita promanet ex Deo, ut Voluntas de damnatione plurium *consequens* ortum ducat ex nostro vitio.

Contra. Nam omnis Volitionis Divinæ Motivum non est nisi Bonitas Dei Increata. Hoc autem motivum applicari potest ad volitum creatum mediante alio Bono creato. Unde Bonum Universi respectu Bonorum particularium est Deo volendi ratio non quidem motiva, sed ex parte Volitorum finaliter terminativa. Ergo in Voluntate *consequente* tam puniendi delicta, quàm permittendi peccata oportet aliam assignare rationem *Motivam* non nisi in perfectione Attributi alicujus Divini consistentem; aliam verò rationem assignare oportet *finaliter ex parte volitorum Terminativam* se tenentem in ratione Boni Universi. At hæc ipsa Boni universi ratio, ad quam Deus in suo tum puniendi peccata, tum gratiam efficacem negandi, adeoque peccata permittendi Decreto, respicit, est pulchritudo orta ex Divinorum Attributorum variâ in se resplendescentiâ, seu manifestativâ Divinæ Bonitatis quoad Eminentialem diversimodæ perfectionis continentiam relucentiâ ceu quâdam luce in Deum reflexivâ. Hæc autem Divinorum Attributorum reflexiva manifestatio ita se habet respectu salutis, & damnationis, ac permissionis peccati, ut inprimis salus secundùm se spectata sit Bonitatis Divinæ quà formaliter per sui actualissimam expressionem Dei Intellectum beatificantis participata similitudo, ac imitatio. Unde considerata secundùm se non habet aliam rationem, propter quam sit volita à Deo, nisi ipsam Dei, quam imitatur, Bonitatem Increatam. Cùm igitur Voluntas antecedens ex præcitato S. Damasceno describatur acceptio ex ipso præcise Deo tanquã ratione finaliter Motivâ existens; sequitur Dei de omnibus salvandis Voluntatem esse hoc ipso antecedentem, quod ratio illius Voluntatis non se teneat nisi ex parte Dei, ejusque Increatæ Bonitatis. Confirmatur. Nam Voluntati 15.
Dei antecedenti opponitur Consequens. Hæc autem secundùm D. Thomæ descriptionem considerata in Deo, quatenus aliquid est volitum non secundùm quasi abstractionem à Circumstantijs in Executione occurentibus, sed secundùm comparationem ad Bonum Universi, nec non ad speciales Congruentiæ in executione occurrentes Circumstantias. At si omnibus cum effectu esset volita salus, jam esset in Universo defectus manifestationis illorum Dei attributorum, quæ resplendent ex Punitione ac Permissione peccati, & in specie non ita reluceret misericordia & Dominium Dei in hominum salute: siquidem istud attributum ex hoc vel maximè manifestetur, quòd Deus ex eâdem Massâ, nullâ inæqualitatis ratione in hominibus præexistente, unum præ altero eligat, non nisi ex absolutæ potestatis Dominio ac liberalitate misericordiæ suæ. Probatur istud assumptum. Tum quia nostra de nihilo origo tanquàm innatæ miseriæ radix præbet occasionem Deo per quorundã ex Massâ corruptionis ac defectibilitatis hominum electionem, manifestandi Misericordiam & Dominium. Unde dici potest, Voluntatem de aliquibus salvandis efficacem in Deo esse quodammodò ex nostræ Defectibilitatis causâ, non quâ motivâ

motivâ seu Finaliter ex parte etiam Volitorum Terminativâ, sed quà occasionaliter manifestativâ Divinæ misericordiæ ac Dominij, quæ attributa sunt ratio Motiva Electionis ac Prædestinationis Sanctorum. Atqui hæc misericordiæ ac Divini Dominij manifestativa Voluntas Dei est eo ipso *Consequens* quòd respiciat ad humanæ Naturæ Defectibilitatem: siquidem ut sic ex vitio nostro ortum ducat, & ad specialem Defectibilitatis Naturæ Humanæ circumstantiam tanquàm occasionem rationis sui Motivæ applicatoriam respiciat: cùm econtra inefficax de omnibus hominibus salvandis Voluntas possit ex solius Bonitatis Dei increatæ Motivo eatenus in Deo existere, ut sine omni inconvenientiâ abstrahat à Circumstantijs in executione occurrentibus. Patet igitur, qualiter secundùm definitionem tam Damasceni, quàm Divi Thomæ Voluntas de omnibus salvandis inefficax sit antecedens: efficax verò aliquorum Prædestinativa sit Consequens. Tum quia punitio est actus
16. Justitiæ formaliter respiciens, ac præsupponens peccata, in quæ ex ratione Justitiæ exercenda est vindicta: permissio autem peccati secundùm D. Augustinum *lib. 2. de Civit. Dei. c. 6. in fine, & 7.* est ex eo, quòd creatura rationalis de nihilo facta sit. Nam permissio peccati formaliter importat Dei Decretum efficacis ad actum Bonum auxilij denegans, & in vi actualis influxûs concurrens cum Voluntate creatâ ad Entitatem actûs peccaminosi liberè ab eâ eliciti. Atqui Deus efficacem ad actû Bonum denegat concursum ex absoluto suo Dominio, ex quo coñotatur, quòd nihil in homine sit Juris erga Deum ad se de efficacis auxilij concessione obligandum. Hæc autem omnimoda juris erga Deum nihileitas est in homine, quia de nihilo factus est. Deinde concursus Dei actualis ad Entitatem peccati est ex voluntatis creatæ liberæ ad Bonum, & Malum sufficienter instructæ connaturali exigentiâ non quidem obligante Deum, sed quasi petente ex Deo tanquàm Causâ primâ concursum actualem ad liberam aliquam determinationem. Unde quando DEUS ratione prææallegatæ in homine radicatæ Nihileitatis per Voluntatis suæ Decretum denegat concursum actualem ad actum Bonum, consequenter ratione connaturalis in Voluntate quà Causâ DEO subordinatâ radicatæ exigentiæ præstat concursum ad Entitatem actûs tendentis in Malum. Constat igitur, Voluntatem non tantùm *punitivam* in Deo respicere ad vitiorum nostrorum quà existentium, & à divino Intellectu præscitorum circumstantias particulares, à quibus ortum ducit; sed etiam *permissivam* ex nostrâ, tum de nihilo originis, seu nostri erga Deum Juris Nihileitatis, tum connaturalis in ordine ad Causæ primæ concursum
17. exigentiæ causâ esse in Deo existentem. At verò nec ista exigentiæ connaturalis, nec Juris erga Deum Nihileitatis nostræ ratio potest esse motiva Volitionis divinæ, sed potest tantùm esse occasio, seu ratio applicativa tum Bonitatis Dei increatæ relucentis in ipsâ Entitate peccati quà fluente ex communicabilitate Essentiæ divinæ nullam exinde labem attrahentis; tum Dominij Dei absoluti ex jure suo negantis efficacem ad actum Bonum Concursum. Manifestum proinde est, Dei de peccatis tam puniendis, quàm permittendis Voluntatem ita trahere occasionem ex nostræ Nihileitatis causâ, ut tamen ratio volendi punitionem, ac permissionem peccatorum sit Bonum Universi secundùm Justitiæ ac Dominij, imò & Bonitatis seu Sanctitatis divinæ nunquam per physicum actûs peccaminosi actum coinquinandæ relucentiam, seu manifestativam resplendescentiam. Hoc autem Universi Bonum reducitur in divinorum Attributorum perfectionem ceu unicam Volitionis divinæ 18.
rationem motivam ac finem. Etsi proinde Deus salutem quà ex suæ Increatæ Bonitatis participatione Bonam velit omnibus creaturis rationabilibus; hæc tamen salus non potest omnibus absolutè, & efficaciter esse volita eo ipso, quòd Deus velit in Universo non unicæ suæ Sanctitatis, ac Bonitatis perfectionem in participatione salutis resplendescere, sed etiam perfectionem Misericordiæ per unius ex unâ defectionis Massâ præ alio electionem: Item Justitiæ per malefactorum punitionem, nec non absoluti Dominij sui per peccatorum permissionem. Quare Dei de omnibus salvandis Voluntas antecedens est conditionalis importans conditionem, nisi hoc repugnaret ordini suæ Providentiæ disponentis de variâ in se simplicissimæ, sed eminenter diversimodæ perfectionis divinæ in Universo relucentiâ, per ipsam Dei volitionem reductâ in Essentiæ suæ divinæ absolutissimam, actualissimam, & infinitam Bonitatem tanquàm Unicum finem, & Motivum Voluntatis suæ.

COROLLARIUM.

INfertur. Qualiter Deus ex Antecedente omnes salvandi Voluntate universis hominibus 19.
præparet, & conferat Media ad salutem sufficientia. Nam *ex præced. cont. 2.* patet, Dei de omnibus salvandis Voluntatem antecedentem respectu salutis ceu Finis Universis voliti esse quidem inefficacem, & conditionalem, at efficacem & absolutam esse respectu Mediorum in ordine ad aliquos proximè, in ordine verò ad alios remotè sufficientium. Hinc 1. non tantùm primo Parenti teste D. Augustino *cap. 12. de Grat. & Corrept.* 20.
datum est adjutorium, quo posset perseverare in Bono, à quo per libertatem suam deficiebat, sed multos videmus stetisse in gratiâ, ex quâ sæpiùs licèt per peccata lapsi, sed per pœnitentiam restituti fuerunt, qui tandem sub finem vitæ ceciderunt in æternam ruinam. Unde sicuti Adamo volita fuit confirmatio in gratiâ sub conditione servati Divini præcepti, sic illis sub fine vitæ è gratiâ relapsis est volita vita æterna sub conditione Perseverantiæ ipsis tamen non concessæ. Unde ex Voluntate ipsos salvandi conditionatâ Deus præparavit illis Media etiam efficacia resurgendi à peccatis, standi in gratiâ usque ad ultimum vitæ tempus, cum gratiâ etiam proximâ, sed tantùm sufficiente ad perseverandum. 2. A- 21.
lij ex Voluntate ipsos salvandi à Deo accipiunt de facto regenerationis in gratiam remedium; ac sæpius lapsi revertuntur ad Deum non nisi per auxilium efficax, sed paulatim gravioribus intricati peccatis relinquuntur à Deo tanquàm obdurati, & obcæcati. De quibus potest moveri difficultas: An Deus ex illo tempore, quo in Impœnitentiâ obdurati sunt, ex conditionali eorum

rum salutis Voluntate ipsos ita velit sub conditione Pœnitentiæ recipere ad gratiam, ut eisdem concedat adhuc actuale auxilium, ex quo habeant sufficientem pœnitendi potentiam? In quo negant nonnulli apud Franciscum de Lugo *lib. 1. de Deo disp. 43. c. 2. à n. 1.* inducti Authoritate tum Sacrarum Litterarum *Josue 11.* de Gente Canaan asserentium, *Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & non mererentur ullam clementiam. Et Ioan. 12. Propterea non poterant credere* (Judæi) *quia dixit Isaias: Excæca cor populi hujus.* Tum SS. Patrum, nominatim Isidori *lib. de Sum. Bono. c. 15.* taliter disserentis. *Nonnulli ita despiciuntur à Deo, ut deplorare sua mala non possint.*

22. Verùm quia Deus non tantùm paratus est in hâc vitâ quovis tempore peccatores per pœnitentiam ad gratiam recipere, sed urget suis adhortationibus ad conversionem sine morâ faciendam, imò etiam præcepto obligat in mortis præcipuè articulo, uti passim videre est in Sacris litteris & Sanctis Patribus. Idcirco est omnino tenendum, tam quòd pro instanti seu tempore, in quo actu obligat Pœnitentiæ, vel Fidei, aut spei, aliudvè supernaturale præceptum, peccatori quantumvis obdurato concedatur sufficiens Gratiæ actualis auxilium supernaturale, nisi novo actu pro tunc impediat: alioquin enim foret sine tali auxilio impotens ad servandum præceptum, nec adeò ejus transgressio imputaretur ipsi ad peccatum.
23. Tum quòd licèt peccatores in hâc vitâ non habeant pro quovis momento in se receptum auxilium supernaturale sufficiens, per quod sint proximè potentes converti ad Deum, & salvari, nihilominùs quolibet tempore possunt habere speciale auxilium, per quod salvari valeant. Hæc autem potestas habendi ex parte Dei paratum auxilium sufficiens ad supernaturalem pœnitentiam, in peccatoribus etiam obduratis ita fundatur in Misericordia Dei, & Virtute meritorum Christi, ut nisi deinceps ponerent obicem abutendo auxilijs per Christum immissis ad servanda præcepta naturalis alioquin honestatis, Deus non quidem ex merito, sed ex merâ suâ liberalitate intuitu meritorum Christi non destitueret illos sufficiente ad Pœnitentiam supernaturalem auxilio. Unde obduratio in statu viæ non importat, nisi denegationem gratiæ efficacis, quâ tamen negatâ *secundùm impossibilitatem consequentem in sensu composito* impossibile est converti peccatorem, etsi absolutè loquendo quandoque proximè per internum actuale gratiæ sufficientis auxilium supernaturale, quandoque remotè ex Voluntate Dei de se misericorditer paratâ ad tale auxilium ratione alicujus peccati obicem non ponenti immittendum, sit potens ad pœnitentiam, atque adeò salutem consequendam. ex Alvarez *lib. 11. de Auxil. disp. 112. & 113. in Respons. ad argum.* Verùm istorum sensum cum difficul-
24 tatibus ibi latentibus alibi ex instituto pensabimus. 3. Nonnulli inter Infideles enutriti nullam audiendi Evangelij copiam habentes non videntur ex Dei de omnibus salvandis Voluntate participare salutis Media, nisi quatenus & Christus pro ipsis mortuus est, & Sacramenta ex meritis Christi instituta habent ipsos quoque sanctificandi efficaciam, si ritè applicarentur. Quæ porrò applicatio etsi sub conditione, si non impediretur Bonum Universi, & Attributorum Dei superiùs exposita manifestatio, dici queat omnibus *antecedenter* volita, tamen videri posset nullum à Deo ipsis paratum auxilium, quo propinquiùs, vel tandem proximè accedere possent ad fidem, ac Justificationis Sacramenta.

Verùm etiamsi his, quorum aliqui sunt in infidelitate *negativâ*, in pœnam Originalis peccati non sint actualiter collata auxilia supernaturalia intrinseca ad producendum immediatè actus supernaturales fidei, spei, ac Pœnitentiæ, 25.
Nihilominùs ex meritis Christi recipiunt intrinseca auxilia sufficientia, quibus secundū exigentiam honestatis naturalis converti possent ad Deum, & ad Bonum rationis naturæ proportionatum. Quod adeò si facerent, Deus illuminaret illos de Mysterijs fidei, conferretque ad credendum sufficiens gratiæ auxilium supernaturale, quo deduci possent ad Justificationis gratiam, juxta illud. S. Thomæ *q. 9. de Verit. a. 11. ad 1.* ita disserentis: *Quòd si quis in sylvis enutritus ductum rationis naturalis sequatur in appetitu Boni, & fugâ Mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem prædicatorem dirigeret ad eum.* 4. Qualiter parvulis in utero materno decedentibus, ex 26.
Voluntate omnes salvandi, parentur media non tantùm generalia, sed specialia auxilia Divina eorum parentibus pro ipsorum salute immittantur *sup. cont. 3. n. 7. 8. ac seq.* expositum est, & alibi speciales circa hæc difficultates eruendo, ac decidendo magis elucidabitur.



ARTICULUS V.

DE

Efficacia Divinæ Voluntatis.

INgredimur Controversiam, quâ vix major est inter nostri temporis Theologos: *An Decreta Divina circa actus nostros liberos ut liberos sint efficacia ex Virtute suâ Causativâ, & influxivâ in Voluntatem creatam? An ex præsuppositione, aut expectatione alicujus extra se?* Explicatur status Difficultatis. 1.
Decretum de se, & Naturâ seu virtute suâ efficax dicitur, quod absolutè independenter, & antecedenter ad omnem creatæ Causæ determinationem, seu futuritionem actionis etiam conditionalem est præfinitivum effectûs à Deo voliti ac omnis ad extra operationis etiam liberæ eliciendæ à Causis secundis prædeterminativum cum infallibili operationis per Divinæ Causalitatis, seu Volitionis absolutæ vim omnino infrustrabilem consecutione. Cui Decreto de se efficaci per Controversiam à Scientiæ Mediæ propugnatoribus de novo exitatam contraponitur Decretum Divinum actualis cum causâ creatâ liberâ concursûs non nisi vel sub conditione consensûs nostri liberi, vel cum indifferentiâ ad actum Amoris, ejusvè negationem, vel cum præsuppositione cooperationis sub conditione futuræ, ac præscitæ præparativum. Est igitur Controversiæ punctum: Qualiter in Voluntate Divinâ stet efficacia Decreti habentis ex se infallibilitatem Causalitatis effectûs liberi?

Semipelagiani circa Divinam prædestinationem (hanc pro quorumque circa actus nostros 2.

ſtros Decreto ſeu conſtitutione Dei accipiendo juxta SS. Proſperi, ac Hilarij litteras, nec non Auguſtini libros *de prædeſt. & de Bono Perſever.*) tria diſſeruerunt. Primò. *Removeri dicebant omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat Voluntates, & ſub hoc nomine prædeſtinationis fatalem quandam neceſſitatem induci. ex cit. epiſt. S. Proſperi.* Secundò. *Non acquieſcebant, prædeſtinatum Electorum numerum nec augeri poſſe, nec minui, ne locum apud infideles, & negligentes cohortantium incitamenta non habeant. ex eadem epiſt. S. Proſp.* Inde eſt, quod *& illud pariter non accipiebant, ut eligendorum, rejiciendorumque eſſe definitum numerum admittere nollent.* Tertiò. Prædeſtinationis Divinæ certitudinem non ex ſe, ſed ex præſcientiâ, quâ prævideret Deus, quid unuſquiſque ſub adjutorio gratiæ eſſet liberè operaturus, & ſub quo fine diſceſſurus, adſtruentes, de ijs, *Qui credituri ſunt, quive in eâ fide, quâ deinceps per Dei gratiam ſint juvandi, manſuri ſunt;* præcisè dicebant, *ante mundi conſtitutionem Deum & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hâc vitâ bono fine exceſſuros præviderit. ex princ. cit. Epiſt.* S. Proſperi. Quo circa *penè omnium par inveniebatur, & una ſententia, quâ propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque prævideret, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in quâ futurus eſſet Voluntate,*
3. *& actione, præſciverit. Ex fine ejuſ. Epiſtolæ.* Ex quibus Ioannes à S. Thomâ *ad præs q. 19. diſp. 3. a. 3. n. 4. in fin.* rectè concludit, totam prædeſtinationis certitudinem à Semipelagianis eſſe reductam in præſcientiam Divinam, ita ut Deus præſciens, quid unuſquiſque facturus eſſet, ante Decretum & prædeſtinationem, quæ humanas non præveniret Voluntates, prædeſtinarit, ac decreverit id, quod per præſcientiam explorabat in tali vel tali occaſione futurum: uti in confeſſo, & aperto eſt ex Fauſto Rhegienſi, qui ut in alijs ſuis ſententijs ab Alvarez *lib. 1. de auxil. diſp. 2. à n. 3.* adductis ſemipelagianiſmum adſtruebat, ſic in *lib. 2. de lib. arb. c. 3. relato in tomum 3. Bibliotheca SS. Patrum*, diſſerebat in hæc verba: *Aliud eſt præſcire; aliud prædeſtinare, Præſcientia gerenda prænoſcit, poſtmodum prædeſtinatio retribuenda deſcribit. Præſcientia de alieno ſubſiſtit actu, Prædeſtinatio de judicio ſuo, à Præſcientiâ, quæ ſunt noſtra, produntur, à Prædeſtinatione, quæ ſunt, præparantur, ac per hoc niſi præſcientia exploraverit, Prædeſtinatio nil decernit.*

4. Adversùs hos igitur in aciem progreſſuri conformiter citatæ Sancti Proſperi ad S. Auguſtinum Epiſtolæ hanc movemus quæſtionem; *An propoſitum ſeu Decretum Dei ex ſe ipſo antecedenter ad actionis noſtræ futuritionem, ac præſcientiam etiam conditionatam ſit efficax & ut ſic ex intrinſecâ Cauſalitatis ſuæ vi, & efficacia infallibiliter influxivum in noſtram liberam operationem?*

5. Moderni Scientiæ Mediæ propugnatores ex inſtituto pugnantes contra iſtud Dei Decretum ex ſe & ab intrinſeco efficax in varias ſunt diviſi ſententias. Nam 1. Molina *in 1. p. q. 14. a. 13. diſp. 18. memb. 3. §. Tertiò dicendum.* refutatus à Leſſio *de grat. effic. c. 4. n. 12.* & Franciſco de Lugo *lib. 1. de Deo. diſp. 32. c. 2. n. 4.* docuit: Deum poſtquàm prævidit per Scientiam Mediam, quòd Voluntas creata, ſi in his vel illis circumſtantiis ponatur, ſi hâc vel illâ vocatione, ſive excitatione præveniatur, ſit electura liberè; decernere primò, abſolutè ponere Voluntatem in his circumſtantijs, ac illam excitatione prævenire, cui reſponſuram eſſe ſub conditione noverat: deinde decernere cum determinatione Voluntatis, quam ſub conditione præſcivit operaturam, abſolutè cooperari.

2. Vaſquez *diſp. 99. c. 7.* refutatus ab Arriagâ *diſp. 10. Phyſic. ſect. 2. n. 70.* ferè coincidit cum Molinâ, aſſeritque, Decretum Voluntatis Dei, quo definivit opera noſtra, ordine cauſæ non eſſe priùs noſtrâ determinatione; Deum enim in nobis duo tantùm operari; unum ante conſenſum noſtrum, alterum cum illo; & in eo ſolum, quod ante conſenſum operatur, priorem eſſe ejus operationem, quàm cooperationem noſtræ Voluntatis, & determinationis liberæ: nam ea, quæ cum conſenſu noſtro operatur, ita ſimul nobiſcum efficere, ut nullo modo ejus
efficacia antecedat opera noſtra. 6.

3. Leſſius *cit. diſp. de grat. effic. c. 4. n. 16. c. 18. n. 13. §. ſi tertio modo* refutatus à Franciſco de Lugo *cit. cap. 2. n. 8.* tradit, Prædefinitionem concurſûs factam ſub hâc conditione, ſi liberum arbitrium ſe determinaverit, ſufficere, ut quilibet poſitâ illâ conditione exiſtat in actu ſecundo. Tunc enim illam prædefinitionem conditionatam tranſire in abſolutam, fierique efficacem, ac Deum velle tunc abſolutè ad hanc actionem præbere concurſum.

4. Franciſcus de Lugo. *cit. diſp. 32. c. 3. n. 2.* 7.
duplicem ad præſens inſtitutum diſtinguit Divinæ Voluntatis actum, quorum primus immediatè termineturad complendam cauſam ſecundam in actu primo: applicando Divinam potentiam, ut cum voluntate creatâ concurrat juxta ipſius exigentiam, quoties voluerit operari quemlibet actum; nec talem volitionem Divinam terminari formaliter immediatè ad actum ſecundum creaturæ, nec ad ipſum concurſum in actu ſecundo præſtandum, ſed ad ſummum virtualiter, & mediatè. At verò ſecundum Divinæ Voluntatis actum terminari formaliter & immediatè ad actum ſecundum creaturæ, ſive ad conſenſum illius in actu ſecundo præbendum juxta naturalem exigentiam talis Cauſæ. Quam proinde Volitionem Divinam ad concurſum in actu ſecundo terminatam poſſe ex mente Suarezij *diſp. 22. Metaph. ſect. 4. & lib. 1. de auxil. c. 15. & lib. 2. c. 3.* dici *formaliter*, & in ſe conditionalem *objectivè*, quatenus ſemper tendat ad ſuum objectum ſub conditione determinationis noſtræ.

5. Idem de Lugo *cit. diſp. 32. c. 4.* alterum à 8.
nonnullis inſinuatum modum componendi Divinum Decretum, & concurſum cum determinatione liberâ noſtræ voluntatis aſſignans, diſtinguit in ipſo actu primo Voluntatis creatæ liberæ duo ſigno rationis cum fundamento in re; alterum actûs primi remoti, alterum proximi. In primo ait conſiderari Voluntatem omninò indifferentem ex ſe non modò ad hoc vel illud objectum proſequendum, ſed etiam ad hunc vel illum actum eliciendum cum majore vel minore intenſione: in ſecundo verò ſigno jam concipi propendere per ſe ipſam ad hunc vel illum actum determinatè cum determinatâ intenſione, & hoc per quandam quaſi mutationem diſtinctam ab operatione, ſive actu ſecundo, prioremque illo; quâ ſine aliquâ realitate denuò receptâ vel ſuperadditâ virtualiter ſe habeat a-

liter

liter dum agit, quàm dum non agit, id est, ita realiter inclinetur in actu primo proximo, & quasi inflectatur per ipsam ad hunc actum eliciendum, ac si illa inclinatio, & inflexio realiter distingueretur ab Entitate Voluntatis, cùm tamen sit eadem omninò realis Entitas; sub cujus adeò propensionis, & inflexionis nostræ liberæ conditione habere Deum conditionalem concurrendi cum nostro arbitrio Voluntatem, offerendo nimirum suum concursum, eumque in actu secundo exhibendo, quoties voluntas creata propenderit in actu primo ad operandum. Quâ proinde voluntatis creatæ propensione prævisâ posse habere volitionem absolutam concurrendi ad talem actum determinatè.

10. 6. Aliqui tectis nominibus allegati, & refutati ab Arriagâ *cit. sect. 2. n. 6.* Voluntatem Dei concurrendi ita exponunt, quasi Deus diceret: *Nolo concurrere vel ad odium, vel ad amorem, nolo tamen ad odium impedire meam Omnipotentiam.* Cujus adeò volitionis Divinæ objectum, ajunt, non esse Entitatem actûs odij, sed carentiam impedimenti ex parte Omnipotentiæ.

11. 7. Arriaga *cit. sect. 2. subsect. 3. præsertim. n. 19. & 92.* rem hanc explicat affirmando: Dei Omnipotentiam ex naturâ rei esse indifferentem, ut subijciatur quasi potestati Voluntatis creatæ ad modum, quo habitus Voluntatis cum illâ concurrens subijcitur ipsi voluntati. At quia hæc quasi subjectio, si non penderet à Volitione Divinâ, esset summa imperfectio in Deo; ideò oportere, ut pendeat ab aliquo actu Voluntatis Dei libero; tunc enim salvari perfectissimum Dominium Dei in hunc concursum. Ad hoc autem non requiri, ut actus ille sit efficax, sed sufficere inefficacem, quo posito, tam esse subjectam Omnipotentiam nobis, quàm habitum Voluntati, vel creaturas ipsas Deo concurrenti, quando ab illo determinantur.

12. 8. Alarcon *tract. 2. De Scient. Dei. disp. 4. c. 8. §. 2. & 3. præcipuè n. 32. ac 33.* refutatus ab Oviedo *in Phys. Contr. 12. punct. 5. §. 3.* docuit: Causam creatam indigere extrinsecâ assistentiâ Omnipotentiæ, quâ constituatur potens complerè elicere suos actus; quam Assistentiam non esse Entitatem intrinsecam Dei, nec esse Decretum Dei conditionatum, nec Decretum Dei efficax concurrendi, si non adsit impedimentum; nec Decretum efficax absolutè prædefiniens actus liberos, vel necessarios; nec Decretum, quo indifferenter velit concurrere ad utrumque extremum; nec Decretum, quo priùs naturâ velit concurrere cum Causâ secundâ ad effectum ab utrâque indivisibiliter producendum: sed esse obligationem quandam moralem ortam ex aliquo Decreto, quo Deus se voluerit alligare ad concurrendum cum Causis secundis, juxta illarum propensionem, inclinationem, vel libertatem.

13. 9. Denique Oviedo *cit. punct. 5. §. 4.* asserit, Voluntatem creatam indigere applicatione Omnipotentiæ promptæ ad concurrendum cum illâ: hanc verò assistentiam, seu applicationem neque consistere in Infinitate, neque in Immensitate, neque in intimâ præsentiâ Dei cum creaturis: neque dicere Decretum aliquod conditionatum; neque importare Decretum aliquod ad odium vel amorem producendum dependenter à voluntate indifferente ad amorem & negationem illius. Hoc porrò Decretum, quo Deus assistit creaturæ ad actum amoris, vel alterius virtutis habere in se imbibitum affectum quendam per modum desiderij actûs illius. At verò assistentiam, quâ Omnipotentia assistit Voluntati, ut possit libertate Contradictionis elicere malum actum, esse Decretum quoddam, quo Deus dicit; Volo, ut quatenus est ex me, non deficiat actus odij, ut Iura Voluntatis non infringam; quem actum vellem ego non produci à Voluntate, quia malus est, & inhonestus. Addit Author ille *n. 45.* ut Decreta, quibus Omnipotentia assistit Causis creatis; libertatem illæsam relinquant, impertinenter se habere scientiam conditionatam; hanc tamen plurimùm conducere, ut Deus excellentiori providentiâ hæc habeat Decreta; & Voluntatem liberè potentem operari constituat.

In tantâ non absque Veritatis discrimine sententiarum unius Scholæ differentiâ & dissensione, Sexta præcipuè Opinio meretur allegari tum per Authoritatem sacrarum Litterarum, è quibus hosce textus pondera: *Omnia quæcumque voluit, fecit. Psalm. 113.* Item, *Operatur omnia secundùm Consilium Voluntatis suæ. ad Ephes. 1.* Et, *Tu creasti omnia, & propter Voluntatem tuam erant. Apocal. 4.* tum per sententiam S. Augustini *in Enchir. c. 102. & 103.* asserentis, *Quidquid Deus operatur, volens operatur.* Et *in lib. 83. quæst. q. 3. Hoc est fieri aliquid Deo agente, quod volente.* Item super illud: *Iustus Dominus in omnibus vijs suis. Psalm. 144. Apud Deum hoc est velle, quod facere, quia ex ejus Voluntate res habent Esse.* Tum denique per sententiam S. Prosperi *lib. 2. de Vocat. Gent. c. 34.* affirmantis: *Nec aliter quidquam procedere potest, quam Omnipotentis Voluntate dispositum est.* 14.

Ex quibus definita Veritas est, catenus esse aliquid à Deo volitum, quatenus habet esse productum à Divinâ Voluntate. At dicere, aliquod Ens; in quantum Ens, non esse à Deo; non solùm fidei contrarium est, sed etiam rationi. ex S. Thomâ de Entitate peccati loquente *in 2. sent. ad Annibald. dist. 37. q. 1. a. 1. in corp.* Ergo Voluntatis Divinæ de concurrendo ad actûs peccaminosi Entitatem objectum volitum est ipsa Entitas peccati, uti contra sextæ opinionis Authores redarguit etiam Franciscus de Lugo *cit. disp. 32. c. 3. a. n. 10.*

Hâc igitur sententiâ penitùs rejectâ, & eliminatâ è schola veritatis superest videre, quid lateat difficultatis & controversiæ in reliquis opinionibus. 15. E quibus conspicere licet, Divinæ concurrendi cum actu determinato libero Volitionis determinationem, atque adeò efficaciam desumi vel ex conditionatâ creati arbitrij ex se ipso determinationis præscientiâ antecedente absolutam actûs liberi creati futuritionem: vel ex concomitante nostri consensûs determinatione; vel ex antecedente absolutâ prævisione Voluntatis nostræ immutationis sive formalis per actualem determinationem, sive Virtualis per ejusdem in actu primo propensionem ac inflexionem: vel ex Consequente Voluntatis Divinæ de se inefficacis, aut indifferentis per Voluntatem creatam determinatione, vel denique ex assistentiâ extrinsecâ Omnipotentiæ Dei per moralem ex Decreto aliquo Divino resultantem obligationem.

Cur porro illi Doctores declinantes ab efficaciâ intrinsecâ & formali Voluntatis Divinæ seu Causalitatis Deo immanentis; viam tot ambagibus distortam ingressi sint, ratio in promptu est, ut deflecterent hæresin Calvinianam. Nam *prout ex parte videre licet ex prac. q. 5. a. 5. cont. 10. a. 5. n. 6.* Petrus à S. Ioseph *suavis Concord. disp. 2. sect. 7.* asserit, Thomistas Divinæ Voluntatis ex se efficaciam statuentes, non tantùm fateri se convenire cum Calvinistis in illo principio, quòd nimirum *Deus suo æterno, absoluto, & efficaci Decreto antecedenter ad præscientiam futuræ cooperationis nostri arbitrij prædeterminârit omnes actus, qui à nobis eliciuntur, & in tempore moveat motione efficaci Voluntatem nostram, ut eos actus eliciat, quos suo æterno Consilio statuit, ut fierent, ita scilicet, ut positâ tali motione necesse sit Voluntatem operari.* Verum insuper principium ejusmodi in eodem cum Calvinistis sensu intelligi, ac explicari ab Authoribus physicæ prædeterminationis. Nam si quæratur ab istis, quo sensu putent, hominem non posse dissentire Gratiæ efficaci, & quænam sit illa necessitas, quæ à Deo imponitur ad agendum? respondere, hoc intelligendum esse, ut Voluntas non possit dissentire Gratiæ Efficaci in sensu composito, sed tantùm secundùm se, & in sensu diviso, adeòque necessitatem agendi, quæ ipsi incumbit, non esse necessitatem absolutam, sed hypotheticam, seu consequentiæ, & solùm ex suppositione Decreti Divini, & Gratiæ Efficacis, quæ attemperatur genio Voluntatis, eamque movet fortiter, ac suaviter. At hoc ipsum esse dogma Calvinistarum, Calvino *lib. 1. Inst. c. 16. n. 8.* asserente; Divinâ Providentiâ sic gubernari consilia & Voluntates hominum, ut etsi ad destinatum scopum rectà ferantur, si tamen Causæ secundæ per se spectentur, aliquid & fortuitò, & contingenter eveniat. Quod repetitum ab eodem Hæresiarchâ *lib. 2. contra Pyghium* ita disserente: *Quæ fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri necessariò non suaptè naturâ, sed quoniam æternum & stabile Consilium in illis gubernandis regnat.*

16. Ex quibus citatus Pater Fuliensis Petrus à S. Ioseph concludit, patere: quando Calvinus asserit, Decretum Dei imponere necessitatem agendi, seu hominem non posse dissentire Voluntati Dei, aut Gratiæ; vel quid simile, id non debere intelligi in sensu diviso, seu spectatâ naturâ Voluntatis secundùm se, sed tantùm in sensu composito cum Decreto Dei, & ex suppositione illius; imò quòd voluntas ex se possit dissentire, & de facto dissentiat, nisi efficaciter à Deo præmoveatur, eundem Sectarium *ad Can. 4.* Concilij Tridentini disertè tradere his verbis. *Dissentiet quidem à Deo hominis voluntas, quamdiu erit contraria, verùm si in obedientiam composita fuerit, jam sublatum est dissentiendi periculum.* Has enim particulas *si in obedientiam composita fuerit*, ait Pater ille Fuliensis, planè ostendere; Voluntati ex Calvini mente non incumbere necessitatem consentiendi, nisi ex suppositione motionis efficacis: Quod efficaciùs adstrui, & probari posse ex Petro Martyre præsertim *lib. reg. c.*

17. *12.* respondente in hunc modum. *Respondeo Voluntatem Rehabeami posse dupliciter spectari. 1. simpliciter, nudè, atque juxta naturam suam, quâ ratione minimè repugnabat, ut seniorum consilium sequeretur, est enim humana Voluntas vertibilis, & tam potest ad unam, quàm ad alteram deliberationis partem deflecti: at si cum Dei providentiâ copuletur, aliter quàm factum sit, fieri non potuit.*

Quibus adeò positis, restat videndum, An ob periculum contagionis Calvinisticæ usque adeò fugienda sit intrinseca Voluntatis Divinæ efficacia, ut hæc negari debeat in ratione Causalitatis ex se efficacis esse absolutè determinativa actuum liberæ creatæ Voluntatis, sed potiùs ex se Conditionata vel indifferens determinetur ad extra per Voluntatis creatæ liberam sive antecedentem absolutè, vel conditionatè prævisam, sive consequentem, vel concomitantem determinationem? In quâ difficultate ex fundamento eruendâ, & non nisi secundùm Patrum, atque Sacrarum Litterarum placitum decidendâ procedemus per sequentes Controversia. 1. erit. *In quo efficacia Divinæ Voluntatis secundùm Doctrinam Thomistico-Augustinianam consistat? 2. An Decreti, seu Prædestinationis efficacia à Semipelagianis refutata vindicata sit à SS. Prospero & Augustino? 3. An efficacia Divinæ Voluntatis priùs asserta sit conformis S. Scripturæ. 4. An Decretum Dei indifferens subsistat cum Veritate Sacrarum Litterarum? 5. An Decretum Dei de se efficax inducat Fatum? 6. Qualiter Voluntatis Divinæ Efficacia sit Causa creatæ libertatis, ac rerum contingentiæ?* 7. denique, *In quo stet Hæresis Calviniana; & An Voluntatis Divinæ ex se efficacis assertores illius subeant discrimen?* 18.

CONTROVERSIA I.

In quo efficacia Divinæ Voluntatis secundùm Thomistico-Augustinianum assertum consistat?

EN prodimus in apertum, & prodimus nostrum Intentum, ne pedem in certo Veritatis puncto fixum movere amplius liceat, ob oculos posituri, quænam Decreti Divini à Thomistico-Augustinianis assertæ Efficaciæ sit facies.

CONCLUSIO.

EFficacia Decreti Divini absoluti est actio Dei æterna in ratione Causalitatis Deo intrinsecæ per se ipsam formaliter determinatæ infallibiliter influxiva in actionem extra se transeuntem, atque adeò in effectum pro certâ durationis mensurâ simpliciter volitum tanquàm terminum, seu objectum Decreti, ac Volitionis cujusmodi.

Explicatur & Probatur ex Sacris Litteris, & Patrum Sententijs ante *cont. 1. n. 4.* adductis. Hinc enim constat, quòd in Deo non operante nisi secundùm consilium Voluntatis suæ, Volitio Divina habeat aliquam rationem Causalitatis in omnes res creatas: Hæc autem Causalitas est effectrix omnium rerum creatarum, atque adeò liberorum etiam creati arbitrij actuum, siquidem apud Deum hoc sit velle, quod facere. At ista Divina Volitio ita habet rationem factionis Causantis Esse in rebus creatis, ut Deus tanquàm 1.

tanquàm volens operetur, tendatque adeò in terminum tanquàm objectum à se volitum, & ut sic effectum, seu factum ex vi suæ actualiter effectricis, seu actu operantis Voluntatis, ex al-
2. legatis sacris textibus. Est autem de ratione Causalitatis actualis, seu effectionis esse actualitatem actûs primi agentis ita formaliter determinativam, ut ex quidditate suâ habeat connexionem intrinsecam cum effectu; in quem est agentis emanatio seu fluxus actualis. At impossibile est, stare ejusmodi actionis, seu actualis ab agente in effectum emanationis formalitatem sine tali consecutione effectûs, qualiter hic attingitur ab illâ emanatione. Cùm igitur Volitio Dei sit effectio rei volitæ, hanc formaliter in ratione actionis attingendo tanquàm effectum seu terminum quà Volitum, consequens est, Volitioni in ratione causalitatis ex se formaliter determinatæ esse actualissimam ad extra efficaciam infallibiliter influxivam in actionem extra se transeuntem effectûs ex non esse ad Esse, prout Deus vult, transmutativam.

3. Oppones. Hæc pugnare cum Philosophiâ, & Doctrinâ tum Aristotelis *3. Phys. tex. 20. & 9. Metaph. tex. 16.* tum S. Thomæ *q. 14. de Verit. a. 5. & q. 10. de potent. a. 1.* Item *2. cont. gent. c. 1.* Ex his enim locis patet, actionem transeuntem non esse in agente, sed in passo aut termino, veluti Philosophus *3. de Animâ. tex. 138.* apertè doceat hisce verbis: *Agentis, moventisque operatio in ipso patiente suscipitur, atque inest, atque adeò actio, & passio non in agente est, sed in eo, quod patitur.* Cui conformiter S. Thomas *1. p. q. 54. a. 2. & 1. 2. q. 3. a. 2 ad 3. & 1. cont. gent. c. 10.* tale ponit actionis Immanentis, & transeuntis discrimen, quòd illa primò, & per se perficiat ipsum agens; Transiens autem primò & per se perficiat ipsum passum, nec sit perfectio agentis, sed moti. Nequit ergò volitio divina habere rationem actionis Transeuntis, sed Immanentis duntaxat. ex eod. S. Doctore. *1. p. q. 18. a. 3. ad 1.* Etsi proinde ex sacris litteris probari possit, Volitionem divinam esse effectuum ad extra causativam, hæc tamen ratio causativi non potest ei convenire sub formalitate actionis ad extra transeuntis. Ergò habet præcisè rationem Causæ, prout est applicativa divinæ Omnipotentiæ. At istam Omnipotentiæ applicationem non oportet habere intrinsecam ex ipsâ Volitionis ratione connexionem cum effectu ad extra producendo. Cùm igitur ex sacris litteris non probetur, nisi quòd Voluntas divina sit Causa rerum ad extra, hæc autem ratio Causæ subsistere possit secundùm applicationem Divinæ Omnipotentiæ sine actuali Deo formaliter inexistente, ac effectûs ex se infallibiliter illativâ determinatione, consequens est, dictos sacros textus non urgere.

4. Contra. Nam quod sacræ litteræ innuunt, hoc apertiùs loquuntur allegatæ Patrum sententiæ: Velle Dei ita esse facere, ut per quod Deus est Volens, per hoc ipsum denominetur, & constituatur agens. Atqui actio essentialiter est actus secundus formaliter denominans, & constituens in ratione Agentis, seu activi ut activi. ex Philosopho *3. Phys. tex. 9.* & D. Thom. *opusc. 48. tract. de act.* Ergò Volitio Divina tendens in terminum sub Esse actualis Existentiæ volitum, est actio, quam S. Doctor *1. p. q. 46. ad 10. & de Potent. a. 1. ad 8.* vocat *Actionem æternam.* At de ratione actionis est, ita esse actualitatem virtutis, ex D. Thomâ *1. p. q. 54. a. 1.* ut sit effluxus in actum ab Agente. *ex eâ. q. 54. a. 2.* Est autem effluxus ejusmodi ita complementum potentiæ *2. cont. gent. c. 9.* ut tamen non sit actualitas in ipso agente consummata, sed in effectu. Unde circa actionem Dei Transeuntem oportet distinguere duplicem formalitatem; unam in agente, quæ ut sic est actio effectrix, & alteram in effectu, seu passo, quæ ut sic est passio, seu actio effecta, veluti S. Doctor *in 1. dist. 40. q. 1. a. 1. ad 1.* non obscurè indicat duplicem creationem, alteram activè sumptam, Deo creanti inexistentem, alteram passivè acceptam rei creatæ inexistentem. Juxta quem adeo sensum idem S. Doctor *1. p. q. 23. a. 2. ad 3.* ait; Aliam in prædestinatione esse præparationem Beneficiorum Dei passivam, receptam in patiente, aliam verò esse activam, inexistentem Deo quà agenti. Constat igitur, Deo inexistere formalitatem, quæ in ratione actualis volitionis ita sit actio, ut ex ratione suâ formali, prout est effluxus ab agente in effectum, determinatè inferat actionem effectam, seu motionem passivam, & rei creatæ à non Esse ad Esse physicè immutativam. In hac igitur Dei æterna actione per modum Causalitatis formaliter Immanentis Voluntati Divinæ inexistente, & virtualiter ad extra transeunte, atque adeò effectûs creati voliti juxta Dei placitum in tempore producendi per rationem actualissimam Causalitatis infallibiliter illativâ statuimus Divinorum Decretorum intrinsecam ex se formaliter infallibilem efficaciam.

CONTROVERSIA II.

Utrùm intrinseca Decreti Divini cooperationem Arbitrij creati antecedens Efficacia a Semipelagianis refutata per S. Augustinum vindicata fuerit?

EX Epistolâ S. Prosperi ad D. Augustinum 1.
constat, multos Massilienses Semipelagianos ex hujus S. Doctoris scriptis, quæ adversùs Pelagianos Hæreticos condiderat, putâsse Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui contrarium, quidquid in eis de vocatione Electorum secundùm Dei propositum disputaverat. Et cùm aliquamdiu tarditatem suam culpare mallent, quàm non intellecta reprehendere, quidamque illorum lucidiorem super hoc, atque apertiorem prædicti S. Doctoris expositionem vellent postulare, evenisse, ut, cùm quidam intra Africam similia movissent, *Librum de Correptione, & Gratiâ* plenum divinæ Athuoritatis emitteret. Quo libro recensito, sicut qui Sanctam, atque Apostolicam Doctrinæ Augustinianæ Authoritatem anteà sequebantur, intelligentiores multò, atque instructiores sint facti, ita qui per suasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores, quàm antea fuerunt, recessisse. *ex verbis prætactæ epistolæ.*

Hinc patet prædestinationis (sive præfini- 2.
tionis, ac Decreti efficacis) vim vel maximè investigari posse ex S. Augustini libro *de Corrept. & Gratiâ*, cui Semipelagianos se opponendo, ansam dedisse S. isti Doctori ad Divos Prosperum, & Hila-

& Hilarium scribendi libros de *prædest. Sanctor.* ac *Dono Perseverantiæ.* Cùm proinde cogitemus in præsenti inquirere mentem S. Augustini circa divini Decreti efficaciam, eo censuimus procedendum ordine, ut sensum hujus S. Doctoris inprimis eruamus *ex libro de Corrept. & Gratia*: exinde oppositiones Semipelagianorum audituri, ac denique laturi sententiam ex libris Augustinianis *de prædestinatione, & Dono Perseverantiæ.*

CONCLUSIO.

Efficacia Decreti Divini per nos *præcc. cant.* exposita est conformis menti S. Augustini.

3. Probatur. Efficacia Decreti divini per nos explicata est actio æterna Voluntati Dei formaliter inexistens in ratione actualis Causalitatis. Hæc autem Causalitas est in ratione definitionis voluntariæ, seu Deo intrinsecæ liberæ ad extra determinationis ita attingens objectum volitum sub ratione actualis existentiæ per physicam creatam de non Esse ad Esse immutationem eo modo, ac tempore in rerum naturâ ponendæ, sicuti Deus voluit. Unde efficacia divinæ Volitionis duplicem importat actionem, alteram Deo formaliter Immanentem, sed virtualiter transeuntem à Dei liberâ absolutâ volitione realiter indistinctam, habentem rationem primæ actualis causalitatis, alteram formaliter ad extra Transeuntem, ac ex illâ Deo intrinsecâ Causalitate emanantem in tempore, habentemque rationem actionis effectæ, ac impressæ causæ secundæ, indistinctam ab hujus motione, seu actione. Hanc verò duplicem actionem respectu Gratiæ dantis ipsum operari virtuosum supernaturale S. Augustinus Prædestinationem à Gratiâ distinguens adstruxit asserendo, Prædestinationem esse Gratiæ præparationem, Gratiam verò esse ipsam jam Donationem. Illam porrò Voluntati divinæ intrinsecam actionem æternam statuit de se efficacem, ut actionis nostræ liberæ per se volitæ sit infallibiliter illativa, & eo modo, quo voluit, causativa.

4. Probantur ista duo Assumpta ex S. Augustino. Nam 1. Si, qui corripitur, est Filius promissionis, strepitu correptionis forinsecùs insonante atque flagellante, Deus in illo intrinsecùs occultâ inspiratione operatur & velle. *ex lib. de Corrept. & Grat. c. 6. post. init.* Ille verò Filius promissionis est de his, qui etiam nondum credentes, sive necdum justificati sunt in Memoriali æterni Patris inconcussâ stabilitate conscripti *ex c. 9 circa init.* Hi verò sunt illi, qui præsciti, & prædestinati sunt conformes fieri Imaginis Filii sui, & secundùm propositum vocati, ut electi essent *ex cit. c. 9.* Atqui ex eo, quòd ille sit Filius promissionis, strepitu correptionis extrinsecùs sonante, Deus in ipso intrinsecùs operatur & velle. *ut supra.* Cùm igitur Filius sit promissionis quà prædestinatus, & consequenter vocatus secundùm propositum, seu Decretum Dei, consequens est, ex isto proposito Prædestinationis Divinæ consequi vocationem, in quâ Deus operatur & velle. Atqui hoc velle est tum pœnitentia nostra voluntaria à Deo data ad cognoscendâ Veritatem, & resipiscendum à laqueis Diaboli. *ex c. 5. circa med.* tum Voluntas Deo obediendi, quæ utique munus Dei est. *ex c. 6. init.* tum perseverantiæ datum optimum, & donum perfectum descendens à Patre Luminum. *propè medium. cit. c. 6.* At illud tum fidei, tum Pœnitentiæ, tum perseverantiæ velle liberum descendit à Patre luminum secundùm propositum, vi cujus diligentibus Deum omnia cooperantur in Bonum. *ex cit. c. 6. propè finem. & c. 7. circa med.* Hoc autem propositum Dei circa Fidem Petri, erat, secundùm quam Voluntas Petri ita præparatur à Domino, ut Christi orantis, ne Fides ejus deficeret, petitio non posset esse inanis. *ex c. 8. post. init.* Et hinc Petrus *secundùm propositum* divinæ præparationis consecutus est in fide liberrimam, invictissimam, perseverantissimam Voluntatem, ut adeò dicere sit nefas, Fidem Petri etiam orante Christo, ne deficeret fuisse defecturam, si voluisset eam deficere, sed potiùs dicere oporteat, quòd ideò fides Petri non esset defectura, quia orante Christo ejus Voluntas esset præparata à Domino. *ex cit. c. 8.* Constat igitur, ex præparatione Domini, sive proposito prædestinationis, atque adeò Decreto Dei absoluto emanare velle nostrum virtuosum, ac meritorium tanquàm effectum Donatum, & infallibiliter in tempore causandum, imò in æternitate jam causatum.

5. 2. Idem S. Doctor *c. 9. post med.* introducens Apostolum *ad Rom. 8.* loquentem in præterito, quod Deus quos prædestinavit, hos & vocaverit, & Justificaverit, eleganter advertit, hanc Veritatem in præterito procedere de illis etiam, qui usque ad finem sæculi essent in futurum adhuc vocandi, & justificandi, & glorificandi. Cujus rationem ibi assignans, Deus de rebus etiam futuris, ait, ponere verba præteriti temporis tanquàm jam fecerit, quæ ut fierent, ex æternitate disposuit. Ex quo ita licet argumentari. Disposita æternitate, ut fierent in tempore, sunt tanquàm jam facta. At nihil potest intelligi factum sine factione, seu actione. Ergò facienda in tempore quatenus disposita in æternitate, supponunt in Deo actionem, seu factionem, quæ sit dispositio divinæ Voluntatis attingentis in ratione objecti ipsam in tempore factionem effectûs in æternitate dispositi actualiter effectricem. Hanc igitur Voluntatis divinæ dispositionem, seu actionem æternam dicimus ex hoc ipso efficacem, quòd à nullâ re vinci possit. *ex cit. c. 7. post. med.* 6.

3. A nobis ita fit correptio declinantium à viâ rectâ, ut tamen Deus circa correptum sit facturus Misericordiam, aut Judicium. Misericordiâ quidem, si à Massâ perditionis sit discretus, neque sit inter vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa Misericordiæ, quæ præparavit Deus in gloriam: Judicium verò, si in vasis iræ sit damnatus, nec adeò in Vasis Misericordiæ prædestinatus. *ex c. 9. circa fin.* Ex quo patet, correptionis nostræ sive receptionem, sive repulsam liberè faciendam à correpto reduci in Deum, ex cujus Electione vel Misericordiæ, vel Judicij pendeat actio creati arbitrij, eodem S. Doctore *c. 7. post. med.* attestante, aliam esse Electionem Misericordiæ, quâ undecim Apostoli sunt à Christo electi ad regnum suum obtinendum, aliam verò Electionem esse Judicij, quâ Judas electus est ab illo, qui novit bene uti etiam malis

malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod Christus venerat, opus venerabile compleretur. Unde quomodo constat, omnia prout sunt, sive in quantum habent Esse, sint ex Dei Electione, seu determinatione divinæ Voluntatis, ut adeò cujuscumque operis quoad Esse determinatio non sit primò ex nostrâ libertate, sed ex Decreto Divino.

7. 4. S. Augustinus *c. 25.* ponderans illud *Luc. 10. Si fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur*, ait: nobis quidem incipere quemque Filium pacis, cùm obedierit, & crediderit Evangelio, & ex fide justificatus, pacem ad Deum habere cœperit: qui tamen secundùm prædestinationem jam filius pacis erat. Neque enim dictum esse, super quem requieverit pax vestra, fiet filius pacis, sed ubi fuerit Filius pacis, requiescet super eum pax vestra. Ex quo manifestum est, ex eo requiescere pacem Dei super aliquem mediante fidei obedientiâ ceu liberâ Voluntatis suæ dispositione justificatum, quòd sit filius pacis secundùm prædestinationem. Ergo ex prædestinationis divinæ Causalitate fluit Obedientia Fidei ceu libera in filio pacis ad Justificationem dispositio. At illam ipsam Prædestinationis Causalitatem vel ex hoc oportet infallibiliter illativam esse pacis ad Deum per Justificationem, quòd æterna veritas ex eo, si filius sit pacis, asseruerit fore, ut requiesceret super eum pax Dei per liberam ejusdem fidei præstitam Obedientiam. In hâc proinde divinæ Voluntatis Causalitate actûs supernaturalis creati liberi infallibiliter illativâ vel maximè consistit Prædestinationis Dei efficacia.

8. 5. Denique S. Doctor *c. 14. circa med.* Efficaciam divinæ Voluntatis à nobis assertam apertiùs tradit verbis sequentibus: *Non est itaque dubitandum, Voluntati Dei, qui in Cœlo, & in terrâ omnia quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas Voluntates non posse resistere, quò minùs faciat, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum Voluntatibus quod vult, cùm vult, facit.* Ex quo liquet, Voluntatem divinam esse factricem ejus, quod vult. Hæc autem factio respectu etiam illorum, quæ futura sunt, est in Voluntate divinâ secundùm mensuram æternitatis, ratione cujus futura jam facta sunt. At isti Voluntatis divinæ factioni mensuratæ per æternitatem non potest resistere voluntas humana, quin ex vi Volitionis divinæ jam in æternitate factus, in tempore infallibiliter sit futurus actus creati liberi arbitrij à Deo volitus. Nequit ergo Decretum Dei concurrens cum creato arbitrio esse vel indifferens, ac determinabile per Voluntatis humanæ liberam determinationem, vel conditionatum, atq; adeò dependens à conditione consensûs creati liberi; sed potiùs in ratione factionis, per quam actus creati liberi in tempore futuri jam in æternitate præsentes sunt, est in se formaliter determinatum, atque sub ratione actualis ad extra determinationis, & Causalitatis antecedentis est ita causativum actuum ejusmodi, ut de ipsis hominum Voluntatibus, quod vult, faciat, nec humana Voluntas resistere possit, quò minùs faciat, quod vult; *nisi fortè*, pergit idem S. Doctor, *quando Deus voluit Sauli Regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum, subdere memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum Voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum Voluntates, sine dubio habens humanorum Cordium, quò placeret, inclinandorum Omnipotentissimam potestatem.* 9.
Ecce voluit Deus voluntariam *potentium, quorum tetigit corda 1. Reg. 10.* subjectionem præstandam Sauli. Hæc autem subjectio, quam non nisi per liberas Israelitarum Voluntates fecit Deus, non ita erat in potestate Israelitarum, ut etiam Deo illam Volenti valerent resistere. Oportet igitur, talem humanorum cordium, quo placet, inclinandorum in Deo esse omnipotentissimam potestatem, ut positâ Volitionis divinæ circa effectum aliquem determinatione sit ex vi causalitatis Voluntati divinæ formaliter inexistentis infallibiliter eo modo, quo Deus vult, in tempore effectus futurus, utpote secundùm talem Voluntatis divinæ intrinsecam determinationem, ceu Causalitatem effectûs ad extra in actu secundo effectricem jam factus in æternitate.

Insurgunt referentibus SS. Prospero & Hilario *in epist. ad D. Augustinum* ex hujus Sancti Doctoris libro *de Corrept. & Gratiâ* offensi Massilienses, & opponunt 1. Propositum Vocationis, quo eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundùm quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionē teporis asserre, eò quòd ex utrâq; parte superfluus labor sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere. Quoquo enim modo se gesserint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere, & sub incertâ spe cursum non posse esse constantem, cùm si aliud habeat prædestinantis Electio, cassa sit adnitentis Intentio: *ex cit. Epist.* S. Prosperi *circa init.* 2. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat Voluntates. *ubi supra.* 3. Sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem, *ex loco prox. cit.* 4. Quidlibet creato arbitrio donatum sit, prædestinatos id posse & amittere & retinere propriâ Voluntate: quod tunc falsum fore, si verum esset, eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint. *ex dictâ Epistolâ* S. Hilarij. Unde molestissimè ferebant D. Augustini sententiam *in lib. de Corrept. & Grat. c. 11. & 12.* asserentis: *Primum hominem accepisse Perseverantiam, non quâ fieret, ut perseveraret, sed sine quâ per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum per Gratiam prædestinatis non tale adjutorium Perseverantiæ dari, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm, ut sine isto Dono perseverantes esse non possint, verùm etiam, ut per hoc Donum non nisi perseverantes sint.* 5. Non intelligi, quò pertineat tanta extrinsecùs correctionis instantia, si sic prædestinati sint ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere. *ex cit. Epist.* S. Hilarij. Unde etiam S. Prosper circa finem suæ Epistolæ petijt à S. Augustino edoceri: *Quem ad modum per hanc prædicationem Propositi Dei, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent.* 6. Testimonia S. Scripturæ, quæ D. Augustinus *in lib. de Corrept. & Grat. c. 14.* posuit, non pertinere ad quæstionem, quæ de exhortatione versatur.

Contra ex libris S. Augustini *de prædest. Sanctor. & de Dono Persever.* ponitur 1. Tum quia ex SS. Litteris fatendum est, quòd Deus prædestinatos

natos elegerit ante mundi constitutionem prædestinans eos in adoptionem Filiorum. *ex lib. de prædest. Sanct. c. 18. post init.* At Deus eligendo facit divites in fide, sicut hæredes regni: siquidem in Electis hoc eligere dicatur, quod ut in eis faciat, eos elegit *ex c. 17. circa finem:* Unde Deus eligens prædestinatos, ut essent Sancti & immaculati, fecit hoc secundùm placitum Voluntatis suæ, ut nemo de suâ, sed de illius erga se Voluntate glorietur. *ex cit. c. 18.* Ex hoc autem placito divinæ Voluntatis emanat vocatio non illa, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, sed vocatio certa illorum, qui secundùm propositum vocati sunt. *ex c. 16.* Hæc autem vocatio non ex operibus, sed *ex vocante* est, quâ vocatus fit credens. *ex cit. c. 16.* Cùm igitur per Vocationem secundùm propositum tanquàm certam Vocatus fiat credens, constat, Dei propositum esse certò causativum actûs creati supernaturalis liberi. At iste actus credendi ex vocatione secundùm propositum ita aperit viam, ut ex eodem proposito consequatur & Justificatio, & omnium in Electis ad Bonum cooperatio. *ex cit. c. 17. & 18. in fine.* Hanc verò sequitur Glorificatio Deo operante secundùm propositum suum, ut simus in laudem gloriæ ejus utique Sancti, & immaculati in conspectu ejus. *ex loc. cit.* Ergò Deus secundùm divitias gratiæ suæ, secundùm Bonam Voluntatem suâ, quam proposuit in Dilecto Filio suo, in quo prædestinati sortem consecuti sumus per vocationem secundùm propositum, in nobis ita operatur & velle, ut hanc vocationem consequatur Justificatio & Perseverantia finalis, istam verò Glorificatio non alijs concedenda, nisi Electis. *ubi sup.* Quare divinæ Prædestinationis propositum importat partim *formaliter* actionem Dei æternam, in quâ Deus sua circa Electos futura facta præscivit. *ex cit. c. 17.* partim *terminativè*, ac *effectivè* actionem temporalem vocationis secundùm propositum, quâ Deus id, quod prædestinavit, implevit *ex eod. c. 17. circa*
12. *finem.* Tum quia cùm à Deo, cujus vult, miserente, & quem vult obdurante, alijs præparetur Voluntas credendi, alijs non præparetur, utique cur isti nolint, illi velint credere, discernendum est, quid veniat de Misericordia ejus, & quid de judicio. *ex lib. de prædestin. Sanctor. c. 6. ab init.* Ex hoc autem misericordiæ ac Judicij discrimine fit, ut per Misericordiam Electi audientes per secretam Gratiam, & discentes à Patre, veniant ad Christum, cæteri verò excæcati habeant oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant. *ex cit. c. 6. & 8.* Cur ergo non omnes doceantur, ut veniant ad Christum, non aliunde est, nisi quia quos Pater docet, Misericordiâ docet, & quos non docet, judicio non docet, quoniam cujus, vult, miseretur Bonum retribuens, & quem non vult, obdurat digna retribuens. *ex cit. c. 8.* Neque tamen pro isto Misericordiæ, & Judicij discrimine est, quòd homo respondeat Deo habenti potestatem faciendi ex eâdem Massâ aliud vas honoris, aliud contumeliæ, etsi nemo sit, qui ejus Voluntati resistat. *ex cit. c. 8.* Constat igitur, per Discretionem Judicij erga reprobos, & Misericordiæ erga Electos esse ex insuperabilis Voluntatis divinæ determinatione, cur alius discat, alius non discat à Patre, nec adeò veniat ad Christum, sed aures audiendi obduratas habens, fiat vas contumeliæ, Deo digna ipsi retribuente: ut adeò tutò tenenda sit illa vox Augustini, quòd Deus, quibus non vult subvenire, non subveniat, utpote de quibus in suâ prædestinatione occultè quidem, sed justè aliud judicârit. *ex c. 11. de Bono Persev. circa init.* Tum quia illæ voces, 13.
quòd ex præfatâ Vasum honoris, & Vasum Contumeliæ discretione lapsis cura resurgendi adimatur, & Sanctis occasio teporis afferatur: supponunt illam resurgendi curam, ac teporis excussionem, seu fervoris excitationem esse ex nobis, non ex DEO donante saltem quoad determinationem. At in his ipsis Pelagianæ pravitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur, dum principium salutis *seu Cura resurgendi, ac teporis excussio* malè in Voluntate hominis ponitur. *ex epist.* S. Prosper *ad D. Augustinum.* Hanc autem virulentiæ fibram non evitamus nisi veraciter intelligamus, nos orando: *Fiat Voluntas tua sicut in cælo & in terrâ* petere, ut Deus in nobis operetur & Velle ad fidei initium, progressum, & perseverantiam. *ex cit. lib. de prædest. Sanctor. c. 8. & de Bono Persev. c. 3.* Si ergo totum in omni Voluntate nostrâ bonâ dare debemus Deo eligenti nos, & eligendo facienti, ut eamus & fructum afferamus, & fructus noster maneat, consequens est, lapsos pro curâ resurgendi, & Sanctos pro excitatione fervoris, progressu, & perseverantiâ in viâ salutis adhortandos esse ad Orationem, ut fiat in ipsis Voluntas Dei sicut in cælo, & in terrâ, *ex lib. de prædest. ac Dono Persev. passim.* At in hâc ipsâ Oratione fatemur Causalitatem Voluntatis Divinæ in nostram Bonam Voluntatem, seu actus virtuosos tanquàm effectus ac Dona Dei per prædestinationem suam divinam præparantis nos, ut in bonis operibus ambulemus. *ex c. 10. de prædest. Sanctor.* Hæc igitur prædestinationis efficacia non tantùm non adimit lapsis Curam resurgendi, & Sanctis affert occasionem teporis, sed ostendit viam, unde excitetur illa Cura, & à quo efflagitandus sit Fdei fervor non procedens nisi à Voluntate Domini per Misericordiæ Electionem in æternitate præparantis, seu prædestinantis, & in tempore efficientis gratiam seu bonæ Voluntatis nostræ determinationem.

2. Ex hoc ipso, quòd constitutio Divina ita 14.
præveniat nostras Voluntates, ut in Electis Voluntas non nisi à Domino præparetur, fatendum nobis est, in ipso bono opere non esse, qui nos discernit, nisi Deum. *ex cit. lib. de prædest. Sanctor. c. c. 5. in fine.* Hinc verò nihil aliud agitur, nisi ut humilietur homo, & exaltetur Deus solus, cui per humilem, & submissam confessionem totum in bonis nostris operibus dare oporteat. *ex cit. c. 5. post init. & de Bono Persev. c. 13. circa finem.* Hoc autem non est tollere Virtutes, sed in suis meritis gloriari in Domino, qui ut nostras faciat divitias gloriæ suæ in Vasa Misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, volens ostendere Iram, & demonstrare potentiam suam attulit in multâ patientiâ vasa Iræ, quæ perfecta sunt in perditionem *ex c. 8. & 9.* Unde etiam ostenditur nobis, cur secundùm Apostolum debeamus salutem nostram cum timore, ac timore operari, quòd nimirum Deus sit, qui operatur in nobis & Velle, & Operari pro Bonâ Voluntate. *ex lib. de Corrept. & Grat. c. 9. & de Bono Persev. c. 13. circa finem.*

3. Etsi omninò profitenda sit prædestinatio 15.
certissima, quâ Pater dedit Christo filios promissionis,

sionis, ut ex eis non perderet quemquam, & in quâ præsciat Deus, quæ fuerat ipse facturus, in nostrâ etiam Voluntate operando & velle, & operari pro Bonâ Voluntate suâ. *ex lib. de prædest. c. 10. & de Bono Persev. c. 14.* Hæc ipsa tamen immobilis Prædestinationis Veritas, & certitudo subsistit cum nostri Arbitrij liberâ Voluntate, quatenus Deus credentibus & Volentibus per Spiritum Sanctum dans non facultatem duntaxat bene operandi, sed ipsum Velle, ac Credere, hoc tamen non faciat, nisi volentibus nobis *ex lib. de prædest. Sanct. c. 3.* Vnde fides nostra ita est ex Deo præparante Voluntatem nostram ad credendum, ut tamen credere, vel non credere sit in arbitrio Voluntatis humnæ *ex c. 5. circa finem.* Ergo voluntas obediendi tam incipiens, quàm perseverans ita est ex prædestinatione certissimâ, ut hæc tamen non inducat fatalem necessitatem Libertatis creatæ destructivam, siquidem Voluntas humana Gratiâ consequatur potiùs libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem nobismetipsis hanc perseverantem obediendi Voluntatem ita facientibus, ut tamen Deus faciat, quòd nos illam faciamus *ex lib. de Corept. & Grat. c. 8. & de prædest. c. 1.*

16. 4. Si dicatur: Perseverantiam posse amitti, duplicem habet sensum; alter est, quòd perseverantia jam accepta contumaciter amitti possit. At cùm per istud Donum fiat, ut non amittatur Gratia, quæ ante finem poterat amitti, quomodo ipsa perseverantia amitti posset? *ex lib. de Dono Persever. c. 6.* Alter igitur sensus est, quo dicitur, usque in finem Perseverantiam non amitti quidem, cùm data fuerit, sed tunc amitti quodammodo, quando agit homo per contumaciam, ut ad eam pervenire non possit. *ex cit. cap.* Hæc autem amissibilitas, etsi absolutè secundùm creati arbitrij libertatem sit possibilis, nequit tamen stare ex hypothesi, quòd exauditi sint Sancti, juxta Dei mandatum orantes, nè intrent in tentationem. Quisquis enim exauditur hoc poscens, non fertur in contumaciæ tentationem, quâ possit, vel dignus sit Perseverantiam Sanctitatis amittere. *ex loc. cit.* At hæc exauditio importat Decretum Divinæ Voluntatis, quo Deus non permittit finaliter Sanctum intrare in tentationem. *ibidem.* Hoc autem Decretum, vi cujus super virum dexteræ fit manus Dei, nè discedat, sed permaneat in Sanctitate, nititur Filio hominis, quem Deus confirmavit sibi, ne discedamus ab eo. *ex c. 7.* Iste verò Filius hominis non est primus Adam, qui licèt haberet adjutorium Dei, sine quo perseverare non posset, hoc ipso tamen discessit, quia ipsa perseverantia ipsi non fuit donata. *ex lib. de Corept. & Grat. c. 11. & 12. & cit. c. 7. de Persev.* Ille igitur Filius hominis est Christus, in quo sortem consecuti sumus prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur, ac per hoc, sicut operatur, ut accedamus, sic operatur, ne discedamus, *ex cit. c. 7.* Constat igitur, Perseverantiæ Donum esse inamissibile ex hypothesi Decreti, seu propositi Divinæ prædestinationis; in quâ Deus se hanc perseverantiam esse facturum præscivit. *ibid.* Ergo circa Donum etiam Perseverantiæ datur in Deo Decretum Divinæ prædestinationis infallibiliter illud causantis.

17. 5. Illa prædestinatio, quam Sacræ Litteræ commendant, non obstat præceptioni, exhortationi, & correptioni *ex c. 14. ad seq. de Bono Persev.* At prædestinatio secundùm sacras Litteras est, ex quâ est vocatio secundùm propositum, vi cujus dantur Electis & fidei initium, & obediendi Voluntas, & omnis actus Virtutis, ac Perseverantiæ Donum, ita ut Deus hæc omnia sua futura opera prædestinando in suâ, quæ falli, mutarique non potest, præscientiâ disponat, *ex c. 7.* Ab hâc igitur prædestinationis, per quam ex definitâ Dei Voluntate est in nobis obediendi fidei & charitati Voluntas tam incipiens, quàm progrediens, ac perseverans, confessione redecendum non est, non attentis ijs, quæ à Massiliensibus in contrarium objiciebantur. *ex cit. c. 15. ac seq.* Unde tuto dicere licet; Ita se habet de prædestinatione definita sententia Voluntatis Dei, ut ex Infidelitate veneritis ad fidem, acceptâ obediendi Voluntate, & acceptâ perseverantiâ maneatis in fide, *ex c. 22. ubi cum quibus cautelis in hâc materiâ sit coram alijs disserendum, videre licet.* Si ergo correptionem, ac exhortationem indifferenter ad omnes, quos nescimus, an sint prædestinati, dirigamus, hoc ita facimus, ut qui habet aures audiendi audiat, accepto obediendi Dono ab illo, qui dixit, dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes *ex c. 14. circa fin. & circa initium.* Hos proinde oportet gloriari non in se ipso, sed in Domino, dum discreti sunt à cæteris, qui audientes corporis sensu, non audiunt cordis assensu, utpote quibus non sit datum à Patre, ut veniant ad Christum. *ex loco proximè cit.* De quibus tamen, ut aures audiendi recipiant, est orandum, fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris Orationibus accipiant eandem gratiam, quâ velint, & efficiantur electi, Deo omnia illa, quæ prædestinavit, implente. *ex c. 22.* Ergò ex eo, quòd prædestinationis Mysterium ex definitâ Dei Voluntate per obediendi Voluntatem à Deo in nobis efficiendam, ac in æternitate secundùm propositum divinæ Voluntatis præparatam, sit perficiendum, jubemur spem nostram non in nobis, sed in Domino collocare, clamante Scripturâ, *Maledictus, qui spem habet in homine.* Neque verò timendum, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus, & infelicissimus poneret. *ex c. 22. in fine.*

18. 6. Testimonia de Saule ac Davide *in lib. de Corept. & Grat.* adducta maximè congruere ad propositum evincit S. Augustinus *in lib. de prædest. Sanct. c. penult.* Nos autem id taliter demonstramus. Nam idem Ecclesiæ Doctor *cit. c. 14. de Corept. & Grat.* ita fuit argumentatus. Si Deus magis habet in suâ potestate Voluntates humanas, quàm ipsi suas, nemo alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in corde correcti correptio, ut cælesti constituatur in regno. *ex fine cit. cap.* At illa veritas, quòd Deus magis habeat in potestate suâ Voluntates hominum, quàm ipsi suas, constat non tantùm per argumentum de Sanctis à S. Augustino deductum, & à nobis *præs. cont. n. 9.* expositum, sed etiam ex argumento circa Davidem ex sacris Litteris eruto. Nam de Davide, quem Dominus in Regnum successu prosperiori constituit, ita legitur, *Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo. ex*

c. 14. de

c. 14. de corrept. circa med. Hic verò Davidis profectus factus est, dum teste S. Scripturâ spiritus induit Amasai Principem inter triginta, ut diceret. Tui sumus & tecum futuri Filij Iesse. At David suprà dicebatur proficiens, & magnificatus, quatenus Dominus erat cum illo, cujus adeò spiritus operatus est in corde Amasai, ut illud diceret, ac faceret. Hic autem non potuisset adversari Dei Voluntati, & non facere ejus Voluntatem. At ex hâc ipsâ Dei voluntate erat, ut teste S. Scripturâ, omnes viri Bellatores dirigentes aciem, corde pacifico venerint in Hebron, constituere David super omnem Israel. Hoc igitur in istis viris Bellatoribus egit Deus, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur. Cum igitur Dominus quatenus erat cum David, illos viros, ut constituerent David Regem, adduxerit intùs agendo, corda tenendo, corda movendo, eosque voluntatibus eorum, quasi ipse in illis operatus est, trahendo ex cit. c. 14. constat, eam vim esse Divinæ Voluntatis, ut cum infallibilitate influat in voluntates hominum eas movendo, & ipsum velle operando. Ergo correptione forinsecùs sonante ita fit correctio cordis à Deo, ut hæc ipsa sit à Deo prædestinata in æternitate, & in tempore donata, quatenus ipsum velle liberum Obedientiæ, tam in initio, quam progressu, ac perseverantiâ fidei & Charitatis sit à Divinâ Voluntate definitum, & ex hâc definitione in tempore causatum, seu donatum. ex cit. libris de Prædest. Sanct. maximè c. 10. & de Persev. Boni, præcipuè c. 17. Constat igitur, ex mente S. Augustini talem esse Divinæ erga actus nostros liberos Voluntatis efficaciam intrinsecam, quæ ex se formaliter determinata sit actualiter effectrix Volitionis creatæ liberæ in æternitate à se volitæ ac definitæ: ex quâ Divinæ Volitionis definitione ceu determinatâ Deo intrinsecâ causalitate fluere in tempore divinitùs præordinato actionem transeuntem, per quam sit ipsum velle creatum liberum, Deo trahente homines his ipsis Voluntatibus, quas in ipsis operatur, atque adeò per istam motionem donante ipsum velle ac operari liberum.

CONTROVERSIA III.

An intrinseca Voluntatis Divinæ Efficacia sit conformis sacrarum Litterarum, & Patrum Doctrinæ?

1. DIvinus Dionysius *de Divin. Nom. c. 5. tit. de Exemplaribus.* Volitionis Divinæ efficaciam hisce verbis descripsit. *Exemplaria autem esse diximus in Deo existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & Divinas & bonas Voluntates existentium prædeterminativas, & effectivas, secundum quas substantialis Essentia omnia prædestinavit, & produxit.* Ex quo patet rationes substantificas, in quibus formaliter consistit Divini Intellectûs Exemplaris ratio, ita exercere causalitatem Idealem in res creatas, ut tamen illæ ipsæ rationes denotantes causalitatem effectuum divinitùs prædestinatorum effectricem importent ut sic voluntatis Divinæ Vim ad extra prædeterminativam seu præfinitivâ. In quâ adeò præfinitione omnis extra Deum effectûs & actûs etiam liberi effectivâ consistere Voluntatis Divinæ efficaciam, seu Causalitatê ad omnis secundum actualis existentiæ rationem voliti ex se determinativam, constat ex præcedentibus. 2.

Ejusmodi præfinitiones arbitrij actuum effectivas, ac prædeterminativas Suarezius *in Opusc. lib. 1. de concur. Dei c. 12. à n. 9.* conatus est refutare Authoritate tum S. Damasceni *lib. 2. de F. Orthodox. c. 29. & 30.* aliorumque Patrum negantium, actus nostros liberos esse ex Divinâ Providentiâ, id est Voluntate Dei prædeterminante Voluntates nostras; Tum Divini Dionysij, *c. 9. de cælesti Hierarchiâ* & aliorum Ecclesiæ Doctorum asserentium: Liberum arbitrium Providentiæ Divinæ luce non obtundi, neque necessitatem ipsi imponi ex Gratiâ & Voluntate Dei.

Verum hæc nihil habere efficaciæ satis constare potest ex dictis *præs. q. 5. de Scient. Med. a. 5. cont. 9.* Quare ad præsens institutum nostrum superest duntaxat videre, quantum roboris in Voluntatis Divinæ efficaciâ comprobandâ habeat verba S. Scripturæ, junctâ præsertim SS. Patrum expositione. 3.

CONCLUSIO.

VOluntatis Divinæ per nos asserta efficacia omninò evincitur ex sacris litteris secundùm Patrum sensum genuinum intellectis.

Probatur. Nam hæc efficacia consistit in eo, quòd Volitio Divina attingens res creatas sub Esse actualis existentiæ, hujus sit in ratione causalitatis Deo intrinsecæ determinativa, & effectiva cum infallibilitate effectûs eo modo, quo volitus est, secuturi. At Deus omnia, quæcumque vult, faciens *Psal. 134.* opera nostra bona secundùm esse actuale quà exercitum à nostrâ voluntate, attingit, creans nos in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit, ut in illis ambulemus. *ad Ephes. 2.* Hic autem bonorum nostrorum operum Divinus attactus est eorundem secundùm consilium Voluntatis Dei actualiter operativus, juxta illud *ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundùm Consilium Voluntatis suæ.* At ista Voluntatis, seu Consilij Divini Causalitas operativa est ex se adeò certa, & infallibilis, ut nemo possit resistere ejus Voluntati, nec adeò infirmare, quod Deus decrevit. *Esther 13. & Isaia 14.* Constat igitur, Voluntatis Divinæ à nobis assertam efficaciam fundari in sacris Litteris. 4.

Dices ex Suarezio *cit. c. 13. n. 11.* D. Augustinum *5. de Civit. c. 9. & 10. nec non de spiritu & Litt. c. 31* ita habere: *Legimus; Non est potestas nisi à Deo; non autem legimus; non est Voluntas, nisi à Deo, & rectè non scriptum est, quia verum non est.* At S. illum Doctorem in locis allegatis *præsertim de Civit.* agere adversùs Ciceronem demonstrando; præscientiam Dei non impedire liberâ Voluntatis nostræ actionem. Hujus autem rationem adstrui, quòd licet Deus illâ præscientiâ videat connexionem omnium causarum, tamen in actionibus liberis Causa earum sit Voluntas libera, quam unà cum liberâ ejus determinatione videat Deus: Ad quod adeò propositum dicere; Deum esse Authorem omnium potestatum nimirum solâ suâ efficaciâ & virtute; non tamen Authorem omnium Voluntatum scilicet solâ suâ efficaciâ, determinando illas ex vi sui generalis concursûs. 5.

Contra

Contra. Nam D. Augustinus *cit. c. 9. de Civit.* expressè ait, Deum Spirituum creatorum Voluntates bonas adjuvare, malas judicare, omnes ordinare. Hæc autem omnium Voluntatum ordinatio fit bonas adjuvando, malas verò judicando. At Voluntas Bona secundùm mentem S. Augustini adjuvatur per donationem non facultatis duntaxat bene operandi, sed per ipsam actûs boni donationem ex prædestinatione divinâ præparatam, & ut sic causatam. *ex cit. c. 131. de Spiritu & Litt. & lib. de prædest. speciatim c. 10.* E contra verò Deus ordinat malas Voluntates judicando, quatenus homines tradens in reprobum sensũ non facit peccatum, sed judicium *ex locis cit.* Ex hoc autem Judicio Dei factum est, ut Herodes & Pilatus, & populus Israel convenirent in unum facere, quanta fieri prædestinavit Manus Dei, & Consilium. *ex dicto lib. de prædest. Sanct. c. 16. nec non ex Actis Apostolorum. c. 4.* Etsi proinde malæ Voluntates non sint à Deo secundùm quod adversantur naturæ, *ex cit. c. 9. de Civit.* Nihilominùs ipsa Entitas actionis peccaminosæ, quatenus per illam Deus exercet Judicium, fit a Deo ex vi Decreti prædestinantis ejusmodi actionem. *ex cit. c. 10. de prædest. Sanct. & c. 4. Actor.* Hoc autem Judicium est Iustitiæ fundatum in supremo Dominio Dei de jure negantis concursum actualem ad actum naturæ creatæ rationali congruum, & ex consequenti ex Jure primæ Causæ influentis in Entitatem actûs Voluntati Bonæ oppositi, cui respectu Voluntatis creatæ ut sic contra naturam agentis, non autem respectu Voluntatis Divinæ secundùm Authoris naturæ rationem operantis convenit ratio peccati. Patet igitur, actus liberi arbitrij ita esse a Divinâ Voluntate prædestinatos, ut tamen in actibus bonis faciat, quòd sint & quòd boni sint; in malis autem non nisi, quòd essentialiter sint, non quòd mali sint. ex S. Anselmo *de Conc. prædest. cum lib. arb.* In hâc proinde prædestinatione Entitatis, non autem malitiæ, sed Judicij Deus ita præscit voluntates malas, ut istæ conspiciantur hoc ipso esse liberæ, quòd à nostrâ Voluntate liberâ ex vi prædestinationis Divinæ proditurae videantur. *ex allegato c. 9. de Civit. Dei,* nec non S. Anselmi *lib. de Conc. præsci. Dei, & lib. arb.*

6. Instabis ex eod. Suarezio *n. 12.* D. Augustinum *lib. 3. de lib. arb. c. 18.* expresè dicere, *quæcumque causa sit Voluntatis, si non possit ei resisti, sine peccato cedi.* Ergo Voluntatem Dei prædestinativam, cui resisti non potest, non stare cum libertate creati arbitrij.

7. Contra. Nam *cit. cap. 14. Isaiæ* dixit Deus. Hoc esse suum Consilium, & manum suam extensam, ut contereretur Assyrius in terrâ Israel, in quam tamen liberè esset venturus, debellandus ab Israelitis non nisi liberè præliaturis. At hoc ipsum factum non nisi cum dependentiâ libertatis Voluntatum creatarum exercendum dicitur Dominus exercituum decrevisse, nec adeò posse infirmari. Ergò facta dependentia à liberâ creaturarum Voluntate ita possunt à Deo esse decreta, ut ex vi hujus Decreti nequeant infirmari, nec adeò in actibus creatæ Voluntatis liberis quatenus à Deo decretis possit resisti Divinæ Voluntati. velut etiam patet *ex cit. c. 13. Esther.* Unde ad præfatam D. Augustini sententiam ritè intelligendam oportet distinguere inter actum primum & secundum. Nam si quæ voluntatis in actu primo causa est, cui utpote actûs primi adunum determinativo resisti non potest, indubie sine peccato ceditur. At secus est, si quæ causalitas, cui resisti non potest, se teneat ex parte actûs secundi: Sic enim ex hypothesi quòd poscens Sanctitatis perseverantiam sit exauditus à Deo, non potest illam jam amittere, sic etiam in sensu composito ex hypothesi Orationis Christi, & in hâc fundati propositi divinæ prædestinationis non erat possibile, quòd fides Petri deficeret. *ex lib. de Corrept. & grat. c. 8. & de Dono Persev. c. 6.* At verò quòd illa exauditio divina involvens Decretum Dei, nec non prædestinatio Fidei Petri immobiliter præparativa spectat ad Causalitatem actu secundo effectricem, constat ex D. Augustino *in lib. 83. qq. q. 3.* asserente: *Hoc esse fieri aliquid Deo agente, quod volente.* Etsi proinde divinæ Volitioni actuum nostrorum liberorum præfinitivæ resisti non possit, nihil tamen læsionis inde accipit Voluntas nostra libera, quam ad actus suos præfiniri a Deo, clare evincit illud *Luc. 22. Filius hominis, sicut definitum est, vadit.*

Urgebis ex eod. Suarezio *n. 12.* Deum ita administrare res, quas condidit, ut eas motus suos agere sinat. S. Augustinus *7. de Civit. c. 30.* Hoc autem non subsistere, nisi Deus Causis indifferentibus seu liberis concursum etiam in actu primo indifferentem offerat. Quocirca Testimonijs S. Scripturæ adductis advertente Petro à S. Ioseph *suav. Conc. disp. 3. sect. 3. n. 1. & 2.* ad summum probari, *quòd Deus æterno, & absoluto Decreto suæ Voluntatis præfinierit omnes actus bonos, qui a nobis fiunt in tempore.* At istud Decretum esse physice determinans, seu inducens necessitatem Antecedentem, hoc ex totâ scriptura nunquam probatum iri, cùm necessitas ejusmodi manifestè tollat libertatem. 8.

9. Contra. Nam D. Augustinus *lib. de prædest. Sanct. c. 3.* demonstrat ex sacris litteris, Deum præparando Voluntatem nostram dare tum facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, tum ipsum Velle, seu credere, ac operari. At Deus præparat ad extra, quod operatur secundùm Consilium Voluntatis, ac Prædestinationis suæ, velut ex SS. Litteris demonstrat idem S. Doctor *in lib. de prædest. & Dono Persev. per totum.* Voluntas igitur divina suæ prædestinatonis Decreto nostram liberam Voluntatem in actu primo præparat, conferendo facultatem bene operandi, cum indifferentiâ tam objectivâ, quàm electivâ, seu dominativâ. At hoc ipso, quòd Deus nostrum velle liberum operatur secundùm consilium Voluntatis suæ, præparando, ac prædestinando, ut in bonis operibus per facultatem bene operandi divinitùs acceptam liberè ambulemus, consequens est, ex illâ prædestinatione, ac præparatione, ceu causalitate Deo intrinsecâ per se actuatâ, ac determinatâ fluere ipsum velle nostrum liberum prædestinatum, ac præparatum à Domino. Hoc autem Velle nostrum liberum, fatentibus ipsis etiam adversarijs, importat Causalitatem, seu influxum Dei transeuntem cum ipso Velle nostro identificatum. Hæc igitur Causalitas cum Velle nostro identificata ceu fluxus ex bonorum operum nostrorum prædestinatione seu præparatione divinâ transiens, dicitur à nobis Motio Dei per prius ratione nostrâ ratiocinatâ respiciens Voluntatem divinam utpote Causam Primam, quàm Voluntatem nostram

stram divinæ Voluntatis immanenti Causalitati, ac determinationi subordinatam. Constat igitur, Decretum Dei bonorum nostrorum operum præfinitivum ita relinquere Voluntatem nostram in actu primo indifferentem, ut hanc per causalitatem tum immanentem Divinæ Voluntati, & cum hujus Decreto identificatam, tum ad extrà transeuntem à nostro velle libero indistinctam in actu secundo determinando faciat, ut Voluntas nostra liberè operetur; & motus suos ex vi suâ Dominativâ peragat. Standum proinde est Divinæ Voluntatis Efficaciæ à nobis adstructæ, & omnium Dei ad extra effectuum, atque adeò liberorum nostrorum actuum præfinitivæ, utpote quam claris verbis afferant tum Sacræ Litteræ *locis citatis*, tum Augustinus *tract. 104. in Ioan. sub med.* differens in hæc verba. *Quapropter hoc, quod ait, venit hora, Pater clarifica filium tuum, ostendit omne tempus, & quid & quando faceret, vel fieri sineret ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est; quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei Sapientiâ Causas efficientes habens, in quâ nulla sunt tempora. Non ergo credatur, hanc horam Fato urgente venisse, sed Deo potiùs ordinante.*

CONTROVERSIA IV.

An Decreta Dei indifferentia in ordine ad actualem cum creato libero arbitrio concursum dependentia ex hujus determinatione stent cum Veritate sacrarum Litterarum.

1. NOn abs re foret, in apertum deducere: Qualiter Decreti Divini Indifferentiæ assertores inter se confligendo alter alterum suæ adinventionis argumentis configere nitatur. Quia verò nimiùm ex hoc incresceret Theologia nostra, cæteris argumentis in sequentem Articulum dilatis, ipsos aggredimur per Sacrum textum, quem hodiernum in S. Thomæ Apostoli non nisi ex discretione seu electione Divinâ credentis, Festo Matutinum suggessit *ex 1. ad Corinth. 4. Ne supra, quod scriptum est, unus contra alterum infletur pro alio: quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.*

CONCLUSIO.

EX hoc sacro textu per Sanctos Augustinum, & Prosperum in Pelagianorum, ac Semipelagianorum expugnatione ponderato clarè; ac efficaciter rejiciuntur Decreta Dei indifferentia.

2. Probatur. Ad ipsam quoque fidem, quæ est in arbitrio Voluntatis humanæ, pertinet. *Quis est qui de discernit?* ex S. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. c. 5. circa finem.* At ex multis audientibus Verbum Veritatis alij volunt credere, nolunt autem alij. In hoc autem, cùm alijs præparetur Voluntas, alijs non præparetur Voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de Misericordiâ ejus, quid de Iudicio, *ex cit. c. 6.* Ergò per discretionem Dei miserentis præparatur ipsa libera nostra volitio credendi. At de ejusmodi præparatione promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium. Hæc autem promissio firma erat omni semini. Ergo promissio firma erat, quatenus Deus non de nostrâ voluntate, sed de suâ prædestinatione promiserat. *ex cit. c. 10.* At firmitas promissionis infert determinatam veritatem adimplendæ rei promissæ. Oportet igitur, determinationem hujus veritatis esse ex prædestinatione Divinâ, quâ Voluntas credendi in Gentibus est præparata à Domino. Atqui Decretum de se indifferens ex se abstrahit à Veritate rei, quà futuræ, vel non futuræ. Cùm proinde discretio, quam Apostolus illis verbis: *Quis est qui te discernit?* prædicat; secundùm D. Augustinum pertineat etiam ad fidem voluntarie ac liberè acceptam à Gentibus ex promissione Abrahæ firmâ, ac determinatâ non de nostrâ Voluntate, sed de prædestinatione Divinâ, consequens est, hoc prædestinationis Decretum non posse in Deo de se indifferens esse, ac determinabile per nostræ voluntatis liberam determinationem.

Respondebis. Liberam determinationem in fidei assensu ita esse ex nostro arbitrio, ut hoc tamen oporteat esse præventum Gratiæ intrinseco auxilio. Hoc verò auxilium esse ex Decreto Divinæ præparationis. At Deum ex hypothesi hujus auxilij in talibus circumstantijs cum Omnipotentiæ suæ licèt indifferenti concursu oblati per scientiam Mediam certò prævidere Voluntatem creatam consensuram. De hâc igitur suâ prædestinatione Deum Abrahæ promisisse fidem Gentium, esseque adeò credentium à non credentibus discretionem ex Deo illis, non verò istis offerente Auxilium Gratiæ, cui per Scientiam Mediam prævidentur consensuri. 3.

Contra. Deus promittendo Abrahæ Fidem Gentium, promisit, quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit. *ex cit. c. 10. de prædest.* At secundùm prædestinationem ab adversarijs expositam Deus faceret auxilium Gratiæ, cum quo arbitrium nostrum esset potens elicere actum Fidei supernaturalem. Hoc autem auxilio gratiæ posito, arbitrium nostrum faceret, ut concursus Decreti Dei de se indifferens determinaretur ad cooperandum libero fidei supernaturalis assensui. Unde non faceret Deus, ut nos faceremus, sed arbitrium nostrum faceret, ut Deus nobiscum faceret fidem, quam promisit. Ex hoc autem rursus sequeretur, ut fides Gentium à Deo promissa compleretur non in Dei, sed in hominum esse potestate. At istud tanquàm absurdum, & Divinæ Doctrinæ contrarium reputari à S. Augustino, patet *ex cit. c. 10.* Oportet igitur, prædestinationem ex se ipsâ, non ex consensu hominis libero discernere, ac determinare liberum fidei assensum, nec ad hujus adeò cooperationem determinari à nostro arbitrio. 4.

Replicabis. Deum facere ex suâ prædestinatione, ut nos faciamus liberum fidei actum, conferendo vires supernaturales credendi. Has autem oportere ita proportionari arbitrio creato, ut illud relinquant in manu consilij ad eligendum bonum, vel malum. Deum igitur mediante 5.

diante auxilio supernaturali, nec non Decreto suo indifferente ita influere in actum nostrum, ut tamen hujus electio sit in nostro arbitrio.

6. Contra. Non tantùm potestas supernaturaliter credendi, sed ipsum velle liberum actûs Fidei est per discretionem Dei miserentis. *ex cit. c. 6. de pred.* At stante opinione de Decreti Divini indifferentiâ, velle liberum in actu fidei ita esset ex auxilio supernaturali ac Decreto Dei, ut tamen ipsa determinatio libera illius actûs esset ex libero arbitrio. Unde actus fidei non posset simpliciter dici esse ex Deo miserente, sed simul ex Voluntate hominis, ac Misericordiâ Dei. Hoc autem perinde esset, ac si diceretur. Sicut ad actum credendi non sufficit sola Voluntas hominis, si non sit etiam Misericordia Dei, sic neque Misericordiam Dei sufficere, si non sit etiam voluntas hominis. ex S. Augustino *in Enchirid. c. 32.* At verò si rectè dictum sit ab Apostolo, Velle supernaturale liberum non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quia id sola hominis Voluntas non implet, licebit etiam è contrario dicere, Velle nostrum in actu fidei non esse Dei miserentis, sed volentis creati arbitrij, utpote gratiæ supernaturale auxilium, ac Dei ex se indifferentem concursum pro suâ libertate primò determinantis ad operari. *ex cit. c. 32.* Hoc autem apertè contradicit Apostolo. Ergò velle nostrum in actu Fidei oportet dicere, ita esse Dei miserentis, non autem arbitrij nostri volentis, ut totum detur Deo hominis voluntatem bonam & præparanti adjuvandam, & adjuvanti præparatam. *ex loc. cit.* At Voluntatis adjuvandæ præparatio est prædestinatio Facultatis bene operandi; præparatio verò ipsius Voluntatis bonæ est prædestinatio ipsius velle supernaturalis liberi. *ex c. 3. & 10. de præd. Sanct.* Fatendum igitur est, ipsum Velle nostrum in actu Fidei esse Divinæ prædestinationis objectum in æternitate à Deo dispositum, & in tempore misericorditer datum. *ex c. 17. de Dono Persev.* At Decreti Divini indifferentis objectum non esset nostrum Velle liberum secundum determinatam hujus Velle rationem; sed vel non impeditio Omnipotentiæ ad concurrendum cum nostrâ Voluntate; vel subjectio Omnipotentiæ ad nostram Voluntatem istius determinativam, vel indifferentia ad Velle liberum, ejusque negationem; velut constat *ex initio hujus articuli n. 3. præcipuè circa 6. 7. & 9. adversariorum opinionem.* Consequens proinde est, arbitrium creatum ita relinqui à Deo in manu Consilij, seu potestatis electricis, ac Dominativæ, quam in ordine ad actus supernaturales non nisi per gratiam consequitur, ut Electio seu actûs supernaturalis libera determinatio efficienter fluens ex arbitrio creato per gratiæ supernaturale auxilium instructo, sit tamen à Deo præordinata, ac prædestinata: atque adeò Decretum Dei in talem liberum arbitrij creati actum influens sit in se *Formaliter* præfinitivum tam *subjectivè*, quàm *objectivè* determinatũ, atque Causaliter determinativum actionis à se præfinitæ.

7. Dices cum *Primâ, Secundâ, Tertiâ, Quartâ, & Quintâ supra in initio hujus Art. n. 3. recensitis adversariorum sententijs*; Decretum Divinum attingere quidem ipsam actûs creati liberi Entitatem tanquàm suum objectum, attamen istam attingentiam vel esse conditionalem involventem ex parte objecti conditionem determinationis nostræ, vel esse duntaxat Concomitantem respectu consensûs nostri liberi, vel supponere absolutam nostri consensûs, aut saltem Voluntatis creatæ in actu primo inclinationis, ac propensionis prævisionem: vel esse consequentem ad cooperationis nostræ liberæ Futuritionem, ejusque præscientiam conditionalem.

Contra. Nam Paulus Apostolus nos in omni opere bono ad hoc divinitùs discretos, seu electos ostendens, eò collimat, ut de nullo gloriemur, quasi non acceperimus à Deo. At *secundum primam adversariorum opinionem* conditionalis arbitrij nostri a Deo in hisce circumstantijs præscita futuritio; *secundum opinionem secundam, tertiam, & quartam* actualis, & absoluta Voluntatis nostræ determinatio; *secundum opinionem quintam* Voluntatis creatæ in actu primo inclinatio actum secundum infallibiliter inferens non esset accepta a Deo. Probatur istud Assumptum. Nihil est a Deo datum, atque adeò ab ipso acceptum, nisi quatenus est prædestinatum. *ex cit. c. 47. de Bono Persev.* Prædestinatio autem est Discretio Misericordiæ per Electionem gratiæ, quâ Deus hoc in vocatis secundùm propositum eligere dicitur, quod ut in eis faciat, hoc in eis elegit. *ex lib. de prædest. Sanct. c. 6. 10. & 17. & de bono Persev. c. 8.* At ista factio operis, quod eligendo & vocando secundùm propositum facit, importat causalitatem Electionis, ac prædestinationis. Si ergo nihil est datum, atque adeò acceptum nisi prædestinatum à Deo, consequens est, id quod non est causatum à Deo, non esse acceptum. At futuritio conditionata nostræ liberæ cooperationis antecedens omne actuale Dei Decretum nequit esse à Deo causata. Pari autem ratione determinatio, & cooperatio libera nostræ voluntatis, quæ *juxta secundam sententiam* est concomitans, *secundum tertiam, & quartam opinionem* antecedens Decreti Divini actualem influxum, non potest esse causata ab isto Dei Decreto; sicut illa quoque *per quintam opinionem* asserta in actu primo Voluntatis nostræ inclinatio nequit causari à Decreto Divino, siquidem istud primùm consequatur illius propensionis præscientiam; Causalitas autem importet respectu causati prioritatem realem. Constat igitur, aliquid, ex quo ipsius Velle nostri determinatio pendet, vel quod cum istâ determinatione est etiam realiter identificatum, non esse causatum nec adeò acceptum à Deo. Hoc autem adversatur Apostolo omnem gloriandi occasionem amputanti, eò quòd in nullo discernamur à non operantibus nisi in eo, quod sit à Deo acceptum. Quare Decreti Divini cum arbitrio creato ad operandum concurrentis indifferentia meritò rejicienda videtur.

8.

9.

CONTROVERSIA V.

An Decretum Dei de se efficax inducat Fatum?

Scientiæ Mediæ propugnatores adversùs intrinsecam Decreti Divini efficaciam movent, quòd *ex ejusmodi inflexibilibus, & plus quàm adamantinis* 1.

ctis Decretis inducatur fatum plus quàm adamantinum, Fatum inevitabile, Fatalem necessitatem inferens, sitque adeò vita hominis Fato alligata.

2. Videtur ista Objectio mutuata à Semipelagianis *in Epist.* S. Prosperi *ad D. Augustinum* opponentibus : *Si Dei constitutio humanas præveniat Voluntates, sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.*

CONCLUSIO.

ETsi SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ non renuant fatum, quatenus sub hoc nomine intelligitur *Divina providentia æterno, & immutabili suo Decreto omnium, quæ à Causis secundis juxta cujusque Naturam, & Conditionem in mundo fiunt, prædefinitiva*; illo tamen nomine propter æquivocationem, & malam Ethnicorum ac Hæreticorum usurpationem abstinendum, aut non nisi cum cautelâ, & veri sensûs expositione utendum est.

3. Probatur ex S. Augustino, præsertim *lib. 5. de Civit. Dei.* Ab Ethnicis vocabantur Fatalia, quæ præter Dei & hominum Voluntatem cujusdam Ordinis necessitate contingere putabant. Hæc autem Ordinis necessitas secundùm illos dicebatur vis quædam positionis siderum, qualis esset quando aliquis nasceretur, vel conciperetur. At istam vim positionis siderum aliqui ita alienabant à Voluntate Dei, ut sine hâc opinarentur decerni à sideribus, quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorumve patiamur. Hæc verò opinio cùm nihil aliud agat, nisi ut nullus colatur, aut rogetur Deus, ab eorum auribus repellenda est, qui qualiumcumque, licèt falsorum Deorum volunt esse cultores.

Alij proinde illam vim positionis siderum ex Voluntate Dei dependere asserebant, ita ut sideribus à summâ Divinæ Voluntatis potestate esset tradita facultas decernendi, qualis quisque sit, & quid ei proveniat boni, quidvè mali accidat. At ex horum opinione fit magno cælo injuria, utpote in cujus velut clarissimo Senatu, ac splendidissimâ Curiâ decernerentur scelera facienda. Neque judicium de hominum factis, quibus cælestis necessitas esset imposita, relinqueretur Deo, cùm tamen sit Dominus hominum & siderum. Cùm igitur fati nomine homines usitatâ loquendi consuetudine non intelligant nisi prætactam vim positionis siderum, abstinendum est illâ voce : nihilominùs, si, quæ in humanis Divinâ Providentiâ constituuntur, quisquam fato tribuat, ipsam Dei Voluntatem, vel Potestatem fati nomine appellans, licebit huic ita tenere sententiam, ut tamen linguam corrigat. *ex libri cit. c. 1.*

4. Oppones. D. Augustinum censere, Divinam Voluntatem ita posse fati nomine appellari, quin tamen inferat necessitatem. Hinc enim *loc. cit.* illos etiam reijcit, qui affirmabant; stellas in necessitatibus humanorum eventuum ingerendis jussa Dei complere. Imò neque illos patiebatur asserentes, quòd Stellæ significarent potiùs, quam facerent effectus arbitrio hominum perficiendos; ita ut certa siderum positio esset quasi quædam locutio non agens, sed ex impressione Divinæ Voluntatis prædicens futura. At verò Decretum Dei antecedenter ad omnem etiam conditionalem arbitrij creati determinationem actuum nostrorum præfinitivum imponere necessitatem : nec referre, istam immediatè à Divinâ Voluntate, vel mediantibus sideribus, perfici aut significari.

Contra. Nam ex illo *Prov. 21. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud,* ostendit S. Thomas *3. cont. gent. c. 8.* Divinam Causalitatem non tantùm extendi ad Potentiam Voluntatis, sed etiam ad actus ipsius. At Deus in hominibus agens motum Voluntatis per eos agit, quod per eos agere voluerit ipse. ex S. Augustino *lib. de Corrept. & Gratiâ.* Est autem Deus volens quædam per Causas scilicet naturales fieri necessariò, quædam autem per causas liberas contingenter & liberè. ex S. Thomâ. *1. p. q. 19. a. 8.* Atqui ad Voluntatis Divinæ efficaciam pertinet, ut non solùm fiat, quod Deus vult, sed etiam ut hoc modo fiat, quo illud fieri vult. *ubi sup. & Opus. 2. c. 140.* Ergò Decretum Dei absolutum actus à creatâ Voluntate quâ liberè eliciendos prædefiniens nullam imponit necessitatem, velut *seq. cont.* ostendetur. Hanc igitur divini Decreti efficaciam, seu Dei Voluntatem Omnipotentissimam nomine Fati appellare, si cui placeat, D. Augustinus *lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum. c. 5.* prophanas quidem Verborum novitates devitare, non tamen verbis cotendere volet. Unde idem S. Doctor *cit. lib. 5. de Civit. c. 8.* non multùm de verbi controversiâ laborandum, atque certandum putavit cum Stoicis omnium connexionem, seriemque causarum, quâ fit omne, quod fit, Fati nomine appellantibus, siquidem ipsum causarum Ordinem, atque connexionem tribuant Voluntati, & potestati summi Dei cuncta scientis, antequàm fiant, & nihil inordinatum relinquentis. 5.

Ratio fundamentalis ex ejusdem Ecclesiæ Doctoris *seq. c. 9.* deduci potest. Nam Fatum à fando, id est, loquendo dictum intelligi potest. Deus autem locutus est semel, id est, immobiliter. *Psal. 61.* At ista divina locutio incommutabilis est, secundùm quam futura opera prædestinando in suâ, quæ falli mutarique non potest, præscientiâ disposuit, *ex cit. c. 9. & de Dono Persev. c. 17.* Inter hæc autem futura est series omnium causarum secundarum in præscientiâ divinâ ab æterno disposita, & in prædestinatione divinâ immobiliter prædeterminata & præordinata. ex D. Thomâ *quodl. 12. q. 3. a. 4.* In hâc autem serie Causarum secundarum continetur Voluntas quoque creata libera, cujus Velle Deus ita prædestinat, ut tamen non fiat, nisi volentibus nobis, sitque adeò hoc velle, & operari liberum in arbitrio Voluntatis nostræ. *ex cit. lib. 5. de Civit. c. 10. & de prædest. Sanctor. c. 3. & 5.* In quo adeò sensu Doctor Angelicus *1. p. q. 116. a. 3. cum Boetio* ait: Fatum secundùm considerationem causarum secundarum esse mobile, etsi secundùm quod subest divinæ Providentiæ, sortiatur immobilitatem non quidem absolutæ necessitatis, sed infallibilitatis, sive necessitatis conditionatæ per Providentiæ, ac prædestinationis divinæ certitudinem infallibiliter inferentis actuum creatorum liberorum dependenter à Voluntatis humanæ arbitrio, & Causalitate liberâ actualem in tempore præfinito existentiam. Si proinde in sensu ex- 6.

ſu expoſito quis Fatum defendere velit, quoad rei ſaltem Veritatem haud redarguendum eſſe, patet *ex præc. cit. a. 3.* Angel. Doctoris *a. 3.*

CONTROVERSIA VI.

Qualiter Voluntatis Divinæ Efficacia ſit Cauſa creatæ Libertatis, ac rerum Contingentiæ?

1. DUo circa præſentem materiam docentur à D. Thomâ. Alterum ſæpe jam inſinuatum *præs. q. 19. a. 8.* traditur ſequentibus verbis: *Cum aliqua Cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur Cauſam non tantùm ſecundum id, quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi, vel Eſſendi: Cum igitur Voluntas Divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed etiam, quod eo modo fiant, quo ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſariò, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad complementum Univerſi. Et ideò quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt, quibuſdam autem aptavit Cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia cauſa proxima ſunt contingentes, ſed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes cauſas ad eos præparavit.*

2. Ex hoc naſcitur ſecundum Scientiæ Mediæ propugnatorum captum inintelligibilis difficultas. Qualiter iſta actuum creatorum Libertas ſtare poſſit, ſi antecedenter ad præparationem Cauſarum contingentiû ſit actus ejuſmodi determinatè volitus, ita ut iſta divina de ſe efficax volitio ſit infallibiliter illativa talis actûs, quem adeò neceſſarium ſit ſequi ex hypotheſi illius Divinæ Volitionis omnem creati arbitrij etiam conditionalem determinationem antecedentis.

3. Alterum, quod hîc difficultatem movere poteſt, à S. Thomâ *ſup. q. 4. a.13. ad 1.* traditum eſt ſequentibus verbis: *Licèt cauſa ſuprema ſit neceſſaria, tamen effectus poteſt eſſe contingens propter Cauſam proximam Contingentem. Sicut germinatio plantæ eſt contingens propter cauſam proximam Contingentem, licèt Motus ſolis, qui eſt cauſa prima, ſit neceſſarius. Et ſimiliter ſcita à Deo ſunt contingentia propter cauſas proximas, licèt Scientia DEI, quæ eſt Cauſa prima, ſit neceſſaria.*

4. Hoc namque videtur pugnare cum verbis *ſup. n. 1.* ex S. Doctore relatis, in quibus ratio contingentiæ effectuum, & actuum creatorum non reducitur in Cauſas ſecundas proximas, ſed in Efficaciam Divinæ Voluntatis tanquam Cauſæ primæ.

5. Movet etiam Scotus *in 1. diſt. 39. q. 4. n. 12.* Si per impoſſibile Deus ad extra non ageret liberè, non poſſe in Cauſis ſecundis ſtare Contingentiam ſeu libertatem operandi. Fundamentum eſt, Quòd omnis cauſa ſecunda moveat, ſeu agat in quantum mota à primâ. At Cauſa, quæ movet in quantum mota, ſi neceſſariò movetur, eo ipſo movet neceſſariò. Si ergo Cauſæ ſecundæ neceſſariò moverentur à Primâ, foret conſequens, illas quoque neceſſariò movere, nec adeò poſſe dari tunc contingentiam in cauſando.

CONCLUSIO I.

PRima ratio & radix creatæ libertatis & Contingentiæ eſt efficacia Divinæ Voluntatis in actibus & effectibus Cauſarum ſecundarum decernentis, & Cauſantis ipſum etiam Modum operationis.

Probatur ratione Angelici Doctoris. Nam neceſſarium, & contingens propriè conſequuntur Ens quatenus formaliter Ens, cujus ſunt differentiæ. *ex lect. 14. in 1. Periher. & 1. p. q. 22. a. 4. ad 3.* At Ens in quantum Ens habet cauſam Deum ipſum, cujus adeò providentiæ ſubduntur etiam accidentia, ſeu differentiæ Entis quà talis propria. *ex 6. Metaph. Lect. 3. in fine.* Ergò Modus contingentiæ, ſeu libertatis ac neceſſitatis in effectibus, ſeu actibus cauſarum ſecundarum cadit ſub proviſionem Dei tanquam proviſoris totius entis, non autem ſub proviſione aliquorum particularium proviſorum. *ex cit. a. 4. ad 3.* Reliquæ enim Cauſæ non conſtituunt Legem neceſſitatis vel Contingentiæ, ſed conſtitutâ à causâ ſuperiori utuntur. Unde cauſalitati cujuslibet alterius cauſæ ſubditur ſolùm, quòd ejus effectus ſit, quòd verò ſit neceſſariò, vel contingenter, ex altiori, quæ Entis in quantum Entis eſt cauſa, dependet, à quâ provenit ordo Neceſſitatis & Contingentiæ *ex Metaph. cit lect. 3.* Hæc proinde altior tanquam extra ordinem Entium exiſtens, totum Ens, & omnes ejus differentias ex ſe profundens Cauſa eſt Voluntas divina. *ex Periherm. cit. lect.* At verò neceſſitatis & contingentiæ diſtinctio, ſeu differentia eſt ſecundùm rationem proximarum Cauſarum, juxta quarum adeò conditionem effectus dicuntur eo ipſo contingentes, quòd fiant à Cauſis contingenter agentibus. *ex cit. lect. 14.* Ergo eo ipſo, quòd Voluntas Divina ordinem neceſſitatis & contingentiæ tranſcendens cauſam contingenter agentem, id eſt, potentem deficere ordinet, ex ipsâ in effectum originatur contingentia. *ibidem.* Conſtat igitur, Voluntatis divinæ ordinationem, & Cauſalitatem de ſe efficacem ita eſſe primam radicem Contingentiæ in effectibus creatis, ut, ſi loquamur de divina providentiâ, oporteat non tantùm dicere hoc eſſe à Deo proviſum, ſed taliter, ut ei Voluntas divina det contingentiam, vel libertatem. *ex 6. Metaph. cit. Lect. 3.* 6.

Ratio fundamentalis omnem ex oppoſito *n. 2.* inſinuatam difficultatem enervans ita deduci poteſt. Libertatis in actu ſecundo radix proxima eſt Libertas in actu primo. Hæc autem importat formaliter indifferentiam Electivam, ſeu poteſtatem Dominativam non ſolùm ſuper actum, ad quem ſe ipſam movet Voluntas, ſed etiam ſuper judicium Intellectûs, à quo movetur; Unde definitur facultas ſeu potentia, quæ poſitis omnibus (tam ex parte Cauſarum ſecundarum, quàm ex parte Cauſæ primæ) requiſitis poteſt agere, & non agere. Quam proinde Facultatem Dominativam, ſeu potentiam liberam conſequitur libertas in actu ſecundo, atteſtante D. Thomâ *cit. Lect. 14. Periherm*: differentiam neceſſitatis, & contingentiæ in effectibus eſſe ſecundùm rationem, & Conditionem Cauſarum ſecundarum proximarum, ut adeò actus dicatur hoc ipſo liber, quòd à Causâ ſecundùm in- 8.

dùm indifferentiam Electivam, & Dominativam agente sit elicitus. At verò ista vis, seu activitas arbitrij creati Electiva in ordine ad actus & objecta supernaturalia completur per formam supernaturalem ceu principium actûs effectivum, potentiæ Volitivæ unà cum piâ quâdam affectione tanquàm Voluntatis pulsatione, ac excitatione inexistens, præeunte ex parte Intellectûs sufficienti per internam illustrationem objecti propositione, sub præcepti, consilij, aliarumvè rationum Motivis judicij indifferentiam intactam relinquentibus. Est autem indubitatum, hæc omnia, atque adeò totam in actu primo libertatem proficisci ex causalitate Divinæ Volitionis: ut adeò locum habeat illud Augustini *lib. de Corrept. & Grat. c. 8. Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Pone igitur puram, si dari possit, omissionem in Voluntate per gratiam sufficienter ad supernaturaliter operandum instructâ, tunc ista omissio in ratione culpæ ita erit ex Voluntate nostrâ quà deficiente, ut tamen in ratione liberæ sit ex vi Voluntatis Electivâ per gratiam constitutâ. Pone etiam in alio actum bonum ex voluntate per gratiam informatâ elicitum, tunc oportebit istum actum immediatè causari, non tantum à nostro arbitrio tum per innatam vim Dominativam, tum per habitum seu auxilium supernaturale facto libero, sed etiam à Voluntate divinâ ita conferente facultatem benè operandi, ut per Voluntatem Misericordiæ det ipsum etiam Velle, & operari. *ex sæpe cit. lib. de prædest. Sanct. c. 3. & 5.* At verò Deus per Voluntatem suam præparantem, seu prædestinantem ita donat istud velle, ac operari, ut tamen non fiat nisi volentibus nobis, sitque adeò nostrum propter arbitrium Voluntatis. *ex cit. c. 3.* Cùm igitur Deus per causalitatem suæ divinæ Voluntatis nostram Voluntatem præparantis faciat, ut nos per arbitrium faciamus Velle misericorditer ab ipso donatum, consequens est, divinæ Voluntatis Efficaciam esse radicem liberæ operationis nostræ.

10. Confirmatur. Nam istius Velle libertas vel secundùm quosdá Doctores esset intrinseca actioni, vel secundùm alios est denominatio tantùm extrinseca desumpta à principio indifferenter operativo. Ex Oviedo *de anim. Contr. 12. puncto 1.* Si prius dicatur, tunc Voluntas Divina præparando velle creati arbitrij non potest non velle, & volendo causare libertatem actui per voluntatem nostram cum indifferentiâ Dominativâ eliciendo intrinsecam. Si asseratur posterius, tunc eo ipso, quòd tota vis Dominativa creati arbitrij secundùm omnes formalitates potentiæ liberæ constitutivas sit ex causalitate divinæ Voluntatis, oportebit libertatem ex principio indifferenter operativo in arbitrij creati velle derivatam esse ex divinæ Voluntatis Efficaciâ. Cùm igitur nihil sit realitatis in ullo actu creato, absque immediatâ Voluntatis divinæ Causalitate, ita ut fieri aliquid Deo faciente sit fieri Deo volente, oportet etiam libertatem actûs secundi à nostrâ Voluntate eliciti ita causariâ Deo, ut sit determinatè volita, atque adeò prædeterminata à divinâ Voluntate.

11. Dices. Ex hoc discursu patere, quòd Deus volendo actum arbitrij nostri quà eliciendum à Voluntatis liberæ vi Dominatvâ, ita velit *in actu quasi signato* operationis nostræ libertatem, ut hanc ipsam tamen in *actu exercito* destruat prædeterminando, atque adeò necessitando Voluntatem creatam.

Contra. Nam necessitas actûs nostri liberi à Deo præsciti consequens divinæ præscientiæ infallibilitatem fatentibus ipsis adversarijs non destruit libertatem. At pari ratione determinatio Volitionis divinæ in ratione actualis Causalitatis infallibiliter inferens determinationem Voluntatis nostræ liberam, involvit necessitatem duntaxat consequentem optimè cohærentem cum actûs prædeterminati libertate. Probatur istud assumptum. Necessitas enim præcedens, seu antecedens est, quæ (tanquàm vis Potentiæ in actu Primo Determinativa seu Necessitativa) facit rem esse: Consequens autem, quæ nihil cogit esse, sed quæ rem sequitur S. Anselmus *in Concord. Præscient. ante Med. & in Concord. prædest. cum lib. arb. post med.* Unde si prædestinatio faciens actum nostrum liberum non cogat creati arbitrij Voluntatem, sed in suâ potestate relinquat, non infert nisi consequentem necessitatem, *ex cit. Conc. prædest.* Nec obstat, quòd talis actus comparatus cum prædestinatione ex se immobili, ac immutabili sit secundùm æternitatem necessariò, ac immutabiliter futurus, siquidem prædestinatio divina non prædestinat actum, nisi sicuti est, secundùm Voluntatis libertatem in tempore mutabilis, ex D. Ansel. *prox. cit.* Tunc igitur solùm est antecedens necessitas ex præscientiâ, ac prædestinatione divinâ, quando ipsa causa secunda est præscita, ac prædestinata, ut agat ex necessitate: quæ proinde tanquàm necessitas faciens tenet se ex parte actûs primi ex ipsâ intrinsecâ causarum secundarum determinatione antecedente inferentis rei positionem, veluti perpetuus à naturâ determinatus motus solis ex se ipso infert hujus crastinum ortum. *ex cit. Conc. præsc. ante med.* Quare prædestinatio actum non nisi ex Voluntate creatâ secundùm indifferentiam, ac vim suam dominativam operaturâ in tempore eliciendum prædefiniens non infert antecedentem, sed consequentem duntaxat necessitatem.

Confirmatur 1. ex D. Thomâ *de Verit. q. 6. a. 3. ad 4.* docente, Certitudinem prædestinationis non esse, nisi cum suppositione Voluntatis humanæ, quam ipsam tamen certitudinem non esse merè conditionalem dependentem ex hypothesi consensûs creati arbitrij, sed esse absolutam ex vi, seu causalitate prædestinationis, eò quòd Causa secunda, quam oportet supponere, ac inducendum prædestinationis effectum etiam ordini prædestinationis subjaceat. Ex quo patet, Infallibilitatem, seu ex se ipsâ determinatam Causalitatem prædestinationi realiter formaliter identificatam ita esse cum certitudine illativam actûs præfiniti, ut tamen supponat Voluntatem humanam cum indifferentiâ libertatis effectricem actûs in tempore eliciendi. At si actus sit prædestinatus quà eliciendus ex Voluntate nostrâ secundùm indifferentiam dominativam operaturâ, oportet, talem actum esse hoc ipso prædestinatum quà liberè eliciendum, esseque secundùm necessitatem duntaxat Consequentem, non autem antecedentem infallibiliter futurum. *ex cit. S. Anselmi Concord.* 13.

Confirmatur 2. ex D. Augustino *lib. 5. de Civit. c. 9.* asserente, Præscientiam divinam ex se immu- 14.

immutabilem, ac infallibilem, ideò non tollere Voluntatis nostræ libertatem; quòd hæc operum nostrorum effectrix à Deo præsciatur. At verò eodem modo de prædestinatione, ac de præscientiâ divinâ respectu actuum nostrorum liberorum esse discurrendum, expressè tradit D. Anselmus *in cit. Concord. præd.* Oportet igitur juxta præfatos SS. Patres, ac Ecclesiæ Doctores in præscientiâ ac Voluntate divinâ omnium ad extra rerum causativâ considerare 1. quòd antecedenter ad operis nostri liberi præfinitionem, ac præscientiam sit ex vi divinæ prædestinationis præparata creati arbitrij Voluntas cum indifferentiâ dominativâ tanquàm causa vitaliter effectrix actûs liberi. 2. quòd istam Voluntatem in actu primo ex prædestinationis Causalitate sufficienter, sed tamen cùm indifferentiâ ad operandum instructam, & ut sic à Deo præscitam in Voluntate divinâ consequatur Decretum actûs ejusmodi præfinitivum in ratione Causalitatis Deo intrinsecæ, & actionis æternæ actualiter in æternitate Factivum. 3. quòd ex hâc ipsâ actione æternâ, seu Decreto prædeterminativo consequatur in Voluntate creatâ actus, non nisi eliciendus ex hujus indifferentiâ Dominativâ, ac Electivâ.

16. Atque hoc est actûs creati libertatem ita concordare cum prædestinatione divinâ, ut hæc ipsa libertas in actu secundo reducatur in DEI Voluntatem tanquàm primum liberum, ac primam Causam. Esse autem totum velle, & operari nostrum liberum secundùm omnem Bonitatis tam moralis, quàm Entitativæ formalitatem referendum in divinæ prædestinationis Causalitatem, clamant passim Patres, ac Scripturæ Sanctæ. Ergo libertas actûs non tantùm primi, sed etiam secundi in nostrâ Voluntate ita originatur ex Volitionis divinæ præfinitivæ efficaciâ, ut omnis libera determinatio etiam formaliter quà libera non in arbitrium nostrum creatum ceu primum determinativum reduci debeat, sed in divinam Voluntatem.

CONCLUSIO II.

ETsi Deus per impossibile esset ad extra agens necessarium; actus dependentes à Voluntate creatâ secundùm indifferentiam Electivam operante essent liberi.

17. Explicatur & Probatur. Nam necessitas antecedens libertatis destructiva tunc solù inducitur, si in Causæ secundæ actu primo sit determinatio factiva, seu Causativa effectûs. Ex hoc enim fundamento Patres citati negant Prædestinationem, ac Præscientiam divinam officere libertati, quòd indifferentiam Voluntatis creatæ intactam relinquat, & supponat tanquàm Causam liberorum actuum. Pari ergo ratione, si per impossibile Deus ita esset agens necessarium, ut tamen in Voluntatem creatam influeret vim cum indifferentiâ Dominativâ effectricem, actus ab hâc eliciti forent adhuc liberi.

Responsio ad fundamenta opposita.

18. **A**D *n.3. & 4.* Oppositum *n.* Rationem libertatis & contingentiæ in actibus creatis reduci in divinæ Voluntatis tanquàm primæ Causæ, imò actualissimæ Deo immanentis Causalitatis efficaciam: at in Causas secundas referri tanquàm proximam rationem contingentiæ, seu libertatis. Hæc enim, si intrinseca sit actionis liberæ Entitati, importat realis dependentiæ respectum ad causam secundam liberam, si verò consistat in denominatione extrinsecâ, tunc ipsius Causæ secundæ in actu primo indifferentia dominativa est forma, & ratio actum secundum in ratione liberi denominans. Unde etiam patet so- 19.
lutio illius Dubij inter quosdam Thomistas agitati: *An scilicet influxus Causæ primæ modificetur ex cooperatione Causæ secundæ?* Nam si sermo sit de modificatione quoad positivam contingentiæ, seu libertatis v. g. formalitatem, tunc istam modificationem oportet in Causam secundam cum defectibilitate, seu libertate Contradictionis operantem reducere tanquàm in proximam ejus rationem, etsi in Deum, ejusque divinæ Voluntatis Efficaciam tanquàm primam Causam, imò & causalitatem referri debeat.

Ad Scoti *n. 5.* Oppositum Respondetur. Mo- 20.
tionem Causæ creatæ habere rationem tum passionis in ordine ad Causam primam, tum actionis in ordine ad Causam secundam. At secundùm datam hypothesin illa motio in ratione passionis flueret ex Causalitate Dei necessariâ, ut tamen in ratione actionis esset ex potentiâ Voluntatis creatæ non nisi secundùm indifferentiam operantis. Ergo licèt in ratione motionis passivæ esset necessaria, vi cujus adeò Causa secunda diceretur necessariò mota à Deo; in ratione tamen motionis activæ foret libera denominans Causam secundam non nisi liberè, non autem necessariò se moventem.

Instabis ex Scoto *ubi supra.* Causa prior priùs 21.
naturaliter, & simpliciter respicit effectum, quàm Causa posterior. At in secundo instanti Naturæ non posset Causa propinqua dare effectui Esse contingens, si jam in priori intelligeretur habere necessitatem repugnantem contingentiæ. Ergo efficacia Causæ primæ sine libertate non sufficeret ad libertatem, & Contingentiam transfundendam in effectus Causarum secundarum.

Respondetur. Causalitatem Causæ Primæ 22.
intrinsecam ita esse naturâ, ac æternitate priorem actione Causæ secundæ, ut hujus tamen motio non distinguatur à motione per Primam causam impressâ Causæ secundæ. Unde in hâc motione esse dependentiam à Causâ primâ secundùm datam, etsi falsam hypothesin necessariò agente, ut tamen ipsa dependentiæ ejusmodi Entitas esset fluens ex causâ etiam secundâ contingenter operante. At motionem pendentem ex unâ causâ necessariâ, alterâ verò contingente, fore hoc ipso contingentem, siquidem ex alterius principij defectibilitate posset non fieri. Cùm igitur Causa prima non daret illi effectui entitatem, nisi quà dependentem ex Causâ contingente, oportet talem Entitatem fore contingentem, etiamsi Causa prima per impossibile ageret necessariò.

Urgebis. Rationes necessitatis & contingen- 23.
tiæ esse differentias Entis ut sic, atque adeò non esse reducendas nisi in Deum quà principium totius Entis, omniumque ejus differentiarum, ex S. Thom. *præs. cont. 6. concl. 1. allegato.* Si ergo Deus supponatur agens necessarium, non posse intelli-

intelligi rationem aliquam contingentiæ, quæ ut sic fluit ex Causâ primâ, derivari in effectum.

24. Respondetur. Deum ex ratione Essendi tanquàm formâ propriâ ita esse Entitatis cuique effectui creato inexistentis causam, ut tamé hæc ipsa Entitas in actibus ex causâ aliquâ creatâ pendentibus indivisibiliter intelligatur emanare à principio creato & increato. Si proinde Deus per impossibile supponatur agens necessarium, non potest tamen intelligi, quà ex se in actum ejusmodi profundens rationem Entis, nisi cum hujus dependentiâ à causâ secundâ. Ergo si hæc ita subordinaretur Causæ primæ, ut ista tamen subordinatio non tolleret indifferentiam activam, seu electivam, sed potiùs causaret, & causando conservaret, tunc ex hâc ipsâ primæ Causæ, etsi necessariò agentis Causalitate in actum secundum derivaretur libertas profluens ex Agentis creati Indifferentiâ tanquàm proximâ, contingentiæ, seu libertatis illius ratione.

CONTROVERSIA VII.

In quo stet Calviniana Hæresis, & An Voluntatis Divinæ ex se efficacis assertores illius subeant discrimen?

1. VIdere licet ex initio hujus Articuli *n. 6.* quàm graviter efficacis ex se Voluntatis Divinæ propugnatores lacessantur à Petro Fuliensi, quem præcessit Lessius *in disp. Apolog. de Grat. & Divinis Decretis. c. 3. n. 11. & 14.* asserens, ex Thomistarum sententiâ non tantùm inferri, quòd omnia inevitabili quodam fato non Astrologico, sed Stoico infinities potentiore eveniant, nempe ex Omnipotēte Dei Decreto omnes causas creatas ad omnes suos effectus, & motus insuperabiliter flectente, & determinante sed, quòd insuper Wiclefi in Concilio Constantiensi damnatus Articulus: *quòd omnia de necessitate absolutâ eveniant*, verus esset, quem etiam asseruerit Calvinus, *tum alibi, tum lib. 3. Instit. c. 23. §. 6.* & Lutherus *a. 36. apud Roffensem.* Imò stante præfatâ Thomistarum opinione fore consequens, quòd istud Lutheri *loc. cit.* assertum, *quod Liberum arbitrium sit figmentum in rebus, & titulus sine re*, verificaretur.

2. Quare ut ad oculum patere possit, Lessium ejusque sectatores non nisi caligantibus oculis Decreti divini sacris Litteris, & D. Augustini sententiæ conformiter à Thomistis assertam efficaciam intueri, Calviniani circa Decretum divinum Dogmatisà sententiâ Thomisticâ discrimen in apertam lucem producimus, præeunte Joanne à S. Thomâ *prat. q. 19. disp. 3. a. 5. n. 7.* Ubi duplicem de Voluntatis divinæ in ordine ad nostros actus liberos efficaciâ considerationem ponit, sub quarum alterâ intelligatur efficacia Dei quà præcisè determinans & movens ad actum Voluntatis. Sub alterâ verò consideretur quà volendo causans tam substantiam actûs, quam modum ejus libertatis.

3. Quod in considerandâ divinæ Voluntatis efficaciâ discrimen esse fundatum in SS. Patribus Author citatus probat. Sic enim juxta priorem considerationem præter alios quandoque Patres locutus est Ioannes Damascenus *in lib. 2. Fid. c. 3. Omnia Deus*, inquiens, *prænoscit, sed non omnia prædeterminat, nec enim vim affert Voluntati.* Hoc enim accipiendum esse de prædeterminatione inferente necessitatem, cujusmodi sit in rebus, seu Causis naturalibus ad unum determinatis, expressè asserit S. Thomas *3. cont. gent. c. 90. in fin. & 1. p. q. 23. a. 6. ad 1.* Nosque probavimus *prac. q. 5. a. 5. cont. 9. n. 30.* ibi ex ejusdem S. Damasceni verbis formalibus demonstrando, stare nihilominùs Voluntatem Dei, vi cujus opera nostra bona libera ita efficiat, ut ei nullus resistat, quin tamen arbitrio nostro vim inferat.

4. Juxta posteriorem considerationem de Voluntate divinâ prædestinando causante libertatem nostram, præter Damascenum proximè citatum & alios Patres locutus est D. Augustinus tum *locis sup. cont. 2. deductis*, tum *lib. de prædest. Sanct. c. 10.* disserens in hæc verba: *Cùm Deus vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinat eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili, & ineffabili modo operatur & velle.* In quo etiam sensu *lib. de grat. & lib. arb. c. 11* ait: *Utrumque verum est, quia & suâ Voluntate venerunt, & eorum spiritus Dominus suscitavit, agit enim Omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum Voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.*

5. Hoc totum Doctor Angelicus *3. cont. gent. c. 49. circa finem. & 1. p. q. 19. a. 8. ad 2.* Item *q. 22. a. 4.* expressit asserendo: Efficaciam Divinæ Voluntatis consequi causarum secundarum actus, seu effectus, etiam secundùm modum, quo vult eos fieri: velle autem Deum creati arbitrij actus fieri cum modo libertatis, & contingentiæ, veluti docet etiam S. Anselmus *in Concord. prædest. cum libero arbitrio.*

6. In quo autem consistat iste modus libertatis quà causatus à Voluntatis divinæ efficaciâ, idem S. Doctor exponit *cit. lib. 3. cont. gent. c. 88. & 1. p. q. 10. 5. a. 4.* inquiens, Voluntatem creatam moveri à Deo non tanquàm exteriori, sed interiori principio: Esse verò principium extrinsecum, quod movet per modum agentis, non autem Finis. Ex hujusmodi autem per modum agentis, non autem Finis motione inducendum fore violentum. At Dei tanquàm Causæ Voluntatem creatam in Esse substinentis esse, hanc movere non præcisè per modum agentis, sed etiam per modum Finis non tantùm proponendo objectum seu finem, sed interiùs eam inclinando. Unde Deum movendo Voluntatem non cogere ipsam, sed dare ei propriam ejus inclinationem, secundùm quam ita moveri Voluntatem à Deo, ut moveatur etiam ex se ipsâ, atque adeò talem Voluntatis creatæ à Deo motionem non obesse, quò minùs opera Voluntatis imputentur ad meritum, vel demeritum.

Ex quibus adeò patet, si voluntatis creatæ per divinum Decretum motio efficax non sit præcisè per modum agentis, sed per modum Finis excitantis Voluntatem ad se ipsam propriâ inclinatione sibi à Deo datâ movendam, tunc per talem Dei motionem omnino stare creati arbitrij libertatem.

CONCLUSIO.

HÆresis Calvinianæ in materiâ præsenti principium est, quòd Decretum

tum DEI actus nostros prædefiniens ponat præcisè quà movens, ac determinans, imò necessitans, non autem quà excitans, & causans Voluntatis creatæ in actu tam primo, quàm secundo libertatem: ex quo falso principio infertur negatio liberi arbitrij, in quâ illatione consummatur hæresis illa, cum quâ nec quoad principium, nec quoad conclusionem Thomistis convenit.

7. Probatur. Nam præter alias per Ioannem Martinon Societatis IESU Theologum *1. p. q. 19. sect. 2. n. 19.* collectas Calvini sententias istius Hæresiarchæ mentem sequentia *ex ejus lib. 3. Instit. c. 23. n. 8.* deprompta verba manifestant. *Ajunt Deo permittente, non autem volente perire impios, sed cur permittere dicemus, nisi quia ita vult? quanquam nec ipsum quidem per se probabile est, solâ Dei permissione, nullâ ordinatione hominem sibi accersisse interitum. Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri, Voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum, quod ille voluerit.* Quibus conformia sunt, quæ Petrus Fuliensis *in princip. hujus art. n. 6.* à nobis citatus ex eodem Calvino, ejusque sectarijs affert. Unde Lessius *pres. Cont. 7. n. 1.* allegatus concludit, Dogma Calvini coincidere cum Wiclefi per Concilium Constantiense damnatâ sententiâ, quòd scilicet *Omnia de necessitate absolutâ eveniant.* Patet igitur, hæresin Calvinianam ponere in Deo Decretum necessitans, seu Voluntatem creatam ita determinans, ac movens, quin sit causans libertatem in actu præsertim secundo. E contrario autem manifestum est, ex toto isto Articulo, nominatim *cont. 6. & cont. pras. n. 3. ac. seq.* Thomistas ponere Decretum in Deo causans actum primum liberi arbitrij cum indifferentiâ objectivâ, & activâ, seu electivâ, quâ liberâ arbitrij creati facultate per divinam Causalitatem positâ, supervenire Voluntatem Dei per actionem æternam, prædefiniendo actum creatum liberum efficienter à Voluntate nostrâ secundùm indifferentiam suam Dominativam operaturâ producendum in tempore. At hoc nihil aliud esse, quàm libertatem creatam tam in actu primo, quàm in actu secundo in divinam Voluntatem tanquàm Causam Primam, & Primum liberum reducere. Constat igitur, Thomistarum doctrinam non minus, quàm lucem à tenebris discrepare ab hæresi Calvinianâ.

8. Dices cum Petro à S. Ioseph per nos *citato dict. n. 6. in princ. hujus Art.* Calvinum, ejusque sectarios duplicem actuum nostrorum facere comparationem; alteram in ordine ad Voluntatem creatam, alteram in ordine ad divinæ Voluntatis incommutabile, & absolutum Decretum. Sub priori autem comparatione admittere illos hæreticos Contingentiam in actibus nostræ Voluntatis, sub comparatione autem posteriori, secundùm quam humana Voluntas intelligitur copulata cum Providentiâ seu Decreto divino, adstruere necessitatem actuum humanæ Voluntatis. At hoc ipsum videri conforme Doctrinæ Thomistarum asserentium, quòd Voluntas humana in sensu Diviso, in quantum de se, & suaptè naturâ spectatur, ad utramque deliberationis partem indifferens sit, etsi in sensu Composito ex conjunctione & hypothesi Decreti divini oporteat esse determinatam ad actum divinitùs præfinitum. Nullum igitur Thomistarum à Calvinistis reale discrimen patere, siquidem Beza à dicto Petro Fuliensi *sua Concord. disp. 2. sect. 7. n. 2.* citatus duplicem necessitatem absolutam, & hypotheticam distinguens asserat, eversionem Babylonicam absolutè extra hypothesin divini Consilij potuisse non evenire, fuisseque quoad suas mundanas causas contingentem, etsi necessaria fuerit ex hypothesi divini propositi, ad quod respexisse Isaiam Prophetam *c. 14.* dicendo: *Deus ita consuluit, quis poterit dissolvere? Manus Domini jam est extensa, & quis retrahere poterit?*

9. Contra, Nam si Petrus Fuliensis cum cæteris Scientiæ Mediæ propugnatoribus verba Calvinistarum (ad quorum formalia *in cit. sect. 7. suav. Concord.* descripta lectorem brevitatis causâ remitto) prout jacent, bene ponderâsset, non posset non videre, quòd Calvinistæ actus nostros in ordine ad Voluntatem humanam eatenus dicant contingentes, quatenus Voluntas humana ad utramque partem à Dei Voluntate sit vertibilis, flectibilis, terminabilis, seu mutabilis. At in causis etiam naturalibus in ordine ad suos effectus est contingentia ex aliarum concursu determinabilis, vel secundùm superioris causæ influxum mutabilis. Sic enim divina Voluntas ignem Babylonicum ita determinaverat ad viros, qui Sidrach Misach, & Abdenago miserant in fornacem, interficiendos, ut tamen istos tres Sanctos in medio flammæ ambulantes non læderet. Ex illâ igitur secundùm mobilitatem, & vertibilitatem Voluntatis creatæ contingentiâ necdum stat creati arbitrij libertas. At verò Thomistæ docent, quòd actu primo creati arbitrij secundùm vim suam Dominativam ac indifferentiam Electivam vi divinæ Causalitatis completo, superveniat Causalitas Dei influens in ipsum velle nostrum liberum. Hanc autem Dei causalitatem esse Decretum divinæ Voluntatis præparans, ac prædestinans ipsum operari liberum. Hoc verò nostrum Operari ita pendere ex intrinsecâ Voluntatis Divinæ Voluntatem nostram, ut in bonis operibus ambulemus, præparantis Causalitate, ut sit tamen actio fluens ex arbitrio nostro operante secundùm vim suam Electivam. Unde electionem arbitrij nostri cum ipso actu libero *realiter formaliter* identificatam ita esse ex vi nostræ Voluntatis Electivâ, & Dominativâ, ut tamen Deus ceu Prima causa per prius eligat actum, in quo ipsa Voluntatis nostræ Electio consistat, atque adeò Deus eligendo faciat actum nostrum ab Electione Dei simul, & nostrâ vi Electivâ procedentem, sicque faciat, ut faciamus ipsum velle, ac operari nostrum in prædestinationis suæ Decreto æterno præparatum. Hæc autem omnia ex præfatis manifestum est, concordare cum Sacris Litteris, & Sanctis Patribus, præsertim Augustino. Etsi proinde Thomistæ asserant, non posse Decretum Divinum actûs creati liberi præfinitivum subsistere sine realillius consecutione; in hoc ipso tamen discrepant à Calvinistis, quòd isti ponant Decretum DEI quà flectibilitatem, ac mutabilitatem Voluntatis humanæ præcisè determinans: illi verò ponant Decretum causans libertatem tum in actu primo, tum in actu etiam secundo non nisi ex Volun-

Voluntatis creatæ vi Electivâ, ejusque Dominativâ indifferentiâ elicito.

10\. Replicabis ex eod. Petro Fuliensi *cit. sect. 7. n. 2.* Petrum Martyrem Calvinistam talem Voluntatis creatæ ex divino Decreto vertibilitatem ponere, ex quâ illa determinetur ad alteram deliberationis partem, cujusmodi deliberationem arguere arbitrium Voluntarium. Imò Bezam in Voluntate creatâ divinæ Providentiæ obsequente expressis verbis adstruere libertatem. In quo sensu locutum etiam fuisse Broezerum, quòd Voluntas Fratrum Iosephi ipsum vendentium ita fuerit ratione Dei definita, ut tamen arbitrij ipsorum libertas non fuerit sublata. Ex quibus adeò patere, Calvinistas non adstruere Decretum Dei tollens libertatem, nec adeò apparere quoad consilij Divini efficaciam ullum inter Thomistas, & Calvinistas discrimen. Imò Amesium hujus sectæ novissimum assertorem expresse dicere sibi convenire cum Alvarez docente, Deum per auxilium efficax gratiæ physicè, sive ad modum physicæ causæ prædeterminare arbitrium creatum, ut liberè & infallibiliter consentiat, & cooperetur Deo excitanti, & vocanti.

11\. Contra. Nam evolvendo historias Ecclesiasticas, & Conciliorum acta; perspiciemus, hæreticos quandoque argumentorum vi convictos sub simili cum Oecumenicis locutionibus normâ errores abscondendo, suæ doctrinæ venenum propinare alijs studuisse. An igitur credamus, illos sectarios ejurasse Magistri sui Dogma *lib. 3. Instit. c. 23. n. 9.* ita scribentis: *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cùm ex Dei ordinatione injiciatur sibi hujusmodi necessitas. Nos verò inde negamus, ritè excusari; quandoquidem Dei ordinationi, quâ se exitio destinatos conqueruntur, sua constet æquitas nobis quidem incognita, sed illa certissima.* Quid ergò? si plerique illorum Calvinistarum creatæ ad utramque deliberationis partem Voluntatis indifferentiam non nisi sub voce Vertibilitatis, & Mutabilitatis explicando facerent liberum arbitrium merè passivum? Quid? si unus, vel alter arbitrio creato actionem, non tamen per modum Electionis ab intrinsecâ Voluntatis vi Dominativâ profluentis, concederet, ne discordare cogeretur à Magistro suo *lib. 2. Instit. c. 3. n. 10.* taliter differente: *Ac voluntatem movet* (Deus) *non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit Electionis motioni aut obtemperare, aut refragari.* Quid denique, si Amesius cum recentioribus Calvinistis per Physicam prædeterminationem non intelligeret cum Thomistis motionem ad actum secundum creatæ Voluntatis spectantem, sed vim in actu primo prædeterminantem? Hoc enim Sectarius ille, si asserat, cum Magistro suo *ubi sup.* Voluntati creatæ indubitatò injicit necessitatem agendi; nec adeò liberum arbitrium nisi sub titulo sine re adstruet, asserendo, Voluntatem creatam libere consentire, & cooperari Deo per prædeterminationem ejusmodi vocanti, & excitanti: Ne ergò sub verborum lenocinijs ulli simus fraudi obnoxij, convenimus Petrum Fuliensem cum omnibus mediæ scientiæ propugnatoribus instanter, imò instantissimè petentes, ut Calvinistarum de Voluntatis Divinæ efficaciâ mentē exponant super lucis Candelabrū respondendo: An in omnibus sequentibus Thomistarū doctrinæ conformibus articulis concordent.

1\. An in actu primo creati arbitrij in ordine ad actus supernaturales admittant habitum infusum, seu auxilium supernaturale transiens, operationum supernaturalium cum Voluntate effectivum? 2. An dicant, quòd ad illam meritoriè operandi potentiam, seu actum primum pertineat illustratio Intellectûs supernaturalis per modum excitationis moralis suaviter ad Bonum trahentis, nec non pia Voluntatis affectio? 3. An in Voluntate creatâ per illud auxilium supernaturale instructâ, & per internam Intellectûs illustrationem, nec non piam ejusdem Voluntatis affectionem excitatâ admittant hoc ipso vim Electivam, & Dominativam assentiendi, vel dissentiendi? 4. An actu primo ad supernaturaliter operandum taliter perfecto, & completo circa actum secundum ejusdem velle liberi hunc statuant ordinem, ut hujus actûs secundi Causalitas incipiat ex Divinâ Voluntate? 5. An non ista causalitas sit Divinæ Voluntati formaliter immanens, & virtualiter transiens habens rationem actionis æternæ, quæ nihil aliud sit, quàm Volitio Divina, quatenus determinatè factiva objecti, seu effectûs à se voliti? 6. An non ista volitio actûs creati liberi determinatè factiva habeat pro objecto istum actum liberum, quatenus ab ipsâ Voluntate creatâ per auxilium supernaturale, nec non excitantem supernæ Intellectûs Illustrationis, ac piæ Voluntatis affectionis gratiam instructâ eliciendum secundùm vim ejus Electivam, fundamentaliter in indifferentiâ objectivâ, & formaliter in indifferentiâ Dominativâ, seu activâ consistentem. 7. An actio illa æterna per modum Volitionis respiciens actum secundum quà ex creati arbitrij vi Electivâ liberè eliciendum, sit ex se infallibiliter, in tempore definito causativa motionis Voluntati humanæ impressæ, quæ motio ita spectet ad actum secundum arbitrij creati, ut tamen per prius respiciat Volitionem Divinam suâ prædestinatione præparantem, & ut sic donantem ipsum velle, ac operari liberum. 8. Denique An ista Divina velle creati liberi præparativa volitio sit ex suâ efficaciâ, & determinatâ Causalitatis ad extra ratione ita infallibilis, ut tamen sit causans libertatem actûs secundi ex vi creati arbitrij dominativâ efficienter eliciti. 12.

Hæc igitur sunt, quæ Thomistæ circa Voluntatis Divinæ efficaciam conformiter SS.PP. præsertim Augustino, Anselmo, imò & Damasceno ex Doctore suo Angelico tradunt; quæ si Petrus Fuliensis à Calvinistis teneri ostendat, eos hâc in parte inter Orthodoxos censere fas erit: Ipse verò cum cæteris scientiæ Mediæ propugnatoribus sibi caveat, nè dum in velle nostri actu secundo quoad liberam determinationem Primas negat Divinæ Voluntati, sed transfert in creatæ Voluntatis sive absolutè, sive conditionatè prævisam cum Gratiâ ex parte actûs primi se tenente cooperationem, & consensum, apertè contradicat præallegatis Patribus, & sacris litteris, & convincatur semipelagianismi; eique adeò obveniat, quòd Origeni, qui confutando hæreses ad alterum extremum nimis declinando, ipse in errorem incidit. Verùm de his, quàm sint Concilio etiam Tridentino conformia, *seq. Articulo* perspiciemus. 13.

Responsio ad opposita Argumenta.

14. Ad n. 1. Oppositum Respondetur. Mirari nos in præsenti Puncto Lessij viri alioquin clarissimi ac cæterorum Scientiæ Mediæ Propugnatorum inconsiderationem, Tum quia S. Augustinus *lib. 5. de Civit c. 8.* non improbat Stoicos ipsam Dei summi Voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per puncta porrigitur, appellantes Fatum. Hoc enim Sanctus ille Ecclesiæ Doctor *c. 9.* ait, cohærere cum libero arbitrio nostro, eò quòd, istud etiam sit in ordine causarum, in quibus præscientia Divina novit nostras Voluntates, seu actus liberos. At hoc nihil aliud est dicere, quàm quòd Voluntas Divina à Stoicis Fatum nuncupata, sit cum libero nostro arbitrio in suâ vi Dominativâ & Electivâ per Dei Causalitatem posito, seu conservato causans, nec adeò tollens Voluntates nostras, seu actus liberos, uti non obscurè *ex cit. c. 8.* colligi potest. Tum quia Oviedo vnus ex scientiæ Mediæ propugnatoribus *contr. 12. de animâ. punct. 4. n. 8.* fatetur, quando liberum arbitrium definitur *Principium, quod positis omnibus ad operandum requisitis potest operari, vel non operari*; per particulam *positis omnibus requisitis* debere intelligi, quæ concurrunt per modum actûs primi. At secundùm Doctrinam Thomistarum neque volitio Divina actûs nostri liberi præfinitiva se habens per modum actionis æternæ, seu Causalitatis Deo formaliter immanentis, neque motio ex eâ transiens recepta, & impressa Voluntati creatæ pertinet nisi ad actum secundum, omnibus in arbitrio ex parte actûs primi se tenentibus istius indifferentiam non duntaxat Objectivam, sed Activam, & Electivam omnino salvam, & illæsam conservantibus. Non igitur Thomistis convenire potest cum Calvino, Luthero, & Wiclefo docentibus, Voluntati creatæ ex Divino Decreto inferri absolutam Libertatis destructivam necessitatem, atque adeo vim agendi in ipso actu primo determinatam.

ARTICULUS VI.
De
Voluntatis Divinæ ad extra Transeunte Causalitate.

1. IN progressu hujus Materiæ mentio fiet Physicæ prædeterminationis, nec tamen Sedis Apostolicæ Decreto (cui etsi nunquam viso per omnia nos accommodare vellemus) ullatenus contraire speramus, tum quod illud teste Ioanne à S. Thomâ *prac. q. c. 9. disp. 5. a. 5. n. 7. in fine* solum prohibeat ex instituto tractare illam quæstionem, in quo consistat efficacia Gratiæ, & Divini auxilij, an in aliquo intrinseco, & physicè impresso in Voluntate, an in aliquo extrinseco? tum quòd scientiæ mediæ propugnatores physicam illam prædeterminationem vel abstrahendo à quæstione de efficaciâ Gratiæ, vel hanc incidenter solùm inducendo in libris suis persequi non desistant; quam proinde vel sub formalitate Divinæ Causalitatis, vel ad finem efficaciæ Divini Decreti explicandæ enucleatiùs examinare licitum esse, demonstrant frequentes Philosophorum, ac Theologorum typis vulgatæ, & approbatæ exercitationes.

Controversiæ de Divinâ præsertim circa actus supernaturales Causalitate statum exponit Lessius *disp. Apolog. de Grat. & Divin. Decret. c. 2. a n. 2.* asserendo de physicæ prædeterminationis assertoribus, quòd doceant; ad quodvis opus bonum præter illuminationem intellectûs, & pias affectiones Voluntatis, & præter omnes habitus supernaturales requiri talem motionem, seu impulsum, quem oporteat 1. prævenire nostram Voluntatem. 2. Non esse in nostrâ potestate, ut in nobis sit, vel non sit, siquidem detur ex Decreto Divino ante omnem operum prævisionem facto. 3. Cum in nobis est, non posse nos illi resistere. 4. Eodem momento quo est, poni consensum Voluntatis. 5. Hunc impulsum priùs naturâ poni in Voluntate, quàm ipsa consentiat, & per hunc determinari Voluntatem ad consensum. 6. Hunc impulsum requiri ratione dependentiæ, & subordinationis, quæ est inter causam primam, & secundam, ac proinde ad omnes motus Voluntatis etiam malos secundum substantiam suam spectatos, & ad omnes motus & operationes omnium causarum creatarum necessarium esse. 2.

Econtrario Scientiæ Mediæ propugnatores Societatis Iesu Theologos inducit Lessius citatus *a n. 8.* asserentes, ad nullum pietatis opus (multò minùs ad opera solùm moraliter bona, vel mala) requiri aliquam motionem prævenientem, sive impulsum prævium, qui Voluntatem ad consensum prædeterminet, imò hujusmodi impulsum videri tollere omnem in agendo libertatem. Quare ad opera pietatis sufficere ea auxilia prævenientia, cum quibus Voluntas ita potest consentire, ut illis stantibus possit dissentire, ita se ipsam ad consensum determinare, ut possit se continere, vel etiam determinare ad dissensum. Auxilium enim præveniens, quod Deus confert, duo præstare ante consensum, & unum in consensu. 1. allicere, & trahere Voluntatem, ut consentiat, ita tamen, ut huic tractui possit non obsequi. 2. Vires tribuere, ita ut Voluntas tunc in suâ potestate habeat consentire, si velit. 3. Denique si Voluntas consentiat, simul juvare & concurrere ad illum consensum eliciendum; idque vel physico influxu in consensum (quod sibi, ait Lessius semper verius visum cum Molinâ) vel morali, veluti non improbabiliter quidam existiment. 3.

Hinc pergit Author præfatus *n. 11.* auxilium præveniens consistere in varijs inspirationibus, & illuminationibus Intellectûs: quibus mens incipit cognoscere, vel advertere turpitudinem peccatorum, magnitudinem pænarum, pulchritudinem virtutis, cælestia præmia, Majestatem Divinam, & similia; & in varijs affectionibus Voluntati immissis, quibus incipit terreri supplicijs, allici promissis, aversari turpitudinem peccatorum, inclinari & impelli ad amorem virtutis, ad spem Bonorum cælestium, ad dilectionem Divinæ Bonitatis. Quas affectiones, impulsus, & inclinationes non nasci præcisè 4.

cisè ex propositione objecti, sed proposito objecto, divinitùs excitari in Voluntate. Quando autem tale auxilium sufficiens adest, simul præstò esse in actu primo, & quasi in habitu auxilium concomitans proportionatum auxilio prævenienti, ita ut in hominis potestate sit illud habere in actu secundo, si velit: hoc autem auxilium concomitans situm esse partim in concursu Dei, qui suis Donis & ipsis animæ potentijs cooperatur; partim in concursu auxilij prævenientis, quod etiam tanquàm partiale principium operativum cum naturâ Voluntatis in opus influit.

5. Hæc scientiæ Mediæ propugnatorum doctrina si conferatur cum Thomistis, perspicuum erit, hos etiam affirmare, quòd creati arbitrij supernaturaliter operativi actûs primus includat istas internas Intellectûs illustrationes, nec non pias Voluntatis affectiones vnâ cum habitu infuso, vel auxilio supernaturali physicè influxivo in opus pietatis. Unde præsentis Controversiæ ratio in eo vertitur, an præter Voluntatis creatæ ex prætactis divinitùs immissis gratijs adæquatè constitutam supernaturaliter operandi potentiam, seu actum primum, requiratur ad actum secundum, seu ad exercitium supernaturale alia quædam Voluntatis nostræ consensum antecedens motio, seu influxus. Hoc enim totis viribus propugnant physicæ prædeterminationis assertores: cùm econtra omnes Scientiæ Mediæ defensores teste Lessio *ubi sup.* asserant: Influxum liberi arbitrij, Gratiæ, & ipsius Dei in opus liberum esse omninò simul naturâ, & habere inter se mutuam dependentiam, ita ut liberum arbitrium non influat priùs tempore, aut naturâ in opus, quàm Gratia præveniens, aut Deus, nec Deus, aut Gratia priùs, quàm liberum arbitrium.

6. Istius bono utrinque Zelo exagitatæ Controversiæ causa fuit studium ex vnâ Scientiæ Mediæ propugnatorum parte, declinandi tum antiquas Manichæorum, tum modernorum Calvini, & Lutheri liberum arbitrium ex Voluntatis Divinæ efficaci motione negantium; ex alterâ verò physicæ prædeterminationis assertorum parte funditùs evertendi Pelagianorum, ac Semipelagianorum libero Voluntatis creatæ arbitrio cum gratiæ Divinæ jacturâ faventium Hæreses ac errores.

7. Inter quas proinde hæreses seu errores, ut mediam Veritatis viam Duce, & Comite D. Augustino teneamus, placuit hujus Articuli Controversiam Primam proponere: *In quo circa Divinæ Voluntatis in creatum arbitrium, ejusque actus liberos Causalitatem versetur Calvinismi, & Pelagianismi discrepantia, & in quo tandem se teneat Orthodoxa veritas?* Quo deciso, subnectentur sequentes Controversiæ. Secunda: *In quo consistat physica prædeterminatio, seu Divina in Voluntatem creatam liberè operantem causalitas?* Tertia: *An ultra gratiam se tenentem ex parte actûs primi possit, ac debeat ex sacrâ Concilij Tridentini, & Divinarum Scripturarum, ac Patrum Doctrinâ adstrui motio Dei antecedens liberum nostrum consensum?* Quarta: *An ista motio sit independens à nostrâ Voluntate non potente illi resistere.* Quinta: *An hæc motio Dei antecedens demonstrari possit ex subordinatione Causæ secundæ ad Causam Primam.*

CONTROVERSIA I.

In quo circa Divinæ Voluntatis in creatum arbitrium, ejusque actus liberos motionem versetur Pelagianismi & Calvinismi discrepantia; & quæ sit media Orthodoxa quoad hoc veritatis Semita?

Joannes à S. Thomâ *in cit. q. 19. disp. 5. a. 5. n. 4.* docet: Pelagium & Calvinum convenire in eo, quòd Efficacia Divinæ Voluntatis, & nostræ libertatis indifferentia, & contingentia simul stare non possint, cùm illa efficacia tanta esset, ut Deo volenti nihil resistere posset; econtra verò oporteret, talem esse liberi arbitrij mutabilitatem, ut quocumque posito, vel oblato, illud respuere, aut dimittere possit. Hoc adeò fundamento ex pravâ efficaciæ Divinæ Intelligentiâ jacto ab illis hæreticis duos extremos errores illatos fuisse: Pelagio ita discurrente, *Liberum arbitrium non est negandum; sed efficacia gratiæ antecedens & reluctanti cordi immissa fatum est necessitans, & libertatem tollens, ergo ista efficacia est neganda.* Ex quo adeò manifestum esse, errorem Pelagij in eo circa præsens punctum stetisse, quòd negaret, dari gratiam, quæ reluctanti cordi immitteretur, & ex nolentibus faceret volentes, quæque esset gratia antecedenter, & independenter à libero arbitrio ipsum convertens, & effectum habens, licèt non sine ipso. 8.

Econtrario Calvinum ita discurrisse: *Gratiæ & Voluntatis Divinæ efficacia non est neganda, quæ ex se, & propriâ ratione tum immutabilis, & infallibilis est in operando, ita ut ei secundum Sacram Scripturam resisti non possit; tum antecedens ad consensum bonum Voluntatis, utpote secundum Augustinum lib. de prædest. Sanctor. c. 8. reluctanti adhuc duro cordi data ad tollendam ejus duritiem; sed hæc non potest cum libertate nostrâ compati, cùm ei non valeat voluntas nostra resistere, nec in manu eius sit, eam repellere, aut habere. Ergo tollenda est nostra libertas.* Ex quo patere; Calvinum ex Divinæ Voluntatis & gratiæ à se assertæ pravâ Intelligentiâ intulisse errorem Fidei Orthodoxæ contrarium, *Originativè* consistentem in eo, quòd intelligere non posset, illam efficaciam quà compatibilem cum libertate creatâ, sed *Consummativè* consistere hæresin Calvinianam in negatione liberi arbitrij, veluti de hoc *præc. art. cont. ult.* egimus, nunc visuri, quid de hæresi Pelagianâ, prout ad præsens nostrum institutum attinet, sentiendum sit.

Molina *in Conc. lib. arb. cum grat. & prædest. in q. 14. a. 3. disp. 1. & disp. 6.* Item *q. 23. a. 4. disp. 1. memb. 2.* asserit: Errorem Pelagij ejusque Sectatorum in eo se tenere, quòd assererent: Solum liberum arbitrium absque alio auxilio gratiæ sufficere ad credendum, pœnitendum, diligendum Deum, & promerendam vitam æternam. Ex hoc autem errore fluxisse, tum quòd arbitrarentur, Christum non extitisse Redemptorem humani generis nullo unquam Originali peccato infecti, sed duntaxat Legislatorem, tum quòd totum prædestinationis effectum adscriberent libero arbitrio, proprijsque meritis, in quibus posuissent etiam rationem, cur unus præ altero esset prædestinatus. 9.

His conformiter Petrus à S. Ioseph *suav. Concord. disp. 3. sect. 2.* contendit, Errorem Semipelagia-

lagianorum in hoc præcisè consistere, quòd initium fidei sit ex nobis, & merito illius nobis conferatur à Deo Fides perfecta.

4. Verùm circa hæresin Pelagianam oportet quinque status distinguere. Primus à Molinâ citato insinuatus erat, quòd homo sine gratiâ Dei possit facere omnia mandata Divina. ex D. August. *lib. de hæres. ad Quodvultdeum. hær. 88.* Secundus status erat, quando Pelagius à Fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum eatenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, docens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. ex D. August. *cit. hær. 88.* Tertius erat status, in quo Pelagius tria circa liberum arbitrium distinxit, nimirum *Posse, Velle, ac Esse.* Primum locans in naturâ, ajebat, propriè pertinere ad Deum id conferentem creaturæ: duo reliqua, scilicet Velle in arbitrio, ac Esse in effectu referenda esse ad hominem, de cujus arbitrij fonte descenderent. Unde in Voluntate, & opere bono laudem hominis esse, imò & hominis, & Dei, qui ipsius Voluntatis, & operis possibilitatem dederit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvârit semper auxilio. ex S. August. *de Grat. Christi. lib. 1. c. 4.* In quo autem istud adjutorium Gratiæ situm esset, idem Pelagius expressit asserendo, adjuvare nos Deum per doctrinam, & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, nè præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili Dono gratiæ cælestis illuminat, & revelatione Sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat Voluntatem. *ex cit. lib. de grat. Christi c. 8. & 9.*

Quartus status erat, in quo Pelagiani insinuabant, posse liberum arbitrium sine gratiâ incipere Bonum, non tamen perficere. ex D. August. *lib. 2. cont. duas Epist. Pelag. c. 8.* Quintus status est Semipelagianorum asserentium 1. Initium fidei esse ex nobis, illius verò consummationem ex Deo donante. 2. Gratiam Dei Comitem, non præviam humanorum esse meritorum. 3. Vitam æternam quantum ad arbitrij libertatem, ab his apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. 4. Libertatem creati arbitrij ab hoc Dei auxilio juvandam, si, quod Deus mandat, elegerit. 5. Cum in his, qui tempus acceperunt liberæ Voluntatis, duo sint, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem Obedientiam esse, quàm Gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat, & Voluntas hominis Divinæ Gratiæ sibi pariat opem, non Gratia sibi humanam subijciat Voluntatem. *ex Sanctorum Prosperi & Hilarij ad D. Augustinum Epist. ubi hæc fusius exposita videre licet.*

Conclusio.

Media inter Calvinismum & Pelagianismum Orthodoxa Veritas est, ut cum S. Augustino *lib. de Corrept. & Grat. c. 11. & 12.* fateamur duplex adjutorium Gratiæ, alterum dans posse, & libertatem piè, ac meritoriè operandi. Alterum dans ipsum Velle, ac bene operari descendens ex Divinæ Voluntatis Causalitate, & donatione.

Probatur. Nam Calvinistæ Opera S. Augustini, quibus insectatur Pelagianos, legendo, facilè deprehendunt, ipsum Velle nostrum secundùm propositum Electionis Divinæ, ac prædestinationis præparantis nostrum bene operari, tanquàm Gratiam, seu donum, ex definitæ infallibilis, & immutabilis Voluntatis Dei Causalitate descendere. Hi verò ipsi sectarij non valentes intelligere cum S. August. *de corrept. & grat. c. 8.* quòd voluntas humana non libertate consequatur Gratiâ, sed potius Gratiâ libertatem, hanc tolli arbitrabantur, dum Voluntas humana per divinam Gratiam (uti prætactus Ecclesiæ Doctor *cap. 12. de corrept. & Grat. loquitur*) indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur. At hujus pravæ Intelligentiæ radix, & origo erat, quòd non considerarent, Voluntatem creatam agi per divinam gratiam, non ut ipsa nihil agat, sed ad hoc per internam illustrationem, atque adeò gratiam moraliter excitantem ei ostendi, quid agere dei erat, ut cum dilectione, & delectatione justitiæ, Suavitatem quam dedit Dominus, ageret, Deo per suam Gratiam conferente liberrimam, & tamen invictissimam Voluntatem, & fortitudinem insuperabilem. *ex c. 2. & 3. de Corrept. & grat.* 5.

Constat proinde, Calvinistas efficaciam gratiæ in fortitudine insuperabili Voluntatem creatam indeclinabiliter, ac insuperabiliter agente constitutam ita agnovisse, ut tamen nollent cum S. Augustino talem invictissimæ fortitudinis divinitùs immissam efficaciam componere cum libertate, quæ tamen salva & illæsa subsistit eo ipso, quòd Voluntas creata non ita agatur per Gratiam Divinam; quin ipsa cum gratiæ vim creati arbitrij Dominativam excitantis Suavitate liberrimè agat. Econtra Pelagiani in tertio suæ hæreseos statu præter vim creati arbitrij divinitùs acceptam adstruebant Gratiæ adjutorium, 6.
quod situm esset in internâ Intellectûs per gratiam cælestem illustratione, ac inde secutâ stupente in desiderium Dei Voluntate, seu affectione. Hæc autem Intellectûs per gratiam illuminatio, & Voluntatis suscitatio est gratia moraliter Excitans, quam Calvinistæ non agnoscentes non poterant cum Divinâ Voluntati creatæ immissa actione, seu motione componere creati arbitrij libertatem. Unde Pelagianismus è diametro Calvinismo oppositus maximè in eo consistit, quòd impugnet hanc creati arbitrij à Deo immissam motionem, ex quâ inciperetur ejus operatio libera, & meritoria. Probatur istud Assumptum. Nam 1. Augustinus *cit. lib. ad Quodvult Deum. hæresi 88. & lib. de grat. Christi per totum, specialim c. 3. & 5.* in eo præcipuè refutat Pelagium, 7.
quòd nec Voluntatem, nec actionem nostram Divino adjuvari crediderit auxilio, sed solam possibilitatem Voluntatis, atque operis. Hoc autem, ait ille Ecclesiæ Doctor esse contra Apostolum *Philipp. 2.* ita hortantem nos cum timore & tremore nostram operari salutem, ut tamen Deus in nobis operetur & velle, & perficere seu operari. Non igitur Deus in nobis operatur

tantùm posse, tanquàm potentiâ operandi acceptâ, ipsi jam velle & operari per nos habeamus; sed ipsum velle, & operari nostrum Divinæ gratiæ adjuvatur auxilio. Quocirca oportet duplex gratiæ adjutorium in nobis distinguere, alterum dans posse, & libertatem operandi, alterum dans ipsum velle, ac bene operari.

8. Respondebis ex D. August. *cit. lib. de grat. Christi c. 6.* Pelagium ab isto Ecclesiæ Doctore impugnari; tum quòd possibilitatem Voluntatis, & Operis boni posuerit in naturâ: tum quòd, ubi fuerat confessus hanc naturalem possibilitatem adjuvari Dei Gratiâ, non appareat, quænam sit hæc Dei Gratia, ut adeò possit juxta alibi dicta intelligi, nomine Gratiæ naturalem possibilitatem adiuvantis accepisse legem, atque Doctrinam.

9. Contra. Nam lex, & Doctrina, in quâ Pelagius ponebat Gratiam, secundùm D. August. *c. 7.* est revelatio, seu oculorum cordis adapertio & demonstratio futurorum, & apertio Diabolicarum insidiarum, & multiformi, ac ineffabili Dono gratiæ cælestis illuminatio: Ex hâc autem revelatione Sapientiæ, ajebat Pelagius, in desiderium Dei stupentem suscitari voluntatem, dum ipsi suadetur, quod bonum est. Quare Deum in nobis operari velle, quod bonum & Sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit. *ex cit. lib. de grat. Christi c. 8.* At D. Augustinus *c. 9. ac seq.* hoc modo operandi Velle nostrum necdum contentus, ex Sacris Litteris ostendit, eam gratiam esse fatendam, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, sed etiam creditur, & speratur, nec solùm revelatur Sapientia, verùm etiam amatur, nec suadetur solùm omne, quod bonum est, verùm etiam persuadetur. Hæc verò persuasio secundùm eund. *c. 13.* in eo sita est, ut Deus cum ineffabili Suavitate eam infundendo, non ostendat tantummodò Veritatem, sed etiam per se ipsum impertiat Charitatem. Oportet igitur secundùm D. Augustinum *c. 25* adjutorium gratiæ non tantùm in actu primo, seu potentiâ operandi agnoscere, sed in ipso etiam operari, & velle nostro, utpote quod Deus in nobis operatur, dum à Spiritu DEI agimur, ut agamus.

10. Replicabis. Hoc in ipso velle, & operari adjutorium Gratiæ posse subsistere sine motione præveniente, aut impulsu prævio Voluntatis ad consensum prædeterminativo. Quare Ioannem à S. Thomâ *præs. cont. 1. n. 1.* relatum male concludere, quòd Pelagij error sit, negare Gratiam antecedenter, & independenter à libero arbitrio efficacem, quæ ex se, licèt non sine cooperatione arbitrij infallibiliter sit effectum habitura. Consequentia patet, quia S. Augustinus in hoc duntaxat pugnavit adversùs Pelagium, quòd iste adjutorium Gratiæ ex parte duntaxat potentiæ, non autem ex parte ipsius velle, ac Operari admiserit. Si ergo hoc adjutorium stare possit sine Gratiâ prædeterminante ex se (antecedenter, seu independenter à nostro consensu saltem conditionate futuro) habente efficaciam, clarè evincitur, errorem Pelagij per Ioannem à S. Thomâ non esse ritè descriptum. Antecedens probatur. Nam Scientiæ Mediæ propugnatores *præs. art. in princ. n. 3.* adducti ita negant, motionem gratiæ prævenientem ex se independenter à nostrâ determinatione liberâ efficacem, ac prædeterminativam, ut tamen admittant auxilium præveniens non tantùm ex parte actûs primi se tenens, alliciendo, & trahendo Voluntatem, nec non conferendo vires ad operandum, sed insuper ex parte actûs secundi adjuvans, & concurrens ad consensum in pietatis opere eliciendum. Consequens igitur est, adjutorium Gratiæ in ipso velle, & operari habere locum sine Divinâ motione prædeterminativâ, ac de se efficaci. Quocirca error Pelagij in eo videtur consistere; Tum quòd Pelagius negârit concursum Dei etiam Simultaneum ad opera bona, uti Bellarminus *lib. 4. de grat. & lib. arb.* probat. Tum quòd, licèt adjutorium gratiæ in actu primo seu potentiâ Voluntatis posuerit, id constituendo in internâ Intellectûs illustratione, & Voluntatis stupentis in desiderium Dei excitatione, hanc tamen excitationem non posuerit in operatione gratiæ, seu piâ affectione Voluntati creatæ Divinitùs impressâ, sed in quadam per internam duntaxat Intellectûs illuminationem, seu propositionem objecti excitatâ Voluntatis inflammatione: Tum quòd gratiæ auxilium naturæ libertati superadditum consistens in adjutorio duntaxat possibilitatis, seu potentiæ non statuerit simpliciter necessarium, sed ad faciliùs posse, uti constat ex D. August. *cit. lib. de grat. Christi. c. 4. & 5.* At verò *ex princ. hujus art. n. 4.* manifestum est, Scientiæ Mediæ propugnatores admittere inprimis concursum tum Dei suis Donis, & animæ potentijs cooperantis, tum auxilij prævenientis tanquàm partialis operativi principij cum Voluntate in opus influentis. Insuper docere, affectionem voluntatis ad actum primum supernaturaliter operandi requisitam non nasci præcisè ex proportione objecti, sed proposito objecto a Deo excitari in Voluntate: Denique in potentiâ ad piè operandum divinitùs elevatâ statuere auxilium supernaturale dans Voluntati vires, non verò facilitatem duntaxat ad opera bona. Constat proinde, Scientiæ Mediæ propugnatores nihil habere commune cum Pelagij erroribus, ac D. Augustini gratiæ adjutorium non tantùm in potentiâ Voluntatis, sed in ipso velle, & Operari exigentis doctrinæ per omnia conformari, dum asserunt auxilium præveniens ex parte actûs primi ad opera pia Posse simpliciter conferens juvare Voluntatem consentientem, ac physicè, vel saltem moraliter concurrere ad istum consensum eliciendum.

Contra. Nam quidquid sit de erroribus Pelagij, certum est, D. Augustinum adversùs Pelagianos certâsse non tantùm pro auxilio gratiæ præveniente se tenente ex parte actûs primi, sed etiam pro adjutorio gratiæ præveniente ex parte actûs secundi. At licèt Scientiæ Mediæ propugnatores illud prius ex parte actûs primi se tenens gratiæ adjutorium, nec non simultaneum, seu concomitantem Dei, & gratiæ concursum in opere pio admittant, necdum tamen assequuntur D. Augustinum, quatenus negant Dei ad opus pium in actu secundo concursum prævenientem, seu adjutorium gratiæ in actu secundo antecedens, atque adeò non solùm concomitanter sed antecedenter determinans nostrum consensum. Probatur tam Major, quàm Minor ex S. Augustini operibus. Nam ipsa adjutoria gratiæ circa Bonum v. g. Perseverantiæ distinguenda sunt 11.

da sunt; Aliud est enim Adjutorium, *sine quo* aliquid non fit, & aliud est adjutorium *cum quo* aliquid fit. *ex lib. de corrept. & grat. c. 12.* At prius adjutorium est Perseverantiæ potestas, vi cujus datur posse Bonum non deserere: posterius autem est, Perseverantiæ Felicitas, Bonum non posse deserere. *ex cit. c. 12.* Ex S. Augustino igi-
12. tur constat 1. Dari adjutorium gratiæ, vi cujus non possumus Bonum deserere. Hoc autem adjutorium est, per quod ita subvenitur infirmitati Voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur. *ex cit. c. 12. circa finem.* At verò secundùm Lessium *in disp. apolog. de grat. & Div. Decret. c. 2. à n. 9.* (cujus verba à nobis descripta in *Prim. hujus articuli* videre licet) cæterosque Scientiæ Mediæ propugnatores præter auxilium sufficiens non datur auxilium nisi concomitans ita proportionatum auxilio prævenienti, ut in potestate hominis sit illud habere in actu secundo, si velit. Unde in aperto est, per scientiæ Mediæ propugnatores negari gratiæ adjutorium *cum quo*, vi cujus adeò indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur Voluntas,
13. ut non possit bonum deserere. 2. Adjutorium gratiæ *Cum quo* Sanctus ille Doctor eatenus discriminat ab adjutorio gratiæ *Sine quo*, quatenus istud vocat perseverandi possibilitatem, illud verò ipsum velle actuale, seu determinatam Voluntatem perseverandi Divinæ gratiæ largitate donatam. *ex cit. c. 12. prope fin.* At quatenus est aliquid donatum à Deo, eatenus est prædestinatum, & vi prædestinationis causatum, seu effectum, *ex lib. de Dono Persev. cap. 17. & de prædestin. c. 10.* Oportet igitur admittere adjutorium gratiæ importans ipsam in libero Perseverantiæ consensu determinationem quâ Causatam ex Divinâ prædestinatione.

At Lessius *supra citatus* determinationem consensûs in operibus pietatis reducit primò, ac simpliciter in nostram, non autem Divinam Voluntatem prædestinantem: siquidem arbitrij creati sic, oblatum à Deo præveniens ex parte actûs primi se tenens auxilium taliter acceptare, ut illud Gratiâ Dei præventum sit primò determinativum sui ad consensum, adjutorio Gratiæ eatenus duntaxat concurrente, si Voluntas consen-
14. serit. *ex Lessio citato.* 3. Pelagiani fassi sunt quidem, Gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti virtutis studium immittere. *ex Lib. 2. contra duas epist. Pelagianor. c. 5. & 6.* Hoc autem posse bene intelligi, si acciperetur taliter, quòd reluctanti priùs aditus divinæ Vocationis ipsâ Dei vocatione procuretur, ac deinde in illo jam non reluctante spiritus virtutis accendatur. *ex lib. 4. contra dictas epist. c. 6.* At Deus reluctanti virtutis studium immittit, auferendo Cor lapideum, unde non faciebat, & dando cor carneum obediendi, unde faciat. *ex lib. de grat. & lib. arb. c. 10.* Hoc autem ille S. Ecclesiæ Doctor *in lib. 1. cont. prædictas duas epist. c. 19. & 20.* probat ex sacris litteris, facere Deum miris modis trahendo voluntates hominum, non ut nolentes credant, sed ut Volentes ex nolentibus fiant. Ergò reluctanti Virtutis studium à Deo immittitur, quatenus Deus operando velle facit ex nolente volentem. At hoc totum (quod Pelagiani non confitebantur) ita debet à Deo fieri, ut in omnibus, quæ quisque agit secundùm Deum, Misericordia ejus præveniat eum. *ex cit. lib. 4. c. 6.* Cùm igitur ista præveniens Dei Misericordia sit in hoc, quòd virtutis studium in velle, atque adeò liberâ Voluntatis creatæ determinatione consistens conferatur per ipsam obediendi Voluntatem ex gratiâ immissam, consequens est, dari gratiam prævenientem etiam in ipso actu secundo nostri Velle, ac operari. Atqui Lessius *citatus* negat, ex parte actûs secundi gratiam prævenientem, quæ liberæ consensûs nostri determinationis motio sit ex parte Dei antecedens, & prævia, atque adeò in nostro Velle admittit Dei concursum solum concomitanter, non verò antecedenter adjuvantem seu prævenientem. 4. Velle nostrum, ac bene 15.
operari ita est Dei miserentis, ut dicatur ab Apostolo non esse Currentis, neque volentis. At si Deus ad Velle, seu bene operari non concurreret in actu secundo, nisi concomitanter, tunc etsi facultas bene operandi esset solius Dei miserentis, ipsum tamē bene Operari non magis esset Dei miserentis, quàm arbitrij creati Currentis, & Volentis, D. Augustino *in Enchirid. c. 32. adversus Pelagianos* argumentante: Si velle nostrum sit ex utrâque, id est, ex voluntate hominis, & Misericordiâ Dei, tunc illud Apostoli dictum fore accipiendum, quasi diceretur, non sufficit sola Voluntas hominis, si non sit etiam Misericordia Dei: Si autem gratia seu Misericordia Dei & Voluntas hominis tanquam duo partialia principia in determinationem nostri Velle liberi simul, & concomitanter influant, tunc neque solam Misericordiam Dei sufficere, si non sit etiam Voluntas hominis. Ex hoc autem concludendum fore, sicuti ex eo, quòd sola Voluntas hominis non sufficiat ad liberum Velle, verificatur, non esse Volentis, sed Dei miserentis, sic quia Misericordia Dei sola non operatur, dicendum fore è contrario, non esse Dei miserentis, sed volentis: Hoc verò nullum audere dicere Christianum. Atqui Scientiæ Mediæ propugnatores non tantùm in actu secundo Velle nostri adimunt Deo concursum antecedentē, seu prævenientem, sed concomitantem, & simultaneum ita coarctant respectu Divinæ Voluntatis, ut antecedentem liberam determinationem reducant in nostrum arbitrium, Deo respectu consensûs nostri offerente concursum, qui ad hoc, ut determinatè influat, debeat per prius ex libertate nostrâ esse determinatus.

Ne ergo Scientiæ Mediæ propugnatores 16.
sternant viam dicendi, quòd teste D. Augustino, nullus Christianus audet dicere, cum illo Ecclesiæ Doctore *ubi sup.* fateantur: *Propterea dictum esse, non volentis, neque currentis, sed Dei esse miserentis, ut totum detur Deo, qui hominis Voluntatem & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* At verò præparatio Voluntatis adjuvandæ est ipsius Velle nostri præveniens adjutorium, ita ut licèt illud velle sit nostrum propter voluntatis nostræ arbitrium, sit tamen Dei miserentis, utpote præparantis, atque adeò prævenientis, seu antecedenter operantis non tantùm in donatione facultatis bene operandi, sed in ipso etiam operari. *ex lib. de prædestin. c. 3. post medium.* Desistant ergò Scientiæ Mediæ propugnatores à suo inverso ordine, secundùm quem in actu secundo velle nostri determinationem antecedentem nostro potius arbitrio, Voluntati autem Divinæ concursum duntaxat *Concomitantem*, imò *subse-*

subsequentem, utpote *de se indifferentem*, atque adeò pro sui ad velle nostri coefficientiâ determinatione nostri consensûs ac determinationis liberæ expectantè adscribunt adversùs Canonem 4. Concilij Arausicani secundi ita decernentis. *Si quis, ut à peccato purgemur, Voluntatem nostram Deum expectare contendit, non etiam ut purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem, & operationem in nos fieri, confitetur, resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur Voluntas à Domino; & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bonâ (suâ, non nostrâ, uti S. Augustinus exponit) Voluntate.*

17. Opponit Petrus à S. Ioseph *cit. disp. 3. suav. Concord. sect. 3. n. 1.* prædictum Concilium perstringere Semipelegianos, eò quòd dicebant, initium salutis esse ex nobis, atque adeò à nobis Deum expectare tale initium, ut eo à nobis per vires naturæ posito, ipse, sua gratiâ perficiat, quod nos per Naturam inchoavimus. Quem proinde errorem Semipelagianorum ex eo præsertim capite, quòd merito talis initij Fidei nostris viribus politi, ac ex nobis expectati, docerent nobis conferri à DEO fidem perfectam; à D. Augustino exagitari *in lib. de prædest. Sanctor.* demonstrante, non tantùm perfectionem seu augmentum fidei, sed etiam quodcumque illius, & cujusvis operis initium esse ex Dei gratia, nostros omnes conatus præveniente & excitante. At totum istud esse conforme suæ sententiæ, initium bonæ Voluntatis & nostræ salutis Deo soli concedenti. In quo adeò sensu intelligendum esse Concilium quoque præallegatum, siquidem ostendat, ideò non exspectare Deum, ut velimus, quia ipse præparat Voluntatem nostram, videlicet per gratiam prævenientem, per quam operatur in nobis initium bonæ Voluntatis: neque verò Concilium illud negare, quòd Voluntas nostra jam divinitus præventa, & excitata exspectetur à Deo, ut ea se per vires gratiæ ad consensum determinet.

18. Contra. Nam exordiendo ab hoc ultimo, quærimus ex Petro à S. Ioseph, An nostræ per gratiam prævenientem Voluntatis excitationem à Deo immissam admittat in actu etiam secundo nostri Velle, & operari. Vel in actu duntaxat primo, ita ut facultate bene operandi per gratiæ adjutorium, *sine quo* vi habitûs infusi, vel alterius auxilij supernaturalis, nec non Divinæ Intellectûs illustrationis, ac piæ Voluntatem excitantis affectionis divinitùs receptâ, pro velle nostro, ac operari supernaturali, seu meritorio fit quidem opus Concomitante Dei Concursu, non autem ulteriori ad ipsum actum secundum spectante gratiâ præveniente, seu excitatione, ac motione Voluntati creatæ per Divinæ Voluntatis præparationem, seu prædestinationem impressâ? Si prius

19. asserat, nihil habebimus cum ipso controversiæ, siquidem tunc eo ipso concesserit nostræ Voluntatis Divinitùs immissum adjutorium non tantùm *sine quo*, sed etiam *cum quo*, consistens formaliter in ipso velle nostro quatenùs per Voluntatem Dei præparantem donato, & ut sic causato. Hoc autem concesso adjutorio, admissum etiam erit studium virtutis reluctanti Voluntati immissum, per quod utpote ab actu libero divinitus præparato, ac prædestinato, & ut sic donato, seu causato indistinctum Voluntas fit ex non volente volens, Deo in hâc creatâ Voluntate agente, quod ut per eam agat, ipse agere voluerit. Tunc autem verificabitur, velle nostrum quoad liberam etiam determinationem non esse Voluntatis nostræ currentis & antecedenter ad Divinam motionem determinativam se determinantis ac volentis, sed Dei miserentis, utpote per gratiam prævenientem non tantùm ex parte actûs primi se tenentem, sed in ipso etiam actu secundo imbibitam operantis in nobis velle, & perficere. Quocirca tunc tota boni operis gloria in Deum reducetur, ita ut discretio ex ratione liberæ determinationis jam non sit ex nobis, sed ex Deo vocante, & ipsum opus Bonum, quoad velle nostrum, ac perficere eligendo faciente, ut nos etiam faciamus, ita ut licèt hoc facere sit nostrum propter arbitrium Voluntatis, non tamen prima ejus secretio, seu electio, atque adeò determinatio sit ex nostrâ Voluntate per facultatem licèt operandi supernaturaliter præventâ, sed oporteat Voluntatem jam sufficienti adjutorio instructam adhuc quoad ipsam operationem per gratiam ex parte actûs secundi prævenientem adjuvari à Deo operante in nobis Velle pro suâ bonâ Voluntate. Hoc igitur in actu secundo Velle nostri adjutorium ex parte Dei præveniens si admiserit Petrus à S. Joseph, tunc secundùm D. Augustini doctrinam verbis formalibus præallegati discursûs expositam cum Concilio Arausicano confitebitur, *Deum, ut à peccato purgemur, non exspectare nostram Voluntatem*, quasi Voluntas in actu primo per gratiam sufficientem præventa jam ex se habeat determinationem, gratiâ ex parte actûs primi duntaxat præveniente, ac Deo concurrente solùm concomitanter; sed insuper *ut purgari velimus*, atque adeò quoad volendum actualiter determinemur, *per Spiritus Sancti infusionem, & operationem in nos fieri.*

Quod si verò Pater ille Fuliensis cum Lessio, & alijs Scientiæ Mediæ propugnatoribus asserat posterius; quòd nempe non detur gratia præveniens, nisi se tenens ex parte actûs primi, cujus ante consensum sit allicere, & trahere Voluntatem, nec non conferre vires ad liberè operandum, in ipso autem consensu adjuvare Voluntatem cum hâc concomitanter concurrendo; Tunc consequens erit, non dari in ipso actu secundo præveniens gratiæ adjutorium, quod utpote continens actûs secundi determinationem habeat secum infallibiliter connexum arbitrij nostri consensum. Hoc autem posito, videat præcitatus Pater, ne in hoc ipso incurrat periculum Pelagianismi. Nam D. Augustinus *lib. 1. contra duas epist. Pelagian.* ita exprobrat Pelagianis: *Cur non dixisti, Hominem Dei gratiâ in opus excitari; sed dixisti in bono opere à Dei gratiâ semper adjuvari, tanquàm suâ Voluntate, nullâ Dei gratiâ bonum opus aggressus in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet Voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita: ac si gratia jam non sit gratia, sed sit illud, quod Pelagius in Iudicio Palæstino ficto corde damnavit, gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* 20. 21.

Ex quo ita licet argumentari: in illo ipso bono opere, quod Pelagiani asserebant, hominem nullâ Dei gratiâ aggredi, falsi sunt, Divinitùs 22.

nitùs adjuvari Voluntatem. Hoc autem est dari gratiam pro merito bonæ Voluntatis. Hinc autem redditur gratia debita, neque donatur indebita, quod est error Pelagij asserentis, gratiam Dei dari secundùm merita, atque adeo gratiam jam non esse gratiam. At vero D. Augustinus hunc errorem refutans *loc. cit.* ostendit, ipsum credere esse datum à Patre, esseque gratiam ipsum Operari, quod Deus operatur in hominum cordibus, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Ergò nisi hoc ipsum ex nolente volentem fieri dicatur esse secundùm gratiam, non evaditur Pelagianismus, etiamsi Voluntatis nostræ determinatione, secundum quam ex nolente quis constituitur actu volens, præsuppositâ, illud ipsum fidei opus asseratur adjuvari gratiâ. At secundùm Lessium *citatum* determinatio Voluntatis nostræ per gratiam in actu primo præventæ non est ut sic imputanda gratiæ, vel Dei concursui, sed ipsi arbitrio nostro, in cujus potestate est auxilium Dei concomitans prævenienti proportionatum habere in actu secundo, si velit. Ex hoc autem infertur, Deum ideò concurrere in actu secundo boni operis, ac Velle liberi nostri, quia voluntas per gratiæ adjutorium *sine quo* sufficiens præventa consentit huic gratiæ. At hoc est dicere, Deum non invito, ac reluctanti, sed per prius consentienti inspirare boni cupiditatem, ita ut non Deus, sed ista se faciat per prius quà consentientem, ac volentem Bonum: Hoc autem est dicere, quòd boni cupiditas in actu secundo scilicet quoad actualem liberam determinationem incipiat ab ipso homine, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratiam consequatur, Argumento S. Augustini *lib. 2 cit. epist. c. 8.* Ex hoc autem fit consequens gratiam reddi debitam, non autem donari indebitam.

23. Probatur istud Assumptum. Per gratiam hic intelligere S. Augustinum adjutorium boni operis non in actu primo, sed in actu secundo involvente formaliter ipsum Velle, & operari à Patre datum, constat tum *ex antecedentibus*, tum *ex contextu.* At posito, ac prævиso consensu gratiæ in actu primo prævenienti, ac excitanti per Voluntatem nostram præstito, jam est debitum adjutorium Dei in actu secundo, imò implicat non esse tunc istud adjutorium, ut per se patet. Ex hoc autem determinatur Deus ad adjutorium in actu secundo, sive ad ipsum divinitùs donatum Velle nostrum, quia prævidet Voluntatis nostræ determinationem secundùm quosdam Scientiæ Mediæ propugnatores absolutam, secundum alios conditionalem possibilitatis tamen statum jam supergressam, & intrinsecè indistinctam ab Entitate actûs absoluti, Ergò Deus ad adjutorium actûs secundi Velle & operari nostri non determinatur, nisi pro signo, in quo illud adjutorium est debitum, imò propter identitatem cum Velle nostro inseparabiliter connexum. At hoc ipsum est, quòd homo jam suâ Voluntate, nullâ gratiâ ex parte actûs secundi se tenente, pro illo signo bonum opus aggressus, in hoc ipso bono opere adjuvetur pro meritis bonæ Voluntatis, uti efficaciter argui potest ex D. Augustino *cit. c. 19. lib. 1. epist. contra Pelagianos.* Viderit ergò Petrus à S. Joseph, ne, si in ipso adjutorio gratiæ se tenente ex parte actûs secundi, non admittat gratiam prævenientem, subeat discrimen Pelagianismi.

Confirmatur: Hoc enim est, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & gratis dari, cui datur, quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: D. Augustinus *lib. de prædestin. Sanctor. c. 14. ante medium* At propterea dictum est, non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, quia Voluntatem hominis bonam præparat adjuvandam, & præparatam adjuvat. ex eod. S. Doctor, *in Enchirid. c. 32.* Hæc verò præparatio est ipsa prædestinatio operis boni, ut in eo ambulemus. *cit. lib. de prædest. c. 10. in init.* Unde adjutorium Voluntatis præparatæ est ipsa voluntas bona, seu Bonum Velle ex Divinæ prædestinationis Causalitate donatum. *ex lib. de Corrept. & grat. cit. c. 12. ante finem. juncto c. 10. cit de prædest.* Atqui hoc adjutorium Voluntatis præparatæ non tantùm eâ ratione, quatenùs connotat Voluntatem Dei suâ prædestinatione causantem & donanté nostrum Velle est Causalitate prius Velle, & Operari nostro; sed hoc ipso, quòd in se ipso habeat rationem Boni, & gratiæ, non potest ut sic esse dependens à nostrâ Voluntate, sed dicit respectum ad Voluntatem Dei antecedenter ad nostrum consensum donantis, imò etiam invitis, & reluctantibus inspirantis, ut sint volentes & consentientes. Oportet igitur, in ipso consensu nostro agnoscere cum D. Augustino adjutorium gratiæ *cum quo* præveniens, & non merè concomitans, minùs tantùm consequens voluntatis nostræ liberam determinationem. Constat proinde, Orthodoxam veritatem in medio, Calvinismi, & Pelagianismi circa id se tenere, ut non tantùm gratiæ adjutorium *sine quo* in actu primo agnoscamus, sed in actu etiam secundo fateamur adjutorium gratiæ *Cum quo*, habens ut sic rationem non tantùm motionis, uti Calvinistæ, *si non verbis, re ipsâ saltem asserunt*, sed etiam excitationis supponentis, & conservantis, imò dantis libertatem: quæ excitatio non tantùm moralis fit per intellectûs illustrationem, vel piam voluntatis affectionem; nec uti Pelagiani asserebant, sit duntaxat in possibilitate operis, seu potentiâ operandi, sed in ratione actûs secundi, seu velle liberi à Deo donati sit actualis Voluntati alioquin nolenti seu reluctanti immissa physica excitatio, per modum gratiæ dans ipsum Velle liberum, & operari meritorium. 24.

CONTROVERSIA II.

In quo consistat Divinæ Voluntatis transiens Arbitrij creati ad operandum prædeterminativa Causalitas.

Hujus Causalitatis à Thomistis mota difficultas, & inter ipsos agitata controversia reduci potest ad duo Capita. 1. *An scilicet sit Entitas recepta in Causâ secundâ, seu arbitrio creato?* 2. *An sit formalitas distincta ab actione voluntatis creatæ.* 1.

Resp-

Referuntur Sententiæ Doctorum.

2. Utrumque affirmant *primò* Alvarez *lib. 3. de auxil. disp. 19. à n. 5.* & Ioannes à S. Thomâ *in Phys. q. 28. art. 2. concl. 1.* asserentes, inprimis motionem, vi cujus Causa secunda ad operandum movetur à Primâ, non pertinere ad actum primum, siquidem ad illam præsupponatur potentia in ratione activæ virtutis completa. Unde Ioannes à S. Thomâ *citatus* ait: in hoc præcipuè distingui auxilium dans sufficientiam à prævio Dei ad operandum concursu dante efficaciam, quòd sufficientia det virtutem in actu primo, quæ respiciat non aliquem actum in individuo tantùm, sed ipsam speciem actionis, & ita deserviat pro alijs actibus in singulari. At verò prævium illum concursum determinatum ad actum individuum in singulari non dare virtutem in actu primo ad varia individua deservientem, sed esse applicationem quandam actûs primi ad secundum, sicut applicatur & conjungitur instrumentum ad operandum effectum principalis agentis. Deinde istud actuale prævij concursûs auxilium non esse qualitatem, sed motum quendam animæ, siquidem motus moventis sit in moto, ex S. Tho. *1. 2. q. 10. a. 2.* Hunc verò motum, quatenus in Causis secundis est id, *quo actualiter agant*, habere *Esse quoddam incompletum*, per modum, quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis. ex eod. S. Doctore *q. 3. de Potent. art. 7. ad 7.* Denique hoc *Esse incompletum* ex Voluntate Divinâ transiens, tanquàm motionem virtuosam, in Causâ secundâ receptam distingui ab hujus operatione, ac produci effectivè à solo Deo, & nullo modo dependere efficienter ex influxu Causæ secundæ. Fundamentum est, Tum quia in operatione, quâ Deus operatur, movendo naturam, non operatur ipsa natura. ex S. Doctore. *cit. art. 7. ad 3.* Tum quia motus recipitur in mobili, non autem formaliter quà motus est actus à mobili elicitus. ex Ioanne à S. Thom. *ubi sup.* Tum denique, quia illa motio Dei est quid prævium operationi sive influxui Causæ secundæ, & antecedit illum ordine Causalitatis. Ergo non dependet efficienter ab eâ. ex Alvarez. *sup. n 6.*

3. Referunt Authores *secundò* non tantùm Scotistas, sed etiam ex Thomistis aliquos dicere, quòd præmotio Divinæ Causalitatis in causâ creatâ antecedens concursum simultaneum, non sit nisi efficacia Divinæ Voluntatis intrinseca.

4. *Tertiò* Motionem actualem, quâ Deus applicat, & movet Causas secundas ad operandum, esse aliquid receptum in ipsis causis secundis prius naturâ, quàm operentur, esseque realiter ipsam operationem Causæ secundæ, quatenus procedit à Deo applicante, & præmovente efficaciter ad operandum, tradunt Theologi tacito nomine allegati ab Alvarez. *cit. disp. 19. n. 3.* Quibus accenseri possunt Thomistæ per Ioannem à S. Thomâ *ubi supra citati.* Nec discordat Cajeta-
5. nus secundùm Nazarium *1. p. q. 22. a. 4. contr. 1. §. Tertiò notandum.* docens, Motionem illam, quâ Deus movet causas secundas ad opus, non esse nisi passivum usum causarum secundarum, quibus utitur Deus ad earum proprias operationes: siquidem Deus tunc ita influat in Causas secundas & eas applicet ad operationem, ut hoc ipso reducantur de potentiâ ad actum secundum. Nihilominus illum usum passivum nihil prævium propriæ actioni causarum secundarum causare.

Verùm *Quartò* Magister de Rispolis *in statu Controv. prædeterm. lib. 2. q. 1. concl. 2.* exponit Cajetanum, quòd in locis, quibus negavit motionem Dei præviam, loquatur de influxu Causæ Primæ in effectum, & operationem, non in Causam secundam, esse verò illum in operationem influxum non antecedentem, sed concomitantem, & simultaneum, etsi influxum in causam secundam oporteat hujus actioni & effectui omnino prævium esse. 6.

Quintò Nazarius *cit. Controv. 1. §. Primum, quod Divinus*, in influxu Divino in Causas secundas earumque actiones duplicem distinguit formalitatem, quarum altera sit actio Deo immanens *formaliter*, & transiens *virtualiter*, ab Intellectione, & Volitione, atque adeò à substantiâ Divinâ indistincta: altera verò se habeat per modum passionis tanquàm aliquid manans à Deo, & receptum in creaturâ. In hâc porro Divinæ præmotionis ceu passionis receptæ in Voluntate creatâ idem Nazarius *to. 3. q. 59. art. 3. in exposit. textûs* ait, esse adhuc distinguendas duas formalitates, nempe applicationem creati arbitrij ad operandum à solo Deo emanantem, & applicationem ejusdem arbitrij ad agendum ex se ipso. Etsi verò hæ duæ applicationes sint idem realiter, physicè loquendo, distingui tamen ex naturâ rei, sive realiter Methaphysicè, sive ut quidam dicunt formaliter realiter: quarum adeò priorem esse à solo Deo, atque adeò distinctam ab operatione Causæ secundæ, posteriorem autem ita totam esse à Deo, & totam à Causâ secundâ, ut Ordine tamen Causalitatis, & dependentiæ sit priùs à Deo, quàm à Causa secunda. 7.

CONCLUSIO.

Motio DEI ad extra Transiens creatæ liberæ volitionis prædeterminativa est ipsa operatio, vel viribus naturæ, si naturalis sit, vel viribus gratiæ, si supernaturalis sit, à creato arbitrio elicita cum ordine ac respectu ad Volitionem Divinam præfinitivam tanquàm Causam in actu secundo, seu Causalitatem ejusdem effectricem, per cujus denominationem constituitur in Esse Doni, & gratiæ efficaciter prædeterminativæ.

8. Probatur. Illa causalitas Dei efficax operis boni prædeterminativa vocatur à S. Augustino *Adjutorium, cum quo aliquid fit*, ita ut per istud tanquàm Divinam gratiam Voluntas humana insuperabiliter, & indeclinabiliter agatur. *ex lib. de corrept. & grat. in princ. & fin. c. 12.* At istud *Adjutorium cum quo* est ipsa Voluntas, seu ipsum Velle, seu bene operari liberum divinâ largitate donatum. *ex loc. cit.* Bona verò opera nostra, quatenus à Deo data, & donata, sunt prædestinata à Divinâ Voluntate præparante illa ipsa opera bona, ut in ijs ambulemus. *ex c. 10. de prædest. Sanctor. de Dono Persev. c. 16. post init.* Ut sic autem habent rationem gratiæ, *ex loco proximè citato.* Cum igitur *Adjutorium cum quo* indeclinabiliter agens Voluntatē nostram, ut agamus, sit ipsum velle nostrum, ac

 operari

operari liberum, quà prædestinatum. Illud verò *Adjutorium cum quo* sit causalitas Dei ad extra transiens ut sic in ratione gratiæ donata & causata in nostro arbitrio; Donatio autem involvat ordinem ad Voluntatem donantis, ex quâ Voluntate gratuitâ denominetur formaliter in ratione Doni, consequens est, Causalitatem Dei ad extra transeuntem, quatenus est gratia efficax, esse ipsum Velle nostrum ex Voluntate Divinâ donatum, & à Dei prædestinatione efficaciter causatum.

9. Dices: Gratiæ efficaciam à D. Augustino *in lib. de grat. & lib. arbit. c. 10. circa finem* hisce verbis describi: *Certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis.* At hy Vires importare formalitatem se tenentem ex parte principij, non verò ex parte ipsius operari, seu actûs secundi. Unde videri concludendum cum Alvarez *lib. 9. de auxil. disp. 83. conclus. 5.* quòd efficacia auxilij prævenientis, seu præoperantis gratiæ consistat formaliter in motione quâdam in intellectu, & Voluntate receptâ, quâ Deus verè efficienter, sive ad modum causæ physicæ præmoveat liberum arbitrium, & faciat ipsum liberè, & infallibiliter cooperari Deo excitanti, & moventi.

10. Contra: Nam quid S. Augustinus ibi intelligat *per vires efficacissimas*, apertis verbis se declarat: *Cùm dicit*, inquiens, *faciam, ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis: & dabo cor carneum, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, unde non faciebatis, & dabo cor obediens, unde faciatis?* At verò Cor quà obediens importat formaliter actum volendi, seu ipsum actualis obedientiæ Operari. Ergo Deum, dando cor obediens, facere, ut faciamus, nihil aliud est, nisi quòd in nobis operetur ipsum Velle: uti patet tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus præfati *c. 16.* ubi subjungit, *quòd ille faciat, ut faciamus, cui dicit homo, Pone custodiam ori meo. Hoc enim est dicere, fac, ut ponam custodiam ori meo: quod beneficium jam fuerat consecutus, qui dixit: Posui ori meo custodiam.* Constat igitur, ipsam oris custodiam actualiter, ac liberè ab homine positam esse illud beneficium Dei, quod est vis illa efficacissima, quâ Deus facit, ut faciamus. Ipsummet ergo Operari Voluntatis nostræ liberum quatenus à Domino præparatum, & ut sic ex vi Divinæ prædestinationis operatum seu causatum est Gratiæ efficacia consistens ut sic in vocatione *secundùm propositum* importante *in recto* nostrum Velle à Deo donatum, *in obliquo* autem connotante propositum Divinæ ex se infallibilis prædestinationis præparantis, ac efficaciter decernentis ipsum Operari nostrum, *uti ex contextu S. Augustini ibidem patere potest.*

11. Replicabis. Actualem Oris custodiam ab homine liberè positam quatenus à Deo ex vi prædestinationis donatam, & causatam non tam formaliter, quàm effectivè esse illam vim, quâ Deus facit, ut faciamus. Etenim *reluctanti priùs aditum Divinæ Vocationis ipsâ Dei gratiâ procurari, ac deinde in illo jam non reluctante spiritum virtutis accendi*, expressè asserit D. Augustinus *in lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 6.* At verò gratiæ efficacia per hoc videtur exprimi, quòd reluctanti aditus Divinæ Vocationis ipsâ Dei gratiâ procuretur. Hunc verò Divinæ Vocationis aditum in illo jam non reluctante primùm consequitur spiritus virtutis accensus, in ipso operari ac Velle libero consistens. Ergo ille aditus Divinæ Vocationis gratiâ Dei procuratus habens ut sic rationem vis efficacissimæ est formaliter gratia efficax, ipsum verò in actuali oris custodiâ Operari liberum est effectus infallibiliter consequens ex illâ Divinâ Vocatione.

Contra. Nam licèt D. Augustinus inter Divinæ Vocationis gratiâ Dei procuratum aditum, nec non spiritum Virtutis in jam non reluctante succensum ponat quendam prioritatis, ac posterioritatis ordinem: hunc tamen non esse physicæ, & realis causalitatis, sed consecutionis virtualis seu rationis, evincitur ex eodem S. Ecclesiæ Doctore. Hic enim procedit adversùs Pelagianos docentes hominem suâ Voluntate opus aggredientem in ipso jam opere divinitùs adjuvari, uti patet *ex lib. 1. cap. 19. cit. epist. contra Pelagium.* At hoc ipsum est in uno opere facere duo instantia non realia durationis, vel causalitatis physicæ, sed virtualia & rationis. Hoc autem utrumque instans, & inceptionis, & adjutorij seu consummationis, & perfectionis in opere vult S. Augustinus referri ad Deum, cum aloquin gratia secundùm merita daretur, si primum inceptionis instans non esset ex gratuitâ donatione, sed ex Voluntate humanâ, licèt in actu primo per gratiam prævento. Nè ergò in ipso opere adjutorij gratia jam non sit gratia, oportet illi, scilicet Deo, qui præparat Voluntatem, ac operando incipit, adscribere tam initium, quàm perfectionem operis. *ex cit. c. 19. & lib. de gratia, & lib. arbitrio. c. 17. post initium.* At hoc initium operis fit à Deo, quatenùs miris modis Voluntatem, ut velit, trahens, & intus in ipso hominis corde operans ex nolente facit Volentem. *ex cit. c. 9. lib. 1. epist. cont. Pelag.* Istud autem fit, quatenùs Deus in homine operatur Velle, hâc enim ratione factum est, ut Deus operando in corde Regis Assueri ipsam Voluntatem occultissimâ, & efficacissimâ potestate converteret, & transferret ab indignatione ad lenitatē, hoc est de Voluntate lædendi ad Voluntatē favendi. *ex cit. c. 19. post med.* Cùm igitur efficacia gratiæ secundùm D. Augustinum sit, quatenus Deus ex nolente facit volentem; Hoc autem fit per Voluntatem Divinæ prædestinationis ipsa opera præparantis, & in hominum cordibus operantis Velle liberum, oportet illam consistere in hoc ipso Velle nostro libero quatenùs vi Divinæ prædestinationis præparato, & non tantùm quoad consummationem, seu perfectionem, sed ipsam operis inceptionem, atque adeò *antecedenter*, non autem *concomitanter* duntaxat, vel *consequenter* ad arbitrij nostri determinationem divinitùs donato.

Instabis. Non videri, qualiter efficacia gratiæ sit arbitrij nostri consensum, ac determinationem antecedens, si formaliter importet ipsum Velle nostrum liberum: Imò ex hoc sequi, quòd concursus Dei cum nostro arbitrio sit tantùm simultaneus, in hoc enim discrepare simultaneum à prævio Dei concursu, quòd iste in ipsam causam imprimatur, hanc movendo, ut operetur, ille verò sit Dei cum causâ secundâ influxus in ipsam operationem, seu effectum. At si non daretur ille prævius in Causam secundam concursus, 13.

sus, tunc fore consequens, quòd in producendo effectu Causæ secundæ deberet Deus exspectare operationem Causæ secundæ, ut efficaciter vellet ejus effectum. Hoc ipsum autem pugnare cum Voluntatis Divinæ efficaciâ, ejusque quoad vim absolutissimam independentiâ. Oportere igitur, antecedenter ad velle nostrum liberum secundùm prioritatem non temporis, ac durationis, sed naturæ & causalitatis esse in Voluntate nostrâ impressam primæ Causæ motionem applicantem, ac determinantem ad operandum. ex Ioan. à S. Thom. *in Phys. cit. q. 25. a. 2.*

14. Contra. Nam ipsemet Causæ secundæ in suam operationem influxus secundùm prioritatem Causalitatis reducitur in Deum ejusque Voluntatis causalitatem immanentem. Hinc autem est, quòd iste ipse Causæ secundæ in suam operationem influxus sit etiam Dei, seu Causæ primæ in ipsam Causam secundam influxus habens ut sic rationem concursûs non tam simultanei, seu præcisè concomitantis, quàm prævij, & antecedentis. Ergò ratio Divini concursûs non tantùm simultanei, sed etiam prævij salvatur, quin asseratur, in Voluntate creatâ antecedenter ad ejus Velle imprimi à Deo formalitatem à parte rei distinctam ab Entitate nostræ liberæ operationis. Major est Ioannis à S. Thomâ, *tom. 2. Theologiæ in sæpe cit q. 19. disp. 5. a. 5. n. 5.* & constat tum ex Sacris Litteris clamantibus; Omnia operari Deum secundùm consilium Voluntatis suæ, & omnia in ipso constare, ac sine ipso factum esse nihil: Tum ex evidente ratione, siquidem realitas creata quæcumque sit dependens à Deo in fieri, & conservari, nec possit esse, nisi voluerit. Minor probatur ex eod. Authore. Nam ille influxus Causæ secundæ in suam operationem tanquàm realitas creata est hoc ipso dependens à Causalitate Divinâ, atque adeò efficienter profluens à Voluntate Dei. At quidquid est dependens à causalitate alicujus respicit illud sub prioritate Causæ, & non sub simultate tantùm coëfficientis. Repugnat autem aliquid actu causari nisi cum efficaciâ determinationis se tenentis tam ex parte Causæ, quàm effectûs, ita tamen, ut determinatio per prius sit secundum causam, quàm in effectu. Oportet igitur, illum Causæ secundæ in operationem suam influxum per prius à Causalitate Divinæ Voluntatis profluentem pro illo priore Causalitatis Divinæ signo, seu instante esse determinatum ab ipsâ Dei Voluntate per prius causante illum Causæ secundæ in operationem influxum. At hic ipse Causæ creatæ in suam operationem influxus est receptus in creatâ Voluntate. Unde sicut per prius intelligitur causatus à Deo, quàm receptus in Voluntate creatâ, sic per prius intelligitur huic tanquàm Mobili à Deo impressus. Est igitur Causæ secundæ, seu Voluntatis creatæ in suam operationem influxus secundùm formalissimam suam, quà creatam Entitatem, etiam Causæ primæ in Causam secundam influxus. Sicuti ergò in actione effectûs à Causâ primâ, & secundâ dependentis est hujus utriusque concursus simultaneus, seu concomitans secundùm simultatem, & concomitantiam non *realis*, sed *virtualis* seu per *rationem ratiocinatam formalis distinctionis*: sic illa ipsa Causæ primæ & secundæ realiter indistincta actio, quatenus ex parte Dei supponit prioritatem causalitatis, habet rationem prævij concursûs Causæ secundæ impressi, eamque ad operandum in ratione motûs formaliter moventis.

Confirmatur hic discursus ex S. Augustino 15.
in lib. de grat. & lib. arb. c. 21. gratiæ efficaciam, seu vim ejus prædeterminativâ describente hisce verbis: *Agit Omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum Voluntatis eorum, ut per eos agat, quod ipse agere voluerit.* Ex hoc enim constat, vim illam efficacissimam, quâ Deus agit in cordibus hominum, esse motum Voluntatis eorum. Hic autem motus est influxus Dei in Voluntates hominum: nullus verò est Dei ad extra influxus, nisi quatenus voluerit. At verò Voluntatis Divinæ (ex quâ est influxus, seu motus voluntatum humanarum) objectum, atque adeò effectus non est, nisi ut per hasce Voluntates agat, quod ipse agere voluerit. Hæc autem actio per Voluntates humanas est Voluntatum humanarum in operationem suam influxus. Ergò hic quatenus non tantùm habet rationem influxûs Causæ secundæ in operationem suam, sed rationem quoque influxûs Dei, seu motûs in Voluntates hominum, est concursus Dei prævius habens rationem auxilij efficacis.

Urgebis tandem ex Ioan. à S. Thom. *cit. a. 3. Physica.* Motionis Dei in Causam secundam esse, ut hanc contingat ad producendum eundem cum Causâ primâ effectum, sive ut applicet actum primum ad actum secundum; juxta illud D. Augustini. *lib. 1. ad Simplician. q. 2.* dicentis: *Non defuisse Deo motum, quo mentem Esaiæ ad credendum applicaret.* Ex hâc autem conjunctione ita perfici Causam secundam, ut cum Deus sit Causa summæ actualitatis, & perfectionis nullam habens potentialitatem, consequenter relinquat Causam creatam maximè actuatam, & reductam in actum, sublatâ omni potentialitate, & indeterminatione ad agendum. At verò istam actuationem non tanquàm Virtutem, sed determinationem virtutis ita oportere præviam esse Causarum secundarum operationi, ut virtuti receptæ quantumcunque in actu primo sufficienti, ex se tamen indeterminatæ, & indifferenti desit ultimum activitatis complementum, sive applicatio, & adaptatio ad actualiter operandum, quam proinde oporteat esse ex Dei motione seu Divinæ Causalitatis impressione; juxta illud Apostoli *Hebr. 13. Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus Voluntatem.* 16.

Contra est 1. Discursus D. Thomæ *cit. Heb. 13.* ad illam formam redactus. Sicuti gravitas est principium motûs deorsum, sic Voluntas humana, cùm sit quædam inclinatio rationis, est principium actuum humanorum. Unde Voluntas humana se habet ad actus rationis, sicut inclinatio naturalis ad actus naturales. At res naturalis dicitur apta ad illud, ad quod habet inclinationem. Ergò etiam homo quando habet Voluntatem benefaciendi, est aptus ad illud, quod DEUS vult nos velle. Hanc autem bonam Voluntatem immittit Deus, eamque adeò immittendo aptat hominem in Bono, ut faciat ejus Voluntatem. Cùm igitur præmotio Dei in nostram Voluntatem sit hujus aptatio ad operandum seu volendum, hæc autem aptatio *secundum Angelicum Doctorem* sit ipsa bona Voluntas nostra quatenus à Deo immissa, consequens est, illam præmotionem non esse à parte rei distinctam 17.

18. stinctam à nostrâ operatione. 2. Si quæ hujus nostræ operationis ab illâ prævià motione est à parte rei distinctio, hæc in eo sita est, quòd hujus sit actum primum ad actum secundum, nec non virtutem Causæ creatæ conjungere cum Causâ primâ, ut in hujus agat virtute, D. Thomâ *3. cont. gent. c. 89.* asserente, *Deum non solùm dare rebus Virtutem, sed etiam nullam rem posse propriâ virtute agere, nisi agat in Virtute ipsius, nec adeò hominem posse virtute Voluntatis sibi datâ uti, nisi in quantum agit Voluntate Dei.* At verò illa applicatio actûs primi ad actum secundum est vi inclinationis Causæ secundæ impressæ à Deo, de quâ dicitur *Prov. 21. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*; ista verò inclinatio Cordis, seu Voluntatis humanæ tanquàm Causalitas Dei se extendit non solùm ad potentiam volendi, sed etiam ad actum ipsius. ex S. Doctore *cit. c. 89.* Hoc autem fit, quatenus Deus *juxta Isaiæ 29.* omnia opera nostra operatur, *juxta Apostol. ad Phil. 2.* operans in nobis velle, & perficere. *ex cit. c. 89. contra gentes. & Lect. 3. ad Hebr. 13.* Unde hoc ipso, quòd Deus sit Causa non solùm virtutis nostræ, sed actûs volendi, fit consequens, etiam Voluntatem nostram agere in Virtute Dei, atque ut sic applicari à Deo, & aptari ad actum productum non à solâ Voluntatis Divinitùs acceptâ virtute, sed à causalitate Divinæ Voluntatis operantis in nobis velle, atque ut sic Voluntatem nostram vertentis quocumque voluerit. *ex locis proximè citatis.* Constat igitur, Causæ secundæ aptationem seu applicationem ad operandum, ejusque cum prima conjunctionē, nec fieri per hoc, quòd Divinæ Voluntatis Causalitas actûs nostri liberi effectrix imprimat Voluntati creatæ ipsummet operari ac velle præmotum à prætactâ Dei Causalitate ac elicitum ex voluntatis creati arbitrij in Dei virtute agentis facultate. Ra-
19. tio fundamentalis est. Nam illa actûs primi cum actu secundo, nec non Causæ secundæ cum causâ primâ ad operandum conjunctio est; ut Deus tanquàm Causa summæ actualitatis, & perfectionis nullam habens potentialitatem relinquat causam creatam maximè actuatam, & reductam in actum, sublatâ omni potentialitate, & indeterminatione ad agendum, veluti argumentatur Ioannes à S. Thomâ *citatus.* At verò illa conjunctio in ordine ad effectum formalem actuationis, ac determinationis illius ex parte Causæ primæ quà actuantis fit per actionem Dei immanentem formaliter consistentem in Volitione Divinâ, ex parte autem Causæ secundæ quà actuabilis fit per ipsam agentis creati operationem quà emanantem ex actione Dei immanente, & ut sic Causæ secundæ impressam. Ergò. Minor probatur. Nam Verbum Divinum actuat humanitatem Christi. Hæc autem actuatio est in ratione Unionis formalis Personalis: In hâc verò Unione non præcisè causali, sed formali forma actuans est ipsa Hypostasis Verbi; Causalitas autem applicans ipsius Verbi Hypostaseos substantialem actuationem est ex parte Verbi divini non alia, nisi actio æterna consistens in Volitione, & Intellectione tribus Divinis Personis communi: ex parte autem Humanitatis tanquàm per increatam Verbi subsistentiam actuabilis non est, nisi actio unitiva in hâc per modum passionis recepta sine præviâ dispositione emanans immediatè ex illâ Dei intrinsecâ Causalitate. At major est Unio Dei Personalis, seu formalis, quàm solùm Causalis: A fortiori igitur Unio Causalis, seu conjunctio Causæ primæ cum secundâ ad operandum subsistere potest ex actione Dei æternâ immanente, & Causalitate inde transeunte ita receptâ in Causâ secundâ, ut respectu hujus sit quidem operatio, sit tamen respectu Dei motio Causæ secundæ à divinâ voluntate impressa ad eam in actu etiam secundo secum conjungendam.

Confirmatur. 1. Nam in Visione beatificâ Essentia Divina secundùm Thomistas non tantùm per modum speciei impressæ se habet ut principium in ratione formæ intelligibilis effectivum, sed etiam per modum speciei Expressæ, ac Verbi se habet ut forma, secundùm formalem in Esse intelligibili, ac repræsentativo actuationem. 20.
Atqui ad Divinæ Essentiæ in ratione formæ intelligibilis quoad actum primum cum Intellectu nostro unionem non exigitur, nisi ex parte Dei Causalitas intrinseca Luminis gloriæ effectiva: ex parte autem Intellectûs creati non exigitur, nisi forma luminis gloriæ in ratione principij efficientis ad videndum Deum ex se proportionati elevans, ac disponens ad Divinitatis, ut est in se, actualem in Intellectu creato expressionem ab Intellectu per Virtutem illius Luminis elevato in se formandam. Pari ergò ratione Deus tanquàm Causa prima quoad actum primum supernaturaliter operandi conjungitur cum Voluntate nostrâ tum ex parte sui per actionem æternam, tum ex parte arbitrij creati per formam supernaturalem ab illâ æternâ actione immediatè emanantem, ac intrinsecè proportionantem Voluntatem nostram ad supernaturaliter operandum. At verò ad ejusdem Divinæ Essentiæ quoad actum secundum in ratione formæ intelligibilis cum Intellectu creato Unionem, vi cujus fit actualis expressio ac Divinæ Essentiæ per se ipsam in illo repræsentatio intuitiva, ex parte Dei non exigitur, nisi Causalitas immanens, ex quâ à nostro intellectu per Lumen gloriæ elevato emanat operatio per modum attactûs vitalis Divinam Essentiam in se attingens, quæ operatio est ut sic ex parte creati Intellectûs Unio cum Divinâ Essentiâ tanquàm formâ intelligibili non tantùm in ratione Causæ efficientis, sed intelligibiliter informantis. Pari ergò, imò majori ratione ad hoc, ut actûs primi per formam supernaturalem in nostrâ Voluntate ad bene operandum intrinsecè proportionati fiat applicatio ad actum secundum, atque vi hujus applicationis fit conjunctio Causæ primæ ad causam secundam in ipso actuali opere actuans, non exigitur ex parte Causæ primæ nisi actio æterna præparans actum secundum consistentem in ipso operari nostro: ex parte autem Causæ secundæ, seu Voluntatis nostræ requiritur actus ex vi actionis Deo immanentis ita elicitus, ut tamen ipsius etiam Voluntatis creatæ per formam supernaturalem in ratione principij operativi proportionatæ sit operatio libera: Doctore Angelico. *2. 2. q. 23. a. 2.* asserente: *Motum Charitatis non ita procedere à Spiritu Sancto movente humanam mentem, quòd humana mens sit mota tantùm, & nullo modo sit principium hujus motûs.* Ex hoc enim patet, ipsum motum Charitatis à Voluntate nostrâ tanquàm principio efficiente elicitum esse motum Spiri-

cûs

ritûs Sancti in nostrâ Voluntatem. At ut sic est motio Causæ primæ in Causam secundam, cùm tamen sit hujus etiam actio elicita. Non ergò distinguitur motio Causæ primæ in secundam ab hujus actu, sive influxu Dei in effectum, & operationem.

21. Confirmatur 2. Nam Causalitatem Dei in Voluntatem nostram, quatenùs in actu secundo supernaturaliter à Deo motam eleganter expressit Paulus Apostolus *ad Ephes. 2. v. 10.* inquiens: *Gratiâ estis salvati per fidem non ex operibus, ut ne quis glorietur, ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Nam *ly Creati* ex parte Voluntatis nostræ licèt supernaturali agendi formâ instructæ importat potentialitatem ex vi actionis Divinæ actuandam, atque ex nihilo Voluntatis nostræ eductivam Bonorum operum, in quibus, non tamen sine arbitrij nostri liberi cooperatione creati sumus. At verò præter hanc in operibus bonis creationem ad extra transeuntem in nostram Voluntatem non agnoscit Apostolus aliam motionem Dei, nisi æternam præparantis Dei actionem imanentem, sive uti August. *lib. de prædest. c. 10.* exponit prædestinationem. Cùm igitur creatio in operibus bonis tanquàm actio Dei in nostrâ Voluntatem transiens sit ipsius Voluntatis nostræ actus liberè elicitus utpote formaliter importatus per creationē in operibus bonis à nostrâ Voluntate liberè elicitus. In hâc verò creatione qua activâ Dei motione non agnoscat Apostolus nisi actionem Divinæ prædestinationis immanentis Deo, ac præparantis bona nostra opera. Illa verò creatio in bonis operibus importet efficaciam Divini auxilij, consequens est, istam efficaciam consistere in ipso velle nostro quà divinitùs prædestinato, & ut sic donato, atque causato ex Voluntate Dei miserente & gratis eligente, & eligendo faciente nostra opera.

Responsio ad opposita Argumenta.

22. AD ea, quæ 1. Alvarez & Ioan. à Thomâ in oppositum movent Respondetur. Verum quidem esse, quòd motio, vi cujus Causa secunda ad operandum movetur à Primâ Causâ, non spectet ad actum primum. Insuper esse verum, quòd actuale prævii Divini concursûs auxilium non sit qualitas permanens, sed motus quidam animæ habens Esse quoddam incompletum, id est, transiens, sicuti virtus artis inprimitur Instrumento non secundùm ipsam formam artificis, sed quoad sui ad actum duntaxat applicationem non habentem in instrumento Esse ratum, & firmum, sed transiens, uti constat ex D. Tho. *cit. q. 3. de Potent. art. 7. ad 7. & 3. contra gentes c. 89.* Nihilominùs istam applicationem ex mente Doctoris Angelici *ubi supra.* esse ipsum actum Voluntatis, seu Causæ creatæ. Quocirca falsum esse, quòd motio Dei in Causam secundam ab hujus influxu non dependeat. Tum quia in operatione, quâ Deus operatur movendo Naturam, oportet distinguere tum motionem *activam* consistentem formaliter in præparatione, seu actione Deo formaliter immanente, secundùm quam adeò activam Motionem verificatur, quòd Deo movente naturam, hæc non operetur: tum *passivam* per modum executionis transeuntis in res exteriores, atque in his passivè receptæ. ex D. Thomâ *1. p. q. 23. a. 2.* At motum v. g. Charitatis in ratione motionis Spiritûs Sancti non tantùm in actum, sed in ipsam Voluntatem, esse ex hâc tanquam principio efficiente; expressè tradit S. Doctor *2. 2. q. 23. a. 2.* Etsi proinde motus quatenùs talis, sit in mobili, quia tamen Voluntas virtute gratiæ instructa non purè passivè, sed activè mobilis est, idcircò influxus Dei transiens in hanc Voluntatem est motus efficienter ab istâ procedens, nec adeò influxus Dei in Causam secundam est distinctus ab hujus influxu in operationem. Tum quia in hoc ipso Causæ secundæ in operationem influxu non tantùm invenitur formalitas secundùm prioritatem Virtualem, seu rationis cum fundamento in re, per prius respiciens Deum, quàm Causam secundam, sed insuper ex relationis, seu respectûs sui quà creati intrinsecâ ratione connotat ex parte Dei causalitatem realiter, ac physicè antecedentem, atque formaliter consistentem in Volitione Divinâ, & actione æternâ. Ex quâ proinde actionis æternæ, seu Volitionis Divinæ de se efficacis connotatione accipit summam, & absolutam efficaciam cum prioritate physicæ Causalitatis, ut adeò ex hujus, imò ex ipsâ etiam respectûs intrinsecì ad Deum ceu Causam primam formalitate velle nostrum quà donatum, sive ex prædestinatione, ac electione Misericordiæ causarum rectè dicatur ex parte Dei prævium, & antecedens Voluntatis nostræ influxum.

Ad *cætera ex* Nazario *præcipuè in oppositum adducta* Respondetur. In ipso velle nostro quà donato importari Divinam prædestinationem illud donantem, & causantem, cujus adeò occultissimâ potestate transeunte in ipsum velle nostrum à se operatum, quocumque Deus voluerit, ita inclinari Voluntatem humanam, ut hæc ipsa inclinatio importans formaliter motum Voluntatis humanæ tanquàm vires efficacissimas ex Divinæ Volitionis causalitate huic impressas, sit adjutorium Dei *Cum quo* efficax, uti ex S. Augustino *supra* demonstratum est. Unde in actione extra Deum transeunte, & per modum passionis receptâ in Causâ secundâ frustra distingui à Nazario duas ex naturâ rei, seu modaliter differentes formalitates, siquidem secundùm S. Thomam *ubi suprà* una sit Entitas, per quam sit creati Arbitrij applicatio tum ad operandum cum Deo, quàm ad agendum ex se ipso. 23.

CONTROVERSIA III.

An ultra Gratiam se tenentem ex parte actûs primi possit ac debeat ex sacrâ Concilij Tridentini, & Divinarum Scripturarum, nec non SS. Patrum Doctrinâ adstrui Motio Dei antecedens liberum nostrum consensum.

COrnelius à Lapide *in Comment. epist. ad Ephesios c. 2. v. 10.* illud Apostoli; *Creati in Christo Iesu in operibus bonis*; ex mente Scientiæ Mediæ propugnatorum exponit verbis sequentibus: *In operibus bonis*, id est, ad operà bona *creati*; Unde sequitur: *Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Fundamentum illius Commentatoris præter S. Chrysostomum citantis Oecumen- 1.

menium, & textum Syrum, imò & Bezam, & Erasmum; est. Si enim Deus opera bona præparat, si in ijs ambulamus; ergò Deus ea non creat in nobis, sed tantùm ad ea nos destinat, & dirigit, ut in ijs liberè nos exerceamus, hoc enim significat vox *ambulemus*.

2. Ista expositio & Cornelij est omnino conformis Doctrinæ Molinæ *in Conc. lib. arb. cum Donis Gratiæ in q. 14. a. 13. disp. 4. circa medium* docentis: Concilium Tridentinum definivisse, auxilia omnia gratiæ, quæ ad actus credendi, sperandi, diligendi, ac pœnitendi, quibus ad justificationem disponimur, adultis viatoribus conferuntur, pendere, ut efficacia sint, cassaque non reddantur, à libero ipsorum consensu, cooperatione, atque adeò non solùm spontaneam, sed & liberam esse ipsorum ad Deum conversionem, ita ut pro suâ libertate possint non converti in eo ipso temporis momento, in quo credendo, sperando, diligendo, ac dolendo de peccatis ad Deum convertuntur. Insuper Gratiam cooperantem vnam & eandem numero esse cum præveniente, ac Excitante, sortirique rationem Cooperantis, quatenus consentiente jam libero nostro arbitrio gratiæ prævenienti; & cooperante per liberum consensum ad actus, quibus convertimur, atque ad Iustificationem disponimur, ipsa quoque gratia cooperatur, ac influit in eosdem actus.

Fundamentum ab illo Doctore petitur ex Concilio Tridentino *sess. 6. de Iustif. c. 5.* definiente in hæc verba: *Declarat Sancta Synodus, Iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab ejus Vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus Excitantem, atque Adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum Iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur, ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, siquidem qui illam & abjicere potest, neque tamen sine gratiâ Dei movere se ad Iustitiam coram illo liberâ suâ Voluntate possit.*

3. Ex quo tale formatur argumentum. Gratia, à quâ sumitur Iustificationis Exordium, quæque præveniens, vocans, & excitans appellatur, secundùm Concilium Tridentinum dicitur etiam Adjuvans adultum ad convertendum se ad suam Iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando. Est autem cooperans cum cooperante secum cooperans. Unde sicut arbitrium cooperatur cum gratiâ, quando se disponit, ac movet ad Iustitiam; ita ex mente sacri Concilij gratia ipsa cum arbitrio ipso cooperatur eosdem actus, quibus ad justitiam disponitur, ac movetur. At isti actus non sunt alij, quàm actus credendi, sperandi, diligendi, ac pœnitendi, ut ad salutem oportet. Cùm igitur Concilium notanter dixerit *eidem*, non alteri numero liberè assentiendo, & cooperando, gratiam, vocantem, prævenientem, & excitantem vocari Adjuvantem, consequens est, gratiam cooperantem vnam, & eandem numero esse cum Præveniente, ac Excitante, sortirique rationem cooperantis, quatenus libero nostro arbitrio jam consentiente, ac cooperante gratiæ Prævenienti, hæc ipsa gratia cooperatur ac influit in actus, quibus homo disponitur ad Iustificationem. At verò ex definitione ejusdem Sacri Concilij *ut. sess. 6. can. 4.* liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum ita cooperatur assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ut possit dissentire, si velit. Hoc verò est dicere, pro suâ libertate posse non converti in eo ipso temporis momento, in quo sperando, credendo, diligendo, ac dolendo de peccatis ad Deum convertitur. Hinc verò sequitur; omnia gratiæ auxilia, quæ ad dispositionem Iustificationis conferuntur adulto, pendere, ut efficacia sint, à libero ipsorum consensu, & cooperatione.

Martinus de Esparza Societatis Iesu in Collegio Romano Theologiæ Professor *tract. de Grat. q. 66.* triplicem distinguit gratiam Prævenientem nostri arbitrij liberi cooperationem: Physicam, Liberam, & Meritoriam. Gratia præveniens cooperationem nostram physicam secundum ipsum est causa in actu primo proximo sufficiens ad inducendas illustrationes & pias affectiones. Præveniens solam cooperationem liberam sunt eædem illustrationes & piæ affectiones, quæ immittuntur à Deo, quin impediri nostrâ libertate possint, nobis tamen cooperantibus physicè. Gratia denique Præveniens nostram cooperationem Meritoriam est ipse actus liber salutaris meritorius subsequentium auxiliorum, & meritorum non præsupponens vllum aliud meritum, propter quod ipse retribuatur. Fundamentum petitur ex S. Augustino, & Concilio Arausicano. Nam ille S. Ecclesiæ Doctor *cap. 17. de grat. & lib. arb.* ita habet: *Quis istam agens, etsi parvam dare cœperat Charitatem, nisi ille, qui præparat Voluntatem, cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: Unde Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in nobis, opus bonum perficiet in diem Christi Iesu; ut ergò velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operatur, ut velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad pietatis opera nihil valemus.* 4.

In quo etiam sensu idem Sanctus Doctor *lib. serm. 22.* & Concilium Arausicanum *can. 9.* sic loquitur. *Quotiescumque bonum operamur, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Ex quibus secundùm Esparzam tale formatur argumentum, *Ly in nobis*, ponitur comparativè ad *nobiscum*, eidemque contraponitur tanquàm oppositum. Atqui *ly nobiscum* idem est, atque nobis cooperantibus. Ergo *ly in nobis* perinde valet, atque nobis nondum cooperantibus; est enim hæc phrasis in sensu ejusmodi Augustino familiaris, ut adeò particula *in nobis* significet idem in posteriori testimonio, quod in præcedenti significat particula *sine nobis*, dum dicitur, *ut ergò velimus, sine nobis operatur.* At licet particula *sine nobis* omnem illam triplicem physicam nimirum liberam, & meritoriam cooperationem nostram excludere posset; attamen per *ly sine nobis* positum in præallegatis S. Augustini & Concilij Arausicani testimonijs solam postremam Meritoriam cooperationem nostram intelligi à Gratiâ præveniente exclusam, ex eo suadetur; tum quòd Augustinus eo in loco, uti & in alijs omnibus operibus posterioribus contra Pelagianos solùm contenderit, gratiam non propter merita nostra dari, & ideò *sine nobis* illam dari, quia nobis non- 5.

bis nondum merentibus datur prorsus indebita; tum quòd illa sententia: *Ipse, ut velimus, sine nobis operatur*, non potest aliter cohærere cum illâ aliâ *ex lib. 1. ad simplic. q. 2. ante med.* depromptâ: *ut velimus, suum esse voluit & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Hinc enim *li ut velimus* non potest significare solùm piam affectionem, & complacentiam indeliberatam, quæ scilicet neque Dei est vocando, neque nostra sequendo: siquidem ad illam neque vocet nos Deus, sed ad consensum efficacem, neque nos per illam sequamur, sed cùm consensum exhibemus. Constat proinde, rationem Gratiæ Prævenientis, id est, ejus, quam Deus *sine nobis* operatur, quæque pura gratia est, convenire non tantùm illi, quæ sine ullâ cooperatione nostrâ physicâ antecedit ad illustrationes, & pias affectiones salutares, aut istis etiam motibus indeliberatis, qui à nobis efficiuntur, sed non liberè, verùm etiam actibus nostris efficacibus liberis ac meritorijs, dummodò facti sunt sine ullo merito nostro præexistente.

CONCLUSIO.

PRæter adjutorium gratiæ se tenens ex parte actûs primi conferens potentiæ humanæ facultatem ac vim bene seu supernaturaliter operandi, ex sacri Tridentini Concilij, & Patrum ac Divinarum Scripturarum doctrinâ oportet asserere adjutorium gratiæ se tenens ex parte actûs secundi, habens ut sic rationem ex Divinâ prædestinatione causaliter descendentis Donationis, formaliter importatæ in ipso Voluntatis nostræ Velle, ac bene operari libero; quam ex hoc ipso, quòd sit Donatio, oporteat Voluntatis Divinæ per Misericordiæ electionem operantis esse causalitatem, seu motionem formaliter ut sic antecedentem Voluntatis nostræ consensum.

6. Explicatur & Probatur. Nam credere, ac velle ita est nostrum, ut Dei sit non tantùm dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, sed ipsum velle, ac credere est Dei miserentis, ac secundùm electionem Misericordiæ vocantis, & prævenientis, ex S. Augustino *lib. de prædest. Sanctor. c. 7.* Atqui facultatem bene operandi dantem Posse esse Gratiam Dei prævenientem Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustif. can. 3.* decidit his verbis: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei Iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* At verò præter hoc Spiritûs Sancti Adjutorium dans posse supernaturaliter operari esse aliud adjutorium gratiæ prævenientis dantis ipsum operari, evincitur ex proximè sequenti *can. 4.* ita definiente: *Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, anathema sit.* Nam liberi arbitrij

7. cum Deo vocante, & excitante cooperatio importat etiam Dei operationem. At liberum arbitrium prout à Deo motum, & excitatum cooperatur assentiendo Deo excitanti, atque vocanti. Ergò Deus consensum, in quo est formaliter cooperatio liberi arbitrij operatur, imprimendo ut sic motionem ac excitationem, per quam arbitrium liberum quà motum, & excitatum cooperetur consensum. Oportet igitur in ipsâ consensûs nostri operatione inveniri respectu Dei rationem motionis, ac excitationis Divinæ, ratione cujus consensus noster, sive ipsum Velle ac operari nostrum sit Dei miserentis, ac per Misericordiam prævenientem donantis, seu præparantis Voluntatem nostram, non tantùm dando vires operandi, sed ipsum velle, ac credere, ex S. Augustino *ubi supra.* Constat proinde, duplicem gratiam prævenientem distinguendam esse; alteram se tenentem in actu primo dantem posse supernaturaliter operari; alteram consistentem in actu secundo, sive in ipso operari per arbitrium creatum, quatenus à Deo in actu secundo motum, ac excitatum liberè elicito, & ut sic secundùm Misericordiam prævenientem Divinitùs immisso, atque donato.

8. Respondebis ex Molinâ *supra cit.* S. Concilium notanter dicere, quòd eidem gratiæ prævenienti liberè assentiendo cooperetur nostrum arbitrium. At istam gratiam prævenientem à S. Synodo *cap. 5. de Iustif.* describi, quatenus Deo tangente Cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, neque tamen sine gratiâ Dei movere se ad Iustificationem possit. Oportere igitur unicæ, & numero ejusdem gratiæ prævenientis motum talem assignare ordinem, ut dum homo nondum ad fidem supernaturalem interiùs vocatus cogitat & expendit res credendas per notitias Concionatoris, aut aliunde comparatas, influat Deus in easdem notitias influxu quodam particulari, ac supernaturali, quo cognitionem illam adjuvet, tum ut res melius, & dilucidiùs expendatur, ac penetretur; tum etiam ut notitia illa jam limites notitiæ supernaturalis & ad finem supernaturalem in suo ordine & gradu accommodatæ attingat. Quem influxum dici motum Gratiæ ad finem supernaturalem prævenientis, & illuminationem, notitiamque illam post talem influxum à Deo jam effectam supernaturalem appellari gratiam prævenientem ex parte intellectûs. Tunc verò ex cognitione, ac penetratione earum rerum, quæ ad fidem spectant, nempe cùm expenditur, quàm dignæ sint, quibus assensus præbeatur, quantumque id expediat, oriri naturaliter in Voluntate motum affectionis ad res ita cognitas, quo alliciatur, & quasi invitetur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur. Cum hoc ergò motu quasi se inserere etiam Deum influentem in illum per auxilium particulare, illumque ex auxilio quasi acuere, quo magis urgeat, & alliciat, efficiatque illum supernaturalem, ut in suo ordine, & gradu sit etiam ad salutem accommodatus. Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit, appellari auxilium gratiæ prævenientis: motum verò illum, atque affectum Voluntatis circa ea, quæ ad fidem spectant, quatenus à Deo supernaturalis efficitur per auxilium illud, dici gratiam prævenientem ad assensum fidei ex parte Voluntatis. Ex Molinâ *suav. Concord. inq. 14. art. 13. disp. 45.* circa quæ expendi possunt, etiam quæ habet idem Author *disp. 8. & 9. & alibi sæpè.*

Contra,

9. Contra. Nam Concilium Trident. in verbis à Molinâ præallegatis duas statuit gratias; alteram illustrationem Spiritûs Sancti ac inspirationem in homine receptam, alteram in eo sitam, quòd sine gratiâ Dei se homo movere ad Iustitiam liberâ suâ Voluntate non possit. At per hoc datur intelligi, quòd cum S. Augustino *in lib. de gratiâ Christi ferè per totum*, fateri debeamus; gratiam non tantùm in possibilitate operis, id est potentiâ, & actu primo supernaturaliter operativo ut sic involvente ex parte Intellectûs illustrationem Spiritûs Sancti & ex parte voluntatis piam à Deo excitatam affectionem; sed quòd insuper in ipso velle, & opere, sive secundùm verba Concilij Trid. in ipsâ liberæ Voluntatis ad Iustitiam motione agnoscenda sit gratia. Hæc autem motio Voluntatis libera est, quâ liberè assentiendo, & cooperando gratiæ vocanti, excitanti, & adjuvanti homo disponitur ad Iustificationem, per ipsos actus fidei, spei, ac Pœnitentiæ formaliter involventes hominis liberum consensum & cooperationem *ex cit. cap. 5. de Iustific.* At verò ista gratia adjuvans, excitans & vocans eadem numero non altera, ut bene advertit Molina *citatus* dicitur Præveniens: estque realiter indistincta ab illâ ipsâ motione, quâ movet se Voluntas libera ad Iustificationem coram Deo. Probatur istud
10. Assumptum. Nam in hâc ipsâ motione esse gratiam, constat ex Concilio Tridentino, juncto S. Augustino *ubi sup.* In istâ vero motione formaliter importatur Voluntatis liberæ creatæ cooperatio disponens ad Iustificationem. Vi autem hujus liberæ ad Iustificationem dispositionis convertimur ad Deum. *ex cit. c. 5.* S. Concilij Trident. in hunc sensum allegantis illud *Zach. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Si ergò Gratia excitans, & adjuvans sit illa dispositio, quæ est cooperatio, & liber Voluntatis creatæ assensus, consequens erit, gratiam excitantem esse illam motionem gratiæ, quâ se movet Voluntas ad Iustificationem coram
11. Deo. Confirmatur. Nam Concilium Tridentinum *ubi supra.* expressè dicit, gratiam illam excitantem ita esse adjuvantem ad convertendum se, ut per eam ad suam ipsius Iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo homo disponatur. Oportet igitur, illam excitantem, & ad se convertendum adjuvantem gratiam esse illam ipsam cooperationem liberam, utpote per quam disponatur homo ad sui Iustificationem. At hæc gratia est illa præveniens, à quâ sumitur Iustificationis exordium non consistens in facultate operandi, ac pœnitendi supernaturaliter, sed in ipso actualis conversionis adjutorio tanquàm dispositione liberâ ad Iustificationem, uti patet ex contextu S. Concilij. Consequens proinde est, duplicem oportere distinguere gratiam tum prævenientem, tum excitantem, imò & adjuvantem, quarum altera se teneat in actu primo, ex parte intellectûs involvente illustrationem Spiritûs Sancti, ex parte autem Voluntatis importante piam affectionem cum adjutorio facultatis supernaturaliter physicè operativæ; altera verò se teneat in actu secundo, sive in ipso Velle, ac operari.
12. Quod duplex gratiæ adjutorium clarè asseruit D. Augustinus in sæpe *cit. cap. 12. de Corrept. & grat.* prius vocans *adjutorium sine quo*, consistens in possibilitate, seu potentiâ perseverandi, sive supernaturaliter volendi, ac meritoriè operandi, posterius appellans *adjutorium cum quo* consistens in Voluntate actualis supernaturalis operationis, sive in ipso Velle Divinâ gratiæ largitate donatâ. In priori adeò dante potentiam seu actum primum bene supernaturaliter operandi gratiæ adjutorio includi rationem gratiæ moraliter excitantis, seu attrahentis, & allicientis, declarat idem S. Ecclesiæ Doctor *cit. lib. de corrept. cap. 2. circa finem* asserens: ad hoc ostendi à Deo, quid agi debeat, ut quando Filij Dei agunt, sicut agendum est, id est cum dilectione, & delectatione Justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. At verò in posteriori adjutorio ipsum Velle, seu bene operari conferente esse etiam rationem gratiæ physicè excitantis, patet ex eod. S. Augustino *lib. contra duas epist. Pelag. cap. 19. & lib. 2. cap 5. & 6. Item lib. 4. c. 6.* illud in actu secundo adjutorium vocante studium virtutis reluctanti immissum, per quod in jam non reluctante spiritus virtutis accendatur. Hoc autem Virtutis in ipso spiritus accensi opere supernaturali consistens immissum virtutis studium rectè etiam vocari vocationem Dei *secundùm propositum*, atque ratione hujus Divini propositi præparantis, seu prædestinantis & ut sic velle nostrum & bene operari donantis dici posse gratiam, seu Misericordiam prævenientem, constat ex eod. S. Doctore *cit. lib. 4. cont. epist. Pelag. cap. 6. & de prædestin. Sanctor. cap. 16.* Manifestum igitur est, ex S. Concilio Tridentino juncto præsertim D. Augustino, dari gratiam prævenientem non tantùm ex parte actûs primi, seu potentiæ supernaturaliter operativæ, sed ex parte actûs etiam secundi sitam in ipso opere per electionem Misericordiæ præparato ac donato.

Confirmatur 2. Nam meritò displicet Molina 1. quòd antecedenter ad gratiam in Intellectu, & voluntate audientis prædicationem fidei ponat motus aliquos naturales, à quibus, ut ipse *in cit. q. 14. disp. 9.* ait, gratiam prævenientem plurimùm dependere, quin tamen ex speciali Dei in Voluntate nostram præmotione dependeant. 2. Quòd gratiam non ponat, nisi in actu primo Excitantem, seu liberum arbitrium potens constituendo moventem, atque sic duntaxat prævenientem. *ex locis. sup. citatis & infra disp. 41.* 3. Quòd præter hanc gratiam in actu duntaxat primo prævenientem non admittat, nisi concursum Dei generalem in actibus etiam supernaturalibus æqualem illi, per quem Deus præstò sit ad naturales liberi arbitrij operationes; imò in his formalitatem liberæ determinationis reducat in Voluntatem creatam; cujus adeò, & Dei secundùm influxum generalem, nec non gratiæ prævenientis secundùm cooperationem concursus sit merè simultaneus, & concomitans, ita ut Deus operando velle nostrum dependeat à libero arbitrio creato, atque vicissim, imò Dei causalitas determinetur ex influxu Causæ secundæ liberæ. *ex disp. 26. & alibi.* 13.

Hæc diximus, meritò displicere. An non enim istud est gratiam in actu secundo, seu in ipso 14.

ipſo operari facere Comitem? An non iſtud eſt
negare gratiam omnia bona merita noſtra
prævenire, & ut hæc poſſint eſſe, donari ſe-
cundùm propoſitum Voluntatis Divinæ præ-
parantis ac prædeſtinantis? An non iſtud eſt in
actu quidem primo ponere gratiam, non tamen
in actu ſecundo præoperantem, ac ſubijcientem
ſibi Voluntatem humanam? An non iſtud eſt
dicere, libertatem creati arbitrij ab hoc Dei au-
xilio juvandam, ſi quod Deus mandat, elegerit?
An non eſt dicere, ideò adjuvari à gratiâ præ-
veniente humanum arbitrium, quia voluit ſe
determinando, non autem quia adjuvatur, ve-
lit? An non denique hoc dicere eſt, aliunde,
per conſenſum ſcilicet liberi arbitrij in ratione
liberæ determinationis non donatum; placere
aliquem Deo?

15. Iſta namque omnia adversùs Semipelagia-
nos à S. Proſpero *in epiſt. ad D. Auguſtin.* huic S.
Doctori diſcutienda propoſita, attentis præſer-
tim fundamentis, ex quibus S. Auguſtinus *in
libris de prædeſtin. Sanctor. ac de Bono perſeverant.* il-
las Pelagianæ pravitatis reliquias refutavit;
Doctrinam Molinianam non parum ſuſpectam
reddere, conſtabit legenti illos libros, eoſque
conferenti cum illa Molinæ Doctrinâ; quod e-
quidem pro intento præſentis materiæ ſatis e-
licere eſt ex ijs, quæ ex prætactis libris perſæpe
deduximus; ex inſtituto autem de gratiâ in a-
ctu ſecundo præveniente præſtabimus *in t. 2.*
vnicam interim fundamentalem ex ſacris lit-
teris; & S. Auguſtino deprompptam rationem
16. hic deducturi. Ratio igitur fundamentalis ne-
ceſſitatem gratiæ in actu ſecundo prævenientis,
& præparantis demonſtrans eſt. Nam merita no-
ſtra tenemur fateri eſſe Dona Dei. ex Concil.
Trident. *ſeſſ. 6. de Iuſtif. cap. 16.* At Dona ſua,
quibuſcunque Deus donat, procul dubio dona-
turum ſe eſſe præſcivit, & in ſuâ præſcientiâ
præparavit. ex S. Auguſt. *lib. de Dono Perſev. c. 17.*
Illa vero præparatio eſt prædeſtinatio, cu-
jus effectus eſt donatio; quæ ut ſic eſt gratia.
ex lib. de prædeſt. cap. 10. Unde ipſa bona vita no-
ſtra conſiſtens formaliter in meritis, ſeu bonis
operibus noſtris eſt gratia. *ex lib. de grat. & lib.
arbitr. cap. 8. circa finem.* Hæc autem gratia eſt
illa, quæ prævenit omnem obedientiam, &
Charitatem, quâ vnâ Deo veraciter, & ſuavi-
ter obeditur. *ex lib. de Dono Perſev. cap. 16. in fine,
juncto cap. ſeq. 17.* At verò hæc obedientia eſt ip-
ſum Velle, & conſenſus noſter liber cooperans
Divinæ gratiæ; quod adeò velle noſtrum erit
gratia Dei eatenus præveniens, quatenus eſt
prædeſtinata, & donata, atque ut ſic ex vi Cau-
ſalitatis Divinæ præoperantis, ſeu præve-
nientis cauſata; ſeu effecta per miſericor-
diæ Divinæ electionem. *ex lib. de prædeſt. San-
ctor. cap. 3. & lib. 4. contra duas Epiſt. Pelagian.
cap. 6.* Ex hoc ipſo igitur, quòd ipſum me-
ritum, atque adeò velle noſtrum liberum ha-
beat rationem Doni, oportet in actu ſecundo
operari noſtri liberi ponere gratiam præveni-
entem, quæ ſe teneat ex parte Cauſalitatis Di-
vinæ tum immanentis in ipsâ Electione Miſeri-
cordiæ, ac prædeſtinationis propoſito conſiſten-
tis, tum tranſeuntis, quæ licèt realiter indiſtincta
ſit à libero velle noſtro, attamen habeat ratio-
nē Doni ſeu gratiæ prævenientis, quatenus per
prius reſpicit Deum donantem, vocantem &
miſerentem, quàm liberum arbitrium noſtrum,
à quo tamen fluit efficienter.

Reſponſio ad fundamenta oppoſita.

AD Cornelij à Lapide *n. 1.* oppoſitum Re- 17.
ſpondetur. Ex eo, quòd Apoſtolus dicat,
nos creatos in operibus bonis, quæ non præparavi-
mus nos, ſed *Deus præparavit, ut in illis ambule-
mus*; D. Auguſtinum *lib. de grat. & lib. arb.* con-
cludere, vitam noſtram conſiſtentem in bonis
operibus nihil aliud eſſe, quàm gratiam. Quo-
circa præparationem Dei, ut in bonis operibus
ambulemus, nihil aliud eſſe, quàm prædeſtinatio-
nem, cujus effectus ſint ipſa bona opera tanquam
gratia, & donatio Dei, ex eod. Sancto Eccle-
ſiæ Doctore *lib. de prædeſtin. Sanctor. cap. 10.* Non
ergò ſubſiſtere prætactam expoſitionem Cor-
nelij contendentis Deum prædeſtinando bona o-
pera, ut ijs libere nos exerceamus, non creare,
ex vi Divinæ præparationis utpote tantùm di-
rigentis ad ea opera, non autem iſta cauſantis. 18.
Nec favet Cornelio S. Chryſoſtomus *in cit. cap.
ad Ephes. Orat. 4. in fine* aſſerens, Deum præpara-
re bona noſtra opera, *non ut incipiamus; ſed ut am-
bulemus.* Nam per hoc inſinuare tantùm volu-
it, non tantùm in principio Converſionis, ſed
perpetuò (atque adeò tam in initio, quàm progreſ-
ſu vitæ ſpiritualis) *nobis virtute opus eſſe, & ex-
tensâ uſque ad noſtrum exceſſum. ex contextu dictæ o-
rat.* Neque favet Cornelio textus Syrus, qui nul- 19.
latenus dicit, præparare Deum opera noſtra bo-
na, ſi in ijs ambulemus, ſed ut in ijs ambule-
mus. Unde etiam *verſ. 8.* habet, quòd gratiâ
Dei redempti ſimus per fidem, hoc non eſſe ex
nobis, ſed Dei Donum eſſe. Cùm igitur ratio
Doni Dei in fide ſit importans ut ſic gratiam ex
parte ipſius operari noſtri ex vi prædeſtinatio-
nis Divinæ præparatam, & ut ſic ex Cauſali-
tate Dei præveniente, ac præoperante cauſatam,
conſequens eſt, Syriacam illius Sacri Textûs
expoſitionem non Scientiæ Mediæ, ſed Gra-
tiæ Dei, non duntaxat in primo, ſed in ipſius
operari liberi noſtri ſecundo actu præoperantis
defenſoribus favere.

Ad Molinæ *n. 2. & 3.* Oppoſitum Reſpon- 20.
detur: Verum eſſe, quòd gratia Dei cooperans
ſit illa ipſa numero, quæ eſt adjuvans, exci-
tans, ac præveniens, ſpectans tamen ad actum
ſecundum ipſius operari Meritorij. Quod Au-
thorem illum concedentem Gratiam non niſi
in actu primo, ſeu potentiâ duntaxat operandi
ſupernaturaliter prævenientem non adverten-
do, graviter fuiſſe hallucinatum. Cujus halluci-
nationis diſpellendæ gratiâ ita argumentamur.
Nam etiam vita æterna dicitur gratia, non qui- 21.
dem formaliter in ſe ipſâ, ſed cauſaliter, jux-
ta illud *Rom. 6. Gratia Dei vita æterna.* Hoc autem
D. Auguſtinus *cit. cap. 9. de grat. & lib. arb.* ex-
pendens ait, non poſſe diſſolvi; quomodo vi-
ta æterna, quæ ex operibus bonis datur, ſit
gratia, niſi intelligamus, & ipſa bona opera
noſtra ad Dei gratiam pertinere. Unde conclu-
dit ille S. Doctor *in fine cap. præcit.* Etſi vita
æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia
ſit, eò quòd bona vita conſiſtens in bonis ope-
ribus, gratis detur; hoc tamen eſſe diſcriminis,
quòd illa bona vita, cui vita æterna datur, tan-
tummodò gratia ſit, hæc autem, quæ illi da-
tur, quo-

tur, quoniam præmium ejus est, gratia sit pro gratia tanquam merces pro Iustitiâ. Constat igitur, ut aliquid simpliciter dicatur gratia, non sufficere gratiam in radice seu causâ, sed ipsi debere formaliter inexistere rationem gratiæ.

22. At secundùm Molinam est duntaxat gratia operis nostri in ejus causâ, seu actu primo, quo completè posito, ipsum velle liberum jam non est Divinæ Causalitatis ex gratiâ, sed ex concursu duntaxat generali, & actibus tam naturæ, quàm gratiæ communi simultaneè cooperantis. Imò quòd adultus per fidem sit misericorditer à Patre datus Christo, asserit Molina *cit. q. 14. disp. 12.* ita duntaxat esse positum in auxilijs gratiæ, ut nisi Deus prævideret, illum pro suâ libertate ita esse cooperaturum in credendo, & ad Christum perveniendo, Voluntas Dei conferendi illi ea auxilia, collatioque actualis eorundem auxiliorum non haberent rationem dandi illum Christo. Viderit ergo Molina, an istud congruat cum D. Augustino, qui in ipso actu fidei, & velle nostro, non tantùm in ejus causâ, sed simpliciter, sive (ut ait) *tantummodo* ponit gratiæ rationem, eò quòd creemur in bonis operibus, quæ non præparavimus, sed quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

23. Ad Martini de Esparza *n. 4. & 5.* propositum Respondetur 1. Patere, quòd iste Author admittat Causalitatem gratiæ, ratione cujus Deus nos præveniat non tantùm in actu primo quoad sufficientiam, & potentiam supernaturaliter operandi, sed in actu etiam secundo. Hanc verò in actu secundo præventionem gratiæ duplicem ab ipso constitui, alteram in primo actu Conversionis antecedente omne meritum nostrum; alteram in eo, quòd tametsi præsupponantur merita antecedentia, Deus præparet Voluntatem nostram, antequam eliciat actum quemlibet salutarem per eam gratiam, ad quam cognoscit re ipsâ subsecuturum esse talem actum, eamque conferat Voluntate præfiniente, ac præeligente efficaciter absolutè, & determinatè existentiam ejusdem actûs.

24. Respondetur 2. Hæc optimè subsistere, modò scientia media non subintelligatur sub illâ cognitione, per quam Esparza dicit, Deum, antequàm eliciat actum quemlibet salutarem, cognoscere actum vi gratiæ re ipsâ subsecuturum. At verò Authorem illum non subintellexisse Scientiam Mediam, evincitur ex eo, tum quòd actûs præcogniti causalitatem, atque adeò futuritionem fundet in ejusdem actûs existentiæ absolutâ præfinitione, seu Voluntate efficaciter, ac determinatè præeligente. Tum quòd neget, actum præeligi ab humano arbitrio: oporteat autem pro Scientiâ Mediâ præsupponi liberam conditionalem determinationem decretum Dei efficax antecedentem, atque adeò creati arbitrij aliqualem præelectionem. Tum quòd consequenter cum S. Augustino adstruat vocationem secundùm propositum, vi cujus Deus operetur, ut operemur, non quia operamur, aut operati sumus, adeòque totum actûs nostri Esse sit Dei præoperantis propter præparationem, & prædestinationem, seu præelectionem Divinam, cujusmodi præparatio, & vocatio secundùm propositum aliquo pacto præeat exercitium liberum nostræ Voluntatis, quæ licèt actûs sui liberi sit causa immediata, & principalis, comparata tamen ad Deum se habeat instar instrumenti. Quæ proinde per Esparzam ex S. Augustino ceu ipsomet veræ de Gratiâ Doctrinæ fonte petita, & probata, à nobis ubi agemus de Gratiâ fusiùs exponenda, per viscera Christi in sanctæ pacis vinculo ita cupimus ab universis Societatis Iesu Theologis præ Molinianâ Doctrinâ recipi, ut tollatur è medio petra scandali circa gratiam Divinam periculosas dissensiones jam olim in Ecclesiâ pariens ac fovens.

CONTROVERSIA IV.

An, & qualiter motio Divinæ Causalitatis in nostram Voluntatem sit independens ab istâ non valente illam repudiare?

Refert Ioannes à S. Thomâ *disp. 3. a. 5. n. 22.* Vastidam in sacrâ de auxilijs divinis Congregatione objecisse Thomistis, quòd cum Calvinianis convenirent in hâc propositione: *Auxilium prævenientis gratiæ est de se solo efficax independenter ab humanâ libertate, ita quod humana Voluntas illud non possit reddere efficax, vel inefficax.* 1.

Ioannes a S. Thomâ citatus *n. 24.* contraponit; Thomistas *Decretum prævenientis gratiæ de se solo, & independenter à libero arbitrio efficax* asserentes, per *ly solum, & independenter* excludere in libertate nostrâ, quòd præbeat rationem, & causam ipsius efficaciæ, non quòd sit effectus ipsius, siquidem nos per nostram libertatem non efficiamus, ut Dona Dei in nobis valeant, seu effectum habeant, uti testatur D. Augustinus *epist. 107. contra Vitalem*, sed potiùs per gratiam Voluntas nostra id consequatur; atque adeò gratia efficax habeat liberum Voluntatis nostræ agendi modum pro effectu. ex eod. Augustino *lib. de Corrept. & grat. cap. 8.* Quæ proinde nihil habere commune cum Fermento Calvinistico: Siquidem Calvinus illam enuntiationem eo sensu acceperit, quòd istud Decretum Dei de se efficax sit independenter à libertate nostrâ, ut à causâ, & ut ab effectu, utpote importans efficaciam per modum naturæ agentem, ac necessitantem, nec adeò habentem pro effectu libertatem actûs, sed tollentem illam. Verùm de his videri possunt, quæ diximus *art. præced, cont. penult. & ult. & præs. art. Cont. 1.* 2. 3.

CONCLUSIO.

Gratia præveniens ex ratione suæ efficaciæ nullam dicit realem à libertate nostrâ dependentiam, sed connexionem intrinsecam infallibilitatis, & consequentiæ.

Explicatur, & Probatur. Gratia in actu secundo præveniens importat rationem Causalitatis Divinæ tùm immanentis; tum ad extra in nostram Voluntatem transeuntis. At causalitas Dei immanens consistens in actûs creati liberi præfinitione, ita est de se efficax, ut eo ipso tam secundùm Entitatis cum Essentiâ Divinâ rea- 4.

næ realiter formaliter identificatæ, quàm secundùm ipsam Causalitatis Divinæ formalitatem sit in ratione essendi, & causandi prior, atque adeò realiter independens à nostrâ actualis operationis, & consensûs libertate. Ex quâ nihilominùs Causalitate volitio nostra, seu consensus liber infallibiliter fluit eo modo, ac tempore, pro quo est volitus. Quem proinde illa Divinæ Voluntati intrinsica causalitas *connotativè*, *& consequenter* importat tanquàm terminum à se volitum, & ut sic cum infallibilitate producendum. At verò Causalitas Dei ad extra transiens est ipsum Velle nostrum ex vi Divinæ præfinitionis præelectum, & ut sic in tempore misericorditer donatum, seu in ratione gratiæ causatum. Hoc autem velle nostrum, etsi habeat à nostro libero arbitrio realem physicæ Causalitatis dependentiam, hæc ipsa tamen actûs liberi à nostro arbitrio dependentia utpotè creata, & ut sic à Deo causata per prius respicit Voluntatem Divinam, quàm creatam: sub quo adeò ad Divinam Voluntatem tanquàm in ratione Causalitatis priorem respectu habet rationem Doni, & Gratiæ. Quæ proinde à nostro arbitrio actûs nostri dependentia libera, etsi per realem formalem identitatem involvatur in causalitate Dei in nostram Voluntatem liberè operantem transeunte, illa ipsa tamen dependentia secundùm respectum ad Voluntatem nostram ut sic habet rationem Doni, siquidem Doni seu gratiæ ratio formaliter consistat in respectu ad Divinæ Voluntatis præeligentis Causalitatem. Constat igitur, Gratiam prævenientem in ratione Causalitatis Divinæ tam immanentis, quàm transeuntis formaliter non dependere à nostrâ libertate, etsi Dei volitio intrinsecam, non quidem realis dependentiæ, sed infallibilitatis cum actualis nostræ operationis libertate tanquàm termino efficaciter volito connexionem habeat; sicuti causalitas quoque extra Deum Transiens cum liberâ nostrâ cooperatione habet connexionem non quidem Dependentiæ causalis, sed realis identitatis, atque adeò infallibilis vnius ex alterâ secundùm rationem illationis seu consequentiæ.

5. Dices. Stante gratiâ in actu etiam secundo præveniente, oportere creatum arbitrium posse adhuc dissentire. *ex Concil. Trident. cit. sess. 6. can. 4.* At sive gratia in actu secundo præveniens importet Divinæ volitionis de se efficacis immanentem, sive importet Dei transeuntem in ipso velle nostro vi prædestinationis donato consistentem Causalitatem, non posse arbitrium ampliùs dissentire, siquidem illi utpote Divinæ Voluntati, nemo sit, qui resistat, hæc verò realiter formaliter identificetur cum consensu, & cooperatione liberi nostri arbitrij, implicet autem Voluntatem consentientem posse dissentire.

6. Contra. Nam posse dissentire importat potentiam ponendi actum dissensûs: hæc autem potentia non est simultatis ad ponendum actum dissensûs *in sensu composito*, seu vnà cum actu consensûs. Oportet igitur, stante consensu ita esse in Voluntate simultatem potentiæ habentis vim sub activâ indifferentiâ Electivam, & Dominativam, ut ista stante jam consensu omninò subsistat illæsa in arbitrio creato, ratione cujus vis Dominativæ ita consentiat liberè, ut possit dissentire. At licèt ex hypothesi Orationis Christi ac Divinæ in eâ oratione fundatæ præfinitionis non posset deficere Fides Petri, cum hâc tamen à fide deficiendi *in sensu composito* impossibilitate in arbitrio creato ita stetit vis libertatis Dominativa, ac Electiva, ut ex hâc ipsâ Deus quidem præveniendo, Petrus autem cooperando operaretur liberrimam, fortissimam, invictissimam, & perseverantissimam Voluntatem. ex D. August. *de Corrept. & grat. c. 8.* In quo adeò sensu idem S. Doctor *seq. cap. 12.* ita distinguit duplex Perseverantiæ *Cum quo & sine quo* adjutorium, ut hoc dicat perseverantiæ potestatem, vi cujus detur posse Bonum non deserere, illud verò nominet perseverantiæ felicitatem non posse Bonum deserere. Ex quibus adeò constat, ex mente S. Augustini haud discordante à veritate per Concilium Tridentinum definitâ verificari, quòd gratia in actu secundo præveniens tam in ratione Causalitatis Voluntati Divinæ immanentis, quàm in nostram Voluntatem liberam Transeuntis adeò efficax sit, ut stare non possit cum dissensu, etsi subsistere valeat cum potentiâ dissentiendi Electivâ, & in ratione vis Dominativæ intrinsecâ, D. Prospero *2. de vocat. Gent. cap. 28.* attestante, quòd *Deus ad obediendum sibi, ipsum Velle sic donet, ut etiam à perseveraturis ipsam mutabilitatem, quâ possit nolle, non auferat.*

Instabis: Ex hoc sequi, gratiæ efficaciam ita esse ex causalitate Divinâ, ut consequenter eam acceptare non sit in nostro arbitrio. Hoc autem esse Calvinismum. 7.

Contra. Nam aliud est gratiæ efficaciam nō dependere à nostro arbitrio, aliud verò est, Voluntatem nostram non posse non acceptare istam gratiam. Etenim velle nobis donatum rationem gratiæ importat secundùm respectum ad Divinam Voluntatem: Hujus autem Omnipotentissima inclinandorum Cordium potestas ita agit intùs in corde operans Voluntates nostras, quibus nos trahit, ut magis habeat in suâ potestate Voluntates hominum, quàm ipsi suas. *ex lib. de Corrept. & gratiâ cap. 14.* Quocirca efficacia gratiæ vel formaliter consistens in hâc Divinæ Voluntatis efficacissimâ potestate, vel ex istâ causaliter fluens non est ut sic in nostræ libertatis arbitrio. Nihilominùs illa ipsa Omnipotentissima Voluntas ita agit in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut tamen per eos agat, quod per eos agere voluerit. *ex cap. 21. de grat. & lib. arbitrio.* Unde licèt Voluntas nostra per gratiam Dei indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur, *ex cit. cap. 14. de Corrept.* ita tamen agitur, ut agat, atque adeò agendo cooperetur, & cooperando consentiat, atque consentiendo acceptet gratiam sibi datam. Falsum igitur est, quòd arbitrium nostrum non liberè acceptet gratiam Dei, etsi non sit in ejus potestate, gratiam efficacem facere inefficacem. 8.

Urgebis. Ex hoc ipso, quòd gratiæ efficacia formaliter quâ talis sit independens à nostrâ libertate, sequi, tum quòd *ex inæqualitate gratiæ præveniat, unum, non verò alium cum Dei auxilio converti*, tum quòd *necessum sit æqualiter conari cum gratiâ, quibus æqualem partitus est Spiritus Sanctus*; tum denique, quòd *gratia Dei sit adæquata causa Conversionis.*

Contraponitur Concilium Trident. *sess. 6. de Iustific. c. 7.* expressè decernens, Iustificationis gratiam 9.

gratiam in nobis recipi secundùm mensuram, quam partitur Spiritus Sanctus prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Ex quo ita licet argumentari. Iustificationis gratia infunditur secundùm mensuram, quam partitur Spiritus Sanctus prout vult. Hæc autem mensura est propria, adeòque libera dispositio, & cooperatio. Ergo hanc liberam dispositionem, & cooperationem non tantùm quoad substantiam, seu Entitatem actûs, sed etiam quoad intensionem, & conatum prout vult, sive Voluntate suâ mensuratam, ac prædestinatam partitur Spiritus Sanctus. Consequens proinde est, ex inæqualitate gratiæ ex parte actûs secundi non autem primi se tenente oriri, quòd unus, non alter convertatur; econtra verò æqualem esse conatum in ijs, in quibus gratia ex parte actûs secundi est æqualis, imò nullum Conversionis, seu dispositionis ad gratiam esse actum, nisi Spiritu Sancto prout vult conferente misericorditer, ita tamen ut hic ipse conatus tam secundum substantiam, quàm secundùm intensionis mensuram sit libera cooperatio, in quo Calvinum, tollendo istam conatûs nostri libertatem, defecisse, *supra* demonstratum est. In quo etiam sensu cum exclusione libertatis secundùm illum Hæresiarcham dicitur gratia Dei adæquata Conversionis nostræ causa. Econtra verò Thomistæ, nominatim Ioannes à S. Thomâ *cit. art. 5. n. 31.* fatendo cum Apostolo, Pœnitentiam, & Conversionem ad Deum non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis cum D. Augustino *in Enchirid. cap. 32.* ita totum donat Deo, qui hominis bonam Voluntatem & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam, ut tamen Misericordiam Dei, & Gratiam non aliter constituant totam, seu adæquatam Conversionis nostræ causam, quàm ut nos cooperando liberè agamus Pœnitentiam, Deo faciente, ut velimus, & liberè agamus, juxta illud Augustini *cap. 36. de lib. arb. & grat. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est, quod preparetur Voluntas à Domino. Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus prebendo efficacissimas vires voluntati.*

CONTROVERSIA V.

An illa motio Dei antecedens demonstrari possit ex subordinatione Causæ secundæ ad Causam Primam?

1. OViedo *in Phys. cont. 10. punct. 3. per tot.* conatur physicam prædeterminationem è medio tollere, utpote quæ nec ratione subordinationis causæ secundæ ad Primam, nec ratione indifferentiæ Voluntatis, nec ratione concursûs Causæ Primæ cum secundâ necessaria sit; totum verò negotium arbitratur *§. 1. n. 4.* confici seq. argumento. Nam physica prædeterminatio ponitur in Causis, ut determinetur ad operandum. At Causa necessaria ex suâ naturâ, & per suammet entitatem est determinata ad operandum, quotiescumque habet paratam Omnipotentiam, ut cum illâ concomitanter concurrat ad effectum. Ergò præter Omnipotentiam paratam ad concurrendum cum illâ concursu comitante superfluè ponitur alia præmotio, seu determinatio. At verò Causa libera etsi ex suâ naturâ non sit determinata ad operandum, hoc ipso tamen, quòd sit libera, talis est naturæ, ut positis omnibus requisitis ad operandum, & non operandum valeat se determinare ad operationem, & carentiam ejusdem; Ergò nec in causâ liberâ ad se determinandum requiritur illa præmotio.

Lessius *in disp. Apologet. de gratiâ, & Decretis c. 2. n. 2.* affirmat, Thomistas docere, illum præmotionis impulsum ratione dependentiæ, seu Causæ secundæ ad Primam subordinationis requisitum ad omnes Voluntatis motus etiam malos secundùm substantiam suam spectatos necessarium esse. Hinc autem ait ille Author *c. 3. n. 5. & n. 34.* videri consequens, *Mala opera ita ut bona Deum operari, non permissivè tantum, sed etiam propriè, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.* At verò illud non tantum à Concilio Trident. *sess. 6. de Iustificat. can. 6.* anathematizari, sed Divinæ Sanctitatis puritati adversari, si vel materiale peccati tribuatur ejus causali acti. Quare dicendum esse, Deum ita duntaxat influere in naturalem Bonitatem actûs moraliter mali, seu materiale peccati, quatenus Voluntati contulit facultatem arbitrij, a quâ emanat, peccatore illam inflectente ad id, ad quod collata non est, & quatenus Deus non denegat peccatori concursum suum generalem ad eam naturalem Bonitatem necessarium, quo etiam peccator abutitur ad id, ad quod ei à naturæ Authore non impenditur, ex Molin. *sua Concord. cit. q. 14. disp. 33. circa finem.* 2.

CONCLUSIO.

EX essentiali dependentiâ, seu subordinatione Causæ secundæ ad Primam rectè infertur præmotionis Divinæ in causarum secundarum operationibus necessitas.

Probatur: Nam Concilium Florentinum *in Decreto de fide Cathol.* argumentatur, quod Verbum eo ipso, quia à Patre habet esse, habeat etiam à Patre esse principium Spiritûs Sancti. Hæc autem argumentatio non habet vim consequentiæ infallibilis, ac Syllogisticæ, nisi subintelligatur ista præmissa; quòd principium dans esse secundùm totam, & omnimodam essendi formalitatem, ac perfectionem à se communicabilem; ita communicet rationem principij, & operationis, ut hæc non nisi ab illo principio sit communicabilis principiato. At Divina Voluntas est intelligenda veluti Causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias; Oportet igitur, omnem operationem, utpote ens, esse dependentem à Causalitate Divinæ Voluntatis, atque adeò Causas secundas non tantùm in Essendo, sed etiam in operando, non duntaxat quoad virtutem operativam sibi à Deo communicatam, verùm quoad actualem operationem subordinari Divinæ Causa- 3.

Causalitati. At verò Causalitas dicit prioritatem. Oportet igitur causarum secundarum operationes ita fluere ex Divinæ Causalitatis motione, ut ista habeat prioritatem, atque adeò rationem præmotionis, ac præoperationis. Constat igitur, ex causarum secundarum in essendo, ac operando, imò earundem operationis quoad esse tam essentiæ, quàm existentiæ ad causam primam subordinatione, ac dependentiâ essentiali rectè inferri Divinæ Causalitatis in causas secundas præoperationem, seu præmotionem.

4. Ratio fundamentalis est. Nam sicuti ex eo, quòd Deus sit suum Esse per se subsistens, sequitur esse actum purũ, sic ex eo, quòd nulla creatura sit suum Esse, sequitur, omni formalitati creabili inesse rationem potentialitatis ad Esse determinabilis ab illo principio, cujus effectus proprius in rebus creatis est Esse. At eo ipso, quia Deus est ipsum Esse per suam Essentiam, sequitur, quòd Esse creatum sit effectus ejus proprius. Ex S. Thomâ, *p. q. 8. a. 1.* Hinc autem fit, quòd nulla formalitas, & realitas in rebus creatis sit producibilis, nisi percipiendo Esse per Causalitatem Dei. At ex hoc ipso arguitur omnis Causæ secundæ non tantùm in Essendo, sed etiam operando Nihileitas, & potentialitas non ex se, sed Divinâ Causalitate determinabilis ad Esse. Hæc autem ad Esse determinabilitas in eo sita est, quòd Causarum secundarum non tantùm Essentia, & Virtus, seu actus primus, sed actus etiam secundus, & operatio actualis secundùm omnimodam ex statu indifferentiæ, & puræ possibilitatis extractam formalitatem determinetur ad Esse ex vi divinæ Causalitatis. At Deus secundùm Sacras Litteras non operatur ad extra, nisi secundùm Consilium Voluntatis suæ, Omnia, quæcumque voluerit, faciendo. Unde determinatio quoad Esse non potest convenire ulli formalitati, ac realitati creatæ, nisi quatenus sub hâc ipsâ quoad Esse determinatione Deus illam velit. Secundùm hanc igitur Divinam Volitionem ipsius Esse in quâvis re creatâ determinativâ est Dei Causalitas in Causarum secundarum sive Substantiâ & Essentiâ, sive virtute & actu primo, sive in operatione & actu secundo ponens ipsummet Esse. At verò Causalitas, uti sæpè dictum, & per se notum est, importat prioritatem. Hanc igitur Causalitatem habentem ut sic rationem prioritatis, ex quâ in omnes Causarum secundarum sive necessariarum, & naturalium, sive liberarum operationes fluit Esse modo superiùs exposito, vocamus motionem Divinam præviam, seu prædeterminativam, sive Præmotionem physicam. Constat igitur, ex essentialis non tantùm substantiæ, seu Essentiæ, ac Virtutis, sed ipsius etiam operari à Dei Causalitate dependentiæ ac subordinationis ratione rectè inferri necessitatem physicæ præmotionis.

Responsio ad opposita Argumenta.

5. AD Oviedo *n. 1.* oppositum Respondetur. Causas naturales eatenùs esse naturâ suâ ad operandum determinatas, quatenus earum virtus nullam importat vim Dominativam, & Electivam, cujusmodi est in Causis liberis. His adeò talem inesse vim se ab intrinseco determinandi ad Esse, & non esse actûs, ut hæc ipsa tamen ad Esse determinatio secundùm prioritatem Causalitatis reduci debeat in Divinam Volitionem, quatenus ista secundùm Apostolum operatur in nobis velle, & perficere. Ex quâ proinde Divinæ Volitionis, sive Causalitatis, ipsius Esse in omni formalitate creatâ determinativæ prioritate Causæ primæ in Causas secundas motionem sortiri rationem, & nomen physicæ præmotionis. Confirmatur ista Responsio. Nam ex hoc ipso, quòd Oviedo arbitrij creati libertatem ponat in vi se ipsam causaliter determinandi, competit Voluntati creatæ Dominium seu potentia Dominativa in Esse, & non Esse actûs sui liberi. 6.
At ratio Virtutis Dominativæ per prius convenit Voluntati Divinæ in ordine ad omnes formalitates creatas, & creabiles. Oportet igitur, ipsum cujuslibet creati actûs, ejusque realitatis ad extra indifferentiæ, ac possibilitatis statum quomodocumque ponibilis Esse ex determinatione Divinæ Voluntatis pendere secundùm Causalitatis prioritatem. Cujusmodi adeò Causalitatis in Voluntate Divinâ prioritatem, atque adeò Voluntatis nostræ ex Deo præmotionem eo ipso fatemur, dum oramus ad Deum: *Fiat Voluntas tua,* per hoc enim quid pro nolentibus credere oramus, nisi ut Deus in illis operetur & velle? ex S. Augustino, *l. b. de prædestin. Sanctor. cap. 8.* Quæ proinde Voluntatis Divinæ in nostram Voluntatem operatio ipsum credendi velle importans à S. Doctore citato eatenùs reducitur in Divinæ Voluntatis, cujus vult, miserentis vim Dominativam, ut hæc pro libertatis suæ potestate in nos tanquàm suum figmentum sibi competente, non nisi Misericordiâ doceat, qui per fidem à se donatam veniunt ad Christum, & non nisi Judicio non doceat, quibus fide non donatâ non datur venire ad Christum. Constat ergo, ipsius inesse in actu nostro libero Esse determinationem magis esse ex vi Dominativâ Voluntatis Divinæ, quàm nostræ creatæ. Cùm igitur ex eo, quòd nostræ Voluntatis libera determinatio importet formaliter in actu hujus Esse, istud verò in Divinæ Voluntatis Causalitatem, secundùm ejus nostro arbitrio superiorem vim Dominativam reduci debeat, consequens est, ex ipso Dei absoluto Dominio, ejusque Voluntatis Omnipotentiâ argui Causalitatem Volitionis nostræ quâ in Esse determinatè ponendæ determinativam, ceu præmotionem physicam ex se infallibiliter illativam actûs à nostrâ Voluntate liberè eliciendi.

Ad Lessij *n. 2.* Oppositum Respondetur ex S. Anselmo *lib. de Concord. prædest. & lib. arbit.* Etsi prædestinatio, & consequens Divinæ Voluntatis prævia Causalitas, seu præmotio physica non tantùm bonorum, sed etiam malorum entitativè sumptorum dici possit, nihilominùs Deum prædestinando facere in bonis & quòd sint, & quòd bona sint, cùm econtra in malis non faciat, nisi quòd essentialiter sint. Cum igitur formale peccati importet malitiam sitam in difformitate cum regulâ rectæ rationis, seu legis æternæ; materiale autem peccati importet malitiæ, seu dissonantiæ illius fundamentum, debere hoc etiam non nisi voluntati creatæ à lege æternâ deficienti imputari, nec adeò Deum ipsum Esse actûs ex vi Causalitatis suæ Divinæ prædestinantem, atque ut sic præmotione physicâ 7.

ficâ

ficâ Esse illud in ratione Causæ Primæ non nisi legi æternæ, & Sanctitatis suæ increatæ rationi conformiter operantem dici posse Causam peccati etiam quoad materiale ceu formalis malitiæ fundamentum spectati, *veluti supra q. 5. art. 5 .conc. ult.* demonstratum est.

COROLLARIUM.

Infertur. Quòd Causalitas Voluntati Divinæ immanens actûs nostri liberi Prædeterminativa Causaliter moveat Voluntatem nostram; ex illâ verò Causalitate immediatè absque mediâ aliquâ qualitate fluat actus per ipsam volitus à Voluntate nostrâ & prædictâ Causalitate Divinâ eliciendus: qui proinde actus respectu Voluntatis nostræ rationem activæ motionis, respectu autem Voluntatis Dei seu Decreti Divini rationem motionis passivæ habens intrinsecè Formaliter sit movens nostram Voluntatem. Ratio est. Nam uti Ioannes à Sancto Thomâ *in Phy. q. 14. a. 4.* probat, duplex est formalitas actionis transeuntis; altera se habens per modum actualitatis ipsamet Causam Effectivam actuantis subjectivè inexistit agenti: altera verò recipitur in effectu & consequenter in passo. Est autem ea inter has duas formalitates connexio, ut posterior virtualiter contineatur in priori tanquã actuali sui Causatione, atq; adeò actuali in genere Causæ Efficientis determinatione. Ejusmodi verò actualis determinationis ratio Essentialiter dicit inevitabilem illius posterioris formalitatis ex se consecutionem. Unde vi talis Causalitatis Effectus priùs naturâ dicitur factus, seu existens in Duratione, id est Causalitate Causæ, quàm intelligatur existens in se ipso seu propriæ Durationis suæ mensurâ. At eo ipso, quòd actualitas inexistens Causæ Essentialē cum actione extra se Transeunte nec non cum effectu per modum physicæ effectricis Causalitatis connexionem habeat, sequitur, ex vi talis actualitatis dici posse, quòd passum sit Causaliter Prædeterminatum ad effectûs ex ipsâ inevitabiliter emanantis in se receptionem. Unde talis Causæ inexistens Causalitas potest passum denominare, motum non quidem Formaliter, sed Causaliter; tametsi actio vi illius Causalitatis effecta ac recepta in passo istud denominet intrinsecè ac formaliter motum. At verò Decreta Divina habere rationem Causalitatis seu motionis omnem à Deo absolutè volitam realitatem efficientis, constat ex dictis *q. 6. a. 6. & praes. a. 7.* Unde Decreti Divini ea est efficacia, ut realitas per ipsum volita ex vi talis Decreti abstrahendo ab omni intermediâ aliâ passi prædeterminativâ qualitate intelligatur habere infallibilem ac inevitabilem eo modo, quo Deus voluit, consecutionem. Hinc autem fit, quòd Decretum Divinum actionem ex nostrâ Voluntatis indifferentiâ Dominativâ liberè eliciendam decernens, vi suæ efficaciæ hoc ipso intelligatur Causaliter esse movens Voluntatem. Exinde verò sequitur, quòd Voluntatis mobilis à Deo sit immediata cum illâ Divinâ Causalitate conjunctio non quidem formaliter intrinsecè, sed Causaliter extrinsecè uniens. At eo ipso, quòd Voluntas quà vitaliter mobilis importet mobilitatem non tantùm passivam respectu agentis extrinseci, sed etiã activam ab intrinseco sui motivam, oportet, illam Voluntatis quà mobilis à Deo cum Divinâ causalitate conjunctionem esse Voluntatis quà principij etiam activi cum Causâ primâ conjunctivam & applicativam. Hæc verò Voluntatis creatæ ad causam primam applicatio unica est Thomistis ratio ponendi mediam prædeterminativam qualitatem. Consequens igitur est, hanc esse superfluam, debereque adeò dici, quòd actûs nostri liberi prædeterminatio Divina non importet aliam formalitatem nisi causalitatem Divinæ Voluntati formaliter immanentem, ac virtualiter transeuntem tanquàm voluntatis nostræ activam motionem, ex cujus vi consequitur in Voluntate actus liberè elicitus, habens respectu Dei rationem motionis passivæ, Voluntatem creatam formaliter ac intrinsecè motam eatenus constituentis, ut respectu ejusdem Voluntatis quà principij activi habeat quoque rationem motionis activæ.

QVAE-

QUAESTIO SEPTIMA DE ACTIBUS ET VIRTUTIBUS DIVINÆ VOLUNTATIS.

1. QUaliter Voluntatis actus, sive *prosecutionis*, nempe Amor, Gaudium, seu Delectatio, ac Desiderium; *sive Fugæ*, scilicet Tristitia & Odium Deo attribui possint, ostendit D. Thomas. *1. p. q. 20. a. 1. ad 1. & 3.* in illis, (prout in nostro sunt appetitu sensitivo, comitanturque, seu insequuntur, vel quandoque antecedunt Voluntatis nostræ operationem) motibus distinguens materiale & formale. Nam sicut vis cognoscitiva non movet, nisi mediante æstimativâ; siquidem ratio universalis secundùm Philosophum. *3. de animâ. tex. 50.* & in nobis moveat mediante ratione particulari. Sic appetitus intellectivus, seu Voluntas movet in nobis mediante appetitu sensitivo, qui est proximum Corporis in nobis Motivum; semper habens annexam, seu concomitantem aliquam Corporis transmutationem maximè circa cor, utpote primum motûs in animali principium. Ex quâ adeò concomitante Cordis motione Sanctus Doctor citatus *ad 1.* ait, Actus Amoris, Gaudij, Tristitiæ, & Odij sortiri nomen Passionis; cujusmodi non habere locum in Deo, in cujus adeò Voluntate esse eatenus gaudium, & amorem, ut teste Philosopho. *7. Ethic. cap. ult. ad finem.* unâ & simplici operatione gaudeat, & amet absque ullâ tamen Passione.

2. Hanc proinde passionem, seu corporalem transmutationem in motibus nostri appetitûs sensitivi cum Voluntate concomitanter operantis, esse quasi materiale, at formale esse ipsam Entitatem actuum Amoris, Gaudij, Desiderij, Tristitiæ, Iræ, & Odij, ait S. Doctor *cit. art. 1. ad 2.* Unde Iram. *1. de Animâ. tex. 15. 63. & 64.* materialiter dicit, esse ascensionem sanguinis circa cor, formaliter autem esse appetitum vindictæ. Si proinde secundùm id, quod est formale in illis actibus, nihil involvatur imperfectionis, velut in amore, & Gaudio, convenire Deo formaliter, ac propriè. Secus esse, si in ipso formali actuum veluti desiderij versantis circa bonum non habitum, & tristitiæ tendentis in malum habitum, nec non Iræ supponentis tristitiam, importetur Imperfectio, ut adeò tales actus non nisi propter similitudinem effectûs *metaphoricè* possint Deo attribui. Unde quando D. Thomas *1. 2. q. 47. a. 1. ad 1.* ait, Iram dici de Deo secundùm Judicium justitiæ, hoc ipso insinuavit, Iram non inesse Deo formaliter, utpote Iram in mitigativo doloris ad illam præsuppositi. Quoties ergò Sacræ Litteræ Deo attribuunt Iram, hæc non aliter de Deo accipienda est, atque si dolor & tristitia Deo tribuantur, sicuti cum *Gen. 6.* dicitur *Pœnituisse eum, quod fecisset hominem in terra, & tactus fuisset dolore Cordis intrinsecùs.*

Pari ratione Odium inesse Deo non propriè, & formaliter, sed Eminenter adversus Vasquezium *præs. disp. 84. cap. 3.* & Suarezium à se citatos concludit Ioannes à S. Thomâ *præs. q. 20. disp. 6. a. 2. n. 4.* Ratio est. Nam possum velle alicui malum non ex odio, sed alio Motivo, ex quâ reo condemnato malum pœnæ infligimus, sicuti etiam in gratuitis uni concedendo bonum, quod utrique non sufficiebat, alteri in effectu nolumus illud, non ex odio, sed ex Voluntate illi, non veròisti gratiam faciendi. Quare ad odium non sufficit nolitio boni, seu illatio mali, ac nocumenti, sed oportet inspicere motivum, ex quo alteri nolumus bonum, seu malum volumus. At motivum Odij ut sic formaliter specificativum assignavit D. Thomas *1. 2. q. 29. a. 1.* inquiens, quod *Odium sit dissonantia quædam appetitûs ad id, quod apprehenditur ut repugnans, & nocivum.* Hinc enim patet, Odij motivum esse dissonantiam rei odio habitæ cum Voluntate, seu appetitu odiente. Si ergò non ex talis cum Voluntate suâ Dissonantiæ, seu repugnantiæ, sed alio motivo quis velit alteri malum, seu nolit ipsi Bonum, talis volitio mali, sive nolitio Boni non habet rationem odij. At verò quidquid est positivum ut sic sub ratione Entis est ex Deo, nec adeò est dissonum Divinæ Voluntati, sed potiùs objectum ejus Complacentiæ, juxta illud *Sap. 11. Nihil odisti eorum, quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Etsi verò malitia actûs peccaminosi importans ut sic privationem sit objectum Divinæ displicentiæ, eo ipso tamen, quòd sit ex permissione Divinæ Voluntatis; sequitur, displicentiæ illius motivum non tam esse secundùm dissonantiam seu directam cum Dei per Essentiam suam specificatâ Voluntate contrarietatem, quàm ex amore, & Complacentiâ Justitiæ, atque gratiæ, cui illa malitia privativè opponitur. Illa igitur displicentia latè duntaxat, sive eminenter secundùm altioris Motivi rationem, non autem strictè ac formaliter habet rationem Odij tum inimici-

micitiæ ergà peccatorem, tum abominationis ergà peccatum, juxta illud *Sap. 14. Odio sunt Deo impius, & impietas ejus.*

4. 4. Quare inter actus Voluntatis unicè inexistunt Deo formaliter Amor, & Gaudium. Ratio est; Nam Amor est appretiatio boni habentis sub ratione convenientiæ cum appetitu proportionem Expetibilitatis. Hæc autem appretiatio est vis quædam unitiva amantis cum re amatâ. ex D. Dionys. *cap. 4. de Divin. Nominib.* Ex istâ autem unione habetur per amorem possessio, & quies in re amatâ. Hanc verò possessionem consequitur gaudium, & delectatio tendens in Bonum quà possessum. Cùm igitur Voluntas Divina infinitam Deitatis Bonitatem appretiando, habeat sibi non tam unitam, quàm realiter identificatam Essentiam suam, à quâ tanquàm Motivo per realem formalem identitatem specificetur, in Deo oportet Amoris, & gaudij rationem formalem summè, ac infinitè perfectam ponere.

5. Qui nihilominùs Amor Dei inter Personas Divinas strictè loquendo non est amicitiæ. Ratio est: Tum quia amor amicitiæ est, quo aliquis vult alteri Bonum propter ejus excellentiæ propriam amabilitatem. Divin Dion. *ubi sup.* Unde cùm amor sit vis quædam unitiva, & concretiva, sequitur amorem amicitiæ, quatenus est ad alterum, fundari non in omnimodâ unitate, seu identitate, sed in unione duorum. ex S. Tho. *2.2. q. 15. a. 4. ad 4.* At objectum amoris in Deo specificativum non est, nisi Bonitas Divinæ Essentiæ: Unde Personæ Divinæ se mutuò amantes habent pro objecto motivo unicam Essentiæ suæ Divinam Bonitatem. Quare in amore, quo se amant Pater, & Filius, non est vis unitiva, nisi secundùm identitatem, & unitatem Essentiæ amoris Divini specificativæ; ex cujus adeò identitatis Essentiæ ratione fit, quòd illud Bonum, quod Pater per amorem Essentialem vult Filio, non sit aliud, quàm bonum suum essentiale fundans unum, & indivisibilem in Patre & Filio amoris actum. Etsi proinde in ratione Hypostasum sit alteritas inter Patrem & Filium, quia tamen in ratione Bonitatis, imò ipsius etiam amoris est inter ipsos Unitas essentialis, ratione cujus unitatis non tam sit inter Patrem, & Filium amor mutuus, quàm indivisibiliter unus; oporteat autem amorem Amicitiæ fundari in alteritate mutui amoris, consequens est, inter Patrem & Filium non esse strictè loquendo amorem Amicitiæ.

5. Tum quia licèt Pater & Filius ex vi Notionalis Amoris spirent Spiritum Sanctum, hic ipse tamen amor Notionalis indivisibiliter unus in Patre, & Filio ita distinguitur secundùm Notionem à Spiritu Sancto, ut in ratione tamen Amoris Essentialiter spectati identicè, & formaliter communicetur Spiritui Sancto. Ergò non est alteritas in ratione mutui Amoris ut sic, sed in ratione Hypostasum, ac Personarum adjectivè se redamantium. Imò Spiritus Sanctus non redamat Amore Notionali, seu Spirativo Patrem, & Filium. Unde licèt harum Personarum amor Notionalis sit distinctus à Spiritu S. ille ipse tamen Notionalis amor non est mutuus in Spiritu S. utpote non redamante Notionaliter, sed tantùm Essentialiter, qui tamen amor Essentialis propter omnimodam cum Patre & Filio identitatem realem non potest esse redamatio. Atqui amor amicitiæ strictè sumptus requirit redamationem mutuam, sive amoris reciproci correspondentiam importantem non Personarum duntaxat, sed ipsorum actuum distinctionem realem. Non est igitur inter Personas Divinas amor Amicitiæ, nisi latè loquendo, prout talis amor importat amantium ex vi amoris conjunctionem non alicujus Unionis, sed realis quoad actum identitatis, cum distinctione reali Personarum ita communicantium in unâ Essentiæ divinæ Bonitate, ut Pater per Intellectionem Filio, & hic per Amorem Spiritui Sancto communicet omnia sua Bona Divina, tametsi neque Spiritus Sanctus aliquid communicet Patri, & Filio, neque ab illo communicetur aliquid Patri.

Cùm amor amicitiæ ita tendat in alterum, ut ejus motivum specificativum sit Bonitas, & Excellentia illi alteri inexistens, divini verò amoris Motivum specificativum non sit, nisi sua Essentialis Bonitas, idcircò Dei in creaturas rationales Amor earundem Sanctitatis & Charitatis, ac Gloriæ Donorum ut sic effectivus Causaliter, ac Virtualiter, seu Eminenter est amicitiæ, formaliter autem est Concupiscentiæ. Ratio est. Nam Concupiscentiæ amor est, quatenus volo mihi, & etiam alteri Bonum, cum reflexione ad me ipsum, ita ut talis amoris in ipsum amantem reflexivi Motivum sit ipse amans. At Deus amando omnia ad extra operatur communicando ipsis Bonitatem ex se participatam, ita tamen, ut talis operationis ad extra communicativæ ratio Finalis, & Motivum amoris ejusmodi Divini specificativum non sit, nisi ipse Deus, qui omnia propter semetipsum operari dicitur in Sacris Litteris. Etsi proinde amor Concupiscentiæ non cum imperfectione aliquâ, sicut in nobis, inexistat Deo quasi ex indigentiâ velit sibi bonum creaturis ex suâ Bonitate participatum, est tamen in ipso formalis ratio amoris Concupiscentiæ. 6.

His adeò in Materiâ de SS. Trinitate, nec non de Charitate Theologicâ exactiùs, elucidandis suppositis, nos ad alia tendentes, duo generatim duobus distincta articulis hîc indagabimus. 1. *Qualiter oporteat in Voluntatis Divinæ Decretis ponere ordinem Intentionis, ac executionis cum distinctione signorum rationis? 2. de Virtutibus Dei.* 7.

ARTICULUS I.

Qualem oporteat in Decretis Divinis ponere ordinem Intentionis, ac Executionis, nec non signorum rationis distinctionem.

HUjus difficultatis elucidatio vel maximè conducit tum ad dignoscendam Divinæ Gratiæ Electionem in decernendo prædestinationis Gloriam, ac media ad eam efficacia; tum ad intelligendam Voluntatem justitiæ in Deo intuitu meritorum decernente gloriam tanquàm mercedem, & Coronam

ronam gloriæ, tum ad considerandum Motivum Decreti Divini, ex quo Verbi Dei Incarnatio sive post, sive etiam ante prævisum Originale peccatum (pro Doctorum in hoc varietate) fuit divinitùs prædestinata. Quam adeò difficultatem hisce dubijs exponemus. 1. *An & qualiter in Dei Voluntate Efficaci oporteat distinguere ordinem Intentionis, ac Executionis?* 2. *An & qualiter sint ponenda in Decretis Divinis signa rationis.*

CONTROVERSIA I.

Utrum ordo Intentionis, ac Executionis intrinsecè sit in Voluntate Divinâ quâ Efficaci?

1. VAsquez 1. p. disp. 89. c. 7. n. 33. & 34. negat, utrumque Intentionis, ac Executionis ordinem esse constituendum in Mente Divinâ, sed alterum scilicet Executionis esse Deo extrinsecum in ipsis rebus ad extra productis, nec nisi recentiores Theologos excogitâsse illos duos ordines in Voluntate Divinâ, antiquos vero nullam eorum habuisse mentionem. Fundamentum ex Authore *citato n. 56.* inducitur. Eo enim ipso, quod Deus conferat gloriam tanquam coronam Justitiæ seu præmium meritorum, sequitur, non velle in executione dare gloriam, nisi propter merita. At si Deus velit homini finem gloriæ absolutè, & efficaciter ante prævisa, & decretata merita, non potest in executione velle gloriam propter merita tanquàm media Finis æternæ gloriæ meritoriè effectiva. Oportet igitur, illud ipsum Motivum resplendere in Ordine Intentionis, ac Executionis. At distinctio Decretorum ponitur in Deo a nobis ex distinctione Motivorum. Cùm igitur Intentionis ac Executionis in Deo non sit distinctum Motivum, nec importatur distinctio decretorum. Ergò distinctio ordinis Intentionis, ac Executionis non potest esse secundùm intrinsecam Divinæ Voluntatis Decretorum formalitatem, sed secundùm id, quòd Intentio sit formaliter in Voluntate divinâ, Executio verò in effectu, seu operatione ad extra transeunte.

2. Ioannes à S. Thomâ *prax. disp. 5. art. 1. n. 16. 17. & 22.* ex communi Theologorum sententiâ ordinem Intentionis, ac executionis ponit Deo intrinsecum, eo tamen discrimine, quòd ordo Intentionis habens efficaciam tantùm radicalem spectet ad ordinem Causæ finalis, sitque adeò Virtualiter, & ratione ratiocinatâ prior ordine Executionis ad Causalitatem Causæ Efficientis spectante, & ut sic habente Decreti Divini efficaciam consummatam. Fundamentum est. Nam executio est à Causâ exequente: hæc autem est Efficiens. Ergò ordo executionis est ordo causalitatis ex parte Efficientis. At ex hoc ipso, quòd Finis sit, cujus gratiâ agens operatur; sequitur, Causam efficientem non operari, nisi ut motam à Finali. Oportet igitur, quòd motio finis præcedat Causalitatem efficientis. At Ordo Intentionis importat Causalitatem Finis quà moventis Efficiens ad agendum, Primum autem efficiens, quod movetur à Fine, est Voluntas. Unde primus effectus Finis, postquàm est amatus, & intentus à Voluntate, est, ut voluntas velit efficere, & voluntariè efficiat. Consequens igitur est, Ordinem Executionis, ac Efficientiæ esse in Deo Virtualiter, sive ratione nostrâ ratiocinatâ posteriorem Decreto Intentionis. Siquidem hoc Intentionis Decretum habeat efficaciam movendi finaliter, antequàm Divinæ Voluntatis in efficiendo efficacia intelligatur, imò ista efficaciâ in efficiendo ab illâ in Finalizando derivari debeat. Oportet igitur, in Decretis divinis ordinem Intentionis, & Executionis taliter distinguere, ut in isto sit efficientiæ consummata Efficacia, in illo verò sit Efficacia in Finalizando per modum radicis, & principij, à quo originatur omnis efficacia.

CONCLUSIO.

Unicum in Voluntate Divina indivisibile Decretum sub ratione Causalitatis Finalis habet formalitatem Intentionis; sub ratione autem Causalitatis Efficientis habet Formalitatem Executionis, ita quidem, ut Ordini Intentionis radicaliter, Ordini verò Executionis formaliter conveniat Efficacia.

3. Explicatur, & Probatur. Deus non operatur ad extra, nisi secundùm Consilium Voluntatis suæ: Voluntas autem Divina non operatur nisi ex Motivo suæ Increatæ Bonitatis: hæc verò Divina Essentia increata Bonitas ad sui amorem ita actuat Divinam Voluntatem, ut per se ipsam possit esse movens, imò actualis motio ad res etiam creatas. At ista Voluntatis Dei in res creatas motio est amor Divinus catenus efficax, quatenus eis decernit, & decernendo communicat Existentiam. In hoc autem amore virtualiter duplex invenitur formalitas; altera sub ratione tendentiæ in ipsam Essentiæ Divinæ increatam Bonitatem, tanquam unicum Voluntatis Divinæ Finem, ac Motivum specificativum; altera sub ratione tendentiæ in rem creatam tanquam objectum Materiale ex vi illius amoris quà efficacis participans Esse non tantùm Essentiæ, sed existentiæ. At tendentia Amoris in finem habens ut sic vim excitandi Media Fini proportionata est Intentio habens rationem Causalitatis Finalis. Ex hâc proinde Finali Causalitate secundum quandam Originis Virtualem, seu eminentialem consecutionem fit excitatio Voluntatis Divinæ in prosecutionem Mediorum. At verò creaturas omnes respectu Voluntatis Divinæ oportet non habere nisi medij rationem eo ipso, quòd Divinæ Voluntatis Finis non sit Essentiæ Divinæ Bonitas increata. Ex hujus ergò Amore in Deo tanquàm finali causalitate excitatur Volitio creaturarum communicans ipsis Esse tam Essentiæ, quàm Existentiæ. Constat igitur, in Deo esse Intentionem sub ratione Causalitatis Finalis, ex quâ Virtualiter consequitur Excitatio Volitionis Divinæ ad participandum creaturis Esse Existentiæ. At sub ratione tendentiæ communicantis creaturis Esse Existentiæ, Volitio Divina habet formalitatem Causalitatis Efficientis, seu executionis, & actionis æternæ Deo formaliter Immanentis, ac Virtualiter transeuntis. Oportet proinde distinguere in amore Divino formalitatem tum Intentionis tendentis

 ut sic

ut sic in finem, tum Executionis ex Finis Amore excitatæ ut sic tendentis in passivam Existentiæ rebus creatis faciendam communicationem. Cùm igitur formalitas executionis quà talis sit actu communicativa Existentiæ, formalitas verò Intentionis quà talis sit Virtualiter Excitativa istius actualis ad Extra communicationis, consequens est, Ordini Intentionis in Deo convenire radicalem, seu *ratione nostrâ ratiocinatâ* remotam, ac mediatam, Ordini verò Executionis Formalem, seu immediatam ad Extra Efficaciam.

4. Dices: Ex hoc discursu sequi, quòd Voluntas Dei efficax dandi prædestinatis gloriam non possit spectare ad Ordinem Intentionis, sed Executionis duntaxat.

Contra. Nam licèt unica Divinæ Essentiæ Bonitas increata sit finis, & Motivum Voluntatis Divinæ specificativum, unius tamen creaturæ Bonitas participata potest Deo aliam creaturam volendi esse ratio finaliter Terminativâ. Hæc autem ratio volendi Finaliter Terminativa in eo sita est, quòd v. g. Bonum Universi sit ratio applicativa Bonorum Particularium ad hoc, ut ista à Deo intuitu increatæ Bonitatis volita sint, uti patet ex dictis *q. 6. art. 2. cont. 1.* Pari ergò ratione Gloria potest propter Essentiæ Divinæ Bonitatem eatenus alicui homini esse volita, ut sit ratio ad Divinam Voluntatem applicativa Mediorū gratiæ, ita ut hæc non sint à Deo prædestinata nisi ex ordine ad æternam gloriam. Tunc igitur Volitio æternæ gloriæ ad Dei Bonitatem Increatam comparata ita habet rationem Electionis, ut secundùm comparationem ad media gratiæ propter illam prædestinata habeat rationem In-
5. tentionis. Probatur istud Assumptum. Nam ratio Intentionis est Causalitas Finalis taliter mota ex fine intento, & amato, ut sit motio quædam excitativa prosecutionis Mediorum. At volitio æternæ gloriæ ex motivo Bonitatis Dei Increatæ in Deo existens est formalitas excitativa Voluntatis Divinæ ad media gratiæ in illam ceu rationem Deo volendi Finaliter terminativam ordinabilia. Ex eo enim, quòd Deus aliquem elegerit ad gloriam, virtuali, seu eminentiali quâdam motione movetur Voluntas Divina ad decernendum tum perseverantiæ, tum meritorum, tum Iustificationis, tum Vocationis efficacis Dona.

Constat igitur, efficacem Dei Voluntatem de gloriâ Electis conferendâ habere formalitatem Intentionis, modo statim explicando distinctæ ab ordine Executionis.

6. Replicabis. Intentio finis gloriæ nequit considerari sine terminatione ad Existentiam Gloriæ. At sub istius ad existentiam terminationis formalitate habet rationem executionis: Ergò non videtur in Deo posse distingui Intentio ab Executione.

7. Contra. Etenim Dei erga creaturas amor seu volitio ad Extra nihil aliud est, quàm Voluntatis Divinæ per Increatam Essentiæ ipsius Bonitatem ceu rationem finaliter Motivam determinatio ad volendam creaturæ alicujus Existentiam. In hâc verò Volitionis determinatione invenitur tendentia virtualis ac Eminentialis in ipsam Dei Increatem Bonitatem ceu formale Volitionis Divinæ Motivum specificativum. Sub hâc igitur tendentiæ ratione volitio illa Divina habet rationem Causalitatis finalis. Ista verò sub præcisâ in rationem finaliter Motivam tendentiæ formalitate est Intentio, prout autem intelligitur terminata ad creaturam quà Voluntati Divinæ expetibilem non propter se, sed propter increatam Dei Bonitatem habet formalitatem Electionis. At illa ipsa Volitio secundum unius Eminentialis formaliter ejusdem, sed virtualiter distinctæ formalitatis rationem adhuc considerari potest tanquam determinatio efficacissimæ, & omnipotentissimæ in Voluntate Divinâ ad extra potestatis, & activitatis. Sub istâ verò consideratione habet illa volitio rationem usûs secundùm physicam Efficientiæ & actionis Deo immanentis Causalitatem in creaturâ propter Increatam suam Bonitatem absolutè volitâ efficientis Eius actualis Existentiæ. Hic verò usus ita se tenet in Voluntate Divinâ, ut eidem in Intellectu Divino respondeat Dictio, quâ Deus Dicendo facit creaturas, juxta illud *Psal. 148. Dixit & facta sunt.* Ista verò Dictio est Imperium, quo Deus mandavit, & creata sunt. Constat igitur, in Deo reperiri tum formalitatem actûs Intentionis, ac Electionis spectantis ad Ordinem Intentionis, tum usûs, & Imperij pertinentis ad ordinem Executionis.

Instabis. Eo ipso, quòd Voluntatis Divinæ formale finaliter Motivum, ac specificativum ob- 8.
jectum non sit nisi increata Dei Essentiæ Bonitas, sequi, non esse in Deo intelligibilem Causalitatem, nisi sub ratione Eminentalis in Dei increatam Bonitatem finalis tendentiæ. Si proinde Ordo Intentionis importet Causalitatem Finalem, sequi quòd, Divinū Decretum nō tantùm quà Gloriæ æternæ Præparativum, sed etiam quà præparativum Gratiæ spectet ad Ordinem intentionis, siquidem omnia Dei Decreta specificentur ab Increatâ ejus Bonitate tanquàm ratione Finaliter Motivâ.

Contra. Nam licèt sola Dei Increata Boni- 9.
tas possit esse ratio voluntatis Divinæ Finaliter motiva, Bonitas tamen creata Gloriæ potest esse Voluntatis divinæ ratio finaliter terminativa, exercens ut sic rationem Causalitatis Finalis non respectu Volitionis Divinæ, sed respectu Donorum gratiæ in ordine ad æternam gloriam homini prædestinatorum. At ista Causalitas Finalis à fine Gloriæ quatenus amato, & intento non in ipsam Dei Volitionem, sed in Passivam Gratiæ Donationem exercita sufficit ad formalitatem Intentionis, ac Executionis ponendam in Deo cum earundem distinctione Virtuali.

Probatur istud Assumptum. Nam ista Cau- 10.
salitas Finalis à fine gloriæ in media gratiæ exercita ex parte ipsius Gloriæ importat formalitatem ex Increatâ Dei Bonitate participatam, propter quàm sint expetibilia Dona gratiæ. Hæc autem formalitas quatenus amata, & ut sic participata à Deo est particulariter applicativa Mediorum gratiæ ad Voluntatem Divinam, ita ut hæc in Gratiæ Donis statuat formalitatem ordinabilitatis ad finem Gloriæ. Unde illa Causalitas Finalis supponit in Deo Decretum utriusquè illius tum Fini gloriæ, tum gratiæ Donis convenientis creatæ formalitatis actualiter in homine prædestinato exercitæ causativū. In hoc adeò Decreto divino inprimis consideranda est ratio tendentiæ in Bonitatem Dei Increatam ceu unicum Voluntatis divinæ Finale motivum ac specificativum. Hæc autem respectu finis gloriæ homini

hominì efficaciter intenti ita habet rationem Causalitatis Finalis, ut in ordine ad eam volitio dandi gloriam habeat rationem Electionis, & prout in vi actionis æternæ terminatur ad Existentiam gloriæ habeat rationem Executionis. Deinde in illo Decreto consideranda est ratio in Gloriæ Finem tendentiæ quà in prædestinato causantis illam formalitatem, propter quam Dona gratiæ sunt specialiter expetibilia. Ista verò Decreti divini tendentia intrinseca habet ut sic eminentialem vim Excitandi Volitioné Donorum gratiæ tanquàm Mediorum propter finem gloriæ expetibilium. At Decretum divinum habet formalitatem Intentionis, prout est vis quædam eminentialiter excitativa Volitionis eligentis Media ad aliquem finem. Constat igitur, in Decreto potiùs æternæ gloriæ præfinitivo, quàm Gratiæ Præparativo reperiri formalitatem intentionis, ita tamen ut ipsummet Gloriæ præfinitivum Decretum sub formalitate Efficientiæ, & actionis æternæ habeat etiam rationem Executionis activæ.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

II. AD fundamentum Vasquetij *n.* 1. oppositum Respondetur. Ordinem Intentionis ac Executionis in Divinâ Voluntate non ex diversitate Motivi, sed ex Causalitatis Finalis & Efficientiæ Deo immanentis Virtualiter distinctâ formalitate desumendum esse. Nam Volitionis Divinæ prædestinatis æternam gloriam decernentis non est nisi unica Dei Increata Bonitas per visionem Beatificam *consummatè*, per Dona verò gratiæ, seu merita nostra *dispositivè seu ex parte subjecti dignificativè, ac præparativè* Electis suis communicanda. Unde intentio Divina æternæ gloriæ prædestinatis præfinitiva non minùs, quàm executio terminatur ad merita quà *dignificativè* disponentia, ac præparantia subjectum in ordine ad gloriam non nisi ex Bonitatis Dei increatæ motivo prædestinatam. Rectè igitur concludit Vasquez citatus, ex diversitate motivi non posse in Deo distingui ordinem Intentionis, ac Executionis. Verùm hallucinatur in eo, quòd non attenderit, illam Decreti Divini Identitatem ita relucere in ordine gloriæ, & gratiæ, ut ratione tamen Eminentialis suæ actualitatis habeat vim non tantùm motionis finalis ut sic incitantis in Bonum, sed etiam Efficientiæ causantis Bonum, uti patet ex S. Thomâ *1. p. q. 23. art. 4.* Sub quâ adeò causalitatis Finalis, & Efficientiæ physicæ virtualiter distinctâ formalitate Eminentiali Ordinis Intentionis, ac Executionis in Voluntate Divinâ diversitatem ratione nostrâ ratiocinatâ petendam esse, constat ex dictis.

12. Ad Ioannis à S. Thomâ *n.* 2. propositum discursum Respondetur. Per omnia probari à nobis ceu conformem Doctrinæ Angelici Doctoris *tum alibi, tum cit. q. 33. a. 2.* asserentis, Executionem Ordinis prædestinatorum *activè* esse in Deo, *passivè* autem in rebus creatis. Unde meritò redarguendus est Vasquez *sup. n.* 1. citatus affirmans à recentioribus primùm excogitatum esse, quòd in Deo detur intrinsecus Ordo executionis.

CONTROVERSIA II.

An & quomodo in Volitione Divinâ sint designanda signa, seu Instantia rationis?

CONCLUSIO.

AD Mysteria Divinæ Voluntatis explicanda plurimùm juvat in Decretis Divinis ponere distinctionem secundùm instantia rationis.

Explicatur & Probatur. Sicut enim essentia Divina in ratione purissimæ Intelligibilitatis per se ipsam actuata est formaliter identicè sui ipsius Intellectio; sic eadem essentia in ratione Bonitatis infinitæ, & appetibilitatis actualissimæ per Intellectionem Divinam expressa est actuans Voluntatem Divinam in ratione simplicissimi, & purissimi Amoris formaliter identicè specificati per eandem increatam Dei Bonitatem. At essentia Divina sui ipsius intelligibiliter actualissimè expressiva est consequenter Idealis ratio omnis ex suâ infinitâ imitabilitate derivabilis creatæ Essentiæ, nec non ratio exemplaris cujusvis per Voluntatis suæ Divinæ determinationem actu faciendæ realitatis creatæ intelligibiliter repræsentativa. In hâc autem simplicissimâ Divinæ Intellectionis formalitate Eminentiali constat esse Virtualem quandam distinctionem, secundùm quam Divina Essentia in primo, creatæ essentiæ possibiles in secundo, realitates verò actu existentes in tertio rationis instanti, seu signo intelliguntur inexistere intelligibiliter, ac repræsentativè Divino intellectui. Pari ergo ratione discurrendum est de simplicissimâ Amoris Divini formalitate. I.

Probatur illud assumptum. Etenim Deus volendo suam Bonitatem ut finem, alia vult propter se tanquàm finem, in quantum condecet Divinam Bonitatem ab ipsis participari. ex S. Thom. *1. p. q. 19. a. 2.* Hæc autem Causalitas finalis ita arguit creaturarum à Divinâ Bonitate realem dependentiam, ut in Deo inferat Eminentialem prioritatem Volitionis quà terminatæ ad increatam suam Bonitatem. Deinde Bonum universi est Deo ratio volendi Bona particularia. ex S. Thoma. *contra gent. 1. cap. 86.* Illud verò Bonum universi est Divinæ perfectionis secundùm quandam uniformiter difformem participationem in rebus creatis resplendescentia. Hæc verò per modũ alicujus in Deum reflexæ gloriæ resplendescentia connotat purissimâ actualitatem, ac simplicissimam formalitatẽ Iustitiæ, Misericordiæ, bonitatis, sapientiæ, Potentiæ, omnisque à potentialitate depuratæ perfectionis creatis Essentijs non nisi cum aliquâ potentialitatis concretione communicabilis. Ex ista verò potentialitatis commixtione in rebus creatis oritur distinctio formalitatum in Deo sub Eminentiali simplicis actualitatis identitate realiter formaliter indistinctarum. Hæc autem ex unius Dei Essentiæ actualitate participata in rebus creatis formalitatum distinctio importat quandam Divinæ participationis unita- 2.

unitatem sitam in quâdam ad Deum quà essendi principium habitudinis uniformitate. Unde Decretum, quo Deus decernit ac decernendo causat Bonum universi, habet pro objecto omnes res creatas, quatenus sub formalitate participationis ex Dei Essentiâ sibi impressæ uniformiter difformiter repræsentant Divinam perfectionem sub actualitatis purissimæ formalitate circumdatam omnigenæ perfectionis Eminentiali varietate. Hæc igitur omnigenæ perfectionis varietas Eminentialis ex se profundens omnes Entis differentias ita est Decreti Divini creaturarum ad extra causativi Motivum Finale, ut illa tamen creaturis cum reali perfectionum distinctione impressa varietas spectata secundùm Divinæ in se repræsentatæ actualitatis resplendescentiam uniformiter difformiter in rebus creatis relucentem sit bonum universi, quod Deo est ratio non quidem motiva, sed ex parte volitorum formaliter terminativa & Voluntatis Divinæ applicativa ad volendum Bona particularia creaturarum. Etsi proinde non nisi unicum sit in Deo actualissimum Decretum omnis boni creati tam universi, quàm particularis prædeterminativum, & Causativum; in hoc ipso tamen Decreto assignari possunt instantia rationis, ita ut per prius dicatur Velle Bonum Universi, quàm Bona particularia. Porrò inter bona particularia se habet quodammodo Christus ut finis omnium creaturarũ, ut adeò secundum Instans aliquod rationis oporteat, sub quodam saltem respectu *in Materiâ de Incarnatione* explicando Christum prius à Deo volitum esse, quàm reliquas creaturas, juxta illud de Verbo Dei etiam Incarnato pronuntiatum *Prov. 8. v. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum.*

3. Deinde sicuti merita Christi evehunt peccatores ad dignitatem statûs Filiorũ Dei ac per prædestinationem in sortem lucis Sanctorũ, sic exaltatio, & Gloria Christi ex eo relucens, quòd prædestinati Filij Dei sint Christo dati, eique tanquàm Imagini primogenitæ conformati, est finis, seu ratio finaliter terminativa, quam Deus intendit in prædestinatione Electorum. Denique Gloria visionis Beatificæ efficaciter Decreta est Voluntati Divinæ ratio finaliter terminativa volendi Iustificationem cum Dono perseverantiæ. Iustificatio verò est ratio decernendi, ac donandi Electis vocationem secundùm propositum. Juxta hanc igitur rationum volendi finaliter terminativarum ex parte objectorum subordinationem ac distinctionem, in Decreto Divino ex se indivisibili distinguimus instantia rationis secundùm formalitates intentionis, Electionis, imperij & usûs sub actualitatis purissimæ identitate formali in Deo virtualiter distinctas ac præseferentes Ordinem non formalem, sed eminentialem Intentionis, ac Executionis.

4. Ratio fundamentalis est; quia in rebus creatis verè invenimus, quòd uni insit formalitas, vi cujus alia sint propter ipsam expetibilia, alteri verò inexistat formalitas secundùm quam habeat non tantùm ordinabilitatem, sed etiam actualem in ratione Medij ordinationem in aliud tanquàm finem. Quidquid autem est realitatis in rebus creatis, id Deus volendo eisdem impressit. At eo ipso, quòd Deus uni creaturæ communicet rationem finis, ei Volitionis suæ Causalitate imprimendo realitatem seu formalitatem, propter quam alia sint expetibilia seu quà media ad illam ordinabilia, sequitur, Decreto Divino talis finis prædeterminativo convenire vim quandam eminentialem excitandi Decretum præfinitivum Mediorum, ex quorum influxu, seu Causalitate dependeat finis executio. Hæc autem vis eminentialiter excitativa in Decreto finis prædeterminativo est fundamentum ratione nostrâ ratiocinatâ constituendi prioritatem aliquam respectu Decreti Mediorum præfinitivi. Constat igitur, Ordinabilitatem unius tanquàm medij ad aliud tanquàm finem, nec non hujus ex se in Media derivabilem expetibilitatem esse fundamentum ratione nostrâ ratiocinatâ ponendi in Deo instantia rationis, quod D. Thomas *q. 23. de veri. a. 2. ad* 8. insinuavit, *In Voluntate Dei*, inquiens, *non ponuntur Antecedens, & Consequens ad importandum ordinem successionis, qui repugnat aeternitati, sed ad denotandam diversam comparationem ejus ad volita.*

Oppones. Ista rationis Instantia circa Deum designari ex eo, quòd Deum intelligamus ad modum rerum creatarum; Doctore Angelico *in 3. dist. 12. q. 1. a. 1.* attestante; *quòd generatio non sit prior aliquo modo, qui possit ad Divina referri, sed tantum secundum modum intelligendi, qui est in Intellectu nostro tantùm accipiente generationem, & Processionem in Divinis secundùm similitudines repertas in creaturis, quæ deficientes sunt ad repræsentandum generationem, & Processionem, prout sunt in Divinis.* At verò indignum esse, quòd illa Instantia, quæ ratione Imperfectionis sunt realiter in creaturis, ratione nostrâ ponamus in Deo. 5.

Contra. Nam quæ instantia rationis circa Deum format Intellectus noster, nõ affingit Deo, sed tenent se ex parte intellectûs nostri tanquàm signa alicujus formalitatis sine omni potentialitatis, ac imperfectionis admixtione Deo realiter, ac formaliter inexistentis repræsentativa. Sicut enim instantia rationis se tenentia circa Divinam Verbi generationem, ac Spiritûs Sancti Processionem nihil aliud sunt, quàm signa intelligibilia, sub quibus in uno æternitatis *Nunc* indivisibili repræsentatur Emanatio Filij cum ratione à Patre sibi communicatæ Originis spirantis Spiritũ Sanctum. Circa quam proinde tum Filij originis activæ, tum Spiritûs Sancti Originis Passivæ realem distinctionem Intellectus prioritatem, ac posterioritatem non durationis, sed Emanationis inveniens, eas secũdùm similitudines in rebus creatis repertas cognoscens, format instantia rationis tanquàm signa Generationis & Processionis, prout inexistunt Deo non *intuitivè, sed abstractivè* repræsentativa. 7. Pari ratione Intellectus ex parte objectorum à Deo Volitorum realitates in uno ordinabilitatis Medij ad finem; in altero appetibilitatis fini propriæ inveniens eas in Dei Voluntatem tanquàm causam reducendo cognoscit in Decreto Divino formalitatem, quæ sit Causalitas appetibilitatis finis propriæ in bono creato efficiens, pro quâ equidem formalitate exprimendâ ponit instans rationis tanquàm signum hujus Divinæ Causalitatis repræsentativum. Ex isto deinde signo deducit alterum rationis instans significativum Causalitatis Divinæ

6. (right margin, beside "Contra.")

vinæ Mediorum ad finem efficaciter volitum ordinabilium effectricis. In hâc ipsâ verò Causalitate simplici tam finis, quàm Mediorum effectrice ita reperit Intellectus formalitatem intentionis, ac Electionis, nec non Imperij ac usûs realiter identificatam, ut eas cum abstractione attingendo, unam non in actu signato, sed in actu exercito intentionaliter separet ab alterâ, atque ut sic non ex parte rei, sed ex parte signi, seu similitudinis in Intellectu expressæ Divinum Decretum non *intuitivè*, *sed abstractivè* attingentis constituat Instantia rationis. Constat igitur, per instantia rationis nihil Deo affingi contra Veritatem, sed ea tanquàm signa ex parte Intellectûs nostri se tenentia ipsam Divinæ formalitatis realitatem, non quidem prout est in se *intuitivè*, sed *abstractivè* attingere.



ARTICULUS II.

De *Virtutibus Dei.*

1. CUM Virtutes specificentur ex motivo formali, neque verò Divinæ Volitionis Motivum specificativum sit nisi Essentiæ Dei Bonitas Increata, idcirco omnis in Deo Virtus est unius simplicissimæ formalitatis per suæ Increatæ Bonitatis realem formalem identitatem specificatæ. Sicuti ergò Deus de omnibus cognoscibilibus solùm habet cognitionem Theologicam, adeò ut Theologia Dei non tantùm sit de omnibus cognoscibilibus, sed etiam omnis cognitio possibilis haberi à Deo, siquidem nequeat inexistere Deo illa Scientia, nisi virtute primi objecti Theologici actuantis Divinum Intellectum, uti bene tradit Scotus *in lib. sent. q. 3. Prol. n. 23.* Sic virtutes, quæ in nobis sunt Morales, quatenus Deo inexistunt non sunt nisi Theologicæ, siquidem non sint in ipso, nisi sub actuatione Increatæ Essentiæ Bonitatis Volitionem Divinam formaliter identicè specificantis, uti patet *ex dictis præced. q. 6. art. 2.*

2. Unde licèt Misericordia sub ratione Inclinationis de alienâ miseriâ sublevandâ sit formaliter in Deo, nequit tamen ista alienæ miseriæ sublevandæ Honestas Misericordiæ prout est in nobis, propria, per se movere Divinam Voluntatem, sed sub altiori duntaxat Increatæ Honestatis formalitate. Sicuti ergo Deus Esse suum ad extra communicat non nisi cum concretione potentialitatis transcendentaliter involutæ in omni ente participato, sic Virtutes Morales creaturis Intellectualibus inexistentes immersæ Honestati ex Divinâ Sanctitate per participationem derivatæ ab hâc tanquàm sui mensurâ ita specificantur, ut consequenter Misericordiæ homini inexistentis ratio specifica non habeat majorem cum Divinâ Misericordiâ convenientiam, quàm Ens puræ actualitatis Increatum cum Ente creato ex potentialitatis, & inde ortæ limitationis ratione solùm *analogicè* participet Esse.

3. Etsi porro nonnullarum Virtutum Moralium formalitates specificativæ ita sint elevabiles, ut consequenter, sub eminentiori tamen purissimæ Essentiæ Divinæ eas per realem formalé identitaté actuantis, ac specificantis ratione possint Deo formaliter inexistere, sic enim liberalitas consistens in congruo usu Bonorum exteriorum Dominio alicujus subjectorum, eatenus in Divinæ Voluntatis vim Dominativam est elevabilis, ut Deus omnia creata extra se derivabilia Bona absoluto suo, ac Essentiali Dominio subjecta non nisi secundùm mensuram Bonitatis suæ infinitæ nunquam adeò exhauriendæ expendat. Sic Deus creaturas intellectuales propter se amore duntaxat Concupiscentiæ, non verò Amicitiæ diligendo, eas tamen in ita se quandoque inclinat, ut in earum convictum, & familiare sive per internas duntaxat inspirationes, & sermocinationes, sive sub exteriori aliquâ sensibili formâ colloquium affabiliter se inserat, nec adeò repugnet Deo Amicitia, prout à S. Thomâ *2. 2. q. 114.* dicitur eadem cum Affabilitatis virtute. Sic Deus per se, vel per Prophetas, seu amicos suos loquens humano generi veracitatis virtutem sitam in honestate verborum menti & factorum Verbis conformativâ eo ipso exhibet; quòd nihil Verborum Deus loqui possit, nisi per Divinæ suæ mentis Causalitatem ad extra transeuntem, sed formaliter immanentem, & intrinsecè actuatam ex Divinâ non nisi Veritatis per se expressivâ essentiâ ac infallibiliter effectrice factorum, quæ de prædestinationis suæ efficacis promissione pollicita est. Sic denique vindicatio consistens in Virtute repellente nociva vel per defensionem, ne inferantur, vel per ultionem illatæ injuriæ, non repugnat Dei Voluntati, quæ Majestatis suæ Divinæ honorem zelando, injurias & peccata gratiæ suæ Donis quandoque impedit, & contra illatas pænis justè desævit.

Nihilominus aliæ sunt Virtutes morales, in ratione suâ formali objectivâ importantes imperfectionem Divinæ perfectioni repugnantem: 4.
Sic enim Religionis, Observantiæ, Humilitatis, & Obedientiæ ratio specificativa in subjecto supponit subjectionem Divinæ Majestatis altitudini adversantem. Unde Deus Pater Christum, imò & ejus Ministros honorificans non cultum aliquem Duliæ, seu religionis putandus est exhibere Christo, & Sanctis, sed ipsam dignitatem Sanctitatis humanitati Christi, nec non gloriæ cælestis sublimitatem Sanctis communicando, dicitur eos honorificare. Sic gratitudo non quà retribuens pro gratiâ sibi factâ, sed quà remunerans Dona Gratiæ tanquàm merita creaturæ intellectuali à se data, inest Divinæ Voluntati. Sic temperantia, & Fortitudo Passionum moderativæ virtutes nequeunt subsistere in puræ actualitatis Essentiâ Passionis utpote potentialitatem inferentis exclusivâ. Hinc Clementia, & Mansuetudo in eo convenientes, quòd sint Iræ Moderativæ, illa quidem quoad exteriorem punitionem; hæc verò quoad iræ passionem interiorem temperandam, sub istâ formalitate moderationis non sunt in Dei voluntatem elevabiles, etsi sub altiori Misericordiæ peccata per gratiam condonantis ratione Deo attribui possint. Pari ratione magnanimitas in magnis honoribus quærendis servans decentiæ proportionem; sicut & Magnificentia versans circa magnos sumptus in opus subli-

mius decenter inſumendos, eatenus Divinæ Perſonæ adverſantur, quatenus tanquàm fortitudinis partes ſupponunt Bonum arduum, ſiquidem Voluntatis Divinæ Poteſtati efficaciſſimæ repugnet quidquam eſſe arduum. Quare ſub altiori duntaxat formalitate Deo attribui poſſunt, prout in ſuæ gloriæ honore, nec non humani generis redemptione, & Sanctorum gloriâ procurandâ maximos potentiæ ſuæ in Verbo Divino Incarnando, ac turpiſſimæ morti deſtinando ſumptus fecit.

5. De hoc igitur duplici virtutum genere reſtant duæ difficultates. Altera de priori, *An ſcilicet in Formalitatibus virtutum Moralium quatenus per puriſſimæ Eſſentia Divinæ actualitatis ſimpliciſſimam Identitatem ſunt in Deo ponibiles, poſſit ratione noſtrâ ratiocinatâ deſignari aliqua inæqualitas*. Altera circa poſterius Virtutum moralium cum puræ Dei actualitatis ratione formaliter incomponibilium genus ſe tenens Controverſia eſt de Juſtitia, *An ſcilicet Deo inexiſtat formalis ratio Juſtitiæ.*

CONTROVERSIA I.

An virtutes in Deo ſint ratione noſtrâ inæquales.

1. ARriaga *1. p. tom. 1. diſp. 17. ſect. 4. n. 64.* univerſim affirmat de actibus Dei, eſſe inæquales, ac illum, qui verſatur circa Deum eſſe infinities perfectiorem illo, qui verſatur circa formicam, & ſic proportione ſervatâ de cæteris objectis inæqualibus. Fundamentum ejus judicio evidens eſt, quòd ex genere ſuo perfectius ſit noſcere, ac reſpicere Deum, quàm noſcere, ac reſpicere formicam, ſicut etiam perfectius eſt amare Deum propter ſe, quàm amare formicam propter ſe. At ſi inæqualibus æqualia addas, ſemper manebunt inæqualia, licèt ea duo æqualia, quæ adduntur, infinita ſint. Ergò cum Amor de Deo ut ſic, & amor de formicâ ut ſic non ſint eiuſdem perfectionis, ſed nobilior ſit amor Dei, quàm amor formicæ, ſi duo iſti actus contrahantur ambo per differentias æquè perfectas, nempe per hoc quod eſt Eſſe in Deo, neceſſariò debebunt manere inæquales.

2. Videri poſſet quoque Doctor Angelicus *2. 2. q. 30. art. 4.* agnoviſſe aliquam Miſericordiæ ſupra reliquas Dei virtutes Excellentiam. Ratio eſt. Nam virtutis perfectio attenditur vel ſecundùm ſe, vel per comparationem ad habentem. At ſecundùm ſe Miſericordia maxima eſt; pertinet enim ad Miſericordiam alijs effundere, & quod plus eſt, aliorum defectus ſublevare. Hoc autem maximè ſuperius eſt, unde & Miſereri ponitur proprium Deo, & in hoc dicitur maximè ejus Omnipotentia manifeſtari. Unde cùm Virtus per comparationem ad habentem ſit, quatenus habetur ab illo, qui Summus eſt, nullum ſupra ſe habens, ſed omnes ſub ſe, conſequens eſt, Miſericordiam ex ratione ſuâ formali propriam Dei etiam in ordine ad habentem, eſſe ſummam virtutem. At ſi omnium Virtutum in Deo eſſet etiam ſecundùm rationem ratiocinatam formalis æqualitas, Miſericordia quà propria Dei nec ſecundum ſe, nec in ordine ad habentem poſſet dici maxima. Oportet igitur, circa Deum aſſignari poſſe aliquam ratione noſtrâ ratiocinatâ inæqualitatem formalem.

Franciſcus de Lugo *de Deo. uno diſp. 33. c. 2. n. 21. & 28.* inæqualitatem virtutis ac honeſtatis eatenus excludit à divinâ Voluntate, ut aſſerat, Deum ex parte modi, conformiter ad dictamen Sapientiæ non potuiſſe facere meliùs, quàm fecit, ſed ſemper operari convenientiſſimè.

Fundamentum eſt; Quia infinita Dei Sapientia in omnibus, quæ poteſt efficere, conſiderans omnes modos, omneſque circumſtantias, & ſeries rerum, quibus fieri poſſunt invenit in unaquâque re, aut modo pro utrâque parte rationes æquales honeſtatis, & convenientiæ ſive ex ipsâ naturâ effectûs intrinſecè deſumpta, ſive ex intrinſecis congruentijs petitas: ita ut ſemper maneat in mente divinâ omnibus penſatis, æqualiter honeſtum reſpectu Dei, æqualiterque conveniens, & aptum ad divinam gloriam, (propter quam univerſa Deus operatur) ad Extra efficere, aut non efficere qualecumque opus, & efficere hoc vel illo modo. 3.

Cujus Fundamenti ratio *à cit. authore* exponitur *n. 32.* Nam divinum Dictamen, & Sapientia dictat, Deum ſemper in ſuis actibus, & operibus debere intendere ſuam Voluptatem, & gloriam. Quare tunc Deus ſe habet perfectiſſimo modo in genere moris, quando ſic diſponit opera ſua, ut ei afferant ſummam Voluptatem, & gloriam, & tunc ſe haberet minùs perfectè in genere moris, quando ſic diſponeret opera ſua, ut ſummam illam Gloriam, & Voluptatem non obtineret. At æqualem Gloriam accidentalem & Voluptatem capit Deus de Objectis ab ipſo liberè volitis, ſive velit rem producere nempe Mundum, aut unionem Hypoſtaticam, ſive nolit iſta producere: non enim minùs glorioſus eſſet Deus non exiſtente Mundo, vel Chriſto Domino, quàm Exiſtente. Etſi namque Deus maximè gaudeat videns exiſtentem Mundũ, meritaq; Sanctorũ, & præcipuè Chriſti Domini, & per hunc redimi Genus humanum, tamen maximè quoq; lætaretur videns, nullo iſtorum exiſtente, nullum ſibi provenire defectum, nullâ inferri moleſtiam aut triſtitiam; Eſt enim ita Suaviſſimum Deo experiri, ſe ducere vitam ab omnibus prorsùs eventibus independentem, & ſibimet abunde ſufficientem, ut per hanc lætitiam compenſetur ad æqualitatem Voluptas, quam ex productione quarumlibet creaturarũ percepiſſet. Conſequens proinde eſt, æquè bonam moraliter eſſe Volitionem divinam creandi Mundum, ac redimendi Genus humanum, ac nolitionem eorundem objectorum; ſiquidem utraque ſit æquè conformis divino Dictamini, quod æquè dictat, quod æqualiter conducit ad Dei Gloriam, & Voluptatem accidentalem. 4.

D. Thomas *1. p. q. 10. art. 3.* divini erga objecta creata Amoris æqualitatem adſtruit tum ex parte actûs Voluntatis, qui eſt divina Eſſentia; tum quòd, licèt ex parte Boni, quod Deus amando communicat rebus creatis, ſit inæqualitas, ex æquali tamen Sapientiâ, & Bonitate omnia adminiſtret. *ex cit. art. 3. ad 1. & 2.* Cui adeò conformiter S. Doctor *infra q. 26. art. 6. ad 1.* ait, Deum poſſe aliquid facere melius, quàm facit, ſi *ly melius* ſit nomen, quâlibet enim re poſſe facere meliorem, ſi vero *ly Melius* ſit adverbium, & importet modum ex parte facientis, ſic Deum non 5.

non posse facere meliùs, quàm sicut facit, cùm non possit facere ex majori Sapientiâ & Bonitate.

CONCLUSIO.

IN actibus, seu Virtutibus Divinæ Voluntatis etiam quà Virtualiter, & ratione nostrâ ratiocinatâ formaliter distinctis non potest designari aliqua perfectionis inæqualitas.

5. Probatur. Actus Virtutis potest considerari vel secundùm physicam Entitatem realis tendentiæ in objectum, vel secundùm Moralitatem sitam in regulabilitate Prudentiæ. At ratio objectiva, secundùm quam est Prudentiæ Divinæ regulatio, nequit esse quid creatum, hoc ipsum enim originaretur ex Divinâ perfectione, in quâ proinde oportet esse primævam mensuram primæ prudentialis regulationis. Hæc autem primæ regulationis prudentialis mensura eo ipso, quòd sit aliquid divinum, habet rationem puræ actualitatis, siquidem hæc sit constitutiva Formalitatis quà divinæ, ejusque ut sic distinctiva à creatâ potentialitati immersâ formalitate. At eo ipso, quòd tam ratio objectiva Divini prudentialis Dictaminis regulativa, quàm ipsa Dei prudentia, seu regulatio formalis, imò & ipse actus Voluntatis regulatus sit actualitas pura, oportet in Deo esse realem formalem identitatem illius rationis objectivæ, & Dictaminis prudentialis tam inter se, quàm cum actu Voluntatis regulato, ita ut omniũ istarum formalitatum sit una simplicissima actualitas. Unde fit, quòd respectu cujuscumq; à Divinâ Voluntate operabilis objecti non sit in Deo nisi unica prudentialis ratio per realem formalem identitatem nixa Esse Divini puritate, & actualitate. At hæc ipsa Essentiæ Dei actualitas ita in ratione Intelligibilis est formaliter identicè specificativa Intellectionis habentis rationem Prudentiæ, Sapientiæ, ut eadem Esse Divini actualitas quà per se ipsam in divino Intellectu intelligibiliter expressa sit per realem formalem identitatem etiam specificativa omnis Divinæ Volitionis, & Amoris. Est autem physicæ in quâcumque formalitate perfectionis mensura secundùm ejus speciem. Cùm igitur specificatio secundùm formalitatem tam regulabilitatis prudentialis, quàm perfectionis physicæ sit per unicam simplicissimam Dei actualitatem, nequeunt actus Divinæ Voluntatis sive secundùm physicam in objectum sui specificativum tendentiæ intrinsecæ perfectionem, sive secundùm Moralitatem aut prudentiæ Regulabilitatem spectati considerari cum aliquâ inter se inæqualitate.

6. Dices. Apostolum cùm *Rom 11.* expendisset Dei in repellendis Judæis, & vocandis Gentibus, Decretum exclamasse. *O Altitudo Divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt Judicia ejus, & investigabiles viæ ejus; Quis cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* Hoc autem perinde esse, ac si diceretur, Quis poterit investigare in profundissimo divinæ cognitionis abysso rationes omnes convenientiæ, & disconvenientiæ pro singulis hominibus eligendis, vel repellendis, pro singulis operibus efficiendis, vel non efficiendis, quæ in divino Consilio sic elucent, ut appareat utrinque æquè prudens & honestum hoc vel illud, sic vel aliter præstare pro solo libero Dei arbitrio, & beneplacito. ex Francisco de Lugo *cit. cap. 2. n. 31.* Ex quo videri consequens, Prudentiæ dictamen in Deo esse secundùm convenientiæ, ac disconvenientiæ rationes in opere aliquo elucentes. At sicuti Bonitas, & perfectio operum Divinorum est inæqualis, sic oportere convenientiæ, ac disconvenientiæ rationes in talibus operibus inæquales esse. Ex hâc igitur inæqualitate Divinorum operum videri in Voluntate divinâ secundùm illas convenientiæ, ac disconvenientiæ rationes regulatâ posse Moralitatis, seu Honestatis Moralis, atque adeò Virtutis inæqualitatem considerari.

Contra. Nam Apostolus *in fine cit. capit. 11.* vult in incomprehensibilibus Dei Judicijs, ac ejus vijs investigabilibus dari Deo gloriam, *quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* At tantum Laudis & gloriæ debetur alicui, quantum habet Honestatis, ac Bonitatis Moralis. Investigabiles autem viæ Dei ex eo, quòd sint *ex ipso, & per ipsum, & in ipso,* habent Bonitatem, & honestatem moralem sitam in regulabilitate convenientiæ secundum Dictamen prudentiale. At illa omnium *ex ipso, & per ipsum, & in ipso* Deo essendi ratio importat talem ex Divinâ substantiâ originem, ut omnia in ipso præcontenta ex ipso effluant, & in ipsum tanquàm Finem omnium reducantur. Hæc autem ratio est ipsa Esse divini actualitas tanquàm omnis participatæ convenientiæ Idealis, & effectrix, imò & Finalis origo per se ipsam expressiva omnimodæ creaturarum cũ perfectione divinâ convenientiæ. Illa igitur Esse divini actualitas qua per sui Intellectionem expressiva omnis creatis effectibus impressæ convenientiæ est ratio prima Motiva, & per realem formalem identitatem specificativa Intellectionis divinæ quatenus habentis rationem non tantùm Scientiæ, sed etiam Prudentiæ. Unde convenientiæ tanquàm investigabiles Dei viæ in creaturis expressæ sunt objectum duntaxat materiale, suntque effectus divini prudentialis Dictaminis. Quare convenientiarum in rebus creatis diversitas non impedit, quò minùs Judicium Dei incomprehensibile ex parte duntaxat objecti materialis, ac effectuũ multiplex, in se verò, quatenus est regula Dei prudentialis ratione Motivi formalis specificativi unicum, ac simplex sit, fundetque adeò absque ullâ Moralitatis inæqualitate simplicissimam Voluntatis divinæ respectu omnium ad Extra effectuum actualitatem, ac formalitatem. 7.

Responsio ad fundamenta opposita.

8. AD Arriagæ *n. 1.* oppositum 19. Hunc Authorem nimis crassè sibi imaginari formalitates divinas. Si enim inæqualibus non tam fiat additio, quàm formalis realis identitas actualitatis utramque formalitatem tam quoad physicam Entitatem, quàm quoad Moralitatem in ratione Essendi divini specificatis, & sub unius simplicissimæ formalitatis ratione omnẽ physicam, & moralem perfectionem ex parte rei formaliter identicè includentis, tunc evidens est, per illam purissimam omnis perfectionis sub simplicissimâ formalitate inclusivam actualitatem non stare in forma-

formalitatibus taliter specificatis inæqualitatem, nisi quatenùs per rationem præcisivam intelligi possent abstractæ, & intentionaliter separatæ ab illâ specificativa actualitate. At formalitates illæ secundùm abstractionem ejusmodi non considerarentur formaliter quà divinæ, sed quatenus *analogicè* communes Deo, & Creaturæ. Impossibile igitur est, in actibus, seu Virtutibus Dei quà divinis intelligere aliquam inæqualitatem, quæ non apertam chimæricam fictionem importaret.

9. Ad *n. 2.* propositum Respondetur. D. Thomam ibi facere comparationem Misericordiæ cum cæteris Virtutibus abstrahendo à ratione creati, & increati. Sub quâ proinde consideratione excellere Misericordiam super omnes virtutes, tum quòd Charitas non in ratione virtutis secundùm formalitatem Moralitatis, sed in ratione amoris naturalis necessarij insit Deo; tum quòd Misericordiæ conceptus formalis tendat in sublevationem alienæ miseriæ, hæc verò supponat in Deo omnium divitiarum cujusvis perfectionis nullatenus indigam continentiam sub unicâ simplicissimâ totius essendi fontis actualitate. Unde ex formali suo conceptu esse Misericordiam tanquàm Deo propriam; cùm ècontra virtutes reliquæ non ex conceptu suo formali, sub quo in statu abstractionis præcisæ à ratione Divini, & creati considerantur, sed ex quâdam per formalem realem identitatem illius Dei actualitatis elevatione debeant in Voluntate Divinâ statui. Hoc igitur solùm intendit S. Doctor, quòd Misericordiæ præ alijs virtutibus excellentia subsistat ex ejus præciso conceptu formali proximo Divinæ perfectioni; etsi omnium Deo inexistentium virtutum ut sic unica sit formalitas simplicissimæ Sanctitatis, & Honestatis Moralis, secundùm non physicæ duntaxat Entitatis, sed virtutis moralis rationem specificatæ per realem formalem identitatem Divinæ actualitatis quà primæ Divini Intellectûs regulæ prudentialis.

10. Ad Francisci de Lugo *n. 3.* oppositum Respondetur. A nobis probari, quòd non tam æqualis, quàm unica simplex respectu omnium ad extra effectuum regula prudentialis in Deo statuatur. Verùm improbari meritò, quòd regulam prudentialem ille Author petat ex convenientijs relucentibus in rebus creatis, cùm potiùs omnes istæ in ratione regulabilitatis moralis convenientiæ tanquàm effectus reducendi sint in Dei prudentiam simplicissimam, purissimâ Esse Divini intelligibiliter per se ipsam expressâ actualitate ut sic specificante ejusmodi actus Dei liberos, atque morales.

11. Ad rationem *n. 4.* expositam Respondetur. Sicuti nullius ex rebus creatis relucentis, at in Deum redundantis gloriæ est intellectio Divina intelligibiliter expressiva, nisi in ipsâ suæ essendi actualitatis puritate tanquàm objecto Divinæ intellectionis motivo, imò tanquàm ipsomet verbo Essentiali omnis extra Deum effectûs, ac gloriæ actualiter repræsentativo. Sic nullam extra Deum gloriam posse Divinæ Voluptatis, & Complacentiæ esse materiam, nisi sub ejusdem actualitatis Dei formalitate specificante Voluptatem Divinam. Consequens proinde esse, quòd ex istâ tam Intellectionis, quam volitionis Divinæ per simplicissimæ formalitatis actualitatem specificatione, non autem ex convenientijs creaturarum per modum objecti duntaxat materialis, ac effectûs se habentium ad Divinam Voluntatem, sit in hâc æqualitas, imò realis formalis identitas actuum, quoad honestatem etiam moralem ex regulabilitate Prudentiæ increatâ sibi realiter formaliter identificatâ petitam.

CONTROVERSIA. II.

An in Deo sit propria, & rigorosa Iustitia præsertim Commutativa?

Ne vagandi detur occasio, indivisibile ponimus de Iustitiæ quidditate Centrum, circa quod volvatur præsens Controversia. Iustitiam igitur ex communi Philosophorum, ac Theologorum sententiâ dicimus Voluntatem firmam & Constantem sive virtutem, quæ suum unicuique tribuit. Hic autem pro Iustitiâ rigorosâ, & propriè dictâ per *suum* intelligimus debitum rigorosum secundùm æqualitatem juris alteri compensandum. 1.

Dividitur porro Iustitia in Commutativam, & Distributivam, quarum differentia triplex secundùm Ioannem à S. Thomâ *in præs. q. 21. disp. 6. art. 4. à n. 1.* adstrui debet. Prima ex parte Materiæ. Nam licèt ambæ possint circa eandem materiam, scilicet pecunias, utensilia, honores, injurias compensandas, circa opera, & labores versari, attamen Iustitia Distributiva respicit distributionis juxta singulorum merita, & proportionem ad præmia, Iustitia verò Commutativa respicit Commutationes juxta æqualitatem valoris rerum, vel operationum inter se. Hi autem duo modi justum, seu æquivalens faciendi differunt, quòd primus constituat Iustum in operationibus secundùm adæquationem Geometricam, & respectivam; secundus verò constituat justum in quantitate, seu valore secundùm adæquationem Arithmeticam, & absolutam numeri ad numerum, seu valoris ad valorem. 2.

Secunda differentia; eaque præcipua desumitur ex parte debiti, seu Juris, secundùm quod utraque justitia respicit suam materiam. Nam Iustitia Distributiva respicit jus, seu debitum, vi cujus res communis danda est particularibus, non ut pretium alicujus operis, seu valoris, sed ut præmium, vel ministerium dandum juxta cujusque (respectivè ad alia Communitatis membra ejusdem Boni communis participia, seu capacia) dignitatem, meritum, vel proportionem ad tale munus. Quare jus *Distributivæ* in dignitate proportionalem Bonorum ac Onerum Communium distributionem exigente fundatum ita afficit distribuentem, ut hic non ex aliquâ actione, vel communicatione particularium erga se obligetur sed ex ipso Iure Boni communis, seu Communitatis, & reipublicæ postulantis præmia, & onera, seu ministeria proportionatè juxta possibilitatem, & dignitatem cujusque distribui. Econtra jus seu debitum *Commutativæ* Iustitiæ est ex parte rei, vel actionis propriæ alterius, cui juxta illius valorem 3.

valorem, ac pretium est distribuendi. Quod proinde jus est proprietatis, seu Dominij aut alicujus æquivalentis alteri, cui debetur, inexistentis.

4. Tertia ex præcedenti consequens differentia est circa Personas. Tum quia in Iustitiâ distributivâ intervenit Persona aliqua communis, seu minister communitatis distribuens particularibus Bona communia. Econtra verò justitia Commutativa tendens ad æqualitatem valoris, aut rei cum altero commutatæ versatur inter personas particulares, sive quà exercentes particulares dandi, ac recipiendi actiones in tantum, ut si Respublica vel Communitas, aut Personâ publica cum altero paciscatur, & vi talis pacti ex Iustitiâ Commutativâ obligetur, personæ privatæ vices gerat. Tum quia æqualitas distributionis respicit comparationem proportionis, quæ inter plures personas passivè ad distributionem concurrentes consideratur. Econtra Iustitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, ex parte verò recipientis non attendit per se ad Personarum pluralitatem.

Referuntur sententiæ & opposita Argumenta.

5. IN Deo dari Iustitiam strictam, & rigorosam, affirmant Suárez *in opusc. de Iust. Dei. sect. 1. & 2.* Bellarminus *de Iustific. cap. 14. 16. & 17.* Valentia *in 3. par. disp. 1. q. 1. punct. 5.* Rebellus *de Oblig. Iust. 1. p. q. sect. 3.* Francisc. de Lugo *1. p. de Deo uno. disp. 36. cap. 3. et seq.* Arriaga *1. p. to. 1. disp. 31. per totam.* Martinon *disp. 17. de Deo. sect. 2. adstipulantibus* Gammachæo *in præs. q. 21.* & Ysamberto *in 3. p. to. 1. de Myster. Incarn. q. 1. disp. 6. à. 11.* Fundamentum ex Francisco de Lugo *cit. c. 34. et seq.* desumptum est. Nam promissio onerosa sub conditione operis proportionati ad mercedem promissam inducit obligationem Iustitiæ propriæ. At promissiones Dei hominibus sæpe sunt factæ sub onere operis condigni mercede promissâ. Ergo inducunt Deo promittenti obligationem Iustitiæ.

6. Probatur tam Major, quàm Minor. Nam duplex virtualiter distinctum oportet in Deo statuere Pactum, seu promissionem; alteram simplicem, quæ vel absolutè liberalis est, vel est promissiva sub conditione operis non condigni, sed ad summum de congruo meritorij: cujusmodi erat promissio æterni Patris de mittendo Filio in redemptionem humani generis, item Abrahamo, & Davidi facta, quòd ex eorum carne nasciturus esset Christus, nec non promissio remissionis peccatorum ac Justificationis concedendæ pœnitenti, ac perfectè contrito. Hæc autem sub conditione pœnitentiæ promissio Justificationis eatenus liberalis est, quatenus non excludit rationé gratiæ ab executione promissi, sacris litteris remissionem peccatorum non nisi in gratiam & Misericordiam Dei reducentibus; juxta illud *Ioel. 2. Scindite Corda vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus, & misericors est, & præstabilis super malitia.*

7. Alterum proinde pactum sub conditione operis condigni rationem gratiæ ab executione promissi in tantum excludit, ut Apostolus *ad Rom. 4.* asserat, *Ei, qui operatur, mercedem imputari, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Ejusmodi verò pactum, vi cujus Paterfamilias conventione factâ cum operarijs ex denario diurno misit illos in vineam suam, indicatur *Math. 20.* hiscè verbis: *Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis.* Tale insuper pactum 8.
erat Patris æterni cum Christo Domino in primo suæ Conceptionis instanti initum, siquidem Christo datâ inter utrumque optione, tunc proposita fuerit ex unâ parte vita immortalis cum corpore, & animâ gloriosâ, ex alterâ verò parte vita mortalis triginta trium annorum plena ærumnis tandem per mortem Crucis consummanda. Sub hujus ergò vitæ mortalis ac ipsius pro humano genere mortis electione spopondit Christo Pater cælestis: *Si posuerit animam suam &c. in Scientiâ suâ justificabit ipse servus meus multos, & iniquitates ipsorum portabit. Isaia cap. 53.*

In quod adeò pactum de hominibus justificandis, ac remittendis pro Christi morte peccatis Christum consensisse, eruitur tum ex illo *cit. capitis 53. Oblatus est, quia ipse voluit*, tum ex illo *Hebr. 12. Qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem confusione contemptâ.* Hoc igitur æterni Patris cum Christo homine sub conditione mortis 9.
condignitatem cum humani generis redemptione habentis initum pactum non minùs fundat debitum, quàm pactum de coronandis bonis operibus in statu gratiæ factis. Ista verò bonis in gratiâ factis operibus respondens Corona est Iustitiæ. *2. ad Timoth. 4.* Unde cum S. Chrysostomo *cit. Psalm. 9.* & Ambrosio *Psalm. 118.* ait, D. August. *in Psalm. 83. Deum Indulgentiæ largitorem, Coronæ autem Debitorem, Indulgentiam tribuere ut Patrem; Coronam verò ut Iudicem.* Constat igitur, pactum sub conditione operis condigni fundare in Deo debitum tanquàm mercedem; & Coronam ex Iustitiâ debitam. Ergò Deo inesse oportet formaliter; & propriè Justitiam rigorosam, ita ut, si Deus per impossibile ageret contra pactum ejusmodi, faceret contra Iustitiam, uti insinuat S. Thomas *1. 2. q. 112. a. 3. ad 1.*

Justitiam rigorosam saltem Commutati- 10.
vam formaliter non inexistere Deo cum Doctore suo Angelico: *præs. q. 21. art. 1. & 1. 2. q. 114. a. 1. & 2. 2. q. 61. a. 1. ad 4.* Item *in 2. dist. 27. q. 1. a. 3. & in 4. dist. 26. q. 1. art. 1. & 1. cont. gentes. cap. 9.* tradunt Cajetanus *præs. art. 1. in fin. Comment. & 2. 2. q. 61. art. 4.* Ferrariensis *in cit. cap. 93. cont. gentes.* Bannes *præs. art. 1.* Medina *1. 2. q. 114. art. 3. ad 4. post 4. Conclus.* Sotus *lib. 3. de Nat. & grat. cap. 7. & lib. 3. de Iustit. q. 5. art. 4.* Nazarius *3. p. q. 1. à. 2. contr. 2. par. 4. §. sed an hæc obligatio.* Dominicus de Marinis *præs. a. 1. cap. un. & art. 2.* Xantes Mariales *to. 3. contr. 24. n. 4. in fine* Marcus Serra *præs. q. 21. art. 1. concl. un.* Hieronymus de Medices *ibid.* Joannes à S. Thomâ *hic disp. 6. art. 3. à n. 4.* Joannes Baptista Gonet *disp. 7. de Iustit. Dei art. 1. §. 2. concl. 1.* Quibus accedunt Abulensis *in illud Gene. 22. Per memetipsum juravi.* Molina *1. p. q. 21. art. 1.* Vasquez *in 1. p. disp. 85. & 86. & 1. 2. disp. 223. & in 3. p. disp. 7.* Lessius *lib. 10. de Perfectionibus Divinis. cap. 6. n. 61.* Card. de Lugo *de Incarn. disp. 3. sect. 1. à n. 5. &* 11.
alij plures. Fundamentum à Doctore Angelico *præs. art. 1.* adstruitur ex illo *ad Rom. 2. Quis prior dedit illi, & retribuetur.* Cujus vim, & efficaciam Ioannes à S. Thomâ *cit. a. 3. n. 9.* ostendit sequenti discursu. Jus Commutativum est, ratione cujus una persona habet jus ergà aliam, ut aliquid faciat, ita ut si illud non impleat, faciat contra Iustitiam. Hoc autem jus contra alterum

terum debet nasci ex actione, seu communicatione, quam unus facit circa alium. Ad hoc autem, ut ex actione meâ resultet obligatio aut debitum in altero, requiritur, tum quòd illa actio seu communicatio non sit aliquid illius, & ipsius propria, aut sub ejus dominio: tum exigitur etiam pactum, seu contractus, vel quasi contractus, non quia det valorem actioni, seu materiæ, quam alteri de meo communico, sed quia sit explicatio oneris, ac tituli, quo illi do, ut in altero resultet obligatio, ac debitum Iustitiæ. At verò quæcunq; actio vel communicatio creaturæ ita est Dei, & sub ejus dominio, ut Deus istud non possit à se abdicare, eo ipso enim, quòd creatura subsistere nequeat, quin Deus jugiter in eam influat, non potest supremi in eam Dominij titulus extingui. Cùm igitur quidquid dat aut facit creatura, sit aliquid Dei, & sub ejus dominio, consequens est, ex pacto, & promissione Dei de remunerandis Bonis hominum operibus non posse oriri in Deo aliquod debitum strictum retribuendi, fundans rigorosæ Iustitiæ obligationem.

Conclusio.

Ex eo, quòd nihil realitatis extra Deum sit possibile, nisi per Voluntatis Divinæ vim Dominativam, nec adeò quidquam possit ex Dei Dominio extrahi, sequitur, Deo non posse inexistere justitiam strictam, & rigorosam.

12. Explicatur, & Probatur. Justitia essentialiter importat alteritatem ac æqualitatem Juris. Illa verò alteritas non tam debet esse suppositorum, quàm Dominiorum: hinc enim inter Patrem, & Filium quoad Bona Jure Paternitatis, & Filiationis reciprocè debita non est justitia propter defectum alteritatis non Personæ, sed Dominij, siquidem quoad illa Bona sit quædam Filij cum Patre, cujus pars est, juris, seu Dominij Communicatio. At ex eo, quòd omnis extra Deum realitas sit ex Dei causalitate, sequitur, non posse subsistere sine influxu Divinæ Voluntatis, ex cujus libero consilio, seu Decreto Deus omnia operatur. Huic autem Divinæ Voluntati inest ut sic vis Dominativa, atque adeò Dominium. Cùm igitur Deus non possit ad extra communicare, nisi per Voluntatis suæ vim Dominativam, nec ex istius vis Dominativæ Causalitate possit ulla realitas creata extrahi, consequens est, nulli creaturæ posse super ullâ realitate competere Dominium, quin in eandem, imò super istud etiam ex Dei Causalitate creaturæ participatum, & non tantùm in fieri, sed etiam conservari dependens Dominium Deus immobiliter retineat Dominium consistens in Voluntatis suæ vi Dominativâ disponendi de quâvis re creabili pro libitu. Si ergo Iustitia essentialiter requirit juris ad æqualitatem compensandi alteritatem, Dominij in eo, qui ex Iustitiâ obligatur, exclusivam, sequitur, tam repugnare Deo inexistere formaliter Iustitiam rigorosam, quàm impossibile est, creaturæ inesse super aliquâ realitate Dominium non subordinatum, ac subjectum essentialiter Dei Dominio.

Respondebis ex Franc. de Lugo *cit. disput. 36. cap. 3. n. 7. & 8.* Item *cap. 4. n. 23. & n. 27. ac seq.* Etsi Deus non possit ullius realitatis creatæ Dominium à se abdicare, posse id tamen decreto suo, vel pacto aliquo ligare. Nam sicut Dominus potest erga suum mancipium datâ fide, aut præstito Iuramento se obligare de non exigendis operis illius mancipij per annum: sic Deus Christo homini in primo Conceptionis suæ instanti vitæ passibilis, vel impassibilis optionem faciendo, ligavit suum Dominium de vitæ mortalis actibus à Christo exigendis. At eo ipso, quòd ex suppositione ligati erga Mancipium Dominij, jam pendeat ex Voluntate Mancipij, ne Herus absque præjudicio suæ Fidei, ac Iuramenti exigat operas illas; idcirco poterit servus ille facultatem, scilicet Herum, nè operas illas salvo Iuramento petat, impediendi, eidem vendere, quo inito pacto tenebitur Dominus ex Iustitiâ Commutativâ pretium statutum mancipio dare. Pari ergò ratione, ubi datâ Christo vitæ passibilis vel impassibilis optione Deus cum ipso pactus fuerat de hominibus sub conditione mortis Iustificandis & salvandis, non tantùm ligatum fuit Dei dominium de vitæ passibilis actibus à Christo homine ex Iustitiâ exigendis, sed posito, isto ligamine, vi supervenientis pacti jam tenetur Deus ex Iustitiâ ad homines intuitu Meritorum Christi justificandos. Quo proinde supposito pacto inito cum Christo Domino tanquàm Capite nostro, & totius Ecclesiæ, Iustitiæque nostræ fundamento justi ut membra ejus viva, & ut Cives Sanctorum superædificati ipso summo angulari lapide Christo IESU, per exhibitionem Bonorum operum verum, & proprium jus justitiæ Commutativæ habent ad præmium Beatitudinis obtinendum, illudque rependit Deus ex Iustitiâ Commutativâ, S. Augustino *serm. 16. de verbis Apostoli* asserente: *Deum debitorem se fecisse non tantum suis, sed Christo, & rebus, ut illi dicere possimus, redde, quod promisisti, quia nos fecimus, quod jussisti.*

Contra. Nam aliud est, Deum vi sui decreti non tam ligare, quàm determinare Voluntatis suæ vim dominativam, seu dominium, ita ut ratione pacti cum creaturâ initi ex hypothesi ac, in sensu composito per immobilem, ac insuperabilem Voluntatis suæ efficaciam, nec non Intellectûs sui Veritatem non possit non exequi rem pacto promissam. Aliud verò est, ex hypothesi talis pacti à Deo initi resultare ex parte creaturæ jus vinciens Deum, ut vi juris tali creaturæ inexistentis secundùm Honestatē Moralem Iustitiæ, seu absque injuriâ non posset contravenire. At si jus creaturæ inexistens posset ligare Voluntatis Divinæ vim dominativam nè posset absque injuriâ contravenire, eo ipso decederet aliquid de dominio Dei. 14.

Probatur istud Assumptum. Nam dominium est facultas disponendi de re aliquâ citra cujusque injuriam: Oportet igitur tantum decessisse de dominio, in quantum ex vi per pactum inducti ligaminis non potest quis de re suâ disponere citra alterius injuriam. Hinc enim usufructu seu feudo, vel Emphytevsi, retento Domino directo, in re suâ alteri concessâ, eo ipso minuitur jus dominij, quòd non nisi de substantiâ, ac Iuribus sibi reservatis fas sit do- 15.

sit domino directo de re illâ disponere. Sicut etiam vim inadæquatæ manumissionis habet, si dominus erga mancipium adeò se exhibeat liberalem, ut certis operis contentus, circa reliquas nihil jam juris sibi vendicare velit, sed liberæ Mancipij Voluntati, & commodo permittat. Ne ergo aliquid de absoluto, Essentiali ac Immutabili DEI de præmiandis operibus nostris cum Christo homine paciscentis dominio decessisse asseramus, cum D. Bernardo *serm. 1. de Annunciat* fatendum est. *Si Deus meritis negaret præmium, nulli facturum injuriam.* Quare S. Augustinus ex adversâ parte citatus vi pacti cum Christo initi non ita constituit Deum Christo, & nobis debitorem, ut istud debitum nitatur Iure Christi Humanitati, ac nobis inexistente, ac obligante secundùm rationem Iustitiæ, siquidem idem S. Doctor *3. de lib. arb. cap. 16.* dicat, *quòd Deus nulli debeat aliquid.* Et *1. confess. cap. 4. Reddis debita nulli debens.* Est igitur Deus vi pacti erga Christum, & homines eatenus debitor, ut hujus debiti ratio non se teneat ex parte creaturæ, nec fundetur In Iure Deum obligante, sed in immobilitate Voluntatis, ac intellectûs divini veritate per pactum expressâ, ac revelatâ, Doctore Angelico *præs. q. 21. a. 2.* attestante, *Iustitiam in Deo esse veritatem.*

16. Replicabis cum nonnullis per Card. de Lugo *cit. sect. 1. n. 12.* allegatis recentioribus. Totam de Deo Iustitiam negandi rationem in prætacto discursu ad id reduci, quòd si creaturæ inexisteret jus Deum ex Iustitiâ obligans, aliquid decederet de Dominio Dei utpotè jam non potentis secundùm Moralem Iustitiæ Honestatem absque injuriâ disponere de re, ad cuius executionem vi pacti teneretur. At totam istam rationem nullius esse efficaciæ. Ergò non esse, cur negetur Deo inesse strictam Iustitiam. Minor probatur. Si enim ponamus unum Angelorum habentem secretæ mysterium aliquod in

17. se continentis cogitationis Dominium, istud mediante locutione Intellectuali ac Instantaneâ eatenus communicare alteri, ut hic eo statim instanti ex jure sibi facto communicet tertio; tunc de uno indivisibili instanti verificatur, primo Angelo tale inexistere jus, ac dominium secretæ suæ cogitationis, vi cujus posset illam non communicare, vel eam communicando prohibere secundum, ne tertio revelet, etsi ex hypothesi communicationis cum jure, ac potestate tertio revelandi factæ secundo Angelo, jam impediatur. At verò pactum Dei involvit Voluntatis Divinæ decretum. Hoc verò mensuratur æternitate; Ista vero est unicum *Nunc* indivisibile omnia tempora, & momenta continens, ac per ipsum Esse Dei subsistens Voluntatis, & Intellectûs divini actum immobiliter ac indivisibiliter mensurans. In quo adeò æternitatis instanti taliter subsistit Decretum, seu pactum Dei, ut per realem formalem identitatem stet unà cum Divinâ Voluntatis vi electivâ, & super creaturas Dominativâ. At vi hujus dominativæ in Voluntate Divinâ per æternitatem invariabiliter mensuratæ potentiæ ita in *Hoc* æternitatis *Nunc* est Decretum, atque adeò pactum Dei, ut absolutè, & in sensu diviso posset non esse. Ut sic autem Deus non ponendo pactum à se liberè initum posset non præmiare Iustos, etsi ex hypothesi talis pacti in sensu composito jam foret injustus, si merita Iustorum non remuneraret, Apostolo *ad Hebr. 6.* id sequentibus verbis insinuante. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Constat igitur, ita verificari, Deum ex hypothesi pacti cum Christo initi non posse in sensu composito justos cum Gratiâ decedentes sine injuriâ non præmiari, ut tamen absolutè, ac in sensu diviso posset per vim suam dominativam non reddere præmium pro Iustorum meritis. At ex hoc manifestè evincitur, posse vim dominativam absolutam stare in Deo cum pacto ipsum vi juris creaturæ divinitùs communicati obligante ex Iustitiâ. Non est igitur, cur Deo negetur stricta, & rigorosa Iustitia.

Contra: Nam per concessionem Iuris v. g. 18.
venandi à principe factam inferiori, tunc solùm intelligi potest, nihil dominio Principis esse derogatum, si & cumulativè duntaxat, & non nisi cum jure Superioritatis illam concessionem ad libitum revocandi jus ejusmodi dederit: priùs enim habebat jus alijs facultatem venandi taliter conferre, ut tamen eas ex Iustitiâ arcere posset. Hoc autem inferiorem à venatione arcendi jus extingueretur in Principe, si jam ex vi concessionis, seu donationis factæ non posset alterum de jure arcere. Ne ergò quidquam decesserit de dominio Principis, oportet in alterum ita esse translatum jus venandi, ut hoc tamen respectu aliorum duntaxat, non verò Principis, nec nisi ad hujus nutum, & placitum subsistat. At verò Dominij Divini perfectio immobilis consistit tum in extensione suâ virtuali, ac Eminentiali super omnem formalitatem, ac realitatem creatâ sive Physicam, sive moralem, tum in superioritate virtutis Dominativæ subjicientis sibi essentialiter omnem creaturam, cum quâvis per eam producibili, eique inexistente formalitate. Ex hâc autem vis dominativæ in Deo Eminentiâ sequitur, non esse in creatis possibile ullum sub quâvis formalitate, seu Hypothesi Dominium, nisi cum dependentiâ essentiali à Dominio Dei tam physico, quàm morali. Hæc autem essentialis dependentia ita est per Causalitatem efficientiæ, ut hæc ipsa tamen sit Voluntatis Divinæ secundùm vim etiam moraliter dominativam eatenus operantis, ut ex nullius creaturis inexistentis formalitatis hypothesi Deus possit prohiberi, atque adeò obligari, quò minùs ad libitum disponere possit. Etsi proinde nostris bonis operibus per Dei Donum insit Bonitas supernaturalis tam moralis, quàm physica cum condignitate ad præmium, imò licèt Deus isti operum supernaturalium Honestati & condignitati vi pacti cum Christo initi superaddidisset jus creaturæ rationali erga vitam æternam competens; hoc ipsum tamen jus cum omni condignitate, ac Bonitate se tenente ex parte creaturæ non potest ita afficere Dei dominium, quin hoc tanquàm superius essentialiter sibi subordinet ac subijciat jus creaturæ, Deusque adeò sibi retineat jus de illo creaturæ jure pro libitu disponendi. Si proinde ex pacto cum Christo inito sit aliqua Dei obligatio, hæc non est ab extrinseco vi juris creaturæ essentialiter subordinatæ Dei Dominio; sed ab intrinsecâ Divinæ Bonitatis, & sapientiæ condecentiâ per se ipsam ita rectificante Divinam Voluntatem, ut ista in se invari-

invariabiliter persistens non possit non producere rem pacti, seu Decreti sui efficacissimâ potestate firmatam & Intellectûs sui divini veritate æternâ omnis quatenus à Deo promissæ rei in tempore effectrice certificatam: Divo Anselmo *in Prosol. cap. 10.* attestante: *Iustus es Domine, non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet summum Bonum.* Cùm igitur Iustitia fundetur in alteritate juris, atque adeò obligationis Iustitiæ radix sit extra suppositum, cui inexistit Iustitia; Deus autem ex vi ullius hypothesis nequeat obligari, ita ut istius obligationis radix, seu ratio sit ipsi extrinseca, consequens est, Deo non posse formaliter inexistere justitiam rigorosam, sed prout habet rationem duntaxat fidelitatis, ac veritatis radicatæ in immobili Voluntatis Divinæ firmitate, ac efficaciâ, nec non primâ incommutabili, & infallibili intellectûs Dei veritate; Concilio Tridentino *sess. 6. de Iustif. cap. 16.* attestante: *Vitam æternam tanquàm Mercedem ex ipsius Dei promissione bonis eorum operibus* Fideliter *esse reddendam.*

Responsio ad opposita Argumenta.

19. AD Francisci de Lugo *n. 7.* oppositum Respondetur. Rectè adstrui duplicem Dei promissionem, alteram simplicem, quæ gratiam, & Liberalitatem non excludat; Alteram in vi pacti reddentis præmium seu Mercedem pro meritis. Hujus autem duplicis promissionis differentiam ex parte objecti se tenere, quatenus posterior, non autem prior supponit operis gratiâ sanctificante informati condignitatem. Hanc verò condignitatem importare intrinsecam gratiæ Habitualis opus bonum dignificantis proportionem seu connaturalis exigentiæ habitudinem ad præmium gloriæ cœlestis. At verò illâ intrinsecam gratiæ proportionem, atq; adeò meritorij operis condignitatem ita pendere ex Voluntatis Divinæ vi dominativâ, esseque essentialiter subjectam dominio Dei tam physico, quàm morali, ut Deus ex vi illius jam suppositæ neque physicè necessitari, neque moraliter obligari possit ad rependendam vitæ cælestis obligationem. Totam igitur obligationis Deo ex illo pacto inexistentis rationem non esse, nisi ex intrinsecâ Divinæ substantiæ determinatione liberâ habente tum ex æternitate immobilitatem, tum ex Voluntatis Divinæ omnipotentissimâ immanente, atque adeò immutabili Causalitate efficaciam insuperabilem; tum ex veritate Divini Intellectûs infallibilitatem in Dei essentiâ invariabiliter subsistentem. Cum proinde Iustitiæ ratio exigat obligationem in Iure alteri inexistente radicatam, nequeat autem ex jure creaturæ inexistente in Deum transfundi aliqua obligatio, consequens esse, pactum Dei sub operis condigni, & proportionati conditione promittentis Mercedem gloriæ non inducere Voluntati Divinæ obligationem rigorosæ Iustitiæ; sed veritatis ac fidelitatis, seu Divini tam intellectûs, quàm Voluntatis in se invariabiliter subsistentis firmitatis, ac immobilitatis, ut adeò Deus (per impossibilem hypothesin) non stans pacto cum Christi Humanitate inito, non nisi *latè* diceretur injustus, seu injuriam facere, *uti seq. cont.* magis elucidabitur.

Ad discursum Ioannis à S. Thomâ *n. 11.* propositum Respondetur: Illo bene probari, nihil posse Iuris esse in creaturis, quin totum illud Ius cum omni creaturæ actione subjiciatur essentialiter universali, absoluto, & perfectissimo Dei Dominio, nec adeò posse Deum ex jure creaturæ obligari, sed totam Divinæ paciscentis Voluntatis obligationem esse ab intrinseco, habereque rationem fidelitatis, ac veracitatis, non autem strictæ Iustitiæ.

CONTROVERSIA III.

An Deo formaliter inexistat Iustitia Distributiva?

1. COncertatio hîc agitatur præcipuè inter Thomistas. Ferrariensi *1. cont. gent. cap. 93.* Ioanne à S. Tho. *cit. disp. 6. art. 4.* Serrâ *cit. art. 1. concl. 2.* Ioanne Baptistâ Gonet *cit. §. 2. concl. 2.* Xante Mariale *ubi supra.* affirmantibus, Deo inesse formaliter propriam Justitiæ Distributivæ rationem. Fundamentum 1. desumitur ex S. Thomâ *præs. art 1.* ita discurrente: Sicut enim ordo congruus familiæ, vel cujuscumq; multitudinis gubernatæ demonstrat Justitiam Distributivam in Gubernante; sic ordo Universi, qui apparet tam in rebus Naturalibus, quàm in rebus Voluntarijs, demonstrat Dei Justitiam, quæ dicitur distributiva; Unde dicit Div. Dionysius *cap. 8. de Divin. Nom.* Oportet videre in hoc, veram Dei esse Justitiam, quòd omnibus tribuat propria secundùm uniuscujusque existentiam, dignitatem, & uniuscujusque naturam in proprio salvet ordine, & virtute. Super quem locum Doctor Angelicus *Lect. 4.* ait: *Quod Iustitia conveniat Deo, primò quidem secundùm hoc, quod est distribuere, Commutativa enim Iustitia in Deo locum non habet, sicut est in Venditoribus, & emptoribus, quia ut dicitur ad Rom. 12. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? sed attribuitur ei Distributiva Iustitia, quæ non observat æqualitatem quantitatis, ut æqualia omnibus det, sed æqualitatem proportionis, ut det unicuique secundùm quod dignum est.*

2. Fundamentum 2. ex ratione petitum deducit Gonet *cit. concl. 2. prob. 2.* Nam Præmium vitæ æternæ à Paulo *1. ad Timoth. 4.* dicitur *Corona Iustitiæ, quam reddet in illâ die justus Iudex.* At quod à Deo ut à Justo Judice redditur tanquàm Corona Justitiæ, non datur ex solâ Fidelitate, & Veracitate, sed ex verâ, & strictâ Justitiâ taliter obligante Deum, ut secundùm D. Augustinum. *lib. 4. cont. Iulian. esset injustus, si ad ejus regnum verus non admitteretur iustus.* Oportet igitur retributionem vitæ æternæ pro bonis operibus in gratiâ factis non solùm esse à Dei Fidelitate, seu Veracitate, aut Gratitudine, sed etiam à verâ, & strictâ Justitiâ. Hæc autem non potest esse alia, quàm Distributiva, siquidem commutativa non detur in Deo. Ergò Justitia saltem Distributiva debet esse formaliter in Deo.

3. Nazarius *ubi sup. Concl. 3.* Dominicus de Marinis *loc. cit. cum* Cajetan. *præs. art. in fin.* non aliam in Deo admittunt Justitiam, nisi prout importat condecentiam divinæ Bonitatis.

***

CONCLU-

CONCLUSIO.

JUstitia Dei Distributiva consistens in Bonitatis, & Sapientiæ, ac Perfectionis Divinæ se in creaturas proportionaliter transfundentis condecentiâ intrinsecâ non habet rationem perfectæ Justitiæ.

Explicatur, & Probatur. Nam inprimis Ju-
4. stitia Distributiva in Deo relucet, quatenus in creaturis formandis servat proportionem perfectionis earum essentialis secundùm intrinsecam, ac necessariam prædicatorum essentialium determinationem. Hæc autem prædicatorum cuique rei essentialium determinatio non est, nisi quà intelligibiliter expressa, & objectivè existens in Intellectu Dei. Hæc verò secundùm Esse intelligibile Essentialium cujusque possibilis creaturæ prædicatorum in Intellectu Divino expressio ac Existentia objectiva est, prout Deus Essentiam suam secundùm infinitæ Bonitatis communicabilitatem, & ad extra imitabilitatem comprehendendo, in hâc ipsâ Essentiæ suæ Bonitate tanquàm ratione ideali formalitates, ac realitates ex se derivabiles cognitas format intelligibiliter, ac repræsentat qua possibiles, sive sub determinatâ prædicatorum Essentialium ratione producibiles. Illa igitur necessitas creaturas non nisi sub istâ prædicatorum Essentialium coexistentiâ producendi est secundum ipsius Bonitatis divinæ Imitabilitatem, atque Essentiæ Dei rationem Idealem prædicatorum ejusmodi formativam, & repræsentativam. Ad hanc proinde Deus necessariò in rerum creatione attendens, secundùm intrinsecam cujusque Essentiæ necessitatem partitur singulis proportionaliter convenientem, ac debitam prædicatorum Essentialium perfectionem, ita tamen, ut hoc ipsum prædicatorum Essentialium debitum, ac necessitas reducatur in Bonitatis, ac Essentiæ divinæ Imitabilitatem seu rationem Idealem prædicatorum ejusmodi Essentialium cum debitâ perfectionis cuique congruæ mensurâ determinativam. Hæc ergò divinæ Bonitatis, & Sapientialis, seu Idealis rationis condecentia, ac Debitum Deo formaliter intrinsecum potest ejus Voluntati unica esse ratio motiva, ac determinativa perfectionis secundum prædicata ejus Essentialia proportionaliter convenientis. Deinde
5. Justitia Distributiva secundùm Dionysium *sup. cit.* relucet in Deo, quatenus cuique existentium secundùm ejus dignitatem tribuit propria. Illa verò cujusque rei creatæ dignitas consistit tum in connaturalitate intrinsecâ proprietatum, tum in exigentiâ concursûs divini ad operationes connaturales, tum in creaturis Intellectualibus gratiâ sanctificante instructis importat intrinsecam connaturalitatis proportionem ad Gloriam. At omnis ista connaturalitatis proportio, & exigentia ita subjicitur Voluntatis divinæ Dominio absolutotam physico, quàm morali, ut nihil ex parte creaturæ possit esse Dei obligatorium, sed interveniente etiam pacto tota ex eo resultans obligatio in Deo resultet ab intrinsecâ ejus perfectione, non verò ex Jure aliquo creaturæ inexistente, uti patet *ex cont. praecd.* Constat igitur, ita fieri à Deo proportionalem cujusque Dignitati congruam perfectionum tam Naturæ, quàm Gratiæ distributionem, ut hæc tamen creaturæ inexistens Dignitas non possit ullo modo Deum obligare, nec adeò Justitiæ rigorosæ obligationem in alteritate Juris sive Debito ex vi Juris alteri inexistentis resultante sitam in Deo fundare.

Dices ex Ioanne à S. Thoma *cit. a. 4. n. 12.* ad Justitiam Distributivam non pertinere, ut distributor sit Personis, quibus distribuit, ex aliquâ ratione, vel Jure proprietatis, vel quasi proprietatis debitor, sed distributorem, si distribuat Bona communia, ipsi Communitati, cujus est dispensator, teneri ex contractu vel quasi contractu, vel ex lege Dei sibi ad Justitiam custodiendam impositâ. Quod si ille dispensator distribuat ex Bonis sibi proprijs, vel etiam Communitatis sub suo Dominio existentibus, sicuti omnia Bona creaturarum communia sunt sub Dei Dominio, tunc non posse Debitum aliquod nasci in distribuente nisi ex ordinatione suâ non solùm per modum simplicis promissionis, quæ solùm ex fidelitate impletur, sed ex promissione seu pacto oneroso. Ejusmodi proinde pacti onerosi ordinationem de Coronâ Justitiæ pro bonis operibus retribuendâ eatenus esse in Deo, ut fundet non solius Fidelitatis, sed Justitiæ Distributivæ obligationem. 6.

Contra. Nam Justitia propriè est ad alterum ex S. Tho. *2. 2. q. 57. a. 4.* Hanc autem alteritatem oportere non esse duntaxat suppositorum, uti perperam insinuat Ioannes à S. Thom. *cit. art. 5. n. 27.* sed Jurium ac Dominiorum, constat ex eod. S. Doctore *cit. art. 4. ad. 1.* negante, Patrem quatenus Filio tribuit Jus suum, facere Justitiam, siquidem, *si quis det, quod sibi debetur, non propriè vocetur Iustum.* Pari ergò ratione Dispensator Bonorum Communium eatenus potest exercere Justitiam tum erga Communitatem, quatenus huic tanquàm alteri, non autem ipsius distributori debetur ista distributio, tum erga singulos de communitate, quatenus istis debetur dispensatio secundùm proportionem. At verò Deus Bona sub Dominio suo absoluto existentia distribuens, nulli alteri, sed ex condecentiâ, vel ordinatione suæ Bonitatis ac Essentiæ sibi duntaxat est Debitor. D. Thomâ *1. 2. q. 114. art. 1. ad 3.* attestante: *Quòd, quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione Divinæ ordinationis, non sequatur, quòd Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum est debitum, ut sua ordinatio impleatur.* Concludendum igitur cum Doctore Angelico *cit. art. 1. in Corp.* quòd sicut inter Patrem, & Filium defectu Juris simpliciter non est meritum simpliciter, sic nec Justitiam Distributivam, per quam Deus secundùm Dignitatis, & Sanctitatis cujusque gradum proportionaliter distribuit præmium, seu mercedem gloriæ, respicere Justum simpliciter, ut adeò Corona meritis nostris retribuenda non habeat rationem Justitiæ nisi *secundùm quid.* 7.

Confirmatur. Nam fatente ipso Ioanne à S. Thomâ *cit. a. 4. n. 15.* Justitia Distributiva per se, & ab intrinseco respicit, quod reddatur alieni propter Debitum dignitatis, & proportionis suæ, non propter Jus proprietatis, seu Jus in re, sed proter Jus ad rem. Sicut ergò Jus in re, in quo fundatur Justum Commutativum, eatenus vi meritorum convenit Sancto in Gratiam Sanctificantem à se possessam, ut hoc ipsum Jus inducat obligationem Justitiæ respectu aliorum, nè fraude, seu metu inducatur in peccatum Sancti- 8.

 tatis

tatis destructivum, quod ipsum tamen in Sanctitate possessâ Jus creaturæ intrinsecum non potest Deum ex Iustitiâ obligare. Sic Ius ad rem in proportione dignitatis radicatum eatenus duntaxat fundare potest obligationem Justitiæ Distributivæ, quatenus in alterum est natum inducere obligationem. At ipsemet Ioannes à S. Thomâ citatus fateri cogitur non ab Extrinseco, quà creaturæ inexistente aliquo Iure, sed tantùm per intrinsecam suæ divinæ ordinationis rationem posse Deum obligari ex Justitiâ etiam distributivâ, quam proinde oportet ex hoc ipso non esse strictam Justitiam ut sic formaliter tendentem ad alterum vi Juris in rem sibi obligantem Bonorum Communium Dispensatorem.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

9. AD 1. *n. 1.* oppositum Fundamentum Respondetur. Aliud esse, quòd Deo inexistat vera Justitia omnium secundùm cujusque dignitatem ordinativa, aliud verò esse, quòd ita cujusque creaturæ commensurationem, & ordinationem sibi proportionatam exigentis Dignitas respectu Dei fundet ex se ipsâ Debitum, seu Justum simpliciter. Prius igitur adstrui à Sanctis Dionysio, & Thomâ Aquinate *locis citatis.* At posterius negari ab eod. Doctore Angelico *præs. q. 21. art. 1. ad 3.* ita differente: *Debitum attendi potest dupliciter in Operatione Divinâ, aut secundùm quod aliquid debetur Deo, aut secundùm quod aliquid debetur rei creatæ, & utroque modo Deus Debitum reddit. Debitum enim est Deo, ut impleatur in rebus id, quod ejus sapientia, & Voluntas habet & quod suam Bonitatem manifestat. Et secundùm hoc Iustitia Dei respicit decentiam ipsius, secundùm quam reddit sibi, quod sibi debetur. Debitum est etiam alicui rei creatæ, quòd habeat id, quod ad ipsam ordinatur, & sic etiam Deus operatur Iustitiam, quando dat unicuique, quod ei debetur secundùm rationem suæ Naturæ, & Conditionis: sed secundùm hoc Debitum dependet ex primo, quia hoc unicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsum secundùm ordinē Divinæ sapientiæ. Et licèt Deus hoc modo Debitum alicui det, non tamen ipse est Debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potiùs alia ad ipsum & ideo Iustitia quandoque dicitur in Deo condecentia suæ Bonitatis, quandoque verò retributio pro meritis.* Manifestum igitur est, Iustitiam Dei sive in ratione condecentiæ ad divinam Bonitatem, sive in ratione Retributionis pro meritis non respicere Debitum, nisi quà fundatum in Bonitatis, Sapientiæ, & Voluntatis divinæ exigentiâ, seu ratione intrinsecâ. Etsi proinde in Deo sit vera *secundùm quid* Justitia ceu commensurationis Dignitati quibusvis creatis propriæ ordinativa, non tamen in Deo est Justitia simpliciter nixa alteritate Juris Debitum, seu obligationem ab extrinseco provenientem fundantis.

10. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Præmium vitæ æternæ respondens nostris meritis ex illâ ipsâ Justitiâ dici Coronam Iustitiæ, per quam Deus appellatur Iustus. At formam divini Iudicij in præmiandis meritis, ac puniendis peccatis secundùm D. Thomam. *2. 2. q. 61. art. 4. ad 1.* ita attendere rationem Commutativæ Iustitiæ, ut tamen ipsis etiam adversarijs fatentibus hujus Iustitiæ ratio non formaliter, sed eminenter tantùm sit in Deo, utpote qui Iustus dicatur, non quia reddat nobis Debitum, sed quia faciat, quod decet ipsum summum Bonum. ex S. Anselmo *in Prosol. cap. 10.* Unde sicuti Deus secundùm D. August. *3. de liber. arb. cap. 16.* nulli debet aliquid, sic ex mente hujus S. Doctoris non esset ex hypothesi Regni cælestis Iusto negati dicendus facere *strictam*, sed *latam* duntaxat injustitiam.

COROLLARIUM.

INfertur 1. Nec Iustitiam vindicativam esse formaliter in Deo. Ratio est. Nam punitio potest spectari vel præcisè in ratione vindicationis, vel etiam in ratione Iustitiæ. Sub priori autem consideratione in Deo est Voluntas vindicandi, in quantum ex Zelo sui honoris ulciscitur malum legi suæ æternæ oppositum. *ut sup. in princip. hujus a. n. 5. in fine dictum est.* In quo adeò sensu Tertullianus *lib. 1. cont. Marcionem* ait, *Iustitiam Dei esse tutelam Bonitatis illius, & quòd nisi Iustitia regatur, Bonitatem non esse.* At verò si vindicatio spectatur in ratione Iustitiæ, tunc se habet Iudex instar Mediæ Personæ inter Communitatem, & malefactorem. Ut sic autem Iudex tanquàm Persona publica obstringitur Communitati ex Iustitiâ Commutativâ ad facinorosos pro meritis plectendos; uti tradunt Cajetan. *2. 2. q. 108. art. 2. ad 1.* & Scotus *lib. 3. de Iustit. q. 3. art. 1. & ult.* Cùm proinde ratio Debiti, seu Iusti Commutativi nequeat in Deo stare cum ejus Dominio absoluto, consequens est, vindicationem non esse in Deo formaliter secundùm rationem Iustitiæ. 11.

Infertur 2. Nec Iustitiam Legalem inesse Deo formaliter in ratione Iustitiæ. Ratio est. Nam duplex in Iustitiâ Legali attendenda est formalitas, una consistens in Virtute Ordinativâ Boni communis: hæc verò ad Bonum commune ordinatio *architectonicè, seu principaliter* est in principe tanquàm Imperante, ac Dirigente, subditis autem competit *administrativè*, seu *secundariò* utpote per subjectionis, ac Obedientiæ Ministerium se liberè ordinantibus ad Bonum Commune. Quare virtus illa Legalis altiori modo inest Deo tanquàm Regi Regum, & Domino Dominantium ordinanti omne bonum commune non tantùm Politicæ, ac Civilis Societatis humanæ, sed Civitatis Sanctæ Ierusalem tam militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ. Unde virtus illa Legalis in Deo nihil aliud est, quàm Voluntas divina omnium per legem æternam ordinatrix, & ut sic cujusvis Legis creatrix. ex S. Tho. *1. 2. q. 93. art. 3.* At verò Justitiæ Legalis formalitas ejusdem in ratione Iustitiæ constitutiva radicatur in Debito Iuris Alti, vi cujus Reipublicæ alicujus membra secundùm Iurium suorum tam Personalium, quàm realium ad Communitatem subordinatione tenentur pro viribus in necessitate succurrere, ac contribuere pro Bono publico. Cùm autem Deus omne Bonum etiam publicum ex se profundens altius super illud Dominium teneat, nequit ex eo ullum in Deum reduci Debitum, seu obligatio, nec adeò Iustitia Legalis formaliter sub ratione Iustitiæ potest Deo inexistere. 12.

13.

Infertur 3. Iustitiam Dei habere rationem Veritatis. ex S. Thomâ *præs. q. 21. a. 2.* Ratio est. Nam Veritas alia intelligitur, quà objectiva, alia verò quà formalis. Est autem unica Essentia Dei tanquàm purissima intelligibilitatis actua- 14.

actualitas Veritas divini Intellectûs objectiva, Motiva, & Specificativâ, quæ ipsissima divinæ Essentiæ Intelligibilitas quatenus per se ipsam formaliter identicè expressa, & ut sic in ratione Intellectionis actuata est in Deo Veritas formalis. Ex hâc proinde Veritate divinâ quatenus omnis creatæ quidditatis in se intelligibiliter expressivâ intelligitur consequi Essentiarum creatarum possibilitas. Unde illa divinæ Essentiæ Veritas habet tum rationem Ideæ prout est directrix Esse physici creaturarum, tum rationem Legis æternæ, prout est ordinatrix Moralitatis actuum creatorum liberorum. At verò Essentia divina sicut in ratione Essentiæ, sic in ratione Intelligibilitatis in se ipsâ omnino independenter subsistens, non est expressiva creaturæ secundùm existentiam, nisi ex vi liberæ suæ determinationis. Hæc autem libera Dei determinatio quà insinuata creaturæ rationali habet rationē promissionis, seu pacti divini. Quod adeò pactum est manifestativum illius ipsius obligationis, quâ Deus sibi tanquàm Primæ Veritati effectûs promissi immobiliter expressivæ, atque ut sic infallibiliter Causativæ obligatur per Voluntatis suæ divinæ efficaciam, & Intellectionis repræsentationem effectricem non potens non producere effectum suâ divinâ Veritate expressum. Constat igitur, Iustitiam, quæ in Deo resultat ex pacto, esse Veritatem ex vi efficacis Volitionis divinæ liberè expressivam, & infallibiliter causativam rei promissæ, sicuti Iustitiam quoque Dei omnis creaturis intellectualibus congruæ honestatis directricem, atque ut sic legis æternæ rationem habentem consistere in ratione Primæ Veritatis.

6. Infertur. 4. In omnibus Operibus Dei relucere Iustitiam & Misericordiam. ex S. Tho. *pres. art. 4.* Ratio est. Tum quia Iustitia Dei est Veritas, juxta illud *Psal. 84. Misericordia & Veritas,* id est, *Iustitia obviaverunt sibi.* uti exponit S. Doctor *cit. art.* In hoc autem differt creatus ab increato Intellectu, quod res sint illius mensura, & Regula. Unde Veritas consistens in adæquatione Intellectionis cum re intellectâ præsupponit objectivam rei intellectæ Veritatem, cùm ècontrà Increatus Intellectus mensurans, ac regulans, & Causans omnem ad Extra veritatem per prius habeat Veritatem formalem; quàm rebus creatis competat Esse, ac ratiò Intelligibilitatis, seu veritatis objectivæ. Cùm igitur veritas divini Intellectûs sit formatrix & Causatrix omnis ad extra realitatis, seu veritatis realis, evidenter patet, Iustitiam in omni Dei opere relucere.

7. Tum quia hæc ipsa divini Intellectûs veritas est directrix, & Causatrix rerum secundùm Condecentiam Bonitatis Dei, utpote in quâ tanquàm ratione Intellectionis divinæ specificativâ intelligibiliter exprimitur cujusvis creaturæ quidditas cum intrinseco connaturalitatis ordine, ac proportione. Hæc ipsa verò ad divinæ Bonitatis Condecentiam ordinis, ac proportionis quibusvis creaturis propriæ in, & ex se ipsâ determinativa conformitas habet rationem Iustitiæ.

8. Tum denique quia Deus ad extra operando vel producit creaturam de nihilo, vel etsi in aliquâ re priùs creatâ supponatur Connaturalitatis cujusdam exigentia, Dei tamen Voluntas per divini Esse in se subsistentis independentiam vi dominativæ suæ potestatis, & absoluti dominij superexcedit omnem illam Connaturalitatis exigentiam, adeò ut nullo exinde debito Deus obligetur. Nisi ergò creaturæ haud potenti ad connaturaliter sibi debita Deum obligare, succurratur ex Dei Misericordiâ per Voluntatis suæ divinæ liberalitatem supplente illius defectum, stabit creatura in sui nihili miseriâ, ita ut nec per se ipsam possit sibi procurare naturæ suæ necessaria, nec Deum unicum necessitatis suæ provisorem ad id obligare. Patet igitur, Misericordiam unà cum Iustitiâ vel maximè relucere in omni opere: *Psalte Regio Psalm. 24.* accinente: *Omnes viæ Domini Misericordia, & Veritas.*

***



QUAE-



QUAESTIO OCTAVA DE POTENTIA ET PROVIDENTIA DEI.

1. Tsi S. Thomas de Potentiâ Dei primùm agat post Providentiam, ac Prædestinationem, cùm hæc sit actus Dei immanens pertinens ad Intellectum, & Voluntatem, ejusque Ordinem Intentionis, ratione nostrâ ratiocinatâ antecedentis executionem, ad quam spectat Potentia Dei executiva. Nihilominùs quia hæc divina Potentia æquè formaliter consistit in Intellectu, & Voluntate, atque completa divinæ Prædestinationis ratio præter Intentionis ordinem importat etiam executionem activam Deo immanentem. ex S. Doctore. *c. 1. p. q. 23. art. 2.* Idcirco non incongruè expositis jam Intellectu, & Voluntate Dei, priusquàm divinæ Prædestinationis abyssum ingrediamur, Potentiam Dei executivam explicamus.

ARTICULUS I.

DE

Potentiâ DEI.

2. DEum Omnipotentem fatemur in Symbolo Nicæno docti Sacris Litteris *Gen. 17. & 35. Exodi. 15. Esther. 13. Ecclesiastici 43. Apocalyp. 4.* Quam proinde Potentiam Dei non ad ea duntaxat, quæ existunt de facto, sed ad plura, imò omnia possibilia extendi demonstrat illud tum *Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne Verbum*; tum *Math. 26.* ubi Christus orans ad Patrem, ut calicem à se transferret, dixit, *Quia omnia tibi possibilia sunt.* Solùm igitur superest ostendere 1. *Quæ sit in Deo ratio Omnipotentiæ à priori demonstrativa* ? 2. *In quo consistat Formalitas divinæ Potentiæ*? 3. *An vis creativa ita sit propria Potentiæ Dei infinitæ, ut nulli creaturæ sit communicabilis*? 4. *An Potentia Dei ex ratione suæ infinitatis possit in infinitum perfectiores species producere* ? 5. *An Omnipotentia Divina in rebus creatis respondeat Potentia obedientialis, non tantùm passiva, sed etiam activa* ?

CONTROVERSIA I.

Quæ sit ratio Potentiæ DEI quà infinitæ demonstrativa à Priori ?

ALbertus Magnus *in 1. dist. 42. art. 3.* Radicem Omnipotentiæ Virtualem, & ratione ejusdem à priori demonstrativam insinuat, asserendo, Omnipotentiam divinæ Substantiæ propriam sequi perfectionem Essentiæ, in quâ Deus *quis est*. Fundamentum ex eodem Magno Doctore petitum est. Licèt enim in Deo nihil sit secundùm rem *Quod est, & Quo est*, in ipso tamen secundùm differentiam non realem, sed rationis est differens *Quo*, & *Quis est*, quod est Persona. Unde sicut dicit Philosophus *in lib. de Animâ*. Formam esse in ratione triplicis Causæ, scilicet *formalis*, secundùm quod dat Esse, & rationem, & *Finalis*, secundùm quod est intenta ab Efficiente, & *Efficientis*, secundùm quod post perfectionem in Esse convertitur in principium agendi. Sic possumus secundùm rationem Intelligentiæ in divinis dicere, quòd Omnipotentia consequatur substantiam, vel Essentiam, secundùm quod ista in Personâ convertitur in principium agendi. At hoc consequitur Perfectionem in Esse, quod dat quasi formaliter loquendo, Personæ, vel ei, quod dicitur *Quis est, vel Quod est*. 3

Doctor Angelicus *præs. q. 25. a. 1. 2. & 3.* Potentiam Dei quà infinitam, seu quatenus Omnipotentiam demonstrat ex purâ Esse divini actualitate. Fundamentum est. Nam duplex est potentia, scilicet *Activa*, quæ est principium agendi in aliud, & *Passiva*, quæ est principium patiendi ab alio, ut dicit Philosophus. *5. Metaph. tex. 17.* Manifestum autem est, quòd unumquodque, secundùm quod est actu, & perfectum, secundùm hoc sit principium activum alicujus, cùm econtra unumquodque sit passivum, secundùm quod est deficiens, & imperfectum. At Deus est purus actus, & simpliciter, ac universaliter perfectus. Unde nullo modo potest pati ab aliquo. At ex hoc ipso, quòd Esse Dei non possit esse limitatum per aliquid recipiens, sequitur, esse infinitum ut sic præhabens in se totius Esse perfectionem. 4

Cum

Cùm igitur modus agendi in Deo sit secundùm modum Essendi infinitum, consequens est, potentiam Dei esse infinitam, extendique ad omne id, quod potest habere rationem Entis contenti sub possibilibus absolutis, respectu quorum adeò Deus dicitur Omnipotens.

5. Ex opposito adduci potest, quòd in purâ actualitate importetur independentia. At Omnipotentia ex hoc ipso est dependens à creaturarum possibilitate, quòd ex mente S. Doctoris *cit. art. 3.* non se extendat nisi ad possibilia: hinc enim sequitur, si per impossibile aliqua creaturarum foret impossibilis, desineret Dei erga illam Potentia.

Conclusio.

Pura Essentiæ Divinæ actualitas est prima ratio, in quam ultimatè resolvitur Omnipotentiæ demonstratio à priori.

6. Probatur. Omnipotentia est vis executiva effectûs a Voluntate divinâ præfiniti. Unde omnipotentia dicit vel supponit in Voluntate absolutissimam omnis possibilis effectûs præfinitivam efficaciam. At efficacia effectuum ad Extra præfinitiva in Dei Voluntate est per divinæ Essentiæ in seipsâ intelligibiliter expressæ actualitatem. Probatur illud Assumptum. Voluntas divina non habet vim effectuum ad extra præfinitivam, nisi amando, & volendo. At vis amandi & volendi non est nisi in ordine ad Bonum intelligibiliter expressum. In Deo autem non est expressio Intelligibilis nisi per Essentiæ divinæ in ratione tam Essentialitatis, quam Intelligibilitatis purissimam actualitatem. At eo ipso, quòd ista Esse divini actualitas sit pura, seu omnis potentialitatis exclusiva, oportet præhabere in se totius Esse perfectionem. Est autem hoc Esse Dei ejus intelligere. Unde oportet, totius Esse perfectionem esse in Deo secundum modum intelligibilem, imò esse ipsum Intelligere Dei. ex S. Thomâ *1. p. q. 14. art. 5. & præs. q. 28. art 3.* Constat igitur, totius Esse perfectionem, atque adeò omnis creaturæ possibilis Esse tanquàm effectum Dei proprium præcontineri in Deo intelligibiliter. At eo ipso, quod illa Dei Essentiæ Intelligibilitas, quæ Intellectionis divinæ est specificativa, sit etiam motiva, & specificativa Voluntatis divinæ, sequitur, illam per vim suam dominativam, & Electivam posse se extendere ad omne id, quod intelligibiliter est in intellectu divino. Ex eo autem, quòd Intellectio divina formaliter identicè specificetur per Dei Essentiam tam in ratione Essentialitatis, quam Intelligibilitatis purissimam omnis Esse creati præcontinentem actualitatem, sequitur, illam extendi ad omne intelligibile tam creatum, quàm increatum. Cùm igitur Potentia divina commensuretur Voluntatis Dei vi Electivæ, ac præfinitivæ, hæc verò proportionetur Intelligibilitati expressæ in Intellectu divino, in hoc autem per puram divinæ Essentialitatis, ac Intelligibilitatis in se expressæ actualitatem sit intelligibiliter omnis Entitas, & formalitas in infinitum creabilis, seu possibilis, consequens est, in puram Dei actualitatem ultimatè reduci rationem Potentiæ Dei quà infinitæ, seu quà Omnipotentiæ à priori demonstrativam.

Dices. Ex hoc discursu sequi, quòd possibilitas creaturarum pro signo aliquo, seu instanti rationis intelligatur prior tum Dei Omnipotentiâ, tum Voluntatis divinæ efficaciâ, & vi præfinitivâ, imò ipsâ etiam Intellectione divinâ. 7.

Probatur illud Assumptum. Nam Omnipotentia tanquàm vis Executiva est Virtualiter, seu ratione nostrâ ratiocinatâ consequens Voluntatis divinæ efficaciam, seu vim præfinitivam: hæc autem præsupponit Entitatis ad Extra producibilis in Intellectu Dei expressionem: hæc autem intelligibilis creaturarum possibilium expressio specificatur per Esse divinæ Essentiæ præcontinens totius Esse perfectionem. At ista totius creaturis quà possibilibus communicabilis Esse præcontinentia Intellectionem divinam virtualiter antecedens importat *Connotativè* possibilitatem creaturarum: Hæc igitur potest ratione nostrâ ratiocinatâ prior intelligi Dei Intellectione, atque adeo divinæ Voluntatis efficaciâ, & vi præfinitiva, & consequenter Executivâ Potentiâ Dei. 8.

Contra. Nam Esse divini pura actualitas vel potest spectari secundùm se absolutè per se, ac in se subsistens; Ut sic autem intelligi potest quà virtualiter distincta à sui Intelligibilitate, ac Intellectione; Vel potest considerari comparatè secundum totius ad extra communicabilis Esse præcontinentiam; Ut sic autem intelligitur sub formalitate Imitabilitatis a creaturis participabilis. At ratio Imitabilitatis, seu Exemplabilitatis formaliter importat Intelligibilitatem Formæ Exemplabilis. Ex hâc ipsâ verò Esse divini, seu Formæ per purissimam totius Esse præcontentivam actualitatem Exemplabili activâ imitabilitate ut sic intelligibiliter in Deo expressâ creaturæ ex Deo derivabiles habent in Intellectu divino rationem Intelligibilitatis, atque ut sic Imitabilitatis passivæ. Hæc verò Intelligibilitas creaturarum sub ratione Esse participabilis, seu passivè imitabilis expressiva habet in Deo rationem Verbi formaliter, ac specificativè includentis Intelligibilitatem divinæ Essentiæ, sive activam hujus Imitabilitatem, sed connotativè ac terminativè importantis Intelligibilitatem Esse participabilis, sive passivam creaturis communicabilem in ratione Essendi Imitabilitatem. Sub hujus adeò verbi ratione stat possibilitas creaturarum, juxta illud *Lucæ 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Cùm igitur istud Dei Verbum in se ipso indivisibile per particulam distributivam *Omne* eatenus insinuetur multiplex, quatenus connotativè seu terminativè importat imitabilitatem passivam, seu Esse participabile, & ut sic multiplicabile: Hoc ipsum verò Esse participabile sit intelligibile, quatenus in actualissimâ divinæ Intellectionis formaliter identicè specificativâ Intelligibilitate est expressum, & ut sic ideatum; id ipsum verò participatum, seu ex activâ divinæ Essentiæ in se intelligibiliter expressæ Imitabilitate Ideatum Esse intelligibile sit formaliter possibilitas creaturæ ad extra producibilis; consequens est, Esse possibile creaturarum ut sic intelligi virtualiter posterius Intellectione divinâ per Essentiæ Dei intelligibilitatem actualissimam formaliter identicè specificatâ. 9.

 Repli-

10. Replicabis. Hoc creaturarum Esse possibile saltem intelligi prius Voluntatis Dei Efficaciâ, & Omnipotentiâ. Probatur Assumptum. Tum quia ista creaturarum possibilitas est ab efficaciâ Voluntatis divinæ, & Omnipotentiâ Dei independens utpote intelligibiliter fluens ab Intellectione divinâ activæ Dei Imitabilitatis expressivâ, & ut sic intelligibiliter formativâ Esse objectivi creaturarum tanquàm Ideabilis, & passivè
11. participabilis à creaturis. Illa verò Dei Intellectio intelligitur pro signo, seu instanti rationis antecedens efficaciam Voluntatis divinæ, & Omnipotentiam. Tum quia verificatur ista hypothetica, si per impossibile aliqua creabilis quidditas non esset possibilis, tunc in ordine ad illam non subsisteret Voluntatis divinæ efficacia, & Omnipotentia. Ergò ad istam videtur præsupponi creaturæ possibilitas. At verò per hanc ipsam Omnipotentiæ divinæ ex creaturarum possibilitate dependentiam arguitur; Dei potentiam non radicari in purâ divinæ Essentiæ in se independenter subsistentis actualitate.

12. Contra. Nam possibilitas creaturarum nihil aliud est, quàm formalitas ab Intellectu divino intelligibiliter formata in ratione suâ objectivâ involvens Esse. Potest autem Esse in formalitate aliquâ creabili per Intellectionem divinam dupliciter attingi, uno modo, quatenus Dei Intellectio *per modum Imperij* exprimit Esse formalitati alicui creatæ communicandum. Ut sic autem Intellectio divina habet rationem dictionis factivæ, seu actionis physicè producentis Existentiâ formalitati in se expressæ communicandam in actu exercito. Hâc verò ratione Intellectio tanquâ dictio, & actio divino intellectui formaliter immanens, sed virtualiter Transiens non est formativa puræ possibilitatis, sed factiva Existentiæ actualis physicè dependentis a Voluntatis divi-
13. næ Efficaciâ, & Omnipotentiâ. Alio igitur modo in formalitate aliquâ creabili Esse attingitur ab Intellectione divinâ *per modum puræ repræsentationis* habentis ut sic rationē Ideæ intelligibiliter expressivæ, non autem Exemplaris factivi, nec adeò formativi creaturæ quoad Esse *in actu exercito* physicum, *sed in actu* duntaxat *signato* objectivum. Hoc igitur Esse objectivum habens rationem puræ possibilitatis est quidem independens à Voluntate divinâ, & Dei Omnipotentiâ, non tamen pro aliquo signo, seu instanti rationis intelligi potest prius ullâ formalitate Deo intrinsecâ. Probatur istud Assumptum. Nam alia prioritas
14. est *à quo*, alia *in quo*. Hæc verò importat secundùm rationis saltem Instantia successionem durationis. Est autem omnis formalitatis divinæ unica indivisibilis mensura æternitatis per realem formalem identitatem mensurans omnem formalitatem Deo intrinsecam. Econtra verò possibilitates creaturarum, seu Essentiæ creatæ secundum Esse suum objectivum quà ab Intellectione Dei æternâ intelligibiliter expressum solùm extrinsecè dicuntur æternæ per mensuram divinæ Intellectionis attingentis illam possibilitatem tanquàm objectum purè terminativum, non autem Motivum, seu specificativum. Ergò per prius secundùm signum rationis intelligitur quævis Deo intrinseca formalitas utpote intrinsecè mensurata per æternitatem, quàm creaturarum possibilitas. Deinde prio-
15. ritas *à quo* importat Causalitatem saltem Virtualis alicujus consecutionis, seu consequentiæ. At ex eo, quòd Intellectio divina per Esse Dei in se subsistens actuata in purissimâ sui specificativâ Esse divini actualitate sit expressiva formalitatum ex Essentialitate Dei infinitâ in infinitum participabilium, sequitur, Voluntatem huic divinæ Intellectioni commensuratam, & ex eadem divini Esse quà per se ipsam intelligibiliter expressâ actualitate specificatam habere vim omnis illius ex Esse divino participabilis formalitatis Electivam, ex intrinsecâ suâ efficaciâ conjunctam cum Virtute seu potentiâ per modum Imperii, seu Dictionis Factivâ existentiæ formalitatibus creatis in actu exercito comunicandæ. Constat igitur, nullam esse Voluntatis divinæ efficaciæ & Omnipotentiæ dependentiam Causalitatis, seu consecutionis etiam virtualis ex creaturarum possibilitate; sed tam possibilitatem illam, quàm Voluntatis divinæ vim efficaciter electivam, nec non Potentiam Dei executivam, seu Omnipotentiam intelligi virtualiter emanare ex ratione divinæ Intellectionis expressivæ, ac intelligibiliter formativæ Esse creatis formalitatibus communicabilis. At verò illa vis in formalitatibus creatis intelligibiliter formativa Esse objectivi est per actualitatem divinæ Essentiæ actuantis divinum Intellectum ad formalitatum creabilium Esse intelligibiliter exprimendum. Consequens proinde est, quòd tam efficacia divinæ Voluntatis, quàm Omnipotentia Dei *proximè* radicata in divinâ Intellectione per divini Esse actualitatem actuata, *ultimatè* tanquàm in rationem à priori resolvatur in ipsam Esse divini purissimam actualitatem.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD Alberti Magni *num. 1.* propositum Respondetur. Hujus Magni Doctoris (tum 16.
quod *Omnipotentia consequatur Divinam Essentiam, seu substantiam, secundum quod post perfectionem in Esse convertitur in principium agendi*; tum quòd istud consequatur perfectionem Essendi *Quod est* vel *Quis*, *non autem Quo est*) pronunciatum non minoris esse soliditatis, ac efficaciæ, quàm sublimitatis, & subtilitatis. Explicatur. Nam per *ly Quod est*, intelligitur Persona, per *ly* autem *Quo est* Essentia Dei, adeòque essendi pura actualitas. Hæc autem Essendi actualitas post perfectionem in Esse dicitur ab Alberto Magno *in Personâ* converti in principium agendi. Est autē Persona naturæ intellectualis individua substantia. At Natura divina est ipsa Intellectio divina per Dei Esse in se subsistens actuata, atque adeò ut sic individuata. Hæc autem Dei Intellectio per Esse in se subsistens individuata eatenus convertitur in principium agendi, quatenus in hoc ipso Esse Dei actualiter subsistente est intelligibiliter expressiva Essentialitatis formalitatibus creatis ex divino Esse participabilis. Ut sic enim esse radicem tam efficaciæ Voluntatis, quàm Omnipotentiæ, constat ex dictis superiùs. Patet igitur potentiam divinam secundùm Alberti Magni doctrinam eatenus consequi Essentiæ divinæ actualitatem, quatenùs hoc *in Personâ*, hoc est Intellectione divinâ per Esse Dei subsistens actuatâ convertitur in agendi principium.

Ad D. Thomæ *n. 2.* propositum Respondetur. Constare ex deductis, quàm solidè Doctor 17.
hic An-

hic Angelicus Omnipotentiæ divinæ rationem à priori demonstrativam resolvat in puram Esse divini actualitatem.

18. Ad *n.* 3. oppositum Respondetur. Verum esse, quòd Omnipotentia divina non se extendat nisi ad possibilia, hinc tamen non sequi, ejus à creaturarum possibilitate dependentiam, sed consecutionem duntaxat Omnipotentiæ ad Intellectionem divinam intelligibiliter formativam, seu expressivam creaturarum possibilitatis consistentis in earum Esse objectivo, ac repræsentato per Dei intellectioné. Explicatur, & Probatur.

19. Nam 1. Licèt verificetur, negatâ creaturæ alicujus possibilitate, consequenter Dei tolli respectu illius creaturæ Potentiam, hujus tamen consequentiæ vis in eo sita est, quòd omnis creaturæ possibilitas sit intelligibiliter formata per Intellectionem divinam necessariò expressivam, atque ut sic in ratione possibilitatis formativam omnis formabilitatis ad Extra creabilis. Unde si de aliquâ formalitate negetur, esse possibilem, per consequentiam à posteriori negatur illa per divinam Intellectionem formatio intelligibilis, constitutiva creaturæ quà possibilis. At istâ vi Intellectionis divinæ negatâ, erga illam formalitatem utpote vi Intellectionis Dei non formabilem in Esse objectivo tollitur consequenter Voluntatis divinæ efficacia, & Potentia. Ergo negatâ creaturæ possibilitate sequitur sublatum iri Omnipotentiam non propter aliquam ejus à creatis Essentiis dependentiam, sed propter intrinsecam, & Essentialem Omnipotentiæ cum Intellectione divinâ quà creaturarū possibilitatis intelligibiliter formativâ connexionem, imò realem formalem identitatem. Hinc 2. Chimæricum

20. est, quòd Omnipotentiæ divinæ à creatis Essentiis independentia in tantum adstruatur per Oviedo *Metaphys. cont. 10. punct. 4. n. 11.* ut cum alijs asserat, Dei Potentiam, quantum est de se, esse efficacem ad Chimæram producendam, nec hujus impossibilitatem esse, nisi ex intrinsecâ ejus contradictoriâ repugnantiâ. Nam sicuti possibilitas creaturarum, seu objectiva Essendi aptitudo, vel non repugnantia est ex Intellectione divinâ quà Intelligibiliter expressivâ Esse in aliquâ formalitate, sic à contrario impossibilitas, seu repugnantia Essendi intrinseca est ex hoc ipso, quòd Intellectio divina circa talem formalitatem ab intellectu creato formabilem non sit expressiva, seu intelligibiliter formans Esse, sed non Esse. Hinc enim possibile ab Angelo *Luca 1.* dicitur Verbum apud Deum, cùm econtra id, quod contradictionem involvit, nequeat esse Verbum, saltem apud Deum, ex S. Thomâ *pr. q. 25. art. 3.* At verò Potentia Dei executiva est per essentialem connexionem, imò realem formalem identitatem commensurata cum Intellectione divinâ. Eo ipso igitur, quòd Ens chimæricum habens essendi repugnantiam non sit sub ratione Essendi intelligibiliter formatum ab Intellectu divino, nequit Potentia divina nisi chimæricè dici, quantum est de se, ad illud extendi.

21. Hinc 3. tantum abesse, quòd posse peccare, mentiri, facere Ens rationis, sive facere, quòd præterita non fuerint, sive posse mutare Essentias rerū, importet veram potentiæ rationem, ac perfectionem, ut potiùs cum S. Augustino dici possit, Deum non fore Omnipotentem, si ejusmodi defectus facere posset. Ratio est: Nam Omnipotentia ut sic radicatur in vi Divinæ Intellectionis quà Intelligibiliter formativâ, seu repræsentativâ Esse circa aliquam formalitatem. At Intellectus Divinus circa Ens rationis, & peccatum Intelligibiliter repræsentat non Esse. Si ergo Omnipotentia Divina, cujus effectus proprius est Esse objectivè repræsentatum ab Intellectione Divinâ, posset se extendere ad formalitatem peccati, seu ad ens rationis, posset hoc ipso esse discordans tam à se ipsâ, quam ab intellectione Divinâ tanquàm sui virtuali radice. Hoc ipsum autem est destruere Omnipotentiam. Deinde mentiri, seu decipere dicit Factionis, seu Dictionis dissonantiam cum volitione pacto firmatâ, seu mentali verbo. Si ergò Deus per 22.
suam Omnipotentiam mentiri posset, seu decipere, posset difformiter ad suam intellectionem seu Verbum Mentale, sive Voluntatis suæ Decretum producere aliquod Verbum, seu factum. Hoc ipsum vero est Potentiam Dei executivam radicitus tollere. In quem sensum S. Augustinus contra Faustum taliter arguit: *Quisquis ita dicit, si Deus Omnipotens est, faciat, ut quæ facta sunt, non sint facta, non videt, hoc se dicere. Si Deus Omnipotens est, faciat, ut ea, quæ vera sunt, eo ipso, quod vera sunt, falsa sint.* Pari proinde ratione cùm essentiæ rerum creabilium non subsistant in æternitate, nisi objectivè ac intelligibiliter expressæ in Dei intellectione, perinde esset, Deum 23.
posse mutare essentias rerum, ac facere, ut quæ per suam quidditatum ex Divino Esse derivabilium intellectionem vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa essent. Constat igitur, posse peccare, mentiri, facere Ens rationis, seu facere, ut præterita non fuerint, seu rerum essentias mutare posse, non arguere Potentiæ perfectionem, sed hujus potius destructionem seu negationem.

CONTROVERSIA II.

In quo secundùm rationem nostram ratiocinatam, seu virtualem Formalitatum in Deo distinctionem consistat formalitas Divina ad Extra Potentia?

SUarez *disp. 30. Metaph. sect. 17. n. 47. & in 1. p. lib. 3. de Attrib. Dei positiv. c. 9. n. 2.* Martinon *disp. 22. de Deo uno. sect. 1. n. 2.* tradunt, Dei Omnipotentiam formaliter esse ipsum Divinum Esse, ut per se efficax ad extra, sive ipsimmet Naturam Divinam, quæ quatenus est ipsum Esse per essentiam, est per se effectrix cujuslibet Esse participati, seu participabilis, si accedat Voluntas ut applicans, & Scientia ut dirigens. Fundamentum ex Suarez *cit. sect. 17. Metaph. à n. 47.* petitum est. Vel enim hîc inquiritur Potentia, quæ sit quasi principium proximum actionis distinctum à principali & radicali, vel ut solùm dicit ipsum principium principale, quod sit etiam immediatum. At priori modo non oportet fingere, aut concipere in Deo Potentiam ratione distinctam ab essentiâ. Posteriori autem modo nequit Potentia Dei esse Scientia ut Scientia, 1.

 vel Vo-

vel Voluntas ut Voluntas, sed essentia ut infinita Entitas, & ipsum Esse per Essentiam.

2. Probatur istud Assumptum. Nam in igne calor quatenus est forma dans Esse calidum, & quatenus est principium calefaciendi, est una & eadem forma, quæ ratione sui Esse est activa. Unde ratio Potentiæ proximæ, & principalis calefaciendi non distinguitur etiam ratione ab Esse caloris, sed ipsemet Calor ratione suæ entitatis est proxima, & principalis potentia ad calefactionem accidentalem. Etsi verò forma substantialis ignis non immediatè per se ipsam productiva similis formæ nequeat esse principium proximum suæ communicationis, sed tantùm principale, hoc tamen est, quia est limitata & finita forma indigens dispositionibus accidentalibus, At in Divinâ substantiâ cessat hæc ratio; siquidem sit illimitata, & omnem vim agendi in suo Esse substantiali continens. Igitur Divina Natura ut sic est sine dubio principium principale, & radicale omnis actionis ad extra. At eo ipso, quòd istud principium licèt substantiale sit illimitatum, & infinitum, non est indigens aliâ facultate Mediâ, estque adeò in ratione etiam proximæ virtutis efficiens. Ergo Esse Divinum per se ipsum est principium principale, non tantùm radicale, sed etiam proximum quasi eliciens, & exequens omnem actionem ad extra.

3. Secunda sententia, quam Suarezius citatùs *n. 43. in fine* asserit non improbabilem, tenet, Intellectum Divinum per Ideas, seu Exemplaria rerum, quæ in se habet, esse proximam agendi rationem, atque adeò Potentiam ipsam, per quam Deus ad extra res producit. Fundamentum ex eod. Suarez *n. 42.* desumptum est; Nam Deus in infinitâ scientiâ habet rationes, seu Exemplaria omnium rerum possibilium. Hæc autem Exemplaria Divina nihil extra se agunt necessitate Naturæ. Unde debent determinari per Voluntatem. Ut sic autem determinatæ vocantur Ideæ practicæ, à quibus manant creaturæ per se immediatè. Est igitur intellectus Dei secundũ illas rationes ideales practicas in se contentas verum principium effectivum creaturarum.

Alij, inter quos censeri potest Ioannes
4. Baptista Gonet *1. p. to. 2. disp. 3. concl. 3. & 4.* tenet, intellectum, quatenus ad ipsum imperare pertinet, esse Potentiam, quâ Deus producit res ad extra, ipsum autem imperium esse actualem effectionem ex parte Dei. Fundamentum deducitur à Suarez *n. 38.* Deus enim res ad extra producit imperando, juxta illud *Gen. 1. Fiat lux; fiat firmamentum.* At istud imperium eatenus est executio Voluntatis Divinæ decernentis aliquid fieri, seu produci extra nihilum, ut ex vi illus immediatè procedant res creatæ ad Esse, juxta illud *Psalm. 148. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Ergo imperium, quo Deus ipse rebus ipsis imperat, ut prodeant in Esse, est actualis ex parte Dei effectio rerum. At imperium esse formaliter actum rationis licèt præsuppositivè sit actus Voluntatis, ostendit S. Thomas *1. 2. q. 17. a. 1.* Oportet igitur, ipsum intellectum in Deo esse principium effectivum ad extra.

Scotus *in 1. dist. 37. quæst. un. n. 4.* supponit,
5. Potentiam in Deo formaliter esse Voluntatem: cui consentit Molina *præs. q. 25. art. 1. disp. 2.* & Xantes Mariales *tom. 3. q. 42. cap. 4.* Fundamentum afferri potest ex sacris litteris Voluntati Divinæ efficaciam in operando attribuentis *Psal. 148. Omnia quæcunque voluit, fecit. Et ad Ephes. omnia operatur secundum Consilium Voluntatis suæ.* Unde Leo Papa *serm. 2. de Nativit* ait: *Deus, cujus Natura Bonitas; cujus Voluntas Potentia, cujus opus Misericordia est.* Et D. Augustinus *in Meditat. cap. 25. Cujus Voluntas*, inquit, *opus est, cujus Velle posse est. Qui omnia de nihilo creasti, quæ solâ tuâ Voluntate fecisti.*

Serra *præs. q. 25. art. 1.* Cum alijs tradit problematicè, quòd Potentia Dei formaliter secundùm rationem nostram ratiocinatam non distinguatur ab ejus intellectu, & Voluntate. Fundamentum est. Nam si potentia in Deo esset distincta ab intellectu, & Voluntate, ejus quoque actio distincta esset ab Intelligere & velle. Sed actiones immanentes in Naturâ Divinâ non sunt nisi duæ, scilicet intelligere & Velle. ex S. Thomâ *infra q. 27. art. 5.* Ergo actio Potentiæ, si distingueretur in Deo ab intellectu, & Voluntate, non esset immanens, sed formaliter transiens. Atqui Divina actio Potentiæ non potest esse de genere illarum actionum, quæ non sunt in Deo agente, cùm sua actio sit sua substantia. ex eod. S. Doctor *2. contr. gent. cap. 23. ratione 4.* Unde *cap. 35. ibid.* ait: in Deo non esse aliquam actionem ipsius mediam inter actum voluntatis, & effectum, sed oportere, quòd suum intelligere, & velle sit suum facere. 6.

Cui conformiter Albertus Magnus *in 1. dist. 42. art. 1. ad 3.* probat, quando Deus creat, non agere actione exteriori. Fundamentum est tum ex illo *Psal. 148. Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Tum ex S. Augustino asserente, *quòd Deus Verbo suo creat, dicendo scilicet Verbum.* Tum ex Gregorio Nazianzeno affirmante, *Primùm quidem excogitasse Deum cælestes Essentias, & excogitationem ipsius fuisse opus ipsius.* Ex quibus Magnus ille Doctor tandem concludit; Scientiam Dei operativam, & Potentiam & Voluntatem, ut fiat aliquid, causam efficientem esse in creaturâ: siquidem Sapientia Dei non tantùm sit ordinans, sed etiam ponens in creaturis ordinem temporis, & dignitatis & Naturæ. 7.

Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 11. art. 2. n. 5.* affirmat: Potentiam Executivam in Deo non distingui ab intellectu, & Voluntate tanquàm Potentiam diversam, & attributum adæquatè diversum ab illis; bene tamen distingui ratione tanquàm attributum inadæquatum intra Potentiam intellectivam, quatenus hæc dicit connotationem diversi effectûs; & formalitatem diversi principij, scilicet Intellectûs non præcisè ut intelligentis, sed etiam ut practicè, ac imperativè exequentis, seu dicendo producentis. Fundamentum ab eodem *n. 7. & 10.* deductum est. Potentia Executiva formaliter ut sic intelligitur operari quà regulata, & mota per Potentiam dirigentem, ac imperantem. In quantum ergo ab his est distincta, intelligitur operari ut Instrumentum intellectui dirigenti, & Voluntati serviens ad exequendum, & obediendum in his, quæ non pertinent propriè ad se, sed ad Potentiam dirigentem, ac imperantem. At indignum est Divinâ Perfectione, considerare Potentiam Dei Executivam tanquàm Instrumentum operans ex subjectione 8.

jectione

jectione ad Potentiam dirigentem, & imperantem. Oportet igitur, Potentiam Dei Executivam formaliter quà talem ita ponere in Intellectu, & Voluntate Dei, ut hæc, & Intellectus Dei quà imperans habeat plenissimam efficaciam de se utique sine mediâ potentiâ, sed immediatè per se ipsam exequendi, ac movendi.

9. Nihilominus, etsi Intellectui quà imperanti non respondeat in Deo Potentia exequens quà mota & obediens dirigenti, possumus tamen in Divini intellectûs formalitate à parte rei indivisibili considerare rationem tum actûs purè immanentis attingentis Deum, & creaturas possibiles, tum in ratione principij per actionem virtualiter transeuntem ad extra productivi. Hæ autem formalitates sunt ratione nostrâ distinctæ. Ergò in intellectu Divino sunt considerabiles diversæ formalitates, sub quarum unâ, non verò sub alterâ habet rationem Potentiæ executivæ, ac Physicè effectivæ, attestante D. Thomâ *præs. art. 1. ad 4. & q. 1. de Potent. art. 1. ad 9.* Potentiam Executivam in Deo importare rationem principij productivi erga creaturas, & sic distingui ratione ab Intellectu, ut est principium intelligendi, & Voluntate, ut est principium volendi.

10. Nazarius *1. p. q. 14. art. 5. Cont. 2. §. Omnia in Deo ut in Causâ contineri.* Perfectionem seu rationem Causæ in Deo statuit in tribus, asserendo: Intelligere Primum esse Intellectualis Causæ Fundamentum, in quo per se loquendo præexistant omnes ejus effectus medio Voluntatis imperio, & executivâ Potentiâ producendi: unde Voluntatem etiam, & Potentiam ad Intellectualis Causæ complementum necessariò concurrere. Probatur Authoritate S. Thomæ *infra q. 25. art. 1. ad 4.* differentis in hæc verba: *Potentia importat rationem principij exequentis id, quod Voluntas imperat, & ad quod Scientia dirigit: quæ tria Deo secundùm idem conveniunt; vel dicendum, quòd ipsa Scientia vel Voluntas Divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem Potentiæ. Unde consideratio Scientiæ, & Voluntatis præcedit in Deo considerationem Potentiæ, sicut Causa præcedit effectum, & operationem.*

11. Confirmatur ex eod. S. Doctore *1. p. q. 19. a. 4.* ita discurrente: *Unius, & ejusdem effectûs etiam in nobis est Causa Scientia ut dirigens, quâ concipitur forma Operis, & Voluntas ut imperans; quia forma ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod sit, vel non sit in effectu, nisi per Voluntatem: sed Potentia est causa ut exequens: quia nominat principium immediatum Operationis, sed hæc omnia in Deo unum sunt.*

CONCLUSIO.

Esse Dei per simplicissimam actualitatem sui in se ipso, & omnis formalitatis ad extra communicabilis in se intelligibiliter expressivum ut sic actuans Divinum Intellectum, & Voluntatem; huic formaliter tribuit efficaciam Quidditatibus in sui ipsius intellectione expressis per Amorem communicandi Esse; illi verò tribuit vim Dicendi, & Dicendo imediatè efficiendi illud esse, quod Amor Divinus absolutè decreverit creaturæ: in quâ proinde Divinæ Voluntatis ad Esse actuale in creaturâ amandum efficaciâ, & intellectûs ad Esse actualis Existentiæ præamatum exercitè dicendum virtute consistit ratio Divinæ Potentiæ.

Probatur. Nam illud, quod est in effectu ut forma dans Esse, est in agente, in quantum hujusmodi, ut virtus activa. ex S. Thomâ *in 4. dist. 1. art. 4. ad q. 4.* At illud, quod est maximè omnium formale in rebus, est ipsum Esse. ex eod. S. Doctore *1. p. q. 7. a. 1. & q. 8. a. 1.* Unde, quia Deus est ipsum Esse per suam Essentiam, oportet, quòd Esse creatum sit proprius ejus effectus: sicuti ignire est proprius effectus ipsius ignis. *ex cit. q. 8. art. 1.* Cùm igitur forma dans Esse in effectu, sit in agente qua virtus activa; Esse autem effectibus à Deo productis sit omnium maximè formale, consequens est, ipsum Esse in Deo quatenus ad extra agente esse formaliter virtutem activam. At verò in quibusdam agentibus præexistit forma rei faciendæ secundùm esse Naturale; ut in his, quæ agunt per naturam, uti homo generat hominem, ignis ignem: in quibusdam verò secundùm esse intelligibile, ut in his, quæ agunt per Intellectum. ex Doct. Angelico *1. p. q. 15. art. 1.* At quia Essentia Dei est ejus intelligere & velle, ex hoc ipso, quòd per Essentiam suam agit, sequitur, quòd agat per modum intellectûs, & Voluntatis. *ex q. 19. art. 4. ad 2.* Oportet igitur Esse eatenus effectûs à Deo creabilis esse formam, ut quà virtus activa in Deo existat secundùm Esse intelligibile, *eod. S. Doctore q. 14. a. 5.* attestante: *Quoscunque effectus præexistere in Deo sicut in Causâ primâ secundùm modum intelligibilem.* Atqui Esse rerum creatarum est in Deo intelligibiliter per ipsum Esse Essentiæ Divinæ tanquàm principalis Intellecti speciem, in qua omnes species rerum comprehenduntur. *ex cit. art. 5. ad. 3.* Cùm igitur Esse quà cujusvis rei à Deo faciendæ forma in Deo intelligibiliter existens sit virtus Dei activa, illud verò Esse tanquàm omnis rei creatæ formale sit in Deo intelligibiliter per ipsum Esse Essentiæ Divinæ, quà sui & omnis creatæ quidditatis in se ipso intelligibiliter expressivum, consequens est, quòd Esse in Deo sit formaliter virtus ad extra activa. At verò istud Esse Divinum in se totam essendi perfectionem continens, cùm sit indeterminatum, si ageret sine determinatione Voluntatis, causaret aliquid indeterminatum, & infinitum in Essendo. *ex cit. q. 19. art. 4.* Illa verò determinatio Voluntatis est inclinatio Dei ad agendum actuata, & specificata per ipsum Esse Divinæ Essentiæ quà intelligibiliter in Deo expressum *ex cit. q. 19. art. 1. in corp. & ad 3.* At illa ipsa inclinatio Voluntatis quà formæ, seu ipsius Esse in effectu determinativa est Causalitas creans, & infundens rebus creatis esse. *ex cit. q. 19. art. 4. ad. 4. & q. 30. a. 2.* Oportet igitur, Divinæ Voluntatis ad Esse in rebus creatis determinandum, atque ut sic causandum vim, & efficaciam esse in Deo Potentiam, seu Causam exequentem. *ex cit. q. 19. a. 4. ad 4.* 12. 13. 14. 15.

Dices. Esse Dei ut sic distingui virtualiter ab Efficaciâ Divinæ Voluntatis. Ergò potentiam Dei executivam sitam in Voluntatis Divinæ efficaciâ 16.

ficaciâ non consistere in actualitate Essendi tanquàm formâ Dei propriâ.

17. Contra. Nam Esse Dei per summam actualitatem sui ipsius intelligibiliter expressivum ita est suum Intelligere ac velle, ut consequenter Voluntas Divina secundùm nostros quoque conceptus objectivos formaliter nihil aliud sit, quàm Amor per Esse Dei actuatus, & specificatus. ex D. Tho. *cit. q. 19. art. 1. in Corp. & ad 2. & 3.* At ex hoc ipso, quòd Voluntas Dei per Essentiæ Divinæ Esse sit actuata, & specificata, sequitur, tum quòd nullus sit effectus possibilis, quin secundùm Esse omnis entis ut sic constitutivum subdatur Divinæ Voluntati quoad Esse ceu formam actuantem, ac specificativam Voluntatis quà operantis, tum quòd eadem voluntas Divina per sui ex Esse Divini actualitate formalē actuationē habens sibi subjectas, & subordinatas omnes alias causas, nequeat impediri, quò minùs semper impleatur. *ex cit. q. 19. art. 6.* Cùm proinde ista vis, per quam necessarium est, Voluntatem Dei impleri, sit formaliter vis, seu Potentia executrix actuata per Esse Dei Amoris Divini formaliter specificativum, consequens est, Esse Divinæ Essentiæ quà intelligibiliter in se expressum Amoris in Deo formaliter specificativum esse ut sic Potentiam Dei executricem.

18. Replicabis. Amorem creaturarum in Deo per esse Dei specificatum habere ut sic rationem Causalitatis. Ergò Esse Dei actuans Voluntatem Divinam non tam habere rationem principij, seu causæ primæ in actu primo exequentis, quàm actualis executionis & Causalitatis in actu secundo.

19. Contra. Nam Voluntas, & Amor Divinus considerari potest præcisè quà actuatus per Esse Divinæ Essentiæ sine ordine actualis ad Esse creaturis communicandum tendentiæ, *ex cit. q. 19. a. 1. 2. & 3.* Ut sic autem Amor Divinus se habet ut causa potens formam sui specificativam diffundere ad communicandum Esse rebus creatis *ex cit. q. 19. a. 2. & 3.* Hæc igitur vis ad communicandum Esse rebus habet in Voluntate Divinâ rationem Potentiæ exequentis. *ex cit. art. 4. ad. 4.* Etsi ipse Amor Dei per Esse Divinæ Essentiæ specificatus, quatenus est actualis in creaturam tendentia, seu ad esse actu communicandum determinatio, habeat rationem actualis executionis, seu Causalitatis in actu secundo. *ex q. 20. art. 2. & q. 23. a. 2. & q. 46. art. 1. ad 10.*

20. Instabis. Ex hoc discursu inferri, vim Executricem, atque adeò rationem Divinæ ad extra Potentiæ consistere præcisè in efficaciâ Voluntatis, non autem in virtute Intellectûs Dei. Probatur ista sequela. Quia Potentia, ceu causa exequens nominat immediatum principium operationis. *ex cit. q. 19. art. 4. ad 4.* At principium immediatum operationis Dei ad extra consistere in efficaciâ Divinæ Voluntatis ut imperantis; Scientiam verò Dei se habere ut dirigentem, neque formam operis à Deo faciendi prout est in intellectu tantùm, determinatam esse ad hoc, ut sit, vel non sit in effectu, sed hanc determinationem esse à Voluntate Dei quà Imperante, constat *ex loc. prox. cit.*

21. Contra. Nam operatio Dei ad extra tanquàm ab immediato principio, & causâ Exequente est à Voluntate Divinâ ut imperante, ex S. Doctore *cit.* Est autem imperium *Motivè* actus Voluntatis, *Formaliter* verè est actus rationis seu intellectus. *ex 1. 2. q. 19. a. 1.* At imperium ceu actus rationis in Deo nō potest ex Voluntatis motione procedere secundùm quandā divinæ rationis subordinationem, seu subjectionem ad illam. Oportet igitur, imperium ceu in effectûs divini actum esse *motivè* à Voluntate Dei, quatenus Amor divinus actualem rei creatæ Existentiā communicans per ipsum Esse Dei tanquàm voluntatis divinæ unicum motivum formaliter identicè specificatus, in se per Esse Divinæ Essentiæ actuato est ut sic circa creaturam intelligibiliter expressivus Esse actualis existentiæ. Unde hæc ipsius Esse rei creatæ per Voluntatis Dei determinationem communicandi expressiva in Esse divino intelligibilitas formaliter identicè actuans divinam intellectionem, hanc intrinsece constituit in ratione dictionis, seu imperij efficientis in re creatâ Esse à Voluntate Divinâ prædeterminatum. At istam dictionem, seu imperium esse actionem executricem, seu immediatè effectricem cujusvis rei creatæ, constat ex illo *Psalm. 148. Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Unde omnia per peculiarem quandam appropriationem dicuntur *Joann. 1. esse facta per Verbum.* Consequens igitur est, actionem Dei ad extra immediatè effectricem sitam in dictione non tantùm includere formaliter actionem divinæ intellectionis, sed etiam volitionis quà per Esse Dei specificatæ ut sic formaliter actuantis intellectum divinum ad actualem creaturæ sub ratione existentiæ expressionem, seu dictionem. At potentia Dei, quà causa exequens nominat immediatum principium Operationis. ex S. Thom. *ubi sup.* Ergò ratio Potentiæ Dei executricis formaliter consistit tum in divinâ Voluntate per Esse Dei actualissimum omnis formalitatis ad extra communicabilis in se expressivum actuatâ, habente ut sic efficaciam quidditatibus in Intellectione Dei expressis per Amorem communicandi Esse actualis existentiæ; tum in intellectûs divini virtute per intelligibilem ipsius Esse creaturis præfiniti in Esse Dei expressionem dicendi practicè, seu exercitè, atque ut sic immediatè efficiendi Esse actualis Existentiæ præamatum, & ut sic ex parte Dei causatum in creaturâ.

Responsio ad fundamenta opposita.

AD Suarezij *n. 1.* propositum Fundamentum 22.
Respondetur. Ipsam Dei Essentiam, sive ipsum Esse Dei per Essentiam secundùm quod in Personâ convertitur in agendi principium esse principale proximum actionis Dei ad extra transeuntis principium. ex Alberto Magno *cit. dist. 42. art. 3.* At Esse per Essentiam intelligi in personâ Dei converti in agendi principium, quatenus omnis formalitatis creatæ in se intelligibiliter expressivum specificando, & actuando Intellectum, & Voluntatem, huic tribuit efficaciam quidditatibus in sui ipsius intellectionis expressis per Amorem communicandi Esse actualis existentiæ, illi verò tribuit vim in se ipso dicendi, atque Dicendo immediatè efficiendi Esse creaturæ in suo per se subsistente Esse tanquàm verbo essentiali intelligibiliter expressum. Constat igitur, Esse per Essentiam in Deo posse intelligi

telligi quà principale proximum agendi Principium.

23. Ad secundæ sententiæ *n. 3.* oppositum Fundamentum Respondetur. Exemplar rerum faciendarum in mente divinâ esse principium factionis in actu secundo, quatenus est Verbum Dei Essentiale: Huic autem Dei Verbo Essentiali convenire, quòd per purissimam Essendi actualitatem in Voluntatis Divinæ Decreto Esse creati præfinitivo sit intelligibiliter expressivum Esse creaturæ communcandi. Sicut ergò Exemplar illud est Principium Factionis rerum in actu secundo; sic virtus divini Intellectûs ad Dicendum illud verbum rei creatæ quoad Esse actualis Existentiæ exemplativum, seu expressivum habet in Deo rationem principij factionis rerum in actu primo.

24. Ad Fundamentum *n. 4.* propositum Respondetur. Totum illum discursum esse solidum, ac probari per ea, quæ latè adducit Gonet citatus. In cujus adeò Confirmationem ex ijs, quæ *sup. q. 5. art. 1. conl. 2.* deduximus, superaddi posse, quòd in Deo principium operationis sit forma intellectûs. ex S. Thomâ *cit. q. 14. art. 8.* In Deo autem, cujus Esse est suum intelligere, forma Intellectûs est ipsum Esse per se subsistens. *ex loc. cit.* At istud Esse, quatenus est forma in intellectu tantùm, non determinatur ad hoc, quod sit, vel non sit in effectu nisi per Voluntatem. *ex q. 19. art. 4. ad 4.* Est autem Esse Dei, qua divini Intellectûs forma principium Operationis, quatenus habet vim determinativam ad hoc, quod ponitur in effectu: Huic verò vi determinativæ Voluntatis Dei propriæ respondet in intellectu virtus dicendi, ac in ipso Esse divinæ Essentiæ intelligibiliter exprimendi, atque dicendo faciendi Esse rei creatæ præfinitum à Voluntate divinâ. In illâ ergo tum determinativâ Voluntatis Divinæ propriâ vi, & efficaciâ, tum per dictionem seu Verbum expressivâ intellectûs divini propriâ Virtute consistit ratio Potentiæ Dei executricis.

25. Ad Fundamentum *n. 5.* propositum Respondetur. Esse solidum, posseque confirmari ex Doctore Angelico 1. 2. *q. 17. art. 1. in fine Corporis* ita disserente: *Primum Movens in viribus animæ ad exercitium actûs est Voluntas: Cum ergò secundum movens non moveat, nisi in virtute primi Moventis: sequitur, quòd ipsum, quod ratio movet imperando, sit ei ex virtute Voluntatis.* Hinc enim ad nostrum institutum sic argumentari licet. Intellectus divinus imperando ut fiant, atque adeò existant res creatæ, movet in virtute Voluntatis divinæ non quà dominantis, sed formaliter identicè sibi identificatæ. Ex hoc autem sequitur, divinam Voluntatem per ipsum Esse Dei subsistens actuatam ita habere virtutem Esse rerum creatarum præfinitivam, ut hæc ipsa virtus per purissimam Esse divini auctualitatem sit in intellectu divino vis Dicendi, ac Dicendo faciendi Esse rerum creatarum. Constat igitur, Potentiam in Deo Esse formaliter Voluntatem, ita tamen ut includat Intellectûs divini virtutem Dicendi, & ut sic faciendi in rebus creatis Esse actualis Existentiæ.

26. Ad Serræ *n. 6.* propositum Fundamentum Respondetur. Id omninò subsistere tanquàm solidum, posseque expressis S. Doctoris verbis confirmari *præs. q. 25. art. 1. ad 4.* affirmantis: *Dicendum, quòd ipsa Scientia, vel Voluntas Divina, secundùm quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ.*

Ad Alberti Magni *n. 7.* propositum Fundamentum Respondetur: Omninò congruere cum Doctrinâ sui Angelici Discipuli Thomæ Aquinatis; quorum adeò duorum Ecclesiæ Sanctæ Luminum hîc de Creaturarum effectrice divinæ Voluntati, ac Intellectui formaliter immanente actione menti, D. Augustini conformiter traditæ Doctrinæ si insisterent moderni Scientiæ Mediæ propugnatores, non tantopere aberrarent, tum à Divinæ Præscientiæ Causalitate, tum à ratione divinæ Intellectionis Motivâ ad cognoscenda futura contingentia sive absoluta, sive conditionata, tum ab efficaciâ intrinsecâ divinæ Voluntatis, ejusque Causalitatis, tum consequenter à Mysterio divinæ Prædestinationis, ac perfectionis; hæc enim omnia Mysteria in eo duntaxat sita sunt, quòd in Deo sit actio & consequenter in æternitate Causalis determinatio ad cujusvis creati effectûs Esse in tempore ponendum, veluti *sup. q. 5. præsertim art. 4. & 5. per tot. nec non q. 6. præsertim art. 5. & 6. demonstratum est.* 27.

Ad Ioannis à S. Thomâ *n. 8. & 9.* propositum Fundamentum Respondetur. Per omnia probari tanquam conforme Angelico Doctori. *1. p. q. 14. art. 8.* Ex quo tale formari posse argumentum. Nam forma intellectûs in Deo ita est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis. At forma naturalis, in quantum est forma manens in eo, cui dat Esse, non nominat principium actionis, sed secundùm quod habet inclinationem ad effectum. Similiter ergò Forma intelligibilis in Deo non nominat principium actionis, secundùm quod est tantùm in intelligente, nisi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ est per Voluntatem. *ex cit. art. 8.* Iuxta quam adeò doctrinam oportet in Scientiâ Dei ratione nostrâ, seu Virtualiter distinguere tum rationem Contemplationis, secundùm quam intelligitur præcisè in Intellectu divino quoad Esse quietum subsistens: tum rationem dictionis Esse creati per Voluntatis divinæ Inclinationem determinati expressivæ, atque ut sic factivæ, seu operativæ, sub quâ formalitate à Doctore Angelico *cit. a. 8.* vocatur Scientia Approbationis, habens ut sic rationem Causalitatis divinæ in actu secundo. Pari ergò ratione in divino Intellectu oportet Virtualiter distinguere tum rationem Contemplationis secundùm prioritatem virtualem antecedenter ad Voluntatis divinæ determinationem in Esse divino realitates creatas quoad puræ possibilitatis statum repræsentantis, tum formalitatem virtutis per divinæ Voluntatis ex Esse Dei actuatam, atque ut sic Intellectui divino identificatam efficaciam, quæ ut sic importat virtutem dicendi, seu practicè, ac exercitè exprimendi in rebus creatis Esse actualis Existentiæ. In quâ proinde virtute divini Intellectûs tanquàm primo actu rerum ad extra effectivo consistit Formalitas divinæ Potentiæ Exequentis. 28.

Ad Nazarium *n. 10.* inductum Respondetur. Ejus Doctrinam ritè intellectam à nobis haud discordare. Unde ad Authoritatem D. Thomæ *n. 10. & 11.* propositam dicimus: Voluntatem Dei posse considerari vel præcisè in ratione Amoris per divinam Essentiam in se intelligibiliter expressam actuati, ac specificati; Ut sic autem Amorem 29.

morem in Deo habere rationem essentialem a-ctualissimæ Voluntatis, vel hunc Amorem Voluntatis divinæ in ratione purissimi actûs constitutivum posse considerari secundùm efficaciam ex ipsâ divini Esse actuatione sibi convenientem ad Esse creatis quidditatibus in Essentiâ divinâ intelligibiliter expressis communicandum. Hanc verò Amoris per Esse Dei subsistens actuati Efficaciam esse rationem Voluntatis divinæ Attributalem: cum quâ proinde Voluntatis divinæ efficaciâ subsistere in Dei Intellectu vim dicendi ipsum Esse circa creaturam præamatum, supponereque virtualiter creaturarum Esse possibile expressum in divinâ Intellectione habente ut sic vim præcisè directivam, non formaliter secundùm rationis nostræ ratiocinatæ conceptum physicè effectivam, seu immediatè Causativam. Constat igitur, quomodo scientia Dei, quatenus creaturas secundùm puræ possibilitatis statum attingit, sit dirigens. Voluntas autem per efficaciam suam *Motivè*, ipsa verò Intellectio creaturarum quoad Esse à Voluntate divinâ rebus creatis præfin..um expressiva *Formaliter* imperans sit, atque ut sic per Voluntatis Dei sub purissimâ Esse divini actualitate determinationem actuata sit exequens, ac in creaturis immediatè efficiens Esse actualis Existentiæ.

CONTROVERSIA III.

An vis creativa Potentiæ DEI infinitæ adeò sit propria, ut nulli creatæ Substantiæ possit communicari?

1. DUrandus *in 2. dist. 1. q. 1.* affirmat, vim creandi etiam principalem respectu alicujus peculiaris effectûs posse creatæ substantiæ communicari. Adstipulatur Arriaga *in Phys. disp. 11. sect. 5. subsect. 2.* asserens, illam sententiam probabiliorem.

Fundamentum. Nam vis creandi etiam per modum Causæ principalis non arguit Potentiam infinitam. Ergo est creaturæ communicabilis. Antecedens probatur 1. Tum quia creatio est productio rei ex nihilo, sive Entis ex non Ente. At inter Ens, & non Ens intercedit distantia tantùm finita. Ergò ad Ens ex non Ente, seu nihilo producendum non requiritur nisi virtus finita. Tum quia quando actio, sicuti est creatio, non habet subjectum, nec terminum à quo, sed effectum duntaxat seu terminum ad quem, tunc tota ratio virtutis productivæ, & quantitas illius attendenda est ex perfectione effectûs producti. At terminus creationis secundùm suum Esse, ac perfectionis gradum est finitus. Ergò non repugnat, vim creandi communicari.

2. Confirmatur. Non enim est minùs possibile Deo, accidens separari à subjecto, quando producitur ab agente naturali, quàm ubi jam priùs erat productum. Atqui accidens jam productû virtute divinâ separari à subjecto, docemur ex Mysterio SS. Eucharistiæ. Possibile igitur est, ab agente Naturali produci accidens à subjecto separatum, Deo concurrente non ad rei productæ Entitatem, sed ad ejus independentem à subjecto Existentiam.

Magister Sententiarum *in 4. dist. 5. cap. ult.* S. Thomas *ibid. q. 1. art. 4. quæstiunculâ 3. ad 4.* Suarez *in Metaph. disp. 20. sect. 3. n. 9.* Hurtadus *disp. 12. sect. 6.* Albertinus *to. 1. q. 1. Theol. int. Coroll. ex 2. princ. Philos.* ita negant, possibilem creaturam, cui innata sit vis principalis creandi, ut tamen existiment, posse creaturam ut Instrumentum elevari ad creandum. Fundamentum Suarezij *ubi sup.* 1. Etenim à cæteris actionibus differt creatio, quòd non sit actio ex subjecto. At ista differentia non adeò universalis est, quin etiam Transubstantiationi conveniat esse actionem, quæ non sit ex subjecto. ex S. Thom. *3. p. q. 75. art. 3.* Etsi verò in Transubstantiatione supponatur aliquid tanquàm Materia remota, & ut terminus à quo, vel sub aliâ simili habitudine, nihil sanè refert, ut minùs repugnet Instrumentum creatum concurrere ad illam actionem, quàm ad creationem. 3.

Confirmatur. Nam ex eo, quòd creatio sit actio sine subjecto, solùm infertur, non posse creaturæ, neque ut principali virtuti, neque ut instrumento esse connaturalem. Atqui actio etiam Conversiva totius substantiæ in totam substantiam non potest creaturæ neque ut principali Causæ, neque ut Instrumento connaturalis esse, sicut actio in Spiritum qualitatis spiritualis præsertim productiva nequit connaturaliter convenire igni Corporeo, & tamen utraque communicatur virtute divinâ per elevationem. Ergò idem videtur dicendum de actione creativâ. 4.

D. Thomas *1. p. q. 45. art. 5.* D. Bonaventura *in 2. dist. 1. art. 1. q. 1. ad 5. in fine.* Alensis *in 4. dist. 1. 2. p. q. 6. memb. 2. art. 4.* Scotus *eâd. dist. 1. q. 1. à n. 28. usque ad 32.* Richardus *in 2. dist. 1. q. 1.* Rada *Controv. Theol. p. 2. Contr. 2.* Cajetanus *in cit. q. 45. art. 5.* Ferrariensis *2. cont. Gentes cap. 12.* Vasquez *1. p. disp. 175. cap. 2.* Ioannes à S. Thom. *in 1. p. to. 2. disp. 18. art. 4.* Oviedo *in Phys. Controv. 13. punc. 4.* & plures alij negant simpliciter, Potentiam creativam sive principalem, sive Instrumentalem esse creaturæ communicabilem.

CONCLUSIO.

VIs creativa principalis nulli creaturæ est communicabilis.

Probatur ratione Doctoris Angelici *cit. art. 5.* 5.
Oportet enim universaliores effectus in universaliores, & priores Causas reducere. At inter omnes effectus universalissimum est ipsum Esse. Oportet igitur, quòd Esse sit proprius effectus Primæ, & Universalissimæ Causæ, quæ est DEUS. Unde etiam dicitur *lib. de Causis*, quòd neque Intelligentia, neque Anima nobilis dat Esse, nisi in quantum operatur ratione divinâ. Atqui producere Esse absolutè, non in quantum hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis. Ergò creatio est propria actio ipsius Dei. D. Augustino *3. de Trinit. cap. 8.* attestante, *quòd neque Boni, neque Mali Angeli possint esse creatores alicujus rej.*

Opponit Scotus *cit. q. 1. n. 7* Hanc Doctoris Angelici probationem ad istas duas reduci propositiones. *Esse simpliciter est proprius effectus Dei, & Esse simpliciter est proprius terminus creationis.* At priorem esse 6.

rem eſſe falſam; Tum quia generatio ſecundùm
Philoſophum eſt ad Eſſe, tum quia à quocum-
que generatur Compoſitum, per ejus actionem
Forma eſt in Materiâ, Formam autem eſſe in
Materiâ, eſt Compoſitum habere Eſſe. Quare di-
cendum, quòd à quocumque etiam creato Effi-
ciente generatur Compoſitum, ab eodem ſit
effective Eſſe Compoſiti: Falſum igitur eſſe, quòd
Eſſe ſit proprius effectus Cauſæ Primæ. Ergò ex
prætacto Doctoris Angelici Fundamento non
concludi, quòd creatio ſit ſolius Dei.

7. Contra. Nam unumquodque agit, ſecun-
dùm quod eſt in actu. Omnis igitur Entis, quod
in Eſſendo habet actum admixtum Potentiæ;
effectus eſt actus Potentiæ admixtus. Talis
verò eſt Motus, qui eſt actus Entis in Potentiâ,
ſecundùm quod in potentia. At Eſſe de ſe non
dicit Imperfectionem, nec Potentiæ admixtio-
nem, ſed hæc imperfectio ei communicatur, qua-
tenus eſt receptum in alio. Cùm igitur Deus ſit
actus purus ſine admixtione Potentiæ, ejus pri-
mus effectus eſt Eſſe, cum econtra primus effe-
ctus creaturæ ſit Motus. At omnis Motus fun-
datur in Materiâ. Ergò omnis virtus, ſeu Po-
tentia creaturæ in ſuâ actione præſupponit ma-
teriam propter ſuæ actualitatis defectum, veluti
hoc ipſo argumento arguit Scotus *q. 6. de rerum
princ. a. 1. n. 12.* Atqui creatio eſt productio rei ex
nihilo materiæ, ſeu potentialitatis etiam ſecun-
dùm Naturæ duntaxat prioritatem præſuppoſi-
tæ. Ergò ex eo, quòd Deus per ſuam propriam
Eſſentiam ſit purus Eſſendi actus; etiam ſecun-
dùm Scotum vix quoad hoc ſibi concordantem,
efficaciter probatur, Creationem ſoli Deo pro-
priam Eſſe, nec ulli creaturæ poſſe communi-
cari.

8. Confirmatur 1. Nam forma eſt in agente
principium operandi. ex S. Tho. *q. 7. de Potent.
art. 2.* & Scoto *cit. art. 1. n. 10.* Ergò in Ente, cujus
Eſſentia eſt Eſſe ſubſiſtens, oportet, quòd ipſum
Eſſe ſit principium. At ex hoc ipſo, quòd omne
agens intendat producere ſibi ſimile, oportet
principium formale quà effectivum importare
rationem aſſimilandi ſibi effectum. ex Doctore
Angel. *1. p. q. 41. art. 5.* Cùm igitur ſoli Deo, nul-
li verò creaturæ convenire poſſit, quòd ejus Eſ-
ſendi Forma ſit Eſſe, conſequenter in effectu crea-
to Eſſe ut ſic non poteſt creaturæ alicujus virtu-
tis eſſe proprius effectus, ſubtili quoque Docto-
re *in Comment. ad 4. Metaph. cap. 1. n. 4.* adſtipu-
lante, *quòd Primæ Cauſæ ſit cauſare Ens, in quantum
Ens, ſecundæ verò inferioris Cauſæ talitatem Entis.* Con-
9. firmatur 2. Quævis Cauſa extendit ſe ad om-
nem effectum habentem formalitatem, per quam
aſſimilatur, quæq; in Cauſa eſt principium ope-
randi. Unde quia omnes Cauſarum etiam ſe-
cundarum effectus conveniunt in Eſſe, oportet,
illam Cauſam, cujus Forma tanquàm ratio, &
actus purus Eſſendi quoad Eſſe ſibi aſſimilat om-
nem effectum ita eſſe Vniverſalem, ut ſit cauſa-
tiva omnis effectûs, ipſo etiam Scoto fatente *in
cit. cap. 1. Metaph. n. 4.* Atqui Eſſe ſimpliciter eſt
terminus creationis proprius, uti ex Angelico
Doctore *1. p. q. 45. art. 5.* ſupponit Doctor ſubtilis
in 4. diſt. 1. q. 1. n. 7. Cùm igitur vis creativa eſſen-
tialiter terminetur ad Eſſe ſimpliciter ex nihilo,
ſeu ex nullo in vi Cauſæ materialis præſuppoſi-
to ſubjecto producendum, oportet, vim creati-
vam ex ratione ſuâ formali eſſe in cauſando ita
univerſalem, ut ſe extendat ad omne Ens, &
Entitatem, ſubtili etiam Doctore *cit. n. 4. Me-
taph.* aſſerente, *Cauſam, cujus effectus eſt Ens, in quan-
tum Ens, eſſe univerſalem omnis Entitatis Cauſativam.*
At eo ipſo, quòd Cauſam Univerſalem omnis
Entitatis in infinitum productivam oporteat in
cauſando, atque adeò Eſſendo eſſe infinitam, ſe-
quitur talem, virtutem univerſalem ex ratione
ſuâ tendentem ad Eſſe, quà talem, non poſſe ulli
creaturæ eſſe communicabilem. Unde Sanctus
quoque Doctor *in 2. diſt. 15. q. 1. a. 2.* ait, *Agens,
quod dat Eſſe, ita Eſſe Divinum, ut iſte modus actionis ſoli
Deo conveniat,* ſiquidem iſtud Eſſe nequeat cauſari
ab agentibus inferioribus, niſi quatenus cauſant
in Virtute Cauſæ primæ. ex D. Thomâ *q. 7. de Po-
tent. art. 2.* Cùm proinde vis creativa cauſas Eſſe quà
tale ſimpliciter importet Infinitatem tam Eſ-
ſendi, quàm Cauſandi, evidenter demonſtratur,
nulli creaturæ eſſe communicabilem. D. Cyrillo
Alexand. *lib. 2. cont. Iulian.* atteſtante: *Inacceſ-
ſa Naturæ eſſe ea, quæ propria ſunt ſolius, & opimum ſum-
mæ Subſtantiæ. Quorum unum eſſet, efficaciter producere
poſſe ut creatorem, ac producere res, quæ aliquando non
erant.*

CONCLUSIO II.

NEque vis creandi Inſtrumentalis po-
teſt ulli creaturæ ſecundùm Poten-
tiam etiam Obedientialem communica-
ri.

Probatur ratione D. Thomæ *cit. q. 45. art. 5.* O- 10.
portet Cauſam Inſtrumentalem ſecundâ partici-
pare actione Cauſæ ſuperioris. Hæc autem actio-
nis Cauſæ ſuperioris participatio competit Cau-
ſæ Inſtrumentali, in quantum per aliquid ſibi
proprium *Diſpoſitivè* operatur per effectum prin-
cipalis Agentis. Atqui effectus proprius Dei
Creantis eſt Eſſe abſolutè. Hoc autem præſup-
ponitur omnibus alijs. At verò ad effectum om-
nibus alijs præſuppoſitum non poteſt agens ali-
quod diſpoſitivè, atque adeò inſtrumentaliter o-
perari. Cùm igitur de ratione Eſſentiali crea-
tionis ſit non eſſe ex aliquo præſuppoſito, ſed
operari Eſſe abſolutè tanquàm effectum omni-
bus alijs præſuppoſitum: nequeat verò agens
aliquod diſpoſitivè operari ad effectum omnibus
alijs præſuppoſitum, evidenter ſequitur, nul-
lum agens poſſe Inſtrumentaliter, id eſt diſpoſi-
tivè præoperando creare aliquem effectum.

Opponit Scotus *in 4. diſt. 1. q. 1. n. 9.* Dari 11.
Inſtrumentum attingens ſuâ actione ipſum prin-
cipalis Agentis terminum, ſicut Monetarius per
Inſtrumentum inducit formam in monetam, &
Sigillator in Ceram; Quocirca de ratione In-
ſtrumenti non eſſe ad effectum principalem di-
ſponere, niſi ſit Inſtrumentum in actione, quæ
diſponit ad effectum principaliter intentum.
Hoc autem ſolùm tenere, quando ſunt plures a-
ctiones ordinatæ, quarum una ad aliam diſpo-
nit. At poſſe abſolutè eſſe Inſtrumentum in prin-
cipali actione, licèt non concurrat in aliquâ aliâ
præcedente. Quare Doctoris Angelici propo-
ſitionem: *Quòd Inſtrumentum per aliquid ſibi proprium
cauſet diſpoſitionem ad terminum principalem,* tunc ſo-
lùm habere Veritatem, *quando non poteſt virtute prin-
cipalis Agentis attingere ad illum terminum principalem.*
At non eſſe probatum à Doctore Angelico, quòd

creatura non possit in virtute Dei attingere terminum creationis: hunc enim terminum ex mente Angelici Doctoris dici Esse absolutè. Hoc verò Esse absolutè non ita esse proprium Dei effectum, qum sit effectus Causæ quoque secundæ. Nihil ergò esse firmitatis in allegatâ ratione Angelici Doctoris, ut adeò in Scholio ad subtilis Doctoris *cit. q. 1. n. 31.* dicatur, non ratione, sed authoritate duntaxat Patrum efficaciter probari, quòd virtus creativa etiam Instrumentalis non possit creaturæ alicui communicari.

12. Contra. De ratione Instrumenti est agere virtute principalis Agentis, quia Doctore subtili *cit. q. 1. n. 9.* fatente, in quâcumque actione non ageret in virtute principalis agentis, in illâ non esset Instrumentum, sed agens principale. At Instrumentum quatenus per suam actionem agit in virtute principalis agentis, operatur ut sic dispositivè. ex Doctore subtili *cit.* Ergò Instrumentum agere dispositivè non est causare dispositionem ad terminum principalis agentis, sed est operari ipsum effectum principalem ex vi motionis, seu actionis receptæ in Instrumento tanquàm Causâ per illam ipsam actionem physicè, sed tamen Ministerialiter ac in virtute principalis agentis efficiente principalem effectum. At eo ipso, quòd ista actio in Instrumento sit accepta, oportet ipsam esse ex præsupposito subjecto, nec adeò habere ut sic rationem creationis, cùm creatio non sit ex aliquo præsupposito, uti arguit S. Doctor *sup. citatus.* Constat igitur, allegatam Doctoris Angelici rationem efficaciter concludere.

13. Instabis. Creationem ex S. Anselmo *in Monolog. c. 8.* definiri, quòd sit actio, quâ aliquid dicitur esse ex nihilo, quia non fit de aliquo tanquam Materiâ, vel subjecto, aut quovis alio modo, sed post omnino nihil recipit Esse. At licèt illa actio Causæ secundæ Instrumentali impressa non esset de nihilo Materiæ, effectus tamen per ipsam physicè productus posset esse de nihilo subjecti, Sic enim Corpus Christi in Eucharistiâ sustentando quantitatem panis in instanti Transsubstantiationis Eucharisticæ ita recipit in se actionem sustentativam illius quantitatis, ut hæc pro illo instanti incipiat existere de nihilo Causæ Materialis, ac independenter ab omni subjecto. Ergò illa actio sustentativa Corporis Christi in quantitatem Eucharisticam exercita potest respectu hujus dici creativa. Ergò Corpus Christi secundùm potentiam Obedientialem elevatum tanquàm Instrumentum Dei erga illam quantitatem exercet actionem creativam.

14. Contra. Nam illa ipsa actio sustentativa à Corpore Christi in quantitatem Eucharisticam exercita (de quâ in Controversiis meis Scholasticis *Controv. 47. n. 2.*) per suum Esse receptum in subjecto habet Essendi rationem limitatam. At forma, seu actio habens Essendi rationem limitatam non potest in suo effectu respicere Esse nisi quà limitatum. Hæc autem Essendi limitatio omni creato effectui essentialis est per hoc, quòd ejus Esse Existentiæ non sit per se subsistens, sed receptum in aliquo supposito. Est igitur proprium omni virtuti, & actioni creatæ respicere Esse effectûs non simpliciter, sed sub illâ limitationis formalitate, secundùm quam habet Esse Existentiæ dependens ab alio tanquàm subjecto. At eo ipso, quòd cujusvis Causæ creatæ actio ab illâ emanans pro termino habeat Esse Existentiæ quà dependens ab alio tanquàm subjecto, seu supposito sequitur, talem actioné non esse de nihilo subjecti. Ergò non habet rationem creationis. ex S. Anselmo *superiùs* definitæ. E contra verò in effectibus creatis Causalitati divinæ quà tali respondet Esse simpliciter, non verò taleitas Entitatis. 15.
ex Doctore tam subtili, quàm Angelico *ubi. sup.* Hæc autem taleitas Entitatis quà Creatæ est Essentialis limitatio ipsius secundùm intrinsecam Existentiæ creatæ in potentialitate immersionem. Hæc ipsa verò Existentiæ creatæ in potentialitate immersio ita importat formalitatem Entitatis ut sic ex Esse divino derivatam, ut fundet intrinsecè limitationé Entis, in qua ut sic fundatur negatio puræ Essendi actualitatis. At illa limitatio fundans istam actualitatis puræ negationem etsi sub formalitate Essendi positivâ intelligatur effectus Dei; nequit tamen sub formalitate quà fundante negationem reduci in divinam Causalitatem tanquàm effectus Formæ Deitatis proportionatus. Constat igitur, Esse simpliciter eatenus esse effectum Dei proprium, ut limitatio Entitatis creatæ fundans ut sic negationem simplicis in Essendo actualitatis, non sit reducenda in divinam Causalitatem. Unde Deus quamlibet creaturam eatenus de nihilo secundùm Esse simpliciter absque ullâ divinæ Causalitatis, ac termini eidé formaliter respondentis, ac proportionati imperfectione producit, ut ipsa Esse creati in Potétialitate subjecti iḿersio nō nisi secundùm Esse absolutè, non verò secundū Entitatis taleitatem ut sic fundantem actualitatis negationem reduci debeat in divinam Causalitatem. Quæ proinde ratio est, cur Deus in Symbolo Nicæno asseratur Creator omnium visibilium, & invisibilium, illorum etiam Entium, quæ secundùm Esse tam Essentiæ, quàm Existentiæ sunt immersa potentialitati. *de quo infra cont. 5.* Constat igitur, Esse absolutè ita esse effectum Dei proprium, ut nulla creati agentis sive principalis, sive Instrumentalis actio possit tendere ad Esse actuale effectus, nisi sub formalitate immersionis in potentialitate, nec adeo possibilem esse ullam actionem creativam nisi virtutis divinæ in omni suo Effectu Esse simpliciter respicientis eo ipso, quòd Essentiæ divinæ prout est principium operandi, Forma sit Esse subsistens.

Responsio ad opposita Argumenta.

16. AD Durandi *n. 1.* oppositum Fundamentum Respondetur. Negando, quòd vis creandi præsertim principalis respectu cujuscumque particulariter etiam considerati effectûs non arguat Potentiæ infinitatem. Ratio est: Nam Potentiæ infinitas potest considerari vel ex parte ipsius rei factæ, vel ex parte fieri, seu modi faciendi. At licèt res per creationem producta sit in se finita, & limitata, ipsum tamen fieri in creatione ex puro nihilo, sive non Ente tanquàm termino *à quo* simpliciter procedit in Esse absolutè ceu terminum *ad quem*. Est autem improportio, ac distantia infinita Non Entis simpliciter ad Esse absolutè spectatum. Probatur illud Assumptum; quia non Ens simpliciter dicit negationem totius Entis. At Ens universim complectitur Entitates in infinitum possibiles. Ergo 17.
non

Non Ens simpliciter dicit negationem Entitatum infinitam. Unde D. Thomas *in 4. dist. 5. q. 1. a. 3. ad 5. in secundâ respons. arg.* ait: *Inter Ens, & non Ens non esse distantiam infinitam ex parte Entis, nisi Ens sit infinitum, sed verum esse, quòd dicta distantia sit quodammodo infinita ex parte non Entis simpliciter, eò quòd non determinatam distantiam ab aliquo Ente signato transcendat.* Ex quo patet, Distantiam à non Ente simpliciter esse quodammodò infinitam, quatenus non determinatam ab aliquo Ente signato distantiam transcendit. At transcendere non determinatam ab Ente aliquo signato distantiam est, attingere in Ente producto non taleitatem Entis, sed Esse absolutè. Illa verò formalitas, quæ in effectu est ratio saltem analogicè assimilandi effectum cum Causâ, est hujus forma ita dans Esse, ut secundùm Modum Essendi det etiam modum operandi. Unde Ens non secundùm taleitatem limitationis immersæ potentialitati, sed secundùm Esse simpliciter nequit esse effectus, nisi Causæ illius, cujus forma Essendi est ipsum Esse actu. Atqui virtus, quæ est suum Esse actu est infinita se extendens ad omnem effectum, in quo est Esse. Hanc ipsam verò Virtutem dici creativam, constat ex dictis. Oportet igitur, virtutem creativam eo ipso esse infinitam, quòd non Entis, ceu termini à quo distantiam infinitam transcendat, atque adeò ad Esse absolutè, sive ad Ens simpliciter in infinitum possibile se extendat.

18. Ad Confirmationem *n. 2.* oppositam Respondetur. Etsi creatura posset secundùm Potentiam Obedientialem à Deo assumi tanquàm Instrumentum, non tantùm effectivè sustentandi, seu conservandi, sed primò etiam producend accidens independenter à subjecto, hanc ipsam tamen productioné accidentis ex parte creaturæ instrumentaliter id causantis non fore a-
16. ctionem creativam. Ratio est. Quia illa actio haberet intrinsecam essentialem, Divinitùs adeò inseparabilem dependentiam ab Ente creato. Ex hàc ipsâ verò dependentiâ esset Entitatis intrinsecè limitatæ cum Essentiali in potentialitatem immersione. At per istam potentialitatis immersionem, ac limitationem essentialem foret consequens, Entitatem illius actionis esse intrinsecè coarctatam ad taleitatem Entis, sive illius acciden in independenter licèt à subjecto producti. Ex hàc verò intrinsecâ coarctatione esset, quòd actio illa ex ratione suæ intrinsecæ specificationis non esset tendentia ad Esse simpliciter. Ergò non esset creatio, licèt subordinata esset actioni divinæ per Esse Dei absolutum in se subsistens formaliter specificatæ, atque adeò per formam suam essentialem tam respectu illius accidentis independenter à subjecto producti, quàm respectu omnis effectûs creati tendentis in Esse ut sic communicandum creaturæ. Hæc igitur Deo immanens, non illa ex creaturâ instrumentaliter emanans actio respectu illius indepndenter à subjecto producti accidentis haberet rationem Creationis.

Ad Suarezii *n. 2.* oppositum Fundamentum Respondetur. D. Thomam citatum nihil aliud
20. dicere, nisi quòd in Transsubstantione non sit subjectum commune utrique extremorum Conversionis Eucharisticæ. Ex hoc autem minimè impediri, quin actio illa Transsubstantiativa præsertim quà pendens, seu emanans ab Instrumento aliquo creato haberet intrinsecam ex essentiali in potentialitatem immersione limitationem: nec adeò in se ipsâ per omnimodam à potentialitate independentiam esse ex nihilo subjecti, nec consequenter respicere ex ratione suâ quidditativâ terminum secundùm Esse simpliciter, uti superiùs est dictũ. Ex hàc proinde ratione omninò repugnare creationis, non verò transsubstantiationis actioné emanare ab aliquo Instrumento creato. Unde etiam S. Thomas, qui non tam *positivè* approbando, quàm negativè non improbando, sententiæ Magistri docentis: (*Posse creaturæ Communicari Potentiam creandi, ut creet per Ministerium, non propriâ Authoritate*) in libris sententiarum favebat, postea *in sum. cit. q. 45. art. 5.* ponderatâ illâ Magistri ratione sententiam simpliciter negandam censuit, ac refutavit.

Ad Confirmationem *n. 4.* oppositam Respondetur. Disparem esse rationem inter creatio- 21.
nem, & actionem Transsubstantiativam, seu actionem ignis in Spiritum. Nam creatio importat actionem, quæ ratione suâ essentiali sit communicatio Esse simpliciter, & absolutè sub Essendi formalitate spectati. Hanc autem formalitatem essentialiter in suo termino respicientem Esse formaliter quà tale, oportet esse specificatam per ipsum Esse actu in se subsistens. At per se notum est, talem actionem non esse possibilem, nisi quatenus per ipsum Esse divinum est immanenter in Deo subsistens. Patet igitur ratio, cur repugnet creationem (non verò Transsubstantiationem, vel actionem ignis in Spiritum) secundùm Potentiam etiam Obedientialem tum principaliter, tum ministerialiter, seu instrumentaliter communicari Creaturæ.

CONTROVERSIA III.

An Potentiæ Divinæ ex ratione suæ Infinitatis conveniat posse producere species in infinitum perfectiores.

DEI Potentia secundùm duplicem infinita- 1.
tis rationem considerari potest, altera *intensiva* formaliter consistit in vi creativâ, *de quâ egimus cont. præced.* Altera potentiæ divinæ Infinitas est *extensiva* consistens in vi semper in infinitum plures, & perfectiores creaturas producendi, quam à S. Thomâ *1. p. q. 25. art. 6.* insinuatam nos in præsenti examinabimus.

Referuntur Sententiæ.

AUreolus *in 1. dist. 44. q. un. art. 4. propos. 1.*
Durandus *eâd. dist. q. 2.* Arriaga *in Phys. disp.* 2.
13. sect. 3. n. 20. existimant, possibilem esse creaturam aliquam omnium perfectissimam quoad speciem; item & aliam econtrario omnium infimam, quarum priore adeò non posset à Deo produci perfectior; sicut & posteriore non valeret produci imperfectior. Fundamentum ex Arriaga desumptum est. Sumendo totam creaturarum collectionem oportet non omnes creaturas, quæ sunt in hàc collectione, excedi à creaturis. Probatur istud Assumptum. Si enim omnes creaturæ in illâ collectione excederentur

rentur à creaturis, sequeretur, dari mutuum quoad perfectionem inter illas excessum; Hoc autem repugnat. Ergò oportet devenire ad aliquam, quæ à nullâ creaturâ quoad perfectionem exceditur. At ista est suprema. Ergò possibilis est creatura omnium perfectissima.

3. Doctor Angelicus *q. 1. de Potent. art. 2. ad 9. & q. 20. de Verit. art. 4. in med. Corp. & præs. q. 25. art. 6.* Item *in 1. dist. 44. q. 1. art. 3. init. Corp.* Cajetanus *1. p. q. 50. art. 1.* Fasolus *Comment. in 1. p. q. 7. dub. 11. n. 14.* Oviedo *in Phys. Controv. 14. punct. 7. n. 2.* docent, Nullam posse dari speciem creatam, supra quam Deus non possit syncathegorematicè in infinitum aliam Essentialiter perfectiorem producere. Cui sententiæ apertè favet Divin: Dionysius *de Div. Nom.* taliter disserens: *Dicamus, Deum infinitâ vi, ac Potentiâ præditum, non solùm quòd vim omnem in lucem proferat, sed etiam, quòd omnem quoque vim ipsam multùm superet, quòdque possit etiam infinitè infinitas alias potentias, præter eas, quæ sunt, in lucem proferre, nec unquam potentiæ infinitæ, & infinitè prolatæ in lucem effectionem Potentiarum effectricis ejus Potentiæ, quæ omnem infinitatem superat, obscurare, & obstruere possint.*

Conclusio.

PEr allegatam ex S. Dionysio Infinitatis divinæ potentiæ rationem implicat Creatura omnium perfectissima, quâ perfectiorem Deus creare non posset.

4. Probatur. Potentia Dei commensuratur imò identificatur Esse divino quà imitabili ad Extra per sui, omnisque creabilis Essentiæ in se ipso intelligibilem expressionem. At quâlibet datâ creaturâ, est hujus infinita distantia ab Esse divino, non quatenus in se tantùm subsistente, sed etiam quà imitabili ad extra, cùm alioquin unius tandem creaturæ perfectione secundùm intensionis, si non extensionis commensurationem exhauriretur illa divina Imitabilitas, nec adeò esset ut sic infinita. Oportet igitur per Imitabilitatis, atque adeò in hâc radicatæ, imò formaliter identificatæ Potentiæ divinæ infinitatem non posse dari ullam creaturam, quâ non possit Deus in infinitum perfectiorem producere.

5. Dices: Per se manifestum, ac evidens est, non posse Deum producere creaturam vltra omnes possibiles collectivè sumptas. At omnium istarum perfectio, quatenus secundùm totam sui collectionem per unicum in æternitate subsistentem actum simul, ac indivisibiliter substant divinæ Intellectioni, adhuc distat infinitè ab Esse divino, siquidem hoc in se subsistens sit purissima Essendi actualitas, cùm econtra in totâ illâ collectione nihil esset realitatis absque immersione in potentialitatem, per quam est intrinseca, & Essentialis creaturarum limitatio. Est autem Entis perfectio secundùm mensuram actualitatis in Essendo. Cùm igitur non sit possibilis quoad Essendi actualitatem Commensuratio inter terminum divinæ Omnipotentiæ etiam adæquatum, ac Esse divinum ad Extra imitabile, consequens est, non subsistere illam rationem, per quam creatura omnium perfectissima ostenditur impossibilis, eò quòd istius perfectio saltem intensivè non adæquaret Esse divinum ad extra imitabile.

Contra. Nam alia est in Deo Imitabilitas, 6.
seu Communicabilitas ad intra, in hâc enim oportet esse eandem Essentialitatis tam in communicatione activâ, quam passivâ actualitatem, eo ipso, quod sit univoca secundùm consubstantialitatem sive realem formalem substantiæ identitatem. Unde in illâ Dei ad intra Imitabilitate, seu communicabilitate ita ex parte Potentiæ, scilicet Generativæ est Essendi Infinitas, ut ex parte etiam Termini utpote Univoci, & Consubstantialis scilicet Verbi divini in æternitate geniti sit eadem Essendi actualitas simpliciter infinita. Alia proinde in Deo est Imitabilitas ad Extra.
Hæc verò cùm sit Deo formaliter inexistens, est 7.
hoc ipso in Essendi actualitate, & consequenter in ratione principij operativi simpliciter actu infinita. Atqui potentiæ infinitæ terminum adæquatum oportet esse infinitum, siquidem finiti ad Infinitum nulla sit proportio, debeat autem termini adæquati esse commensurationis proportio cum ejusdem Potentiâ productivâ. Hic ipse verò terminus potentiæ divinæ adæquatus cùm non sit univocus, sed secundùm analogicam duntaxat participationem, non est in Essendo actu infinitus. Oportet igitur saltem syncathegorematicè, & in potentia esse eatenus infinitum, quatenus secundùm totam omnium creaturarum in divinâ Intellectione expressarum Essentiarum, & ut sic possibilium collectionem adæquatè commensuratur infinitæ Dei potentiæ. At vero datâ creaturâ omnium perfectissimâ, quâ Deus perfectiorem creare non posset, tunc quoad perfectionem specierum, seu Essentiarum Intensivam daretur in illa perfectissimâ creaturâ terminus, ultra quem in ratione intensivæ perfectionis jam non posset quidquam divina Omnipotentia. Hoc ipsum verò repugnat divinæ Potentiæ infinitati, cujus terminus adæquatus omnimodam creatarum Essentiarum possibilium collectionem importans debet non tantum *extensivè*, sed etiam quoad analogicam participationem *intensivè* esse in Potentiâ syncathegorematicè infinitus, ita ut actu nunquam perveniri possit ad aliquem hujus Intensivæ Perfectionis terminum Essentialiter finitum. Constat igitur, Creaturam perfectissimam, quâ perfectior à Deo produci non posset, non stare cum Infinitate divinæ Omnipotentiæ.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD Arriagæ *n. 2.* oppositum Respondetur. 8.
Eo ipso, quòd Essentiarum creabilium perfectio intensiva sit syncathegorematicè in Potentiâ, non actu Cathegorematicè infinita, non posse in totâ ejusmodi creatæ intensivæ perfectionis syncathegorematicè infinitæ collectione intelligi ultimam, ita ut ne ab intellectu quidem divino assignabilis sit, ultra quam non sit alia perfectior in infinitum producibilis. Quocirca verum esse, quòd nulla sit *determinatè* in intellectu divino expressa creatura, quin ab aliâ in infinitum Syncathegorematicè excedi intelligatur. Neque tamen ex hoc sequi, dari mu- 9.
tuum quoad perfectionem inter creatas Essentias

tias excessum: sicut in causis per se subordinatis dato processu in infinitum esset mutua causalitas. Ratio disparitatis est. Nam pro instanti productionis oportet esse actu Causalitatem omnis Causæ per se influentis. Si proinde nulla Causarum per se subordinatarum, atque adeò in unum effectum per se influentium esset Prima, oporteret ita procedere in infinitum, ut harum omnium Causalitas actu existeret, cum singularum in Causando dependentiâ actuali. Hæc autem dependentia cùm non posset reduci in unam super illas subsistentem Causam, deberet eo ipso ad mutuam eorum Causalitatem recurri. At verò Deus Intellectu suo conspicit quidem totam collectionem omnium creabilium Essentiarum, has tamen non videt actu simul existere, sed infinitas Syncathegorematicè tam *extensivè* secundùm multitudinem, quàm *intensivè* secundum perfectionem. Unde sicuti excessus multitudinis creaturarum à Deo producibilium non est à Divino Intellectu assignabilis, quin major in infinitum excessus possibilis cognoscatur; sic eo ipso, quòd excessus intensivæ perfectionis in creaturis sit syncathegorematicè infinitus, dicit Divinus Intellectus nunquàm sisti posse in tali excessu, quin semper in infinitum major possibilis sit. Quod igitur ex processu Causarum per se subordinatarum infinito, primâ Causâ negatâ, argueretur mutua Causalitas; econtra verò negatâ primâ seu perfectissimâ creaturâ nõ inferretur mutuus specierum creatarũ excessus, hujus disparitatis rationem reduci in id, quòd tota illa causarum infinitarum Causalitas per se subordinata esset actu simul existens; econtra verò in speciebus creabilibus non sit à Divino Intellectu assignabilis processus nisi potentiâ Syncathegorematicè infinitus.

CONTROVERSIA V.

Utrùm Omnipotentiæ Divinæ in rebus creatis respondeat Potentia Obedientialis non tantum Passiva, sed etiam Activa?

1. POtentia Obedientiæ à S. Thomâ *3. p. q. 11. a. 1.* dicitur, quatenus Agens primum potest quamlibet creaturam reducere in aliquem actum altiorem actu, in quem reducitur per agens Naturale. Ejusmodi adeò Obedientialem Potentiam dari in rebus creatis, testatus est Divus quoque Augustinus *lib. 9. de Gen. ad litter. cap. 19. super hunc autem*, inquiens, *motum, cursumque Naturalem potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent.* Et infra: *Verumtamen alio modo dedit, ut non hoc haberent in motu Naturali, sed in eo, quòd ita creata essent, ut eorum Natura Voluntati potentiori amplius subjaceret.*

2. Cœterùm quòd Ferrara *1. cont. gent. cap. 5. in fine.* aliique Thomistæ hanc Potentiã Obedientialem statuant in aliquâ non repugnantiâ, seu Obedientiâ negativâ, id Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo. disp. 11. cap. 2. n. 2. 3. & 4.* eo accipit sensu, quasi Authores illi Thomistici Potentiam Obedientialem dicerent non esse quid positivum reale, sed meram negationem, Verùm hallucinatur citatus de Lugo: siquidem Ioannes à S. Thomâ *in Phys. q. 4. a. 2. §. Quòd si inquiens* mente, ac nomine reliquorum Thomistarum fateatur expressis verbis: Potentiam Obedientialem esse ipsam Entitatem subjecti, prout respicit Agens aliquod Naturali superius, cui subjicitur, & obedit. In quo sensu Nazarius *in 3. p. q. 13. art. 2. Cont. 4. §. Ex dictis sequitur Primò.* ait: Potentiã obedientialem Passivam eatenus nõ dici Potentiam simpliciter, quòd ad hujus rationem requiratur essentialis Ordo, & inclinatio, ac proportio naturalis ad actum: cujusmodi proportio tribui nequeat rerum creatarum naturis in ordine ad actus, & operationes supernaturales. Unde capacitatem, quæ secundùm D. Thomam convenit in Ordine ad supernaturalia, nihil aliud esse, quàm res ipsas cum non repugnantiâ ad actus supernaturales. Hanc verò non repugnantiam, etsi non dicat ordinem positivum supernaturalem, præsupponere tamen Entitatem realem à rebus creatis naturalibus, realiter, & à parte rei formaliter indistinctam, in quâ physicè recipiatur forma supernaturalis. Imò, si activa sit Potentia Obedientialis, præsupponi in re creatâ virtutem activam, cùm sine vi ejusmodi operativâ eo ipso haberet repugnantiam cum formâ supernaturali conferente activitatem in actu primo completam.

Idem de Lugo *cit. lib. 1. disp. 12. cap. 2. n. 1. & 2.* Thomistas Potentiam Obedientialem non nisi Passivam statuentes in rebus creatis, eo accipit sensu, quasi negarent Nativam Potentiarum naturalium activitatem ullo modo concurrere immediatè ad actus supernaturales. Verùm fallitur ille Author non satis penetrans Thomistarum Doctrinam expositam à Nazario *cit. Cont. 4. §. Posterior verò Potentia.* asserente: Virtutem rerum creatarum activam cum non repugnantia ad obsequendum Deo, cooperando ad effectus supernaturales esse formaliter Potentiam Obedientialem Activam. Quare Voluntatis v. g. ad supernaturaliter operandum Potentiam vitalem importare activitatem tum radicalem Voluntati realiter identificatam, tum formalem proximam à Voluntate distinctam, atque sitam in formâ supernaturali. Ad hanc verò supernaturalem activitatem comparat Voluntatem obedientialiter, quatenus secundùm Entitatem suam Naturalem est elevabilis non tantùm in ratione potentiæ receptivæ ad recipiendam supernaturalem formam, sed in ratione Potentiæ etiam activæ, ita ut virtus Voluntatis activa Naturalis recipiendo in se formam supernaturalem exerceat munus Potentiæ Obedientialis Passivæ; at formâ illâ supernaturali tanquàm agendi ratione in se receptâ, simul cum eâ efficienter concurrens ad eliciendum actum supernaturalem exerceat munus Potentiæ Obedientialis Activæ. Ex quo patet, eo 4. duntaxat sensu negari à Thomistis Potentiam Obedientialem Activam, quòd hujus ratio sita sit in Elevabilitate ad actum supernaturalem unà cum formâ supernaturali in se receptâ, vel cum Agente Primo physicè efficienter eliciendum per illam ipsam Entitatem naturalem Agentis inferioris, quòd non tantùm secundùm rationem receptibilitatis, sed etiam Activitatis sit e-

sit elevabile ad actum supernaturalem, uti colligere licet ex Nazario *ubi supra.* & Ioanne à S. *in Phys. q. 4. art. 2. & q. 26. art. 2.*

Quibus proinde circa loquendi modum ita se habentibus, ne opus sit ludere in verbis; præsentis Controversiæ triplicem difficultatem ita formamus. *1. An in rebus creatis detur Elevabilitas ad physicam formæ supernaturalis receptionem, cui Elevabilitati conveniat esse Potentiam Obedientialem Passivam. 2. An detur in creaturis Elevabilitas per formam supernaturalem determinabilis, ac proportionabilis ad physicè efficiendum actum supernaturalem, cui Elevabilitati conveniat esse Potentiam Obedientialem Activam. 3. An universim, ac Transcendentaliter in rebus creatis detur Elevabilitas, secundùm quam possit quælibet creatura tanquàm Instrumentum à Deo assumi ad quemvis effectum physicè, ac immediatè producendum.*

Referuntur Sententiæ cum suis præcipuis Fundamentis.

6. Rada *Contr. Theolog. p. 1. Contr. 1. art. 1. concl. 3.* Potentiam Obedientialem Passivam respectu aliquarum saltem formarum supernaturalium videtur hoc ipso tollere è medio, quòd asserat; Potentiam receptivam actuum supernaturalium esse Naturalem non solùm *subjectivè*, sed etiam *formaliter*, quatenus naturaliter sit propensa, & inclinata ad eos. Fundamentum ex eodem petitum est. Nam omnis Potentia receptiva in ordine ad formam vel est Naturalis, vel violenta, vel neutra. Sed Potentia v. g. Intellectiva creata est receptiva cognitionis supernaturalis. Illa verò Potentia non est violenta, cùm alioquin Beati essent violenter sub Beatitudine, neque est neutra: hæc enim talem importat respectu Formæ alicujus capacitatem, ut in hâc tamen nulla sit ad illam inclinatio naturalis. Est autem cognitio supernaturalis visio præsertim Beatifica, maxima, & suprema perfectio Intellectûs, qui proinde in eam multò magis inclinatur naturaliter, quàm in cujuscunque alterius objecti naturalis cognitionem. Oportet igitur Potentiam creatam intellectivam esse naturaliter receptivam visionis Beatificæ.

7. Confirmatur 1. Authoritate Doctoris Angelici *1. 2. q. 113. art. 10.* taliter disserentis. *Secundò in quibusdam miraculosis operibus invenitur, quòd forma inducta est supra naturalem Potentiam talis materiæ, sicut in suscitatione mortui vita est supra Naturalem Potentiam talis Corporis. Et quantum ad hoc Iustificatio impij non est miraculosa, quia naturaliter anima est gratiæ capax: eo enim ipso, quòd facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per Gratiam.*

8. Confirmatur 2. Authoritate subtilis Doctoris *in 1. dist. 1. q. 1.* loquentis in hæc verba. *Ad propositum dico, quòd comparando Intellectum possibilem ad notitiam actualem in se, nulla est sibi cognitio supernaturalis; quia intellectus possibilis quâcumque cognitione naturaliter perficitur; & ad quamcumque naturaliter inclinatur.*

9. Oviedo *in Phys. Contr. 10. punct. 7. n. 3.* arbitratur, ex omnium Potentiæ Obedientialis Activæ Propugnatorum sententiâ, debere in creaturâ elevandâ ad producendum effectum reperiri quandam virtutem innatam, & inchoatam, quam Vasquez *3. p. disp. 57. cap. 5. n. 26.* vocat vim quandam creaturæ elevandæ suapte naturâ inditam ex proportione cum effectu. Fundamentum ex eodem Vasquezio *1. p. disp. 176. n. 9.* petitum est. Instrumentum secundùm Potentiam Obedientialem elevatum re ipsâ agit id, quod non agebat, antequàm elevaretur. Unde actio tunc immediatè, ac physicè procedit non tantùm à Principio elevante tanquàm causâ principali, sed etiã ab Entitate elevatâ tanquàm causâ Instrumentali. At id, quod per se immediatè formaliter attingit actionem, debet per se immediatè formaliter habere virtutem intrinsecam attingendi actionem saltem tanquàm principium inadæquatum. Oportet igitur, in Instrumento secundùm Potentiam Obedientialem elevabili ad aliquem effectum esse virtutem innatam, & inchoatam ad talem effectum.

Vasquez *locis cit.* Coninck *3. p. q. 62. art. 4. dub. unic.* Alarcon *tract. 6. de Angel. disp. 9. cap. 9.* Gaspar Hurtadus *to. de Incarn. disp. 9. difficul. 4.* Oviedo *cit. punc. 7. n. 6.* & alij negant, quamlibet creaturam posse à Deo elevari ad quemcumque effectum physicè producendum. Fundamentum ex Vasquezio *1. p. disp. 176. n. 20. & 21.* desumptum est. Nam ad illam elevationem in creaturâ præsupponi debet virtus inchoata, & nativa habens proportionem cum aliquâ effectûs ratione intrinsecâ. At si creatura concurreret nativâ suâ virtute ad aliquam rationem in effectu, concurreret ad istam ut propria causa, licèt indigeret secundâ aliâ causâ, aut concursu primæ loco illius, ut complete fieret effectus secundùm omnem rationem. Est autem absurdum dicere, quamlibet creaturam ex nativâ suâ virtute habere se ut Causam propriam etiam incompletam respectu cujuslibet effectûs. Probatur istud Assumptum. Si enim in quovis effectu esset assignabilis ratio respondens cujusvis creaturæ innatæ saltem incompletæ virtuti tanquàm suæ propriæ causæ, sequeretur, posse huic conjungi Causam aliam creatam naturalé, quæ compleret efficacitatem ipsius ad efficiendum quemlibet effectum non supernaturalem secundùm substantiam v. g. restitutionem oculi. Probatur etiam istud assumptum. Frustranea enim esset inchoata virtus ad effectũ secundùm substantiam naturalem, quæ non posset aliâ causâ secundâ naturali compleri, ut integrum effectum, & secundùm omnem rationem produceret. Si ergò in quâvis creaturâ ad quemlibet effectum naturalem esset illa virtus inchoata; oporteret, hanc posse compleri à causâ secundâ naturali, atque adeò illam virtutem inchoatam posse naturaliter elevari ad quemlibet effectum. Hoc autem est absurdum. Ergo & illud, ex quo sequitur. 10.

Potentiam Obedientialem non tantùm in potentijs vitalibus, sed alijs quoque creaturis ad actus, sive effectus supernaturales, ac miraculosos admittunt D. Thomas *3. p. q. 1. art. 3. ad 3. & q. 11. art. 1. & de potent. q. 1. art. 3. ad 1. & q. 6. a. 1. ad 18. & in 1. dist. 42. a. 2. ad 4.* Caietanus *1. p. q. 1. a. 1. §. Ad evidentiam & 3. p. q. 13. a. 2. §. ad evidentiam.* Nazarius *eâd. q. 13. a. 2. Contr. 4.* Navarretus *to. 1. in 1. p. cont. 41.* Ioannes à S. Thomâ *in 3. p. q. 13. disp. 11. art. 3.* Labat *tract. 1. in 3. p. disp. 6. dub. 4.* Suarez *to. 1. in 3. p. disp. 31 sect. 6.* Arriaga *Phys. disp. 12. sect. 4.* Francis. Amicus *to. 7. Curs. Theol. disp. 5.* Franciscus de Lugo *cit. art.* 11.

cit. lib. 1. de Deo unit. disp. 11. cap. 3. & alij plures tum recentiores, tum maximè antiquiores, ita ut Vasquez *cit. disp. 176. cap. 4. in init.* fateatur; ad nostra usque tempora solitum fuisse defendi, quòd quævis creatura ad quemlibet effectum producendum Divinitùs assumi possit.

12. Verùm inter hos Potentiæ Obedientialis Assertores differentia quædam intervenit, nonnullis, speciatim Suarezio *cit. disp. 31. sect. 5. & 6.* Francisco de Lugo *cit. disp. 11. cap. 4. n. 21.* existimantibus: Potentiam Obedientialem activam singulis creaturis inexistentem ad usum suæ cooperationis elevari, & constitui in actu primo proximo extrinsecè per solam coassistentiam Divini Imperij, & Omnipotentiæ Divinæ. E contra illam creatæ Obedientialis Potentiæ elevationem ad supernaturales actus, seu miraculosos effectus fieri per superadditam qualitatem, vel motionem aliquam a Deo impressam cum alijs Thomistis sentiunt Joann. a S. Thomâ, & Labat supra citati.

CONCLUSIO I.

Potentia Formarum supernaturalium receptiva in rebus creatis habet rationem Potentiæ Obedientialis Passivæ.

Probatur Inductione. Nam anima rationa-
13. lis est susceptiva Gratiæ Sanctificantis; Vis intellectiva creata Luminis Gloriæ; Voluntas habitûs Charitatis, velut alibi demonstrabitur. Insuper igni corporeo est vis agendi in Spiritus, sicuti sensibilibus quoque Entitatum Sacramentorum formis est physica Instrumentaria virtus producendi Gratiam supernaturalem. At ista Corporum in Spiritus, & effectuum supernaturalium virtus effectrix est (*uti Conclus. 3.* demonstrabitur) per formam supernaturalem intrinsecè elevativam, & constitutivam rei materialis de se improportionatæ ad causandos supernaturales effectus. Oportet igitur, esse in rebus creatis potentiam formarum supernaturalium receptivam: hanc autem dicimus Obedientialem Passivam, utpote cui in ratione subjecti perfectibilis nulla sit intrinseca proportio ad formam ex intrinsecâ Essentiâ supernaturalem, ut adeò subjecti per formam intrinsecè supernaturalem perfectibilitas non sit nisi secundùm non repugnantiam obedientialis aptitudinis, secundum quam subjacet Voluntati Divinæ potentiori, per quam potest Deus de omnibus facere aliud, quàm eorum quasi seminales rationes habent, uti loquitur S. Augustinus *sup. n. 1. citatus.*

Dices ex Scoto *in q. 1. Prolog. n. 20.* Poten-
14. tiam receptivam vel posse comparari ad actum, quem recipit, vel ad Agens, à quo recipit. In primâ verò comparatione nullam esse supernaturalitatem. At comparando receptivum ad Agens, à quo recipit, esse naturalitatem, quando receptivum comparatur ad tale agens, quod natum est naturaliter imprimere talem formam in tali passo; supernaturalitatem autem esse, quando comparatur ad tale agens, quod non est naturaliter impressivum illius formæ in illo passo. Unde comparando Intellectum possibilem ad notitiam actualem, in se nullam esse sibi cognitionem supernaturalē, siquidem intellectus possibilis quacumq; cognitione naturaliter perficiatur, & ad quamcumq; naturaliter inclinetur. Quare secundo duntaxat modo dici posse cognitionē supernaturalem, quatenus generatur ab agente, quod nō est natum movere intellectum ad talem cognitionem naturaliter. Pari ergo ratione concludit Rada *sup. n. 6.* citatus, nullam esse formam supernaturalem secundum comparationem actûs perfectivi, sed hanc in ratione potentiæ receptivæ respectu cujuscumque actûs esse formaliter naturalem.

Contra. Nam dantur formæ intrinsecè quo- 15.
ad Essentiam supernaturales. Oportet igitur, Potentiam actuum ejusmodi, seu formarum essentialiter supernaturalium receptivam formaliter quà talem non esse naturalem. Antecedens alibi ex instituto probandum, hic una cum consequentiâ breviter, ac efficaciter demonstratur sequenti discursu. Nam possibilitas creatarum Essentiarum consistit in passivâ Divinæ substantiæ imitabilitate secundùm cujusque quidditatis differentiam specificam intelligibiliter expressâ in intellectu Divino. Est autem in aliquibus Entibus creatis Divinæ Substantiæ imitabilitas passiva secundùm ejus gradum quasi specificum. De quâ proinde imitabilitate ait S. Scriptura, quòd per eam fiamus consortes Naturæ Divinæ tanquàm renati Filij Dei secundùm imaginem, & similitudinem Deitatis quoad ipsum Naturæ Divinæ gradum quasi specificum in nobis *participativè* expressæ. At ultra Divinæ Naturam Dei quasi specificam participantis qualitatis quidditatem eatenus excedere universam creatam naturam, ut nulli substantiæ posset esse connaturalis, *sup. q. 4. art. 1. conc. 2.* demonstratum est. Quare Entitatem, seu qualitatē ejusmodi oportet non tantùm in comparatione ad agens, sed intrinsecè, ac essentialiter esse supernaturalem utpote ex suâ quidditate superexcedentē totius naturæ sive substantiæ creatæ connaturalitatem. At verò si respectu talis formæ quoad intrinsecam Entitatem supernaturalis daretur in creatis Potentia naturaliter receptiva; hæc vel formaliter esset substantia, vel tandem reduci deberet in substantiam, siquidem omne accidens in ratione Formæ & à suis proportionatum Entis creati naturali inclinationi reducatur in substantiam tanquàm primum substans, seu connaturaliter ejusdem receptivum, ac sustentativum subjectum. Hæc proinde substantia esset radicaliter & substantialiter in eodem ordine, ac lineâ Entis, in quâ tanquàm accidens in substantiæ illius intrinsecâ connaturali virtute sustentativâ radicatum esset prædicta Forma Deitatis Gradum quasi specificum participans: Unde substantia ejusmodi formæ Essentialiter supernaturalis connaturaliter receptivâ non posset non esse in lineâ Entis supernaturalis, substantialiter adeò subsistentis in naturâ secundùm gradum Deitatis specificum sibi substantialiter communicatâ. At istam substantialem naturæ Divinæ non tantùm *Hypostaticam*, sed *Naturalem* communicationem esse respectu cujusvis creatæ substantiæ impossibilem; constat *ex cont. superiùs citatâ.* Non est igitur possibilis potentia naturaliter receptiva Gratiæ, seu Luminis Gloriæ, aliarumque formarum essentialiter supernaturalium. Ergo istarum formarum in animâ, & intellectu, ac Voluntate, aliovè Ente, ac Substantiâ creatâ vim receptivam oportet ab illorum Entium creatorum naturali Entitate ita esse indultam-

distinctam, ut nullam tamen importet inclinationis, seu perfectibilitatis connaturalis proportionem, sed non repugnantiam Divinæ voluntati, ac Omnipotentiæ Obedientialiter subjectam.

CONCLUSIO. II.

IN Intellectu & Voluntate creatâ datur vis Obedientialis actuum vitalium quoad substantiam supernaturalium vitaliter operativa consistens in intrinseca per formam supernaturalem ceu proximam completam respectu actuum ejusmodi virtutem elevabilitate.

16. Probatur. Nam de fide est definitum in Concil. Trident. *sess. 6. de Iustif. can. 4.* Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non se habere [velati inanime Instrumentum nihil agendo, ac merè passivè se habendo, sed cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quò ad obtinendam Iustificationis Gratiam se disponat, ac præparet. At isti, per quos homo liberè cooperando se disponit ad Iustificationis Gratiam, sunt in substantiâ supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, ac Pœnitentiæ actus. *ex eâd. sess. 6. can. 3.* Oportet igitur in Voluntate adstruere vim activam, seu liberè, ac vitaliter operativam actuum essentialiter supernaturalium. At in his actibus nihil est formalitatis, ac realitatis per physicam Voluntatis creatæ efficientiam attingibilis, quin per identitatem non tantùm realem, sed ex naturâ rei etiam formalem involvat essētialiter supernaturalitatem intrinsecam. Est autem improportio inter activitatem Voluntatis creatæ propriam, & supernaturalitatem illorum actuum intrinsecam, & essentialem. Unde oportet, Voluntatem creatam in ratione potentiæ quà eorundem actuum effectivæ proportionari per elevationem Gratiæ Divinæ Prævenientis, & Adjuvantis. *ex cit. can. 3.* Constat igitur, in Voluntate creatâ talem dari activitatem actuum supernaturalium vitaliter, ac liberè effectricem, ut tamen importet rationem Elevabilitatis per supernaturalem Divinæ Gratiæ virtutem Proportionabilis; cujusmodi adeò activitatem supernaturali virtute Gratiæ elevabilem dicimus Potentiam Obedientialem Activam.

17. Dices. Elevabilitatis rationem importare formaliter potentialitatem, non verò activitatem: Si ergò Potentia Obedientialis Voluntati ad actus supernaturales conveniens consistat in ejusdem per gratiæ Divinæ vim supernaturalem elevabilitate, sequi, quòd illa Obedientialis Potentia non sit activa, sed merè Passiva.

18. Contra. Nam de immediatâ Voluntatis creatæ in actus supernaturales liberos activitate est proportionaliter discurrendum, sicut se haberet substantia animæ, si, prout Oviedo *de Anim. Cont. 3. punct. 1. n. 3.* asserit, immediatè concurreret effectivè ad suas operationes. Tunc enim activitas ejus non esset formaliter in ratione vis physicè effectricis determinata, sed intrinsecè determinabilis à potentijs ab ejusdem substantiâ, uti suppono, realiter distinctis. Pari ergò ratione in Voluntate creatâ Animæ datur intrinseca activitas physicè effectrix actuum liberorum supernaturalium, ut tamen ista activitas non ex se ipsâ determinata sit ad actus supernaturales, atque adeò indigeat formâ supernaturali, quæ vim eorundem actuum proximè effectricem, conferendo Voluntati creatæ intrinsecam activitatem, determinet, ac intrinsecè in ratione virtutis proportionatam constituat. Unde sicut illa cum Animæ substantiâ identificata ergà operationes vitales ex se indeterminata, ac non nisi per formam superadditam, seu formalem potentiam determinabilis Activitas dicitur radicalis: sic Thomistæ illam Voluntatis creatæ virtute supernaturalis Gratiæ determinabilem activitatem vocant radicalem supernaturaliter operandi Potentiam. At in utriusquè hujus radicalis Potentiæ conceptu involvente ut sic activitatis determinabilitatem intrinsecam ita importatur ratio Potētialitatis passivæ, ut hæc ipsa tamen in Entitate tum Animæ, tum Voluntatis dicat intrinsecam activitatem immediatè influxivam in actus vitales. Etsi proinde illa ad supernaturales actus eliciendos Voluntati creatæ per realem formalem identitatem identificata Potentia dicatur obedientialis quà elevabilis, seu per formæ superioris, sive supernaturalis elevationem determinabilis; hæc tamen elevabilitas ita importat formaliter potentialitatem Passivam, ut tamen involvat Entitativè vim activam, ut adeò illa ipsa non in solâ perfectibilitatis, sed vis realiter physicè effectivæ ratione elevabilitas in Voluntate creatâ congruè dicatur Potentia Obedientialis activa.

Instabis ex Francisco de Lugo *cit. disp. 12. cap. 2. n. 2. & 11.* Eo ipso, quòd actus Fidei, Spei, & Charitatis ex suâ intrinsecâ ratione sint vitales, oportere in ijs Essentialem esse dependentiam in genere Causæ Efficientis à principio intrinseco vitali tum radicali nimirum Animæ substantiâ, tum proximo scilicet Facultate Voluntatis creatæ. Ex hâc verò Essentiali actuum supernaturalium dependentiâ evinci, quòd illud principium vitale tum substantiale remotum, scilicet anima, tum accidentale proximum, nimirum Potentia volitiva concurrat secundùm aliquam virtutem activam sibi propriam intrinsecam, ac eo saltem respectu connaturalem, prout comparatur ad formalitatem saltem vitalitatis, ac volitionis ut sic in illis actibus supernaturalibus proportionatæ conatui Animæ, ac Voluntatis vitaliter operantis. Hæc autem refragari Doctrinæ Thomistarum asserentium, vim supernaturalis Gratiæ esse respectu illorum actuum supernaturalium totam Virtutem agendi. 19.

Contra. Nam licèt substantia Animæ immediatè influeret in actiones suarum potentiarum, Intellectus tamen, atque Voluntas in ratione virtutis Intellectivæ, ac Volitivæ essent totale intelligendi, ac volendi principium. Pari ergò ratione Lumen Gloriæ, ac Virtus infusæ Charitatis intelligi possunt habere totalem visionis Beatificæ, & Amoris Divini supernaturalis eliciendi virtutem, etsi Voluntas quoque ac Intellectus habitibus ejusmodi instructi immediatè, ac effectivè in illos influant. Probatur tam Antecedens, quàm Consequentia. Nam animæ quà principij substantialis in suos actus 20.

vitales

vitales activitas immediata non haberet ex se vim determinatam intelligendi, ac volendi, sed determinabilem duntaxat per potentias superadditas. At virtus intelligendi, ac volendi importat determinatam vim in ratione potentiæ actuum ejusmodi effectivam. Cùm igitur illa vis Animæ radicalis, & vis proxima potentiæ formaliter quà talis constitutiva essent principia diversorum generum, nihil obstaret, quò minus potentia Voluntatis, & intellectûs diceretur vis Intelligendi, ac Volendi totalis, licèt cum eâdem in ratione activitatis physicè effectricis non tamen ex se ad intelligendum, seu volendum determinatæ concurreret substantia Animæ ad actus Volitionis, & Intellectionis. Pari ergò ratione comparatur Voluntas cum habitu Charitatis infuso, ac Intellectus cum
21. Lumine Gloriæ. Nam Intellectus, & Voluntas non tantùm non habent vim ad actus supernaturales eliciendos intrinsecè determinatam, sed eorum etiam per habitus infusos determinabilitas non habet cum istis intrinsecam connaturalitatis connexionem; sicuti è contra Anima quoad substantiæ suæ Entitatem ita habet rationem potentialitatis à formis potentiarum determinabilis, ut hæc tamen intrinsecè sit cum ijs connexa. Unde Intellectûs, & Voluntatis creatæ in actus Visionis Dei, & Amoris Divini supernaturales activitas formaliter importat talem per virtutes infusas determinabilitatem, quæ respectu etiam Vitalitatis in illis actibus identicè per realem formalem identitatem supernaturalizatæ nequeat dici connaturalis, sed obedientialis duntaxat, ac elevabilis. Cum igitur Intellectus, & Voluntas cum habitibus infusis ad actus supernaturales concurrant in genere principij physicè quidem, ac immediatè operativi, non tamen in genere potentiæ ex se ipsâ quoad actuum vitalium supernaturalium specificationem determinatæ, consequens est, hanc rationem Potentiæ qua Virtutem Totalem ritè attribui Luminis Gloriæ, ac Charitatis infusæ virtutibus.

CONCLUSIO III.

DAtur universim in rebus creatis Potentia Obedientialis activa consistens in quadam ipsarum Entitati naturali identificatâ Elevabilitate ad quoscunque effectus physicè, ac immediatè instrumentaliter producendos.

Probatur Inductione. Nam Humanitas
22. Christi Domini physicè instrumentaliter causat hominum Iustificationem, & miracula. ex D. Thomâ *3. p. q. 13. art. 2. & q. 48. art. 6. ad 3. & q. 13. art. 6.* Similiter Sacramenta physicè causare Gratiam Sanctificantem, tradit S. Doctor *3. p. q. 26. art. 3. & art. 4. ad 1. & in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. & q. 27. de verit. art. 4.* At verò actio physica importat Essentialem dependentiam à virtute causativâ, à quâ emanat. Unde implicat aliquod ens physicè causativum esse alicujus effectûs, nisi habeat in se vim aliquam operativam. Oportet igitur in Materiâ & formâ Sacramentorum, sicut in Humanitate Christi esse vim quandam physicè operativam illorum effectuum miraculosorum, ac supernaturalium. At eo ipso, quòd isti effectus sint supernaturales, nequit virtus Sacramentorum, & Humanitatis Christi Entitati naturali inexistens in ratione activitatis esse proportionata, & ex se determinata ad illos effectus. Oportet proinde vim Entitati naturali Sacramentorum, & Humanitatis Christi proportionari ac determinari per elevationem superioris virtutis. Est igitur in Entitate illâ naturali de se ad effectus illos improportionatâ vis determinabilis, ac proportionabilis per altioris virtutis impressionem.

Oppones. Posito, quòd Sacramenta, & 23.
Humanitas Christi sint Instrumenta physicè causativa Gratiæ, aliorumque supernaturalium, ac miraculosorum effectuum, tunc posse dici Entitates illas naturales non de se habere vim influxivam in tales effectus, sed accipere quandam Virtutem supernaturalem sibi divinitùs impressam, ratione cujus denominentur Causæ Instrumentariæ, ac obedientialiter effectivæ illorum effectuum. Ex hôc autem fore consequens, quòd ista vis operandi effectus alicujus Entitati improportionatos non sit ponenda, nisi in illo ente, cui talis virtus Divinitus imprimitur, nec adeo transcendentaliter in omni ente admittenda sit virtus Obedientialis ad quosvis effectus producendos.

Contra. Nam de ratione Instrumenti phy- 24.
sici est, quod actio non tantum a virtute superioris Agentis sibi communicatâ, sed ab ejus propriâ quoque potentiâ egrediatur. ex S. Thomâ *q. 3 de pot. art. 4.* Ergò quatenus Sacramenta, & Humanitas Christi sunt Divinitatis Instrumenta physicè causativa supernaturalium effectuum, oportet actionem, seu horum effectuum emanationem activam physicè fluere ex naturali illorum Instrumentorum Entitate, atque huic adeo per se convenire aliqualem vim physicè operativam. Hac autem vi operativâ in Entitatibus Sacramentorum & Humanitatis Christi naturalibus positâ, rectè infertur, potentiam ejusmodi Instrumentariam dari in omni ente creato. Probatur illud Assumptum. Omnis 25.
vis operativa est quodammodò virtualiter præcontinens effectum: Hæc autem præcontinentia virtualis est Obedientialis prout importat, habito ad effectus specificationem respectu, non tantùm de se indeterminatam, sed intrinsecè improportionatam virtutem, ut adeò nihil aliud sit, quàm Elevabilitas quædam in ratione activitatis physicè causativæ per Virtutem altiorem proportionabilis. At ista Elevabilitas causativa quandoque indiget virtutis altioris determinatione quoad specificationem duntaxat effectûs, ita ut quoad exercitiū actûs ex se ipsâ habeat vim determinativam. Hujusmodi verò Elevabilitas Obedientialis est in Voluntate creatâ eatenus determinabilis per Auxilia Gratiæ supernaturalia, ut horum tamen exercitium subdatur ejus Dominio, ac libertati habenti ab intrinseco vim se determinandi ad exercitium actûs. Tunc igitur naturalis Entitas Voluntatis creatæ cum virtute superiore non concurrit Instrumentariè, sed principaliter. Alia proinde est in Entitate v. g. Sacramentorum naturali elevabilitas Obedientialis, secundùm quod habet ingenitam sibi vim adeò tamen improportionatam ad effectum supernaturalem Gratiæ, ut ad hujus cau-

jus causationem in ratione virtutis operativæ indigeat determinatione tam quoad specificationem effectûs, quàm quoad actûs exercitium. Hanc proinde vim non nisi in Virtute superioris Agentis, seu Dei ministerialiter effectivam, seu Instrumentariam oportet virtualiter esse effectûs quodammodò præcontentivam cum ministeriali quâdam subordinatione ad Deum tanquàm principalem Gratiæ, aliorumque supernaturalium effectuum Causam. Atqui virtualis effectuum in Causis præcontinentia, atque adeò vis quà causativa est secundùm modum Essendi. Nequit verò Entitas Sacramentorum naturalis ex modo suo Essendi aliam habere Gratiæ præcontinentiam] virtualem, nisi quà radicatam in ratione Entis creati, ac limitati. Hæc ipsa verò Entis creati ratio importans Essentialem in Essendo, atque adeò operando dependentiam à Deo fundat in naturali Sacramentorum Entitate rationem virtutis Obedientialis instrumentariæ, utpote quæ ex superioris duntaxat virtutis elevatione, & quoad actûs etiam exercitium determinatione constituatur in actu primo & secũdo operativa. At verò ista ratio entis tam in operando, quàm in Essendo essentialiter Deo subordinati transcendentaliter convenit omni enti creato. Cùm igitur hæc ratio sit radix, in quâ ponitur naturalis Sacramentorum entitatis Elevabilitas Obedientialis activa, oportet, ex identitate rationis istam Obedientialem vim Activam in omni ente creato ponere respectu cujuscumque effectûs, ubi non est specialis implicantiæ ratio.

26\. Instabis. Si ergò cuivis entitati creatæ sit intrinseca realiter identificata vis elevabilis ut sic in ratione Instrumenti physicè causativa effectûs etiam supernaturalis, posse hanc vim efficienter operativam à Deo immediatè assumi ad effectum supernaturalem sine prævià virtutis supernaturalis impressione: siquidem possit Deus omnis Causæ creatæ non vitalis concursum supplere in quovis effectu producendo.

27\. Contra. Nam illa vis Obedientialis elevabilis sive principalis, sive Instrumentaria dicit intrinsecam determinabilitatem. Hæc autem formaliter importat potentialitatem actuabilem: implicat autem, esse actuationem potentialitatis, nisi per formam intrinsecè actuantem, seu informantem. Quare vis ex se improportionabilis, nec operativa, nisi quà determinabilis intelligi nequit in actu primo proximo, nisi per actum sui in vi causandi determinativum. Etsi proinde Deus cujuslibet efficientis non vitalis principij concursum potens supplere, se solo posset producere effectus non vitales, quos creatura tanquàm Instrumentum etiam potest elicere ex suâ vi Obedientiali, nequit tamen cum istâ sine intrinsecâ ejus per formam actuatione, ac determinatione aliquid efficere; siquidem talis elevatio formaliter importet formæ elevantis, ac proportionantis actuationem, seu informationem, atque adeò effectum quemdam formalem, quem si Deus suæ Omnipotentiæ Assistentiâ extrinsecâ suppleret, rerum mutaret essentias. Constat proinde ex hoc ipso, quod vis rebus creatis ad effectus superiores obedientialiter producendos innata importet intrinsecam in ratione activitatis elevabilitatem, ac determinabilitatem, oportere omninò per formam intrinsecam elevari Potentiam Obedientialem activam, ut constituatur proximè, & in actu primo completa ad effectum instrumentariè, ac obedientialiter producendum. De quâ proinde virtute elevante, in quo consistat, nos alibi, tertiâ præsertim parte circa D. Thomæ decimam tertiam quæstionem differemus.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD Radæ *n. 6.* oppositum Respondetur. Ex Scoto manifestè evinci, quòd detur habitus, & actu intrinsecè supernaturalis, uti probat Author *Schol. in q. 1. Prologi ad n. 20.* At respectu talis formæ intrinsecè, ac entitativè supernaturalis non posse in subjecto ullo creato esse inclinationem naturalem, velut *sup. Concl. 1.* demonstratum est. Neque verò Potentiam ejusmodi formarum receptivam esse Neutram, siquidem ista respectu formarum artificalium in quantitate dicat non quidem inclinationem, sed proportionem intrinsecam, & naturalem. Convenientiùs igitur illam in substantia creatâ potentiam formarum intrinsecè supernaturalium receptivam vocari Obedientialem, *ut patet ex dictis.* 28.

Ad Confirmationem ex D. Thoma *n. 7.* oppositam Respondetur. Capacitatem Animæ ad Gratiam esse duplicem: alteram purè Obedientialem sitam in substantiâ Animæ naturali, de se quidem improportionatâ, intrinsecè tamen elevabili per formam supernaturalem Gratiæ, cujusmodi obedientialem remotam Potentiam esse etiam in materiâ cadaveris ad recipiendam actionem resuscitativam Animæ per mortem jam separatæ à Corpore. Alteram proinde esse Animæ respectu gratiæ capacitatem secundùm elevationem, vi cujus facta est ad Imaginem Dei. At istam elevationem tum intelligi posse secundùm extrinsecam denominationem ordinationis Divinæ omnes homines Voluntate saltem Antecedente destinantis in salutem, & gratiam; tum secundùm intrinsecam Iustificationi præviam dispositionem habentem connaturalitatem congruitatis cum gratiâ Iustificante. Hanc proinde ex elevatione capacitatem Animæ à Doctore Angelico *loc. cit.* vocari naturalem, quòd licèt ex parte potentiæ Animæ intrinsecâ non importet nisi Obedientialem Elevabilitatem, connotet tamen elevationem ex Divinâ ordinatione vel intrinsecâ animæ supernaturali dispositione connaturaliter proportionatam cum gratiâ. 29.

Ad Confirmationem ex Scoto *n. 8.* oppositam Respondetur. Eo ipso, quòd secundùm Scotum dentur actus, & habitus intrinsecè supernaturales, oportere, quòd supernaturalitas non tantùm sit in comparatione receptivi ad Agens, sed etiam ad actum seu formam, utpote entitativè supernaturalem. At verò stante supernaturalitate per comparationem receptivi ad actum, seu formam, sequi, quòd in tali subjecto receptivo non possit esse inclinatio naturalis ad formam, utpote ex entitate suâ intrinsecâ excedentem talis subjecti proportionem. Oportere igitur admittere Potentiam formæ supernaturalis receptivam sine ullâ ad eam naturali 30.

rali inclinatione, imò & proportione, cujusmodi adeò Potentiam esse Obedientialem Passivam. Viderint proinde Scotistæ quomodo subtilis sui Doctoris Doctrinam concilient in expositione sententiæ *sup. n. 8.* ex Scoto allegatæ adeò discordes, ut Rada *cit. concl. 1.* aliquos præfati textûs expositores Scotistas arguat stultitiæ; de quo non est nostrum judicare.

31. Ad Oviedo *n. 9.* propositum Fundamentum Respondetur. Eo bene probari, quòd in Instrumento secundùm Potentiam Obedientialem elevabili debeat esse virtus innata de se tamen indeterminata, nec partialiter etiam proportionata ad aliquam effectûs, & actionis supernaturalis formalitatem. Quam proin de se improportionatam agendi virtutem radicalem in ratione Potentiæ, ac virtutis proximæ activæ constitui per formam supernaturalem superadditam, quâ tamen obedientialiter in se receptâ, illam radicalem entitativè Naturalem, sed connotativè supernaturalem, atque ut sic obedientialem virtutem cum illâ proximâ agendi Potentiâ concurrere immediatè ad totum effectum. Consequens igitur esse, quòd Potentiæ Obedientialis Activæ propugnatores oporteat in creaturis ponere vim respectu cujuslibet effectûs intrinsecam absque tamen proportione cum effectu, vel aliquâ ejus formalitate.

32. Ad Vasquez *n. 10.* oppositum Fundamentum Respondetur. Negando, quòd in Potentiâ ad effectum supernaturalem obedientialiter elevabili debeat præsupponi virtus nativa habens proportionem cum aliquâ intrinsecâ effectûs ratione. Nam *uti sup.* ostensum est; tota vis obedientialis consistit in Elevabilitate Virtutis non tantùm passivæ, sed etiam activæ ex se improportionatæ, ac indeterminatæ. At istius intrinsecè improportionatæ virtus proportionabilitas nequit actuari, nisi per formam sibi impressam à Primo Agente, cui soli in Essendo, atque adeò operando essentialiter subordinata est creaturæ entitas, in cujus omnimodâ essentiali à primo Agente dependentiâ radicatur illa virtus activa Obedientialis, *uti sup. Concl. 3. probavimus.* Constat igitur, ex nullius creaturæ virtute naturali posse emanare formam, per quam actuari valeat virtus Obedientialis activa ad effectum aliquem in substantiâ quidem naturalem, sed miraculosè vi actionis adeò supernaturalis producendum.

COROLLARIUM.

33. INfertur 1. Quid supernaturalitatis inveniatur in Potentiâ Obedientiali tam activâ, quàm passivâ. Nam *entitativè* est quidem naturalis, ut tamen *connotativè, ac denominativè* dici queat supernaturalis. Ratio est. Tum quia connotat formam non tantùm Passivæ, sed Activæ quoque Potentiæ Obedientialis actuantem: hanc verò formam oportet esse supernaturalem. Tum quia etsi effectus ex Potentiâ Obedientiali Activâ emanans possit quoad entitatem naturalis esse, actio tamen hujus effectiva ex obedientialis Potentiæ per intrinsecam supernaturalem qualitatem, seu motum quendam virtuosum proportionatæ, ac elevatæ Entitate naturali physicè fluens est supernaturalis, ex cujus adeò actionis in se supernaturalis, nec non formæ ad eam actuantis, seu intrinsecè formaliter proportionantis, ac elevantis denominatione, & connotatione potest Potentia Obedientialis denominari supernaturalis.

Infertur 2. Qualiter circa Deum ratione nostrâ ratiocinatâ distinguatur Potentia absoluta, Ordinata, ac Ordinaria. Nam potentia ordinata dicitur, quatenus exequitur Imperium Voluntatis Iustæ directæ secundùm primam Divinæ Sapientiæ rectitudinem. At eo ipso, quòd in Deo sit idem Potentia, Essentia, & Voluntas, & Sapientia, & Iustitia, nihil potest Divina Potentia exequi, nisi quòd sit in ejus Iustâ Voluntate, & Sapientiâ. ex S. Thomâ *præs. a. 5. ad 1.* Unde quidquid de facto operatur Deus, facit secundùm potentiam ordinatam. 34.

Ex quo etiam fit consequens, Potentiam Dei tam extraordinariam, quàm Ordinariam comprehendi sub Ordinatâ Potentiâ: Hæc enim se extendit ad omne, quod Deus operatur ex infinitæ suæ Sapientiæ Dictamine, & omnipotenti Voluntatis suæ Divinæ imperio. 35.

Ex his autem Dei operibus aliqua sunt, quæ fiunt secundùm legem Naturæ impositam, dicunturque adeò fieri ex Potentiâ Dei Ordinariâ; alia verò, veluti Resurrectio Lazari, ita fiunt ex Imperio Dei talem effectum in æternitate decernentis, ut tamen sint supra ordinem legis impositæ Naturæ; quæ Deus adeò dicitur facere secundùm Potentiam suam Extraordinariam. Patet proinde, potentiam Dei Ordinatam tam Ordinariæ, quam Extraordinariæ inclusivam intelligi in ordine ad ea dumtaxat opera Divina, quibus Deus in se ipso actu statuit legem, seu imperium eorundem effectivum. At vero præter hæc infinita adhuc Entia sunt possibilia, quæ hoc ipso non sunt futura, quòd Deus nullum de ijs intra se statuerit imperium seu legem Dictionis Effectricis. 36.

Hæc igitur dicuntur à Deo fieri posse secundùm Potentiam ejus absolutam, quæ eo ipso absoluta dicitur, quòd nullam habeat necessitatem alicujus legis aut imperij, sed illud potius tanquã actus divinæ Omnipotentiæ realiter tamen formaliter cum ipsâ identificatus intelligatur virtualiter præsupponere Divinam Omnipotentiam ex se ipsâ subsistentem cum virtute Dominativâ habendi vel non habendi Decretum, ac imperium, ex quo emanat omnis ad extra effectus Dei. 37.

ARTICULUS II.

De

Providentiâ DEI.

DOctor Angelicus *q. 5. de Verit. art. 1.* secundùm nostrum intelligendi modum distinguit in Deo Scientiam, Dispositionem, Providentiam, & Gubernationem. Nam Scientia importat cognitionem tam Finis, quàm Mediorum; Dispositio verò respicit ea duntaxat, quæ sunt ad finem, non tamen formaliter sub illâ ratione, quâ diriguntur ad finem, sed sub illâ ratione, quâ coordinan- 1.

ordinantur in toto, ſicuti cæli eſt ad terram coordinatio, quòd hæc ſit deorſum tanquàm receptiva influxûs Cælorum, qui adeò ſunt in loco ſuperiori: uti etiam ſpiritualium in univerſo eſt coordinatio ad corporalia, quòd hæc
2. illis ſubijciantur. At verò Providentia eſt ordinatio rerum in finem formaliter ſub illâ ratione, quâ diriguntur ad Finem. Cujus Providentiæ ordinem exequitur Gubernatio, quæ activè eſt in Gubernante, paſſivè autem in rebus gubernatis. De quâ proinde Providentiâ, ejuſqueExecutione activâ, ſeu Gubernatione Deo intrinſecâ in hoc præſenti articulo expendendâ veniunt. 1. *An & quarum rerum ſit in Deo providentia?* 2. *Quos actus tam intellectûs, quàm Voluntatis circa actus præſertim liberos & peccaminoſos includat Providentia Dei?* 3. *In quo actu eſſentialiter conſiſtat ratio Divinæ Providentiæ.* Quibus tandem per modum Corollarij ſubjiciemus. *Qualiter Providentia Communis diſtinguatur in Deo à Prædeſtinatione.*

CONTROVERSIA I.

An, & quarum rerum in Deo ſit Providentia?

3. EMpedocles ab Alberto Magno *1. p. ſum. tract. 7. q. 67. memb. 1.* relatus aſſerens, omnia caſu fieri, hoc ipſo ſuſtulit è medio Divinam Providentiam. Argumentum ſecundùm aliqualem apparentiam deſumi poteſt ex confuſione rerum ſublunarium, in quibus videmus prævalere impium contra innocentem, & innocentem ſuccumbere nocenti; atteſtante etiam Prophetâ *Ierem 12. Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum; Veruntamen juſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt?* Ex hoc enim argumentari quis poteſt: Si in Deo rerum omnium eſſet providentia, oporteret omnia in mundo eſſe ordinata cum optimo Sapientiæ, & Iuſtitiæ ordine. At impiorum prodit quaſi ex adipe iniquitas, peccatoribus in ſæculo obtinentibus divitias, cùm econtra Sancti quaſi nullo bono digni caſtigentur, & flagellentur à malis. *ex Pſalm. 72.* Unde etiam *Iob. 21.* miratur, *Quare ergò impij vivunt, ſublimati ſunt, confortatique divitijs?* An non igitur ex citato *Pſalmo 72.* videtur poſſe formari interrogatio, *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia,* ſive Providentia, *in Excelſo?*

4. Epicurei illud mundanarum actionum perturbatum Chaos non niſi in cauſam, & rationem ſenſibilem reducendo, in Conſtellationibus, ſub quibus quiſque natus eſſet, finxerunt fatum, quod eſſet vis quædam ſiderum, quâ per impreſſionem hominũ Voluntati factam agerentur homines, ac impetu regeretur Mundus, nullam ſupremo Divino Numine habente Providentiam, ſeu Curam Sublunarium. Argumentum hujus apparens adduci poteſt ex Alberto Magno *ubi ſupra.* Nam videmus populum inordinatè ac injuſtè corruentem: At ubi non eſt Gubernator, populus corruet. *Prov. 11.* Non ergò videtur Deus eſſe populi Gubernator, qui cum Sapientiæ Providentiâ, & æquitate Iuſtitiæ, ac bonæ diſpoſitionis, ac ordinationis congruæ moderamine homines gubernet, imò *ſi regnantibus impijs ſunt ruinæ hominum? Prov. 11.* an non Deo, ſi hominum eſſet Gubernator, imputaretur humani generis confuſio, & inordinatio? Habacuc 1. admirante etiam, *Quare reſpicis contemptores, & taces, conculcante impio Iuſtiorem ſe.*

Ariſtoteli licèt à S. Thomâ *3. cont. gent. c. 75.* vindicato imputat Vaſquezius *1. p. to. 1. diſp. 87. c. 1. n. 3.* quòd negârit Dei Providentiam, & 5.
Curam circa mundi ſublunaris ſingulas res minutiſſimas. Huic ſententiæ videntur adnumerandi (quorum mentionem facit Ioannes Baptiſta Gonet *to. 3. diſp. 8. a. 1. § 2. concl. 3.*) exiſtimantes, numerum culicum, pulicum, muſcarum, vermium, & aliorum imperfectorum animalium non eſſe ab æterno à Deo præordinatum, & præfinitum. Fundamentum hujus videtur deſumi poſſe ab Authoritate S. Hieronymi *in cap. 1. Habacuc* ita loquentis: *abſurdum eſt, ad hoc Dei deducere Majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotve moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terrâ multitudo, quanti piſces in aquâ natent. Non ſimus tam fatui adulatores Dei, ut dum Potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus, eandem rationalium, quam irrationalium Providentiam eſſe dicentes.*

Tullius Cicero relatus, ac refutatus à D. 6.
Auguſtino *lib. 5. de civit. cap. 9. & 10.* negavit Deo humanorum actuum præſcientiam, & providentiam, eò quòd iſta non videretur poſſe cohærere cum noſtrâ libertate. Hujus etiam erroris incuſatur Origenes apud Angelicum Doctorem *3. cont. gentes. c. 89.* Fundamentum ſæpius refutatum eſt. Nam æternum Divinæ Providentiæ Decretum eſt in ſe omnino immutabile, ac infruſtrabile, ex quo adeò infallibiliter in tempore divinitùs præordinato ſequitur effectus. Ergò ſi actus humani per Divinam Providentiam eſſent præordinati, tolleretur iſtorum libertas, & contingentia.

CONCLUSIO.

NOn tantùm ex fide, ſed ratione quoque naturali eſt in Deo admittenda Providentia rerum omnium.

Probatur. Nam Providentia ſecundùm D. 7.
Thomam *præs q. 22. a. 1.* eſt ratio ordinandorum in finem; ſive ut Boetius *de Conſol. proſ. 6.* habet; Divina ratio conſtituta in ſummo principe omnia diſponens. At Sapientia Dei attingit à Fine uſque ad Finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. *Sap. 14.* Ergò hæc ſapientia Dei eſt Providentia, quâ Pater æternus gubernat omnia. *ex cit. Sap.* itaut nè volatilia quidem cæli prætereat, *juxta illud Math 6. Reſpicite volatilia Cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa.* Imò nè unus quidem paſſer cadens ſuper terram ſine Patre cæleſti eſt in oblivione coram Deo. *ex Math. 10. & Luca 12.*

Dices: Providentiam eſſe principalem partem Prudentiæ. ex S. Thomâ *præs. art. 1.* Eſt autem Prudentia recta ratio agibilium. *ex Ariſtot. 6. Ethic. c. 5.* At reſpectu horum agibilium dicitur 8.

citur quis prudens, quia est bene consultativus. *ex 6. Ethic. c. 9.* Consilium autem importat inquisitionem Mediorum fini alicui consequendo convenientium. Unde *3. Ethic. c. 3.* dicitur Consilium non esse de fine, sed de medijs. At Deo omnem Veritatem Intellectu suo comprehendenti neque convenit inquisitio, neque agibilitas, seu actuum suorum ordinabilitas in finem; nam in ipso Deo nihil est in finem ordinabile, cùm ipse sit finis ultimus. ex S. Thom *præs. a. 1.* Ergò non videtur, Deo inesse Providentiam propriè dictam.

9. Contra. Nam alia est ratio Politicæ Prudentiæ, alia verò Monasticæ, siquidem ista sit propriorum actuum in finem vitæ suæ ordinativa: illa verò sit ratio sibi subjectorum ad finem ordinans. At licèt actus Dei proprij per ipsum Esse vitæ Divinæ actualissimæ specificati, atque ut sic cum fine Divinæ vitæ, seu Primâ increatâ Beatitudine realiter formaliter identificati, non sint agibiles, seu Ordinabiles ad finem: attamen res Dei Dominio subjectæ Essencialiter ordinantur in Deum, omnia propter semetipsum tanquàm finem operantem non nisi ex consilio Voluntatis suæ. Unde in Deo est consilium non inquisitivum, sed in Essentiâ Divinâ omnis rei ex Bonitate ipsius increatâ participativè producibilis, & ut sic in Deum tanquàm ultimum Finem agibilis Demonstrativum. Iuxta hoc igitur Consilium est in Deo Prudentia, seu Providentia, non quidem Monastica propriorum Dei actuum, sed Politica rerum Deo sub-
10. jectarum in finem ordinativa. Ratio fundamentalis ipso lumine Naturæ nota ex Doctore Angelico *præs. a. 2.* ita deducitur. Cùm omne agens agat propter Finem, oportet nullam esse Primi Agentis Causalitatem absque effectûs in finem ordinatione. At Causalitas primi Agentis extendit se ad omnia non solùm quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad individualia Entium tam corruptibilium, quàm incorruptibilium. Oportet igitur omnia, quæ quocumque modo habent Esse, à Deo ordinari in Finem, attestante Apostolo *ad Rom. 13. quæ à Deo sunt, ordinata esse.* Atqui providentia est rerum in Finem ordinatio præconcepta in Mente divinâ. Ergò in Deo est omnium vi Potestatis Divinæ Dominativæ producendorum Entium Providentia Politica.

11. Instabis ex Molina *hic art. 2. & 4.* Effectus fortuitos non esse per se subjectos Divinæ Providentiæ, siquidem non sint intenti ab istâ, sed duntaxat permissi, ac prævisi: non enim deceret Divinam Bonitatem, liberum v. g. natantium arbitrium eo fine condidisse, vel ordinâsse, ut natando suffocarentur: sicuti grassatorum etiam arbitria non eo fine condidit Deus, ut innocentem hîc, & nunc vellent interficere.

12. Contra. Nam Providentia secundùm D. Augustinum *2. de Fide cap. 29. §. Similiter ait*, est Voluntas Dei, quâ res omnes aptè & congruenter gubernantur. At hæc Dei Voluntas non nisi secundùm Consilium propter ipsum Deum tanquàm Finem operans eò usque se extendit, ut attingendo à Fine usque ad Finem fortiter sit non tantùm formans lucem; sed etiam creans tenebras, nec tantùm faciens pacem, sed etiam creans malum. *ex Isaia 45.* Cùm igitur Deus creando Intellectu, & Voluntate suâ sit rem creatam ordinans in se ipsum tanquàm Finem, propter quem omnia operatur, consequens est, nullũ esse eventum, cujus factio non sit ex divinæ Voluntatis, ac Intellectûs ordinatione, atque adeò Providentiâ Dei, D. Augustino *super illud. Confitebor tibi in toto corde meo Psal. 9.* ita differente: *Non in toto corde confitetur Deum, qui de Providentiâ ejus in aliquo dubitat: Omnia enim ad Divinæ Providentiæ Regimen referuntur, quæ stulti casu, & nullâ administratione fieri putant.* Oportet igitur, illam quoque fortuitam, & casualem suffocationem, seu mortem à grassatoribus inflictam esse ex divinâ Providentiâ, maximè cùm sit quandoque Medium ad Finem prædestinationis, dum taliter interfectus est in Gratiâ, quandoque vero sit effectus reprobationis ordinatus in ostensionem divinæ erga reprobos Iustitiæ, & majoris erga Electos Misericor-
diæ. Unde Doctor Angelicus *cit. art. 2. ad 1.* do- 13.
cet: *Effectum aliquem, quatenus Providentiam, seu Ordinem alicujus Causæ particularis effugit, eatenus dici respectu talis Causæ particularis Casualem, seu Fortuitum, ut tamen respectu Dei, seu Causæ universalis dici queat provisus.* Cujus ratio à S. Doctore *ibid.* insinuata est. Quia sicut nullus in creatis potest esse modus realis, seu positivæ formalitatis, nisi ex Causalitate divinâ, sic econtra talis in quâvis re creatâ modi realis positivi negatio consequitur divinæ Causalitatis negationem. Est autem Deus omnium realitatum ad extra Causa per Voluntatem liberam, ac Intellectionem subnixam suo libero Decreto. Atqui effectus fortuitus, & Causalis importat tum Causalitatem sui quoad Esse reale effectricem, tum negationem dependentiæ à Causâ illâ, respectu cujus, Ordinem ejus effugiendo, dicitur fortuitus, & Casualis. Oportet igitur tam realitatem illam physicæ Causalitatis Effectûs in Essendo reali productricis, quàm negationem dependentiæ à Causâ particulari creatâ eatenus esse ex Deo agente per Intellectum, Voluntatem, ut non tantùm Esse physicum talis Effectûs, sed etiam ratio Fortuiti debeat reduci in divinam Providentiam.

Responsio ad Argumenta Adversariorum.

AD *n. 1.* Oppositum Respondetur ex Al- 14.
berto Magno. Ipsam rerum sublunarium confusionem, si cum Bono Universi comparetur, arguere superiorem quandum omnium cum decenti inter se ordine, ac pulchritudine ordinatricem rationem. Sicut enim ex collisione nubium, unoquoque vapore in alterum desinente, serenitas, & tempestatis tranquillitas, ac ex collisione contrariorum in Mixto Complexionis æqualitas generatur, sic dum Iustus in hâc vitâ flagellatur, ac persecutionem à malis patitur, exinde purgatur, eruditur, & probatur; econtra dum mali in labore hominum non sunt, sed eos iniquitate, & impietate opertos, quòd cum hominibus non flagellentur, tenet superbia, hoc ideò fit, ac permittitur, ut à Deo Bonis temporalibus tanquàm munusculis alliciantur ad Dei tanquàm Patris amorem, vel ut bona talia, quæ etiam impijs dantur, à Iustis non desiderentur, vel ut peccatis eorum in finem devolutis, justior eorum ex Ingratitudine appareat condemnatio. At ex hoc patet, in illâ ipsâ rerum, si singulæ spectentur, confusione apparere respectu Boni Universi decentis-

 centis-

centissimos, pulcherrimos, & Sapientissimos divinæ Prudentiæ Ordines, quos sub Decentiæ adumbratâ generali ratione existimamus, nos in hâc vitâ cum Psalte Regio cognovisse, ut tamen Intellectus noster altitudinem divinæ Sapientiæ, & Scientiæ circa singulorum hominum dispositionem non assequatur, sed labor sit ante nos, donec intremus in Sanctuarium Dei, & intelligamus in novissimis eorum. *ex. cit. Psalm. 72.*

15. Ad *n. 2.* Oppsitum Respondetur. Nec adeò populum corruere, nec ullius hominis esse tantam ruinam, quin malum ejusmodi ordinetur in Bonum Universitatis. D. Augustino attestante, quòd Deus Bonus nunquàm permitteret fieri mala, nisi sciret, quæ bona ex malis Ordine Sapientiæ eliceret. Quare hominum sortes adeò inæquales non ex fatali quâdam siderum necessitate profluere, sed reducendas esse in unius Dei Providentiam, cui est cura de omnibus, ut ostendat, quoniam non iniustè judicet Iudicium. *ex Sap. 12.*

16. Ad *n. 3.* Oppositum Respondetur. In allegatâ D. Hieronymi sententiâ notanter esse consideranda verba, quibus dicatur, non eandem esse rationalium & irrationalium Providentiam. Etenim quædam sunt in universo propter se provisa, veluti substantiæ incorruptibiles etiam individuæ, ac generabilium species, sicuti homines quoq; prædestinati: quædam verò res in universo sunt provisæ *propter aliud*, veluti individua corruptibilia providentur à Deo propter perpetuã conservationem speciei, sicut reproborum quoq; numerus est quidem à Deo præfinitus, non tamen æquè principaliter ac numerus prædestinatorum, siquidem isti sint primariò præordinati ad Bonum Universi relucens in splendore Beatitudinis creaturæ communicandæ, cùm econtra reprobi secundariò sint à Deo intenti ad ostensionem Misericordiæ in Electis. ex S. Tho. *seq. q. 23. a. 7. & q. 5. de Verit. art. 3.* Pari ergò, imò majore ratione intelligendus est S. Hieronymus, quòd non æquè principaliter, ac propter se à Deo sit provisus numerus Culicum, & Muscarum, earumque ortus, ac interitus, sicuti rationalium creaturarum præcipuè prædestinatarum, etsi alioquin cum S. Irenæo *lib. 2. cap. 45.* fatendum, imò *de fide credendum sit, nihil omnino eorum, quæ fiunt, Deum fugere, sed per illius Providentiam unumquodque eorum accepisse numerum, Ordinem, & Quantitatem propriam, & esse in Deo rationem mirabilem, quæ omnia discernat, & ejus proprias Causas possit enutrire usque ad numerum arenæ maris.*

17. Ad *n. 4.* Oppositum Respondetur. In illo argumento jam sæpiùs à nobis refutato contineri fallaciam: Ex hoc enim, quòd Decretum Dei immutabile, & infrustrabile sit ad extra causans Ens universum cum omni modo reali, oportet etiam modum libertatis, & Contingentiæ (sive consistant in realitate actui intrinsecâ sive denominatione extrinsecâ) esse divini Decreti effectum. Unde oppositi Authores & fallunt, & falluntur, dum ex illo divinæ Providentiæ Decreto asserunt, infallibilitate antecedente libertatis destructivâ consequi effectum, cùm hujus potiùs consecutio ex Dei Decreto sit secundùm infallibilitatem libertatis non tantùm in primo, sed in actu etiam secundo causativam. uti efficaciter probat Doctor Angelicus *præs. q. 22. a. 4.*

CONTROVERSIA. II.

Quos actus tam Intellectùs, quàm Voluntatis circa actus præsertim liberos, & peccaminosos includat Providentia Dei?

PRovidentiam esse partem Prudentiæ, constat *ex cont. præc.* Est autem Prudentia in Intellectu practico. Hic verò spectari potest vel secundùm actualem sui ad opus applicationem, vel secundùm Virtutem suam factivam, & operativam, non ut de facto applicatam, sed prout tradit regulas operandi in abstracto. Ut sic autem cognitio de se ordinativa ad opus ita est substantialiter, & absolutè practica, ut tamen secundùm quid possit denominari speculativa. D. Tho. *in 1 dist 40 q. 1. a. 2.* attestante: *Providentiam posse, sicut & artem gubernatoriam salvari in Speculatione tantùm.* Unde ad Providentiam non in virtute tantùm, sed in actu etiam exercito practicam requiritur, Intellectum actualiter esse applicatum ad opus. 1.

Ad hanc proinde Intellectûs practici ex Voluntatis efficaciâ derivatam ad opus applicationem quatuor sive antecedenter, sive consequenter concurrunt actus tum Intellectûs, tum Voluntatis. Primus in Voluntate est simplex volitio Finis, quatenus Voluntas ab hujus Bonitate, & Convenientiâ in se movetur Amore simplici, tali nimirum, in quo nullus reluceat ordo ad media, & ad executionem. Cui Voluntatis actui præsupponitur in Intellectu repræsentatio, & propositio Bonitatis, ac Convenientiæ Finis secundum se spectati. Secundus in Voluntate actus est Finis Intentio, per quam tenditur in Finem cum ordine ad media, anquã per ista assequibilem. Cui in Intellectu respondet propositio Finis non secundùm sui præcisè amabilitatem, sed etiam assequibilitatem. Tertius in Voluntate actus est Electio, quæ est determinata Medij Finis assecutioni convenientis acceptatio: Cui in Intellectu respondet Consilium, & Iudicium Medij quà Finis consecutioni congrui per modum sententiæ, ac determinationis judicativum. Quartus in Voluntate actus est Executio, seu Usus Mediorum, sive Potentiæ Executricis applicatio: Cui in Intellectu respondet Iudicium Executionis Directivum, & Ordinativum, quod Imperium vocatur, veluti ista patent ex S. Doctore. *1. 2. q. 8. 12. 13. 16. & 17.* 2.

Quibus adeò positis duplex resultat difficultas. Altera sequenti Controversiâ discutienda est circa Imperium: altera verò præsenti Cont. decidenda se tenet tum circa Usum, & Executionem divinæ Voluntatis; tum circa Intentionem Finis, ac Electionem Mediorum, tum circa cognitionem Intentioni, ac Electioni Voluntatis præviam: *An scilicet ista cognitio sit tantùm simplicis Intelligentiæ, nec ullam Conditionatorum Mediam Scientiam importet, atque adeò intentio Finis, ac Electio, nec non usus Mediorum sit de se efficax in Deo antecedenter ad Scientiam Conditionatorum omnem Finem creatum, ac Media, seu quarumlibet Causarum secundarum actus etiam liberos absolutè prædefiniens.* 3.

Referun-

Referuntur Sententiæ Doctorum.

4. EX Societatis Iesu Theologis aliqui docent 1. Finem, cujus consecutio dependet ex meritis, seu libertate nostrâ, non posse antecedenter ad prævisionem meritorum, seu liberæ cooperationis nostræ esse in efficaci Intentione Dei, sed simplicis duntaxat Complacentiæ Intentione inefficaci, uti Vasquez. *1.p. disp. 82. cap. 5. n. 22. & seq. habet.*

Huc reduci potest Suarezius *in suis opusc. lib. 2. c. 7. n. 11.* distinguens inter actiones nostras liberas, ita ut istarum aliquæ ordinentur ad Finem quendam particularem intentum efficaciter à Deo, ac præfinitum, aliæ verò non sint specialiter ordinatæ ad finem ut sic intentum, sed sequantur ex quâdam generali Providentiâ, & ordine Causarum Universi. De illis proinde v.g. de actu Voluntatis, quo Angelus Motor Cæli illud movet, vel de consensu B. Virginis in Conjugium cum S. Ioseph, asserit prædefiniri efficaciter à Deo, siquidem servanda sit proportio Mediorum ad Finem, ut isto adeò efficaciter intento, oporteat etiam Media licèt ex libertate creati arbitrij pendentia efficaciter esse prædefinita.

5. At verò de actibus humanis etiam moraliter bonis, quando non sunt ordinati à Deo ex efficaci Intentione alicujus Finis specialis, sed oriuntur ab humanâ Voluntate cum generali concursu, ac Providentiâ, Suarezius *cit. c. 7. n. 12.* negat, debere à speciali Dei Voluntate præfiniente procedere. Ratio hujus desumitur ex S. Thomâ *seq. q. 23. a. 7.* docente: Numerum prædestinatorum esse certum ex præfinitione, numerum autem reproborum ex præscientiâ tantùm, sicut de numero etiam guttarum pluviæ, arenarum maris, etsi effectus sint naturales ac boni, quos Deus præfinire potuisset, Sanctus Doctor colligit ex Fine, & modo Providentiæ non esse à Deo præfinitos. Nam in tantùm singulæ creaturæ intenduntur à Deo, in quantum ad Essentialem perfectionem Universi pertinent. At per accidens est, ad Finem boni Universi esse tot, nec plures, nec pauciores arenas, & guttas maris. Ejusmodi ergò effectus non oportet esse à Deo præfinitos, neque ut Finem, neque ut media, sed tantum præcognitos ut consequendos, & futuros ex instituto Causarum Ordine, & permissos, vel admissos, ac productos per Dei Voluntatē volentē Causis creatis suum influxum impendere.

6. Secundò Electionem, ac Usum Mediorum, quatenus ad divinam Providentiam se habet vel formaliter, vel ratione nostrâ ratiocinatâ præsuppositivè, non importare necessariò præfinitionem, seu Decretum absolutum, & efficax Operum divinæ Providentiæ subjectorum præfinitivum, tradit Suarez *cit. c. 7. n. 6.* Fundamentum est. Nam ad perfectionem Providentiæ tria videntur requiri, scilicet Scientia, Voluntas, & Potentia. At in Deo antecedenter ad Decretum liberum præsupponitur non tantùm Scientia simplicis Intelligentiæ, sed etiam Media Conditionatorum. Hâc verò Conditionatâ Scientiâ suppositâ ad hoc, ut Deus præsciat effectus in tempore futuros, sufficit Voluntas Dei permissiva, aut Decretum, quo vult Deus Causas secundas applicare ad effectus ejusmodi. At per istam Voluntatem Dei Causas secundas applicantis ad effectum est hoc ipso sufficienter applicata Divina quoque Potentia ad concurrendum cum Causis secundis. Quare nec ad perfectionem Scientiæ, nec Voluntatis, nec Potentiæ divinæ quà influentis in Causarum secundarum effectus, opus est præfinitione. Ergò perfectio divinæ Providentiæ subsistit absque tali præfinitione.

Imò respectu actuum liberorum repugnare 7.
Divinam Providentiam esse præfinitivam, tertio loco asserunt Molina *1. p. q. 14. art. 13. disp. 8. Memb. 3. & 4.* Lessius *de Grat. effic. c. 4. & in disp de Prædest. & alij.* Argumentum hujus induci potest ex Authoritate S. Augustini *lib. 3. de lib. arb. c. 18.* asserentis, *Quæcumque Causa sit Voluntatis nostræ, si non possit ei resisti, sine peccato ei ceditur.* At præfinitio divinæ Voluntatis est antecedens, nec potest ei resisti: Ergò sine peccato ei ceditur ex hoc ipso, quod nequeat cum ipso stare creati arbitrij libertas.

Hinc ad perfectionem divinæ Providentiæ, 8.
seu Prædestinationis requiri Mediam Conditionatorum Scientiam *Quarto loco* tradunt Lessius *disp. de Auxil. c. 4. n. 16.* Franciscus de Lugo *cit. lib. 1. de Deo uno. disp. 37. n. 7.* & alij ab eo relati. Fundamentum est. Nam Providentia est pars Prudentiæ, nemo autem prudens potest absoluto suo Decreto statuere, ut aliquid efficaciter fiat, vel intendere consecutionem alicujus Finis, nisi certò prænoverit, se habere potestatem id faciendi, vel saltem habere Media congrua, quibus talem Finem efficaciter assequatur. Atqui seclusis divinis præfinitionibus, ac physicis prædeterminationibus, non potuit Deus præscire, quibus modis, vel medijs homines, vel Angeli efficaciter, & liberè forent adepturi gloriam, nisi per Scientiam Conditionalem; Imò sine hâc Præscientiâ nō potest Deus scire, quænam Media sint Voluntati liberæ creatæ futura nocumento, quævè utilitati, neque potest velle dare aliquod auxilium ut efficax, sive prout infallibiliter habiturum effectum. Est autem de ratione perfectæ Providentiæ, nôsse Provisorem, quæ sint futura nocumento subditis, quævè utilitati, etsi utrumque pendeat ex subditorum Voluntate. Consequens igitur est, Mediam Conditionatorum Scientiam in Deo esse prorsus necessariam ad perfectam Providentiæ, seu Prædestinationis rationem.

Ex opposito 1. D. Thomas *q. 3. de Verit. art. 7.* Scotus *in 1. dist. 39. q. 3. n. 23. & dist. 41. q. un. n. 10.* Capreolus *in 1. dist. 45. q. 1. a. 2.* Ferrara *3. cont. gent. c. 89.* Nazarius *pras. q. 22. art. 4. Contr. 2.* Alvarez *lib. 3. de auxil. disp. 22.* Salmanticenses. *tract. 4. de Volun. Dei. disp. 10. cont. 3.* Ioannes à S. Thomâ *to. 2. disp. 7. art. 4.* Ioannes Baptista Gonet *to. 3. disp. 8. art. 3.* & alij, præsertim Thomistæ, ac Scotistæ tenent: Usum, ac Electionem Mediorum in divinâ Providentiâ ita esse horum prædeterminativam, ut omnes, ac singulæ res creatæ in suos fines à Deo ordinatæ, actus etiam liberi non tantùm quoad substantiam, sed quoad omnem Essendi modum sint per divinam Providentiam prædefiniti. Hinc 2. Ioannes à S. Thomâ *cit. a. 4. n. 19.* ex mente reliquorum Thomistarum docet, istam efficacem rerum quarumlibet actuum etiam liberorum ceu Mediorum divinæ Providentiæ inservientium præordinationem non esse ex simplici tantùm Finis Voluntate, sed efficaci Intentione. 9.

Hinc

Hinc 3. cum Thomiſtis aſſerendum, Scientiam Conditionatorum Mediam inutilem eſſe ad divinam Providentiam.

Conclusio.

PRovidentia divina omnis rei, & actûs creati liberi ſimpliciter, & abſolutè præfinitiva ſupponit in Deo abſolutam, & efficacem Finis, ad quem univerſæ creaturæ actu diriguntur, Intentionem.

Probatur. Nihil poteſt eſſe realitatis, ac Entitatis in rebus creatis, quod effugiat divinam
10. Cauſalitatem. ex S. Thomâ *præs. q. 22. art. 2. ad 1.* At Deus, cùm ſit agens intellectuale, operatur ad extra ſecundùm Intellectum, & Voluntatem, veluti ſuper illud *ad Ephef. 1. Deus operatur omnia ſecundùm Conſilium Voluntatis ſuæ*, eleganter expreſſit D. Thomas, *Apoſtolus*, inquiens, *non dicit, quòd Deus operatur omnia ſecundùm Voluntatem, ne credas, quòd ſit irrationabilis, ſed ſecundùm Conſilium Voluntatis ſuæ, id eſt, ſecundum Voluntatem ſuam, quæ eſt ex ratione, non ſecundùm quod ratio importat diſcurſum, ſed ſecundùm quod deſignat certam, & deliberatam Voluntatem.* Unde Divus Dionyſius. *c. 5. de Divin. Nom.* ita diſſerit: *Exemplaria dicimus exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingularitates præexiſtentes, quas Theologia Prædefinitiones vocat Divinas, & Voluntates exiſtentium prædeterminativas, & factivas; ſecundùm quas ſubſtantialis Eſſentia omnia præfinivit, & produxit.* At verò licèt omne Agens agat propter Finem,
11. hoc tamen ita propriû eſt agenti Intellectuali, ut irrationalia potiùs agantur in Finem ex Primi Agentis Intellectualis gubernatione, & Providentiâ ex Doctore Angelico *1. p. q. art. 3. circa finem Corp.* Unde neceſſum eſt, Omnia ſecundùm quemlibet realem Eſſendi modum ex divinæ rationis, & Voluntatis Cauſalitate eſſe præfinita, ac præordinata, ſeu prædeterminata in aliquem Finem. *ex præs. q. 22. art. 2. & quodlib. 12. q. 3. a. 4.* ubi S. Doctor ait: *A Providentiâ Dei omnia eſſe prædeterminata, & ordinata.* Atqui ad directionem, ſeu ordinationem in Finem præexigitur Voluntatis Finis. ex S. Thomâ. *q. 6. de Verit. art. 1. & 1. p. q. 23. art. 4.* Hæc autem Voluntas Finis habet rationem Cauſalitatis Finalis, cujus eſt Cauſam efficientem excitare, & quodammodò movere ad agendum. Quare quidquid Efficaciæ eſt in Cauſalitate Efficiente, hoc per prius intelligitur eſſe in Cauſalitate Finali. At divinæ Providentiæ Cauſalitas omnem Eſſendi modum efficiens, Finem, in quem ordinantur creaturæ, attingit non tantùm in Medijs tanquam virtute aſſecutionis Finis effectrice, ſed cujuſque rei creatæ eſt in Finem aliquem ex Dei Cauſalitate ordinatio quoad actualem ejus aſſecutionem. Unde de Sapientiâ, ſeu Providentiâ divina dicitur *Sap. 8.* quòd *attingat à Fine uſque ad Finem fortiter*, id eſt, *efficaciter.* Oportet igitur, talem in Deo ponere Providentiam, quæ omnis rei, & actûs creati aliquando exiſtentis ſit prædeterminativa, ſupponens Voluntatem divinam efficacem, id eſt actualiter effectricem Finis, in quem non tantùm virtute, ſeu poteſtate, ſed actu ordinantur creaturæ Univerſæ.

Dices: Iſte creaturarum Finis univerſalis in-
12. dicatur hiſce verbis ſacris; *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* At hic in ipſo Deo conſiſtens Finis *non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm ſui communicationem* ad extra operabilis efficaciter intenditur à Deo, quatenus abſolutè vult creaturis Bonitatis ſuæ increatæ participationem. Eſt autem divinæ Bonitatis abundantiæ conveniens, ut dignitatem Cauſalitatis etiam creaturis communicet, atque adeò inferiora Deus gubernet per ſuperiora. ex S. Thomâ *præs. q. 22. art. 3.* Ex hoc verò Vaſquezius *præs. art. 3.* infert: *Deum non operari omnia immediatione ſuppoſiti, quod licet ipſe ſecundum Suppoſitum ſit intimè in rebus, ac effectibus omnibus, ſitque hâc ratione ſtis propinquior, quam cæteræ Cauſæ, ejus tamen actio ſit univerſalis*, id eſt indifferens, *quam oporteat modificari ex concurſu multarum Cauſarum ſecundarum, quæ eo dicantur propinquiores, quò magis ſint Cauſæ propriæ, ac ſingulares.* At ſi Providentia divina omniû actionum Cauſarum ſecundarû ſecundùm quoslibet earundem modos reales eſſet præfinitiva, oporteret, Deum ita concurrere ad illas immediatione Suppoſiti, ut cujuſque actionis modificatio per prius eſſet determinata ex Dei Cauſalitate, quàm ex influxu Cauſæ ſecundæ. Conſequens igitur eſt, divinam Providentiam non eſſe præfinitivam omnium actionum Cauſarum ſecundarum.

Contra. Nam quidquid Deus cauſat, hoc 13.
prædefinit, veluti S. Doctor divini Dionyſij *ſup. n. 10.* allegatum teſtimonium explicans, *Hujuſmodi rationes*, ait, *ſacra Scriptura vocat prædefinitiones, & bonas Voluntates, quæ ſunt diſtinctivæ Entium, & effectivæ ipſorum, quia per hujuſmodi rationes ſuperſubſtantiale Eſſe Dei prædeterminavit omnia, & produxit.* Atqui omnis creata actio cum quovis ejuſmodi reali Eſſendi modo cauſatur à Deo; veluti S. Auguſtinus *lib. de prædeſtin. Sanctor. c. 19.* ſupponit ex univerſaliſſimâ Cauſalitate Dei operantis omnia, demonſtrans etiam Fidem, & prima noſtræ Converſionis initia debere Deum operari: *Audiant*, inquit Sanctus hic Eccleſiæ Doctor, *& ipſi in hoc teſtimonio, ubi dicit, ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui univerſa operatur.* Pari ergò ratione inferri licet de omni actionis creatæ Eſſendi modo quoad ipſum etiam in operatione noſtrâ liberum conſenſum, Deum, qui univerſa operatur, hunc operari, atque adeò prædefinire, S. Proſpero *in Reſpons. 14. ad Capita Gallorum.* ita diſſerente: *Fidei, & Charitatis opera, quæ fuerunt prædeſtinata, rectè præfinita dicuntur, teſtificante Apoſtolo dicentis: Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

Confirmatur. Nam licèt Deus in executio- 14.
ne ſuæ divinæ gubernationis quædam ſcilicet inferiora gubernet mediantibus alijs, nimirum ſuperioribus, ipſa tamen ratio gubernationis immediatè terminatur ad omnia, ut adeò Deus ſuâ Potentiâ gubernet univerſa. ex S. Tho. *præs. q. 22. art. 3. & infra q. 103. art. 6.* At hæc ratio gubernationis eſt ipſa cognitio Dei practica ſingulorum etiam minimorum creatorum operum expreſſiva, habens ut ſic ex Decreto divinæ Voluntatis per realem formalem identitatem ſibi adjuncto rationem principij factivi ac Exemplaris. ex eod. S. D. *1. p. q. 14. art. 9. & q. 15. art. 3. & cit. q. 103. art. 6.* Hanc ipſam verò rationem Exemplarem Gubernationis Deo immanentis vocari præfinitionem, D. Damaſcenus *Orat. 1. de Imag.* teſtatur hiſce verbis. *Has Imagines, & Exemplaria, Prædefinitiones appellat Sanctus ille Dei, manere Divinis in rebus conſiderandis, & explicandis excellentiſſimus, ait, Dionyſius: Omnia enim ab illo præfinita, & ſine ullâ commuta-*

mutatione in ejus consilio, non aliter antequàm fierent, erant expressa, quàm si quis velit ædificare domum, prius imaginem, ac formam ipsam in animo effingit, & cogitatione complectitur. Constat igitur, rationem Gubernationis in Deo per Decretum Dei efficax applicatam ad singulos quosque etiam minimos effectus esse horum præfinitivam, atque adeò Deum immediatione etiam suppositi, non tantùm quoad situm, sed etiam quoad influxum causativum suâ divinâ Providentiâ producere omnes modos Essendi reales creaturis non nisi ex divinâ Bonitate communicatos, ac per Voluntatem Dei prædeterminatos.

15. Replicabis ex Vasquez. *1. p. disp. 99. c. 7. n. 47.* Primam rationem liberi in actu creato esse desumendam ex causâ particulari modificante, ita ut actus exeat liber, quia à Causâ proximâ liberâ producitur. Nec istud obesse, quò minùs ex Voluntate Dei eveniat, quandoquidem ipse decreverit cum Causâ liberâ juxta id, quod illa postulat, concurrere. Hoc autem satis esse, ut effectus non sit præter Intentionem Dei. Illud autem certissimum esse, nempe rationem liberi actui nostro non convenire per respectum ad primam Causam operantem: neque ideò esse liberum, & humanum, quia solus Deus illum fieri decreverit, & fecerit, sed potiùs per respectum ad modum operandi Causæ secundæ, quo variato, quamvis maneat actus secundùm substantiam idem & concursus Dei eodem modo, non manere actum liberum, siquidem libertas sit solùm relatio rationis ad modum operandi cum indifferentiâ liberi arbitrij creati. Ex quâ proinde Doctrinâ Vasquez *cap. 8. n. 51.* concludit 1. Deum non posse opera nostra libera ita præfinire, ut Voluntatis nostræ determinationem præcedat suâ præfinitione. 2. *cit. disp. 99. c. 3.* improbat DoctrinamS. Tho. & aliorum Theologorũ asserentium, Deum non tantùm operari quod vult, sed etiam modum, quem vult, & sic facere actum esse, & libero modo esse, nec lædere libertatem, cùm causet illam, debereque adeò libertatem actionum nostrarum reduci non solùm in liberum arbitrium, sed etiam in Deum tanquàm primam, & præcipuam Causam Contingentiæ.

16. Contra. Nam aliud est, libertatis actui creato libero convenientis assignare rationem quasi formalem, aliud verò est, hujus rationis Formalis quà causatæ assignare Causalitatem Formalem, ac Efficientem. Posito igitur, Libertatem actûs creati liberi non esse nisi extrinsecam denominationem ex connotatione Voluntatis creatæ cum indifferentiâ objectivâ, & activâ per vim super actus suos Dominativam operantis desumptam, adhuc tamen erit quæstio, An non tantùm vis creati arbitrij Denominativa cum Indifferentiâ suâ, tam objectivâ, quàm activâ referri debeat in Causam Primam, sed ipse actus ex eâ liberè egrediens Indifferentiæ illius formaliter determinativus ita sit reducendus in divinam Voluntatem, ac Providentiam, ut hæc antecedenter ad Voluntatis creatæ determinationem in vi Causalitatis Finalis ac Efficientis sit prædeterminans illum actum cum toto libertatis modo per Voluntatis creatæ ex indifferentiâ Dominativâ, & Electivâ operantis connotationem constituto.

17. Etenim ut omittamus, quæ hâc de re *sup. q. 5. a. 5. & q. 6. art. 5. cont. 6.* fusè à nobis deducta sunt, unicum isto loco adijcimus, Dei Causalitatem ad extra se in tantum extendere, in quantum vult aliquid fieri, juxta illud *Psalm. 148. Omnia quæcumque voluit, fecit.* At Deus definiendo voluit, ut Filius hominis Christus vaderet in mortem *Luc. 22. Filius hominis, sicut definitum est, vadit.* Hic ipse verò actus vadendi in mortem processit à Voluntate Christi humanâ quà operante cum indifferentiâ activâ, & Dominativâ. Unde *Isaiæ 53.* dicitur, *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ille igitur Voluntatis humanæ Christi actus quà procedens ex indifferentiâ Dominativâ arbitrij ipsius creati ut sic libertatem in actu secundo, sive liberæ actualis determinationis rationem formaliter participans erat volitus, ac definitus à Voluntate divinâ. Hæc ipsa verò Dei volitio definiens habet rationem Causalitatis, quæ non potest intelligi consequens, vel tantùm concomitans, sed antecedens suum effectum. Oportet igitur, Voluntatem divinam, vi cujus actus ille Christi tanquam actualis ipsius creati arbitrij cum indifferentiâ Dominativâ operantis determinatio erat definitus, fuisse antecedentem, utpote causativam liberæ determinationis Voluntatis humanæ Christi ad vadendum in mortem.

Confirmatur. Causalitas enim respectu effectûs dicit essentialiter prioritatem Agentis. At Causalitas etiam essentialiter importat determinationem Causæ ad effectum cum infallibili hujus ex illâ consecutione, seu emanatione. Vel igitur Voluntas divina non est per modum actualis Causalitatis causativa liberæ creati arbitrij determinationis, vel habet respectu hujus prioritatem determinationis ex se infallibiliter inferentis, seu producentis creati arbitrij liberam determinationem. At prius dicere repugnat rationi Primæ Causæ, ejusque à Patribus assertæ Causalitati primæ & universali. Oportet igitur ut, cum Patribus sæpè citatis, fateamur in Deo Voluntatem omnium operum nostrorum ipsius etiam liberæ determinationis prædefinitivam, & ut sic præfiniendo causativam, D. Athanasio super illo *2. ad Ephes. 4. Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus* ita differente: *Hæc paravit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin peragantur, tanquàm Divinitus sint prædefinita, quousque sit procedendum, idque per multam erga nos Providentiam.* 18.

Instabis. Saltem actiones creati arbitrij peccaminosas non posse cadere sub Providentiam divinam præfinitivam, sed Deum ad materiale peccati concurrere vel tantùm permissivè, vel concursu duntaxat simultaneo ac indifferenti. 19.

Contra. Nam duo considerantur in peccato Commissionis, alterum formale consistens in malitiâ morali. Hæc verò non in Causam Efficientem, sed *secundùm imputabilitatem* reducitur in Causam à rectitudine debitâ Deficientem, etsi secundùm permissionem Primæ rectitudinis regulæ conformem referatur in Deum, uti supra *q. 5. a. 5. cont. 10.* demonstratum est. Alterum in peccato est Entitas realis physica actûs peccaminosi; Hanc verò in divinæ Voluntatis Causalitatem non nisi præfiniendo, ac prædeterminando operativam reduci debere ostensum est. *locis sup. citatis* atque præter Authoritates ibi allegatas, adduci possunt sequentes desumptæ tum ex illo *Actor. 2. Hunc,* scilicet IESUM, *definito Consilio, & Præscientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* tum ex S. Augustino *c. 7. de Corrept. & Grat.* ita differente: *Electi autem sunt ad regnandum* 20.

dum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus, cui congruebat: ab illo siquidem electus est, qui novit benè uti etiam de malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur: Cum itaque audimus: Nonne ego duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est? illos debemus intelligere electos per Misericordiam, illum per Iudicium. Illos ergò elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum. Constat igitur, Traditionem Christi, ac effusionem ejus sanguinis non tantùm quà passivè in Christo receptam, sed etiam activè ab his determinatè hominibus exercitam fuisse quoad Entitatem actionis Electione Iudicij definitam, adeòque prædeterminatam, seu præor-dinatam à divinâ Providentiâ.

21. Ratio Fundamentalis ist. Nam Providentia est ordinatio rerum in Finem; Est autem alius Dei Finis ipsius Volitionis divinæ formaliter identicè specificativus, qui est ipsa Increata Bonitas Dei non volentis, nec quidquam adeò causantis nisi propter semetipsum. Alius proinde Finis ex parte Volitorum est Voluntatis divinæ solùm terminativus. Hic autem præcipuus est Bonum universi, in quod omnia Bona particularia ordinantur à Deo. At peccati malitia quà Divinæ per Primam increatæ rectitudinis regulâ formaliter identicè regulatæ permissioni substans ordinatur in divini Esse subsistentis independentiam manifestandam: Peccati verò Entitas Positiva & physica per ipsius Esse in se expressam participationem ordinatur in primi Esse divini tanquàm Fontis totius Esse Gloriam in ipso peccaminosæ malitiæ sceno sine maculâ resplendescentem. Insuper sicut Iusti ordinantur Electione Gratiæ ad divinæ Misericordiæ splendorem, sic mali Electione Iudicij ordinantur ad ostensionem Iræ, & Potentiæ, ac Dominij divini. Patet igitur, peccatorum esse quandam Ordinationem in Finem, atque adeò Providentiam DEI. Atqui Ordinatio effectuum in Finem in tantum se extendit, in quantum se extendit Causalitas primi Agentis. ex S. Thomâ *præs. a. 2.* Ex hoc ipso autem, quòd Causalitas Primi Agentis se extendat usque ad omnia Entia, oportet non Ens esse ex negatione Causalitatis Primi Agentis. At sicuti Causalitas effectui alicui communicans Esse est in Deo Volitio, sic Nolitio Dei non decernentis Esse alicujus actûs est ratio carentiæ actûs illativa, quæ dicitur Permissio. Oportet autem terminum nolitionis æquè ac Volitionis Dei ordinatum esse in aliquem Finem, *uti sup. circa malitiam peccati dictum est.* Cùm proinde ordinatio rerū in Finem se extendat, in quantum se extendit primi Agentis Causalitas: hæc verò ad omnia Entia se extendens Causalitas sit secundùm Dei Voluntatem; sequitur, in hâc divinâ Voluntate ita esse Decretum positivè causativum, atque ut sic ordinativum omnis Entitatis in Finem, ut consequenter non Entis, seu Privationis, atque adeò malitiæ sit in Deo Decretum permissivum, ac permittendo ordinativum malitiæ in Finem Bonitati increatæ convenientem. At eo ipso, quòd ratio Causalitatis formaliter importet prioritatem, ac determinationem Causæ cum infallibili effectûs consecutione, ac emanatione, oportet Volitionem divinam omnis Entitatis, atque adeò Entitatis peccati causativam, & ut sic ordinativam in Finem habere rationem præordinationis, ac præfinitionis. Constat igitur, in Deo esse Providentiam Entitatis peccati præfinitivam, ac præfiniendo causativam, ac præordinativam, sicuti eadem Dei Providentia quà malitiæ peccati permissiva importet divinæ Voluntatis Decretum ejusdem malitiæ non quidem in se volitæ, sed permissæ præordinativum in finem Bonitati suæ increatæ congruentem.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD Vasquezij *n. 4.* Oppositum Respondetur. In illa Doctrinâ latere venenum maximè perniciosum. Etenim ex Fidei Doctrinâ fatendum est, omnia, quæ sunt extra Deum, procedere ex ejus efficientiâ, ac Finalizatione. Hæc autem est Intentio Finis quà excitans Electionem, ac Usum, seu Effectionem Mediorum Finis consecutionem sive physicè, sive moraliter causantium. At Causalitas sive Efficiens, sive Finalis est hoc ipso efficax, si consequatur effectum: Hæc verò Dei Causalitatis tam Efficientis, quàm Finalis efficacia non potest esse supponens ullam formalitatem Deo extrinsecam. Probatur illud Assumptū. Si enim formalitas aliqua extra Deum non supponeret Causalitatem Dei actu ejus efficientem, daretur aliquid extra Deum non procedens ex ejus efficientia. At eo ipso, quòd quævis formalitas Deo extrinseca supponat Causalitatem Dei, ex quâ etiam procedat, sequitur, Causalitatem Dei esse efficacem, id est, effectûs actualiter productricem antecedenter ad omnem divinæ substantiæ intrinsecam realitatem. Unde etiam infertur contra Vasquez, in Causalitate Dei per Voluntatem operantis, atque adeò in Volitione divinâ effectrice eam efficaciam intrinsecam non petitam ex connotatione cooperationis Causæ secundæ. At eo ipso, quòd Deus non nisi propter Finem operetur fortiter, id est efficaciter à Fine usque ad Finem attingens, oportet Dei ad extra operantis Causalitatem effectricem esse excitatam ab efficaci intentione Finis, saltem illius, quem in omni suo opere universa propter semetipsum operans Deus facit relucere. Sicut ergò Causalitatem Dei ad extra oportet esse efficacem antecedenter ad Causæ secundæ cooperationem, cùm hæc alioquin cooperatio non reduceretur in divinæ Voluntatis efficaciam Essentialiter includentem Causalitatis prioritatem: sic antecedenter ad nostri arbitrij cooperationem oportet in Deo ponere Intentionem efficacem Finis saltem Universalis relucentis in nostris quoque liberis actibus. 22. 23.

24. Ad Suarezij *n. 5.* oppositam rationem Respondetur: Numerum reproborum, vel etiam guttarum pluviæ, atque arenarum maris non quidem per se, ac immediatè propter Bonum Universi, sed tamen ex alio intermedio Fine esse à divinâ Providentiâ præordinatum, ac præfinitum. Explicatur, & Probatur. Nam licet divinæ Voluntatis Finis motivus, ac specificativus non sit, nisi increata Dei Bonitas, ex parte tamen Volitorum Bonum Universi est ratio finaliter terminativa, propter quam omnes, ac singulæ creaturæ sunt à Deo volitæ. Atqui ex his aliæ per se tanquàm partes Essentiales, seu principales, veluti Sphæræ cælestes, ac Elementares

taræ ordinantur ad Bonum Universi, sicut ex hoc ipso, quòd Universi Bonum reducatur ultimatè in Dei Increatam Bonitatem, oportet, Creaturas Intellectuales ad hujus ultimi Finis fruitionem electas ordinari principaliùs ad Bonum Universi. Aliæ proinde creaturæ, veluti Individua corruptibilia non per se ordinantur ad Bonum Universi, sed quasi secundariò, in quantum in eis salvatur Bonum speciei, vel altiori peculiaris divinæ Providentiæ Fini inserviunt. Hæc igitur non per se, ac immediatè sunt intenta propter Bonum Universi, sed per alium intermedium divinæ Providentiæ Finem reduci debent in Bonum Universi: sicuti numerus reproborum est ex altiori suæ divinæ Providentiæ Judicio præfinitus, ex hoc, quòd reprobi sint præordinati à Deo in Bonum Electorum, quibus omnia cooperantur in Bonum. Quamvis igitur omnes, etiam minimæ creaturæ sint per divinam Providentiam definitæ ex efficaci alicujus saltem universalis Finis intentione, ita ut omnes capilli capitis nostri sint numerati, nec unus ex passeribus cadat super terram sine Patre cælesti, aliquæ tamen creaturarum particularium sunt per se immediatè præordinatæ in Bonum Universi, aliæ verò mediante aliquo intermedio subinde altiori divinæ Providentiæ Fine reducantur tum in Bonum Universi, tum ultimatè in Finem Bonitatis Increatæ per divinam Providentiam omnium in individuo præfinitivam.

25. Ad ejusdem Suarezij *n.6.* oppositum Fundamentum Respondetur. Ex divinæ quà primæ, ac universalis Causalitatis ratione necessum esse, nihil realitatis, atque adeò veritatis ultra statum possibilitatis esse intelligibile, nisi descendens ex Causalitate Dei operantis omnia secundùm Consilium Voluntatis suæ. At eo ipso, quòd de Essentiali Causalitatis ratione sit tum prioritas, tum determinatio ad effectum, oportere illam divinæ Voluntatis Causalitatem esse cum prioritate determinativam, atque adeò prædeterminativam omnis realitatis, atque adeò Veritatis ultra statum possibilitatis intelligibilis. Unde eatenus ruere Scientiam Mediam, ut ipsam etiam omnis effectûs creati effectricem divinæ Providentiæ causalitatem oporteat esse præfinitivam, ac prædeterminativam.

26. Ad Molinæ *n. 7.* oppositum argumentum Respondetur. Distinguendo illam S. Augustini propositionem. Vera enim est in eo sensu, quòd sine peccato cedatur illi Causæ, cui taliter non potest resisti, ut in actu Primo non causet, imò tollat indifferentiam activam, & Dominativam. At licet Herodes, & Pilatus cum Gentibus, & Populis Israel convenerint facere circa Christum, quæ manus & Consilium Dei decreverunt fieri. *ex Act. 4.* nec verò quisquam resistere possit divinæ Voluntati. *Esther. 13.* Nihilominùs ista Dei Voluntas non abstulit ab Herodis, ac Pilati Voluntatibus indifferentiam agendi Dominativam, sed ex hâc secundùm talem indifferentiam, atque adeò liberè operante eduxit Volitionem in ratione Entitatis ex divinâ immanente Causalitate, cum ipso libertatis modo prædeterminatam, in ratione verò malitiæ non imputatam, nisi Herodis ac Pilati liberè operantibus Voluntatibus. Cùm igitur Providentia divina actuum nostrorum liberorum præfinitiva non tollat à Voluntate nostrâ indifferentiam Dominativam & activam Bonitatis saltem Entitativæ in actu divinitùs præfinito operativam, consequenter vi Providentiæ divinæ nec tolli libertatem, nec Voluntatis creatæ peccabilitatem.

Ad Francisci de Lugo *n. 8.* oppositum Respondetur. Ad rationem divinæ Prudentiæ, seu Providentiæ omnino requiri, divinum Intellectum habere tum certitudinem potestatis omne id, quod absolutè vult, faciendi, tum infallibilitatem Mediorum congruorum ad efficaciter assequendum finem absolutè intentum. Verùm hanc Mediorum congruitatem oportere his esse intrinsecam ex ipsâ Essentiæ divinæ communicabilitate vi Scientiæ simplicis Intelligentiæ repræsentatam in divino Intellectu, in eorumque Naturâ & Essentiâ ut sic participatâ objectivè expressam. Insuper illam congruentiam quoad statum effectûs ex ipsa tanquàm Causalitate per se determinatâ infallibiliter secuturi debere eatenus subjectam esse divinæ Voluntati, ut ex hujus Causalitate liberè præfinitivâ descendat. Unde Mediam Conditionatorum Scientiam non tantùm esse inutilem divinæ Providentiæ, sed hujus destructivam. 27.

Ratio Fundamentalis est. Nam per Scientiam Mediam antecedenter ad omne Decretum Dei, atque adeò ordinationem Divinam præsupponuntur omnes actus creati liberi in quâlibet rerum peristasi ex hypothesi cujusvis determinatæ combinationis re ipsâ futuri. At Providentia est ordinatio rerum in Finem. Oportet igitur, illos eventus liberos sub quâcumque combinatione hypotheticè futuros non esse sub Dei Providentiâ. Ex hoc autem fit; aliquid realitatis ultra possibilitatis statum in creatis esse extra divinam Providentiam, quam oportebit adeò non esse universalem, imò cum eadem sit substantia actûs liberi absolutè, ac hypotheticè futuri, ac isti solùm quoad modum differant, consequens erit, actus nostros liberos non tam quoad substantiam, sive etiam quoad determinationem Existentiæ, utpote antecedenter ad Dei Causalitatem jam supergressæ possibilitatis statum, quàm quoad purificationem conditionis stare sub Dei Providentiâ. Ex hoc autem rursus sequeretur, non esse verum illud S. Thomæ *pras. q. 22. a. 2.* effatum, *Necessum nimirum esse, omnia in quantum participant Esse, in tantum sub di Divinæ Providentiæ.* Consequens adeò est, Scientiam Conditionatorum Mediam non tantùm non esse proficuam, sed destructivam divinæ Universalis Providentiæ. 28.

CONTROVERSIA III.

In quo actu formaliter, ac Essentialiter consistat Providentia DEI?

DOctoribus antiquioribus de hoc jam erat Controversia aliqua, nonnullis in Intellectu, alijs in Voluntate ponentibus Dei Providentiam. 1.

Referuntur Sententiæ.

D. Bonaventura *in 1. dist. 40. a. 1. q. 2.* Scotus *eâd. dist. q. un. n. 1.* arbitrati sunt, Prædestinationem

tionem, seu Providentiam dicere formaliter actum Voluntatis. Fundamentum est. Nam *Matth. 20.* prædestinati dicuntur Electi. *Et ad Ephes. 14.* Prædestinatio vocatur Propositum Dei. Atqui Electio & Propositum est actus Voluntatis. Ergò Prædestinatio est actus Voluntatis divinæ condistinctus à Præscientiâ, juxta illud *ad Rom. 5. Quos præscivit, & prædestinavit.* Atqui Prædestinatio est pars divinæ Providentiæ. Oportet igitur, Dei Providentiam consistere in actu Voluntatis, quo suppositâ Finis efficaci Intentione, ac mediorum ad ejus consecutionem congruorum cognitione Deus ista eligit, ac proponit executioni mandare: juxta illud S. Damasceni *2. de Fide. c. 29.* asserentis: *Quòd Providentia sit Voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congrueque gubernantur.*

2. Huc reduci potest sententia Ochami *in 3. p. q. 12. a. 4. concl. 3.* Heinrici *quodlib. 6.* existimantium, actum Imperij, in quo divinæ Providentiæ rationem formalem *infra n.* constituimus, esse actum Voluntatis. Argumentum adduci potest. Quia Providentia in Deo habet rationem Prudentiæ Politicæ, *ex dictis sup. cont. 1. n. 6.* At secundùm Aristotelem *6. Ethic. c. 8.* Prudentia Oeconomica & Politica fert leges, & præcepta, quatenus vult fieri, quod Intellectus judicat esse faciendum. Oportet igitur Imperium, quod est secundùm Prudentiam, ac Providentiam divinam, esse actum Voluntatis, S. Damasceno *ubi supra* affirmante: *Providentiam nihil aliud esse, quam Dei Voluntatem.*

3. Albertus Magnus *1. p. sum. tract. 17. q. 67. memb. 2.* Alensis *1. p. q. 28.* Dei Providentiam constituunt in actu tam Intellectûs, quam Voluntatis. Fundamentum esse potest. Nam Providentia Dei optimè descripta videtur illis Verbis *Act. 4. Quæ manus tua, & Consilium tuum decreverunt fieri.* Atqui non solum verbum *Decreverunt* sonat operationem Voluntatis, sed per *Manum* etiam significatur Metaphoricè Voluntas; per Consilium autem indicatur Intellectûs operatio. Oportet igitur Prudentiæ divinæ rationem ponere simul in actu Intellectûs, & Voluntatis Sacris Litteris, ac Patribus adstipulantibus; dum Prudentiam, & Prædestinationem modò dicunt Præscientiam, Consilium & rationem, quæ sunt operationes Mentis, modò Electionem, Dilectionem; ac Procurationem, quæ sunt operationes Voluntatis, modò denique Propositum, Dispositionem, ac Ordinationem, quæ videntur indifferenter se habere ad actus Intellectûs, & Voluntatis.

4. D. Thomas *præs. q. 22. a. 1.* ejusque Discipuli rationem divinæ Providentiæ formaliter constituunt in actu Intellectûs, qui habet rationem Imperij, veluti præter alios Thomistas sentiunt Ioannes à S. Thomâ *in 1. disp. 7. art. 3.* Gonet *to. 3. disp. 8. a. 2. §. 1. &* Laos *in præs. q. 22. a. 1. dub. un.* Item *q. 23. a. 1. dub. 2. & 3.*

CONCLUSIO I.

INter actus Divini Intellectûs Practici, ac Voluntatis ad extra operativæ talis signorum rationis est constituendus Ordo, ut in primo signo intelligatur Scientia simplicis intelligentiæ non tantùm quà repræsentativa Finis cujus rei creatæ congrui, sed etiam quà per simplicem comprehensivam notitiam consiliativa Mediorum. Hanc proinde in secundo signo intelligitur consequi Intentio Finis, ac Mediorum Electio, istam verò in tertio signo intelligitur consequi ratio ordinativa ad usum, & executionem Mediorum, quæ Executio quà immanens Voluntati Divinæ per modum Causalitatis ad extra inexistentis intelligitur in Deo pro quarto rationis nostræ ratiocinatæ signo.

5. Explicatur, & Probatur. In Deo esse Prudentiam, evincitur ex illo *Proverb. 3. Dominus Sapientiâ fundavit terram, stabilivit Cœlos Prudentiâ.* Est autem Prudentia recta agibilium ratio ordinativa rerum in Finem. ex S. Tho. *præs. q. 22. a. 1.* Atqui alia agibilium ordinativa ratio est consiliativa, quæ utpote directiva Mediorum Electionis, hanc præcedit, alia verò est præceptiva, post Electionem imperans Mediorum Executionem. ex eod S. Doctore. *1. 2. q. 17. 3. ad 1.* Oportet igitur in Dei quoque Prudentiâ per Intellectum nostrum distinguere formalitates rationis Consiliativæ, ac Imperativæ.

Confirmatur argumento Angelici Doctoris petito *ex 1. 2. q. 17. art. 1.* Quando enim duo agentia ita se habent, quòd unum moveatur, ac recipiat impressionem ex alio, tunc agens motum potest habere duplicem actionem; alteram ex proprio, ac intrinseco principio, alteram verò ex impressione superioris agentis. Sic enim Sphæra Solis ex proprijs movetur à Septentrione ad Austrum, ex impressione autem primi mobilis movetur motu diurno ab Oriente in Occidentem. Atqui Voluntas, & Intellectus comparantur ad invicem tanquàm duæ Potentiæ se mutuò moventes, siquidem Voluntas sit Motrix Intellectûs quoad efficaciam: Intellectus verò sit movens voluntatem quoad specificationem ordinando, & conferendo. Quare Voluntas ex proprijs habet ipsum velle per modũ duntaxat inclinationis, & impulsûs: ex participatione autem rationis habet velle cum Collatione sive Electivâ unius præ alio, sive Ordinativâ unius v. g. Finis ad Media, sive Mediorum ad Finem. Pari proinde ratione Intellectus ex proprijs solùm habet cognoscere, manifestare, & dicere, ex impressione autem Voluntatis potest intimare cum efficaciâ repræsentatâ, & participatâ à Voluntate. At ista per Voluntatis divinæ efficaciam actuata, & specificata intimatio, seu rerum ad extra, quâ actualiter efficiendarum repræsentatio in divino Intellectu habet rationem Imperij, per quod Deus substantias incorruptibiles statuit in æternum imponendo præceptum, quod non præteribit. *ex Psalm. 148.* Hoc ipsum verò Intellectûs divini Imperium est ordinativum ipsius executionis, seu actualis rerum factionis, juxta illud: *Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt, ex dicto Psal. 148.* Atqui executio ejusmodi est passivè quidem in creatis, activè tamen est in Deo operante per Voluntatem, juxta illud: *Iudith. 9. Hoc factum est, quod ipse voluisti.* Constat igitur, ad Intentionem Finis, ac Mediorum Electionem tanquàm Voluntatis divinæ actum pro aliquo rationis 7.

ctionis signo præsupponi Intellectionem Finis, ac Mediorum collativam, & sub istâ collationis formalitate ordinativam Intentionis, ac Electionis; istam verò Intellectui Dei per formalem realem Identitatem eatenus imprimere efficaciam, ut hæc excitet rei à divinâ Voluntate efficaciter intentæ in Dei Intellectu expressionem ordinatricem actualis per Voluntatem divinâ executionis.

8. Oppones. Intentioni Finis ac Electioni Mediorum inest formaliter perfecta divinæ Voluntatis efficacia. Hæc autem in actu secundo importat actualitatem rei à Deo volitæ quoad Esse actualis Existentiæ determinativam. At rei creatæ quoad Existentiæ actualis Esse determinatio in divinâ Voluntate habet hoc ipso rationem executionis. Superfluum igitur est, ponere tum in Intellectu Divino Imperium Ordinativum executionis, tum in Voluntate Usum, seu executionem activam consequentem Voluntatis divinæ efficacem Intentionem, ac Electionem.

9. Contra: Nam ratione nostrâ ratiocinatâ oportet distinguere in Deo actualitaté Causalitatis Finalis, & Efficientis: Istæ verò Causalitates ita inter se comparantur, ut Causalitas Finalis sit etiam in Deo virtualiter prior Causalitate Efficiente, siquidem illa formaliter importet aliqualem hujus excitationem. Atqui Intentio Finis, ac Electio Mediorum spectant ad lineam Causalitatis Finalis, Executio verò ad lineam Causalitatis Efficientis, quæ in Deo est secundùm Voluntatem. Sicuti proinde Voluntati divinæ secundùm Intentionem, ac Electionem Mediorum prælucet Scientia simplicis Intelligentiæ quà Finis; ac Mediorum ordinativa, atque ut sic consiliativa, sic eidem Voluntati divinæ quà Executrici oportet prælucere Intellectionem Dei quà repræsentativam ipsius Existentiæ rei per Intentionem ac Electionem à Deo intentæ. Hæc verò Intellectio Dei ut sic est Visionis, rei quà ad extra faciendæ Exemplativa secundùm divinæ Intentionis efficaciam sibi intrinsecè communicatam intimatio, quam Imperiû dicimus. Oportet igitur, Executioné Voluntati divinæ imanentê, seu effectricem rerum ad extra faciendarum Causalitatem Dei virtualiter, & ratione nostrâ ratio-
10. cinatâ consequi ad Imperium divini Intellectûs.

Confirmatur *ex illo Iudith. 9. Ipsum factum est, quod ipse voluisti: Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tuâ Providentia constituisti.* Nam factum esse, importat executionem. At factum est ex hoc, quòd voluerit Deus. Ergò executio in Deo est Voluntatis. At volitio, secundùm quam factum est aliquid, inest Deo, quia Iudicia sua in Providentiâ constituit: Iudicium autem importat actum Intellectûs. Hoc ipsum verò Iudicium Dei attingit ejus vias quà paratas, adeòque secundùm Esse Existentiæ. Istud igitur Iudicium Existentiæ rerum creatarum in divinæ Intentionis efficaciâ repræsentativum est Prævium Volitioni divinæ, quà Executrici.

CONCLUSIO II.

IN præfato Divini Intellectûs Imperio formaliter consistit Providentia DEI.

11. Probatur. Nam modus rerum, qui cum ipsâ divinæ Intelligentiæ puritate conspicitur, Providentia nominatur. ex Boetio *lib. 4. consol. prosâ, 6.* Hic autem per divinam Intelligentiam repræsentatus rerum modus non est secundùm simplicem statum præcisè possibilitatis repræsentativam notitiam: sed Providentia est ipsa divina ratio in summo Principe constituta disponens omnia. *ex cit. Boetio.* Atqui divina omnium dispositiva ratio est rerum secundùm Esse actualis Existentiæ in finem Ordinativa. Unde Providentia est ratio actualis rerum existentiæ repræsentativa, & in Finem Ordinativa. Ejusmodi verò radicatur in Decreto Dei formaliter identicè specificante rationem ejusmodi, eique adeò per formalem identitatem imprimente suam Efficaciam. At ratio Dei per Decreti divini Efficaciam actuata est præceptiva, habetque vim Imperij dicendo facientis, & mandando creantis quæcumque voluit Deus. Ergò Providentia Dei consistit in Imperio, seu ratione Dei præceptivâ; Doctore Angelico *pres. q. 22. a. 1.* ita differente; *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo, secundùm illud Psalmi: Præceptum posuit & non præteribit, & secundùm hoc competit Deo ratio Providentiæ.*

Dices. Prædestinationem, quæ est pars divinæ Providentiæ, esse propositum miserendi. 12.
ex S. August. *lib. de prædest. Sanct. c. 5.* Atqui Propositum est actus Voluntatis. Ergò providentia non consistit in Imperio rationis, sed divinæ Voluntatis, D. Damasceno *lib. 2. Fidei. c. 29.* attestante: *quod Providentia sit Voluntas DEI, per quam omnia, quæ sunt, convenientem deductionem suscipiunt.* Unde Divus quoque Thomas *in 1. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 1.* ait: *Quòd Electio Voluntatis non est Voluntatis absolutè, sed in ordine ad intellectum ordinantem. Prædestinatio autem dicit actum Voluntatis absolutè, qui sequitur ordinem istum.*

Contra. Nullus enim dubitare, vel negare permittitur, ubi ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit,* prædestinationem 13.
significari. ex S. August. *lib. de Bono Persev. c. 18.* At illa præscientia est reliquiarum, quas secundùm Electionem Gratiæ fuerat ipse Deus facturus. *ex cit. c. 18.* Ergò prædestinasse idem est, ac præscisse, quod fuerat Deus facturus. *ex dicto. c. 18.* At hæc ipsa Præscientia est præparatio Beneficiorum Dei, quibus prædestinati certissimè liberantur. *ex prætacto lib. de Bono Persev. c. 14.* Oportet autem Præscientiam, cui est Efficacia Mediorum certissimè liberantium præparativa, seu ordinativa, esse specificatam, & actuatam per Decretum divinæ Voluntatis, per quam omnia sunt, quæcumque facta sunt. Constat igitur, Prædestinationem ita formaliter consistere in actu Intellectûs per modum Imperij factivo, ut tamen divinæ Voluntatis efficax Decretum tanquàm objectum Motivum formaliter identicè specificans, eiq; efficaciam communicans includat. Doctore Angelico *22. de Verit. a. 13. ad 1.* attestante: In actibus animæ præcedentem actum includi quodammodo virtute in sequenti: *Ideircò, quia Prædestinatio præsupponit Electionem, quæ est actus Voluntatis, in ratione prædestinationis includi aliquod pertinens ad Voluntatem.* Quod ipsum insinuavit S. Damasce- 14.
nus *sup.* citatus asserens, *Providentiam esse Dei Voluntatem, per quam res convenientem deductionem suscipiunt.* Etenim conveniens deductio importat deductionem ordinatam, & regulatam secundùm proportionem Mediorum ad finem. At secundùm Philosophum *2. Metaph. c. 2.* Sapientis atque adeò rationis est, ordinare. Hæc autem or-

dinatio eatenus quoad efficaciam derivatur à Voluntate, ut tamen formaliter consistat in Intellectu. Voluntas igitur divina tanquàm Ordinationis rerum in Finem quoad efficaciam Motiva est principium formaliter identicè specificativum divinæ Providentiæ, ut hæc consequenter dicatur à Damasceno Voluntas, quòd Voluntatem includat, & præsupponat, uti expressis verbis D. Thomas *q. 5. de Verit. art. 1.* respondit; cùm priùs *in ejusd. a. 1. in Corpore* dixisset: *Providentiam includere & Scientiam & Voluntatem, sed tamen essentialiter manere in cognitione non Speculativâ, sed*
15. *practicâ.* Atqui cognitio Dei quà rerum in Finem ordinabililatis secundùm simplicem duntaxat Intelligentiam repræsentativa, atque ut sic cum certitudine consiliativa est practica solùm in Virtute, non autem actu; unde potest etiam ad Scientiam speculativam pertinere. ex S. Doctore *1. p. q. 15. a. 3.* Cùm igitur Providentia Dei sit simpliciter practica, seu actu operativa, consequens est, ipsam consistere formaliter non in ratione præcisè consiliativâ, sed præceptivâ, eodem Doctore Angelico *1. p. q. 3. a. 4.* attestante, *Providentiam, cujus pars est Prædestinatio, seu Prudentiam esse rationem in Intellectu existentem præceptivam ordinationis aliquorum in Finem.*

Responsio ad opposita Argumenta.

16. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Divinam Providentiam includere Divinæ Voluntatis Decretum non tantùm quoad efficaciam sibi ex Voluntate Dei communicatam, sed etiam quoad executionem actualem Deo immanentem, habentem ut sic rationem activæ Gubernationis, importare formalitatem Divinæ volitionis. Ergo Prædestinationem quasi integraliter dicere actum quoque Voluntatis, etsi essentialiter non involvat, nisi actum Divini Intellectûs per modum Imperij ordinativum rerum in Finem.

17. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Rationem rectè dici legem increatæ Sapientiæ, ac Prudentiæ, impositam aquis, ne transirent fines suos. *Prov. 8.* At eo ipso, quòd Lex sit actus Prudentiæ, quæ secundùm Philosophum est virtus Intellectualis, oportere illam esse formaliter actum Intellectûs, etsi *Motivè*, ac *executivè* importet actum Voluntatis. Pari ergò ratione Dei Providentiam formaliter ut sic præceptivam esse essentialiter actum Intellectûs, etsi quoad efficaciam *Motivè*, ac quodammodò *præsuppositivè*, & quoad executionem Gubernationis secundùm rationem nostram ratiocinatam *consecutivè* importet actum Divinæ Voluntatis: Sicuti de actu Imperij creati S. Thomas *1. 2. q. 3. ad 1.* disseruit in hæc verba: *Non omnis actus Voluntatis præcedit hunc actum, qui est imperium, sed aliquis præcedit, scilicet Electio, & aliquis sequitur, scilicet Usus, quia post determinationem Consilij, quæ est judicium rationis, Voluntas eligit, & post Electionem ratio imperat ei, per quod agendum est, quod eligitur, & tunc demum Voluntas incipit uti exequendo imperium rationis.*

18. Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Illo argumento rectè probari, Providentiam Divinam *quasi integraliter* importare actum non Intellectûs duntaxat, sed Voluntatis quoque Divinæ. Iuxta quam considerationem Providentia ab Alberto Magno *cit. memb. 2.* dicitur Cura provisiva: hæc enim quà provisiva intelligitur secundùm rationem Scientiæ, & Sapientiæ, sed quà procuratio est, ex Voluntate: Doctore Angelico *præt. q. 22. a. 1. ad 2.* attestante: Curam duo importare, scilicet rationem Ordinis Providentiæ ut sic Essentialem, nec non Providentiæ quà Gubernativæ, constitutivam executionem *activè* in Voluntate Divinâ, *passivè* verò in rebus creatis existentem.

COROLLARIUM.

INfertur 1. Qualiter Providentia Dei differat 19.
à Fato. Nam Fatum Catholicè sumptum secundùm D. Augustin. *lib. 5. de Civit. c. 9.* dicitur à Fando. Semel autem locutus est Deus *Psalm. 6.* per suam Intellectionem exprimendo, & exemplando in æternitate totam Causarum seriem cū omnibus effectibus eo modo prodituris in temporis seu ævi mensurâ, quo modo in Voluntatis sui Decreto prænovit. Est igitur Fatum Catholicè dispositio exemplata à Providentiâ influxa & impressa secundùm totā Causarum naturalium, & Voluntariarum Ordinem rebus inhærens, & quasi impressa, & incorporata rebus creatis, ut adeò Providentia, & Fatum differant ut Exemplar & Exemplatum, & sicut causa influens, & forma influxa, ex Alberto Magno *1. p. sum. tract. 17. q. 18. memb. 1. ac. seq.*

Infertur 2. Qualiter ratio Divinæ Providentiæ importet assecutionem Finis. Nam alius Dei Provisoris Finis est universalis: Hic autem est ipsa Bonitas ipsius Increata, quatenus secundùm sui creaturis impressam participationem est in toto universi ordine repræsentabilis. At eo ipso, quòd Deus universa propter semetipsum operetur, oportet, illam Finis universalis assecutionem in actu signato Exemplariter esse de ratione Divinæ Providentiæ. Probatur istud Assumptum. Nam ratio Divinæ Providentiæ dicit imperium Divinæ Intellectionis non purè Exemplativum, sed ex Voluntatis Divinæ efficaciâ formaliter identicè eam actuante, ac specificante habet vim actualiter effectricem operis provisi, ac præintenti, seu præelecti à Divinâ Voluntate. At eo ipso, quòd Deus universa propter semetipsum operetur ex consilio Voluntatis suæ, sequitur, nullum posse Divinæ Providentiæ opus esse, quin habeat in se impressum aliquem Divinæ participationis radium ex increatâ Bonitate. Hæc autem Divinæ Bonitatis participatio est formaliter assecutio Finis universalis Divinæ Providentiæ. At quia omnes Causæ particulares concluduntur sub Causâ universali, est impossibile, aliquid effugere Ordinem Divinæ Providentiæ. ex S. Thomâ *præt. q. 22. a. 1. ad 1.* In quo etiam sensu idem S. Doctor *sup. q. 19. a. 6.* disseruit: *Voluntatem Dei, in quantum est Causa universalis, semper impleri, siquidem id, quod recedere videtur ab uno ordine, relabatur in alium.* Cùm igitur omne id, quod in effectu est participativè, insistat Causæ Exemplari idealiter, sequitur, Divinam Providentiam respectu omnium importare idealem, ac exemplativam Finis illius
universalis consecutionem. Alius proinde Fi- 21.
nis Divinæ Providentiæ est particularis, sicuti Deus respectu reproborum habet Providentiam

tiam Ordinativam in Finem salutis æternæ. At huic etiam Providentiæ eatenus inest efficacia, ut alicujus Medij, sive proximi, sive remoti omnium hominum in salutis æternæ Finem ordinativi sit actualiter causativa. Unde ex hâc medij ad salutem ordinantis effectrice Causalitate *Metonomicè* denominatur Divina Providentia Voluntas signi de omnium salute. At verò sicut ista Signi Voluntas in Deo importat Voluntatem respectu Mediorum remotè saltem sufficientium, non verò efficacium, vel ipsius etiam salutis absolutam, & efficacem, sic consequenter nequit inferre Finis illius particularis, seu salutis assecutionem. Constat igitur de ratione Providentiæ universaliter spectatæ non esse assecutionem Finis particularis, sed universalis; de quibus fusiùs agit Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo uno. disp. 37. s. 3.*

22. Infertur 3. Qualiter accipiendum sit illud S. Thomæ *1. p. q. 23. a. 1.* dicentis, Prædestinationem esse quandam Providentiæ partem. Etenim Laos *eod. a. 1. dub. 3. in fine* cum alijs probabile judicat, posse intelligi de parte subjectivâ. Cujus ratio est, quia sicuti per operationem intellectûs nostri distinguimus in Deo plures actus, ita possumus abstrahere ab illis rationem, & sub illâ concipere species subjectivas. Unde considerare licet Providentiam tanquam rationem quandam genericam continentem sub se has duas species, scilicet Providentiâ naturalem, quâ providet Deus rebus in Esse Naturæ, & Providentiam supernaturalem, quâ providet illis in Esse gratiæ. At hæc ipsa supernaturalis Providentia habet adhuc sub se alias duas species, scilicet Providentiam efficacem Electorum, quæ est prædestinatio, & Providentiam respectu Mediorum aliquo modo saltem sufficientium efficacem, sed respectu Finis salutis æternæ inefficacem circa non electos, quæ defectu nominis proprij retinet sibi nomen genericum supernaturalis Providentiæ.
23. Verùm in hâc Doctrinâ est difficultas ex eo, quòd ad rationem generis non sufficiat communitas rationis, nisi hæc pro fundamento in re supponat communitatem, id est indifferentiam, sive potentialitatem ad Esse, *uti sup. q. 2. a. 1. cont. 2. n. 9. dictum est.* At licèt per abstractionem Providentiæ circa hanc quædam rationis communitas resultet, ipsa tamen nequit ex parte rei habere in se aliquid potentialitatis. Sicuti ergò per istam abstractionem ratio Providentiæ non nisi latè potest dici generica, sic ejus partes nequeunt strictè loquendo vocari species, seu partes subjectivæ.
24. Quocirca Prædestinatio congruentiùs dicitur Providentiæ pars quasi integrans non tam ex parte actûs importantis rationem simplicissimi omninò indivisibilis ad extra Imperij, quàm secundum aliquam Eminentialem Objectorum connotationem; siquidem prædestinatio sit ordinativa Mediorum duntaxat efficacium salutis æternæ infallibiliter causantium: Providentia verò communis ad omnia providenda se extendat secundum Ordinem in Finem Dei ad extra operantis universalem, scilicet Attributorum ipsius ostensionem.

Infertur 4. Qualiter Providentia communis, ac Prædestinatio secundùm rationem nostram in Deo intelliguntur differre. Nam Prædestinatio potest dupliciter accipi. 1. in latâ quâdam significatione pro ordinatione Divinâ cujusque rei ad Finem sive particularem, sive universalem præfinitivâ. Ut sic autem prædestinatio coincidit cum ratione Providentiæ generaliter spectatæ quà includentis Providentiam Naturalem, & supernaturalem, tam efficacem ergà electos, quàm respectu particularis Gloriæ finis inefficacem erga reprobos, nec non reprobationem, ac Providentiam Ordinis Hypostatici. Est verò Prædestinatio sub tali generalitate in ordine ad Finem omnis ad extra operis Divini universalem considerata una quædam Directrix in Deo ratio Entium omnium Ordinativa, & effectiva; cujusmodi rationem substantificam, & factivam Divinus quoque Dionysius *c. 5. de Divin. Nom.* & S. Thomas *ibid. Lect. 3.* Prædestinationem, ac Præfinitionem vocandam ex sacris Litteris censuit. 25.
2. Prædestinatio accipitur strictè pro solâ Electorum Providentiâ, & transmissione efficaci ad Gloriam. Ut sic autem Prædestinatio à Providentiâ naturali distinguitur tum ex Fine particulari Gloriæ, tum ex Medijs utpote supernaturalibus efficaciter ad finem salutis æternæ conferentibus. Deinde distinguitur à Providentiâ erga reprobos, quòd hæc non absolutâ efficacitate attingat finem salutis, sed media duntaxat sufficientia actu conferat, & producat, atque Finis solùm universalis in ostensione Divinorum Attributorum assecutionem importet. Quam proinde Prædestinationis, ac Providentiæ differentiam insinuavit Doctor Angelicus *q. 6. de Verit. art. 1.* taliter differens: *In qualibet ordinatione ad Finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, & exitum, vel Eventum Ordinis: non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergò ordinem in finem respicit tantùm; Unde per Dei Providentiam omnes homines in Beatitudinem ordinantur: sed prædestinatio respicit etiam exitum, & eventum Ordinis. Unde non est, nisi eorum, qui Gloriam consequuntur.* 26.

QVAE-

QUAESTIO NONA
DE
DIVINA ELECTORUM AD SALUTEM ÆTERNAM PRÆDESTINATIONE.

1. PRoximè diximus, hanc Prædestinationem esse efficacem ad Finem Gloriæ supernaturalis transmissionem respicientem exitum seu actualem efficientiam, & executionem Ordinis in Finem æternæ salutis. Ne verò quis arbitretur, hujus exitûs, seu Finis consecutionis certitudinem esse ex ratione duntaxat Præscientiæ Divinæ, conditionatam liberæ cooperationis nostræ Decretum Dei actuale antecedentem Futuritionem præsupponentis, apertè obsistit Angelicus Doctor *q. 6. de Verit. a. 3.* loquens in hæc verba: *Non potest dici, quòd prædestinatio supra certitudinem Providentiæ nihil aliud addat, nisi certitudinem Præscientiæ; ut si dicatur, quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed cùm hoc de prædestinato scit; quòd non deficiet à salute: sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventûs: ut sic præscientia esset Causa Prædestinationis, & Prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra Authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem Præscientiæ ipse ordo Prædestinationis habet infallibilem certitudinem* nimirum Causalitatis, uti clarè constat ex S. Doctore *in 1. ad Annibal. dist. 40. q. 1. a. 3. ad 2.*

2. Ex quo patet, Prædestinationem importare non Mediorum duntaxat, sed ipsius etiam Finis salutis æternæ cum Causalitatis certitudine præordinationem, atque *Totaliter* spectatam includere *quasi integraliter* tum Voluntatis Divinæ Decretum Finis ac Mediorum salutis in ordine tam Intentionis, quàm Executionis præfinitivum; tum intellectûs Divini rationem eorundem efficaciter præordinativam: in quâ etiam ratione, ceu Imperio efficacium salutis æternæ Mediorum cum intrinsecâ Finis consequendi certitudine, ac infallibilitate efficaciter productivo essentialiter consistere Divinam Electorum ad Finem salutis æternæ prædestinationem, ex dictis *præced. q. 7. a. 2.* liquet.

3. Hinc Prædestinatio ex S. August. *lib. de Bono persev. c. 14.* definitur *Præscientia, & Præparatio Beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumq; liberantur.* Nam 1. Prædestinasse est in Deo quidem hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus, *ex cit. lib. de Persev. c. 18.* Nihilominus Deus est potens præscire etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata, ex ejusdem S. D. *lib. de Prædest. Sanctor. c. 10.* Unde cùm id solùm, quod Bonum est, Præscientia Dei prædestinet, id est priùs, quàm sit in re *Imperij sui Divinâ Causalitate* præordinet. *ex lib. 6. Hypognost.* oportuit definiendo Prædestinationem asserere, non esse duntaxat *Præscientiam, sed Præparationem,* id est Imperium in Divino Intellectu præordinativum Beneficiorum Dei.

2. Præscientia præparativa, & ut sic in ratione imperij efficacis causativa ad rationem Divinæ Prædestinationis propriam determinatur ex connotatione talium Dei Beneficiorum, quibus certissimè liberantur Electi. Hæc autem liberatio est à morte æternâ. Nequit autem hujus Mortis esse liberatio, nisi per vitam æternam mortis illius, ceu privationis oppositæ formaliter expulsivam. Unde prædestinatio est præpræparativa Beneficiorum Dei habentium certitudinem ex vi Causalitatis Divinæ prædestinationis, non verò ex connotatione Futuritionis liberæ creati arbitrij cooperationis antecedenter ad Voluntatis Dei actuale Decretum præscitæ, ut adeò illa per Molinam *in præs. q. 23. a. 1.* tradita definitio in sensu saltem per ipsum intento reijcienda sit, quòd scilicet *Prædestinatio sit ratio Ordinis, seu Mediorum in Deo, quibus providet, creaturam rationalem perducendam in vitam æternam cum proposito eundem Ordinem exequendi.* 4.

Quibus adeò circa quidditatem Divinæ Prædestinationis suppositis, triplex occurrit, tribus Articulis discutienda principalis Difficultas 1. enim Articulum meretur illa celebris Controversia: *An Electio efficax ad Gloriam sit ante, vel post prævisa merita?* In 2. dein Articulo de *Causis Prædestinationis*: *In 3.* denique *de ejus effectibus* disseremus. 5.

***

ARTI-

ARTICULUS I.

Utrùm Electio Efficax ad Gloriam sit ante, vel post prævisa merita.

1. DARI quorundam ad Gloram Electionem, seu Prædestinationem, evincitur ex illo *ad Eph. 1. Qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Iesum in ipsum.* Etsi enim hæc adoptio in Filios Dei inchoetur in viâ, ejus tamen perfectio consummabitur in Patriâ; dedit enim Deus potestatem Filios Dei fieri his, qui ex Deo nati sunt. *Ioann. 1.* Hæc autem ex Deo Nativitas, de cujus ratione est esse in similitudinem Naturæ, in statu viæ ita fit secundùm participationem Gratiæ sanctificantis, per quam reddimur consortes Naturæ Divinæ, ut tamen *consummatè* in statu Beatitudinis simus futuri similes Deo, quoniam videbimus eum, sicuti est. *Ioan. 1.* Unde illud *Rom. 8. Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui*, maximè locum habet in conformitate imaginis Filij Dei secundùm Gloriam, & Facialem Divinæ Essentiæ intuitionem. De quâ proinde hominum in istam intuitivam Divinitatis Visionem prædestinatione dicitur *Actor 13. Crediderunt, quotquot erant præordinati in vitam æternam.*

2. De hâc igitur prædestinatione, seu efficaci hominum ad Gloriam Electione celebris inter Scholasticos agitatur Controversia: *Utrùm sit ante, vel post prævisa merita?* Etenim pro sententiâ Electionem Prædestinatorum ad Gloriam post prævisa merita adstruente stant Vasquez *1. p. disp. 89. cap. 2.* Molina *hic q. 23. art. 2. & 3. & art. 5. disp. 1. memb. 6. & 11.* Becanus *to. 1. c. 11. de Voluntate. q. 4. n. 5. & cap. 14. de Prædest. q. 4.* Lessius *disp. 1. de Prædest. sect. 2. à n. 8.* Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 23. disp. 4.* Franciscus Amicus *to. 1. disp. 15. sect. 4. à n. 61. & alij.*

3. Ex opposito Electionem Prædestinatorum ad Gloriam ante prævisa merita ponunt communiter Thomistæ; nominatim Caietanus *præs. q. 23. a. 4.* Bannes *ibid. in Comment. art. 4. & 5. §. His ergo opinionibus confutatis.* Mathæus de Rispolis *Controv. præfin. lib. 1. q. 1. concl. 3.* Ferrariensis *3. cont. gent. cap. 161. §. pro solutione.* Aluarez *lib. 5. de Auxilijs. disp. 37.* Nazarius *cit. q. 23. art. 1. cont. 2.* Hieron. de Medices *hic art. 4. & 5.* Serra *eod. art. 4. dub. un.* Ioannes à S. Thomâ *to. 2. disp. 8. per totam.* Ioannes Bapt. Gonet *to. 4. disp. 2. art. 1.* Petrus Labat *1. p. tract. 1. disp. 7. dub. 6.* Quibus favent Scotus *in 1. dist. 41. q. un. n. 11.* Lychetus *ibid.* Bellarminus *to. 3. lib. 2. de Grat. & lib. arb. c. 15.* Suarez *lib. 1. de Prædest. c. 8.* Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo uno. disp. 39. c. 4. n. 13.* Philippus à Sanctissimâ Trinit. *to. 1. disp. 18. dub. 2. &* quàm plures alij.

(IHS.)

Quid ex antiquorum Theologorum Authoritate statuendum sit circa Prædestinationem ante vel post prævisa merita?

ANtiquiores Theologos, nominatim Albertum Magnum, Sanctos Bonaventuram & Thomam Aquinatem, nec non D. Anselmum inter primos Theologiæ Scholasticæ fundatores meritò referendum, & ipsum denique S. Theologiæ Antesignanum, Gratiæ, ac Prædestinationis Divinæ Magistrum D. Augustinum in præsenti difficultate consulendos primò censuimus, moti tum à Lessio citato pro Prædestinatorum ad Gloriam Electione post merita prævisa allegante Albertum Magnum, S. Bonaventuram, & D. Anselmum; tum à Molinâ supra asserente, se non dubitare, quin doctrina de Electione post meritorum prævisionem probè explicata sit conformis Doctrinæ S. Augustini, & S. Thomæ. 4.

Referuntur Sententiæ cum suis præcipuis Fundamentis.

EX Alberto igitur Magno conatur Lessius citatus refutare Prædestinatorum ante prævisa merita efficacem Electionem, quatenus Magnus ille Doctor *in 1. dist. 40. a. 11.* docet, duo esse in prædestinatione, scilicet Scientiam, & Voluntatem; hanc verò respicere aliquid in opere nostro, cùm tot velit, quot bene usuri sunt Gratiâ dandâ, & non plures; & si plures essent usuri Gratiâ, tunc ab æterno voluisse plures: Cui conformiter *seq. dist. 41. a. 3.* tradit: Ex parte effectûs, in quo determinabilis est prædestinatio, & reprobatio ad tempus, habere prædestinationem rationem meriti, non tamen Causam finalem. 5.

Divus Bonaventura pro prædestinatione post prævisa merita à præfato Lessio inducitur *in 1. dist. 41. a. 1. q. 2.* ita differens: *Sed cavendum, ne dum Voluntatem Dei magnificare volumus, potiùs voluntati ejus derogemus; si enim non esset ratio, quare Deus istum eligit, & illum non, nisi quia placet, certè jam non occulta dicerentur Iudicia Divina, sed manifesta, cùm quilibet hanc rationem capiat, nec dicerentur mirabilia, sed potiùs Voluntaria.* 6.

Divus Thomas in eandem sententiam trahitur à Lessio *sup. citato*: Primò, quòd Doctor ille Angelicus non agnoscat prædefinitionem operum, & Gratiarum efficacium pro singulis operibus bonis ante prævisionem nostræ cooperationis. *ex q. 6. de Verit. a. 3.* Secundò, quòd dicat *in 1. p. q. 23. a. 4. ad 3.* Deum velle omnes homines salvos fieri Voluntate antecedente: discretionem autem Electorum, & reproborum factam esse Voluntate consequente, quæ nimirum sequitur prævisionem operum. Tertiò, quòd apertè dicat *in 3. p. q. 1. a. 3. ad 4.* Prædestinationem supponere Præscientiam Futurorum. 7.

S. Anselmus ab eod. Lessio *cit. sect. 2. n. 21.* allegatur, quòd *in lib. de concord. Præscient. & Prædestin. cum lib. arb.* doceat *cap. 2.* Prædestinationem 8.

non

non adferre majorem necessitatem, quàm Præscientiam. Hæc verò non adfert, nisi necessitatem consequentem, qualis est, dum dico si hoc est futurum, necesse est, ut aliquando sit. *ex eod. Sancto c. 1.* Sicut ergò Præscientiam, sic Prædestinationem oportet esse posteriorem operibus nostris, à quibus objectivè pendet Præscientia, atque adeò Prædestinatio Dei.

9. S. Augustini pro sententiâ suâ Lessius *cit. sect. 2. n. 9.* producit locos quindecim, è quibus duos præcipuos hîc ponemus, cæteros in progressu, ac præsentis difficultatis discussione examinaturi. Primus igitur locus sit *ex lib. 1. ad Simplician. q. 2.* ubi explicans illud Apostoli: *Vt secundùm Electionem propositum Dei maneret*, differit in hæc verba: *Non ergo secundùm Electionem propositum Dei manet, sed ex proposito Electio; id est non quia Deus invenit bona opera in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum Iustificationis ipsius, sed quia illud manet, ut justificet credentes, invenit opera, quæ jam eligat ad regnum Cælorum. Nam nisi esset Electio, non essent Electi, nec rectè diceretur, quis accusabit adversus Electos Dei.* Ex quo patet, Propositum Iustificationis (id est Decretum dandi Gratiam Iustificantē) esse in Deo ante Electionem. Oportet igitur Electionem non præcedere Iustificationem ac merita fundata in Iustificationis Gratiâ. eod. S. Doctore paulò infer ita differente: *Non tamen Electio præcedit Iustificationem, sed Electionem Iustificatio, nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur; unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi Præscientiâ.*

10. Secundus Locus sit *ex serm. 7. de Verb. Domini.* ubi S. Augustinus ita loquitur: *Elegit autem Deus, sicut inquit Apostolus, & secundùm gratiam, & secundùm justitiam.* Atqui per Electionem secundùm gratiam, quæ non est ex meritis, fit quis fidelis; Electio verò secundùm Iustitiam ex meritis est ad Gloriam. Unde idem S. Doctor illud Apostoli: *Reliquiæ secundùm Electionem Gratiæ salvæ factæ sunt*, explicans *loc. cit.* ait: *Ergo illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præsumentes non de se Baal.*

Conclusio.

Ex mente SS. August. Anselmi & Thomæ Aquin. Prædestinatorum efficax ad Gloriam Electio ante prævisionem Perseverantiæ Finalis, atque adeò meritorum, adstruenda est.

11. Probatur. Nam illi dicuntur Electi, qui secundùm propositum sunt vocati, quiq; prædestinati, atq; præsciti. *lib. de corrept. & Grat. c. 7.* Hi autem sunt electi ad regnandum cum Christo. *ex eod. c. 7.* At quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò electi sunt per Electionem gratiæ non præcedentium meritorum, quia gratia est illis omne meritum. *ex cit. c. 7.* Constat igitur, Electionem ad regnandum cum Christo non esse præcedentium meritorum, sed Gratiæ.

12. Confirmatur ex eod. S. Doctore *cap. 9. ejusdem lib. de Corrept. & Grat.* taliter differente: *Hi ergò Christo intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati, & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit. At per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideò Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ex quo ita licet argumentari. Hi, qui Christo dati sunt ordinati in vitam æternam, sunt illi prædestinati, & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit: At per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus. Hæ autem Particulæ *ly per hoc, & ly quoniam* important Causalitatem. Ergò ordinatio in vitam æternam importat prioritatem Causalitatis, vi cujus nullus ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, atque adeò perseverat in Gratiâ Finali. At non nisi usque in Finem bene operantibus proponenda est vita æterna tanquàm merces bonis eorum operibus ac meritis fideliter reddenda. *ex Conc. Trid. sess. 6. de Iustific. c. 16.* Unde merita quà efficaciter causativa vitæ æternæ dependent ex Perseverantiâ Finali. Cùm igitur ista Perseverantia sit ex causalitate Divinæ Prædestinatorum Electionis, ac in vitam æternam præordinationis, consequens est, prædestinationem Electorum non posse intelligi posteriorem Præscientiâ meritorum, quà vitæ æternæ actu efficientium.

Respondebis cum Amico *cit. disp. 15. sect. 4. n. 117.* allegatos ex S. August. *lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. & 9.* locos intelligendos esse de Electione ad Gratiam efficacem: Cùm enim ista sit virtualis, & inchoata Electio ad Gloriam, ideò prædestinatos ad eam dici electos ad regnandum cum Christo. Fundamentum hujus Responsi desumitur ex eod. S. Ecclesiæ Doctore *cit. c. 7.* de prædestinatis, seu vocatis secundùm propositum asserente, quòd *sint electi per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum.* Eosdem verò Electos idem S. Doctor ait, à Massâ perditionis esse discretos *Gratiæ largitate, & præscientiâ.* Assi intellexisset Electionem ad Gloriam, dixisset, eos discerni Voluntate, & Electione ad Gloriam, quæ Præscientiam, & Gratiæ largitatem antecedit, & primò, ac principaliter prædestinatos à Massâ perditionis discernit. 13.

Contra. Nam vocati secundùm propositum sunt prædestinati conformes fieri Imaginis Filij Dei. ex S. August *cit. c. 7. & c. 9.* Atqui taliter prædestinati sunt illi Electi ad regnandum cum Christo. *ex cit. c. 7.* De his autem dicit Apostolus, esse glorificatos, utendo verbo præteriti temporis de re etiam futurâ, tanquàm jam fecerit Deus, quæ jam ut fierent, ex æternitate disposuit Deus. *ex cit. c. 9.* At sub istâ glorificatione intelligenda est illa Gloria, de quâ dicitur, cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. *ex dicto c. 9.* Ergò Electi ad regnandum cum Christo sunt eatenus prædestinati conformes fieri Imaginis Filij Dei, quatenus sunt à Deo præordinati, ut cum Christo apparentes in Gloriâ habeant vitam æternam. *ex cit. c. 9.* Atqui ex hoc diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt Sancti, *quoniam* quos ante præscivit & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui. *ex cit. c. 7.* In his autē verbis *per ly Quoniā* importatur Causalitas hisce verbis expressa: *Quos autē prædestinavit hos & vocavit, quos autē vocavit, hos justificavit, quos autem* 14.

autem Iustificavit, illos & glorificavit. ex cit. c. 7. Ergò Prædestinatio, quâ electi sunt prædestinati conformes fieri Imaginis Filij Dei; est Causa, per quam omnia vocatis secundùm propositum cooperantur in Bonum. Hæc autem in Bonum cooperatio formaliter importat rationem meriti. Ergò merita sunt secundùm Causalitatis posterioritatem consequentia prædestinationem seu præordinationem ad Gloriam; & vitam æternam. Unde hæc ipsa Prædestinatio; seu Propositum Dei est Electio Gratiæ non præcedentium meritorum; vi cujus adeò Electionis prædestinati ita Divinæ Gratiæ largitate sunt discreti à massâ perditionis, ut hæc ipsa Divinæ gratiæ largitas à Deo emanans sit secundùm propositum, non Electorum; sed Dei. Constat igitur, prædestinationis Divinæ propositum vocari Electionem Gratiæ non ex hoc, quòd respiciat præcisè Gratiam efficacem; non verò Gloriam, sed quià non est præcedentium meritorum. Ergò prædestinatio Sanctorum ad Gloriam non est ex meritis, seu post prævisa merita.

15. Replicabis cum Lessiò *disp. de Prædest. sect. 4. n. 57.* allegatum S. Augustinum *de Corrept. & Grat. cap. 7.* omninò favere Electioni ante prævisionem operum; nisi quis consideret illius Sancti scopum, qui erat, docere; Omnia bona opera; & ipsam Perseverantiam non esse ex nobis, id est; nudis liberi arbitrij viribus, sed esse ex Gratiâ, & Dona Dei, sicut etiam discretionem è massâ damnationis; & electionem ad Gratiam Iustificationis; & ad Gloriam non esse ex operibus; sed ex Gratiâ; & Gratuitâ Dei Misericordiâ. Quando verò dicit *hæc non esse ex operibus*, non excludere opera, ut sunt ex gratiâ; sed solùm opera facta ante gratiam, & fortè opera quâ parte sunt ex nobis, siquidem nulla opera nostra, ut ex nobis sunt, horum aliquid merentur.

16. Contrà. Nam quis S. Augustini *in lib. de Corrept. & Grat.* scopus fuerit, apertè constat ex Epistolâ D. Prosperi ad eundem S. Doctorem duobus subnexis libris *de Prædestinatione; & de bono Perseverantiæ.* Cùm enim D. Augustinus edidisset librum de Correptione & Gratiâ; nonnulli referente S. Prospero *in cit. Epist.* qui persuasionis suæ impediti obscuro aversiores à veritate facti inter Professionis suæ Semipelagianæ reliquos Articulos statuerunt sequentes. 1. Deum eos, qui credituri sunt; quivè in eâ Fide, quæ deinceps per Dei Gratiam sit juvanda, mansuri sunt; præscisse ante mundi constitutionem, & eos prædestinasse in regnum suum; quos gratis vocatos, dignos futuros Electione, & de hâc vitâ bono fine excessuros esse prævideri. 2. Vocationis Dei propositum, quo vel ante mundi constitutionem, vel in ipsâ conditione humani generis eligendorum, & reijciendorum dicitur facta discretio; ut secundùm quod placuit creatori; alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere; & Sanctis occasionem teporis adferre; imò sub hoc Prædestinationis nomine fatalem necessitatem induci. Hinc 3. S. Prosper circa finem suæ Epistolæ petit demonstrari, tum quemadmodum per prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent: tum qualiter diluatur sententia illorum, qui propositum, & Prædestinationem Dei secundùm Præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios Vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia Finem uniuscujusque prævideris.

17. Ad quæ D. Augustinus responsurus *in princ. lib. de Prædest. Sanct.* advertit, radicem totius Semipelagianismi esse unicam, quòd adhuc caligent in quæstione de Prædestinatione Sanctorum. Ad quam proinde lucidissimâ illius S. Ecclesiæ Doctoris Doctrinâ abstergendam caliginem ita licet argumentari. Est enim præclarissimum Lumen Prædestinationis ipse Mediator Dei; & hominum Homo Christus Iesus. *ex cit. lib. de Prædest. c. 15. in princ.* Nam & ipsum Dominum Gloriæ; in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse, ex pacto didicimus. *post med. ejusd. cap.* Sicut ergò Prædestinatus est ille unus, ut Caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. *post med. dicti c. 15.* Atqui ut homo Filius Dei factus esset prædestinatus, nullis humana Natura, quæ in ipso est, meritis comparavit; *ex eod. c. 15. circa med. ac finem.* Pari ergo ratione merita humana conticescant in eo, quòd multi sint prædestinati, ut essent membra Christi. *ibid.* Atqui hos prædestinatos Filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filij sui, vocat certâ vocatione eorum, qui secundùm propositum vocati sunt, quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui. *ex seq. c. 16. in init.* Hæc ipsa verò vocatio est, quâ fiunt Electi, non qui eliguntur, ut credant. *ex cap. 17. in princ.* At ista Electio facit Divites in fide, sicut hæredes regni Cælestis, rectè siquidem in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos eligit *ex cit. c. 17. circa finem.* Est igitur in Deo Electio; seu propositum, quod sit Causa tam Fidei, quàm hæreditatis regni Cælestis Prædestinatis à Deo præordinatæ, ut ejus effectus sint vocatio illa certa, nec non Iustificatio, sicuti etiam glorificatio illo utique fine, qui non habet finem. At veritas rei à Deo præscitæ non tantùm secundùm adversarios est antecedens Divinam Præscientiam, sed secundùm nostram quoque Doctrinam præsupponitur jam ex Dei efficaci Intentione; ac Prædestinatione, in quâ Deus sua futura facta præscivit. *ex eod. c. 17.* Cùm igitur prædestinatio Divina Glorificationis æternæ effectrix eligendo faciat Divites in fide, sitque adeò Causa Meritorum nostrorum, quæ tanquàm facta sua Deus præscit in suâ prædestinatione, oportet, Prædestinationem Electorum ad Gloriam non esse post prævisionem meritorum.

18. Confirmatur 1. Nam prædestinatione illâ nos Deus elegit in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, immaculati in conspectu ejus, in Charitate, prædestinans nos in adoptionem Filiorum Dei secundùm propositum suum, ut simus in Laudem Gloriæ ejus utique Sancti, & Immaculati. ex eod. S. Ecclesiæ Doctore *c. 18. per tot.* At propter hoc ita vocat Electos prædestinans ante mundi constitutionem, ut ex hoc proposito sit illa Electorum propria vocatiò, quibus omnia cooperantur in Bonum. *ex cit. c. 18.* Hæc autem cooperatio in

Bonum ita est Donum Dei dantis nobis velle, & operari, ut sit etiam meritum nostrum à Deo donatum per Electionem Misericordiæ, per cujusmodi Gratiæ, non autem Iustitiæ, seu Meritorum Electionem Reliquiæ in æternitate secundùm Divinam Prædestinationem jam salvæ factæ sunt. *ex cit. lib. de prædest. c. 6. 7. ac sequ. & alibi sæpè.* Ergò etiam merita per Gratiam Dei donata, atque adeò prædestinata sunt effectus Electionis ad Gloriam, ita ut propter hanc vocet Deus Prædestinatos illo ipso electionis Gloriam prædestinantis proposito, quòd sit Causa propriæ Electorū Vocationis, facientis omnia in Bonum seu Meritum cooperari. Oportet igitur, ordine non duntaxat Causalitatis efficientis Prædestinationem Electorum ad Gloriam ponere antecedenter ad Veritatem, atque adeò Præscientiam meritorum, sed ordine etiam Intentionis debet secundùm prioritatem Virtualem, atque adeò ratione ratiocinatâ adstrui in Deo prior Electio Prædestinatorum ad Gloriam, quàm Decretum seu propositum certæ, sive efficacis Vocationis: hoc enim apertè indicant illa verba S. Augustini *ubi supra* asserentis: propter hoc, quòd Deus operetur secundùm propositum suum, ut simus Sancti & immaculati in conspectu ejus, vocare Prædestinatos ante mundi constitutionem.

19. Confirmatur 2. Nam omnia cooperantur in Bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti, quia nimirum Deus secundùm propositum occultissimæ Iustitiæ, bonitatisque suæ, quos prædestinavit, ipsos vocat, & justificat, & glorificat. Proposuit enim Deus illos ad vitam venire, cujus propositum mutari non potest. ex S. Anselmo *in epist. ad Rom. 8. c. vers. 28.* Constat igitur, propositum hoc imutabile esse Causam in Prædestinatis Vocationis, per quam ipsis cooperantur omnia in Bonum, seu meritum, secundùm enim propositum vocati sunt; id est, non aliunde, quàm à præordinatione Dei. *ex loc. cit.* Atqui istud propositum ita est Causa cooperationis per Dei Vocationem in Bonum, seu meritum, ut licèt in se omninò sit indivisibile, prioritate tamen virtuali, seu rationis ratiocinatæ secundùm quandam ex parte objectorum Finalizationis, ac Mediorum subordinationem per prius disponat de vitâ æternâ, quàm de meritis, S. Anselmo citato attestante: *Quomodo si Imperator aliquis disponeret aliquem infimum sublimare ad consulatum, & daret illi sumptus, quibus se præpararet idoneum, & ornaret, ut dignè promoveri posset ad tantum honorem, ita Deum illis, quos prædestinavit ad vitam dare virtutem & bonorum operum gradus, per quos ad tantam sublimitatem possint erigi.* Unde per hoc etiam, quòd electi sunt, vocari secundùm propositum, quibus omnia in bonum cooperantur, patet ex eod. Sancto *ibidem.* Constat igitur, merita eatenus esse effectus Electionis, seu prædestinationis ad vitam, ut hæc per prius ex parte objecti sit per modum Finis à Deo destinata, quàm merita ejusdem consequendæ media condigna intelligantur præparata. Nequit ergo prædestinatio ad Gloriam per modum Intentionis esse post prævisionem meritorum.

20. Ratio Fundamentalis ex Authoritate S. Thomæ ita adstruitur. Quia Prædestinatio est pars Providentiæ. Est autem Providentia ratio in Intellectu existens præceptiva aliquorum in Finem. Sed præcipitur aliquid, ut ordinandum in Finem, non nisi præexistente Voluntate Finis. Ergò prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundùm rationem, quòd Deus velit illorum salutem. *ex præs. q. 23. a. 4.* Ista verò Voluntas finis, seu salutis Prædestinatis à Deo volitæ dicitur tum Dilectio, tum Electio; Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc Bonum salutis æternæ; Electio autem, in quantum hoc Bonum aliquibus præ alijs vult, cùm quosdam reprobat. *ex 1. dist. 41. q. 1. a. 2. in fine Corp.* Hæc verò Electio ad Prædestinationem præsupposita est, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab alijs separatur, qui non in hunc finem diriguntur. *ex q. 6. de Verit. art. 1.* Atqui Electio illorum, qui ad finem vitæ æternæ infallibiliter ordinari separantur à reprobis est ut sic efficax infallibiliter illativa vitæ æternæ, Angelico Doctore *prox. cit. a. 1. in fine Corp.* attestante, quod *Prædestinatio supponat Electionem, Electio verò Dilectionem; ad Prædestinationem verò duo sequantur, scilicet consecutio Finis, qui est Glorificatio, & Collatio Auxilij ad consequendum Finem, quod est appositio Gratiæ ad Vocationem pertinens.* Constat igitur, Electionem efficacem ad Gloriam præsupponi ad Prædestinationem Auxilij Gratiæ. At prævisio Meritorum non potest esse antecedens ad Auxilij Gratiæ Prædestinationem, in quâ Deus sua futura facta præscivit, uti cum S. Augustino *sup. citato*, & S. Anselmo *in cit. c. 8. ad Rom. v. 28. tradit sæpè citatus* S. Thomas. Multo ergò minùs potest Prævisio meritorum esse ante Electionem efficacem ad Gloriam.

Reponsio ad fundamenta opposita.

AD Alberti Magni *n. 5.* Oppositum Respondetur. Prædestinationem, seu Electionem efficacem ad Gloriam post prævisa merita efficaciter reprobari ex Magno isto Doctore. Nam *sum. suæ Theol. 1. p. q. 63. memb. 3. a. 1.* taliter disserit; Catholica Fides est, quòd prædestinationis in Prædestinante nulla sit Causa, nec ratio bona, nisi sua Voluntas, & Dilectio, quâ scilicet prædestinatos dilexit ante mundi constitutionem, & elegit. Atqui hæc Electio est illa æterna præparatio Gratiæ Finalis Electos à massâ perditorum finaliter separantis, nec non præparatio Beatitudinis æternæ separantis hominem à miseriâ mortis æternæ. *ex cit. sum. q. 65. post solut.* In hâc ipsâ verò Electione æternâ, quæ nullo merito potuit præveniri, Deus nihil respicit in nobis, sed in se ipso suæ Bonitatis tantùm communicationem *ex ead. q. 65. §. ad id, quod ulterius quæritur, dicendum.* Constat igitur, Præparationem Beatitudinis æternæ separantis hominem à miseriâ mortis æternæ ex mente Alberti Magni nullum in nobis respicere meritum antecedenter prævisum, sed Bonitatis Dei increatæ communicationem. Unde Magnus ille Doctor in Locis per Lessium allegatis 22 non ita crudè accipiendus est, ut sibi contradixisse videri posset, sed oportet, non in superficie duntaxat, sed in fundo illius Doctrinam inspicere. Nam in primo per Lessium adducto loco solum dicit, Electorum numerum esse certum etiam quoad numerantem, eò quòd in præde-

prædestinatione sint duo *Scientia tot*, *& Voluntas tot.* Voluntas autem respiciat aliquid in opere nostro, quatenus velit tot, quot benè usuri sunt Gratiâ. Atqui hæc certitudo numeri Electorum ita est immobilitatis, vel necessitatis consequentis, seu respectivæ, ut hæc ipsa tamen certitudo habeat convenientiam cum certitudine Principij, siquidem Prædestinatio sit causa Gratiæ in libero arbitrio, imò ipsius etiam Gratiæ appositionis secundùm quam per usum liberi arbitrij, & spontaneam Gratiæ adhæsionem quis finaliter est bonus. *ex cit. dist. 40. a. 11. 12. 19 20. & 22.* Cùm igitur merita sint effectus Prædestinationis, in quâ Deus præscit illa futura, consequenter Prædestinatio nequit esse post prævisa merita.

23. Deinde in secundo per Lessium allegato loco Albertus Magnus asserendo; Prædestinationem ex parte effectûs habere rationem meriti, innuit ordinem Executionis virtualiter, & ratione nostrâ ratiocinatâ distinctum ab ordine Electionis, seu Intentionis. Etenim Prædestinationem in ordine Intentionis eatenus importare rationem Electionis Finalem in Gratiâ perseverantiam præparantis, ut præter hanc dicat etiam præparationem æternæ Beatitudinis, patet *ex cit. dist. 40. a. 19. & 1. p. sum. q. 65. post solut.* Atqui in hâc Electione æternâ, sive prædestinatione quoad ordinem Intentionis spectatâ Deum nihil respicere in nobis, sed in se ipso suæ Bonitatis tantùm communicationem, tradit Albertus *prox. cit. q. 65.* Hic ergò Magnus Doctor; quòd ex parte effectûs duntaxat, non autem ipsius Prædestinationis admittat causam meritoriam, eo ipso insinuans, in Prædestinatione distinctionem Ordinis Intentionis, seu Electionis, ac Executionis, huic, non verò illi ex parte effectûs assignavit Causam meritoriam, velut infra ex S. etiam Augustino declarabitur.

24. Ad D. Bonaventuræ *n. 6.* oppositum Respondetur. Si iste Ecclesiæ Doctor bene ponderetur, inveniri, in prædestinationis occulto Dei judicio distinxisse duplicem ordinem, scilicet Electionis, seu Intentionis, ac Executionis. De hoc autem posteriori videtur locutus *cit. dist. 41. a. 1. q. 2.* asserendo; Prædestinationem quoad connotatum glorificationis simpliciter, quoad connotatum verò, seu effectum Gratificationis secundùm quid cadere sub merito. At quoad principale significatum, id est Propositum æternum formaliter inclusum in ratione Prædestinationis, hanc nullatenus cadere sub merito. Hoc ipsum verò æternum propositum esse rationabile, habereque ut sic ab æterno rationem, cur unum ab altero ad vitam elegerit: *ex cit. a. 1. q. 2.* Istam porrò rationem eatenus esse aliam in Deo ex diversitate connotati, ut in quibusdam sit nobis nota non tantùm in generali, sed etiam in speciali, veluti quoad remunerationem, seu executionis in salvando Ordinem, cur Petrum magis voluerit Deus salvare, quàm Iudam, esse in promptu rationem specialem, quòd iste habuerit mala merita, ille verò bona. At verò alias esse Divinæ Voluntatis quoad volita, seu connotata rationes in speciali nobis occultas, etsi in generali nobis sint notæ. Ejusmodi verò esse circa Electionem & reprobationem, nec non unius præ altero Iustificationem, quoad ipsum etiam Executionis Ordinem, seu actualem Iustitiæ Collationem; siquidem cur Deus hunc justificet, imò etiam eligat ad Gloriam, alterum verò reprobet, eatenus possit reddi ratio generalis ex extensione Divinæ Iustitiæ, ut tamen quoad rationes speciales nostræ Intelligentiæ insufficientiam claudendus sit sermo de Prædestinatione, juxta Divum Bonaventuram *prac. dist. 40. a. 3. q. 2.* non tantùm Gratiæ, sed etiam Gloriæ præordinativâ. Constat igitur, ex illo S. Ecclesiæ Doctore solùm concludi; Prædestinationem secundum Ordinem Executionis, non autem Electionis, vel Intentionis Finem salutis æternæ ut sic efficaciter præordinantis esse consequentem ad meritorum prævisionem. 25.

Ad D. Thomæ *n. 7.* Propositum Respondetur. Mentem Angelici hujus Doctoris in aperto esse ex allegatis *sup. n. 20.* nec Electioni Prædestinatorum post prævisa merita patrocinari loca per Lessium adducta. Nam 1. cùm S. Doctor *q. 6. de Verit. a. 2.* demonstrâsset, Deum ex solâ liberalitate velle prædestinatis Gratiam, & Gloriam, nec adeò Prædestinationis Causam esse Præscientiam meritorum, sed solam Bonitatem ipsius Dei ex præsuppositâ gloriæ conferendæ Voluntate liberali donantis merita ceu media huic salutis æternæ, tanquam Coronæ Iustitiæ Fini consequendo necessaria. Exinde *art. 3.* scribit in hæc verba: *Non enim dici potest, quòd Prædestinatio supra certitudinem Providentiæ nihil aliud addat, nisi certitudinem Præscientiæ, ut si dicatur, quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato scit, quòd non deficiet a salute: sic enim non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte Præscientiæ eventûs, & ut sic Præscientia esset Causa Prædestinationis, nec prædestinatio esset per Electionem* (cujus nimirum ratio nequeat esse meritum. *ex cit. a. 2.*) *prædestinantis, quod est contra Authoritatem Scripturæ, & Dicta Sanctorum.* En igitur, quàm Lessius non tam habet sibi patrocinantem Doctorem Angelicum, quàm redarguentem. 26.

2. Verum quidem esse, hunc S. Doctorem *1. p. q. 23. art. 4. ad 3.* discretionem Electorum à reprobis esse per Voluntatem Dei consequentem, attamen hoc ipso loco referre se *ad q. 19. a. 6.* ubi nomine *Voluntatis Consequentis* intelligit illam, quâ Deus non simplici duntaxat velleitate, sed absolutâ Voluntate effectrice vult prædestinatorum Gloriam secundùm particulares circumstantias, in quibus re ipsâ existit cuique Electorum determinatus Gloriæ Gradus. eod. Doctore *q. 6. de Verit. a. 2. ad 2.* attestante: *Prædestinationem includere Voluntatem Consequentem, quia respiciat aliquo modo id, quod est ex parte nostrâ, non quidem sicut inclinans Divinam Voluntatem ad volendum, sed sicut id, ad cujus productionem Divina Voluntas Gratiam ordinat, vel etiam sicut id, quod ad Gratiam quodammodo disponit, & Gloriam meretur.* Vides igitur tantum abesse, quòd illa Voluntas Dei consequens præsupponat Præscientiam meritorum, quin potiùs ex mente Angelici Doctoris sit horum Causa virtualiter, & ratione nostrâ ratiocinatâ in Deo antecedens eorum prævisionem. 27.

3. Verum quidem est, quòd Prædestinatio Dei secundùm D. Thomam *3. p. q. 1. a. 3. ad 4.* præsuppo-

Supponat Præscientiam Futurorum: non tamen his decer-

minari, quorum futurorum sit hæc prædestina-
tionem antecedens præscientia. Nam in Præ-
destinatione *quasi totaliter* consideratâ involvitur
tum Electio Efficax ad Gloriam per modum In-
tentionis; tum Voluntas Dei præparativa Me-
diorum salutis efficacium, tum denique Voli-
tio Dei executrix æternæ Gloriæ remunerati-
va. At inprimis ex locis S. Thomæ *superius alle-
gatis* manifestum est, Electionem prædestinato-
rum se tenentem per modum Intentionis non
præsupponere præscientiam Meritorum Electi
propriorum, sed solius Christi quà hominis sub-
stantialiter in Dei Filium elevati, catenus sine an-
tecedentibus meritis prædestinati, ut tamen om-
nibus sit factus Causa salutis tam quoad execu-
tionem, quàm quoad Electionem. Unde hæc
ipsa Prædestinatorum Electio præsupponit eti-
am Præscientiam peccati Originalis, uti ex S.
Thomâ *prox. cit.* evincitur. Deinde Volunta-
tem Dei Mediorum, atque adeò Meritorum præ-
parativam, imò ipsius fortè Gloriæ, *de quo in-
fra*, præordinativam supponere posse Orationes
Sanctorum, quarum intuitu Deus decernat ali-
cui Electorum efficacia quædam gratiæ Auxi-
lia, innuit S. Doctor *cit. a. 3. ad 4. & 1. p. q. 23. a. 8.*
Denique Voluntatem Dei remunerativam spe-
ctantem ad ordinem Executionis præsupponere
Scientiam Meritorum, libentes concedimus jux-
ta dicta *superiùs* & dicenda *inferius n. 29. & 31.* Con-
stat proinde, loca per Lessium ex S. Thomâ
inducta nihil omninò favere ejus opinioni.

Ad *n. 8.* ex D. Anselmo propositum Re-
spondetur. Hunc Sanctum à Lessio perperàm tra-
hi in suam sententiam, eò quòd asserat, Præde-
28. stinationem inferre necessitatem duntaxat Con-
sequentem. Nam ex ejus Comment. *in Epist. ad
Ephes. c. 1. v. 5. nec non allegato lib. de Concord. Præscient.
ac Prædest. cum lib. arb.* manifesta sunt hæc duo,
quòd scilicet ad nihil aliud quisquam sit præ-
destinatus à Deo, nisi ad hoc, quòd ipsemet Deus
post in eo operatur, quodque necesse sit fieri, quæ
prædestinantur. Hoc tamen non attento, ab illo
S. Doctore dicitur nostrorum bonorum operum
à Deo prædestinatorum, ut sic necessariò, sed libe-
rè futurorum necessitas sit duntaxat consequens,
nō verò antecedens, eò quòd Deus, quamvis præ-
destinet hæc bona opera, non faciat voluntatē co-
gendo aut Voluntati resistendo, sed in suâ liberâ
potestate dimittendo. Oportet igitur, necessitatē
antecedentem libertatis destructivā esse ex Causis
proximis à Deo ad effectū ordinatis; cùm econ-
tra necessitas consequens non ex Causâ proxi-
mâ creatâ resultet, sed ex positione effectûs à
Deo prædestinati etiam quoad modum contin-
gentiæ, ac libertatis, seu necessitatis, uti præter
S. Thomam sæpè citatum explicat Albertus
Magnus *1. p. sum. q. 16. memb. 8.* & innuit clarè S.
Anselmus *in cit. Conc.* Patet igitur, quàm imper-
tinenter allegatus D. Anselmi locus nihil ad
præsentem de Prædestinatione ante vel post
merita prævisa Controversiam conferens indu-
catur à Lessio; cùm tamen illius Sancti mens,
& Doctrina circa præsentem difficultatem aper-
tè eluceat ex dictis *sup. n. 16.*

Ad verba D. Augustini *n. 9. & 10.* Responde-
tur. Ex ijs evinci, quòd oporteat duplicem vir-
29. tualiter, seu ratione nostrâ distinguere in Deo
circa Prædestinatos Electionem, quarum altera
sit Gratiæ secundùm Ordinem Intentionis ante-
cedens prævisionem Meritorum; altera verò sit
Iustitiæ remunerativa Meritorum, consequens
horum Præscientiam, pertinens ad Ordinem exe-
cutionis. Probatur *ex sæpe cit. lib. de Corrept. & Grat.
c. 7.* ubi dicitur; Ex prædestinatis nullum peri-
re, quia omnes Electi sunt, Electos autem esse quia
secundùm propositum vocati sunt, propositū au-
tem non suum, sed Dei. At hæc ipsa vocatio se-
cundum propositum est, per quam Electis om-
nia cooperantur in Bonum, ita ut in fide, quæ
per dilectionem operatur, usque in finem perse-
verent, & si quando exorbitant, correpti emen-
dentur, ac nonnulli acceptâ Gratiâ in quacumque
ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate sub-
trahantur. *ex eod. cap.* Cùm igitur illud Dei propo-
situm causans omnia usque ad Finalem Perseve-
rantiam bona Opera, seu Merita sit ratio Ele-
ctionis per S. Augustinum superiùs insinuatæ, o-
portet, hanc esse consequentem Finalem Gratiæ
Perseverantiam, & opera bona prædestinata per
illud Dei propositum. Hæc igitur Electio est se-
cundum Iustitiam consequens propositum Iusti-
ficationis etiam Finalis, prout S. Augustinus ab
adversâ parte citatus asserit *lib. 1. ad Simplician. q.
2. & serm. 7. de Verb. Dom. c. 2. in initio.* Alia proin- 30.
de est Electio gratiæ, sive secundùm Gratiam. *ex
prox. cit. c. 2.* Hæc verò prædestinatio Confor-
mitatis Imaginis Filij Dei per Gloriam, in quâ
Electi apparebunt cum Christo, est Causa, cur
omnia Electis cooperentur in Bonum, ac per ma-
neant usque ad Finem in Bono, vel in tempus
deviantes revertantur, atque ut sic in Bono in Fi-
nem usque perducantur. *ex cit. c. 7. & 8.* Constat
igitur, secundum D. Augustinum dari quoque E-
lectionem Gratiæ per modum Causæ anteceden-
tem opera bona prævisa, quibus electi merentur
Gloriam. Ne proinde hunc S. Ecclesiæ Docto- 31.
rem sibi contrarium dicamus, oportet asserere *in
cit. lib. 1. ad Simplician. q. 2.* ita meminisse Electio-
nis consequentis propositum Iustificationis, ut
hæc tamen Electio sit spectans ad ordinem Exe-
cutionis, sitque adeò *Præscientiâ* tantùm, non ve-
rò Causalitate antecedens opera bona Prædesti-
natorum, & à fortiori Mundi Constitutionem.
Nihilominùs præter hanc Electionem ab eodem
S. Ecclesiæ Doctore *in lib. de Corrept. & Grat. & Præ-
dest. Sanctor.* ubi occasione Pelagianismi, & Semi-
pelagianismi refutandi exactiùs discussit hanc
Materiam, apertè adstrui Electionem ad Glo-
riam, quæ dicatur Gratiæ, seu Misericor-
diæ causans, & secundum Ordinem Intentio-
nis antecedens opera bona meritoria. Cujus a-
deò duplicis, alterius secundùm Gratiam, alte-
rius secundum Iustitiam Electionis expressa fit
mentio. *in cit. c. 2. de Verb. Dom.*

Confirmatur *ex alleg. q. 2. lib. 1. ad Simplician.* 32.
Ibi namque S. Ecclesiæ Doctor asserit 1. Iacob
non esse electum, ut fieret bonus, sed bonum fa-
ctum eligi potuisse. Cui contrarium est, quod
idem Sanctus *lib. de Prædest. Sanct. c. 17. circa finem.*
tradit: Eligendo facere Deum Divites in Fide si-
cut hæredes regni: rectè siquidem in eis hoc eli-
gere, quod ut in eis faciat, eos elegit. Unde
prior illa sententia, prout etiam videre est *in Notis
Margin. ad dictam q. 2.* retractata fuit *lib. 1. retract.
c. 23.* Ex quâ retractatione fit consequens, retra-
ctatum etiam esse, quòd nemo, *veluti in cit. q. 2.
lib. 1. ad Simplic. habetur*, eligatur, nisi jam di-
stans ab illo, qui rejicitur. In quâ nihilominùs
retra-

retractatione arbitratur Franciscus Amicus *cit. sect. 4. n. 67.* usum hujus vocis *Electio*, quòd scilicet nequeat dici Electio nisi supponat inæqualitatem, fuisse duntaxat retractatum, cùm tamen Electio potiùs facit in Electo inæqualitatem, seu distantiam à non Electo, eodem Sancto *in ep. 106.* attestante: Electionem non invenire eligendos, sed facere. 2. Ex suo loquendi modo S. Augu-
93. stinus *cit. q. 2. ad Simpl.* eatenus asserebat, Electionem consequi Iustificationem, ut ibidem tamen affirmaret, ex eo, quòd maneat in Deo propositum Iustificationis, fieri, quòd justificet credentes, atque inveniat opera bona, quæ jam eligat ad Regnum Cælorum. Cùm igitur Bonorum Operum præexistentium ad Regnum Cælorum Electio non possit esse nisi remunerativa pertinens ad justitiam, omninò ex mente S. Augustini admittenda est Electio Iustitiæ consequens Præscientiam Bonorum Operum. Nihilominus hanc Electionem ex mente *cit.* S. Doctoris præcedit propositum Iustificationis, ac Fidei, nec non Bonorum operum regni Cælestis meritoriorũ, atque adeò perseverantiæ Finalis causativum, quod non sit ex operibus, sed sit Dei mi-
94. serentis. 3. Hoc adeò sive primæ, sive Finalis Iustificationis propositum, quod nequit esse ex prævisis meritis in Deo, ita habere rationem Electionis Gratiæ, ut sit Electio ad Gloriam virtualis duntaxat in semine, tenet cum alijs Amicus *cit. sect. 9.* in hoc unicè laborans, quòd per S. Augustinum non sit asserta meritorum prævisionem antecedens efficax Prædestinatorum Electio formaliter, & immediatè terminata ad Gloriam,
96. sed ad gratiam. 4. Proinde Amico libenter concedimus, D. Augustinum nihil eâ ad Simplicianum Quæstione disseruisse de Electione Gratuitâ ad Gloriam; siquidem solùm ibi ostendere voluerit, Intentionem Apostoli per totam ad Romanos Epistolam fuisse, ut demonstraret Gratiam Evangelicam non esse ex operibus. *ex. cit. q. 2. init.* ubi proinde solùm incidenter meminit Electionis ad Gloriam meritorum, quæ sunt ex Gratiâ, remunerativæ. At verò ubi S. ille Doctor, quam priùs, uti ait *lib. 1. retractat. c. 23.* non ita callebat Electionem Gratiæ, invenit in Sacris Litteris fundatam, exinde *in libris de corrept. & Grat. nec non de Prædestin. Sanctor.* asseruisse eam immediatè terminari ad Gloriam per modum Intentionis efficacis, seu Prædestinationis opera bona, nec non Gratiam Iustificantem, ac Finalem perseverantiam causantis, adeòque prævisionem meritorum antecedentis, constat ex præcedentibus. Patet igitur S. Augustini Authoritatem nullatenus stare pro sententiâ negante efficacem ad Gloriam Prædestinatorum Electionem merita prævisa per modum Intentionis antecedentem.

CONTROVERSIA. II.

Utrùm ex sacris Litteris, junctâ præsertim expositione, & authoritate Patrum demonstretur efficax Electio Prædestinatorum ad Gloriam antecedens prævisionem Meritorum.

LEssius *cit. disp. 1. de prædest. sect. 2. à n. 6.* novem congerit Sacræ Scripturæ Loca, quibus probare nititur, Prædestinationem Electorum ad Gloriam post prævisa merita: è quibus præcipua, & magis urgentia hîc adducemus, reliquorum facturi mentionem, & solutionem, seu refutationem in progressu.

Referuntur Argumenta Adversariorum.

PRimus igitur Locus sit *ex Math. 24.* ubi cùm plurimi magnâ curâ, & diligentiâ Regis essent ad Filij nuptias vocati, & plerique nollent, venire, concludit Dominus, *Quòd sint Multi vocati, Pauci verò Electi.* At ideò pauci Electi, quia pauci voluerunt venire; si namque plures venissent, ut poterant venire, plures omnino electi fuissent, *Vocare enim est Dei, Electum autem fieri, aut non Electum, etiam est nostrum, uti docet* Theophylactus *in illum locum.* Oportet igitur Electionem absolutam ad Gloriam eatenus esse in nostrâ potestate, quatenus est consequens ad nostrorum Bonorum operum Prævisionem. 2.

Secundus Locus est *ex Math. 25. Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Hæc enim Regni Cælestis præparatio erat efficax, utpote sortita effectum. At esse post prævisa merita, concluditur tum ex illâ Causali: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare,* tum ex simili circa Electos, & reprobos locutionis modo: his namque dictum erat: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Sicut ergo Deus non nisi post prævisa demerita præparavit supplicium gehennæ, ita nec Prædestinatis Regnum, nisi post prævisa bona opera. In quo adeò sensu videtur accipiendus etiam ille *Math. 20.* Locus, *Sedere ad dextram meam & sinistram, non est meum dare vobis. sed quibus paratum est à Patre meo.* Nam secundùm expositionem Epiphanij *hæresi 69.* Cyrilli *lib. Thesauri. c. 5.* Chrysostomi *Homil. 35. in Matth.* Theopylacti *in illum locum.* Christus intendebat ibi docere, non juxta Personarum acceptionem, sed juxta merita prævisa Regnum Cælorum fuisse hominibus præparatum. 3.

Tertius Locus sit *ex Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* Hic enim Sacer textus sic explicandus est, *quos præscivit,* id est quorum præscivit fidem, & Dilectionem, eos prædestinavit, ut essent similes Filio, veluti explicant Origines *lib. 7. in ep. ad Rom.* Ambrosius *lib. 5. de Fide c. 3.* Chrysostomus *Hom. 15. in epist. ad Rom.* & alij intelligentes, illam Prædestinationem esse ex Præscientiâ Meritorum. 5.

Quartus denique locus sit *ex Apocalyp. 3. Tene quod habes, ne alius accipiat Coronam tuam.* Ex hoc enim apertè colligitur, Coronam ita certè & firmiter 6.

firmiter decretam esse ante finem vitæ prævisum, quin re ipsâ possit amitti. At si absoluto Dei Decreto independenter ab operum nostrorum prævisione Corona ita esset nobis prædestinata, ut absolutè amitti non posset, vana esset illa comminatio, & frustra incussus metus mali, quod ita validè esset obseptum, ut evenire non posset.

Conclusio.

Electio Prædestinatorum ad Gloriam efficax causans Iustificationem, Merita, & Perseverantiam Finalem, adeòque horum prævisionem prioritate virtuali in signo aliquo rationis ratiocinatæ antecedens efficaciter demonstratur ex sacris Litteris.

6. Explicatur, & Probatur *ex Rom. c. 8.* Scimus enim, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in Bonum, his, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. *ibi. v. 28.* Hujus autem cooperationis omnium in Bonum Causa allegatur Prædestinatio ad conformitatem Filij Dei, ut particula illa Causalis *Nam* indicat: mox enim *v. 29.* subdit Apostolus; *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui.* At verò cooperatio in Bonum importat formaliter meritum. Neque verò diligentium Deum in Bonum cooperatio extenderetur ad omnia, nisi comprehenderet Finalem etiam perseverantiam. Oportet igitur, hanc & omnia merita prædestinati esse causata ex prædestinatione ad conformitatem Imaginis Filij Dei, eodem Apostolo *in seq. v. 30.* prosequente ex eo, quòd sint prædestinati, esse vocatos vocatione nimirum, ex quâ sit donata Fides, & dispositio proxima ad Iustificationem, imò esse etiam justificatos justificatione quoque Finali utpote connexâ cum glorificatione, atque tandem esse glorificatos, juxta illud: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Quare prædestinatio conformitatis Imaginis Filij Dei cùm sit effectrix glorificationis, nec non Vocationis, & Iustificationis etiam Finalis, atque adeò omnium in Bonum cooperationis, seu operum in decedentibus cum Gratiâ Finali actualiter vitæ æternæ meritoriorum Causa nequit esse consequens prævisionem operum æternæ Gloriæ meritoriorum.

7. Respondebis ex Amico *cit. sect. 4. n. 64.* In illo Apostoli loco ita describi totam divinæ Prædestinationis seriem, ut Decretum Electionis ad Gloriam expressum sit per *τὸ prædestinavit.* At ex contextu erui hunc Prædestinationis Ordinem, ut primò describatur Decretum dandi Media efficacia ad Gloriam illis verbis: *Qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* 2. Præscientia Meritorum per illa verba: *Quos præscivit.* 3. Decretum Electionis ad Gloriam per hæc: *Prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui*: efficimur enim teste Hieronymo conformes Imaginis Filij Dei per Gloriam, quæ est consummata Sanctitas, & perfecta adoptio Filiorum Dei. 4. denique numerantur effectus Prædestinationis, ut executioni mandandi per illa verba: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Consequens proinde esse, quòd ex allegato Sacro textu evinciatur, Prædestinationem ad Gloriam esse post Præscientiam Meritorum.

Contra. Nam circa verba, *Quos præscivit, & prædestinavit*, dupliciter peccat Amicus 1. prætermittendo particulam *Nam* 2. Dividendo objecta Verborum *τὸ præscivit, & τὸ prædestinavit*, quasi hujus objectum esset duntaxat conformitas Imaginis Filij Dei, illius verò objectum essent merita. At verò clarum est, Apostolum ita loqui, ut, quos præscivit, eos & prædestinârit Deus conformes fieri Imaginis Filij Dei. Unde patet relativum *Quos* denotans objectum Præscientiæ illius divinæ, referri ad *ly Conformes Imaginis Filij Dei*, ut adeò idem sit objectum Præscientiæ, ac Prædestinationis illo sacro textu insinuatæ. Atqui particula *Nam* importat Causalitatem à D. Augustino *lib. de corrept. & grat. c. 7. & 8.* expositam per *Ly Quoniam*, ita ut vocatis secundùm propositum omnia usque ad Finalem perseverantiam ab Apostolo dicantur cooperari in Bonum. *Quoniam quos ante præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij Dei.* Est igitur & Prædestinatio, & Præscientia, quâ Deus secundùm D. Augustinum *lib. de Prædest. Sanct. c. 10.* facta sua, adeòque conformes Imaginis Filij sui jam in æternitate factos præscivit, causa, per quam vocatis secundùm Propositum, atque ex vi hujus vocationis Deum finaliter diligentibus omnia cooperantur in Bonum. Constat proinde, ex illo sacro textu, si non mancè accipiatur, erui, quòd Electorum Imaginis Filij Dei conformium prædestinatio sit tanquàm Causa antecedens bona opera per finalem Dilectionem, seu Gratiam meritoria vitæ æternæ. 8

Replicabis ex Amico *cit. sect. 4. n. 62.* Quòd in allegatis Apostoli verbis per *τὸ prædestinavit* comprehendatur Decretum Electionis ad Gloriam, & per *Præscientiam* Meritorum ex gratiâ provenientium intelligatur scientia Electionem ad Gloriam antecedens, evinci ex Patrum expositione. Nam Hieronymus *in cit. v. 28. c. 8. ad Rom.* ita habet. *Quos prævidit conformes in vitâ, voluit conformes facere in gloriâ.* Ambrosius *ibid. Quos*, inquit, *prævidit futuros ibi devotos, ipsos elegit ad promissa prævia capessenda.* Et Augustinus *de Corrept. c. 9. Quoniam*, inquit, *qui verè Filij sunt præsciti, & prædestinati sunt conformes fieri Imaginis Filij ejus.* 9

Contra. Tum quia S. Hieronymus *to. 4. in cit. c. 8. ad Rom. n. 50.* ita argumentatur: *Prædestinare idem est, ac Præscire. Ergò quos prævidit in vitâ, voluit, ut conformes fierent in Gloriâ.* Hoc verò Enthymema exponitur per sequentem Formam syllogisticam. Prædestinare idem est, ac *Præscire.* At quos Deus prædestinavit conformes in vitâ, voluit ut conformes fierent in Gloriâ. Ergò quos Deus prævidit conformes in vitâ, voluit conformes fieri in Gloriâ. At hæc Præscientia Conformitatis in vitâ non potest esse antecedens vocationem Dei: Ista verò Dei secundùm propositum suum vocatio nequit esse consequens Fidem, seu bona opera, ad quæ vocantur, seu per gratiam præveniuntur Electi: At ista vocatio est secundùm Apostolum effectus prædestinationis, quæ secundùm Hieronymum *n. 52.* est Præscientia, quâ præscivit credituros. Oportet igitur hanc præscientiam utpote prædestinationem ex mente S. Hieronymi, esse causativam 10

Fidei

Fidei, ac Bonorum operum nostrorum. At neque Hieronymus, neque ullus S. Scripturæ peritus dicet, esse in Deo Scientiam Fidei nostræ causativam antecedenter ad Decretum ipsius liberum. Neque verò Hieronymus alterius Decreti divini in toto illo contextu meminit, nisi quo voluit Deus conformes fieri in Gloriâ. Hoc igitur Decretum, quod *sup. n. 49.* vocabat propositum, quo Deus proposuit solâ Fide salvare, quos prævideret credituros, ex mente illius S. Doctoris est antecedens Præscientiam conformitatis in vitâ, quatenus ex hoc ipso, quòd Deus voluit aliquos conformes in gloriâ, voluit etiam conformes in vitâ, ita ut conformitas in vitâ per fidem sit in illo Decreto, seu Proposito Dei volitum quasi secundarium per modū Medij, conformitas autem in gloriâ sit volitum primarium per modum Finis, uti satis indicat Sanctus ille Doctor *cit. n. 48.* Prædestinationis propositum dicens esse id, *secundùm quod proposuit Deus solâ Fide salvare.* Constat igitur, prædestinationem, seu Præscientiam conformitatis ad Gloriam ex mente S. Hieronymi esse per modum Intentionis antecedentem Præscientiam Meritorum nixam proposito, seu Decreto Fidei, & Operum bonorum tanquàm Mediorum ad salutem præparativo, & causativo.

11. Tum quia citata S. Ambrosij doctrina in hanc reducitur Formam syllogisticam. Hi etenim secundùm propositum vocantur, quos credentes præscivit Deus futuros sibi idoneos, ita ut antequàm crederent, scirentur. At istos, quos præscivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda. Hoc autem ita est accipiendum de credentibus, ut nisi permaneant in fide cæptâ, à Deo electi negentur. *Quia quos Deus elegit, apud se permanent.* At ista particula *Quia* est Causalis. Ergò Electio Dei est secundùm D. Ambrosium Causalitas Perseverantiæ Finalis. At ista est Electio, quâ prædestinantur consortes fieri Imaginis Filij Dei: *Quia ideò prædestinantur in futurum sæculum, ut similes fiant Filio Dei.* Ergò ex mente Ambrosij Electio ad Gloriam futuri sæculi habet prioritatem Causalitatis respectu Perseverantiæ Finalis in fide, & Gratiâ, per quam Opera nostra in Gratiâ facta secundùm Concil. Trident. *sess. 6. de Iustif. cap.* sunt vitæ æternæ meritoria.

12. Tum denique S. Augustinus *cit. c. 9. de corrept. & Grat.* ita argumentatur. Sunt Filij Dei, qui nondum sunt nobis, & jam sunt Deo, de quibus ait Evangelista Ioannes: Quia Iesus moriturus erat pro gente, nec tantùm pro gente, sed etiam ut Filios Dei dispersos congregaret in unum. Rursus sunt quidam, qui Filij Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec tamen sunt Deo, de quibus idem Ioannes; Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Sunt ergo Filij Dei non tantùm nobis, sed etiam Deo, qui perseverantiam habent. Hi verò sunt præsciti, & prædestinati conformes fieri Imaginis Filij Dei, de quibus dicit Christus ad Patrem: ut omne, quod dedisti mihi Pater, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui proinde eatenus intelliguntur Christo dati, quatenus sunt ordinati in vitam æternam, & secundùm propositum vocati, quorum nullus perseverando in Gratiâ perit. Atqui per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideò Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam. Ergò Perseverantia Finalis est ex Causalitate præordinationis, seu prædestinationis in vitam æternam. Hanc autem prædestinationis in Perseverantiam Finalem, & opera vitæ æternæ meritoria Causalitatem insinuavit Apostolus, qui ubi dicebat, diligentibus Deum omnia perseverando cooperari in Bonum, mox addidit, *Quoniam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* Constat igitur, secundùm Mentem, & Doctrinam S. Augustini ex allegato sacro textu omninò evinci Causalitatem, atque adeò prioritatem Prædestinationis ad Gloriam respectu Bonorum Operum cum Finali Gratiæ Perseverantiâ meritoriorum vitæ æternæ.

Confirmatur ex illo *ad Ephes. 1. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESU Christi, qui benedixit nos in omni Benedictione spiritali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus, in Charitate prædestinans nos in adoptionem Filiorum per Iesum Christum, secundum placitum Voluntatis suæ, in quâ gratificavit nos in Dilecto Filio suo. in quo etiam sortem consecuti sumus prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur secundùm Consilium Voluntatis suæ, ut simus in laudem Gloriæ ejus* Ex quo ita licet argumentari. Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi membra ejus, & quomodo eligeret eos, qui nondum erant, nisi prædestinando? At secundùm verba Apostoli non elegit nos, quia Sancti, & immaculati futuri eramus, sed ut essemus, ideò siquidem tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per Gratiam ejus essemus. *ex cit. c. de præd. 8.* At verò elegit nos, ut essem' Sancti, prædestinans nos in adoptionem Filiorum, ex verbis Apostoli præallegatis. Est autem hæc consummata Filiorum adoptio per Gloriam, de quâ secundùm Augustinum *lib. 3. cont. duas epist. Pelagian. c. 3.* procedit illud Apostoli *ad Rom. 8. Primitias Spiritûs habentes intra nos gemimus adoptionem Filiorum Dei exspectantes redemptionem Corporis nostri.* Consequens igitur est, Electionem prædestinationis in Gloriam seu adoptionem Filiorum consummatam esse Causam, ut simus Sancti per Gratiam Dei. Atqui Deus ita benedixit nos benedictione spiritali in Cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ut essemus Sancti, *ex cit. c. 15. de Prædest.* Deus autem nos benedicit, cùm virtutes nobis tribuit, vel in ipsis Virtutibus nos promovet, ex S. Anselmo *in cit. cap. 1. ad Ephes.* Sicut ergo ad Sanctitatem, sic ad opera Virtutum nos elegit Deus, prædestinans in adoptionem Filiorum secundùm placitum Voluntatis suæ, in quâ non solùm gratificavit nos, faciendo, ut essemus Sancti, sed per illam quoque Voluntatem sortem consecuti sumus prædestinati secundùm propositum non nostrum, sed ejus, qui universa operatur usque adeò, ut in nobis operetur & velle, *ex dicto c. 18. de Prædest. circa Finem.* Constat igitur, Prædestinationem in adoptionem Filiorum per gloriam esse Causam tum Gratiæ Sanctificantis, tum bonorum Operum in Electis, adeòque esse respectu illorum Causalitate priorem, seu antecedentem, non verò consequentem. 13.

Instabis ex Lessio *cit. disp. de Prædestin. sect. 2. n. 52.* Apostolum in præfato *ad Ephes. 1. Capitis* textu sacro loqui de Electione seu Prædestinatione in com- 14.

incompletâ, quæ immediatè est ad Gratiam Iustificationis, seu adoptionem Filiorum, mediatè autem ad perfectionem vitæ, ad Perseverantiam, & ad Gloriam.

15. Contra. Nam ut simus in Laudem Gloriæ Dei utique Sancti, & immaculati (juxta præfactam Apostoli sententiam) prædestinans nos ante mundi constitutionem, vocavit operando secundùm propositum suum. ex S. August. *cit. lib. de prædest. Sanct. c. 18.* Ex hoc autem proposito Dei est illa Electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in Bonum, quia secundùm propositum vocati sunt Sancti. *ex cit. c. 18. in fine.* Atqui hæc propria Electorum secundùm propositum vocatio faciens omnia cooperari in Bonum est secundùm Apostolum *Rom. 8.* eatenus connexa cum Iustificatione etiam Finali, & Glorificatione, ut per hoc, quòd secundùm propositum sint vocati, permaneant in Dilectione Dei usque in finem. ex dicto Ecclesiæ Doctore *lib. de Corrept. c. 7. & 9.* Quare Apostolus tam in Capite *8. ad Rom.* quàm in 1. ad *Ephesios* per Prædestinationem, seu Electionem (vi cujus operando secundùm propositum facit Deus, ut simus Sancti, nosque benedicit omni benedictione cælesti prædestinans ad Filiorum in Gloriâ consummatam adoptionem) intelligit non tantum incompletam ad Gratiam Iustificationis, sed completam Prædestinationem ac Electionem, quæ nimirum immediatè terminetur ad Perseverantiam Finalem, & Gloriam tanquam effectum.

16. Urgebis ex Lessio *cit. sect. 3. n. 44.* *Ly secundùm propositum* nec in *Octavo ad Romanos*, nec in *Primo ad Ephesios* Capite importare Electionem absolutam salvandorum, sed gratuitum Dei beneplacitum. Probatio hujus expositionis inducitur tum ex eo, quòd juxta Apostolum omnes Fideles electi, & vocati sint secundùm propositum, cùm passim Apostolus, nominatim ad *Rom. c. 4. & 9. ad Ephes. 1. v. 5. & 11. 2. ad Timoth. 1.* illam particulam addat, quando de Electione, aut vocatione ad Fidem loquitur. Quod adeò Dei propositum idem est, ac Præscientia *ex 1. Petri. 1. & Rom. 11.* Tum quia Apostolus *ly secundùm propositum* opponit ei, quod est *ex operibus*, uti ex locis citatis, maximè *2. ad Timoth. 1.* colligitur. Ergo non aliud est vocari secundùm propositum, quàm non secundùm opera, sed ex gratuito Dei beneplacito, quod ad omnes Fideles pertinet. In quo adeò sensu accipitur etiam illud *ad Rom. 11. Reliquiæ secundùm Electionem Gratiæ salvæ factæ sunt.* Hoc enim procedit de omnibus, qui ex Iudæis credentes *salvi facti*, id est per fidem justificati sunt per Electionem Gratiæ, hoc est per gratuitam Electionem, quâ gratis, non ex operibus Legis ad Fidem adducti fuerunt.

17. Contra. Nam vocatio *secundùm propositum* nihil aliud est, quàm certa vocatio dans non tantùm possibilitatem seu Potentiam supernaturaliter operandi, sed ipsam etiam credendi, vel aliàs supernaturaliter operandi actualem voluntatem. ex S. August. *lib. de Corrept. & Grat. c. 12. & de Prædest. Sanct. c. 16.* Hæc autem Vocatio certa eatenus est ex gratuito Dei beneplacito, ut per fidem, & Gratiam ex divini placiti, vel propositi, seu Electionis Gratiæ Causalitate temporaliter susceptam sint vocati Filij Dei, de quibus tamen dicat Evangelista; *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, quòd si fuissent ex nobis, utique mansissent nobiscum. ex. cit. lib. de Corrept. c. 9.* Quare libenter damus Lessio, quòd detur propositum Dei, ac Electio Gratiæ actualiter vocans ad Fidem non ex operibus, sed ex gratuito Dei beneplacito.

Nihilominùs respectu aliquorum dari ad- 18.
huc propositum in Deo, vi cujus uni, non alteri donetur Perseverantia. *ex Rom. 8.* probat Augustinus *cit. c. 9. de Corrept.* At de his debet fidelibus certissimum esse, illum de prædestinatis esse, non istum. ex August. *lib. de Dono Persev. c. 9.* Unde respectu Prædestinatorum est quædam Dei discretio, secundùm quam unus Prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, dixit, *si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. ex prox. cit. c. 9.* At ista discretio, secundùm quam non erant ex eis, scilicet Prædestinatis, est, quia non erant secundùm propositum vocati, nec erant in Christo Electi ante mundi constitutionem, nec erant in eo sortem consecuti, nec erant prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur. *ibid.* Hoc ipsum verò propositum est Gratiæ Electio, seu Discretio gratuita discernens prædestinatum ab illis etiam, qui vocati, & vocantem Deum secuti, ex impijs justificati fuerunt. *ex loco prox. cit.* Datur ergò Electio Gratiæ, seu propositum gratuitum prædestinatos à non prædestinatis discernens Vocationis efficacis ad fidem, & Iustificationis, omniumque ad Bonum cooperationis, ipsique adeò Finalis Perseverantiæ non aliter præparativum, & causativum, nisi ex Imaginis Filij Dei per Gloriam conformitatis intentione, uti ex præallegatis *ad Rom. 8. & ad Ephes. 1.* sacris textibus probat Augustinus *cit. lib. de Corrept. & Grat. c. 7. & 9. nec non de prædest. Sanctor. c. 15. & 18.* Item *de Dono Persev. c. 9.*

De quo proinde Proposito procedit illud *Actor. 13. Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Nam istam præordinationem per se notum est, esse non tantùm ad fidem, & gratiam, sed Gloriam, cujusmodi etiam præordinationem ex gratuito Dei placito, clarè insinuat Christus *Lucæ 12. Nolite timere*, inquiens, *pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Unde etiam Paulus *Rom. 9.* inducens Iacob, & Esau tanquàm Exemplar Prædestinationis, ac reprobationis ait; *Non ex operibus, sed ex Vocante dictum esse, quia major serviet minori, ut scilicet secundùm Electionem propositum Dei maneret, prout esset scriptum, Iacob dilexi, Esau verò odio habui.* Constat igitur, non ex prævisis operibus, sed ex purâ complacentiâ, & gratuitâ Dilectione dari in Deo efficacem Electionem ad Gloriam. 19.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD *n. 2.* Oppositum Respondetur. D. Augusti- 20.
num *lib. de Corrept. & Grat. c. 7. & de Prædest. Sanctor. c. 16.* præallegatam *ex Math. 20.* sententiã exponendo, distinguere duplicem Vocationem, quarum altera fit, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, altera verò fit certa eorum, qui secundùm Dei præscientis, & ad Imaginis Filij sui conformitatem eos prædestinantis propositum sunt vocati. At de istâ vocatione non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, *quia major serviet minori, ex cit. c. 16. de Prædest.* Hanc igitur vocatio-

cationem ipsomet etiam Lessio *cit. sect. n. 4.* fatente, oportet esse secundùm propositum, quòd non sit ex operibus, sed ex gratuito Dei beneplacito. Atqui Apostolus ostendens, quid sit secundùm propositum vocari, mox addidit, *quoniam quos ante præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui. ex c. 11. de Corrept.* Constat igitur, Conformitatis Imaginis Filij Dei prædestinationem, quâ Electi, qui secundùm propositum vocati dicuntur prædestinati, àc præsciti, non esse ex operibus, sed gratuitum Dei Beneplacitum. Etsi proinde quoad Electionem Iustitiæ spectantem ad ordinem executionis cum Theophylacto verè dicamus, quòd ideò sint pauci Electi, quia pauci voluerunt venire, sitq; adeò non solius Dei vocantis, sed nostrum etiam, quoad ordinem Executionis ac secundùm Electionem remuneratîvam, fieri electum: attamen quoad ordinem Intentionis ita est Dei miserentis discretio ad Gloriam, ut hæc Electio profectò sit Gratiæ non præcedentium meritorum, uti ait Augustinus *cit. c. 7. Corrept.*

21\. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. S. Chrysostomum *imitatum Matth. 25.* singulariter expendere, cur Christus dixerit, *Venite Benedicti Patris mei*, non econtra, *Discedite maledicti à Patre meo*, quòd nimirū benedictio ex Deo sit, maledictio autem ex Diabolo: Atqui Benedictio illa est ex Deo, sicut nos eligit in Christo ante mundi constitutionem. *ex c. 1. ad Ephes.* Quod enim Deus nos benedicat, non facit improvidè, sed sicut à massa perdendorum eligit ante mundi constitutionem prædestinando in vitam æternam, quia unicuique benedictionem dabit, juxta modum, quem ei præordinavit. ex S. Anselmo *in præallegatum locum Apostoli.* Illis ergo Christi verbis: *Venite Benedicti Patris mei* insinuatur Prædestinationis in Gloriam Electio, quam *supra* demonstravimus, juxta Sacrarum Litterarum sensum esse Causam antecedentem merita nostra. Etsi proinde verba subsequentia: *Possidete paratum vobis Regnum, Esurivi enim; & dedistis mihi manducare* significent Voluntatē Divinam Meritorū nostrorū remunerativā consequentem opera nostra bona, hinc tamen non infertur, nisi quòd secundùm virtualem & rationis nostræ ratiocinatæ distinctionem duplex circa vitam æternam in Deo ponenda sit Voluntas; altera spectans ad ordinem Intentionis antecedens ad merita, cujusmodi Christus respectu Electorum insinuavit illis verbis: *Venite Benedicti Patris mei*, altera pertinens ad ordinem Executionis juxta Patres in objectione adductos consequens opera nostra, cujus utriusque S. Augustinus *serm. 7. de Verb. Dom.* memor, priorem dixit Electionem *secundùm Dei Gratiam*, posteriorem autem *secundùm Electorum Iustitiam.*

22\. Ad *n. 4.* Oppositum Respondetur. Originem *loc. cit.* dicere, Deum, quos præscivit, prædestinâsse; secundùm quod scivit eos respiciendo in affectum, adeòque præsciendo scientiâ, de quâ dicit scriptura. *Novit Dominus, qui sunt ejus.* Atqui hæc notitia supponit aliquos esse Dei non præcisè secundùm executionem. Ergò secundùm Electionem spectantem ad ordinem Intentionis. Patet igitur, ex Origene evinci potiùs prædestinationem ad Gloriam, seu Electionem antecedentem, non verò consequentem Dei Præscientiam. Deinde licèt S. Ambrosius *loco in objectione allegato* admittat prædestinationem merita nostra consequentē, ibi tamē sermonē esse duntaxat de Prædestinatiōe remūeratoriâ, patet ex cōtextu, ubi super illud *Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit*, ait, *Non enim ante prædestinavit, quam præsciret, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Nihilominùs præter hanc Voluntatem remuneratoriā ex mente D. Ambrosij esse in Deo ponendam Prædestinatorum ad Gloriam Electionem tanquàm Causam Meritorum, ac Perseverantiæ Finalis, constat ex dictis *sup. n. 11.*

Denique S. Chrysostomus *loc. cit.* cùm illa verba Apostoli, *His, qui juxta propositum vocati sunt*, explicans dixisset: *Non Vocationem tantum, sed & ipsum Propositum Vocatorum salutem efficere, esseque omnes quidem vocatos, sed non omnes obedire*, mox subjecit, *quoniam quos præsciverat, eosdem & præfinivit conformes fieri Imaginis Filij sui.* Atqui hæc particula *Quoniam* importans Causalitatem connectit subsequentia cum verbis antecedentibus. Ergò redditur sensus, ideò esse aliquos secundùm propositum vocatos, ita ut vocationi obediendo Propositum ipsorum cooperetur ad salutem, quia quos præsciverat, eosdem præfinivit fieri conformes Imaginis Filij sui. At Causalis ista tam Præscientiæ, quàm Præfinitionis illius importat Causalitatem respectu propositi, per quod salvandi obediunt Vocationi Dei. Hoc autem propositum importat meritum. Ergò ex mente S. Chrysostomi præfinitio Conformitatis Imaginis Filij Dei debet assignari tanquàm Causalitas antecedens ad Prædestinati meritum. 23

Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Ex illo sacro textu Apocalypseos omnino evinci, in prædestinato esse potentiam amittendi Coronam Gloriæ, esseque adeò hujus amissionem respectu illius potentiæ possibilem, etsi respectu prædestinationis stare non possit actus, sed potentia duntaxat creati liberi arbitrij ad Coronam illam amittendam. At eo ipso, quòd ista amissio ita sit possibilis respectu creati arbitrij, ut prædestinatione meritorum prævisionem antecedente minimè obstante, sit Voluntati creatæ potestas libera cum verâ Dominativâ, & Electivâ ad Coronæ illius amissionem indifferentiâ, fit consequens, nō esse vanam comminationem, quâ excitatur Voluntas creata ad Coronam Gloriæ in Gratiâ tanquàm semine per liberum arbitrij consensum corruptibili non amittendam. Constat igitur, stare prædestinationem Gloriæ merita nostra antecedentem, quæ gratiæ, & bonorū nostrorū operum sit infallibiliter causativa, ut tamen hujus Causalitatis executio sit dependens à nostrâ libertate, quam non tantùm non tollit, sed operatur illa Dei prædestinatio. 24

CONTROVERSIA III.

An ratione Theologicâ demonstrari possit efficax Prædestinatorum ad Gloriam Electio antecedens prævisionem Meritorum?

Adversùs istam Electionem gratuitam Merita nostra antecedentem tum ab absurdis, tum ex ratione multa congerunt argumenta Lessius *cit. disp. de Prædestin. sect. 2. à n. 10.* & Amicus *cit. sect. 4. à n. 69.* Ex quibus illa, quæ sunt petita ex ratione *in præsenti*, reliqua ex absurdis desumpta *sequenti controversiâ dissolvemus.* 1.

incompletâ, quæ immediatè est ad Gratiam Iustificationis, seu adoptionem Filiorum, mediatè autem ad perfectionem vitæ, ad Perseverantiam, & ad Gloriam.

15. Contra. Nam ut simus in Laudem Gloriæ Dei utique Sancti, & immaculati (juxta prætactam Apostoli sententiam) prædestinans nos ante mundi constitutionem, vocavit operando secundùm propositum suum. ex S. August. *cit. lib. de prædest. Sanct. c. 18.* Ex hoc autem proposito Dei est illa Electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in Bonum, quia secundùm propositum vocati sunt Sancti. *ex cit. c. 18. in fine.* Atqui hæc propria Electorum secundùm propositum vocatio faciens omnia cooperari in Bonum est secundùm Apostolum *Rom. 8.* eatenus connexa cum Iustificatione etiam Finali, & Glorificatione, ut per hoc, quòd secundùm propositum sint vocati, permaneant in Dilectione Dei usque in finem. ex dicto Ecclesiæ Doctore *lib. de Corrept. c. 7. & 9.* Quare Apostolus tam in Capite *8. ad Rom.* quàm in 1. ad *Ephesios* per Prædestinationem, seu Electionem (vi cujus operando secundùm propositum facit Deus, ut simus Sancti, nosque benedicit omni benedictione cælesti prædestinans ad Filiorum in Gloriâ consummatam adoptionem) intelligit non tantum incompletam ad Gratiam Iustificationis, sed completam Prædestinationem ac Electionem, quæ nimirum immediatè terminetur ad Perseverantiam Finalem, & Gloriam tanquam effectum.

16. Urgebis ex Lessio *cit. sect. 3. n. 44. Ly secundùm propositum* nec in *Octavo ad Romanos*, nec in *Primo ad Ephesios* Capite importare Electionem absolutam salvandorum, sed gratuitum Dei beneplacitum. Probatio hujus expositionis inducitur tum ex eo, quòd juxta Apostolum omnes Fideles electi, & vocati sint secundùm propositum, cùm passim Apostolus, nominatim ad *Rom. c. 4. & 9. ad Ephes. 1. v. 5. & 11. 2. ad Timoth. 1.* illam particulam addat, quando de Electione, aut vocatione ad Fidem loquitur. Quod adeò Dei propositum idem est, ac Præscientia *ex 1. Petri. 1. & Rom. 11.* Tum quia Apostolus *ly secundùm propositum* opponit ei, quod est *ex operibus*, uti ex locis citatis, maximè *2. ad Timoth. 1.* colligitur. Ergo non aliud est vocari secundùm propositum, quàm non secundùm opera, sed ex gratuito Dei beneplacito, quod ad omnes Fideles pertinet. In quo adeò sensu accipitur etiam illud *ad Rom. 11. Reliquiæ secundùm Electionem Gratiæ salvæ factæ sunt.* Hoc enim procedit de omnibus, qui ex Iudæis credentes *salvi facti*, id est per fidem justificati sunt per Electionem Gratiæ, hoc est per gratuitam Electionem, quâ gratis, non ex operibus Legis ad Fidem adducti fuerunt.

17. Contra. Nam vocatio *secundùm propositum* nihil aliud est, quàm certa vocatio dans non tantùm possibilitatem seu Potentiam supernaturaliter operandi, sed ipsam etiam credendi, vel aliàs supernaturaliter operandi actualem voluntatem. ex S. August. *lib. de Corrept. & Grat. c. 12. & de Prædest. Sanct. c. 16.* Hæc autem Vocatio certa eatenus est ex gratuito Dei beneplacito, ut per fidem, & Gratiam ex divini placiti, vel propositi, seu Electionis Gratiæ Causalitate temporaliter susceptam sint vocati Filij Dei, de quibus tamen dicat Evangelista; *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, quòd si fuissent ex nobis, utique mansissent nobiscum. ex. cit. lib. de Corrept. c. 9.* Quare libenter damus Lessio, quòd detur propositum Dei, ac Electio Gratiæ actualiter vocans ad Fidem non ex operibus, sed ex gratuito Dei beneplacito.

Nihilominùs respectu aliquorum dari adhuc propositum in Deo, vi cujus uni, non alteri donetur Perseverantia. *ex Rom. 8.* probat Augustinus *cit. c. 9. de Corrept.* At de his debet fidelibus certissimum esse, illum de prædestinatis esse, non istum. ex August. *lib. de Dono Persev. c. 9.* Unde respectu Prædestinatorum est quædam Dei discretio, secundùm quam unus Prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, dixit, *si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. ex prox. cit. c. 9.* At ista discretio, secundùm quam non erant ex ais, scilicet Prædestinatis, est, quia non erant secundùm propositum vocati, nec erant in Christo Electi ante mundi constitutionem, nec erant in eo sortem consecuti, nec erant prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur. *ibid.* Hoc ipsum verò propositum est Gratiæ Electio, seu Discretio gratuita discernens prædestinatum ab illis etiam, qui vocati, & vocantem Deum secuti, ex impijs justificati fuerunt. *ex loco prox. cit.* Datur ergò Electio Gratiæ, seu propositum gratuitum prædestinatos à non prædestinatis discernens Vocationis efficacis ad fidem, & Iustificationis, omniumque ad Bonum cooperationis, ipsique adeò Finalis Perseverantiæ non aliter præparativum, & causativum, nisi ex Imaginis Filij Dei per Gloriam conformitatis intentione, uti ex præallegatis *ad Rom. 8. & ad Ephes. 1.* sacris textibus probat Augustinus *cit. lib. de Corrept. & Grat. c. 7. & 9. nec non de prædest. Sanctor. c. 15. & 18.* Item *de Dono Persev. c. 9.* 18.

De quo proinde Proposito procedit illud *Actor. 13. Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Nam istam præordinationem per se notum est, esse non tantùm ad fidem, & gratiam, sed Gloriam, cujusmodi etiam præordinationem ex gratuito Dei placito, clarè insinuat Christus *Lucæ 12. Nolite timere*, inquiens, *pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Unde etiam Paulus *Rom. 9.* inducens Iacob, & Esau tanquàm Exemplar Prædestinationis, ac reprobationis ait; *Non ex operibus, sed ex Vocante dictum esse, quia major serviet minori, ut scilicet secundùm Electionem propositum Dei maneret, prout esset scriptum, Iacob dilexi, Esau verò odio habui.* Constat igitur, non ex prævisis operibus, sed ex purâ complacentiâ, & gratuitâ Dilectione dari in Deo efficacem Electionem ad Gloriam. 19.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD *n. 2.* Oppositum Respondetur. D. Augustinum *lib. de Corrept. & Grat. c. 7. & de Prædest. Sanctor. c. 16.* præallegatam *ex Matth. 20.* sententiâ exponendo, distinguere duplicem Vocationem, quarum altera sit, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, altera verò sit certa eorum, qui secundùm Dei præscientis, & ad Imaginis Filij sui conformitatem eos prædestinantis propositum sunt vocati. At de istâ vocatione non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, *quia major serviet minori, ex cit. c. 16. de Prædest.* Hanc igitur vocatio- 20.

cationem ipsomet etiam Lessio *cit. sect. n. 4.* fatente, oportet esse secundùm propositum, quòd non sit ex operibus, sed ex gratuito Dei beneplacito. Atqui Apostolus ostendens, quid sit secundùm propositum vocari, mox addidit, *quoniam quos ante præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui. ex c. 11. de Corrept.* Constat igitur, Conformitatis Imaginis Filij Dei prædestinationem, quâ Electi, qui secundùm propositum vocati dicuntur prædestinati, ac præsciti, non esse ex operibus, sed gratuitum Dei Beneplacitum. Etsi proinde quoad Electionem Iustitiæ spectantem ad ordinem executionis cum Theophylacto verè dicamus, quòd ideò sint pauci Electi, quia pauci voluerunt venire, sitq; adeò non solius Dei vocantis, sed nostrum etiam, quoad ordinem Executionis ac secundùm Electionem remunerativam, fieri electum: attamen quoad ordinem Intentionis ita est Dei miserentis discretio ad Gloriam, ut hæc Electio profectò sit Gratiæ non præcedentium meritorum, uti ait Augustinus *cit. c. 7. Corrept.*

21. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. S. Chrysostomum *incitatum Math. 25.* singulariter expendere, cur Christus dixerit, *Venite Benedicti Patris mei*, non econtra, *Discedite maledicti à Patre meo*, quòd nimirũ benedictio ex Deo sit, maledictio autem ex Diabolo: Atqui Benedictio illa est ex Deo, sicut nos eligit in Christo ante mundi constitutionem. *ex c. 1. ad Ephes.* Quod enim Deus nos benedicat, non facit improvide, sed sicut à massa perdendorum eligit ante mundi constitutionem prædestinando in vitam æternam, quia unicuique benedictionem dabit, juxta modum, quem ei præordinavit. ex S. Anselmo *in præallegatum locum Apostoli.* Illis ergo Christi verbis: *Venite Benedicti Patris mei* insinuatur Prædestinationis in Gloriam Electio, quam *supra* demonstravimus, juxta Sacrarum Litterarum sensum esse Causam antecedentem merita nostra. Etsi proinde verba subsequentia: *Possidete paratum vobis Regnum. Esurivi enim; & dedistis mihi manducare* significent Voluntatẽ Divinam Meritorũ nostrorũ remunerativâ consequentem opera nostra bona, hinc tamen non infertur, nisi quòd secundùm virtualem & rationis nostræ ratiocinatæ distinctionem duplex circa vitam æternam in Deo ponenda sit Voluntas; altera spectans ad ordinem Intentionis antecedens ad merita, cujusmodi Christus respectu Electorum insinuavit illis verbis: *Venite Benedicti Patris mei*, altera pertinens ad ordinem Executionis juxta Patres in objectione adductos consequens opera nostra, cujus utriusque S. Augustinus *serm. 7. de Verb. Dom.* memor, priorem dixit Electionem *secundùm Dei Gratiam*, posteriorem autem *secundùm Electorum Iustitiam.*

22. Ad *n. 4.* Oppositum Respondetur. Originem *loc. cit.* dicere, Deum, quos præscivit, prædestinâsse; secundùm quod scivit eos respiciendo in affectum, adeòque præsciendo scientiâ, de quâ dicit scriptura. *Novit Dominus, qui sunt ejus.* Atqui hæc notitia supponit aliquos esse Dei non præcise secundùm executionem. Ergò secundùm Electionem spectantem ad ordinem Intentionis. Patet igitur, ex Origene evinci potiùs prædestinationem ad Gloriam, seu Electionem antecedentem, non verò consequentem Dei Præscientiam. Deinde licèt S. Ambrosius *loco in objectione allegato* admittat prædestinationem merita nostra consequentẽ, ibi tamẽ sermonẽ esse duntaxat de Prædestinatiõe remũeratoriâ, patet ex cõtextu, ubi super illud *Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit*, ait, *Non enim ante prædestinavit, quàm præsciret, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Nihilominùs præter hanc Voluntatem remuneratoriâ ex mente D. Ambrosij esse in Deo ponendam Prædestinatorum ad Gloriam Electionem tanquàm Causam Meritorum, ac Perseverantiæ Finalis, constat ex dictis *sup. n. 11.*

Denique S. Chrysostomus *loc. cit.* cùm illa verba Apostoli, *His, qui juxta propositum vocati sunt*, explicans dixisset: *Non Vocationem tantùm, sed & ipsum Propositum Vocatorum salutem efficere, esseque omnes quidem vocatos, sed non omnes obedire*, mox subjecit, *quoniam quos præsciverat, eosdem & præfinivit conformes fieri Imaginis Filij sui.* Atqui hæc particula *Quoniam* importans Causalitatem connectit subsequentia cum verbis antecedẽtibus. Ergò redditur sensus, ideò esse aliquos secundùm propositum vocatos, ita ut vocationi obediendo Propositum ipsorum cooperetur ad salutem, quia quos præsciverat, eosdem præfinivit fieri conformes Imaginis Filij sui. At Causalis ista tam Præscentiæ, quàm Præfinitionis illius importat Causalitatem respectu propositi, per quod salvandi obediunt Vocationi Dei. Hoc autem propositum importat meritum. Ergò ex mente S. Chrysostomi præfinitio Conformitatis Imaginis Filij Dei debet assignari tanquàm Causalitas antecedens ad Prædestinati meritum. 23.

Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Ex illo sacro textu Apocalypseos omnino evinci, in prædestinato esse potentiam amittendi Coronam Gloriæ, esseque adeò hujus amissionem respectu illius potentiæ possibilem, etsi respectu prædestinationis stare non possit actus, sed potentia duntaxat creati liberi arbitrij ad Coronam illam amittendam. At eo ipso, quòd ista amissio ita sit possibilis respectu creati arbitrij, ut prædestinatione meritorum prævisionem antecedente minimè obstante, sit Voluntati creatæ potestas libera cum verâ Dominativâ, & Electivâ ad Coronæ illius amissionem indifferentiâ, fit consequens, nõ esse vanam comminationem, quâ excitatur Voluntas creata ad Coronam Gloriæ in Gratiâ tanquam semine per liberum arbitrij consensum corruptibili non amittendam. Constat igitur, stare prædestinationem Gloriæ merita nostra antecedentem, quæ gratiæ, & bonorũ nostrorũ operum sit infallibiliter causativa, ut tamen hujus Causalitatis executio sit dependens à nostrâ libertate, quam non tantùm non tollit, sed operatur illa Dei prædestinatio. 24.

CONTROVERSIA III.

An ratione Theologicâ demonstrari possit efficax Prædestinatorum ad Gloriam Electio antecedens prævisionem Meritorum?

ADversùs istam Electionem gratuitam Merita nostra antecedentem tum ab absurdis, tum ex ratione multa congerunt argumenta Lessius *cit. disp. de Prædestin. sect. 2. à n. 10.* & Amicus *cit. sect. 4. à n. 69.* Ex quibus illa, quæ sunt petita ex ratione *in præsenti*, reliqua ex absurdis desumpta *sequenti controversiâ discutiemus.* 1.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

2\. PRima igitur ratio per Amicum *n. 82.* deducta ita ſe habet. In quâvis ſerie Mediorum in illud priùs ordine Intentionis fertur Agens, quod intendit ut medium magis aptum, magiſque idoneum ad præintentum Finem conſequendum. Atqui Finis divinæ Voluntatis in omni ejus opere præintentus eſt Gloria, & Honor Deitatis, cujus Bonitatis Abyſſus reſplendet ex ſui ad extra participatione. Ergò in divinæ Prædeſtinationis Decreto illud eſt priùs Volitum ordine Intentionis, quod eſt à Deo intentum ut Medium aptius ad ſuam gloriam, & honorem manifeſtandum. Atqui noſtra merita ad hunc Dei Gloriæ Finem promovendum ſunt à Deo intenta ut Medium aptius, quàm noſtra Gloria. Sic enim Chriſtus longè honorificentiùs Patrem glorificavit, Mortem ſuſtinendo propter ipſum, quàm eodem per Viſionem Beatam in hâc vitâ fruendo. Hinc Sanctus quoque Ignatius malebat cum dubio ſalutis in hâc vitâ pati pro Chriſto, quàm de ſalute certus ſtatim admitti ad Gloriam. Unde nec Deus noſtram glorificationem in cælis intendit, niſi propter ſui ab hominibus per merita exhibitam glorificationem, juxta illud *1. Reg. 2. Quicumque glorificaverit me; glorificabo eum. Et Math. 10. Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Conſequens igitur eſt, in Decreto divinæ Prædeſtinationis priùs eſſe volita, & intenta noſtra merita, quàm Gloriam noſtram.

3\. Secunda ratio ex præallegato Amico *n. 84.* petita ita deducitur. De Fide eſt, Gloriam eſſe adultis decretam ut mercedem, & Coronam: juxta illud *Lucæ 6. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim Merces veſtra multa eſt in cælo. Et 2. ad Timoth. 4. In reliquo repoſita eſt mihi Corona Iuſtitiæ.* Atqui merces, & Corona eſſentialem reſpectum dicunt ad merita, & labores, à quibus cauſantur in genere Cauſæ Moralis Meritoriæ. Non poſſunt autem merces, & Corona cauſari à meritis coronandi, niſi hæc in ſcientiâ abſolutâ Viſionis præcedant, ut cauſa meritoriè movens divinā Voluntatem ad Gloriam ipſam ut Coronam illis decernendam. Ergò ex eo, quòd Gloria decreta ſit adultis ut Corona, & Merces, infertur priùs ratione, quàm Deus efficaciter nos elegerit ad gloriam, debuiſſe Scientiâ Viſionis prævidere merita ex Gratiâ profecta.

CONCLUSIO.

RAtio Divinæ Cauſalitatis ſuadet in DEO admittendam eſſe efficacem Prædeſtinatorum ad finem Gloriæ Electionem virtualiter in aliquo rationis Inſtanti, ſeu ſigno antecedentem ipſorum præviſa merita.

4\. Explicatur, & Probatur. Nam in Dei circa vitam æternam Cauſalitate tria rationis Inſtantia, ſeu ſigna conſideranda ſunt. In primo ponitur Decretum antecedenter ad Scientiam Viſionis præfinitivum determinati gloriæ Gradûs. Hoc autem Decretum conſiderandum eſt verſari circa æternam gloriam adultis deſtinatam quà Mercedem, & Coronam mediantibus operibus ſupernaturalibus per Gratiam ex vi Voluntatis divinæ efficacem eliciendis certò; & infallibiliter conſequendam. Unde in hoc Decreto intelligitur Cauſalitas non Finis duntaxat Gloriæ, ſed Mediorum quoque efficacium effectrix. Quam proinde Voluntatis divinæ effectricem præfinitionem pro ſecundo rationis inſtanti, ſeu ſigno intelligitur conſequi viſio tum gradûs cujuſque Prædeſtinatorum in gloriâ determinati, tum Mediorum, ac Meritorum Gloriam æternam quà Mercedem, & Coronam moraliter operantium: Hæc autem Viſio per Voluntatis divinæ præfinitivam efficaciam formaliter identicè ſpecificata trahit ex illâ Decreti divini efficaciâ vim Cauſalitatis effectricis, habetque ut ſic rationem Imperij, vi cujus dicit Deus, & dicendo facit quæcumque voluerit. Denique iſtud Imperium in Intellectu divino expreſſum pro tertio rationis inſtanti, ſeu ſigno virtualiter conſequitur Uſus, *prout præced. q. 8. a. 2. conl. 2.* oſtendimus. Unde patet, duplex virtualiter ſeu ratione noſtrâ ratiocinatâ diſtingui in Deo Decretum circa Finem æternæ Gloriæ, quorum prius ſit antecedens viſionem, ac Imperium Meritorum tanquàm ſalutis Mediorum in Intellectu divino præparativum, poſterius autem ſit conſequens illud Imperium, atque adeò Mediorum præviſionem. At iſtud poſterius Decretum habens rationem Executionis eſt Iuſtitiæ, ſiquidem ſit conſequens merita noſtra præviſa: illud verò prius Decretum habens rationem Intentionis, cùm ſit Merita noſtra antecedens, eſt Gratiæ, & Miſericordiæ. Oportet igitur admittere in Deo Decretum Gloriæ efficax non tantùm Iuſtitiæ, ſed etiam Gratiæ & Miſericordiæ.

Dices. Nos *ſup. q. 7. a. 1. conl. 1. n.* Intentionis, ac Executionis ordinem diſtinxiſſe, quòd hæc efficientiæ, illa verò Finalizationis Cauſalitatem importet. At Decretum illud poſterius Iuſtitiæ, ſcilicet æternæ Gloriæ tanquam Mercedis intuitu Meritorum propter Iuſtitiæ Deo inexiſtentis increatam Honeſtatem executivum importare etiam Cauſalitatis Finalis rationem, id eſt Eminentialis cujuſdam ex Iuſtitiæ divinæ Motivo tanquàm Fine excitationis ſicuti Decretum quoque Intentionis ex Motivo Miſericordiæ præfinitivum æternæ Gloriæ reſpectu hujus, ac Mediorum habet etiam rationem Cauſalitatis efficientis, quatenus ipſi ineſt vis, ac efficacia intrinſeca actualis Communicationis ad eſſe rebus volitis participandum. Non igitur videri, qualiter dicatur Decretum Iuſtitiæ de dandâ Gloriâ habere in Deo rationem Executionis, Decretum verò Miſericordiæ rationem Intentionis. 5.

Contra. Nam in hac voce *Executio* latet quædam æquivocatio: Subinde enim accipitur ſtrictè pro uſu Voluntatis conſequente Intellectûs Imperium, quo modo eſt potentiæ Executricis ad effectū præintentū effectrix applicatio. Subinde verò ſumitur latè pro Cauſalitate efficientiæ condiſtinctâ à Cauſalitate Finalizationis, quæ Finalizatio ſtrictè loquendo eatenus venit nomine Intentionis, ut ſecundùm hanc acceptionē verificetur illud Philoſophicum axioma: *Quod prius eſt in Intentione, eſt ultimum in executione.* Quare divina ex Increatæ præſertim Dei Bonitatis ad extra cōmunicandæ excitata Intentio eatenus habet rationem Finalizationis, ut ſit tamen præfinitio Exiſtentiæ rerum actualiter effectrix habens ut ſic rationem 6.

tionem efficientiæ: sicut etiam Executio Divinæ Voluntatis accepta pro Usu ita habet rationem Causalitatis efficientis, ut tamen respectu alicujus divini Attributi tanquàm Finis ac Motivi specificativi habeat etiam rationem Finalizationis. Ne proinde istis æquivocationibus irretiatur cujusquam Intellectus, notandum hic venit, Nos *in cit. q. 7. a. 1. cont. 1.* ita accepisse Voces *Tò Executio*, ac *Intentio*, ut per priorē Causalitas tantùm efficientiæ, per posteriorē verò Finalizationis duntaxat significaretur, cùm econtra *in hoc loco per ly Executio* usum, per *ly verò Intentio* efficacem Finis volitionem non quà præcisè habet rationē Finalizationis, sed Causalitatis quoque efficientis intelligamus Iuxta quā adeò acceptionem *præc. n. 4.* ex ratione divinæ causalitatis probavimus, oportere circa Finem æternæ gloriæ duplex virtualiter in Deo distinguere Decretum, ita ut prius per modum Intentionis efficacis sit gratuitum, posterius verò per modum usûs, ac executionis strictè sumptæ sit Iustitiæ.

7. Oppones: Implicare idem esse ex Gratiâ, seu liberalitate, & ex Iustitiâ seu debito: nec adeò videri qualiter circa Gloriam æternam tanquàm Mercedem, & Coronam Iustitiæ debitam posset versari Decretum ejusdem misericorditer, & gratuitò præfinitivum.

8. Contra. Nam Iustitiæ ad Coronam Gloriæ debitum duo importat, alterum ex parte merentis, alterum verò ex parte Dei. Etenim ex parte merentis fundatur illud debitum in condignitate operis Meritorij. Hæc autem condignitas consistens in intrinsecâ operis honestate supernaturali, & per Gratiam Sanctificantem dignificatione nequit fundare ullum Ius ex Iustitiâ strictâ Dei obligatoriū, sed fundat cōnaturalis duntaxat exigentiæ cum præmio proportionem, absoluto, ac independenti Dei Domino simpliciter subjectam. Quare ut condignitas illa operis supernaturalis pariat debitum, requiritur ex parte Dei pactum, quo sub conditione operis supernaturalis in Gratiâ sanctificante eliciti obligarit se ad Gloriam tanquàm mercedem decenti cum Iustitiâ retribuendam. Hoc autem Pactum non parit in merente Ius adversùs Deum de retribuenda Gloriâ, siquidem secundùm Patres *sup. q. 7. a. 2. cont. 2.* Deus vi illius pacti non tam nobis debitor sit, quàm sibi. Unde hoc debitum ex pacto, seu Voluntatis divinæ nobis revelato Decreto resultans nihil aliud est, quàm Immobilitas divini Decreti habentis ex se infallibilitatem omnis meriti, & Gratiæ, nec non Gloriæ præfinitæ efficaciter causativam. At verò istud Decretum oportet non tantùm in ratione Causalitatis esse prius meritis, & perseverantiâ Finali, sed etiam tanquàm rationem fundantem debitum Iustitiæ esse virtualiter in aliquo rationis Instanti antecedens Decretum, quo Deus Meritis Iustorum cum Gratiâ decedentium ex Iustitiâ decernit Mercedem, & Coronam Gloriæ. Unde Decretum illud cùm sit antecedens respectu tam meritorum, quàm debiti Iustitiæ, non potest non esse gratuitum, & liberale. Constat igitur, non tantùm non repugnare, esse in Deo de eâdem Gloriâ quà Mercede conferendâ Decretum tum Intentionis Gratuitæ, ex increatâ divinæ Misericordiæ Bonitate tanquàm Motivo, & Fine specificatæ, tum Executionis ex Increatæ Iustitiæ Deo inexistentis Honestate tanquàm Motivo specificatæ, sed insuper istud Decretum Iustitiæ fundari in illo Misericordiæ Decreto tanquàm Motivo sui specificativo.

9. Replicabis ex Lessio *cit. sect. 2. n. 12.* Illud Decretum Misericordiæ, in quo fundatur pactum Dei de Iustitiæ Coronâ pro justi in Gratiâ decedentis meritis retribuendâ, esse duntaxat conditionatum, veluti pateat ex Conc. Trident. *sess. 6. de Iustif. can. 20.* Quare Intentionem Dei de salute hominum antecedentem merita prævisa non esse nisi illam de salute omnium inefficacem, seu conditionatam Dei Voluntatem, de quâ Apostolus *1. ad Timoth. 2.* ait: *Vult omnes homines salvos fieri.*

10. Contra, Nam Concilium Tridentinum *cit. sess. 6. de Iustif. c. 16.* ait, bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponendam esse vitam æternam tanquàm Gratiam Filijs per Christum Iesum misericorditer promissam. At ista misericordiæ promissio est respectu illorum duntaxat, quibus vita æterna tanquàm Merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter est reddenda. *ex cit. c. 16.* Hæc ipsa verò Merces est illa Corona Iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse, ajebat Apostolus, non solùm autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. *ibid.* Isti verò non sunt, nisi illi, qui in providentissimâ Dei dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati, nondum renati, imò necdum nati jam Filij Dei sunt, & omninò perire non possunt ex S. Augustino *de Corrept. & grat. c. 9. post Medium.* His ergò *secundùm Concilium citatum* est vita æterna tanquàm merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & Meritis fideliter reddenda. At hæc redditio est secundùm Decretum divinum Iustitiæ fundata ut sic in promissione Dei. *ex dicto sacro Concilio.* Hæc ipsa verò promissio (uti patet ex Concilij modo loquendi) est respectu illorum, qui *absolutè* sunt bene operantes usque in finem. Unde S. Augustinus *cit. c. 9. de Corrept. & Grat.* dicit, istos verè esse Filios promissionis, utpote prædestinatos, & secundùm propositum vocatos. Oportet igitur ex sacro Concilio, & S. Augustino adstruere promissionem vitæ æternæ propriam prædestinatis, per quam isti sint discreti à massâ perditionis. At isti Filij promissionis à Filijs perditionis, qui sunt ex multitudine vocatorum, non autem paucitate Electorum, discernuntur, quatenus sunt prædestinati conformes fieri Imaginis Filij Dei. *ex cit. c. 9. de Corrept. & Grat.* Ergò promissio illa fundatur in prædestinatione conformitatis Imaginis Filij Dei absolutâ, & Filiorum promissionis à filijs perditionis eatenus segregativâ, ut sit etiam Causativa, atque ex vi suæ efficaciæ infallibiliter in Electis illativa perseverantiæ Finalis. ex Augustino *ubi supra.* Unde illam quoque promissionem, per quam Vita æterna secundùm præallegatum sacrum Concilium est bene usque in finem operantibus, tanquàm Gratia Filijs misericorditer promissa, oportet esse absolutam. Cùm igitur in istâ Misericordiæ promissione fundetur redditio vitæ æternæ tanquàm Mercedis, atque adeò Decretum de Gloriâ tanquàm Coronâ secundùm Iustitiam ex vi promissionis illius retribuendâ, consequens est, ex Mente Concilij Tridentini junctâ S. Augustini Doctrinâ, circa æternam Gloriam respectu præde-

prædestinatorum duplex virtualiter Decretum absolutum & efficax in Deo distinguendum esse, ita ut alterum sit Misericordiæ per modum Intentionis, alterũ Iustitiæ per modũ Executionis.

11. Confirmatur 1. Concilium enim Tridentinum *cit. can. 20.* asserens: *Evangelium non esse nudam & absolutam vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum promissionem* intendit solummodo, vitam æternam non esse promissam independenter ab observatione mandatorum. At non tantùm secundùm executionem, in quâ meritis usque in finem bene operantium fit retributio vitæ æternæ tanquàm Coronæ, respicitur ad observationem mandatorum, sed in ipsa quoque vitæ æternæ intentione respicit Deus ad merita, & perseverantiam Finalem tanquàm ad media. Secundùm hanc verò Intentionem est promissio vitæ æternæ tanquàm Gratiæ. *ex cit. c. 16. Conc. Trid.* Hæc autem Intentio quà communis de omnibus salvandis est quidem conditionata, & inefficax, quatenus tamen fundat promissionem Filiis prædestinatis propriam, est absoluta, & efficaciter causativa observationis mandatorum Dei, omnisque ad finem usque meriti, & ipsius tandem Gloriæ *uti supra* ostensum fuit. Quare ista promissio utpote Decreti Iustitiæ Gloriam tanquam mercedem meritis Iustorum proportionatam decernentis fundamentum ita est Misericordiæ, ut tamen respectu Prædestinatorum sit absoluta, non verò conditionata.

12. Confirmatur 2. Nam sacrum Concilium *cit. c. 16.* merita nostra dicit Dona Dei. Unde non tantùm facultas merendi, sed ipsa bona opera cum ipsâmet finali perseverantiâ sunt Divinæ Gratiæ largitate donata. ex S. Aug. *lib. de libero arb. c. 7. lib. de correpti. c. 12. & de Prædest. Sanct. c. 3. & c. 10. ac per totum librum de Dono Persev. præsertim c. 17.* At de ratione Doni est, quod sit ex gratuitâ, & liberali Donantis Voluntate. Oportet igitur in Deo ponere Voluntatem gratuitam, eamque efficacem, utpote realiter causativam meritorum, ac Perseverantiæ Finalis. Atqui hæc sunt a Deo ordinata tanquam Media efficacia, & actu moraliter operativa vitæ æternæ. Hæc autem meritis, ac Finali perseverantiæ communicata operandi vitam æternam efficacia est ex Divinæ Voluntatis, ac Providentiæ utpote universalissimâ Causalitate. Ergò datur in Deo Voluntas Gratuita causans in meritis prædestinatorum non tantùm Ordinabilitatem in Finem vitæ æternæ, sed efficaciam actualiter operandi illius Finis assecutionem. At eo ipso, quòd vita æterna se habeat tanquam Finis, Merita autem tanquàm Media, oportet omnimodam istorũ efficaciam reduci in Vitæ æternæ finalem Causalitatem. Hæc autem Causalitas est per Intentionem Finis quâ virtualiter saltem excitativam Electionis mediorũ. Cum igitur Merita nostra cum Perseverantiâ Finali se habeant ut Media actu moraliter operantia vitam æternam, hæc vero se habeat ut Finis, nequeat autem ratio Finalis, vel Efficacia Mediorum assecutionem Finis actu operans esse, nisi ex Divinâ Causalitate: hæc vero sit secundum Dei Voluntatem: Ista verò Dei voluntas non sit operans in re creatâ rationem Finis actualiter in media influentis, nisi isti per Volitionem Divinam conveniat excitatio Electionis Mediorũ: hæc autem Electionis Mediorum excitatio in Divinâ Voluntate nequeat esse nisi Decretum liberæ Intentionis, manifestè sequitur, in illo Gratuito meritorum cum Finali Perseverantiâ tanquam Mediorum salutis æternæ efficacium præfinitivo Decreto importari etiam formalitatem Intentionis, per quam vita æterna tanquàm Finis sit Electis efficaciter prædestinata.

13. Instabis ex Amico *cit. sect. n. 124.* Hoc argumento probari, quòd Electio efficacium salutis æternæ Mediorum in Divinâ Voluntate importet efficacem de dandâ Gloriâ Intentionem virtualem, & concomitantem, non verò formalem antecedentem. Etenim Volitio Dei libera respectu alicujus rei dicitur formalis per connotationem talis rei liberè à se dependentis: At Voluntas Mediorum efficacium nondum connotat formaliter Gloriam Prædestinatorum ut Coronam liberè à se dependentem; cùm in eo signo nondum sint prævisa merita, à quibus pendet definitio Gloriæ ut Coronæ. Ergò illud Gratuitum Mediorum efficacium Decretum non potest dici Volitio efficax formalis Gloriæ ut Coronæ, sed tantùm Virtualis.

14. Contra. Non enim est intelligibilis Medij ratio, nisi quatenus derivata ex Finali Causalitate. At Mediorum salutis tota, & omnimoda efficacia habet rationem medij respectu Finis æternæ gloriæ. Ergo tota illa efficacia est ex Causalitate Finali Gloriæ æternæ. Atqui Causalitas Finalis formaliter consistit in excitatione Voluntatis ad eligenda & applicanda Media Finis consecutioni utilia. Nequit autem Divinæ Volutatis ex ullâ re creatâ ceu Fine respectu alterius rei tanquàm Medij eligendi esse excitatio, nisi secundum liberam Dei Voluntatis determinationem. Ergò Causalitas Finalis, quam Finis æternæ Gloriæ non secundùm naturam necessitando, sed secundùm libertatem Dei exercet, excitando Mediorum salutis efficacium Electionem, est liberum Voluntatis Divinæ Decretum ut sic antecedens, utpote excitans Electionem Mediorum, atque adeò Meritorum. Atqui non est intelligibile Decretum Divinæ Voluntatis liberum, nisi formaliter per connotationem objecti voliti. Oportet igitur ponere in Deo Decretum ad Coronam Gloriæ formaliter terminatum Mediorum Efficacium Electionem virtualiter antecedens per modum Causalitatis Finalis ad illam quodammodò excitans, atque ante prævisa merita, ceu Media præfiniens Gloriam æternam tanquàm Coronam non in actu exercito quà meritorum effectum ab illis in executione pendentem, sed in Intentione, quà Finem Voluntatis Divinæ merita præparantis Increatum Dei Bonitate mediante excitativum.

15. Urgebis ex Amico *cit. sect. n. 120.* Electionem efficacem non semper præcedere efficacem Finis Intentionem, sed sufficere simplicem hujus Voluntatem, siquidem Deus sæpè in hâc vitâ conferat reprobis Media efficacia ad salutem, cùm tamẽ illa non causentur ex efficaci, sed simplici duntaxat affectu Finis, quem Deus illis intendit in ipsis Medijs, & Causis universalibus. Etsi proinde ad efficacem salutis Mediorum Electionem sit necessaria aliqua saltem Finis Gloriæ Intentio; nihilominus, quia iste Finis etiam dependet à Voluntate creatâ, posse Deum conferre

ferre Media efficacia, & etiamſi non intendat efficaciter Finem.

16. Contra. Nam inprimis nequit Medium efficax eſſe volitum, niſi cum eſſentiali reſpectu ad Finis re ipsâ ponendi aſſecutionem tanquàm Cauſam propter quam. At quia Media dicunt eſſentialem reſpectum ad Finem ut ad Cauſam, propter quam eliguntur, idcirco fatente Amico *citato* nequeunt Media eligi niſi ex aliquâ ſaltem Intentione Finis. Ergò quando Medium eſt à Deo volitum quà efficax, oportet ipſam Finis ut re ipsa ponendi aſſecutionem eſſe intentam. At ejuſmodi volitionem Dei eſſe efficacem ex ipsâ Naturâ Divinæ Voluntatis habentis ex ſe vim, & efficaciam reſpectu omnis eo modo, quo vult, objecti actualem, ac realem poſitionem ex ſacris litteris, & Patribus demonſtravimus ſupra.

17. Nequit ergò Medium ut efficax à Deo eſſe volitum, niſi de Fine, reſpectu cujus eſt volitum, intentio ſit efficax. Deinde ipſa æternæ Gloriæ Exiſtentia actualis reſpectu Mediorum ſalutis efficacium habet rationem Finis. At Cauſalitatem Finis æternæ Gloriæ importare Decretum Divinæ Voluntatis ad hanc formaliter terminatum, ut ſic efficacis Mediorum Electionis excitativum, conſtat ex dictis. Ergò æternæ Gloriæ Exiſtentia actualis eſt formaliter volita per illud Decretum Electionis Mediorum excitativum, virtualiter antecedens Merita noſtra. Atqui Decretum Dei ad exiſtentiam æternæ Gloriæ actualiter ponendam formaliter terminatum, eſt reſpectu Finis Gloriæ efficax. Ergò Decretum illud merita noſtra virtualiter antecedens ſe habens per modum formalis intentionis Gloriæ eſt efficax.

Reſponſio ad oppoſita Argumenta.

18. AD *n.2.* Oppoſitum Reſpondetur. Verum eſſe, quod in omni opere Divinæ Voluntatis Finis præintentus ſit Gloria, & honor Deitatis. Hanc verò Dei Gloriam conſiſtere in quâdam Divinæ ad extra communicatæ Bonitatis reſplendeſcentiâ. At iſtam reſplendeſcentiam eſſe *Entitativè* majorem, ac perfectiorem in Viſione Beatificâ, quàm in ullo opere noſtro morali ſupernaturali; licèt *affectivè* ſecundùm appretiationem Charitatis pluris quodammodò facere debeamus opera noſtra Deum laudantia, quàm propriam in Beatitudine Gloriam noſtram. Charitas enim non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei maximè curat, ut in nobis ipſis reluceat Gloria Dei. Hoc autem fit per opera noſtra ſupernaturalia, quæ Divinæ licèt Gratiæ largitate donata, ex ipsâ noſtræ voluntatis libertate enarrant Gloriam Dei, cùm è contra lumen Gloriæ, ac viſio Beatifica *entitativè* ſpectata non tam eructentur ex Corde noſtro in Laudem Dei, quàm ea in nobis recipiendo glorificemur à Deo. Nihilominus quia hæc ipſa Gloria noſtra per Eminentiorem quandam Divinæ Gloriæ reſplendeſcentiam ſublimiùs reducitur in Deum, ſiquidem in ratione ſuæ Entitatis altiorem ſapiat Divinitatis participationem, imò in ratione Coronæ, ac præmij præſupponat merita Deum glorificantia, eaque in ſe ipsâ tanquàm Fine per totam æternitatem relucentia ad Divini honoris manifeſtationem repræſentet: Idcircò Gloria Beatitudinis abſolutè loquendo magis conducit ad Dei honorem, quàm merita noſtra; etſi hæc ſub certo reſpectu, ac ſecundùm quid aptiora ſint Gloriæ Dei promovendæ. Unde Sancti quandoque ad tolerandos labores pro Dei gloriâ promptiores, ita ſuimet Glorificationem poſtponebant Honori Divino, ut hujus in ſe ipſis cum majori meritorum cumulo augmentum quærerent præcipuè in Beatitudine cæleſti; hanc ipſam tamen appetentes non tam propter retributionem, quàm propter immenſæ Bonitatis Divinæ majorem Gloriam. Cùm proinde in quâvis ſerie Mediorum in illud prius ordine Intentionis feratur Agens, quod intendit ut Medium magis aptum ad Finem præintentum conſequendum, Gloria verò Cæleſtis in ratione præmij & Coronæ ſit omnis ex meritis reſplendeſcentis Gloriæ Divinæ ſignum quoddam repræſentativum, adeò, ut licèt infinitus Meritorum Chriſti valor quoad increatam Verbi dignitatem infinities excederet hominum redemptionem, Iuſtificationem, & Glorificationem, imò & ipſius Nominis Chriſti exaltationem; hæc tamen in ratione præmij eſſet conſummata Divinæ Gloriæ enarratio, utpote in ſe reſplendeſcere faciens omnem ex Meritis Chriſti relucentem Gloriam Divinam, idcircò Coronam cæleſtis Gloriæ ut Medium Dei honoris, & Gloriæ manifeſtandæ magis idoneum oportet priùs eſſe in intentione Divinæ Voluntatis, quàm merita noſtra,

Ad *n.* 3. oppoſitum Reſpondetur. Verum eſſe, quòd æterna Gloria non tantùm in Decreto Executionis, ſed etiam Intentionis ſit adultis prædeſtinata tanquàm merces, & Corona. Non enim à Decreto Intentionis Divinæ aliter, quàm à Decreto Executionis attingitur æterna gloria, ex meritis per divinam prædeſtinationem in ipſo etiam Intentionis quà Mediorum Electionem includentis ſigno præfinitis dependens. Nihilominùs Gloriæ ſub ratione etiam Coronæ duplicem eſſe conſiderationem quà effectûs nimirum, & quà Cauſæ finalis meritorum. Sub priori enim conſideratione Merita in cæleſtem Gloriam exercent moralem aliquam Cauſalitatem: Hæc verò conſiſtit in quâdam excitatione Divinæ Voluntatis intuitu meritorum decernentis præmium æternum. At iſta Divinæ Voluntatis excitatio eſt in Deo formaliter Decretum ex Iuſtitiâ remunerativum, ad quod merita cum Finalis Præſeverentiæ ſtatu prævisâ ſe habent inſtar conditionis ſub condignitatis, & exigentiæ connaturalis ratione applicantis rationem Voluntatis Divinæ motivam ad præmium condignum intuitu meritorum volendum. Cujus proinde Divini remunerativi Decreti Motivum eſt increata Bonitas ſubſiſtens in promiſſione & pacto Dei Decretum illud actuante, & ſpecificante in ratione Iuſtitiæ Divinæ. At hoc ipſum pactum, ſeu promiſſio Filijs prædeſtinationis propria importat formaliter decretum æternæ Gloriæ, Divinum Intellectum in ratione Immobilis circa Gloriam Filijs prædeſtinatis infallibiliter conferendam Veritatis actuans, & ut ſic Decretum illud remunerativum ſpecificans in ratione Iuſtitiæ. Conſtat igitur, ad decretum Dei remu- 19.

nera-

nerativum, in quo merita ſe habent ut Cauſa Coronam Gloriæ moraliter efficiens, præſupponi pactum, atque adeò Decretum Dei, quod ipſum etiam ſit efficax, utpote prædeſtinationis Filios diſcernens à Filijs perditionis, *uti ſup.*
20. ex S. Auguſtino demonſtravimus. In hoc igitur Decreto ſe habet Corona Gloriæ ut Finis, merita autem ut media. At de ratione Finis eſt exercere Cauſalitatem Finalem in Media, cujuſmodi Cauſalitas eſt excitatio Divinæ Voluntatis, quæ ut ſic habet rationem Intentionis efficacis virtualiter moventis tum Electionem Mediorum ſeu Meritorum in perſeverantiâ Finali efficacium, tum ad actualem Finis æternæ Gloriæ conſecutionem. Conſtat igitur, Coronam Gloriæ eatenus dicere eſſentialem reſpectum ad merita, ut hæc tamen in Intentione comparentur ad illam tanquàm Media necdum prævisa pro illo rationis ſigno, ſed prævidenda pro ſigno poſteriori, cùm èontra in executione comparentur ad eandem Gloriam tanquàm Cauſa meritoriè, atque adeò moraliter effectrix, ut adeò Decretum Executionis habens rationem Iuſtitiæ merita in Gloriâ remunerantis, ſit omninò conſequens meritorum prævisionem, etſi Decretum Intentionis ſit hanc antecedens, adeòque Gratuitum ex Miſericordiæ, ac ſolius Dei Bonitatis Motivo elicitum.



CONTROVERSIA IV.

Utrùm efficax ante prævisa merita Prædeſtinatorum electio occaſionem teporis, negligentiæ, & deſperationis inferat.

1. LEſſius *cit. ſect. 2. à n. 14.* conatur oſtendere, quòd Electio Prædeſtinatorum ante prævisa merita tollat Bonorum operum, & ſalutis ſolicitudinem, zelum animarum, & Correptionem ſeu exhortationem; èontra verò inducat licentiam vitæ ac deſperationem. Horum verò malorum occaſionem Amicus *to. 1. diſp. 1. diſp. 14. ſect. 4. n. 76.* reducit ad hoc, quòd poſitâ illâ Electione ante prævisa merita, cuique liceat ratiocinari. Vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum prædeſtinatus; ſi prius, jam certus ero, quòd, quidquid egero, tandem ſalvabor: quia implicat, Deum abſolutâ ſuâ Voluntate me ad gloriam elegiſſe, & de facto mihi non dare, quæ neceſſaria ſunt ad eam conſequendam. Si poſterius, certus ſum, quòd quidquid egero, tandem non ſalvabor, quia nihil efficere poſſum, quo ſalutem conſequar, à quâ ante omnia merita mea, efficaci Dei Voluntate excluſus ſum.

Conclusio.

DIcere, quòd per prædicationem Prædeſtinationis *ante merita prævisa* audientibus plus deſperationis, quàm exhortationis aſſeratur, eſt dicere, quòd de ſuâ ſalute homo deſperet, quando ſpem ſuam non in ſe ipſo didicerit ponere; adverſùs quem tamen Propheta Hieremias *cap. 17.* clamat: Maledictus omnis, qui ſpem habet in homine. ex S. Auguſtino *lib. de Don. Pers. cap. 17. circa finem.*

Probatur. Nam iſtam concluſionem noſtram Divus Aguſtinus *citatus* intulit adversùs Semipelagianos. Hi verò aſſerebant, *Neminem poſſe Correptionis ſtimulis excitari, ſi dicatur in Conventu Eccleſiæ audientibus multis, ita ſe habet de Prædeſtinatione definita ſententia Voluntatis Dei, ut alij ex vobis de infidelitate acceptâ obediendi Voluntate veneritis ad fidem, vel acceptâ Perſeverantiâ maneatis in fide, cæteri vero, qui in Peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum ſurrexiſtis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miſerantis erexit. Verumtamen ſi qui eſtis necdum vocati, quos gratiâ ſuâ prædeſtinavit eligendos, accipietis eandem gratiam, quâ velitis & ſitis electi. Et ſi qui obeditis, ſi qui prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis.* ex init. *cap. 15. de Dono Perſev.* At huic Semipelagianorum voci non abſimilis eſt illa, quam ponit Leſſius *cit. ſect. 2. n. 4. & 14. Item* Amicus *ſupra citatus,* aſſerentes: Electione ad gloriam independenter à noſtris operibus admiſſâ, non eſſe, cur ſimus ſoliciti de bonis operibus ac perſeverantia, ſiquidem ſive bene ſive malè nunc vivamus, tales tandem futuri ſimus, quales nos Deus prædeſtinationis ſuæ Decreto abſoluto præfinivit. Illi proinde objectioni præallegatus Sanctus Auguſtinus repoſuit: cum iſta dicuntur non debere à confitendâ Dei verâ gratiâ, id eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, & à confitendâ ſecundùm eam Prædeſtinatione Sanctorum nos deterrere: ſicuti non deterremur à confitendâ præſcientiâ Dei, ſi quis de illâ populo ſic loquatur: *Sive nunc recte vivatis, ſive non recte, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus præſcivit, vel boni, ſi bonos, vel mali, ſi malos.* 2.

Ratio hujus per Sanctum Auguſtinum aſſertæ inter Dei præſcientiam ac prædeſtinationem paritatis eſt. Nam Deum in ſuâ, quæ falli mutarique non poteſt, Præſcientiâ opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam eſt prædeſtinare, *ex cap. 17. de Dono perſev. poſt init.* At per hoc, quòd aliquid ſit à Deo prædeſtinatum, eſt à Deo donatum, ſiquidem opera noſtra bona ſint hoc ipſo prædeſtinata, ſi dantur à Deo, & Deus ea ſe daturum præſcivit. *ex cit. cap. 17.* Unde prædeſtinatio dicitur Gratiæ præparatio, Gratia verò jam ipſa donatio. ex eodem Sancto Doctore *cap. 10. de præd. Sanct.* Atqui donatio ejuſmodi eſt ſecundùm ſecretiſſimam Dei Voluntatem, de quâ eſt illud; *Quoniam quos prædeſtinavit, hos & vocavit, ex cap. 17. circa Med. de Dono Perſeverantiæ.* Ergo Prædeſtinatio ita eſt Præſcientia Donorum Dei, ut hæc tamen per Cauſalitatem Divinæ Voluntatis ſint data, ſeu donata. In quâ proinde Voluntatis Divinæ ad donandum cauſalitate ita præſcit Deus ſua futura dona, ut per illam ipſam Voluntatis Divinæ cauſalitatem Præſcientia Dei habeat etiam rationem Dictionis omnium, quæ voluit Deus, facientis & mandando creantis, uti *alibi* ex S. Auguſtino demonſtratur. Cùm proinde Præſcientia Dei non minùs, quàm Prædeſtinatio ſit ſecundùm hunc Eccleſiæ Doctorem cauſalitate antecedens opera noſtra bona, & Finalem perſeverantiam, par eſt utriuſque ratio, ne à prædeſtinatione non ſecundùm merita, ſed ſecundùm gratiam confitendâ 3.

ſtendâ terreamur, etiamſi hoc audito nonnulli in torporem, ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias eant, non enim propter tales ſententiæ illius in ſacris litteris uti, *alibi* ex S. Auguſtino oſtenditur, fundatæ veritas deſerenda eſt. *ex cit. cap. 15. & 6. de Dono perſev.*

4. Dices ex Yſamberto *ad præs. q. 23. diſp. 4. & 5.* Sanctum Auguſtinum *in cit. lib. de Dono perſev.* totum in eo eſſe, ut ſpem noſtram non in nobis, ſed in Deo ponamus. Ad hanc verò ſpem in Deo habendam requiri, quòd ſperans credat fide Catholicâ, Deum verè ſincerè, quantum eſt ex parte ſuâ velle homini, quod ſperat, vitam ſcilicet æternam. ex Concil. Trident. *ſeſſ. 6. de Iuſtif. cap. 13.* At modum eligendi aliquos tantùm homines ante præviſa eorum merita, alijs relictis in Maſſâ perditionis, admittere in adultis fidelibus hæſitationem rationabilem oppoſitam prædictæ fidei. Probatur iſtud Aſſumptum. Ubi enim Deus voluit efficaciter dare ex merâ ſuâ Voluntate etiam antecedenter ad bona opera fidelium adultorum aliquibus tantùm perſonis ex totâ hominum multitudine ita aliquod beneficium ſupernaturale, ut tamen hæc ejus Voluntas inferat excluſionem infallibilem aliorum à participatione talis beneficij etiam ante præviſionem malorum eorum operum; tunc ſi ſinguli homines neſciant determinatè, quinam ſint iſti, unuſquiſque eorum poterit rationabiliter dubitare, utrùm talis volitio Dei includat illum. Sic enim tantam habet rationem dubitandi & timendi ſibi ex parte Voluntatis Divinæ, quantam habet rationem dubitandi, & ſibi timendi, ne defectu propriæ ſuæ cooperationis, & negligentiæ excludatur à conſequendo tali Bono. Atqui electio efficax hominum ad gloriam eſt aliquod Beneficium ſupernaturale Dei, quod Deus ita voluiſſet efficaciter ex merâ ſuâ Voluntate dare aliquibus duntaxat ex totâ hominum multitud ne antecedenter ad bona eorum opera etiam præviſa, ut hæc ejus Voluntas inferret conſequenter infallibilem excluſionem aliorum à participatione talis beneficij. Cùm igitur nullum extet ſignum certum, quo fideles cognoſcunt electos viatores, unuſquiſque fidelium poteſt rationabiliter dubitare, num illa Electionis Divina Voluntas eum includat, & proinde an Deus ita velit ei gloriam æternam, ſicut jubet illam ſperare, ita ſcilicet quod nihil eſt ex parte Dei, quod remoretur hominem hunc ab illâ conſequendâ.

5. Contra. Nam verum omnino eſt, ſpem noſtram niti promiſſione Divinâ per Verbum Dei manifeſtatâ, & per fidem Catholicam cognitâ. Ex hâc verò fide Divinâ inſtruimur inprimis, Deum habere Voluntatem omnes ſalvandi *1. ad Timoth. 1.* Hæc verò Voluntas etſi non ſit abſoluta, ſed conditionata, adeòque propter conditionem non purificatam inefficax ad vitam æternam actualiter producendam, eſt tamen efficax ad media ſalutis ſaltem remota, & ſi hiſce uteremur etiam proximè ſufficientia cuique hominum actu conferenda. Ex illius ergò Voluntatis Divinæ antecedentis promiſſione conditionatâ cuique, ſi adultus ſit, per propriam etiam libertatem eſt poſſibilitas ſeu potentia ad conſequendam vitam æternam, quam proinde ſperare tenemur tanquam gratiæ viribus ac medijs à Deo cuique efficaciter deſtinatis poſſibilem ex volũtate illâ antecedente, quantum eſt ex parte Dei, ſincerè omnibus volitam, conditionatè quidem in ſe ipſâ, abſolutè verò & efficaciter in medio præbente vires, ſeu auxilium ſufficiens. In cujuſmodi adeò Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare omnes debemus, utpote certi de vi & potentiâ libertatis noſtræ per gratiæ vires ſufficiente ad vitæ æternæ conſecutionem, ita ut niſi ipſimet per Voluntatem noſtram liberam defuerimus, Deus, qui in nobis per Baptiſmum juſtificatis cæpit opus bonum, perfecturus ſit operando in nobis velle, & perficere. ex Concil. Trident. *cit. cap. 13.* Alia igitur eſt vitæ æternæ promiſſio Divina, ſecundùm quam filij promiſſionis, qui ſunt de paucitate Electorum, diſcernuntur à filijs non prædeſtinatis. ex S. Auguſtino *lib. de Corrept. cap. 9.* Iuxta quam promiſſionem Apoſtolus *Rom. 11.* ait: *Non repulit Deus plebem ſuam, quam preſcivit.* Nam quod, ait, præſcivit, non rectè intelligitur, niſi prædeſtinavit. *ex cit. lib. de Dono perſev. cap. 18.* De hâc autem prædeſtinatione dicitur *cit. Rom. 11.* Reliquiæ per Electionem Gratiæ ſalvæ factæ. Unde hæc eſt illa Electio, quâ eos, quos voluit Deus, elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent Sancti & immaculati in conſpectu ejus, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum. *ex cit. cap. 18.* Quare præſciſſe Deum reliquias, quas ſecundùm electionem gratiæ eas ipſe eſſet facturus, ita eſt, eas prædeſtinâſſe in adoptionem filiorum, in gloriâ ſcilicet conſummatam, ut ſecundùm hanc præſcientiam ac prædeſtinationem nondum renati, imò necdum nati jam vocati, juſtificati, & glorificati ſint filij Promiſſionis. *ex cit. cap. 18. de Dono Perſ. & cap. 7. de Corrept.* 6.
Iuxta hanc igitur Electionis gratiæ promiſſionem Deus non mendax Filijs promiſſionis ita promiſit vitam æternam, ut tamen ante tempora æterna de hâc ſive arcano Prædeſtinationis myſterio, ſicuti de Perſeverantiæ quoque munere nihil abſolutâ certitudine nobis promittere voluerit, nec adeò ſecuri eſſe poſſimus, niſi conſummata fuerit vita iſta, quæ tentatio eſt ſuper terram. *ex cit. cap. 22. cit. lib. de Dono perſev.* & Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 12. & 13.* Hoc tamen minimè obſtante, debemus ipſam etiam obediendi perſeverantiam à Patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum & omne perfectum, ſperare, & quotidiè orationibus poſcere, atque hoc faciendo confidere, non eſſe nos à prædeſtinatione Populi ejus alienos, quia etiam hoc, ut faciamus, ipſe largitur. *ex cit. cap. 22. de Dono Perſeverantiæ.* In hâc ipſâ verò ſpe ſcientes, quòd in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſimus de pugnâ, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum Diabolo, formidare debemus, itàque cum timore & tremore ſalutem noſtram operari in laboribus, in vigilijs, in eleemoſynis, orationibus & oblationibus in jejunijs & caſtitate. *ex dicto cap. 13.* Concil. Tridentini.

Conſtat igitur, ejuſmodi debere ſpei noſtræ de vitâ æternâ eſſe firmitatem ac certitudinem, 7.
quâ ſecuri de vitæ æternæ per gratiæ ſufficientis vires poſſibilitate hanc omnes ſperemus, & inſuper per fidem certi de Electorum, ac filiorum prædeſtinationis ſalute actu conſequendâ confida-

confidamus, nos esse in ipsorum numero, formidantes tamen de istâ gratiæ Electione seu prædestinatione, spem nostram non in nobis seu meritis nostris Prævisis, sed in Domino, in quo confidere melius est, quàm in homine, ponamus, atque hanc spem tenentes serviamus Deo cum timore, & exultemus ei cum tremore. *ex cit. cap. 22. de Dono Persev.*

8. Replicabis ex Lessio *cit. sect. 2. n. 21.* à Bonitate Divinâ ac immenso Dei in creaturas amore omninò alienum esse, aliquid statuere, quod ex se animos non ædificet, sed potiùs scandalizet. At hujusmodi esse Prædestinationem ante prævisa merita, siquidem conijciat multos in gravissimos mærores & barathrum desperationis, imò multi doctissimi & optimi viri eam graviter hoc nomine accusent, quòd metuerent sibi effrenem vitæ licentiam, si eam in animum demisissent.

9. Contra. Hæc enim movere non debent, ut idcirco metuamus Sanctorum Prædestinationem, & veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sicut eam Sancta Scriptura prædicat, prædicare. An enim timendum esset, ne tunc de se homo desperaret, quando spes ejus ponenda demonstraretur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus poneret? *ex cit. cap. 22. de Dono Pers.* At ex sententiâ adversariorum Prædestinationis spes nostra ita est ex homine ejusque bonis operibus, ut ista quoad exercitij actualis determinationem, secundùm quam sunt causa prædestinationis, non possint reduci in Dei causalitatem utpote de se secundùm illos Authores indifferentem, nec determinativam libertatis, sed ab istâ determinabilem. Quare prædestinatio ex meritis, non verò gratuita Dei Electio præbet scandali occasionem.

10. Verùm ad omnis scandali, quantum possumus, occasionem amputandam, consultò monemur à S. Augustino *in citato cap. 22. de Dono Perseverantiæ.* 1. Verum quidem esse, quòd ita se habet de prædestinatione definita sententia Voluntatis Dei, ut alij ex infidelitate acceptâ Voluntate obediendi, convertantur ad fidem, vel perseverent in fide: Cæteri verò, qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideò nondum surrexerint, quia nondum eos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Si qui enim nondum sunt vocati, quos gratiâ suâ prædestinavit eligendos, accipient eandem gratiam, quâ electi velint esse, & sint. Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eâdem obedientiâ permanebunt. *post mox cit. cap. 22.*

11. Nihilominus 2. hæc non ita populis prædicanda esse, ut apud imperitam, vel tardioris intelligentiæ multitudinem fideles redargui quodammodò ipsâ prædestinationis prædicatione videantur: sicuti redargueretur etiam præscientia Dei, quam negare nullus certè potest, si diceretur hominibus: *Sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit, qui falli non potest, hoc eritis.* Dolosi enim vel imperiti medici esse, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit; Sed dicendum esse: sic currite, ut comprehendatis, atque ut ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noveritis (en Præscientiæ divinæ in cursum nostrum causalitatem) ut legitimè curreretis. *ibidem.*

Nec verò 3. ex hâc Præscientiæ ac Prædestinationis opera nostra antecedentis causalitate de se efficaci debere quemquam inferre, eum, qui exorbitat de viâ justâ, non esse corripiendum, sed ei reditum & perseverantiam à Domino tantùm poscendam. Nam si secundum propositum vocatus sit iste, procul dubio illi etiam, quòd corripitur, Deus cooperatur in Bonum. Utrùm autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit nescit, facere debere cum charitate, quod scit esse faciendum: scire enim nos, ex Dei nimirum mandato talem corripiendum, facturo Deo aut Misericordiam aut Iudicium. Misericordiam quidem, si à Massâ perditionis ille, qui corripitur, Gratiæ largitate discretus sit, sitque inter vasa misericordiæ, quæ præparavit Deus in Gloriam. Iudicium verò, si non sit prædestinatus. *ex lib. de Corrept. cap. 7. in Fine.* 4. Istorum verborum: *Ita se habet de Prædestinatione definita sententia Voluntatis Dei, ut alij ex vobis de infidelitate, acceptâ obediendi Voluntate, veneritis ad fidem,* veritatem haud improbandam, sed modum loquendi moderandum. *Quid enim,* ait præcitatus Ecclesiæ Doctor, *opus est dici, alij ex vobis?* Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, cæteris facere videamur injuriam: cùm possimus congruentiùs dicere: ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei; ut ex infidelitate veneritis ad fidem acceptâ Voluntate obediendi, & acceptâ Perseverantiâ maneatis in fide. *ex lib. de Dono Persever. cit. cap. 22.* 5. Similiter coram populo non esse utendum hisce verbis: *Cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia necdum vos Adjutorium Gratiæ miserantis erexit.* Nam convenienter dici posse; si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam. Quod tamen cùm feceritis, nolite extolli de operibus vestris, aut gloriari, quasi hoc non acceperitis. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & operari pro bonâ Voluntate, & à Domino gressus vestri diriguntur, ut ejus viam velitis. De ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad Prædestinationem Divinæ Gratiæ pertinere. *ex eodem capite.* 6. Duriorem esse, quàm oporteat, hunc loquendi modum: *Verumtamen si qui estis nondum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, quâ velitis, & sitis electi.* Quare si non quibuslibet hominibus, sed Christi Ecclesiæ nos loqui cogitemus, congruentiùs dici posse. Si qui sunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, quâ velint, atque efficiantur electi. Deus enim, qui omnia, quæ prædestinavit, implevit, ideò & pro inimicis fidei orare nos voluit; ut hinc intelligeremus, quòd etiam ipse infidelibus donet, ut credant, & volentes ex nolentibus faciat. *ibidem.*

7. Denique vix quemquam in populo Christiano infirmum posse patienter audire ista verba: *Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cesseris.* Hoc enim

enim esse mala quodammodò prophetare, adeòque non in secundâ, sed in tertiâ personâ convenientiùs dici, si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eâdem obedientiâ permanebunt. *ex dicto cap. 22.* Vides igitur omnia ex periculo scandali, torporis, ac offensæ fidelium posita argumenta non movisse Sanctum Augustinum, quò minùs prædestinationem Gloriæ tanquàm meritorum & obediendi in fide ac perseverantiâ Voluntatis causam posuerit antecedenter ad opera nostra, nec nisi modum loquendi duriorem, ex quo offendi possent fideles, correxisse, imò nec adversariorum in prædestinationis post prævisa merita defensionem reproducta argumenta esse nova, sed ex inveteratâ Semipelagianorum pharetrâ deprompta, ac per Victorem Gratiæ & prædestinationis Augustinum jam antiquitùs instar anathematis in Ecclesiâ Dei fuisse suspensa tanquàm tela Goliath, non in Deo, seu Prædestinatione gratiæ, sed in operibus suis bonis tanquàm Electionis gloriæ meritorijs confidentis, ac gloriantis.

Ad Dilemma initio oppositum

17. Respondetur. Si sim prædestinatus, ex hujus Divinæ Prædestinationis causalitate fore infallibiliter mihi donandam obediendi Voluntatem, quâ in fide, & gratiâ perseverem. Unde illam sequelam illimitatè conceptam, *quidquid egero, tandem salvabor*, probandam non esse, cum potiùs dicendum esset, me ex Divinæ gratuitæ ad gloriam prædestinationis causalitate usque in finem vitæ benè agendo, fore ex Dei Electione coronâ Gloriæ infallibiliter remunerandū. Econtra verò, si non sim prædestinatus, mihi tamen à Deo esse conditionatè volitam gloriam cælestem, quæ ipsa Dei voluntas respectu gloriæ conditionata sit respectu mediorum sufficientium absoluta & efficax, ut adeò hisce medijs simpliciter potens sim bene operari, ac tendere ad finem gloriæ, etsi ex hoc, quòd non sim prædestinatus, sit infallibiliter consequens, potentiam duntaxat obediendi, non verò actualem in perseverando Voluntatem fore mihi à Deo donandam, Unde me non fore salvandum, imò damnandū, eò quòd cum potentiâ ad credendum & in fide ac gratiâ persistendum sufficiente, atque in actu primo completâ, secundùm indifferentiam voluntatis meæ Electivam seu Dominativam liberè non sim perseveraturus. Quare nec illum illimitatum loquendi modum, *quidquid egero tandem damnabor*; probari posse.

18. Instabis ex Amico *cit. sect. 4. n. 67. & 70.* quòd ex hoc evincatur, Deum pro illo signo seu instanti rationis, quo aliquos efficaciter elegit ad gloriam, alios reprobasse, excludendo à regno cælorum. Hanc autem exclusionem esse per voluntatem Dei nolentis illis Gloriam cælestem. At istam nolitionem non tantùm tollere Voluntatem omnes salvandi, sed esse dissentaneum Bonitati Dei, qui in ijs, quæ à solâ suâ voluntate pendent, omnibus se communicat, uti constat in Angelis, quibus creatis, statim se ipsum communicavit omnibus per gratiam, sicuti etiam per gratiam Capitis communicavit se statim protoparentibus, neminem ante peccatum excludendo ab istâ gratiâ. Pari ergò ratione dicendum, Deum antecedente suâ Voluntate neminem exclusisse à gloriâ, cùm tamen perpaucis, quos ad Gloriam elegisset, non verò omnibus suâ voluntate antecedente Bonitatem suam communicâsset in ordine ad finem supernaturalem, si prædestinatio ad gloriam efficax esset in Deo prævisionem meritorum antecedens.

19. Respondetur. Pro signo Electionis ad Gloriam Prædestinatorum præsupponi in Divino intellectu expressam Beatitudinis & Gloriæ Cælestis ex Dei Increatâ Bonitate ad omnes homines Communicabilitatem. In hujus verò Communicabilitatis expressione repræsentari participatam Beatitudinis creatæ omni homini communicabilis congruentiam & appetibilitatem, ut hæc tamen appetibilitas respectu Voluntatis Divinæ specificetur ex ordine ad Increatam Dei Bonitatem, tanquàm unicum Divinæ Volitionis Finem Motivum. At verò cùm Increata Deitatis Bonitas in se infinitè subsistens sit omninò independens à creaturis, ideircò participatam creaturis intellectualibus communicabilem Beatitudinem ex Increatæ Dei Bonitatis ejusquè intrinsecæ activæ communicabilitatis Motivo eatenus esse appetibilem à Volitione Divinâ, ut ex ejusdem tamen Increatæ Bonitatis in se absolutè subsistentis Motivo per libertatem Dei posset Divinæ quoque nolitionis objectum esse. Quare Deum Bonitatis 20. suæ infinitæ communicabilitatem unà cum ejusdem in se subsistentis independentiâ ostendere volentem, ita aliquibus hominibus antecedenter ad eorum merita prævisa voluisse efficaciter gloriam cælestem, ut hanc tamen alijs nollet absolutè: quamvis ad suum in omnes homines amoris affectum demonstrandum, haberet de his quoque Voluntatem salvandi conditionatam, si nimirum id congrueret Bono Universi exigenti Divinæ Bonitatis in creaturis manifestationem, non tantùm quoad Communicabilitatis infinitæ eminentiam, sed quoad ejus Esse in se subsistentis omnimodam independentiam. Quam porrò conditionatam Voluntatem esse verum ergà homines salutis affectum; quod, licèt respectu Finis Gloriæ inefficax sit, respectu tamen Mediorum ad salutem sufficientium efficaciam habeat. Manifestum igitur esse, illam reproborum à Gloriâ cælesti exclusionem, seu negativam reprobationem non tantùm non tollere verum ergà omnes homines salutis affectum, sed insuper falsum esse, quòd Deus in ijs, quæ à solâ suâ Voluntate dependent, omnibus modis, quibus potest, se velit ad extra communicare, quin potiùs hujus in pluribus communicationis nolitio maximè congruat Dei Increatæ in se perEsse suum absolutum ac independens infinitè subsistenti Bonitati: Sacrâ Scripturâ nos adhortante, ut non *Misericordiam* duntaxat, sed *Iudicium* Domino decantemus: *Misericordiam* quidem in Divinæ per participatam ante prævisa merita electis prædestinatam Beatitudinem, Bonitatis communicatione: *Iudicium* verò in ostensione Potentiæ per negationem Gloriæ non Electis volitam ex vi absoluti Dominij radicati in ejus Esse per se independenter à creaturis subsistente.

CONTROVERSIA V.

An efficax Angelorum Sanctorum Electio ad Gloriam sit in Deo antecedens eorum merita prævisa?

1. LEssius *cit. sect. 2. n. 22.* hominum ante prævisa merita prædestinationem ex eo etiam Capite reijcit, quòd pari ratione Angeli Sancti forent dicendi absoluto Decreto electi ad Gloriam ante omnem meritorum prævisionem, cujusmodi tamen Angelorũ sicut & hominum, si mansissent in statu Innocentiæ, electio gratuita non conveniat cum Doctrinâ S. Augustini.

2. Illam Lessij à pari argumentationem & consequentiam reijcit Henricus Wagnereck *disp. de Prædest. SS. Angelor. Thesi 13. & 42.* asserens, Sanctorum hominum, non verò Sanctorum Angelorum ad Gloriam Electionem ex mente S. Augustini esse Gratuitam, & antecedentem eorum merita prævisa. Fundamentum de Angelorum prædestinatione ab eodem Authore deductum est. Nam quia communibus Gratiæ Donis adjuvantur etiam reprobi, oportet, quos Deus gratis prædestinat, gratuitis quoque, & peculiaribus Gratiæ Donis perduci ad salutem. Unde si Sancti Angeli gratis forent prædestinati, accepissent specialia Perseverantiæ auxilia. Atqui hæc specialia auxilia, quibus prædestinati infallibiliter pervehuntur ad vitam æternam, non solùm dant posse, verùm etiam *Velle, & Perficere.* Ejusmodi autem Gratiæ Dona ex mente S. Augustini non esse data Sanctis Angelis Wagnereck *Thes. 4.* probat ex illius S. Ecclesiæ Doctoris *libro de corrept. & Grat. c. 12.* ita differentis. *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud Adjutorium est, sine quo aliquid non fit, & aliud Adjutorium est, cum quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen, ubi adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergò adjutorium alimentorũ est, sine quo non fit, ut vivamus. At vera Beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit Beatus: Adjutorium enim est, non solùm sine quo non fit, verùm etiam, quo fit propter quod datur: Primo itaque homini, & Angelo, qui in eo bono, in quo factus fuerat rectus, acceperat, posse non peccare, posse non mori, posse ipsum Bonum non deserere, datum est adjutorium Perseverantiæ, non quo fieret,* ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per Gratiam DEI prædestinatis non tantùm tale adjutorium Perseverantiæ datur, sed tale, ut eis Perseverantia ipsa donetur.*

CONCLUSIO.

NOn minùs Sanctorum Angelorum, quàm hominum electio efficax ad Gloriam ex mente S. Augustini est gratuita, antecedens eorum opera prævisa.

3. Probatur. Nam Sanctos Angelos per liberum arbitrium stetisse in Veritate, quibusdam econtra, quorum Princeps est Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugis factis, ait S. Augustinus *lib. de Corrept. & Grat. c. 10.* At istam Angelorum libertatem iste Sanctus Ecclesiæ Doctor *ibid.* æquiparat cum libertate primi hominis in statu Innocentiæ adhuc positi. De hoc autem primo homine S. Doctor *c. 12. circa finem* docet, ipsum ita habuisse adjutorium *sine quo* non posset perseverare, si vellet, ut tamen non haberet tale adjutorium, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Unde adjutorium *Cum quo* dans non tantùm possibilitatem, sed ipsam Voluntatem perseverandi non minùs extitisset in primo homine, si perseverasset, quàm in Sanctis hominibus ex massâ perditionis divinâ largitate discretis, ac prædestinatis. *ex cit. c. 12.* Cum igitur Sancti Angeli per liberum arbitrium steterint in Veritate, oportet hanc eorum libertatem eatenus per adjutorium *sine quo* habuisse ad instar Angelorum Apostatarum facultatem standi, ut tamen acceperint à Deo etiam adjutorium *cum quo* situm in ipsâ Divinitus donatâ perseverandi Voluntate, cùm econtra illud adjutorium primo homini, & consequenter malis Angelis defuerit. Atqui hoc adjutorium *cum quo* est illud speciale Perseverantiæ auxilium dans non *solùm posse*, sed etiam *Velle, ac Perficere*, quod ipso etiã Wagnerecko fatente est effectus Prædestinationis gratuitæ proprius. Quare oportet Angelos Sanctos esse hoc ipso gratis prædestinatos, si tale specialis Gratiæ adjutorium acceperint.

Dices ex Wagnereck. Illud adjutorium Gratiæ *cum quo* non fuisse in Angelis etiam Sanctis, sed hos per libertatem suam cum solo adjutorio *sine quo* stetisse in Veritate, S. Augustino *in cit. lib. de Corrept. c. 11.* taliter differente: *Prima est enim Gratia, quâ fit, ut habeat homo, & Angelus Iustitiam, si velit. Secunda ergò plus potest, quâ etiam fit, ut velit, quod non fuit in homine primo,* neque in Angelo, *posset enim perseverare etiam, si vellet: quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & malè.* 4.

5. Contra. Nam S. Augustinus *cit. c. 11.* faciens comparationem inter primum hominem, & Christianos Sanctos Christi Sanguine redemptos duplicem distinguit Gratiam, alteram, quâ fit, ut habeat homo Iustitiam, si velit, alterã, quâ etiam fit, ut velit. At istas duas Gratias ita se habere respectu primi hominis, & Christiani, ut iste ex conditione suæ creationis non condatur in Bono, sed egeat liberationis gratiâ, ipsam tamen esse adeò copiosam, ut non tantùm det posse, sed etiam velle, sive ipsam in Iustitiâ acceptâ perseverandi Voluntatem. Econtra primo homini inter cętera bona, quæ Bonitate sui Conditoris, non suis meritis acceperat, datam fuisse Bonam Voluntatem, in quâ illum fecerat Deus, qui hominem fecerat rectum. Insuper accepisse adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet, non tamen habuisse velle ad perseverandum in Iustitiâ. Ex quibus ad nostrum intentum ita licet argumentari. Eadem secundùm ipsos etiam adversarios est ratio liberi arbitrij, in primo homine & Angelo. 6. At in primo homine erat adjutorium *cum quo* dans ipsam bonæ operationis Voluntatem, cum quâ ille conditus est. At verò in ordine ad perseverandum erat in homine primo adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset, non tamen erat in ipso altera Gratia, quâ fieret, ut vellet. Sicut ergò in primo homine, sic in Angelo pro statu viæ distinguenda est illa duplex gratia adjutorij *sine quo* dantis posse, & adjutorij *cum quo* dantis ipsum *Velle, & Operari*, præallegato Ecclesiæ S. Doctore *lib. 12. de Civit. Dei c. 9.* attestante: *Deum cum Bonâ Voluntate, id est Amore casto, qui illi adhæserunt, Angelos creasse.* At in ejusmodi bonâ Voluntate, in quâ omnes Angeli etiam

mali creati sunt, ita steterunt Sancti, ut non discernerent se ipsos, sed Deus operaretur in ipsis bonam Voluntatem, per quam meliores effecti Dei participatione sapienter beateque viverent, D. Augustino *eod. c. 9.* ita disserente. *Si non potuerunt* Sancti Angeli *se ipsos facere meliores, quàm ille eos fecerat, quo nemo meliùs quidquam facit, profectò & bonam voluntatem, quâ meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent.* Cùm igitur speciale perseverandi in bonâ Voluntate adjutorium *cum quo* fuerit in Sanctis, non verò malis Angelis, illos oportet præ istis fuisse à Deo gratiâ prædestinatos.

7. Replicabis, S. Augustinum *cit. c. 11. de Correpţ.* asserere, quod mali Angeli ita ceciderint per liberum arbitrium, ut sancti per idem arbitrium liberum stando mererentur Beatitudinem. At si in Angelis Sanctis, non verò Apostatis fuisset non tantùm adjutorium *sine quo*, sed etiam *cum quo* non eodem modo se habiturum fuisse liberum arbitrium Sanctorum, & malorum Angelorum. Oportere igitur in Angelis, sicut etiam in homine pro statu Innocentiæ talem ponere libertatem cum solo adjutorio *sine quo* bene velle posset, & malè, nec opus fuisse adjutorio *cum quo* dante ipsum velle, & Operari, sed hoc fuisse in viribus arbitrij. In cujus adeò probationem Wagnereck ubi supra inducit præcitatum S. Ecclesiæ Doctorem *in lib. de Dono Persev. c. 7.* taliter disserentem; *Non discedere à Deo non est omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, fuerat in homine, antequam caderet. Quæ tamen libertas Voluntatis in illius primæ conditionis præstantiâ, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui, Diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.*

8. Contra. Nam eatenus est aliquid in viribus creati arbitrij, in quantum istud habet *Posse* ad operandum id, quod est in suis viribus. Hoc autem *posse* per adjutorium gratiæ *sine quo* erat eo ipso in primo homine, quòd alioquin sine culpâ suâ cecidisset, siquidem non talis fuerit naturæ, ut sine divino adjutorio posset manere in bono. *ex cit. c. 11. de Correpţ.* Ex hoc igitur, quòd in homine post lapsum non sit tale liberum arbitrium, ut in hujus viribus omninò sit, non discedere à Bono, tantùm arguitur Perseverantiæ adjutorium *sine quo* præsupponens hominem in bono positum, & dans posse manere in Iustitiâ, non sine specialis liberationis, seu redemptionis gratiâ dari homini post lapsum. Unde idem S. Doctor *c. 12. circa finem* asserit, primum hominem habuisse ad perseverandum virtutem liberi arbitrij, dum ei non deerat adjutorium Dei *sine quo*, etsi defuerit eidem adjutorium *cum quo* Deus in illo operatur, ut vellet. Constat proinde etiam pro statu Innocentiæ dandum fuisse primo homini adjutorium *cum quo* si perseverasset. Ergo à pari tale adjutorium *cum quo* nō defuit Sanctis Angelis, quibus per adjutorium *sine quo* arbitrij liberi ad perseverandum vires cum malis Angelis æquales, seu similes fuerant, etsi ab istis per adjutorium *cum quo* dans ipsam perseverandi divinę Gratiæ largitate donatā Voluntatem fuerint discreti, S. Aug. *lib. 11. de Civit. c. 9.* asserente: *Non videri ab operibus Dei absurdam sententiam, si cùm lux illa prima facta est Angeli intelligantur, & inter Sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, ubi dictum est: Et divisit Deus inter lucem & tenebras; solus quippe ille ista discernere potuit.*

9. Instabis ex Wagnereck *thes. 11.* Si ad benè operandum in Sanctis Angelis opus fuit gratiæ adjutorio *cum quo*, sequeretur non minùs Angelorum, quàm hominum Merita fuisse futura Dona Dei. At bona merita SS. Angelorum ita fuisse propria liberi ipsorum arbitrij Gratiæ generalis Dono ad actiones supernaturales elevati, ut non essent *Dona Dei*. Unde neque præmium vitæ æternæ fuisse illis gratiam pro gratiâ, *sed puram mercedem* pro gratiæ usu, D. Augustino. *cit. cap. 11. de Correpţ.* ita disserente. *Quid autem erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato? quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis Merces meriti.* Nunc autem perdito bono Merito, *in his qui liberantur, factum est Donum Gratiæ, quæ Merces meriti futura erat.*

10. Contra. Nam S. Augustinus *c. 11. & 12. de Correpţ.* in tribus comparationem hominis lapsi cum homine primo in statu Innocentiæ, nec non cum Angelis faciens, sequentia asserit. 1. Hominem quoque primum, adeòque Angelum ut esset in bonis, non suis meritis sibi comparâsse, sed Bonitate conditoris accepisse. *ex c. 11. in init.* 2. Deum creando hominem rectum, ei dedisse bonam Voluntatem, nec non adjutorium, *sine quo* non posset permanere in Iustitiâ. *ex cit. c. 11. post. med. & c. 12. in init.* 3. Per hoc adjutorium dans posse, non autem ipsum velle, & operari primum hominem, & Angelum habuisse liberum Arbitrium, quo posset non deserere malum, sed stare in bono, per quod adeo arbitrium Angelos Sanctos stetisse, malos verò cecidisse. *ex cit. 11. & 12. cap.* 4. Ad habendum istud adjutorium non indiguisse primum hominem gratiâ liberationis, imò nec eguisse gratiâ, ut reciperet bonum, quod nondum perdiderat, etsi ut permaneret in bono, eguerit adjutorio gratiæ, *sine quo* id omnino non posset. *ex c. 11. circa finem.* E contra 5. Hominem in statu naturæ lapsæ egere gratiâ liberationis etiam ad hoc, ut recipiat adjutorium *sine quo*, siquidem jam pœna peccati sit, quibus deest. *ex c. 11. circa finem.* 6. Arbitrium creatum, quod in primo homine firmum, & validum erat, ex concupiscentiâ pravâ nunc debilitatum per gratiam liberationis ita firmari in bono, ut Sanctis in Regnum Dei per Gratiam Dei prædestinatis non tantùm adjutorium Perseverantiæ *sine quo*, quale erat datum primo homini, detur, sed tale, ut eis Perseverantia ipsa donetur. *ex c. 12. post. init.* Hinc 7. Factum esse, ut Voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveràret per virtutem Dei, cùm & Voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrij, non defuturo adjutorio Dei *sine quo* non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet: Fortissimo siquidem dimisisse, atque permisisse facere, quod vellet, infirmis verò servasse, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. *ex cit. c. 12. circ. fin.* 8. Gratiam liberationis, quâ eget homo lapsus, non verò in statu Innocentiæ in eo esse perfectam, quòd prædestinati à peccato, quod est ad mortem, liberati eatenus liberentur, ut servi facti Iustitiæ, in hac stent usque in finem, donante Perseverantiam illo, qui eos prædestinavit. *ex c. 12. circa Medium.* 9. Denique libertatem omnium maximam tunc consummandam, quando liberum arbitrium non

poterit servire peccato, sicut Angelis Sanctis facta est merces meriti, sic & homini futuram fuisse, nisi per liberum arbitrium deseruisset Bonum. Nunc autem per peccatum perdito bono, in his, qui liberantur, factam esse Donum Gratiæ, quæ
11. merces meriti futura erat. *ex cap. 11. in fine.* Ex quibus articulatim positis cuique exactiùs ea ponderanti manifestum est, illam, in quâ peccare non possumus, libertatem factam Angelis Sanctis mercedem meriti, hominibus post lapsum ideò factam esse Donum Gratiæ, quia egent Gratiâ liberationis. Unde Concilium quoque Tridentinum *sess. 6. de Justif. c. 16.* ait, bene operantibus proponendam esse vitam æternam tanquàm gratiam Filijs per Iesum Christum misericorditer promissam. Hæc verò Gratia est tanquàm merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis pro statu quoque Naturæ lapsæ, & à Christo redemptæ fideliter reddenda, *ex cit. cap.* Sacri Concilij. Atqui libertas illa, per quam peccare non possumus Sanctis Angelis facta merces est in Beatitudine, seu vitâ æternâ ex S. August. *de Correpț. c. 12. prin.* Cur igitur ista libertas, quæ Angelis facta est merces, hominibus redemptis facta sit Donũ gratiæ, nõ est hujus discriminis ratio petenda ex eo, quòd hominibus per Gratiam Christi liberatis, nõ verò Angelis Sanctis fuerit donatum Perseverantiæ adjutoriũ *cum quo*, dans non
12. solùm Posse, sed ipsam etiam perseverandi virtuté. Probatur istud assumptum. Etenim S. August. *Concion. 2. in Psal. 32.* sub nomine Cælorum comprehendens etiam Angelos Sanctos, ait: non tantùm terram, ubi est miseria, esse plenam Misericordiâ, sed Cælum etiam, ubi nulla est miseria, indigere Domino, siquidem verbo Domini cæli solidati sint, ita ut non à se sibi solidamentum fuerint, nec ipsi Cæli firmitatem sibi propriam præstiterint, sed spiritus Oris Dei sit omnis virtus eorum stabilis, & firma, ac solidata. In quo adeò sensu D. Gregorius *lib. 25. Moral. c. 8. de Angelis.* asserit: *Alijs cadentibus alios à Deo fuisse solidatos, utique similiter casuros, si non solidati fuissent.*
13. Confirmatur. Nam in sanctis quoque Angelis locum habet illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti?* ex S. Anselmo *lib. de casu Diaboli. c. 7.* Ex hoc autem est, quòd nemini gloriari liceat, quasi non acceperit, sed qui gloriatur, in Domino glorietur, *1. Chorinth. 4. & 2. Corinth. 10.* At per hoc nec de ipsâ perseverantiâ Boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adjutorium, quale primò homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint; sed in eis etiã operatur & velle, utpote qui non perseverabunt, nisi ut possint, & velint perseverandi eis possibilitas & Voluntas divinæ Gratiæ largitate donetur. ex S. August. *cit. c. 12. de Correpț.* Cùm igitur Angeli quoque Sancti non habeant, ut glorientur, quasi non acceperint à Domino, sed unicè gloriari possint in Deo, per quem sunt discreti ab immundis, consequens est, ipsum etiã velle perseverandi fuisse ipsis donatum à Deo, esseque adeò gratis ad Gloriam prædestinatos.
14. Urgebis ex Wagnereck *thes. 44.* S. Augustinum *Epist. 106.* de massâ humani generis per peccatum Originale corruptâ affirmare: *Hanc Massam, si ita esset Media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur*; non frustra videri iniquitatem, *ut ex eâ fieret vas in Contumeliam.* Atqui totam Angelorum multitudinem ita fuisse *Mediam* ante prævisionem Meritorum, ac demeritorum, ut nec boni, nec mali aliquid mereretur. Ergò *non frustra videri iniquitatem*, si Deus ante prævisa merita ex innoxiâ Angelorum multitudine alios specialibus auxilijs adjuvandos gratis selegisset in vasa gloriæ, alios absque omni culpâ inter illa vasa non adscivisset.

Contra. Nam Deus intelligi potest denega- 15.
re Gratiæ auxilia efficacia tum ex Iudicio Iustitiæ supponentis in nobis peccatum, quo modo S. Augustinus *cit. c. 11. de Correpț. jam pœnam peccati esse, si cui hominum desit adjutorium gratiæ*: tum ex ratione absoluti super omnem creaturam utpote ex nihilo factam Dominij Dei, ex eo enim, quod natura etiam Angelica sit ex nihilo facta, non habet adversus Deum ullum jus in auxilium Gratiæ præsertim efficax. Ex hujus verò denegatione consequitur defectio Voluntatis. Vnde S. Augustinus *lib. 2. de Civit. c. 6. circa finem.* inquit, Angelos malos defecisse à Bono per malam suam Voluntatem, quam incæpisse ex Angelo, non quia Natura est, sed quia de nihilo natura facta est. Inter hanc proinde duplicem Divinæ Voluntatis in denegandâ gratiâ efficaci rationem ea est differentia, quòd Deus ex Iudicio Iustitiæ propter peccatum jam præsuppositum in pœnam denegando gratiæ auxilium efficax, faciat eo ipso vas in Contumeliam, dum id relinquit in massâ perditionis, econtra verò ex supremi Dominij Iure denegans gratiæ auxilium efficax, necdum faciat Vas Contumeliæ, sed conferendo adjutorium sufficiens statuerit in Angelorum etiam pravorum Voluntate, ut per libertatem suam starent, vel deficerent à Bono. Vnde verum est, Deum, apud quem nulla est iniquitas, ex Angelorum neque merentium, neque demerentium multitudine adhuc *mediâ* nullos fecisse in Vasa Contumeliæ, etsi illorum aliquibus denegârit gratiæ adjutorium *cum quo*, siquidem conferendo adjutorium *sine quo* liberum dederit arbitrium, quo ita possent perseverare, ut tamen ex se ipsis deficerent indubiè alioquin perseveraturi, ac Beati futuri, si instar bonorum Angelorum *ampliùs*, ulteriori scilicet adjutorio *cum quo* adjuti fuissent. *ex cit. lib. 12. de Civit. c. 9.* Constat proinde, Angelis malis datum fuisse adjutorium *sine quo* duntaxat, sanctis verò adjutorium *Cum quo*, id est ipsam Voluntatem perseverandi. At ista Discretio Divinæ Voluntatis aliquibus, non verò cæteris præparantis adjutorium *Cum quo* arguit, illos gratis ante prævisa merita prædestinatos fuisse ad Gloriam, ipso etiam Wagnereck *cit. thes. 44.* fatente. Fatendum igitur, Angelos Sanctos æquè, ac homines ante merita prævisa
esse gratis prædestinatos. Ratio hujus desumi- 16.
tur ex universalitate Divinæ Causalitatis. Nam hæc est emanatio secundùm Divinæ Voluntatis libertatem in ratione actionis æternæ determinativa cujuscumque creatæ realitatis à Fine usque ad finem fortiter attingens. Vnde hujus Divinæ Causalitatis effectus est omnis creata actu existens formalitas, ipsa etiam ratio Finis, & Mediorum cuicumque rei creatæ conveniens. At Gloria cælestis Angelorum respectu meritorum ipsorum se habet ut Finis, ista verò ut Media. Ergo Voluntas Divina suâ Causalitate, atque adeò liberâ determinatione attingit in Gloriâ Angelorum rationem Finis catenus

exercentis

exercentis in media, seu Merita Causalitatem Finalem, quatenus per hanc est quædam in Divinâ Voluntate quasi Excitatio Electionis Mediorum. Hæc autem excitatio Divinæ Voluntatis ad decernenda Media ad finem Gloriæ efficacia, nequit esse, nisi per intrinsecum ejusdem Voluntatis Dei Decretum. Hoc igitur per modum Intentionis ad Finem Gloriæ terminatum Decretum est antecedens Angelorum sanctorum merita, siquidem ex illo Intentionis Decreto virtualiter excitetur pro rationis instanti, seu signo posteriori Voluntas Divina ad decernenda merita, quibus merentur Sancti Angeli cælestem Gloriam.

Responsio ad Argumentum ab initio oppositum.

17. AD Lessij *n. 1.* & Wagnereck *n. 2.* oppositum Respondetur. Frustra hos laborare in torquendâ doctrinâ S. Augustini, quasi non tantùm gratuitam Prædestinationem, sed Gratiæ Divinæ adjutorium *Cum quo* in Angelis Sanctis negâsset, cùm sanè plus non dicat in objectione citatus, nisi quòd primo homini utpote non perseveranti; & à pari Angelis Apostatis sit datum perseverandi adjutorium *sine quo*, non verò *Cum quo*. Ex quo verò minimè evinci, Sanctos in Iustitiâ perseverantes Angelos non esse à Deo donatos ipso etiam adjutorio *cum quo*, per quod amplius, quàm mali Angeli dicantur *adjuti, ut sit ad eam Beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenirent. ex cit. lib. 12. de civit c. 9.*

COROLLARIUM.

18. INfertur 1. Qualiter Prædestinatio sit Liber vitæ. Nam iste liber describi potest Memoriale Patris æterni, in quo prædestinati etiam nondum in tempore nati, jam secundùm æternitatem facti Filij Dei, inconcussâ stabilitate sunt conscripti. ex S. Aug. *lib. de Corrept. & Grat. c. 9. in princ.* At verò illud æterni Patris Memoriale est ejus Præscientia per Voluntatis divinæ efficaciam actuata habens ut sic rationem Dictionis, seu Imperij, secundùm quod in Dei providentissimâ dispositione præsciti secundùm æternitatem jam vocati, Iustificati, & glorificati sunt Filij Dei, qui omnino perire non possunt. *ex cit. c. 9. post medium.* In illâ verò Dictione efficaciter ordinativâ in Vitam æternam consistit formaliter ratio Prædestinationis, *uti supra* demonstratum est. Ergo liber vitæ non differt à Prædestinatione Dei.

19. Infertur 2. Cùm illi etiam, qui non ex prædestinatione, sed solùm ex Gratiâ sunt ordinati in vitam æternam, dicantur non quidem *simpliciter*, sed *secundùm quid* conscripti in Libro vitæ, posse de his verificari, quòd de Libro vitæ per peccatum deleantur, non tamen ex parte Notitiæ divinæ, sed ex parte rei, sive Gratiæ illis inexistentis, atque adeò scitæ à Deo pro isto, non autem sequenti tempore. ex S. Tho. *1. p. q. 24. a. 2. & 3.* Ratio est. Nam Liber vitæ est conscriptio ordinatorum in vitam æternam: Hæc autem ordinatio est simpliciter ex prædestinatione, secundùm quid verò ex Gratiâ. Etsi proinde prædestinati, atque adeò secundùm propositum vocati ita sint Christo dati, ut nullus eorum pereat, sed habeat vitam æternam: aliqui tamen propter temporaliter susceptam Gratiam ita dicuntur Filij Dei in Libro vitæ conscripti, ut sint tamen ex illis, de quibus Ioannes *2. cap.* ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* De his ergo *juxta Psal. 69.* dicitur: *Deleri de Libro viventium.*

ARTICULUS II.

DE *Causis Prædestinationis.*

1. IN principio *præs. q. n. 2.* docuimus, Prædestinationem quasi integraliter includere Voluntatis Divinæ Decretum non Finis duntaxat, sed etiam efficacium ad salutem Mediorum in ordine tam Intentionis, quàm Executionis præfinitivum. Juxta quam considerationem quatuor possunt circa Causam Prædestinationis moveri difficultates. 1. *præced. art.* discussa: *An, & quomodo propria Prædestinatorum merita sint Causa eorum Prædestinationis, seu efficacis Electionis ad Gloriam?* 2. cum sequentibus *articulo præsenti* examinanda, *An electio efficax prædestinatorum ad Gloriam sit ex Meritis Christi?* 3. Circa Decretum Mediorum salutis efficacium præfinitivum. *An & quomodo Iustificatio, & Perseverantia Finalis, ac potissimum prima Vocatio uni præ altero à Deo decernantur ex Meritis.* 4. Denique per modum Corollarij deducenda. *An ex Meritis B. Virginis, vel alterius Sancti sit aliorum hominum Prædestinatio non Mediorum duntaxat efficacium præfinitiva, sed ipsa etiam Electio efficax ad Gloriam.*

CONTROVERSIA I.

An prædestinatorum ad Gloriam efficax Electio sit ex Meritis Christi?

2. DUpliciter intelligi potest, Christum meruisse Electionem hominum Prædestinatorum ad Gloriam. 1. *absolutè*, merendo scilicet eorum ad Gloriam Electionem in ratione duntaxat Dilectionis, ac Beneficentiæ erga ipsos, non autem *formaliter* in ratione Electionis, ita ut Christus indifferenter offerret sua merita pro omnibus, nec suâ humanâ Voluntate designaret hos vel illos eligendos, sed istorum in particulari designationem relinqueret Voluntati Patris, quem sequeretur humana Christi Voluntas. 2. *Comparativè*, merendo nimirum prædestinatorum in particulari Electionem, quatenus *formaliter* Electio est, ita ut Christus suâ humanâ Voluntate designaret in speciali, pro quorum efficaci absolutâ prælectione offerret sua merita.

(IHS.)

Rese;

Referuntur Sententiæ Doctorum.

3. SCotus *in 3. dist. 19. q. un. n. 6. & 10.* docet, Electos esse à Deo ad Gratiam, & Gloriam prædestinatos ante prævisionem Passionis Christi. Fundamentum est. Quia Passio Christi se habet ut Medicina contra lapsum humani generis. At Medicus priùs vult sanitatem, quàm ordinet de Medicinâ ad sanandum. Oportet ergò Deum voluisse priùs hominibus Electis Gratiam, & Gloriam, quàm Christi Passionem tanquàm Medicinam reparativam Gratiæ, & Gloriæ in semini per lapsum deperditæ.

4. Suarez *lib. 2. de Prædestin. c. 24. n. 21.* Et *3. p. to. 1. disp. 41. sect. 4.* Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo. disp. 41. c. 3. n. 9.* & alij dicunt, esse saltem probabilius: Christum non meruisse *Comparativam unius præ altero* Electionem, designando in speciali, pro quorum efficaci præelectione offerret in particulari sua Merita. Probatur. Nam profundum Electionis hominum Mysterium, totaque ratio, & modus Prædestinatorum quoad numerum eorum, & differentiam mansionum, & graduum in Gratiâ, & Gloriâ in Consilium Divinitatis reducuntur à Paulo Apostolo *ad Eph. 1. & Rom. 11.* exclamante: *O altitudo Divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt Judicia ejus.* At si Christus illam Comparativam, ac individualem Prædestinatorum electionem meruisset, oporteret fuisse prævisum, quod per Christū his potius, quam illis ita applicarentur efficaciter sua merita, ut Deus huic applicationi prævisæ, atque adeò Voluntati humanæ Christi omnimodè conformaret suam Voluntatem divinam, nec adeò Prædestinationis Mysterium reduceretur in Consilium divinæ Voluntatis, sed in arbitrium Voluntatis humanæ Christi.

5. Vasquez *1. p. disp. 94. c. 3. n. 19.* distinguit inter Sanctos Veteris Testamenti, ac novi. De his enim, qui post Verbi divini Incarnationem extiterunt, ait, se non dubitare, Christum peculiari Oratione, & Voluntate merita sua illis applicâsse, ratione cujus applicationis ipsos potiùs, quàm alios electos, ac prædestinatos esse. Secùs verò esse de Patribus Veteris Testamenti, qui licèt futuro Passionis Christi merito electi fuerint, & salutem consecuti, nullam tamen ex parte Christi fuisse causam peculiarem, ut ipsi potiùs eligerentur, quàm alij. Ratio hujus ab eodem Authore *n. 21.* deducta est. Nam oratio non fit pro præteritis. Unde non videtur, quâ ratione his potiùs, quàm alijs merita Christi applicari potuissent.

6. Ioannes à S. Thomâ *in præs. q. 23. disp. 8. a. 6.* Electionem prædestinatorum ad Gloriam in Deo, ait, esse *Meritoriè* ex Christo etiam quoad Materialem unius præ alio designationem, *Regulativè* autem, ac *Motivè* ex divinâ Voluntate antecedente Merita Christi.

CONCLUSIO.

ELectio Prædestinatorum ad Gloriam etiam comparativa quà unius præ altero præelectiva est in Divinâ Voluntate ex Meritis Christi.

Probatur ex illo *ad Ephes. 1. c. Benedixit nos Deus in omni benedictione spirituali in Cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & Immaculati in conspectu ejus.*

Nam hæc Electio nostri est ad Gloriam, in quâ per consummatam Sanctitatem futuri sumus immaculati in conspectu Dei. Hæc ipsa verò Electio est prædestinatio in adoptionem Filiorum Dei *in Gloriâ* consummatam per Iesum Christum. *ex cit. c. 1. ad Eph.* Atqui hæc ipsa prædestinatio est gratuita, utpote ex placito divinæ Voluntatis. *ibid.* Ergò gratuita Prædestinatorum Electio per Iesum Christum est ex hujus quodammodò Causalitate non physicè effectrice illius divinæ gratuitæ Voluntatis, sed hujus Moraliter excitativâ, quatenus nimirum in ipso habemus redemptionem per Sanguinem ipsius. *ex loc. cit.* Hæc verò Moralis per Sanguinem Christi nos redimentis Causalitas est meritoria. Ergò Electio nostri gratuita ad Gloriam in Voluntate divina est meritoriè ex Christo. 7.

Respondebis: Prædestinatos ita in Christo electos esse, ut tamen Christus oraret ad Patrem: *Tui erant, & mihi eos dedisti. Ioan. 17.* At hi, qui dati sunt Christo, jam erant in Memoriali Patris sui æternâ stabilitate conscripti, adeòque determinatè consignati Filij Dei. ex S. Aug. *lib. de corrept. & grat. c. 9.* Ergo ex meritis Christi non possunt ita esse electi in Christo, ut Christus eos designaret suâ oratione, seu Voluntate humanâ, & meritoriâ, sed designatos acciperet à Patre. 8.

Contra. Nam Christus Dominus *Ioan. 6.* dicit ad Apostolos. *Nonne ego duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* Atqui Electio ista, quæ erat cum particulari Personarum designatione, non erat tantùm ad Gratiam Apostolatûs, sed respectu undecim erat Electio Misericordiæ ad regnandum cum Christo, respectu verò Judæ proditoris erat Electio Judicij ad effundendum sanguinem Christi. *ex cit. lib. de Correpț. c. 7.* Sicut ergò Christi humanæ Voluntati erat potestas eligendi nominatim ac determinatè Apostolos ad regnandum cum Christo, sic per Comparativam Electionem secrevit prędestinatos à reprobis, quando pro his determinatè habens Voluntatem se sacrificandi, in cruce meruit ipsis prædestinationem, & Sanctificationem non viæ duntaxat, sed etiam Patriæ consummatam *Ioan. 17.* taliter orando: *Pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi Sanctificati in Veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per Verbum eorum in me.* 9.

Replicabis. Verum quidem esse, quòd Christus specialiter oraverit pro Electis, in hâc ipsâ tamen Oratione supponi divinam eorundem Prædestinationem, juxta illud *Ioan. 17. Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Ergò per orationem ejusmodi, seu Meritum Christi efficaciter applicatum Electi non *primò* secreti sunt, sed potiùs Electio divinæ Voluntatis erat humanæ Christi Voluntati ratio regulativa, secundùm quam oraret non pro mundo reprobò, sed pro ijs, qui Christo per Patris Prædestinationem dati fuerant. 10.

Contra. Nam quidquid est extra Deum, in æternitate jam est secundùm divinæ Voluntatis Causalitatem æternam. Hæc autem divina voluntas 11.

luntas intuitivè visa erat Voluntati humanæ Christi tota actionum Moralium regula. Unde ratione efficaci & absolutâ nolebat orare pro mundo reprobo, ut ipsi impetraret Vitam gloriæ, sed pro his solùm, quos æternus Pater suâ Voluntate consignando, habebat inter suos. In hâc autem divinâ Voluntate secundùm quædam Instantia rationis, seu signa is ordo ponendus est, ut antecedenter ad prævisam Christi orationem vitæ æternæ hominibus nonnullis efficaciter impetratoriam, haberet æternus Pater Volitionem, cujus objectum, ac effectus erat ipsa oratio, ac Meritum Christi, non tantùm in confuso pro aliquibus, sed determinate pro illis, quos Pater illius suæ Voluntatis intimatione dederat Christo, oblatum, ita ut hoc Merito, & Oratione designaret Christus, pro quibus, ut oraret efficaciter, volebat Pater. Hâc verò Christi oratione, ac Merito posteà præviso, æternus Pater ipsum exaudiens, habuit Decretum illos ipsos in adoptionem Filiorum in Gloriâ consummatam prædestinans, quos Christi humanitas suâ Oratione, ac Merito designabat, sibi tamen, ut pro ipsis oraret efficaciter datos non ex vi Prædestinationis ad Gloriam, sed per Voluntatem Patris electricem Christi Orationis, ac Meriti, quatenus efficaciter pro eis applicati.

Responsio ad Opposita Argumenta.

12. AD Scoti *n.2.* oppositum Respondetur. Deum ita velle Passionem Christi tanquàm Medium Gratiæ per peccatum deperditæ reparativum, nec non Gloriæ nostræ operativum, ut hanc totam Gloriam nostram reducat tum in suæ divinitatis, tum in humanitatis Christi Gloriam. Unde ista Christi gloria consistens in quâdam ejus Excellentiæ per Gloriam nostram ceu effectum resplendescentiâ se habet ut Finis præintentus. At hæc Gloriæ nostræ in Christi Gloriam ceu Finem reductio in eo sita est, quòd Christus salutis Author per mortem consummatus multos filios adducens, fecerit nos Sanguine suo redemptos Deo nostro Regnum. *ex Heb. 2. & Apoc. 5.* Cum igitur Passio Christi ità sit remedium Gratiæ, & Gloriæ nostræ reparativum, ut hæc tamen ipsa Gloria nostra reducatur in Christum ex Passione suâ exaltatum super omne Nomen, consequenter Gloria Christi non tantùm secundùm prioritatem Causalitatis Finalis est præintenta ad nostram in Christi regno Gloriam, sed etiam ista non est ulli Sanctorum à DEO volita nisi cum dependentiâ à Passione Christi in vi Causæ Meritoriæ, moraliter excitante divinam Voluntatem pro decernendâ efficaciter illis Gloriâ, quos Christus tanquam Regnum suum Deo destinatum suâ humanâ Voluntate designabat. Unde neganda est paritas inter Passionem Christi comparatam cum Prædestinatione Sanctorum, & Medicinam comparatam cum salute, siquidem hæc in Executione duntaxat, non verò in Intentione dependeat à Medicinâ, cùm econtra ipsa Gloriæ efficax Intentio ex parte objecti importet aliquam Causæ Moralis dependentiam à Christi Meritis.

13. Ad Suarezij *n.3.* Oppositum Respondetur. Illo argumento rectè probari, totum prædestinationis Mysterium *originativè* esse reducendum in Voluntatem divinam, utpote Decreto suo efficaci Motivam, & effectivam Volitionis, per quam Humanitas Christi Orationis suæ vim, ac Merita efficaciter applicando designabat, quos sibi à Patre datos eligebat ad regnum cœleste: Quibus adeò electis, Christi Humanitas non habebat, ut ex se ipsâ daret illud regnum, sed oportebat parari à Patre liberè acceptante illam Christi Humanitatis meritoriam designationem præmotam, & physicè electam ab illius divinâ Voluntate.

Ad Vasquezij *n.4.* Oppositum Respondetur. Non esse dubium; quin preces illæ ac supplicationes, in quibus Christus pro suâ Reverentiâ exauditus omnibus obtemperantibus sibi factus est Causa salutis, *ad Heb. 5.* efficaciæ suæ vim extenderint etiam ad Patres veteris Testamenti, non nisi per fidem in Christum venturum justificatos. Sicut ergò Christi merita, & Passio prævisa à Deo erant acceptata tanquam ratio moraliter excitativa Voluntatis divinæ vitá æternam decernentis illis tempore licet antiquioribus, in divinæ tamen Prædestinationis Ordine secundùm aliquod rationis instans posterioribus Patribus: sic quia Christus Orationem suam in Cruce cum clamore valido oblatam in Verbo cognovit a Patre æterno acceptatam pro salute Patrum illum redemptionis diem in Lymbo expectantium, poterat divinæ Voluntati se conformando easdem preces offerre tanquam causam impetratoriam, adeòque divinæ voluntatis moraliter excitativam ad Gratiam, & Gloriam Patribus illis efficaciter decernendam. 14.

CONTROVERSIA I.

An ex parte nostrâ detur Causa Prædestinationis Gratiam Iustificantem, & Perseverantiam Finalem, ac primam potissimùm Vocationis Gratiam efficacem præparantis?

NOn multùm pro hâc vice laborabimus circa Justificationis primam Gratiam, atque Finalem Perseverantiam, quas supponimus uni præ altero posse à Deo esse decretas ex merito congruo, non tamen condigno. Tota igitur difficultas est. *An antecedenter ad divinam Prædestinationem primæ ad Fidem, vel Gratiam Vocationis efficacis Præparativam possit præviderì à Deo aliquis Voluntatis nostra actus, seu consensus sive absolutus, sive conditionatus conferens ad unius præ altero vocationem?* 1.

Tripartita hæc difficultas triplicem in volvit Controversiam. Prima orta est ex Semipelagianis: Hi enim teste etiam Francisco de Lugo *lib. 1. De Deo. disp. 40. c. 1. & 3.* ita profitebantur Gratiæ ad bene operandum necessitatem, ut tamen ex nudo arbitrio nostro ponerent initium, seu conatum situm in affectu, ac desiderio Fidei, & reliquorum bonorum operum actibus prævio, qui Gratiæ divinæ ad ejusmodi opera bona adjuvantis esset de congruo meritorius, ac subinde nostræ prædestinationis Causa. Verùm istum errorem à D. August. *in lib. de Prædest. Sanctor. & de Dono Persev.* refutatum, nec non à Cælestino Papa *in Epist. 1. ad Episcop. Galliæ*, item à Concilio Arausicano *ferè per omnes Canones* damnatum 2.

 non

non opus est etiam ad refutandum ab Orco revocare.

3. Secundam Controversiam movet Scientia Media in Scholas eum in finem introducta, ut ejus Authores asserant: ex conditionatæ consensûs nostri liberi Futuritionis actuale Voluntatis Divinæ Decretum antecedentis connotatione statui efficaciam tum Providentiæ divinæ prædestinativæ, tum ipsius adjutorij libero creato arbitrio immissi. Verùm de hâc difficultate *sup. q. 5. a. 5. & q. 6. a. 5.* satis diximus; Unicum hic moturi argumentum: quod illa futuritio conditionata à suis Authoribus negetur Divinitùs esse prædestinata. Ex hoc autem sequitur, quod non sit à Deo data, seu donata, ex S. Augustino *lib. de Dono Persev. c. 17.* Gratia verò est donatio, ex eod. S. D. *lib. de Prædestin. Sanct. c. 10.* Si ergò illa Futuritio conditionata est Providentiæ divinæ in ratione Prædestinationis qua efficacis, nec non ipsius efficaciæ gratiæ formaliter constitutiva; infertur, neque Prædestinationis, neque Gratiæ divinæ efficaciam esse Gratiam, nec adeò, qui de hâc efficacia gloriatur, in Domino, sed in se ipso gloriari debere, utpote ex illa Futuritionis conditionatæ independenter à Gratiâ Dei positæ hypothesi efficaciter motum, atque adeò per illam discretum: Cujusmodi proinde absurditatem ex instituto refutat S. Augustinus *in cit. lib. de Prædestin. Sanctor. & de Dono Perseverantiæ.*

Referuntur Argumenta Adversariorum.

4. TErtia igitur Controversia hîc ventilanda excitatur à Molinâ *in Concord. q. 14. a. 13. disp. 10. & 11.* docente, facienti, quod est in se, Deum non denegare Gratiam suam, sed potius ei, qui per vires Naturæ conatur, quantum in se est, Deum affuturum suâ gratiâ præveniente, ut si velit, cooperari, consequatur adoptionem Filiorum Dei, ac tandè hæreditatem æternam. Fundamentum est ex illo *Joan. 1. Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Nam si conanti totum, quod in se est, Christus Dominus adventu suo non attulisset necessaria subsidia, dici non posset, per Salvatoris Adventum datam fuisse omnibus potestatem Filios Dei fieri, si velint. Illa verò subsidia salutis necessaria sunt partim Gratiæ actualis auxilia, quibus operamur, ut oportet ad fidem, & Salutem; tum Gratia Habitualis conferens Jus adoptionis Filiorum Dei, ac hæreditatis cælestis. Ergò Christum, quatenus dedit nobis potestatem Filios Dei fieri, oportet per merita sua in vi pacti cum Patre æterno initi obtinuisse, ut quoties ex viribus nostris conatemur facere, quod in nobis est, præstò nobis adessent auxilia Gratiæ, quibus opera bona, ut oportet ad salutem, efficeremus, ut vel sic, dum sumus in viâ, semper in manu nostri liberi arbitrij ita sit nostra salus, ut non solum naturalem honestatem, sed supernaturalem possimus cum Dei adjutorio exercere, duntaxatque per nos staret, ne convertamur ad Deum.

5. Franciscus de Lugo *cit. disp. 40. c. 6. n. 3.* duplex distinguens bonorum operum etiam Naturalium genus, in primo genere ponit actus pertinentes vel immediatè, vel mediatè ad Deum, proximè tamen ad hunc, ut ad Finem, Authoremque Naturæ referibiles: cujusmodi sunt Dilectio Dei naturalis, actus Religionis, Obedientiæ, Patientiæ, Continentiæ, Justitiæ, & quotquot à virtutibus Moralibus acquisitis eliciuntur, dicunturque opera Pietatis simpliciter honesta, & in genere moris perfecta, à quocumque fiant. In secundo genere ponit, quæ licèt aliquam honestatem subeant, pertinent tamen ad vitam præsentem, valdeque remotè respiciunt Deum Authorem, Finemque Naturæ: cujusmodi sunt, velle laborare in agro, edere, bibere, habere amicum, indumenta consuere, fabricare domum, ducere uxorem, artem discere & similia: hæc namque si fiant cum expressâ intentione referibilitatis in Deum, sive etiam cum solâ notitiâ, & intentione honestatis moralis virtutis, v.g. Temperantiæ, spectant ad primum genus bonorum operum: econtra vero, si fiant ex solâ delectatione bonis vitæ præsentis inexistente, sunt opera prava: si denique fiant ex solâ commoditate curandâ, sunt opera bona secundi generis. De illis adeo primi generis bonis operibus Lugo *citatus à n. 12.* docet; illis quandoque rependi vocationem supernaturalem, & Gratiam Justificationis, essequè adeò per Gratiam Christi, ne dentur initium Justificationis, ac Prædestinationis ex nobis.

Fundamentum est. Nam Patres, & Scripturæ sacræ passim promittunt nobis auxilium Gratiæ, si misericordes in pauperes fuerimus, si injuriam nobis factam remiserimus. ubi patet *ex Tobia 4. & 12. Ecclesiast. 3. 7. & 29. Danielis. 4.* Unde dicitur etiam *Math. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi Misericordiam consequentur.* Et *Math. 6. Si enim dimiseritis peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* At verò in ejusmodi sacris testimonijs non tam agitur de Misericordiâ dantis Eleemosynam, seu injuriam sibi factam remittentis ex supernaturali, quàm naturali etiam motivo. Huic enim Eleemosyna facta pauperibus absque ullo motivo supernaturali, sed ex solo affectu naturalis compassionis, & ex naturali motivo sublevandi miseriam pauperum, dicitur fieri ipsi Christo, juxta illud *Math. 25. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Hæc namque Eleemosyna, si ex Motivo supernaturali facta esset pauperibus, tanquàm fratribus Christi, non inducerentur *cit. Math. 25.* Justi dicentes: *Quando te vidimus Esurientem?* Cum igitur Christus Eleemosynam illam respectu remunerationis etiam supernaturalis habuerit acceptam illis verbis: *quamdiu uni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*; consequens est, ejusmodi pietatis operibus ex Motivo duntaxat naturali factis rependi à Deo Gratiam tum Vocationis supernaturalis, tum Justificationis. 6.

Hic conformiter asserit idem Lugo *c. 8. n. 24.* facienti, quod est in se per vires naturales quoad substantiam, nunquam denegari Gratiam Ordinis supernaturalis, quâ traducatur, & evehatur homo ad operandum supernaturaliter, ita ut per opera naturalis Pietatis sternatur via communis ad charitatem supernaturalem, & per honestatem humanam ad Divinam, & Gratia supponat, & perficiat Naturam, intra cujus tamen ordinem gratia naturalis eluceat, & cuncta primordia salutis, remotissimum etiam initium, & primam honestam cogitationem subministret Deus, omnisque bona Voluntas etiam naturalis Pietatis præparetur à Domino. Fundamen- 7.

8. damentum hujus Doctrinæ sumit ille Author 1. ex eo, quòd per illam expositionem nostra plena libertas, & præveniens ubique Misericordia Dei mirificè concilientur, magis recedatur à sententiâ Massiliensium, quàm per alias expositiones; siquidem in operibus sine gratiâ factis ex solâ vi naturæ nulla agnoscatur ratio meriti de condigno, nec de congruo: nulla etiam motionis, seu Causalitatis Moralis in ordine ad primam gratiam; nulla item ratio dispositionis proximæ, vel remotæ physicæ, aut Moralis; nulla porrò ratio conditionis ex pacto inito cum Christo, vel ex aliquâ lege Divinâ; nulla demum ratio removentis prohibens; nec ulla utcumque connexio operum vitæ præsentis, quæ sola fiunt sine speciali gratiâ, cum auxilijs gratuitis intrinsecè vel extrin-
9. secè supernaturalibus. 2. Quòd illa Doctrina magis conformetur Concilijs, præsertim Arausicano *can. 3.* asserenti; contradici Isaiæ, si dicatur, per Invocationem humanam posse Gratiam Dei conferri, cum potiùs ipsa Gratia faciat, ut invocetur à nobis. Unde idem Sacrum Concilium *c. 2. & 25.* profitetur, & credit, *quòd in omni opere bono nos non incipiamus, & postea per Dei*
10. *Misericordiam adjuvemur.* 3. Ab Authoritate S. Thomæ *in 1. dist. 41. a. 3. & in 2. dist. 5. q. 2. a. 1.* Item *dist. 28. q. 1. a. 4. & in quodlib. 1. a. 7.*

11. Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 8. a. 5. n. 11.* ex mente aliorum Thomistarum negat illud Axioma: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat Gratiam,* intelligi de operante ex naturæ viribus. Unde *in 1. 2. disp. 24. a. 2. n. 5.* id explicat de faciente, quod est in se ex vi Gratiæ supernaturalis efficacis, ita ut taliter operanti non ex naturâ actuum, prout à nobis, sunt, sed ex infallibilitate motionis Dei intendentis Iustificationem hominis efficaciter à se moti, Deus infallibiliter illi det Gratiam Sanctificantem.

12. Verùm huic expositioni videtur parere difficultatem Doctrina S. Thomæ *q. 14. de Verit. a. 11.* docentis: si quis nutritus in sylvis ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu Boni, & fugâ mali, certissimè tenendum esse, quòd ei Deus vel per internam revelationem inspiraret, quæ sunt credenda, vel aliquem Fidei prædicatorem ad eum dirigeret.

Conclusio.

Opera moraliter bona ordinis naturalis non possunt etiam ex pacto cum Christi Humanitate inito esse Causa moraliter excitativa Divinæ Voluntatis ad supernaturalem sive vocationis, sive Justificationis gratiam decernendam.

13. Probatur ex Concilij Arausicani secundi *Can. 6.* taliter se habente: *Si quis dixerit sine gratiâ Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis Misericordiam Dei conferri, non autem Divinitùs, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ut oportet agere valeamus per infusionem Spiritûs Sancti in nobis fieri confitetur, resistit Apostolo.* Ex quo ita licet argumentari. Sine gratiâ Dei credere, velle, conari, laborare, studere, vigilare &c. sunt opera moraliter bona Ordinis naturalis. At resistit Apostolo, quisquis dixerit, sine gratiâ Dei opera bona præfata facientibus Misericordiam, atque adeò Gratiam Dei conferri. Ergò resistit Apostolo, quisquis asserit, facienti opera moraliter bona ex viribus naturæ, Deum infallibiliter dare Gratiam.

Dices ex Molina *cit. disp. 10. Concord.* Quando liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, quantum ex se potest, ad ea, quæ sunt Fidei, addiscenda, & amplectenda, vel ad dolorem de peccatis, ac Iustificationem, tunc quidem à Deo conferri Gratiam Prævenientem auxiliavè, quibus id faciat, ut oportet ad salutem. Nihilominùs istud non eo sensu accipiendum esse, quasi eo conatu taliter operans dignus efficiatur ejusmodi auxilijs, ullâque ratione ea promereatur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quàm Pater æternus statuerunt de auxilijs, & Donis, quæ nobis Christus promeruit, merè gratis conferendis, una, eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, præstò nobis essent Auxilia Gratiæ, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus. Cujus adeò Legis inter Christum, & æternum Patrem conventæ argumentum esse tum ex eo, quòd data sit nobis potestas filios Dei fieri, *Ioan. 1.* tum quòd Deus velit omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. *1. ad Timoth. 2.* Quâ enim ratione verum esset, Deum velle omnes salvos fieri, si conantibus ex suis naturalibus, facientibusque quod in se est, vel ut fidem amplectantur, vel ut de peccatis doleant, Deus non esset semper præstò per auxilia, & Gratiam prævenientem, ut actus sint, quales oportet esse ad salutem? 14.

Contra. Nam illius inter Christum, & Patrem æternum initæ Legis triplex potest esse 15. sensus. 1. ut Gratiæ dandæ sit quædam dependentia positiva à bonis per solius arbitrij vires naturales elicitis operibus Moralibus. In hoc verò sensu non effugeret Doctrina Moliniana, quin operibus naturalibus moraliter bonis tribueret rationem vel meriti saltem congrui, vel conditionis, vel occasionis erga Gratiam ex pacto cum Christi humanitate inito dandam hoc ipso, quòd aliquis secundùm naturæ vires bene fuisset operatus. At istud vix evaderet Censuram Semipelagianismi, siquidem Cassianus ex hoc etiam redarguatur à S. PP. quòd *Collat. 13. c. 21.* bona viribus solius arbitrij elicita opera nostra, seu bonæ Voluntatis conatus posuerit non tam meritoria, quàm occasiones Gratiæ per Christum dandæ. Unde etiam Concilium Arausicanum in dicto *can. 6.* absolutè, & universaliter damnat dicentem, Conantibus sine Gratiâ, per vires adeò naturales conferri Dei Misericordiam. Atqui Misericordia ita excludit debitum ex pacto fundato super merito condigno, ut tamen in remissione Peccatorum stet cum merito congruo fundato in actibus supernaturalibus Fidei, spei, & Charitatis. Quare si Concilium tantùm definivisset, Gratiam Dei conferri, ex Misericordiâ, necdum excluderetur Semipelagianismus asserens, conantibus sine Gratiâ conferri Dei misericordiam non ex merito condigno, sed congruo,

aliquali duntaxat occasione. Cùm igitur illa universalis locutio Concilij absolutè decernat, resistere Apostolo, qui dicit, conantibus sine Gratiâ per vires adeò arbitrij naturales conferri Dei Misericordiam, seu Gratiam, non videtur evadere Semipelagianismum, quisquis dixerit; facienti, quod est in se per naturæ vires, Deum conferre Gratiam dependenter ab opere naturali moraliter bono non quà merito, sed quà occasione sive conditione.
16. Secundus igitur sensus illius cum Christo initæ Legis formari potest secundùm quandam dependentiam negativam Gratiæ dandæ ab operibus naturalibus moraliter bonis; quòd scilicet faciens, quod est in se per vires naturales, non peccet, nullumque adeò ponens Gratiæ obicem, ex vi legis æterni Patris cum Christo initæ, præstò habeat auxilia Gratiæ, quibus bona opera, ut oportet ad salutem, efficiat. At in hoc sensu difficultas est, quòd supponatur, posse arbitrium creatum solis naturæ viribus omnia peccata vitare, cujus falsitas *in t. 2.* ex instituto redarguenda hic evincitur ex eo, quod omninò fieri possit, ut in extremo vitæ constitutus Pœnitentiæ perfectæ supernaturalis peccatorum actualiter expiativæ præceptum habens eliciat actum naturalis tantum Pœnitentiæ, & tamen ad supernaturaliter dolendum duntaxat sufficiente, non autem efficaci gratiâ præventus peccet. Non igitur verum est, quòd quisquis operatur bene ex naturæ viribus, quantum potest, nullum ponat Gratiæ obicem peccando, atque adeò ex Patris æterni cum Christo initâ lege recipiat Gratiam, quâ non tantùm possit, sed etiam actu operetur, ut oportet, ad salutem.

17. Tertius denique sensus illius cum Christo initæ legis formari potest, quin ulla sive positiva, sive negativa Gratiæ per Christum dandæ sit dependentia ab operibus moraliter bonis per arbitrij vires naturales elicitis, ita ut ista se habeant merè concomitanter ad Gratiæ auxilia, quibus, ut oportet ad salutem, opera bona efficiamus. Ex hoc autem sensu sequeretur imprimis, Opera naturalia moraliter bona instar conditionis disparatæ se habere tantùm per accidens ad hoc, ut Deus vi Legis cum Christo initæ illa facienti conferat Gratiam. Deinde in illâ Molinæ Doctrinâ supponitur, extare Legem, seu Pactum Dei de conferendâ omnibus ex vi arbitrij naturalis bene operantibus gratiâ non sufficiente duntaxat, sed efficaci dante non solùm Posse, sed ipsum Efficere. At S. Augustinus *lib. de Corrept. & Grat. c. 9. & de Prædest. c. 3.* ita distinguit Gratiam, vi cujus datur Posse à Gratiâ dante ipsum Velle, & operari, ut *c. 8. de Prædest.* asserat: inscrutabilia esse Iudicia Dei in hoc, quod uni, non verò alteri det Gratiam, quâ operetur Fidem. Neque verò in Dei Iudicium inscrutabile referri deberet, quòd uni præ altero conferat Gratiam dantem Velle, & operari, si ex pacto cum Christi Humanitate inito omnibus secundùm Naturæ vires bene operantibus esset paratum Gratiæ auxilium, quo opera bona, ut oportet ad salutem, efficerent. Quamvis ergò Deus voluntate antecendente omnes velit salvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire, ex hoc tamen evincitur duntaxat, omnibus nisi peccando ponerent obicem, parata esse Gratiæ auxilia sufficientia, quibus daretur *posse*, non ipsum *Operari* supernaturale.

Replicabis ex Francisco de Lugo *cit. disp. 40. c. 6. à n. 12. & c. 8. n. 28.* Opera Pietatis naturalia esse ex Gratiâ Christi, ac præseferre rationem aliquam congruentiæ, quâ moveatur Deus, ut homini sic operanti naturaliter auxilia Gratiæ supernaturalis impendat. Quare ab operibus ejusmodi naturalibus moraliter bonis ex pacto præsertim Dei inito cum Christo, Gratiæ supernaturalis auxilium posse omninò habere dependentiam aliquam, quin salutis nostræ initium sit ex nobis. Unde Axioma illud: *Facienti, quod est, in se Deus non denegat Gratiam*, intelligi debere de homine prævento per gratiam Ordinis naturalis, & bene utente naturalibus cogitationibus, à Deo immissis, ita ut facienti, quod est in se per vires quoad substantiam naturales nunquàm denegetur gratia ordinis supernaturalis, quâ traducatur & evehatur homo ad operandum supernaturaliter. 18.

Contra. Nam prima radix, & initium Iustificationis est Fides, ex Concil. Trid. *sess. 6. de Iustifi. c. 8.* At hoc ipsum Iustificationis initium seu exordium in adultis sumitur à præveniente Gratiâ per Christum. *ex cit. sess. 6. c. 8.* Hæc autem gratia est illa præveniens Spiritûs Sancti inspiratio, atque adjutorium quoad substantiam supernaturale, sine quo homo secundùm S. Concil. *can. 3.* non potest credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, ut ei Iustificationis Gratia conferatur. At istud quoad substantiam supernaturale adjutorium, seu gratia ad Fidem præveniens, seu excitans est illa vocatio, quâ nullis eorum meritis existentibus vocantur. *ex cit. c. 8. de iustif.* In his autem verbis Franc. de Lugo *cit. disp. 40. c. 4. n. 20.* fatente, excluditur omne meritum etiam congruum. At verò illa pietatis opera naturalia secundùm eundem de Lugo *c. 6. à n. 13.* præcederent Vocationem ad Fidem tanquàm ejus de congruo meritoria & impetratoria. Quomodo ergò stabit, quòd illis naturalibus pietatis operibus conveniat congruitas movendi Deum ad Gratiam supernaturalis ordinis nunquam denegandam, quâ evehatur homo ad supernaturaliter operandum. 19.

Instabis ex eod. de Lugo *cit. c. 6. n. 26. & 29.* Opus bonum dupliciter posse conducere ad salutem, sive Iustificationem, & supernaturalem gratiam promerendam. Primò simpliciter secundùm conducentiam proportionis, & connaturalitatis cum Gratiâ sanctificante, quo modo proximæ & ultimæ ad Iustificationem, seu gratiæ augmentum dispositiones conducunt ad salutem. Ejusmodi verò dispositiones, seu opera ex quâdam connaturalitatis proportione salutis seu Iustificationis saltem de congruo meritoria esse actus fidei, Spei, Timoris, Dilectionis, Contritionis, Orationis, ac Desiderij, nec non conatus ex infusâ fide, ac Divinæ Misericordiæ Spe, sive ex affectu ad salutem profecti. Hæc proinde opera *simpliciter* ad salutem *sicut oportet* conducentia esse quoad substantiam supernaturalia, atque adeò requirere Gratiam Dei supernaturalem. Alium proinde conducentiæ modum ad salutem esse remotum, ac extrinsecum 20. 21.

tum, seu *secundùm quid*. Hunc verò consistere in quâdam congruentiæ ratione nullam de se habente proportionem cum Habituali, vel supernaturali Gratiâ. Istam verò congruentiæ rationem in eo sitam esse, quòd Divinæ Misericordiæ congruat ex operibus pietatis naturalibus allici, atque adeò se dignari ad novas ulteriorum supernaturalium operum excitationes conferendas. Cujusmodi adeò congruitatem, ac respectu salutis conducentiam convenire omni simpliciter bono naturalis Pietatis operi. Unde Patres, & Concilia dicendo, Fidem esse salutis, ac Iustificationis initium, intelligi debere de fundamento proximo, & proportionato, ita ut nullum ante fidem possit esse meritum simpliciter ad salutem, seu Iustificationem; etsi per opera Pietatis naturalia ex Gratiâ Christi elicita sterni possit remota quædam congrui-
22. tatis via ad supernaturalem Gratiam. Ratio hujus distinctionis per eundem de Lugo *cit. c. 6. n. 17. & 37.* adducta est. Tum quia ad opera Pietatis etiam naturalia exigitur Gratia per Christum, ex Concilio Arausicano *can. 3. 4. 5. 6. 9. & 14.* Ergo ex illâ Christi Gratiâ accipiunt quandam congruentiæ rationem respectu supernaturalis Gratiæ. Tum quia S. Augustinus *lib. 83. qq. q. 68.* illius Apostolici dicti: *Cujus vult, miseretur, & quem vult indurat*, reddens quasi rationem, loquitur in hæc verba. *Nam in eo, qui obduratur, præcedunt merita mala, & in eo etiam, cujus Deus miseretur, præcedunt occultissima merita.* Hanc verò sententiam non tantum non retractavit ille S. Doctor; sed *lib. 1. retract. c. 26.* videtur confirmasse asserens: *Ante illa bona merita* (scilicet ante opera naturalis etiam Pietatis) *antecedere Vocationem sine merito.*

23. Contra. Nam illa per Franciscum de Lugo asserta Operum Pietatis ad salutem conducentia vel importaret intrinsecam positivam respectu gratiæ supernaturalis congruitatem, vel ex parte operum diceret congruentiam duntaxat negativam cum connotatione Misericordiæ divinæ; cui ex se ipsâ congruit homini non ponenti peccati obicem donare Gratiam supernaturalem. At neutrum subsistit in sensu per illum insinuato. Minor probatur. Tum quia congruitas illa positiva in operibus pietatis naturalibus ab intrinseco fundaret rationem Meriti congrui. Si ergo Fides secundùm aliquam saltem congruitatem hisce operibus promereri posset, sequeretur, Fidem non esse omnis meriti radicem. At hoc apertè adversatur S. Augustino *Epist. 106.* taliter scribenti: *Restat, ut ipsam Fidem, unde omnis Iustitia sumit initium, non tribuamus ullis præcedentibus meritis, quoniam inde inci-*
24. *piunt bona, quæcumque sunt, Merita.* Tum quia nec quidquam juvat Franciscum de Lugo *cit. c. 9. n. 29.* respondentem, quòd S. Augustinus ante fidem excluserit meritum simpliciter dictum, non autem secundùm quid, cujusmodi sit in operibus moraliter bonis naturalibus. Nam si hisce operibus ante Fidem elicitis inesset positiva ad Gratiam supernaturalem congruitas, oporteret hanc intrinsecè, ac essentialiter importare habitudinem quandam ad Gratiam supernaturalem. Ex hoc autem sequeretur, opera Pietatis naturalia æquiparari operibus supernaturalibus in statu peccati mortalis elicitis, utpote non habentibus respectu Gratiæ Sanctificantis aliam, nisi congruitatis intrinsecæ habitudinem non simpliciter de condigno, sed tantùm secundùm quid de congruo proportionatam. At S. Augustinus *in cit. ep. 106. post init.* ita admittit aliquale Fidei erga Iustificationem meritum, ut asserat; *Non esse nullum meritum Fidei, quâ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus, quoniam qui se humiliat, exaltabitur.* Quare ut Gratiam veram, id est, sine meritis cogitemus, *restare, ut ipsam Fidem, unde omnis Iustitia incipit, non humano tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, siquidem inde incipiunt, quæcumque bona sunt merita*, ait S. Doctor *loc. cit.* Constat igitur de mente S. Augustini, omne ante fidem Congruitatis etiam Meritum excludendum esse, nec adeò opera Pietatis naturalia secundùm aliqualem congruitatis rationem posse Fidei meritoria esse. Tum quia eidem de Lugo nec quidquam favent citati Ca-
nones Concilij Arausicani. Nam etiam posito, 25.
quòd ad opera Pietatis naturalia esset opus gratiâ Christi, necdum inferretur, hisce operibus convenire positivam congruitatem Gratiæ supernaturalis secundùm quid meritoriam, cùm alioquin neque Iustificationis exordium esset per fidem, neque Fides esset initium omnis meriti congrui saltem conducentis *positivè* ad Iustificationem. Hoc verò adversatur Doctrinæ allegatæ tam Sacri Concilij Tridenti. *cit. c. 5. sess. 6. de Iustif.* quàm S. Augustini *sup. cit.* imò S. quoque Gregorij *hom. 19. in Ezechiel.* docentis, Cornelium non tantùm non meruisse fidem operibus naturalibus moraliter bonis, sed ante Baptismum habuisse fidem, à quâ procedebant orationes, Eleemosinæ, seu opera bona, quibus meruit venire ad Baptisma. Unde S. Augustinus *in cit. ep. 105. post. init. & lib. de Grat. & lib. arb. c. 14.* demonstrat, Omnia opera bona ad Iustificationem conducentia ita procedere ex fide, ut etiam invocatio Dei ad rerum temporalium cupiditates, & diligenda bona æterna, non sit, nisi ex fide. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* Cui qualiter consonet Franciscus de Lugo *cit. c. 7. n. 36.* ipsemet viderit. Tum quia 26.
idem de Lugo *cit. c. 6. n. 17.* malè allegat S. Augustinum, quasi *in lib. 83. qq. q. 68. & lib. 1. retract. c. 23. & 26.* docuisset; opera moraliter bona naturalia *tanquàm merita occultissima* præcedere Iustificationem. Etenim legenti citatam *q. 68. lib. 83. qq. post medium* constabit, illud occultissimum meritum Iustificationem præcedens esse ex hoc, quòd probaverint habere Deum in notitiâ. Hæc autem probatio habendi Deum in notitiâ ita importat Voluntatem credendi, ut idcirco merito Fidei tribuatur Misericordia per Iustitiam exhibita *ex cit. c. 23. retract.* Hoc ipsum verò meritum Fidei ita venit de Misericordiâ Dei, ut ad hanc etiam pertineat vocatio Fidem præveniens. *ex cit. c. 23. & 26. retract.* Imponitur ergò S. Augustino, dum dicitur tribuisse naturalibus moraliter bonis operibus aliquid meriti erga Iustificationem.

Ad summum proinde licet hisce operibus 27.
concedere congruitatem quandam negativam, quatenus eis insistentes, non peccando non impediunt Misericordiam Divinam, in quâ, non verò in illis operibus fundatur congruitas, ita ut, servantes Ius naturale, seu opera moraliter bona natu-

naturalia facientes propter merita Christi, donandi sint Gratiâ supernaturali. In quo adeò sensu accipiendi sunt SS.PP. si qui à Lugo *cit. n. 17.* adducti videantur aliquid ad Iustificationem, & gratiam supernaturalem conducentiæ Operibus naturalibus Moralibus bonis attribuere. Tum denique istâ licèt negativâ duntaxat congruitate non secundùm intrinsecum eorum valorem, sed Dei duntaxat Misericordiam admissâ, improbandus adhuc foret Franciscus de
28. Lugo *cit. disp. 40. c. 8. n. 28.* docens, *facienti, quod est in se per vires Naturales quoad substantiam, numquam denegari Gratiam Ordinis supernaturalis, quâ traducatur, & evehatur homo ad operandum supernaliter.* Etenim hæc Gratia ipsum operari supernaturale conferens foret efficax. At ipsemet Lugo *cit. c. n. 19.* asserit, Sacræ Scripturæ testimonia, quæ per Molinam afferuntur in probationem pacti inter Christum, & Patrem æternum initi de Gratiâ facienti, quod est in se, conferendâ, non procedere, nisi tantummodò de Gratiæ Sufficientis auxilijs. Illius igitur Axiomatis sensus est, quòd homini per vires naturales mediante gratiâ quoad substantiam naturali facienti, quod est in se, Deus non deneget Gratiam sufficientem salutis, cuique ex Voluntate omnes salvandi à Deo præparatam, imò gratiam quandoque efficacem ad impetrandam Iustificationem ex nullâ quidem lege, sed solâ Misericordiâ conferat.

Responsio ad opposita Argumenta.

29. AD Molinæ *n. 4.* Oppositum Fundamentum Respondetur. Ex hoc, quòd omnibus data fuerit Potestas Filios Dei fieri, solùm evinci, meritorum Christi virtute omnibus parata esse auxilia ad salutem sufficientia, non verò efficacia. Ratio Responsionis est. Nam Potestas Filios Dei fieri, dat *Posse.* In hoc autem differt efficax Gratia à Sufficiente, quòd illa det *Velle, & operari*, cùm ècontra Sufficiens det *Posse.* ex S. Aug. *sæpe citato.* Ergò ex eo, quòd omnibus data sit potestas Filios Dei fieri, non evincitur, nisi quòd omnibus paratum sit auxilium Sufficiens ad hoc, ut Filios Dei fieri possint. At hoc ipsum auxilium Sufficiens non ita dependens est à conatu liberi arbitrij naturali, ut hic illius sit Causa Meritoria, cùm alioquin initium Iustificationis, & salutis esset ex nobis; imò qualiscumque ad Dei Misericordiam impetrandam conatus præsupponit Dei Gratiam ex Concil. Arausic. *cit. can. 6.* Fallitur ergò Molina, tum quòd potestatem Filios Dei fieri ita subijciat arbitrio nostro, ut ex hujus naturali virtute pendeat, D. Augustino *lib. 1. cont. 2. ep. Pelag.* reclamante: *Dari potestatem, ut Filij Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum detur, ut credant in eum; imò nisi hæc potestas detur à Deo, nullam esse posse ex libero arbitrio.* Tum quòd conantibus ex viribus naturæ, & facientibus quod est in se, asserat præstò esse auxilia Gratiæ, quibus non detur tantùm Posse, sed ipsum, ut oportet ad salutem, Operari.

30. Ad Francisci de Lugo *n. 5.* Proposita Respondetur. Illum Authorem ex hoc quidem declinare Semipelagianismum, quòd initium Iustificationis ponat in Gratiâ Christi operatrice Operum Pietatis naturalium, non tamen satis cohærere cum Doctrinâ Concilij Tridentini *sess. 6. de Iustif.* docentis, Primam radicem Iustificationis esse Fidem: siquidem Author ille antecedenter ad fidem ponat opera Pietatis naturalia vocationis ad Fidem supernaturalis, ac Iustificationis quodammodò meritoria.

Ad ejusdem de Lugo *n. 6.* Oppositum Fundamentum Respondetur 1. Toto *Math. 25.* capitis contextu inspecto, satis constare, ibi agi de Eleemosynâ etiam supernaturali. Tum quia rependitur illi Eleemosynæ regnum Cæleste, juxta illud: *Possidete paratum vobis regnum, Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Atqui ad meritum vitæ æternæ requiritur Gratia supernaturalis. Tum quia Præmium vitæ æternæ rependitur illi Eleemosynæ, quòd sit Christo facta juxta illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* At per hoc innuitur Motivum supernaturale de Eleemosynâ Pauperibus tanquàm Christi Fratribus faciendâ. Nihilominus Respondetur 2. Si remissio injuriæ nobis illatæ, sicut etiam misericordia in pauperes sit quandoque facta ex motivo duntaxat naturali, tunc *positivè* non conducere ad impetrandam Misericordiam, seu Iustificationem, sed *Negativè* duntaxat, quatenus non posito peccati actualis obice Divina Misericordia ex se ipsâ movetur aliquando ad sufficientem, aliquando ad efficacem Gratiam, atque adeo Iustificationem sive ex opere operantis virtute Contritionis perfectæ supernaturalis, sive ex opere operato virtute Sacramenti conferendam. 31. 32.

Ad ejusdem de Lugo *n. 7.* Oppositum Respondetur. Illum Authorem ex duplici Capite venire hic redarguendum: Tum quòd in operibus Pietatis naturalibus ex Gratia licèt Christi quoad substantiam naturali elicitis, ac Fidem antecedentibus ponat remotum Iustificationis initium. Si enim Fides ex Trident. *citato* sit prima radix, ac initium Iustificationis, quomodo hujus initium priùs subsistit? Tum quòd congruitatem aliquam intrinsecam in ipsis Pietatis operibus naturalibus videatur ponere ad Iustificationis Gratiam quodammodò promerendam. Ex quo sanè videntur hæc moralia opera naturalia æquiparari operibus moralibus ex motivo supernaturali extra Gratiæ statum elicitis. Tum denique, quòd hisce operibus Pietatis naturalibus vim tribuat infallibilem impetrandi efficacem supernaturaliter operandi Gratiam, cùm tamen nè Fidei quidem supernaturali sit vis infallibiliter impetrandi efficacem subsequentem spei, Timoris Domini, Dilectionis Dei, & Contritionis actuum supernaturalem Gratiam. 33.

Ad *n. 8.* Oppositum Fundamentum Respondetur. Frustra gloriari Franciscum de Lugo, quòd per suam sententiam alijs magis recedat ab errore Massiliensium. Nam Gratiæ Christi quoad substantiam naturalis efficacia secundùm ipsum consistit in connotatione conditionatæ liberi creati arbitrij determinationis antecedentis Dei actuale Decretum, atque adeò Voluntatis Divinæ Libertatem, seu liberam Donationem. At secundùm illum Authorem per naturam inest creato arbitrio vis sufficiens ad opera Pietatis naturalia, nec nisi efficacia hujus facultatis est per Christum. An non igitur totum Iustificationis remotum initium primò radicatur in nostro arbitrio? 34.

Ad

35. Ad *n. 9.* oppositum Respondetur. Ex Concilij Arausicani *canone 5.* nos debere profiteri, *quòd in omni opere bono nos non incipiamus.* Atqui secundùm Franciscum de Lugo ex naturæ viribus inest nobis vis ad opera Pietatis naturalia sufficiens. Ex hâc verò virtute est tota efficacia per conditionatam Divinæ Voluntatis donantis Decretum antecedentem liberam Voluntatis nostræ determinationem. Hæc ipsa verò determinatio conditionata non est distincta ab absolutâ. At incipimus operari, quando liberè nos determinamus. Ergò sicuti ex viribus nostris naturalibus est determinatio libera Voluntatis nostræ antecedens Divinæ Voluntatis determinationem, atque adeò Donationem, sic in opere bono naturalis Pietatis nos incipimus Divinâ Voluntate post prævisam hanc determinationem nostram se primùm ad cooperandum determinante. At verò ejusmodi opere bono naturalis Pietatis per arbitrium nostrum posito, præsto est Gratia supernaturalis, quâ evehamur ad supernaturaliter operandum, nosque adeò disponamus ad Iustificationis Gratiam. Non igitur apparet, quomodo nos secundum Franciscū de Lugo non incipiamus, & postea per misericordiam Dei adjuvemur. Ne proinde Arausicano adversemur Concilio, fatendum est, ipsam Dei pro impetrandâ Gratiâ invocationem esse ex Gratiâ, atque adeò ex donatione divinæ Voluntatis libero suo Decreto causantis, atque adeo antecedentis liberam nostram determinationem.

36. Ad *n. 10.* Oppositum Respondetur. S. Thomam non tantum non favere Francisco de Lugo, sed *1. 2. q. 112. a. 3.* apertè docere, quòd illud Axioma: *Facienti, quod est in se, Deus non denegat Gratiam*, ita accipiendum sit, ut, quisquis per motionem Dei moventis Cor hominis ex intentione dandi Gratiam Sanctificantem secundùm arbitrij sui creati libertatem Divinitùs præventam, & actualiter motam se præparat, infallibiliter consequatur Gratiam, infallibilitate ejusmodi se tenente ex parte illius Divinæ Intentionis, ac Prædestinationis. Cui adeò Angelicæ Doctrinæ concordando loca *cit. n. 10.* allegata, nihil virium habet Francisci de Lugo ab Authoritate hujus Angelici Doctoris petita argumentatio, uti videre est apud Ioan. Bapt. Gonet *to. 4. disp. 2. a. 3. §. 5.*

37. Ad Ioannis à S. Thomâ *n. 11.* propositum Respondetur. Illius Axiomatis: *Facienti, quod est in se, Deus non denegat Gratiam*, duplicem posse formari sensum legitimum. Alter est *Positivus* ex ipso *cit. n. 11.* adductus, omninò conformis Angelico Doctori. Alter *negativus* est talis, quod faciens, quod est in se, ex viribus tum Naturæ, tum gratiæ, non ponens adeò peccati actualis obicem, non destituatur auxilijs Gratiæ sufficientibus, ex Dei de omnibus salvandis antecedenti voluntate paratis, imò secundùm quandam non in operibus moralibus naturaliter bonis, sed in Misericordiâ Dei radicatam congruitatem detur quandoque, non tamen infallibiliter Gratia etiam efficax ad actus supernaturales Fidei, Spei & Charitatis, mediantibus quibus perveniatur ad Gratiam Iustificantem.

38. Ad *n. 12.* propositum Respondetur. Apertum esse, quòd illa S. Thomæ verba non procedant de efficaci, & actuali Gratiæ Iustificantis collatione infallibiliter dandâ servanti jus Naturæ, sed de Medijs duntaxat sufficientibus non tam ex debito Honestatis operum moralium naturalium, quàm ex Voluntate Divinâ omnes salvandi antecedente cuique hominum destinatis, atque nullum ex Divini saltem naturaliter cogniti Iuris transgressione obicem ponenti actualiter conferendis.

COROLLARIUM.

INfertur. An, & qualiter unus Sanctorum possit suis meritis aliorum Prædestinationis esse Causa. 39 Nam 1. Nullus purus homo potest de condigno promereri alteri Prædestinationem ad Gratiam seu Gloriam. Ratio est: Quia meritum condignum fundatur in Gratiâ Sanctificante. Hæc autem intrinsecam habet cum Charitate connexionem. Charitatis verò effectus intrinsecus est uniri cum Deo, non Amantem duntaxat transformando in Deum, sed ipsam Divinitatis substantiam reciproco amore intra amantem trahendo: Hic autem Dei amor reciprocus respicit in animâ dilectâ Gratiam Sanctificantem. Sicut ergò Charitatis est, nunquam satiari in viâ, quin arctioris unionis vinculo sibi magis devinciat Deum, sic ratio Charitatis exigit, ut Gratia Sanctificans ad sui semper augmentum in infinitum magis perficiendum, totam valoris condignitatem consummet in subjecto merente. Cùm igitur valor meriti condignus non excedat proprij merentis subjecti in unione cum Deo in infinitum magis perficiendâ exigentiam, nequit ullius meriti ad Gratiam, & consequenter Gloriam promerendam condignus valor alteri applicari, nisi valor ejusmodi sit infinitus. At puri hominis quantâlibet Sanctitate instructi meritum ex Gratiâ Sanctificante non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad intensionem semper finitâ dignificatum, nequit esse nisi finitum. Ergò meriti ejusmodi condignus valor in proprio subjecto consummatus non potest extendi ad Prædestinationem Gratiæ & Gloriæ alteri promerendam. 2. Non repugnat, unum Sanctorum esse Causam de congruo meritoriam aliorum ad Gratiam, & Gloriam Electionis, ac Prædestinationis. 40 Ratio est. Nam Prædestinatio Sanctorum est præparatio Beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. ex S. Aug. *de Dono Persev. c. 14.* Ejusmodi verò beneficia certissimè a Massâ perditionis liberantia sunt vocatio efficax ad Fidem, & Iustificationem, nec non ipsa Gratiæ Sanctificantis infusio, ac denique Finalis perseverantia, quam consequitur Glorificatio. Atqui primam efficacem vocationem posse ab uno Sanctorum secundum ipsius Divinæ Prædestinationis ordinationem, alteri promereri de congruo, evincitur ex illo S. Augustini *de Dono Persev. c. 22.* taliter disserentis. *Si qui sunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus, fortasse enim sic prædestinati sunt, ut nostris Orationibus concedantur.*

Deinde vocatio efficax ad Fidem vivam ita connexa est cum Gratiâ Sanctificante, ut hanc quis alteri censeatur promeruisse, quisquis efficacem Conversionis Gratiam alteri promeruit. 41 At S. Stephanus in Martyrio suo pro persecutoribus orando, ita promeruit Paulo efficacem conversionis Gratiam, ut nisi orâsset, Ecclesia Dei non

non haberet illum vivum membrum. ex S. Aug. *lib. 1. ad Simplic. q. 2. & serm. 1. & 4. de S. Stephano.* Unde Justificationis Gratiam non tantùm in sui Causâ, seu dispositione, sive efficaci ad Conversionem Vocatione, sed immediatè in se ipsâ posse unum Sanctorum alteri promereri vel ex eo ostenditur, quòd ex Sancti alicujus oratione moveri possit divina Misericordia ad decernendam alteri Gratiam Justificantem, quâ vivum Ecclesiæ Dei Membrum constituatur.

15. Adhæc unum posse alteri mereri non primam duntaxat Gratiam, sed etiam Finalem, tradit non tantùm S. Thomas *q. 6. de Verit. a. 6.* sed D. quoque August. *c. 6. de Dono Persev.* ubi expresse ait, istud Donum posse suppliciter emereri. Hinc denique fit, ut Glorificationis cum finali Perseverantiâ connexæ executrix Dei Voluntas possit respicere ad alterius meritum congruum.

16. Imò Meritum ejusmodi radicatum in Christi merito infinito posse divinæ Voluntati esse rationem alterius ad Vitam æternam Electionis, non tantùm non repugnat, sed hanc prærogativã Sanctissimæ Deiparæ eatenus esse tribuendam, ut ipsa ex Christi Meritis ante omnes Sanctos prælecta, tanquàm salutis Prædestinatorum cooperatrix Merito suo congruo fundato in Christi meritis, moveret divinam Voluntatem ad reliquos Sanctos in Gloriam æternam eligendos, ac efficaciter destinandos; D. Ambrosio *in Luc. super illa verba. Ecce Ancilla.* ita disserente: *Nec mirum, si Dominus redempturus Mundum, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Unde de S. Deiparâ Virgine ante omnes alias hominum Animas Regi Christo adductas in prælectione divinâ, accipitur illud *Psal. 44. Adducentur Regi Virgines post eam.*

ARTICULUS III.

De

Effectibus Divinæ Prædestinationis.

1. Nulla momenti alicujus difficultas est circa Vocationem efficacem, Justificationem, & Glorificationem, quin asserantur Prædestinationis divinæ effectus, Apost. *ad Rom. 8.* loquente in hæc verba: *Quos enim prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autē justificavit, illos & glorificavit.* Unde

2. audiendus nō est 1. Durandus *in 1. dist. 41. q. 2.* negans, Glorificationē esse Prædestinationis effectū, eò quòd Prædestinatio sicut & Providentia, cujus pars est, non versetur circa Finem, sed circa Media. Sed contra est, quòd Prædestinatio versetur circa Media ad vitæ æternæ finem efficaciter perducentia. Hinc autem fit consequens, debere efficacem hujus Finis intentionem supponi, ex quâ adeò per Virtualem, seu rationis ratiocinatæ consecutionem ita consequatur Voluntatis divinæ Decretum efficacium salutis Mediorum præparativum, & causativum, ut consequenter hujus Decreti, seu Prædestinationis divinæ effectus omnes in efficacem Finis Gloriæ Electo destinati intentionem tanquàm primam radicem reducantur. Neque 2. audiendus est Gabriel *in 1. dist. 41. q. 1.* asserens, divinæ Prædestinationis proprium, & unicum effectum esse glorificationem, maximè cùm & Justificatio, & vocatio efficax, imò & quæcumque opera bona, solâ Finali perseverantiâ exceptâ, possint esse in Reprobis. Nam Contra est. Quòd licèt effectus proximè numerati possint esse in reprobis, peculiari tamen ratione sunt in Prædestinatis ex efficaci ad finem Gloriæ ordinatione, habente ab intrinseco infallibilitatem Finalis Perseverantiæ, ac ipsius æternæ Gloriæ causativâ. Sub hoc igitur infallibilitatis ex divinæ Prædestinationis causalitate profluentis ordine ita sunt effectus Prædestinationis proprij, ut tamen principalem inter hos teneat locum Glorificatio. Hisce adeò facilioribus suppositis, quatuor hic supersunt decidendæ difficultates. An inter effectus Prædestinationis censeri debeant 1. *Opera nostra Meritoria, prout sunt bonus Arbitrij nostri liberi usus?* 2. *Vocatio inefficax, & Gratia per peccatum interrupta, atque adeò Merita mortificata.* 3. *Beneficia Dei naturalia?* 4. *denique Peccati permissio.* 3.

CONTROVERSIA I.

Utrùm actus supernaturales, prout à libero nostro Arbitrio emanant, sint effectus Divinæ Prædestinationis?

Molina *in suâ Concord. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 10.* negat, formalitatem Libertatis in actibus supernaturalibus, sive hos actus prout præcisè emanant à libero nostro arbitrio, esse ut sic effectum divinæ Prædestinationis. Fundamentum ab eodem Molinâ *in dictâ Conc. q. 14. a. 13. disp. 37.* deductum est. Nam liberum nostrum arbitrium, & Gratia Dei præveniens se habent ut duæ partes unius integræ Causæ actûs credendi, sperandi, aut pœnitendi, prout ad salutem oportet. Quare singuli ejusmodi actus licèt pendeant ab influxu tā liberi arbitrij, quam gratiæ prævenientis, à libero tamē arbitrio habent, ut actus illi quoad Substantiam sint Credere, Sperare, aut Pœnitere: ab influxu verò Gratiæ Prævenientis habent, ut sint supernaturales, & tales, quales oportet ad salutem. 4.

Oppositum ex communi Thomistarum sententiâ tradunt Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 8. a. 4.* & Gonet. *to. 4. disp. 3. a. 3. §. 1.* 5.

Conclusio.

Usus liberi arbitrij nostri, quatenus emanat à Voluntate nostrâ liberâ, est ut sic effectus Divinæ Prædestinationis.

Probatur argumento Angelici Doctoris *præs. q. 23. a. 5.* ita disserentis. *Non est distinctum, quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione, sicut non est distinctum; quod est ex Causâ secundâ; & Causâ primâ. Divina enim Providentia producit effectus per Operationes Causarum secundarum. Unde & id, quod est per liberum arbitrium, est ex Prædestinatione.* Cujus argumen- 6.

gumentationis vis ita deducitur. Nō est distinctū, quod est ex Causâ secundâ, & Primâ. At quidquid est ex Causâ primâ, est à Deo secundùm Consilium Voluntatis suæ, ac Dictionem divini sui Intellectûs: *Omnia enim, quæcumque voluit, fecit, qui dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt.* Ergò quod est ex Causâ secundâ Deus dixit, mandavit, & voluit, ut ita fieret. Hinc autem sequitur, Deum actus quoque nostros liberos mandare, ac dicere, & velle eo modo fieri, quo emanant ex nostro Arbitrio. Hoc autem mandatum Dei est Divina Prædestinatio. Ex hâc igitur etiam emanat arbitrij nostri usus liber secundùm illam ipsam libertatis Formalitatem, prout emanat à nostro arbitrio libero.

7. Confirmatur. Nam ratio, cur id, quod est ex Causâ primâ, & secundâ non sit distinctum, à præcitato Doctore Angelico asseritur, eò quòd Divina Providentia producat effectus per Causarum secundarum operationes. At divinam Providentiam producere effectus per Causarum secundarum operationes importat istarum operationum essentialem à divinâ Causalitate dependentiam, & subordinationem. Hæc autem Dei Causalitas habens sibi subordinatas causarum secundarum Operationes est Voluntatis, ac Intellectûs Divini Decretum, ac Dictio, tanquàm actio æterna formaliter Deo immanens, ac virtualiter transiens. Sicut ergò Deus vult, & dicendo facit, ut operationes Causarum secundarum ab his emanent, sic Volitionis, atq; adeo Prædestinationis Divinæ effectus est actio creatæ liberæ Voluntatis, sub eâ etiam formalitate, secundùm quam emanat à libero arbitrio nostro: D. Augustino *lib. 1. Retract. c. 9. circa finem* differente in hæc verba: *Quia omnia bona, & magna, & media, & Infima à Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit & bonus Usus liberæ Voluntatis, qui in magnis numeratur bonis.*

Respondebis ex Molina *in cit. q. 14. disp. 37.* Etsi actus supernaturalis liber totus sit à libero arbitrio, & totus à Deo per Gratiam prævenientem tanquàm per supernaturale Instrumentum, in eundem actum influente, attamen à neutro esse ut à totâ & integrâ Causâ, sed ut à parte integræ Causæ. Hæc autem indicari per hoc, quòd dicatur ille actus liber formaliter, ac reduplicativè quà liber procedere à libero creato arbitrio, non autem ex prædestinatione. veluti habet Alarcon *hic tract. 4. disp. 4. c. 6.*

8. Contra. Nam Prædestinatione suâ præscivit Deus, quæ ipse erat facturus. ex S. August. *lib. de Prædest. Sanct. c. 10.* Hæc autem Prædestinatio est Gratiæ præparatio, per quam Deus ipsa bona opera nostra, ut in illis ambulemus, præparavit. *ex cit. c. 10.* Ergo hæc ipsa bona opera, ut in illis ambulemus Deus suâ Prædestinatione erat facturus. Atqui in ejusmodi bonis operibus ambulamus per consensum liberum. Ergò Effectus Divinæ Prædestinationis est ipse in bona Opera consensus liber *etiam formaliter, ac reduplicativè*, siquidem bona ejusmodi opera, ut in illis per liberum consensum ambulemus, sint præparata per divinæ Prædestinationis Decretum; Angelico etiam Doctore *q. 6. de Verit. a. 2. ad 11.* attestante, *Hoc ipsum, quod est velle accipere Gratiam, esse nobis ex Prædestinatione.*

9. Confirmatur 1. ex illâ S. Augustini. *c. 21. de Grat. & lib. arb.* sententiâ: *Agit Deus Omnipotens in Cordibus hominum etiam motum Voluntatis eorum, ut per eos agat, quod eos agere ipse voluerit.* Ex his itaque ejus verbis talis formatur argumentatio. Deus agit per homines, quod ipse agere voluerit. At Deus per homines agit in Cordibus eorum Voluntatis motum agendo. Ergò Deus agendo vult illū ipsum motum Voluntatis hominum, per quos agit. At ista Volitio Dei causativa motuum Voluntatis hominum est, in quâ Deus prædestinando præscit ejusmodi Divinæ suæ Prædestinationis effectus. Ergò quatenus motus Voluntatis hominum prædestinatorum sunt per ipsorum Voluntates, atque adeò quà liberè emanantes ex arbitrio eorum creato sunt effectus divinæ Prædestinationis.

Confirmatur 2. ex Concil. Trident. *sess. 6. de Iustif. c. 15* Nam Justificationis exordium, atque adeò dispositio ad illam præparans non est, nisi à Dei per Christum Iesum præveniente Gratiâ. Atqui homines ad suam ipsorum Justificationem disponuntur eidem Gratiæ liberè assentiendo, & cooperando. *ex cit. c. 5.* Ergò hæc ipsa libera cooperatio est à Gratiâ Dei per Iesum Christum præveniente. At inter Gratiam, & Prædestinationem hoc interest, quòd Prædestinatio sit Gratiæ præparatio; Gratia verò ipsa Donatio. ex S. Aug. *c. 10. de Prædest. Sanct.* Ergò quatenus illa libera hominum cooperatio formaliter, ac reduplicativè quà talis est à Deo per Gratiam, est ut sic donata, atque adeò prædestinata à Deo, estque adeò Divinæ Prædestinationis effectus. 10.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD Molinæ *n. 1.* Oppositum Respondetur. Aliam esse Gratiam Prævenientem ex parte Actûs primi, aliam verò ex parte actûs secundi: 11.
Nam gratia præveniēs se tenēs ex parte actûs primi est Forma aliqua supernaturalis Volūtati creatæ impressa ad communicandum huic vim, & activitatem operativam actûs supernaturalis. Illa autem Forma supernaturalis est in ratione Potentiæ proximè operandi totalis virtus activa, ad quam creata Voluntas se habet in ratione potentiæ duntaxat elevabilis, ac proportionabilis. Unde ex causalitate illius supernaturalis Formæ Activæ actus non accipit supernaturalitatem duntaxat, sed omnimodam formalitatem: utpote à parte rei formaliter unam, & indistinctam: Hæc adeò Fidei; ac Spei supernaturales actus vitalitatis, seu differentiæ suæ specificæ rationem habent præcisè ex Intellectu, & Voluntate; sed ab istâ tanquàm Potentiâ elevatâ, ac per formam illam supernaturalem activam proportionatâ efficienter recipiunt omnem etiam supernaturalitatis formalitatem, sicuti ab illâ supernaturali formâ Activâ tanquàm virtute elevante, ac Potentiam Vitalem naturalem proportionante recipiunt etiam vitalitatem in actu Fidei, & spei realiter formaliter indistinctam à supernaturalitate.

Deinde Gratia Præveniens se tenens ex parte actûs secundi est ipsa Causalitas divinæ Voluntatis donantis ipsum velle & Operari supernaturale. At illa Causalitas Dei *activè* sumpta importat divinæ Voluntatis Decretum, ac divini Intellectûs Dictionem effectricem actûs liberi supernaturalis secundùm omnimodam ejus formalitatem: Cui proinde activæ divinæ Causalitati 12.

litati tanquàm Causalitas Passiva respondet actio à creato libero per virtutem, seu formam supernaturalem elevato arbitrio emanans secundùm formalitatem tam supernaturalitatis, quàm Vitalitatis, ac libertatis. Constat igitur, actus Fidei, & Spei ex influxu Gratiæ prævenientis habere non tantùm supernaturalitatem, sed omnimodam Entitatum suarum formalitatem secundùm illum etiam modum, quo emanant à creato nostro arbitrio.

13. Instabis. Ratio vitalitatis formaliter importat connotationem Principij immanenter operativi. Atqui actus fidei comparatus ad Causalitatem Dei non habet rationem immanentiæ, sed ut sic est actio extra Deum transiens. Ergò ratio vitalitatis non potest intelligi in actu Fidei supernaturali, quatenus procedit a Causalitate Dei.

14. Respondetur distinguendo Minorem. Nam verum est, quod actus Fidei ex præcisâ ad DEI Causalitatem comparatione non habeat rationem Immanentiæ. Econtra falsum est, quod actus Fidei ex Dei Causalitate non habeat, ut sit emanans immanenter a principio creati intellectûs per Formam supernaturalem elevati, ac proportionati ad ejusmodi actum supernaturalem. Atqui actus Fidei quà immanenter emanans ab intellectu creato supernaturaliter intrinsece elevato habet rationem vitalitatis. Ergo ex divinâ quoque Causalitate convenit actui Fidei habere Vitalitatem. Ratio Fundamentalis est.

15. Nam Voluntas divina se habet ut Causa extra ordinem existens, ac profundens extra se totum Ens, omnesque ejus differentias. ex S. Thomâ *6. Metaph. Lect. 1. & 1. Periherm. lect. 14.* Ergo illam quoque formalitatem, secundùm quam actus supernaturalis liber emanat à creato arbitrio, necessum est, procedere ex Dei Causalitate. At Dei Causalitas est secundùm Intellectum, & Voluntatem, quatenus Deus Voluntatis suæ Decreto determinate volendo formalitatem à se factibilem, eam *signate* dicit, ac dicendo facit. Ergò actus creatus liber *reduplicative* quà procedens à Voluntate creatâ liberâ, *signate* secundùm hunc emanationis modum causatur à Divinâ Volitione, ac Dictione, atque adeo Prædestinatione.

CONTROVERSIA II.

An vocatio inefficax, & Gratia per peccatum interrupta, nec non Merita mortificata sint effectus Divinæ ad Gloriam Prædestinationis?

1. FRanciscus de Lugo *lib. 1. Deo. c. 2. n. 7.* Valentia *1. p. disp. 2. q. 23. punct. 3.* negant: Vocationes inefficaces prædestinatis collatas esse prædestinationis effectus. Probatur. Nam Electio efficax Prædestinatorum ad Gloriam non movet nisi ad Electionem Mediorum, & auxiliorum efficacium: in hoc enim distinguitur à Volitione simplici Gloriæ reprobis etiam communi. Ergò vocationes, vel auxilia inefficacia non ad Prædestinationem, sed ad communem supernaturalem Providentiam pertinent.

2. Vasquez *1. p. disp. 93. c. 3.* negat, Gratiam peccato interruptam (eadem est ratio de meritis mortificatis) esse Prædestinationis effectum. Probatur. Quia talis justificatio prout præcedit culpam lethalem, est communis etiam reprobis, & quamdiu per peccatum est interrupta, nihil confert ad vitam æternam, donec per pœnitentiam reparetur. At tunc ex vi novæ ac specialis Providentiæ reducitur prædestinatus ad viam salutis. Ergo ista justificatio, prout antecedit peccatum, non est prædestinationis effectus, sed prout reparatur per Pœnitentiam.

Suarez *lib. de Prædest. c. 4. & 6.* Herizo *disp. 30. c. 2.* Ioannes a S. Thomâ *cit. disp. 9. a. 3.* Gonet *cit. disp. 3. a. 2.* & Thomistæ communiter affirmant, Gratiam peccato interruptam, quà primo etiam collatam, nec non inefficaces Vocationes esse effectus divinæ Prædestinationis. In quo tamen Gonet controvertit cum Ioanne à S. Thoma, quod hic *cit. a. 3. n. 10.* asserat, Vocationes inefficaces esse Prædestinationis effectus elicitos, ille vero *cit. a. 2.* dicat esse effectus duntaxat Imperatos. 3.

CONCLUSIO.

VOcationes etiam inefficaces, nec non Gratia per peccatum mortale interrupta, ac merita mortificata non secundùm reparationem, ac revivifcentiam duntaxat, sed ut primò collata sunt in Prædestinatis per se effectus eliciti divinæ Prædestinationis.

Probatur. Efficax Gloriæ intentio per modum Finis Electo præordinati respicit non Gloriam duntaxat Essentialem, sed etiam accidentalem cum toto utriusque augmento sive intensivo, sive quomodolibet etiam extensivo. Unde quidquid est Mediū ex Divinæ Præordinationis causalitate per se conducēns ad Gloriā, sive essentialē, sive accidentalem, ejusve augmentū physicè aut moraliter causandū, est hoc ipso effectus per se, ac elicitus Divinæ Prædestinationis. Atqui Gratia peccato mortali non ita extinguitur, quin reviviscendo per Pœnitentiam, tanquàm Medium cum Beatificâ Visione intrinsecè, ac essentialiter connexum sit per se conducens ad Gloriam essentialem, ejusve augmentum. Deinde vocationes inefficaces sunt Beneficia Dei supernaturalia. Ergò in ratione objecti movere possunt ad Gratitudinis supernaturalis actum, sicuti earundem non Usus culpabilis ad Pœnitentiam ex Motivo supernaturali eliciendam. Imò Beati Vocationes ejusmodi duntaxat inefficaces, & sufficientes ex divinæ Bonitatis immensâ liberalitate in se derivatas intuendo in Verbo, per Voluntatem Divini Amoris flammâ succensam excitantur non ad Gratitudinem duntaxat, sed concipiunt intra se Gaudium quoddam, ceu Præmium accidentale de Divinitatis ergà se communicatione pro statu viæ exhibitâ quoad Gratias etiam inefficaces. Constat igitur, tum Gratiam Sanctificantem peccato Mortali interruptam ac pœnitentiâ reparatam, tum Gratias inefficaces ceu Media ex Divinâ Causalitate Efficaciter conducentia ad Gloriam saltem accidentalem esse per se effectus Prædestinationis. 4.

Dices: Gratiam peccato Mortali interruptam non posse efficaciter conducere ad Gloriam, 5.

nisi sub

nisi sub conditione, & statu reparationis. At non illam Gratiam, quæ peccato Mortali extincta est, sed aliam realiter numero distinctam esse sub statu reparationis. Hanc igitur, non verò illam conducere efficaciter ad Gloriam, esseque adeò Prædestinationis effectum.

7. Contra. Nam Gratia Sanctificans, sicut & merita nunquàm interrupta non nisi sub statu Perseverantiæ Finalis sunt Media efficaciter causativa Gloriæ cælestis. At istud non ita accipiendum est, quòd Perseverantia duntaxat sit salutis Medium efficax, quin potiùs ipsa Gratia secundùm se sit ex vi connaturalis exigentiæ causativa Gloriæ. Pari ergò ratione Gratia peccato interrupta, licèt non nisi sub statu reparationis sit salutis Medium efficax, potest secundùm se efficaciter conducere ad Gloriam, atque adeò esse effectus Divinæ Prædestinationis.

8. Probatur istud Assumptum. Nam Gratia in statu reparationis includit etiam primum Gratiæ gradum, qui per peccatum ita fuit deperditus, ut reparatus fuerit per Pœnitentiam. Hic ipse verò Gradus primus, etsi materialiter, ac Entitativè non sit idem numero, qui fuit ante peccatum; est tamen idem æquivalenter quoad rationem commensurationis connaturaliter exigentis Gloriam, atque hujus primum gradum moraliter causantis in vi, ac vice Gratiæ prioris deperditæ. Hæc autem Gloriæ per Gratiam effectrix Causalitas est ipsum Divinæ Voluntatis Decretum Gratiæ ad Gloriam efficaciter ordinativum, atque ut sic prædestinativum. Si ergò istud Decretum Gratiæ non in reparationis duntaxat, sed primæ etiam Justificationis statu collatæ sit actualiter in Gloriam ordinativum, sequitur, primam etiam gratiam peccato interruptam esse objectum per se volitum, atque adeò effectum Divinæ Prædestinationis. At eo ipso, quòd Gratia reparata primum Gloriæ gradum moraliter causet in vi, ac vice primæ Justificationis deperditæ, sequitur, illud divinæ Prædestinationis Decretum esse Gratiæ non tantùm in reparatione, sed in primâ etiam Justificatione suæ Causalitatis efficaciâ ordinativum in finem

9. Gloriæ. Probatur istud Assumptum. Nam Gratia reparata in vi, ac vice primæ Iustificationis influit in primum Gloriæ gradum, quatenus divina Voluntas sui Decreti efficaciâ, & Causalitate ità coordinat primam Justificationem cum Gratiâ reparatâ, ut primus Gloriæ gradus respondeat primæ Justificationi ex illius Gloriæ gradûs intentione efficaci à Deo collatæ, & in Gratiâ reparatâ *æquivalenter* restitutæ. Ex hoc ipso igitur, quòd in gratiâ reparatâ sit aliquis gradus respondens primæ Justificationi deperditæ, sequitur, primam Justificationē ex divinæ Voluntatis Ordinatione habere aliquē respectum ad illum Reparatæ gradum, atque hoc mediante habere ordinabilitatem efficacem ad primum Gloriæ gradum, esseque

10. adeò effectum divinæ Prædestinationis, utpote illam primam Justificationem efficaciter ordinantis ad præfatum Gloriæ gradum. Ratio fundamentalis deducitur ex illo *ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti: Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui.* Ex hoc enim elucet, Prædestinationis Divinæ Causalitatem eousque se extendere, ut prædestinatis omnia cooperentur in Bonum. Inter hæc autem in Bonum cooperantia sunt Vocatio prima & Justificatio prima, juxta illud: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, quos autem vocavit, hos & justificavit.* Atqui prædestinationis Divinæ Causalitas se habet non ad Iustificationem duntaxat primā, sed ad omnia in Bonum cooperantia, ita ut hæc omnia in Finem Gloriæ efficaciter ordinata etiam inter se coordinet, quatenus unum immediatè, reliqua verò mediatè attingunt Finem Gloriæ. *ex citato sacro textu.* Ea verò Mediorum ad unum Finem coordinationis est ratio, ut media remotiora æquivalenter, seu virtualiter maneant in propinquioribus, atque his mediantibus influant in Finem causando hujus consecutionem. Unde prima quoque Justificatio peccato extincta, etsi suâ Entitate non attingat aliquando Finem Gloriæ, ex ordinatione tamen divinæ prædestinationis ita manet virtualiter, ac æquivalenter in Gratiâ reparatâ, ut in vicem illius detur gradus gratiæ peculiariter respondens primæ Justificationi deperditæ, qui adeò gradus gratiæ in reparatione datus intuitu primæ Justificationis, hujus tenendo vices, ita secundùm connaturalem exigentiam, ac divinæ Prædestinationis acceptationem est causativus Gloriæ, ut ex ejusdem Divinæ Prædestinationis ordinatione in gloriam mediatè influat prima quoque Justificatio deperdita. Hæc igitur censenda est inter effectus Divinæ Prædestinationis.

Respondetur ad Opposita Argumenta.

AD Francisci de Lugo *n. 1.* Oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd Sanctis secundùm propositum vocatis omnia cooperentur in Bonum, oportere gratijs etiam inefficacibus inesse aliquid efficaciæ ad cooperandum in Bonum. Aliam verò esse efficaciam in ratione Causalitatis efficientis, quam ita propriam esse Vocationi, quæ est secundùm propositum, ut quoad istam efficaciæ rationem nequeat Vocatio inefficax esse Divinæ Prædestinationis effectus. Aliam proinde hujus Vocationis efficaciam esse in ratione objecti per Divinæ Prædestinationis motionem excitantis in hâc viâ ad Gratiarum actionem supernaturalem, vel dolorem ex non usu Gratiæ ejusmodi conceptum, vel ad Gaudium in statu Gloriæ accidentale. Secundùm quam proinde efficaciam Vocationes inefficaces ita esse in Prædestinatis effectus Divinæ Prædestinationis, ut ex hujus Causalitate fluant illæ ipsæ inefficaces vocationes *objectivè* moventes ad præfatos effectus supernaturales. 11.

Ad Vasquezij *n. 2.* Oppositum Respondetur. Gratiam peccato interruptam dupliciter posse spectari. Primò secundùm se præcisè, quo modo est communis etiam reprobis. Secundò secundùm sui ad Finem Gloriæ Ordinabilitatem, quâ ex divinæ Prædestinationis ordinatione connexam cum gradu gratiæ reparatæ respondente primæ Justificationi, atque in vi, ac vice istius influente in Gloriæ gradum primæ illi Justificationi commensuratum. Sub quâ proinde ratione primam Justificationem ita esse divinæ Prædestinationis effectum proprium, ut nequeat esse communis reprobis. 12.

Instabis. Gratia Adami per peccatum deperdita ita fuit per Christum reparata, ut Primæ ejus Justificationi responderet primus gratiæ re- 13.

 paratæ

paratæ gradus actualiter influens in Gloriam Cælestem. At prima Adami Justificatio nequit fuisse ipsius prædestinationis ad Gloriam effectus. Pari ergò ratione licèt Gratia prima homini per Christum collata, sed per peccatum interrupta vi Pœnitentiæ ita reparetur, ut in hâc reparatione respondeat primæ Justificationi peculiaris Gratiæ gradus in Visionis Beatificæ consecutionem efficaciter influens, non obinde sequitur, primam Justificationem peccato interrupta in esse effectum Divinæ Prædestinationis.

14. Respondetur. Disparem pro præsenti esse rationem Gratiæ post Christum datæ, & in statu Innocentiæ Adamo collatæ. Etenim ut prima Justificatio peccato deperdita sit effectus Divinæ ad Gloriam Prædestinationis, oportet illam ita esse datam ex efficaci divinæ Prædestinationis Intentione, ut hæc illam ipsam primam Justificationem ordinando in Finem Gloriæ, faciat eam ita coordinari cum Gratiâ reparatâ, ut in hâc sit peculiaris aliquis gradus in vi, ac vice primæ Justificationis influens efficaciter in Gloriæ actualem consecutionem. Hic ipse vero influxus ex parte Dei est Causalitas divinæ Prædestinationis intrinseca, ex parte verò prædestinati est ipsa Gloriæ assecutio non nisi secundùm divinæ prædestinationis ordinationem in ratione effectûs actualiter connexa cum primâ Justificatione virtualiter, ac æquivalenter manente in gradu gratiæ reparatæ. At illa divinæ Prædestinationis Causalitas eo ipso non potuit se extendere ad primam Adami in statu Innocentiæ Justificationem, quod prædestinatio Sanctorum non sit nisi ex meritis Christi post prævisum Originale peccatum prædestinati, secùs autem est de Sanctis post Christi redemptionem justificatis: horum enim Justificationem primam esse ex Causalitate divinæ Prædestinationis, sicut etiam omnium in Bonum cooperationem, clarè evincitur *ex c. 8. ad Rom.* Constat igitur, primam Sanctorum Christi Sanguine Redemptorum, non verò Adami in statu Innocentiæ Justificationem esse Divinæ Prædestinationis effectum.

CONTROVERSIA III.

An, & quæ Beneficia naturalia sint effectus Divinæ Prædestinationis.

1. RAtio effectûs Divinæ Prædestinationis est ordinabilitas Medij actualiter attingens Finem æternæ Gloriæ. Illa verò Mediorum in Finem Gloriæ ordinabilitas alia est intrinseca, cujusmodi inest effectibus quoad substantiam supernaturalibus, cum Lumine Gloriæ intrinsecè proportionatis, qui proinde ex Causalitate Divinæ Prædestinationis ita sunt efficaces ad Visionem Beatificam moralis, vel physicæ connaturalitatis influxu actualiter causandam, ut dicantur effectus Eliciti Divinæ ad Gloriam Prædestinationis. Alia verò Mediorum in Finem Gloriæ ordinabilitas est purè extrinseca, cujusmodi est in rebus, seu Bonis naturalibus, non ex intrinsecâ connaturalitatis sive congruâ, sive condignâ proportione, sed ex Voluntatis divinæ Decreto duntaxat extrinseco ad Finem æternæ Gloriæ consecutionem ordinabilibus, ex quâ proinde Divinæ Prædestinationis ordinatione extrinsecâ dicuntur hujus effectus Imperati.

De his adeò Divinæ Prædestinationis Imperatis effectibus controvertitur inter Doctores circa tria bonorum naturalium genera. 1. *Circa substantiam Prædestinati, nec non ejus temperamentum, Ingenium, Vires, ac reliquas proprietates, & Mortem ipsam, nec non peculiares Nativitatis circumstantias.* 2. *Circa opera naturalis Ordinis moraliter bona à Prædestinato elicita.* 3. *Circa res externas naturales per modum Instrumenti, vel adjumenti Prædestinato deservientes ad virtutum exercitia.* 2.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

VAsquez *1. p. disp. 93. c. 4.* Dona Gratiæ & creationis distinguens inter gratias Christi, ac Divinæ Electorum ad Gloriam Prædestinationis effectus recenset, quæcumque, licèt naturalis sint Ordinis, conferunt ad Pietatem, ad rectè vivendum, & in Gratiâ perseverandum: cujusmodi ait *n. 27.* esse Mortem etiam præmaturâ liberantem istum à peccato sibi imminente, nec non circumstantias Nativitatis dantes occasionem salutis, sicut bonam quoque educationem, ac similia Justificationi, seu perseverantiæ proficua. E contrariò idem Author *n. 28.* negat, Dona creationis, seu naturalem hominis constitutionem, ac temperamentum spectare ad effectus Gratiæ Christi, ac Prædestinationis. Fundamentum est. Nam distinguere oportet inter Gratiam Creationis, & Prædestinationis, juxta mentem Augustini, cæterorumque Africæ Patrum *Epist. 95. circa med.* scribentium in hæc verba: *Etsi enim quâdam non improbandâ ratione dicitur Gratia Dei, quâ creati sumus, quia non præcedentium aliquorum operum Meritis, sed gratuitâ Dei Bonitate donata est, alia est tamen, quâ prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur, ut dicere possimus, Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Illius verò inter creationis, ac Prædestinationis Gratiam distinctionis ansam dedit fraus Pelagij, qui Patrum Concilij Palæstini Doctrinæ, *quòd Gratia Christi sine meritis detur,* subscribens, dolosè intellexit sub *Gratiâ Christi Gratiam Creationis.* Ad quem proinde errorem devitandum oportet, sub Gratiâ Christi intelligere gratiam Prædestinationis utiquè distinctam à gratiâ creationis. Ergò creatio, atque adeò substantia Prædestinati non est divinæ Prædestinationis effectus. 3.

Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 9. a. 5. n. 2.* negat quidem, substantiam Prædestinati secundùm se esse Prædestinationis effectum, attamen concedit ejus circumstantias, Nativitatis v. g. ex talibus parentibus, cum tali temperamento, aut Ingenio, vel similibus posse Prædestinationis effectus esse. Fundamentum de Substantiâ Prædestinati inducitur ab eodem Authore *n. 5.* Cùm enim Prædestinatio sit Providentia specialis ad finem supernaturalem, oportet effectum talis Providentiæ esse sub respectu, & ordine ad talem Finem. At iste respectus non potest fundari in substantiâ prædestinati secundùm se, eò quòd naturalis sit, ac indifferens ad finem prædestinationis. Ergò Substantia Prædestinati secundùm 4.

cundùm se, omni aliâ remotâ circumstantiâ, non est effectus Prædestinationis.

5. Ioannes Baptista Gonet *pres. disp. 3. a. 4. §. 1.* ipsam quoque Prædestinati substantiam ponit effectum Prædestinationis. Fundamentum est. Nam *Genes. 25.* dicitur, ubi Isaac rogavit Dominum pro uxore suâ Rebecca, istam concepisse, ac genuisse Iacob. Ex hâc autem sacrâ Historiâ S. Doctor *hic a. 8. in arg. sed contra* probat, Prædestinationem juvari Sanctorum precibus. Atqui Prædestinationem juvari Sanctorũ precibus est, illius effectus obtineri precibus Sanctorum. Ergò ex eo, quòd Nativitas Iacob fuerit obtenta precibus Isaac, sequitur, generationem Substantiæ Iacob productricem fuisse effectum Prædestinationis.

Conclusio.

Substantia, & quævis naturalia Bona Prædestinatorum sunt effectus Divinæ ipsorum ad Gloriam Prædestinationis.

6. Explicatur & Probatur. Nam humani generis creatio, & recreatio secundùm diversa signa ita comparantur ad Divinam Voluntatem, ut hæc pro signo priori decreverit producere primos parentes ac omnium ex eorum semine prodeuntium Voluntates in ipsos transfundere. In quo adeò Decreto supponebatur Causalitas in æternitate ex parte Dei effectrix substantiæ quorumvis hominum de stirpe Adæ inclusorum in ejus voluntate. Pro signo igitur posteriori recreationis, prævisio jam peccato primorum Parentum, & maculâ totius humani generis originaliter inde contractâ, Divina Voluntas ita prædestinavit Christum, ut esset Primogenitus in multis Fratribus præeligendo, quos ab æterno Patre sibi datos Christi Humanitas in Verbo viderat. Hanc autem præelectionem ita ratam habuit Pater æternus, ut quos voluisset Christi Humanitas ad æternam Gloriam destinatos, illis ex efficaci vitæ æternæ intentione vellet Dei voluntas omnia cooperari in Bonum. At ista omnium ex efficaci Finis Gloriæ in Bonum cooperatio intelligi nequit, nisi cum omnium Bonorum, etiam naturalium, ipsius quoque Substantiæ Prædestinati ad vitam æternam ordinatione. Hæc autem in Divinâ Voluntate subsistens ordinatio est ipsa prædestinatio. At verò Divinæ Voluntatis ea vis est, ac efficacia, ut per ejus Causalitatem intrinsecam denominetur in æternitate factum, quidquid ejus Providentissimâ dispositione continetur absolutè volitum. Ergò quia substantia, seu Existentia Prædestinati tanquàm ex efficaci Finis æternæ gloriæ intentione conducens, seu cooperans in Bonum salutis, est absolutè volita per Divinæ Prædestinationis, seu in vitam æternam præordinationis Decretum, sequitur, ejusmodi substantiam esse omninò effectum Divinæ ad Gloriam Prædestinationis.

Reponsio ad fundamenta opposita.

7. Ad Vasquezij *n. 3.* Respondetur. Eatenus esse distinguendum inter Gratiam creationis, & Prædestinationis, ut non illam duntaxat cum Pelagio, sed etiam hanc cum Patribus Orthodoxis dicamus esse sine nostris meritis. At verò aliam gratiam Prædestinationis, uti Dona Dei supernaturalia esse intrinsecè proportionatam Fini æternæ Gloriæ, cujusmodi adeò esse effectũ per se proportionatum elicitum Divinæ Prædestinationis. Aliam verò Prædestinationis Gratiã ita esse intrinsecè Ordinis naturalis, ut non nisi secundùm Divinæ Voluntatis elevationem ac ordinationem extrinsecàm sit ordinabilis in Finem Gloriæ, cujusmodi esse Bona naturalia, quæ sub diverso adeò respectu spectent ad Dona tam Creationis, quàm Prædestinationis. Hunc verò diversum eorundem naturæ Donorum respectum se tenere ex Divinæ Voluntatis Causalitate, secundùm quam ex intrinsecâ Divinitùs in se causatâ Entitate ita sunt intra naturæ limites, ut secundùm extrinsecam Divinæ Prædestinationis ordinationem efficacem spectent *Imperativè* ad statum supernaturalem, & Gratiam Christi. Iuxta quos adeò Bonorum naturalium respectus diversos S. Augustinum loquendo de Existentiâ hominum *nudè secundùm rationem suam intrinsecam* consideratâ *ep. 105.* dixit: *Christum non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impijs mortuum esse, ut justificarentur.* Econtra de Prædestinatorum Existentiâ, quatenus in vitam æternam *extrinsecè* præordinatâ idem Ecclesiæ Doctor *cit. epist. 105.* asseruit: *Propositum Dei manere secundùm electionem, quâ facit eligendos, non quâ invenit illos.* 8.

Ad Ioannis à S. Thomâ *n. 4.* oppositum Respondetur. Respectum sub quo substantia Prædestinati est ordinabilis ad Finem supernaturalem æternæ Gloriæ non tam fundari in illius substantiæ Entitate intrinsecâ, quàm Divinæ Voluntatis efficaciâ extrinsecâ. Nam per istam Voluntatis Dei prædestinantis causalitatem fit, quòd omnes Causæ naturales, ipsorum etiam Cælorum motus, in quantum eorum officio perficitur Prædestinatorum generatio, & sustentatio, juvent prædestinationem, sintque hujus adeò effectus. ex D. Thomâ *in 1. dist. 14. q. 1. a. 4.* Si ergò Causæ naturales sint Prædestinationis effectus, cur non ipsa quoque generatio Electorum? 9.

Ad Gonet *n. 5.* Argumentum Respondetur. Illo argumento rectè probari, ipsam Iacobi conceptionem, atque adeò primam Existentiam esse Divinæ Prædestinationis effectum, nec obstare, quòd illa ipsa existentia antecedenter ad Divinam prædestinationem intelligatur à Deo jam intenta pro illo signo, in quo Divina Voluntas ante prævisum Originale peccatum, ac Verbi Divini Incarnationem decrevit omnibus hominibus existentiam. Etenim volitio cujuscumque rei absoluta in Deo est hoc ipso effectrix ejus Causalitas. At non repugnat, eandem Prædestinatorũ existentiam secundùm se decretatam ante Originale peccatum, intuitu Verbi Divini Incarnati esse pro signo prædestinationis posteriori adhuc specialiter volitam ex efficaci Finis æternæ gloriæ Intentione. Ergò sub hoc respectu eatenus potest esse Divinæ Prædestinationis effectus Imperatus, ut licèt S. Thomas *Lect. 6. sup. c. 8. ad Rom.* asserat, Prædestinationem incipere impleri in vocatione, id tamen accipiendum sit circa effectus Prædestinatio- 10.

stinationis elicitos, ac proportinatos, non verò circa Imperatos, & improportionatos, siquidem quoad istos in ipsâ prædestinati productione impleri incipiat prædestinatio.

CONTROVERSIA IV.

An Malum, eiusvè Permißio sit effectus Divinæ Prædestinationis?

1. DUplex distingui solet Malum, Naturæ scilicet, & Culpæ. De Malis Naturæ, aut Pænæ non est difficultas, quin esse possint, imò de facto sint in Electis effectus Prædestinationis. Nam ejusmodi Mala causari à Deo, evincitur *ex illo Ecclesiastici 11. Bona & Mala Vita, & Mors, Paupertas, & honestas à Deo sunt. Et Amos 3. Si erit malum in Civitate, quod non fecerit Dominus.* At illa ipsa mala conducere etiam Electis ad Gloriam seu Finem vitæ æternæ, ostenditur ex illo sacro textu: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Cùm igitur Prædestinatio sit omnium in Sanctis secundùm propositum vocatis in Bonum salutis cooperantium seu conducentium causa; consequens est, mala naturæ, aut pænæ esse Divinæ Prædestinationis effectus, utpote peculiaria per Christum collata Beneficia, *juxta illud ad Philipp. 2. Vobis donatum est pro Christo non solùm, ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini.*

2. Econtra de malis culpæ circa formale peccati indubitatum est, non esse effectus Prædestinationis Dei. Etenim omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in Finem. S. Thomas *1. 2. q. 79. a. 1.* At quidquid causat Deus, inclinat, & convertit in se ipsum. ex Div. Dionys. *c. 1. de Divin. Nominib.* Ergò Deus non est Causa peccati. *ex Concil. Trid. sess. 6. de Iustif. can. 7.* nec adeò peccatum formaliter sumptum potest Divinæ Prædestinationis esse effectus, cùm præsertim non sit ordinabile in Deum tanquàm Finem *Qui* Beatitudinis, atque adeò Prædestinationis. Superest igitur Controversia de Permissione, ac Materiali peccati.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

3. IOannes Baptista Gonet *cit. disp. 3. §. 1. concl. 2.* censet, Permissionem peccati non solùm importare in Deo denegationem auxilij efficacis, sed etiam influxum in Materiale peccati. Unde quia peccatorum permissiones in Prædestinatis sunt Divinæ Prædestinationis effectus, consequens esse, Materiale quoque Peccati esse ejus effectum.

4. Franciscus de Lugo *cit. disp. 42. c. 4. n. 2.* negat: Materiale peccati esse Divinæ Prædestinationis effectum. Fundamentum est. Nam etsi Deus ad totam Entitatem actûs peccaminosi concurrat in genere Causæ universalis; attamē sicut non determinat speciem illius, ita nec est Causa propriè dicta Materialis peccati, nec talem actum directè vult, intendit, aut procurat. Ergò nec illius Entitatem Materialem potest prædestinare.

5. Vasquez *1. p. disp. 93. c. 2. n. 9.* negat, Permissionem pèccati esse Divinæ Prædestinationis effectum. Fundamentum est. Nam ut aliquid sit effectus Prædestinationis, non solùm debet re ipsâ conducere ad Beatitudinem, sed etiam ex Voluntate illius præfiniri. At si permissio peccati utilis est ad vitam æternam, remotè solùm, & non nisi per Pœnitentiam conducit; hæc enim propiùs versatur circa Beatitudinem, quàm Permissio peccati. Si ergò Deus voluit permittere peccatum in Prædestinato ex Voluntate perducendi ipsum in vitam æternam; debuit priùs secundùm rationem velle illi dare vitam æternam simplici saltem affectu: deinde Ordine Intentionis præfinire, ut ille Pœnitentiam ageret, & cautior à peccato resurgeret: tandem ut hæc duo prædestinatus consequeretur, debuit Deus velle permittere eum in peccatum labi. Ex hoc autem sequeretur, Deum ex se ipso antecedenti Voluntate ante omnia opera nostra vocare aliquem ad Pœnitentiam. At Deus non nisi Consequenti Voluntate, quæ est post opera nostra, velle potuit pœnitentiam. Ergò permissio peccati quatenus Mediante Pœnitentiâ est utilis ad Beatitudinem, nequit ex hoc fine esse volita à Dei Voluntate, nec adeò potest esse effectus Prædestinationis.

Ioannes à S. Thoma *cit. disp. 9. a. 6. n. 5.* asserit 6.
quidem, peccati permissionem esse Prædestinationis effectum, darique Sufficiens Motivum, quo possit ordinari ad gloriam sine hoc, quòd Intentio Dei feratur super ipsum peccatum. Unde *n. 9.* ait: Pœnitentiam, sub Motivo hanc virtutem ponendi in Universo, ejusque Excellentiam ostendendi, eatenus posse cadere sub primariâ Dei Intentione, ut peccati permissio in sui executione sit effectus ipsius Pœnitentiæ in genere Causæ Finalis & Motivæ, atque adeò ipsius etiam Prædestinationis talem Pœnitentiam causantis. Fundamentum hujus ab eodem Authore citato *n. 17.* adstruitur ex illo *ad Rom. 9. Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Nam *ly ut* dicit in hoc sacro textu Causam Finalem, in quam ordinata est illa excitatio, ut scilicet virtus Dei ostenderetur, & nomen ejus annuntiaretur. At excitationem illam fuisse permissionem peccati Pharaonis, docet S. Thomas *super allegatum locum Pauli*, deduciturque ex contextu, siquidem Apostolus ex illis verbis inferat: *Ergò cujus vult, miseretur, & quem vult indurat.* Ergò permissio peccati potest esse à Deo ex intentione ostendendi suam virtutem. At ista ostensio virtutis Dei in Pharaone exhibita fuit per punitionem. Quare sicuti punitio quâ virtutis Dei manifestativa, sic Pœnitentia sub Motivo hanc virtutem ponendi in universo, itàque manifestandi Divinam ex creaturis relucentem excellentiam potest Divinæ Voluntatis ex parte objecti voliti esse Causa finaliter terminativa, & quodammodò Motiva ad volendam peccati permissionem.

Nihilominùs idem Ioannes à S. Thomâ *n.* 7.
18. existimat, Pœnitentiam, si sub Motivo, & formalitate remedij consideretur, ut in exercitio tollens aut reformans malum peccati, semper esse de secundariâ Dei intentione, nec habere pro effectu permissionem peccati, sed istud supponere in executione. Fundamentum est; quia præ-

præpoſtera eſſet Intentio propter remedium permittere malum, cùm remedium quà tale non ſit finis; datur enim in ſubſidium defectûs, qui accidit, Finis autem per ſe, & non ratione alterius appetitur.

Conclusio.

Peccati permiſſio eatenus poteſt cadere ſub primariâ Dei Intentione, ut ſit effectus Divinæ Prædeſtinationis.

8. Probatur ex illo ad *Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in Bonum.* Nam Doctor Angelicus *cit. lect. 6.* ſacrum illum textum exponens diſſerit in hæc verba: *Sed numquid etiam peccata eis cooperantur in Bonum? Quidam dicunt, quòd peccata non continentur ſub hoc, quòd dicit omnia, quia ſecundùm Auguſtinum peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines, cùm peccant. Sed contra hoc eſt, quòd in Gloſsâ ſequitur: Uſque adeò talibus Deus omnia cooperatur in Bonum, ut ſi qui horum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipſum faciat eis proficere in Bonum.* Unde & in *Pſal. 36. dicitur: Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit Manum ſuam.*

9. Reſpondebis ex Vaſquez *cit. c. 2. n. 14.* Per hanc & ſimiles Sanctorum Eccleſiæ Doctorum locutiones non tam ſignificari, quòd Bonum ex malò virtute Dei elicitum ſit Cauſa Finalis, & Motiva permiſſionis peccati, quàm quòd iſtud ſit occaſio, ut Deus peccato jam præviſo eliciat bonum. Unde ex allegato ſacro textu, atque Doctoris Angelici expoſitione haud concludi, quòd permiſſio peccati ſit Divinæ Prædeſtinationis effectus: ad hunc enim requiritur, ut ſit Donum Dei propter Chriſti Merita præfinitum à Deo ex Intentione Gloriæ. At licèt Deus ex peccato, quod permiſit, ſuâ Miſericordiâ eliciat bonum, peccati tamen permiſſionem nec eſſe Donum Dei, ſed gratiæ congruæ negationem, nec poſſe tanquàm medium ad Gloriam cadere ſub intentione Divinæ Voluntatis.

10. Contra eſt Locus S. Thomæ *1. 2. q. 79. a. 4.* taliter diſſerentis: *Excæcatio ex ſuî naturâ ordinatur ad damnationem ejus, qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus; ſed ex Divinâ Miſericordiâ excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum, qui excæcantur, ſed hæc Miſericordia non omnibus impenditur excæcatis, ſed prædeſtinatis ſolum, quibus omnia cooperantur in bonum; ſicut dicitur ad Rom. 8.* Ex hoc enim ita licet argumentari. In quantum aliquid habet Ordinabilitatis actualiter conducentis in ſalutem, in tantum habet rationem Doni & Gratiæ Chriſti præfinitæ à Deo ex Intentione Gloriæ. Atqui ex hoc, quòd prædeſtinatis omnia cooperentur in Bonum; ſequitur, excæcationem ad tempus, atque adeò permiſſionem peccati ordinari medicinaliter ad ſalutem ad tempus excæcati, ſed tamen prædeſtinati, licèt alioquin talis excæcatio ex naturâ ſuâ non ad ſalutem, ſed ad damnationem ordinetur. Oportet igitur, prædeſtinati Excæcationem temporalem, adeòque peccati permiſſionem non quidem ex naturâ ſuâ, ſeu ab intrinſeco, ſed per extrinſecam Divinæ Miſericordiæ in Meritis Chriſti fundatæ ordinationem habere rationem Doni & gratiæ Chriſti præfinitæ à Deo ex Intentione Gloriæ, eſſeque adeò Divinæ Prædeſtinationis effectum.

11. Confirmatur ex S. Ioanne Damaſceno *lib. 2. de fide c. 29.* aſſerente: *Deum aliquando permittere peccatum propter gloriam ſuam, aliquando propter bonum aliorum, aliquando propter bonum ipſius Peccatoris.* Etenim iſtud Bonum, propter quod Deus permittit peccatum, eſt humiliatio, ac Pœnitentia Peccatoris, veluti tradunt S. Auguſtinus *lib. de Natur. & Grat. c. 24. 27. & 28.* nec non D. Thom. *cit. lect. 6. ad c. 8. Rom. & in q. 5. de Verit. a. 4. ad 10. & 1. 2. q. 74. a. 4.* At *ly propter* importat Cauſalitatem Finalem. Ergò Pœnitentia eſt Cauſa quodammodò Motiva, & Finalis, propter quam permiſſio peccati eſt à Deo volita.

Reſponſio ad oppoſita Argumenta.

12. Ad Gonet *n. 3.* propoſitum Reſpondetur. Verum eſſe, quòd permiſſio peccati importet ex parte Dei non auxilij duntaxat efficacis denegationem, ſed etiam influxum in Materiale peccati, atque adeò iſtud quoad Eſſe reale Entitatis poſſe omnino Divinæ Prædeſtinationis effectum eſſe. Nam formalis peccati Malitia importat privationem: Hujus verò Fundamentum eſt creatus actus liber quoad phyſicam ſui Entitatem ex Voluntatis humanæ arbitrio profluentem. Atqui omnis creata entitas eſt per Cauſalitatem Dei operantis ſecundùm Conſilium Voluntatis ſuæ. Hujus ergò Divinæ Voluntatis Cauſalitas ita attingere debet in Materiali peccati Entitatem poſitivam realem, ut hæc ſine illâ Cauſalitate impoſſibilis ſit, nec adeò peccati permiſſio ſtare poſſit ſine Voluntatis Divinæ influxu in Materiale peccati.

13. Ad Franciſci de Lugo *n. 4.* Oppoſitum Fundamentum Reſpondetur. Materiale peccati, ſi conſideretur Entitativè, ac ſpecificativè, nihil aliud eſſe, niſi actûs peccaminoſi Entitatem ſpectatam quoad eſſe reale phyſicum. Sub hâc verò phyſicæ realitatis, ac Entitatis formalitate eatenus procedere ex Voluntatis Divinæ Cauſalitate, ut Entitatis illius ſpecificæ determinatio primò reducenda ſit in Dei Voluntatem tanquàm primam omnis formalitatis creatæ Cauſam. Si verò Materiale peccati ſumatur *reduplicativè*, habere ſe tanquàm fundamentum privationis, in quâ conſiſtit formalis malitia peccati. At iſtud malitiæ moralis fundamentum eſſe actûs peccaminoſi Entitatem phyſicam ſub reſpectu ad Cauſam non purè Efficientem, ſed Deficientem. Cùm proinde Deus per puriſſimam Efficientiæ ſuæ Cauſalitatem attingens actûs peccaminoſi Entitatem realem, à ſe ipſo tanquàm primâ omnis rectitudinis regulâ deficere nequeat, ideò materiale peccati *Entitativè* duntaxat, non verò *reduplicativè* ſpectatum reduci debere in Prædeſtinationis Divinæ Cauſalitatem.

14. Ad Vaſquez *n. 5.* Oppoſitum Reſpondetur. Verum eſſe, quòd Pœnitentia non niſi Voluntate conſequenti poſſit à Deo efficaciter volita eſſe. Nihilominùs Voluntatem Dei conſequentem eſſe, quatenus terminatur ab objectum quà dependens actualiter ex Voluntatis noſtræ Cauſalitate; cùm è contra Voluntas antece-

dens

dens ita sit ex Deo manans, ut ejus objectum pro statu talis Voluntatis non intelligatur quà dependens ex creatæ Voluntatis efficientiâ. Etsi proinde non nisi Consequente voluntate possit Deus quemquam efficaciter vocare ad Pœnitentiam, siquidem ista in Exercitio sit dependens à creatâ etiam Voluntate; imò quoad viam Executionis supponat peccatum, nihilominus quoad viam Intentionis Pœnitentiam sub ratione etiã remedij à Deo efficaciter volitam non supponere necessariò peccati prævisionem.
15. Probatur istud Assumptum. Nam mors Christi sub ratione redemptionis peccati crucifigentium mediante unius, alteriusvè Pœnitentiâ actualiter expiativæ cum omnibus suis circumstantijs fuit, à Deo præfinita. At ista Mortis Christi præfinitio non potuit in Deo supponere prævisionem peccati Crucifigentium, & occidentium Christum. Ergò Intentio alicujus remedij efficax potest in Deo subsistere, quin peccati, cujus expiativum est, prævisionem supponat. Pari ergò ratione Pœnitentia in viâ Intentionis potest à Deo efficaciter volita esse antecedenter ad peccati permissionem, uti mox ostendetur.

16. Ad Ioannis à S. Thomâ. *n. 6. & 7.* proposita Fundamenta Respondetur. Displicere, quòd hic Author dicat: Pœnitentiam sub Motivo, & formalitate remedij supponere peccatum, nec adeò esse nisi de secundariâ Dei Intentione. Nam permissio in tantum est appetibilis à Dei Voluntate, in quantum est ordinabilis in Bonum. Hoc autem bonum est ratio propter quam, seu Finis permissionis peccati. At in Bonis illis, ad quæ peccati permissio est ordinabilis secundùm Ecclesiæ Doctores *superiùs* adductos censetur etiam Pœnitentia non quà Virtus duntaxat ad universi splendorem conducens, sed quà expiativa Mali universo, ejusque Authori Deo repugnantis. Ergò Pœnitentia etiam quà remedium malitiam peccati tollens, ac expians potest Voluntati divinæ esse ratio volendi peccati permissionem. At ratio Motiva est per prius in Intentione, quàm objectum propter ipsam Volitum. Ergò permissio peccati potest ordine Intentionis esse posterior Pœnitentiâ sub ratione etiam Remedij efficaciter volita tanquàm Fine, propter quem velit Deus permittere peccatum. Quare efficax Pœnitentiæ quà Remedij peccatum expiantiâ Volitio secundùm viam duntaxat *Executionis*, non autem *Intentionis* supponit in Deo prævisionem peccati.

COROLLARIUM.

INfertur, qualem ab effectibus seu Signis Prædestinationis ad Gloriam homo in hâc vitâ Mortali possit certitudinem habere. Nam quamdiu in hâc Mortalitate vivitur, neminem de arcano divinæ Prædestinationis Mysterio usque adeò præsumere debere, ut certò statuat, se omnino esse in numero Prædestinatorum, decernit Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustif. c. 12.* Nihilominùs Deum non ita præterire Electos suos, quin eos quibusdam signis notet, asserit S. Bernardus. *serm. 2. in Oct. Pascha.* 17.
In his verò signis censetur 1. Sævientis Fortunæ adversitas, & afflictio pro Christi Nomine æquo animo tolerata: ex hâc enim conformantur fideles Christo præclarissimo Prædestinationis Lumini, ac omnium Electorum Prototypo, quem oportuit patiendo intrare in Gloriam suã, *Luc. 24.* 2. Prompta Voluntas audiendi Verbum Dei, ac delectandi sermonibus spiritualibus, juxta illud Christi Domini, *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 3. Inimicorum dilectio, juxta illud *Matth. 5. Diligite Inimicos vestros, ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cælis est.* 18.

4. Humilitas. Hinc enim Christus *Luc. 12.* appellat Prædestinatos *Pusillum gregem* non solùm propter Electorum paucitatem, sed etiam ob humilitatis devotionem, velut exponit Venerabilis Beda.

5. Devotio singularis erga Sanctissimam Deiparam: *Sicut enim, teste D. Anselmo impossibile est, ut illi, à quibus Oculos sua Misericordia avertit, salventur, ita necessarium est, ut hi, ad quos convertit oculos suos pro eis advocans, justificentur, & glorificentur.* Unde Ecclesia ipsi applicat illud Ecclesiastici. *24. In electis meis mitte radices.* Plura de prædestinationis signis videri possunt apud D. Bernardum *in lib. de Conversat. Cleric.* Item *in serm. 1. & 2. in Festo Pascha*, nec non apud Gonet *to. 5. disp. 6. Digress. 1.*

***

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA DE REPROBATIONE.

1. Reprobatio à Cajetano *præs. q. 23. a. 3. in fine Comment.* definitur, quòd sit *Præscientia, seu Providentia de iis, qui ab æternâ vitâ excluduntur, cum voluntate permittendi Culpam, & inferendi damnationis pœnam.* Ex quâ definitione patet, Reprobationem *formaliter* consistere in actu Intellectûs, *præsuppositivè* autẽ, & *consecutivè* in Voluntate. Ratio est. Nam reprobatio est pars Divinæ Providentiæ, hæc autem *formaliter* importat actum Imperij ordinantis Media ad Finem à Provisore intentum, sed *præsuppositivè* connotat intentionem Finis, ac Electionem Mediorum, *consecutivè* autem dicit usum Mediorum in Finem intentum præordinatorum. At finis reprobationis est manifestatio Divinæ Justitiæ. Media verò ad hunc finem efficaciter conducentia sunt permissio peccati, ac denegatio Gratiarum. Sicut ergò Prædestinatio tanquàm specialis circa Electos Providentia supponens istorum dilectionem, ac Electionem *formaliter* consistit in actu Imperij quo Deus imperat gratiam, & alia Media ad Gloriæ consecutionem efficaciter conducentia: sic econtra reprobatio ex parte Divinæ Voluntatis supponit Odium reproborum, ac eorum ejectionem à Gloriâ, sed *formaliter* consistit in actu Imperij, quo Deus imperat peccati permissionem, ac denegationem Gloriæ, aliaque Media ad Finem reprobationis, manifestationem scilicet Divinæ Justitiæ efficaciter conducentia.

2. Dari in Deo reprobationem ejusmodi, definitur à Concilio Valentino *can. 3.* hisce verbis: *Fidenter fatemur Prædestinationem Electorum ad vitam, & Prædestinationem Impiorum ad mortem.* Cujus veritatis probationem S. Thomas *præs. q. 23. a. 3.* adstruit tum ex illo *Malach. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; tum ex eo, quòd ad Divinam providentiam pertineat permittere aliquem defectum in rebus, quæ Providentiæ Dei subduntur. Unde cùm homines per Divinam Providentiam ordinentur in vitam æternam, pertinet ad illam, aliquos ab isto fine deficere. At in sacris Litteris dicitur reprobum, quod cùm habeat Media necessaria ad finem aliquem consequendum, ab isto tamen deficit. Juxta quem adeò loquendi modum *Hebr. 5.* dicitur Terra reproba, quæ cùm haberet sufficientem humorem ad fructificandum, producendo tamen spinas, & tribulos deficiebat à Fine, ad quem fuit à Deo creata, ut scilicet daret herbam virentem, & facientem fructum suum *Gen. 1.* Pari ergò ratione homines habentes auxilia ad Finem Gloriæ consequendũ necessaria, à fine tamen gloriæ deficientes Reprobi dicuntur.

Ratio, cur Divinæ Providentiæ sit, aliquos defectus permittere, à S. Doctore, adstruitur tum *in 1. p. q. 22. a. 2.* ubi ista permissio dicitur esse de Bono Universi: *tum in Lect. 4. super c. 9. epist. ad Rom.* ubi ait, quòd finis omniũ Divinorũ Operũ sit manifestatio Divinæ Bonitatis, juxta illud *Prov. 16.* Omnia propter semetipsum operatus est Deus: Impium quoque ad diem malum. Hæc autem Divinæ Bõitatis manifestatio circa creaturas rationales fit partim secundùm Justitiam, puniendo peccata; partim secundũ Misericordiã, liberando aliquos ex Gratiâ. Ne ergò Divinis operibus deesset bonum Justitiæ, decebat Dei Providentiam permittere peccata tanquàm Justitiæ Materiam. 3.

ARTICULUS I. De Causis Reprobationis.

Solet à plerisque reprobatio distingui in Positivam, & Negativam. Ista est voluntas denegandi Gloriam, ut rem indebitam: Illa verò Voluntas puniendi, & infligendi pœnam æternam Damni, & Sensûs ob peccata. Quæ distinctio videtur esse de Mente S. Thomæ *in 1. ad Annibal. dist. 41. q. un. a. 3.* circa reprobationem ratione nostrâ ratiocinatâ distinguentis duplicem Dei Voluntatem, quarum priorem asserit esse de Contradictorio, idest de non salvando, posteriorem verò de Contrario, hoc est de inferendâ pœnâ Damnationis. 1.

Neque verò Reprobatio Negativa accipienda est, quasi nuda, & mera sit negatio, nullam importans efficaciam, aut influxum in effectus Reprobationis: ejusmodi enim Negatio inefficax teneret Voluntatem Divinam in suspenso ad eligendum, vel efficaciter excludendum à Regno Cælesti. Oportet igitur, reprobationem Negativam intelligi per modum efficacis à vitâ æ- 2.

ternâ exclusionis, ac positivæ Volitionis divinæ nolentis aliquibus Gloriam cælestem: quæ adeò Volitio non ratione sui, sed ratione duntaxat objecti, ad quod terminatur, dici potest Negativa
3. Reprobatio. Unde Positivæ, ac Negativæ reprobationis differentia in eo statuenda est, quòd ista sit Volitio ex vi supremi Divini Dominij efficaciter exclusiva à Regno cælesti, illa verò sit Damnationis æternæ tanquàm pænæ illativa ex Motico Justitiæ Vindicativæ. Cujus proinde duplicis Reprobationis Causam investigaturo tres occurrunt Controversiæ.

1. Utrùm Reprobatio Negativa etiam ex ipsâ rei naturâ sit antecedens prævisionem demeritorum.

2. An detur in Deo hominum Negativa reprobatio antecedens Meritorum personalium prævisionem?

3. Utrùm Originale peccatum sit Causa negativæ reprobationis hominum.

CONTROVERSIA I.

Utrùm negativa Reprobatio ex ipsâ rei naturâ sit antecedens prævisionem Demeritorum?

4. Exclusio à regno Cælorum considerari potest vel per modum punitionis, seu pænæ damnificativæ, quo modo *infra* dicemus esse ita de secundariâ Dei Intentione, ut omnino supponat peccatum prævisum; vel potest spectari per modum denegationis Beneficij indebiti, quomodo præsens procedit difficultas, utrùm sub hâc etiam formalitate ita sit de secundariâ Voluntatis Divinæ Intentione, ut respectu etiam Angelorum non sit à Deo efficaciter volita, nisi in pænam supponendo subjecti demeritum, sive indignitatem?

Referuntur Argumenta Adversariorum.

5. Negativa Sententia hiscè præcipuè nititur Fundamentis 1. Quia velle malum alicui non attentâ indignitate, ac demeritis subjecti, ac intendere illud, est contra rationem Boni, quod est communicativum, ac diffusivum sui. Atqui exclusio à regno cælesti est maximum Malum, quod creaturæ rationali inferri potest à Deo, est enim maxima pæna, & supplicium, quo punit Deus peccatores. Ergò cùm Deus sit summè Bonus, dedecet infinitam ejus Bonitatem antecedenter ad demerita, & culpam prævisam creaturæ rationali efficaciter velle exclusionem à
6. regno cælesti. 2. Nec juvaret, etiamsi à Regno Cælesti exclusio diceretur à Deo intenta propter ostensionem Justitiæ vindicativæ: hæc enim reddit pænam ex debito, istud verò debitum est ex culpâ. Ergò antecedenter ad culpam prævisam velle ex Justitiâ alicujus à regno Cælesti exclusionem esset omninò contra rationem Justitiæ.
7. 3. Insuper Deum propter exercendam punitionem velle se obligare ad permittendum malum, argueret aliquam crudelitatem, sic enim Deus delectaretur pænis hominum & malis, contra illud *Sap. 1. Nec delectatur in perditione Vivorum.* Hinc namque amaret punitionem propter illam permittendo delicta, ut haberet, quod puniret. Videtur autem omninò crudele, sic delectari, & velle pænas, ut propter illas irrogandas permittantur peccata.

Hiscetamen haud obstantibus, Ioannes à S. Thomâ *to. 2. disp. 10. a. 2. n. 14.* ex mente plurium aliorum Thomistarum docet, Reprobationem absolutè, ac secundùm se, cujusmodi executa sit in Angelis, dicere in sui primâ Intentione, & Voluntate exclusionem a Gloriâ ante prævisa peccata tanquàm Causam Motivam, habereque pro Motivo aliquid se tenens solùm ex ex parte Dei, scilicet ejus Gloriam in ostensione Justitiæ, ex parte verò creaturæ supponere, seu connotare, quòd Beneficium Gloriæ ipsi sit indebitum. 8.

CONCLUSIO.

Reprobationem Negativam efficaciter à Regno Cælesti exclusivam ex sui naturâ non oportet, quòd ita sit consequens Demerita prævisa, quin respectu Angelorum fuerit antecedens Peccatorum prævisionem.

Probatur. Nam pro illo signo Angelorum merita, & demerita antecedente Deus aliquos duntaxat ex totâ Angelorum Massâ elegit efficaciter ad Gloriam. Hæc autem efficax Electio ita fuit comparativa unius præ alio, ut cæteros relinqueret. At ista Angelorum pro illo signo non Electorum relictio erat, quatenus Voluntas Divina non se applicabat ad ipsos in ratione volendi eis vitam æternam. Hæc autem Voluntas non applicativa sui ad dandam Gloriam est exclusiva à Gloriâ, estque adeo Reprobativa. Atqui hæc ipsa Voluntas est antecedens negationem Gratiæ, atque adeo permissionem ac prævisionem peccati. Datur ergò in Deo Voluntas Angelorum malorum reprobativa, seu exclusiva à Regno cælesti antecedens peccata prævisa tanquàm Motiva divinæ Voluntatis excludentis à regno cælesti. 9.

Dices ex Andreâ Lao *1. p. disp. 141. n. 1882.* Negotium Electionis, ac Reprobationis Angelorum per quatuor signa taliter esse expediendum, ut in primo dicatur Deus elegisse quosdam ad Gloriam, & negativè se habuisse erga cæteros, nihil decernendo de eorum gloriâ, & salute. In secundo Auxilia Gratiæ efficacia Electis præparasse, ac negativè erga non electos se habuisse. In tertio permisisse peccata eorum, quos non elegerat, habendo Voluntatem positivam, & absolutam non dandi eis auxilia efficacia, quibus peccata non forent. In quarto denique visâ non Electorum Impœnitentiâ, reprobasse eos. 10.

Contra. Nam peccati finalis Angelorum permissio non est à Deo, nisi quatenus ordinatur in Bonum, juxta illud S. Augustini *in Enchir. c. 11. Deus cùm sit summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in Operibus suis, nisi esset adeò Omnipotens & Bonus, ut benè faceret etiam de malo.* Atqui bonum, in quod peccati Finalis permissio ordinatur à Deo, est ostensio Iræ, seu Justitiæ Vindicativæ, nec non manifestatio Potentiæ, divinæ juxta illud *ad Rom. 9. Volens Deus ostendere Iram, & notam facere Potentiam suam; sustinuit in multâ patientiâ Vasa Iræ apta in interitum.* At verò Bonum, in quod per Dei Volunta- 11.

luntatem ordinatur Malum, se habet ad hujus permissionem tanquàm Finis & Motivum. Ergò Justitiæ vindicativæ ostensio, & Potentiæ divinæ manifestatio se habent ad permissionem peccati Finalis tanquàm ratio Finalis Motiva nō quidem ultima, sed ex parte Volitorum intermedia, ut pote ordinata à Deò ulteriùs ad ostensionem divitiarum Gloriæ suæ manifestandæ in vasis Misericordiæ ad Gloriam præparatis. *ex cit. 9. c. Rom.* At verò Ratio Finalis etiam intermedia movens Voluntatem Divinam ad Medij Finem actualiter causantis effectionem est efficaciter intenta antecedenter ad Medij ejusmodi prævisionem. Cùm igitur ostensio Iræ justæ ac manifestatio Potentiæ Divinæ sit ratio Finalis intermedia, propter quam est à Deo intenta peccati Finalis permissio, consequens est, illam vindicativæ Justitiæ, ac Potentiæ Divinæ in Vasis Iræ ostensionem esse efficaciter volitam antecedenter ad peccati Finalis prævisionem. At ista de Justitiæ, ac Potentiæ Divinæ ostensione intentio efficax importat efficacem à regno Cælesti exclusionem, quam Reprobationem Negativam vocamus. Ergò reprobatio Negativa non supponit peccati Finalis, nec aliorum adeò demeritorum qua pœnam æternam efficaciter causantium prævisionem.

Responsio ad Argumenta *à n. 5.* Opposita.

12. AD 1. Oppositum Fundamentum Respondetur. Eo ipso, quod Bonum sit sui diffusivum, decere Bonitatem infinitam, ut non uno duntaxat, sed pluribus modis se manifestando ad extra communicet. At inter hosce ad extra manifestandi modos congruere Divinæ Bonitati, ut permittendo mala de his faciat Bonum: ex hoc enim ostenditur præcipue infinita DEI Potentia. Etsi proinde exclusio a Regno Cælesti respectu creaturæ rationalis sit maximum Malum, nec adeò deceret Divinam Bonitatem, directè, ac per se primò velle ipsi hoc malum: attamen ad Divinæ Bonitatis in Justitiæ vindicativæ, ac Potentiæ suæ ostensione perfectiorem manifestationem decere, vel maxime velle efficaciter tum aliquorum à regno cælesti exclusionem, tum consequenter peccati Finalis permis-
13. sionem. Ratio Fundamentalis est. Nam Gloria cælestis, etsi quoad executionem non detur nisi ut debitum, in viâ tamen Intentionis est divinæ Voluntatis beneficium omninò gratuitum. At divinæ Bonitatis ad extra manifestationi congruebat, ut divitias Gloriæ suæ in vasis Misericordiæ manifestādo, cunctis hâc ratione faceret notā Gratiam, & Liberalitatem suam in Electos. Hoc autem fit, in quantum Deus volens ostendere Iram, & notam facere potentiam suam Vasa iræ apta in interitum sustinet seu permittit eâ Intentione, ut ostendat divitias Gloriæ suæ in Vasa Misericordiæ, quæ præparavit in Gloriam. *ex cit. c. 9. ad Rom.* Constat igitur, haud dedecere Bonitatem Dei infinitam ex conducentiâ ad divitias Gloriæ suæ in Vasis Misericordiæ manifestandas, efficaciter velle aliquorum à Gloriâ cælesti exclusionem.

14. Ad 2. Propositum Fundamentum Respondetur. Ostensionem Justitiæ Vindicativæ in Executione ita supponere debitum culpæ, ut tamen in Intentione possit esse antecedens prævisionem Debiti, seu Culpæ permissionem. Explicatur & Probatur. Nam gloria quoque Cælestis Electis à Deo volita est, ut Corona Justitiæ. At hæc ipsa Volitio Divinæ Gloriæ ceu Coronæ Justitiæ in Electis causativa ita supponit in Executione prævisionē Meritorum, ut tamen ordine Intentionis sit horum Causa Finalis. Pari ergò ratione Debitum Culpæ eatenus supponitur ad Justitiæ vindicativæ Exercitium, ac Executionem, ut tamen istius Virtutis Deo inexistens Honestas increata possit Ordine Intentionis esse ratio finaliter Motiva Voluntatis Divinæ non quidem ad causandum, sed permittendum culpæ debitum.

Ad 3. Oppositum Fundamentum Respondetur. Delectationem non esse nisi in Fine, cujus est, quietare, seu satiare Voluntatem. At nec Malum Pœnæ, nec Permissionem Culpæ se habere ad Voluntatem Divinam tanquam Motivum, seu rationem formaliter terminativam, sed per modum duntaxat Medij ad Bonum in Divinæ tum Justitiæ, tum Pœnitentiæ, tum Divitiarum Gloriæ ipsius manifestatione relucens ordinabilis posse appeti à Divinâ Voluntate. Non igitur esse delectationem Dei in pœnis hominum, quamvis exclusionem à Regno Cælesti aliquibus efficaciter velit antecedenter ad prævisam peccati permissionem. 15.

Etsi proindè saperet crudelitatem aliquam, si Deus peccatorum permissionem vellet aliquibus ex intentione eos cruciandi, & pœnis æternis addicendi, summæ tamen Bonitati, nec non supremo Dei Dominio congruere, quòd ex Intentione Justitiam, & Potentiam suam, nec non Gloriæ suæ erga vasa Misericordiæ Divitias manifestandi, velit efficaciter quorundam à Gloriâ Cælesti ejectionem, ac peccatorum permissionem. 16.

CONTROVERSIA II.

Utrùm ante prævisionem peccatorum Personalium homines aliqui sint à Deo Negativè reprobati?

NOn ex illis duntaxat Doctoribus, qui negant Prædestinationem ante prævisa Merita, sed ex Thomistis aliqui negant, Deum per reprobationem etiam Negativam efficaciter aliquem excludere à regno Cælorum ante prævisâ ejus demerita personalia. 1.

Fundamentum desumitur 1. ex Sacris Literis, *Vult enim Deus omnes homines salvos fieri 1. ad Timoth. 2.* nec adeò *vult aliquem perire, nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. 2. Petri 3. & Ezechiel 18.* At si Deus ante prævisum peccatoris reprobi demeritum efficaciter ipsum exclusisset à regno Cælorum, tunc ex se ipso, non ex demerito unum præ altero excluderet efficaciter à regno Cælorum, velletque adeò ejus mortem æternam.

2. Commune ex S. Augustino *lib. de Natur. & Grat. c. 26.* nec non Concil. Trident. *sess. 6. de Iustif. c. 11.* petitum Axioma est, quòd Deus neminem deserat, nisi priùs deseratur. Atqui Deus aliquos antecedenter ad ipsorum peccatum personale prævisum efficaciter exclusisset à regno Cælo- 2.

rum, sequeretur, ipsos esse priùs desertos à Deo, quàm ipsum peccando deseruissent. Unde nec verum esset illud Augustini *ep. 105.* disserentis in hæc verba: *Quærimus Causam prædestinationis, & invenire non possumus, quærimus Meritum Derelictionis, & invenimus.*

3. 3. Concilium Valentinum sub Benedicto III. celebratum *c. 3.* Bonorum, ac Reproborum prædestinationis discrimen exponens *in Electione Bonorum, ait, Misericordiam Dei præcedere omne Meritum Bonorum, in damnatione autem Malorum meritum malum præcedere Iudicium.* At exclusio à Regno Cælorum ante prævisionem peccati personalis volita non esset simplex Beneficij indebiti denegatio, siquidem talis esset etiam in statu puræ naturæ. Esset igitur exclusio damnativa, sive damnificativa. Si ergò in damnatione Malorum Meritum malum præcedit Judicium, quomodò verificatur, Voluntatem Dei à Regno Cœlorum efficaciter exclusivam, atque adeò damnativam antecedere peccati Personalis prævisionem?

4. 4. S. Augustinus *ep. 106.* scribit in hæc verba: *Si hæc Massa generis humani ita esset Media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex eâ fierent Vasa in Contumeliam.* Atqui pro negativæ reprobationis instanti Massa generis humani supponitur cum solo peccato Originali, ita ut unus præ altero nihil mali meruerit. An non igitur iniquitas, & acceptio Personarum videri posset unum præ altero facere vas Contumeliæ, ac ejectionis à regno Cælesti?

5. 5. Ideo, *quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati.* ex S. Prospero *in respons. ad object. Vincent. respon. 12.* At ista non prædestinatio est reprobatio Negativa. Ergò præscientia Demeritorum est ratio, & Causa reprobationis etiam negativæ.

6. 6. Denique Reprobatio negativa efficax prævisionem demeritorum antecedens videtur sapere Calvinismum, quem Becanus *to. 1. sum. post Tract. de Prædest. c. 16. q. 1.* ad duas propositiones reduxit, quarum prior ita se habet: *Utraque prædestinatio tam ad vitam, quàm ad mortem in æterno Dei consilio prior, seu anterior est prævisione peccati Originalis, & cujuscumque alterius sive boni, sive mali operis.* Secunda verò est talis: *Utraque facta est mero arbitrio citra ullum Meritum, aut Culpam ex parte hominis.*

7. Ex opposito, reprobationem Negativam non dependere ex demeritis personalibus reproborum, non obscurè innuit S. Thomas *q. 6. de Verit. a. 2. ad 9.* duplicem reprobationis Causam assignans, Peccatum scilicet Originale ac Voluntatem Divinam. Et *1. p. præs. q. 23. a. 8. ad 3.* asserit rationem, quare Deus quosdam elegerit, & quosdam reprobarit, esse, quòd voluerit in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare Bonitatem per modum Misericordiæ parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum Iustitiæ puniendo. Unde concludit tandem; Quare hos elegerit Deus in Gloriam, & illos reprobarit, non habere rationem, nisi suam Divinam Voluntatem.

CONCLUSIO.

Reprobatio Negativa ita reducenda est in Divinæ Voluntatis absolutum Dominium, ut propter hujus, nec non iustitiæ Vindicativæ ostensionem ex humani generis Originali peccato infecti Massâ aliquos Deus à regno Cælorum efficaciter excluserit antecedenter ad ipsorum prævisa personalia peccata.

Probatur *ex 9. ad Rom. cap. ubi de* Iacob, & Esau habentur sequentia: *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent (ut secundum Electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex Vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicuti scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ex hoc namque sacro textu sic argumentari licet. 8. Dilectio, de quâ hic loquitur Apostolus, pertinet ad æternam Dei prædestinationem; & Odium, de quo hic loquitur, pertinet ad reprobationem, quâ Deus reprobat peccatores. ex S. Thomâ *in cit. c. 9. lect. 2. in fin.* Atqui nondum natos, cùm nec quidquam boni, vel mali egissent, Deus dilexit Iacob, & odio habuit Esau. Hoc autem verificatur, quatenus non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia major serviet minori, ex præallegatis Apostoli verbis. Atqui per ista verba significat Apostolus certam quandam Vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit, & prædestinavit Deus conformes fieri Imaginis Filij sui, uti clarè asserit S. Augustin. *in lib. de prædest. Sanctor c. 16. post init.* Constat igitur, in illo sacro textu Apostolum ita adstruere prædestinationem bona opera antecedentem, ut etiam Odium, quo reprobatus est Esau, asseratur antecedens ejus opera mala.

Dices. Non esse certum, quòd Esau fuerit reprobatus à vitâ æternâ. Unde illa verba Apostoli litteraliter esse accipienda de repulsâ Esau ab Hæreditate temporali, ac Benedictione Paternâ. Quare ex sacro illo textu non demonstrari reprobationem etiam Negativam ante prævisa demerita. 9.

Contra. Nam 1. Sicut per Iacob, & Esau Sacra Scriptura significavit duos populos Israelitam, & Idumæum, juxta illud *Gen. 25. Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & Major serviet Minori.* Hoc enim de Israelitis ex Iacob progenitis, & Idumæis ex Esau prodeuntibus verificatum fuit, dum universa Idumæa facta est serviens David. *2. Reg. 8.* Sic Apostolus istorum verborum: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; Mysticam significationem exponens intelligendus est de Iacob tanquàm Prædestinatorum Figuræ dilectione secundùm Gratiæ Electionem, nec non de Esau tanquàm reproborum Typi odio Prædestinationi opposito ante prævisionem operum etiam futurorum, uti apertè tradit S. Aug. *cont. Pelag. epist. 105. post Medium.* At hoc ipsum erga Esau Odium, & illa ipsa erga Iacob Dilectio Dei erat, quatenus ex vocante dictum erat, quia major serviet minori. ex sacro textu *cit. c. 8. ad Rom.* Hæc autem vocatio erat, *ut secundùm Electionem Propositum Dei maneret. Ex præallegato sacro textu.* At istud ipsum secundùm Electi-

Electionem manens Dei propositum est, per quod prædestinati dicuntur Electi, quia secundùm propositum sunt vocati. ex S. August. *lib. de Corrept. & grat. c. 7. circa med.* Constat proinde, quòd Esau (quidquid de ipsius Personæ à vitâ æternâ sit reprobatione) saltem inducatur ab Apostolo tanquàm Figura Odij, quo Deus antecedenter ad prævisionem malorum operum non Electos Negative reprobat à vitâ æternâ.
11. 2. Istius reproborum in Esau Figuratorum opera mala antecedentis Odij, & illius Prædestinatorum in Iacob figuratorum Operum bonorum prævisionem antecedentis Dilectionis æquitatem ex hoc adstruit Apostolus, quòd Deus dixerit Moysi: *Miserebor, cujus misereor: & Misericordiam præstabo, cujus miserebor. ex cit. c. 8. sacro contextu.* Ex hoc autem infert Apostolus, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. *ex cit. sacro contextu.* Ista verò Misericordia Dei præstatur Electis, ut in vasis, quæ perfecta sunt in perditionem, quæ damnatæ est debita massæ, agnoscant vasa ex eâdem Massâ (peccati scilicet Originalis) in honorem facta, quid eis Divina Misericordia tribuat. ex S. Aug. *cont. Pelag. cit. epist. 105. post Med.* In quem proinde sensum Apostolus *cit. c. 9.* inducit Deum *Exod. 9.* loquentem Pharaoni: *Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, & ut glorificetur nomen meum in universâ terrâ.* ex S. Augustini *proximè citati, ac prælegato sacro contextu.* Atqui per hanc Pharaonis excitationem intelligitur ejus obduratio, quam Apostolus reducit in Voluntatem Dei, cujus vult miserentis, & quem vult obdurantis. *ex eod. sacro contextu.* Non igitur prævisa mala Opera sunt ratio, cur Deus aliquos non eligendo habeat odio, eosque adeò negativè reprobatos obduret, non docendo efficaciter, ut veniant ab fidem, sed tantùm id adscribendum est Divinæ Voluntati, illos, quos docet Misericordiâ docenti, & quos non docet Iudicio non docenti, uti habet S. Augustinus *lib. de Prædest. Sanct. c. 8.*

12. Confirmatur. Nam Apostolus *cit. c. 9.* postquam intulisset, *Ergò Deus, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*; huic à se factæ objectioni; *Quid adhuc queritur* (scilicet Deus) *Voluntati enim ejus quis resistit?* statim respondet: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eâdem Massâ facere aliud Vas in honorem, aliud verò in Contumeliam.* Ex quibus verbis sacris, eorumque contextu ita licet argumentari. Homini, quem Deus indurat, ideò non licèt conqueri adversùs Deum, quia huic est potestas facere pro libitu aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Atqui illa obduratio est per hoc, quòd illa contumeliæ Vasa non doceantur à Patre, id est, non donetur ipsis fides, quâ veniant ad Christum. ex S. Aug. *lib. de Prædest. Sanct. c. 8.* Ergò denegatio Gratiæ, per quam donetur fides, est à Deo, quatenus habet potestatem pro libitu faciendi ex Massâ peccato Originali corruptâ vas in Contumeliam. Atqui Deus ad hanc suam potestatem sive absolutum Dominium respicit, quatenus est volens ostendere Iram, & Potentiam suam, *ex sacro cit. c. 9. contextu.* Hæc autem Iræ ostensio est Iustitiæ vindicta, quæ causa est, quare Deus aliquos reprobet. ex S. Thomâ *1. p. q. 23. a. 5. ad 3.* Atqui ex hâc ipsâ Voluntate ostendendi Iustitiæ vindictam & Potentiam suam sustinuit, id est, permisit in multâ Patientiâ vasa Iræ apta in Interitum. *ex cit. Sancto contextu, junctâ expositione* S. Tho. *ubi supra.* Illa verò Vasorum Iræ permissio est, quatenus ipsis non præparatur Voluntas à Domino ad credendum, qui proinde excæcati ideò non veniunt ad Christum, quia ipsis foris audientibus Evangelium non datur, ut credant. ex S. Aug. *de Prædest. Sanctor. c. 6. & 8.* Unde sicuti Electio in Prædestinatis est Misericordiam consecuta, ut illis præparetur voluntas à Domino; sic cæteri non Electi, atque hinc excæcati per inscrutabile Dei Iudicium vel non vocantur, vel non ita vocantur, ut Voluntate obediendi Divinitùs sibi donatâ, sequantur Deum vocantem, eò quòd secundùm Discretionem Dei non erant in Christo electi ante Mundi constitutionem; sive non prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur. ex S. Aug. *cit. c. 6. de Prædest. Sanct. ac de Don. Persev. c. 9.* Cùm igitur discretio Dei, secundùm quam multi non sunt electi, ac prædestinati, sit causa, cur efficaciter non vocati maneant excæcati, & obdurati, ne veniant ad Christum; Voluntatis autem Divinæ vasa Iræ apta in interitum permittentis ratio motiva sit supremum Dei de faciendis ex Originalis peccati massâ Contumeliæ vasis Dominium, nec non Iustitiæ vindicativæ, ac Potentiæ Deo inexistentis manifestatio, consequens est, non Electorum à Prædestinatis discretionem, atque adeò reprobationem Negativam ita esse ex libertate Divinæ Voluntatis ad Dominium suum, ac Potentiam, nec non Iustitiæ vindicativæ ostensionem respicientis, ut illa ipsa reprobatio Negativa sit Causa denegatæ efficacis veniendi ad Christum, vel in bono perseverandi vocationis, sitque adeò antecedens tum peccati Finalis, tum infidelitatis prævisionem.

Responsio ad Opposita Argumenta.

AD 1. *n. 2.* Oppositum Fundamentum Respondetur. Voluntatem Dei omnes salvandi antecedentem ita respectu Finis Gloriæ esse conditionatam, ac inefficacem, ut respectu tamen Mediorum ad hunc Finem sufficientium sit absoluta & efficax. At cum tali Voluntate optimè stare in Deo volitionem aliquorum à Gloriâ exclusivam, vi cujus denegentur efficacia, non verò omnia remotè saltem sufficientia salutis Media. Hanc verò Dei à regno Cœlesti exclusivam Volitionem non terminari immediatè ad Mortem, seu vitæ æternæ negationem tanquàm Volitum per se terminativum Divinæ Voluntatis: Sicuti ècontra vita æterna ceu Divinæ Bonitatis participatio ita se habet ad Increatam Dei Bonitatem tanquàm voluntatis Divinæ Motivum, ac Finem, ut ex se ipsâ sit immediatum ejus objectum terminativum. Quare illam vitæ æternæ negationem tanquàm puram etiam Beneficij indebiti privationem non nisi sub ratione ostensionis Vindicativæ Iustitiæ Dei, ejusque Potentiæ, seu Dominij esse applicabilem ad Divinæ Voluntatis Motivum, quod consistit in ipsâ Dei increatâ Bonitate. Hinc teste D. Thomâ *cit. a. 5. ad 3.* posse ex ipsâ Bonitate Divinâ sumi rationem 13.

non tantùm Prædestinationis, sed etiam reprobationis, quatenus Deus velit in hominibus repræsentare suam Bonitatem, in Prædestinatis quidem parcendo per modum Misericordiæ, in reprobis autem puniendo per modum Iustitiæ. Etsi proinde Deus mortem peccatoris nec tanquàm pænam, nec tanquàm Beneficij indebiti negationem velit ex se ipso, id est tanquàm Medium suæ Divinæ Bonitati immediatè conducibile, atque adeò per se respectu Divinæ Voluntatis appetibile, quia tamen negatio illa mediante Iustitiæ, ac Potentiæ ostensione ad Bonitatis Dei Increatæ repræsentationem utilis sit, posse Voluntatis Divinæ esse objectum materiale, non immediatè, sed mediatè terminativum, ut adeò verificetur, Deum ex se neminem velle perire, nec mortem peccatoris, sed magis ipsi velle vitam tum gratiæ, tum Gloriæ, siquidem hæc per se ipsam, non verò illa sit immediatè terminativa Divinæ volitionis.

14. Ad 2. *n. 2.* Oppositum Respondetur. Augustinum ibi citatum docere, Deum nos justificando sanare non solùm delendo peccatum, sed æternâ etiam Iustitiæ luce divinitùs adjuvando, nè peccemus. Unde cùm ad perfectam vitam, Iustitiamque perduxerit, non deserere, nisi deseratur, ut piè semper justeque vivatur. Ex quo adeò patet, S. Augustinum intendere duntaxat, quòd Deus justificatis conferendo adjutorium *sine quo*, sive, ut hodie loquuntur, Sufficiens, ipsos non deserat per Gratiæ tum Habitualis, tum Actualis sufficientis subtractionem, nisi per suam libertatem non cooperando Gratiæ ad non peccandum sufficienti priùs deserant Deum peccando. In quo adeò sensu Concilium Tridentinum *cit. c. 11. de Iustif.* asserit, liberatos à peccato eatenus posse piè vivendo per Christum IEsum proficere, ut Deus Gratiâ semel justificatos non deserat, nisi ab eis priùs deseratur. Constat proinde, ex præallegatis S. Concilij Tridentini, & S. Augustini Locis probari duntaxat, quòd Iustificati per Gratiæ Sanctificantis subtractionem desertio non fiat, nisi ille peccando priùs deserat Deum: cum quâ Doctrinâ optimè stare, quòd reprobatio Negativa sit antecedens Peccatorum Personalium prævisionem; tametsi inter hanc reprobationem negativam, ac Prædestinationem hoc intercedat discriminis, quòd ubi universi humani generis Massa Peccati Originalis Merito damnata est, excludendo aliquos à regno cælorum, Contumeliam debitam reddat Iustitia; ècontra verò honorem indebitum prædestinando, donet Gratia non meriti prærogativâ, sed altitudine Divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans, *O altitudo Divitiarum Sapientiæ, & Scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt Iudicia Dei, & investigabiles viæ ejus. Ex prædictâ epist. 105. S. Aug. contra. Pelag.*

15. Ad 3. *n. 3.* Oppositum Respondetur. Concilium Valentinum asserendo, quòd in damnatione Meritum malum præcedat Iudicium, apertè loqui de damnatione secundùm executionem, atque adeò de reprobatione. Nihilominùs secundùm S. August. *in cit. epist. 105. contra Pelag. & in lib. de Prædest. Sanct. & de Dono Persever.* passim ita tribui Divinæ Misericordiæ, quòd aliquos ex corruptâ humani generis Massâ prædestinet ad vitam, ut Deus non eligendo multos, Iudicium faciat in eorum excæcatione, atque adeò derelictione, seu permissione peccati, nec non reprobatione Negativâ. Unde exclusionem multorum à regno cælesti antecedenter ad eorum prævisa peccata personalia à Deo volitam non eo modo, quo in statu puræ Naturæ, esse indebiti Beneficij denegationem, siquidem tunc Gratia & Gloria esset purè negativè, seu privativè non debita; modò autem ex merito Culpæ Originalis ex justo Dei Iudicio sit *positivè* indebita.

Ad 4. *n. 4.* Oppositum Respondetur. S. Augustinum *in cit. ep. 106.* (ubi asseruisset, non frustra videri posse iniquitatem, ex eâdem humani Generis Massâ, si nihil boni, nec mali aliquid meruisset, facere quosdam vasa Contumeliæ,) mox subiecisse sequentia: *Cùm verò per liberum arbitrum primi hominis in condemnationem universa* (humani scilicet Generis Massa) *defluxerit, proculdubio, quod ex eâ fiunt vasa in honorem, non ipsius esse Iustitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei Misericordiæ; quòd verò in Contumeliam, non iniquitati, quæ absit, ut sit apud Deum, sed judicio deputandum esse.* Hæc igitur expendant adversarij, ut cum Ecclesiâ sapientes Misericordiam, & Iudicium Domino cantent, nec Misericordiæ recusantes ingrati, nec Iudicium accusantes inviti. *ex cit. Epist. 106.* 16.

Ad 5. *n. 5.* Oppositum Respondetur. S. Prosperum ibi citatum contendere, quòd ex divinæ Prædestinationis causalitate Filij Diaboli efficiantur Filij Dei, non ècontra, quòd Prædestinationis Divinæ Causalitas ex Filijs Dei efficiat Filios Diaboli, sed quòd istud proveniat ex libertate Voluntatis humanæ. Hanc autem D. Prosperi Doctrinam optimè stare per hoc, quòd aliquibus non prædestinatis temporaliter justificatis conferatur perseverandi gratia sufficiens solùm dans Posse, seu libertatem in actu primo, non ipsam in actu secundo liberrimam, invictissimam perseverandi Voluntatem. Ex hâc verò Gratiæ ad perseverandam sufficientis, non efficacis collatione ita consequi peccatum, ut ipsa efficacis auxilij denegatio inferat peccati permissionem ex parte Dei involventem tale de non dandâ efficaci Gratiâ Decretum, ut hoc sit Divino Intellectui ratio prævidendi peccatum. At hoc ipsum de Gratiâ efficaci denegandâ Decretum peccati permissivum cùm inferat obdurationem etiam Finalem, arguere in Deo negationem Prædestinationis, seu negativam illius obdurati reprobationem. Hanc igitur eatenus antecedere peccati personalis, seu Impœnitentiæ præsertim finalis prævisionem, ut quando S. Prosper in objectione citatus aliquos, *quia præsciti sunt casuri,* asserit, *non prædestinatos,* accipi debeat *in sensu illativo,* non verò *Causativo.* 17.

18. Ad 6. *n. 6.* Oppositum Respondetur. Calvinismum in hoc se tenere, quòd Prædestinatio ad vitam ex mente Calvinistarum dicatur purè Movens, non verò Excitans, Fovens, & Causans libertatem Meritorum Gloriæ productivam; quòdque ècontra reprobatio, seu prædestinatio ad mortem reprobos impellat, seu cogat ad peccandum, adeòque culpæ, ac demeriti ratio, & consequenter reprobationis executio, sive damnatio non in creatum arbitrium, sed

sed in Deum reducatur, veluti præter alios innuit Franciscus de Lugo *cit. disp. 44. c. 2. n. 10.* & ostendit Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 10. a. 1. n. 19.* A quo adeò errore quantum distet sententia nostra reprobationem Negativam demerita personalia antecedentem asserens, exinde patet, quòd cum illâ omninò subsistat Gratia per modum excitationis fovens, ac bene operandi libertatem taliter conferens, ut illa ipsa tamen negativa reprobatio per subtractionem efficacis auxilij permittendo peccatum, non quidem sit *causativa*, sed in vi infallibilis consequentiæ *illativa* peccati non nisi ex libero creato arbitrio provenientis, & ut sic in executione promerentis æternam damnationem, seu positivam reprobationem.

CONTROVERSIA. III.

An peccatum Originale sit Causa Reprobationis, seu Exclusionis ab æternâ gloriâ?

1. BAnnes *præs. q. 23. art. 7. dub ult.* duas principales de Puncto præsenti refert sententias: alteram S. Augustini affirmantis: Peccatum Originale ex parte reprobi esse Causam reprobationis. Alteram D. Thomæ negantis, dari ex parte reprobati Causam, seu rationem reprobationis.

2. Suarez *de Deo uno: lib. 5. c. 3.* Andreas Lao *disp. 131. dub. 2. quæsito 4. & dub. 3. quæs. 3.* negant; Peccatum Originale esse Causam non Electionis reproborum. Fundamentum est. Nam Voluntas salvandi, non obstante Peccato Originali, & Voluntas damnandi propter Originale peccatum pugnant pro eodem signo. Atqui adhuc viso peccato Originali etiam ut contracto in singulis hominibus, habuit Voluntatem Deus salvandi omnes. Ergò implicat, quòd simul pro eodem signo habeat Deus Voluntatem efficacem damnandi aliquos propter Originale peccatum.

3. Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 10. a. 2. n. 28.* tradit sequentia. 1. Peccatum Originale in hominibus, in quibus de facto præcessit ordinem reprobationis fuisse quidem ex parte peccati Orginalis in ipsis prævisi sufficientem Causam ad reprobandum eos à Gloriâ etiam per modum punitionis. Nihilominùs 2. Deum de facto non esse usum hoc Motivo, ut ratione adæquatâ ad reprobationem omnium, qui reprobantur, nec ad reprobandum *comparativè* unum præ alio. 3. Si qui tamen damnantur propter Peccatum Originale, vel propter illud denegatur eis Auxilium sufficiens ad credendum, Peccatum Originale esse Causam talis reprobationis. 4. Nullo autem modo Peccatum semel remissum esse Causam alicujus reprobationis sive à Gloriâ, sive à Gratiâ. Fundamentum *à n. 30.* deductum est. Quia pluribus damnatis remissum fuit peccatum Originale. At culpa remissa non potest damnatione puniri, nec potest Decretum remittendi peccatum componi cum Decreto damnandi, & puniendi illud. Nequit ergò peccatum Originale remissum esse ratio, & Motivum rejiciendi à Gloriâ, siquidem ista rejectio esset per modum punitionis, seu damnationis.

Ioannes Baptista Gonet *disp. 5. de reprob. a. 5.* ex Authoritate præsertim SS. Augustini, & Thomæ Aquinatis asserit, Primam reprobationis hominum Causam fuisse peccatum Originale. 4.

CONCLUSIO.

EXclusio à regno Cælorum quoad Ordinem intentionis ita consequens est Peccati Originalis tanquàm Causæ, seu Motivi prævisionem, ut tamen quoad Ordinem Executionis Negatio etiam gratiæ post culpæ Originalis remissionem prævisam decretata non pendeat ex peccato Originali tanquàm Causâ, seu Motivo.

Probatur ex S. Aug. *in lib. de Prædest. Sanctor. c. 8. in fine* taliter disserente: *Fides igitur inchoata, & perfecta Donum Dei est. Cur autem non omnibus detur, Fidelem movere non debet, qui credit, ex uno omnes isse in condemnationem sine dubitatione justissimam, ita ut nulla esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur.* Ex quo ita licet argumentari. Cùm non omnibus detur Donum Fidei sive perfectæ, sive imperfectæ, ratio est, quia omnes ex uno iverunt in condemnationem justissimam. Hæc verò generis humani ruina universalis est per culpam Originalem. Atqui ex hoc, quòd aliquibus non detur Donum fidei sive inchoatæ, sive ad vitæ finem continuatæ, sequitur, ipsos fieri vasa Contumeliæ, sive Iræ, quæ in multâ patientiâ permittit Deus apta in interitum. Hæc autem Vasorum Iræ permissio est ex fine ac Motivo Voluntatis Divinæ volentis ostendere Iustitiam vindicativam, & notam facere Potentiam suam. *ex c. 9. ad Rom.* Ergò Voluntas Dei permittentis vasa Iræ ex fine ostendendi Iustitiam vindicativam, & Potentiam suam supponit Peccatum Originale tanquàm Motivum, super quo radicatur vindicationis illius Iustitia. At ista Dei voluntas demeritorum personalium prævisionem antecedens est reprobatio Negativa spectans ad ordinem Intentionis, non verò Executionis in reprobatione Positivâ supponentis Peccatum Finale, ut constat *ex cont. præced.* Constat igitur, Negativæ hominum non Electorum reprobationis Causam, rationem, & Motivum esse ex Peccato Originali. 5.

Respodebis ex Ioanne à S. Thomâ *cit. a. 2. n. 31* S. Augustinum docendo, quòd hominum reprobatio facta sit ob peccatum Originale, solùm intendere, quòd his, qui à Deo relinquuntur, & reprobantur, dum alij salvantur, nulla sit Causa justæ querelæ, aut injustitiæ ex parte Dei, cùm ad eos damnandos, & reprobandos habeat sufficentem Causam, si velit illâ uti, in peccato Originali. 6.

Contra. Nam S. Augustinus *In lib. de Corrept. & Grat. c. 9. in fine.* asserit, Deum ità facere Misericordiam in illo, qui Gratiæ largitate discretus est inter vasa Misericordiæ, quæ præparavit ad Gloriam, ut è contra faciat judicium in hoc, qui nõ est prædestinatus. At hoc ludiciũ eo ipso reducitur in peccatũ originale tanquã Motivũ dum 7.

dum opponitur Miſericordiæ, quæ in Electione gratuitâ intervenit: de cujus Electionis, ac Iudicij inter ſe collatione idem S. Eccleſiæ Doctor *lib. de Prædeſt. Sanct. c. 6.* diſſerit in hæc verba: *Ecce Miſericordia, & Iudicium; Miſericordia in Electione, quæ conſecuta eſt juſtitiam Dei, Iudicium verò in cæteros, qui excæcati ſunt.*

At verò iſta excæcatio eſt per hoc, quòd non veniant ad Chriſtum, dum Pater ipſos Iudicio non docet, itaque obduret digna retribuens. *ex cit. lib. de Prædeſt. c. 8.* Hujus autem Iudicij ratio, cur Pater non omnes doceat, eſt, quia volens oſtendere Iram, & demonſtrare Potentiam ſuam attulit in multâ Patientiâ Vaſa Iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem. *ex cit. c. 8.* At verò oſtenſio Iræ, & ratio Iudicij digna retribuentis ſupponunt Culpam tanquàm Materiam Vindicativæ Iuſtitiæ. Hæc autem culpa eſt, quâ per liberum primi hominis arbitrium univerſa humani generis Maſſa defluxit in condemnationem, ratione cujus non iniquitati, ſed Iudicio Dei deputandum eſt, quòd ex Maſſâ humani Generis fiant vaſa Contumeliæ ex S. Au-
8. guſt. *epiſt. 106. contra Peleg. ante med.* Conſtat igitur, pro ſigno gratuitæ Electorum ad Gloriam Prædeſtinationis Deum aliquos reprobando ex motivo Iuſtitiæ Vindicativæ reſpexiſſe ad Originale peccatum tanquàm Materiam Iudicij in eos exercendi. In quem adeò ſenſum D. Thomas *q. 6. de Verit a. 2. ad. 9.* taliter diſſerit: *Electio Dei, quâ unum eligit, & alium reprobat, rationalis eſt, nec tamen oportet, quòd ratio Electionis ſit meritum, ſed in ipſâ Electione ratio eſt Divina Bonitas, ratio autem reprobationis eſt in hominibus Peccatum Originale.*

9. Replicabis ex eod. Ioanne à S. Thomâ *cit. a. 2. n. 31. & 34.* S. Auguſtinum, quando hominum reprobationem aſſerit à Deo factam per modum Iudicij ob peccatum Originale, vel eſſe intelligendum de his, quibus peccatum Originale nunquam fuit remiſſum; vel intelligi poſſe de reprobatione executivâ, & punitivâ, ita ut unus effectus v. g. denegatio Gratiæ ad credendum, ſive damnatio ultima habeat pro Cauſâ, & Motivo peccatum Originale in his, quibus non eſt remiſſum.

10. Contra. Nam verum quidem eſt, quòd denegatio Gratiæ ad credendum ſit in pœnam Originalis peccati, veluti ex S. Auguſtino apertè tradit D. Thomas *2. 2. q. 2. a. 5. ad 1.* Unde idem S. Doctor *ibid. q. 10. art. 1.* docet, quòd *Infidelitas Negativa non ſit peccatum, ſed pœna, ſiquidem talis ignorantia Divinorum ex peccato primi Parentis conſecuta ſit.* At verò illa ipſa Gratiæ ad credendum denegatio tanquàm pœna eſt ex hoc, quia Deus volens oſtendere Iram permittit vaſa Iræ perfici in perditionem. *ex ſæpè cit. c. 9. ad Rom.* Hæc autem Voluntas Dei permittentis vaſa Iræ perfici in perditionem eſt reprobatio Negativa, quæ habens rationem Iuſtitiæ Vindicativæ ita ſupponit offenſionem Dei Originaliter traductam in univerſum genus humanum, ut hoc ſit una quædam Maſſa peccati ſupplicium debens Divinæ, ſummæque Iuſtitiæ. ex D. Aug. *lib. 1. ad Simplici. q. 2.* Conſtat igitur, obdurationem ſeu excæcationem non venientium ad Fidem eſſe effectum reprobationis Negativæ ſe tenentis in Divinâ Voluntate pœnes Ordinem Intentionis, ac ſupponentis peccatum Originale tanquàm Cauſam, ac Motivum.

Confirmatur. Nam Apoſtolus *ad Rom. c. 9.* 11.
inducens Eſau tanquàm Reproborum Typum, & Figuram, ait, Deum dilexiſſe Iacob, Eſau verò odio habuiſſe. At per iſtud odium S. Thomas *præc. cit. n. 9.* citatus intelligit reprobationem. Nequit verò id intelligi de reprobatione Poſitivâ, hæc enim eſt conſequens peccati Finalis prævisionem, illud verò odium pronuntiatur antecedens opera mala in Eſau tanquàm Figura reproborũ prævisa. Oportet igitur, Odiũ illud reproborum intelligi de reprobatione ipſorum negativâ. At Deus odio non habuit Eſau hominem, ſed Eſau peccatorem, ex S. Aug. *cit. q. 2. ad Simplic.* Cùm igitur odium Dei ſupponat Peccatum tanquàm rationem, & Motivum, illud verò Dei erga reprobos odium ſit antecedens prævisionem demeritorum perſonalium, conſequens eſt, in Deo eſſe ponendam reprobationem Negativam, quæ ſupponat Culpam Originalem tanquàm Cauſam.

Dices cum *cit.* Ioanne à S. Thomâ *n. 35.* De- 12.
um odiſſe Eſau peccatorem, non quia præſuppoſitivè erat peccator ante primam intentionem reprobandi, ſeu non eligendi, ſed Eſau peccato conſequenti peccatorem dici à Deo habitum odio, ſiquidem ex tali odio, ſeu averſione Dei conſequens erat futurum, ut permitteretur labi in peccatum, quod Deus odio habuit.

Contra eſt S. Auguſtinus *in Enchirid. c. 98.* de 13.
Iacob, & Eſau tanquàm Electorum, ac reproborum Typo, & Figurâ loquens in hæc verba: *Ambo itaque Gemini Naturâ Filij Iræ naſcebantur, nullis quidem operibus proprijs, ſed originaliter ex Adam vinculo damnationis obſtricti; ſed qui dixit, Miſerebor, cui miſertus ero, & Miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero, Iacob dilexit per Miſericordiam gratuitam, Eſau autem odio habuit per Iudicium debitum.* Ex quo ita licet argumentari. In odio Dei reprobantis homines in Eſau præfiguratos eſt Iudicium debitum. Atqui hoc Iudicium debitum non nititur operibus proprijs reproborum, ſed vinculo damnationis, quo ex Adam Originaliter ſunt obſtricti. Conſtat igitur, Originale peccatum eſſe Motivum, in quo fundatur Odium Dei non eligentis, atque adeò *negativè* reprobantis præfiguratos in Eſau peccatore. Unde idem S. Eccleſiæ Doctor *epiſt. 105. poſt Medium* expreſsè loquens de Prædeſtinatione gratuitâ, & conſequenter oppoſitâ reprobatione Negativâ ait: *Quid diligebat Deus in Iacob, antequam natus feciſſet aliquid Boni, niſi gratuitum Miſericordiæ Donum? & quid oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali, niſi Originale peccatum.*

Reſpondebis ultimò *ex prææalleg. Authore cit. n.* 14.
35. S. Auguſtinum, quando dicit, Deum odiſſe Eſau per Iudicium debitum, abſtraxiſſe ab hoc, quòd fuerit vel non fuerit circumciſus, & locutum eſſe de eo non ratione ſuæ perſonæ, ſed ut gerit perſonam eorum, qui in Maſsâ perditionis fuerant relicti ſine remiſſione Originalis peccati.

Contra. Nam S. Auguſtinus *in cit. c. 98.* ex- 15.
pendens, Cur in Deo, dum ex unâ humani generis Maſsâ unum diligit, & alterum odit, non ſit iniquitas; totam hujus reddit rationem, quòd Electos per Iacob ſignificatos non ex operibus,

ſed ex

sed ex se ipso miserendo diligat. Econtra verò reprobos per Esau figuratos, per Iudicium debitum ratione culpæ Originalis odio habeat. Atqui in hujus Divini Iudicij perscrutatione nec Apostolus, nec Augustinus restringit Causam ad illos duntaxat reprobos, quibus peccatum Originale nunquam fuit remissum. Cur ergò id faciat Ioannes à S. Thomâ, cùm præsertim Doctor etiam Angelicus *supra* citatus reprobationis Negativæ rationem motivam cum S. Augustino expressè reducat in peccatum Originale.

16. Cujus ratio ita deducitur. Nam prævisâ universi generis humani Originali Maculâ, Deus in hujus remedium ita prædestinavit Christum Redemptorem, ut isti dederit aliquos ex illâ Massâ, quibus efficaciter applicaret Redemptionis suæ merita ad Prædestinationem eorum impetrandam, cæteris in perditionis communi Massâ relictis. Ne verò isti à Redemptionis Christi remedio essent exclusi, pro ipsis etiam acceptavit Pater æternus Christi merita ad media salutis quibusdam remotè, quibusdam verò proximè sufficientia, eatenus decernenda, ut nonnullis ipsa Iustificationis Gratia conferretur, ipsorumque adeo culpa Originalis actu deleretur. Unde respectu istorum merita Christi, & Peccatum Originale ita comparantur ad Voluntatem Divinam, ut ex Motivo Meritorum Christi efficaciter, at temporaliter ipsis intendat Deus Gratiam Sanctificantem, ex motivo autem Iustitiæ in peccato Originali fundatæ pro eodem Divinæ Voluntatis signo quasi concomitanter intelligatur Deus intendere illis efficaciter Iudicium Iustum in denegatione Gratiæ Finalis, atque adeò Gloriæ ostendendum. Quare peccati Originalis remissio non intelligitur prævisa pro signo Divinæ Voluntatis intendentis reproborum aliquibus tum ob Christi merita Iustificationem peccati illius expiativam, tum Iustum ratione culpæ Originalis in excludendo à Gloriâ Iudicium. Non igitur repugnat, ut peccatum Originale in his etiam, quibus aliquando fuit remissum pro signo Intentionis antecedente culpæ illius remissionem sit Deo respectu reproborum Causa, seu Ratio negativæ reprobationis, etsi quoad ordinem Executionis reprobatio positiva sit consequens illam remissionem.

Responsio ad opposita Argumenta.

17. AD Bannis *n. 1.* positam Opinionem Respondetur. Hunc Authorem hallucinari, quòd asserat D. Thomam S. Augustino contrarium. Nam Indurationis, ac reprobationis ratio ex mente Doctoris Angelici *ad Rom. 9. Lect. 4. & in c. 6. Ioan.* reduci potest ad duplicem quæstionem, quarum altera sit in generali, *Quare Deus velit quosdam indurare, & quorundam misereri?* altera verò sit in speciali, *Quare velit hujus misereri, & hunc vel illum indurare?* Etsi verò posterioris quæstionis *locis cit.* asserat nullam esse rationem, nisi beneplacitum Divinæ Voluntatis: prioris tamen quæstionis allegat rationem, ut in illis, qui non vocati secundùm propositum sunt reprobati, appareat, & refulgeat Ordo Iustitiæ supponentis peccatum scilicet Originale; uti se declarat *q. 6. de verit. a. 2. ad 9.* Ac tota ista Doctrina ab ipsomet Doctore Angelico firmatur Authoritate S. Augustini, uti patet legenti loca præcitata. Concors igitur de præsenti reprobationis Negativæ ratione, ac Motivo est illorum S. Ecclesiæ Doctorum Mens, ac sententia.

Ad *n. 2.* Oppositum Fundamentum Respondetur. Ista duo optimè cohærere, quòd scilicet Deus pro signo Culpæ Originalis prævisæ ex voluntate de omnibus salvandis antecedente, & conditionatâ intuitu Christi Meritorum velit singulis etiam reprobis media salutis sufficientia: Item quòd pro eodem signo intuitu Culpæ Originalis nolit aliquibus Medium salutis efficaciter operativum, nec adeò velit *absolutè* eisdem actualem Gloriæ consecutionem. At hæc volitio est reprobatio negativa, siquidem in ejus objecto involvatur efficacis in fine saltem Gratiæ negatio, adeòque finalis peccati permissio, nec non actualis à regno Cælorum Ordine intentionis pro illo Culpæ Originalis necdum extinctæ signo efficaciter volita exclusio. Constat igitur, reprobationem Negativam demerita personalia antecedentem Originali peccato tanquàm Motivo innixam non pugnare cum Voluntate de omnibus salvandis antecedente, & conditionatâ respectu Finis Gloriæ inefficaci, ac respectu Mediorum sufficientium duntaxat inefficaci. 18.

Ad Ioannis à S. Thomâ *n. 3.* propositam Doctrinam Respondetur. Culpam Originalem stare quidem in Divinitatis conspectu tanquàm Causam, & Motivum ex se sufficiens ex Iustitiæ vindicativæ Honestate denegandi omnibus Gloriam, & Gratiam tum Sanctificantem, tum actualem quamlibet etiam sufficientem. Nihilominus juxta hujus Iustitiæ æquitatem stare Misericordiam unà cum infinitis Christi Meritis omnis illius ex Originali peccato contracti debiti remissionem efflagitantibus. Quare Voluntatem Divinam ex vi supremi sui Dominij contemperando Misericordiam cum Iustitiâ aliquid dare Gratiæ, & aliquid Iudicio. Cujus adeò discretionis Gratiæ & Iudicij eum servari modum, ut quosdam ex misericordiâ eligat ad Gloriam, in his tamen Electis nonnullos ab omni læthali maculâ personali præservet, alios ex cœno peccatorum in fine tandem vitæ extractos inter vasa Gloriæ reponat: èontra verò quosdam reprobet, atque ex his nonnullos efficacibus ad Iustificationis gratiam & Originalis peccati extinctionem auxilijs sublevet, alijs verò non nisi remota ad salutem Media provideat, alios denique proximè sufficientibus ad Iustificationẽ, etiam Finalem, non tamen efficacibus gratijs præveniat. Unde in reprobatione Negationem tum Gloriæ, tum cujuslibet Gratiæ esse ordine Intentionis antecedentem peccati Originalis remissionem, ut adeò peccatum Originale Ordine Intentionis possit esse ratio Gloriæ, & cujuscumque Gratiæ actualiter denegatæ; tametsi ordine Executionis antecedenter jam remissum in multis nequeat esse Motivum, talis denegationis. 19.

Ad Fundamentum *n. 4.* Oppositum Respondetur. Verum esse, quòd culpa remissa nequeat puniri damnatione. At falsum esse, quòd Decretum remittendi Originale peccatum non 20.

possit in Deo componi cum Decreto non quidem Executionis, sed intentionis propter illud denegandi Gratiam saltem finalem, & actualem Gloriæ collationem. Ratio est. Nam sicut prædestinatio Justificationis, ac efficacium ad salutem Mediorum præparativa, sic Providentia divina reproborum per Media sufficientia ad salutem ordinativa pro aliquo signo, seu instanti rationis antecedit peccati Originalis Remissionem utpote suum effectum. At pro eodem signo prævisionis Meritorum Christi habet Deus Voluntatem tum aliquos prædestinandi, tum alijs Media salutis duntaxat sufficientia providendi, pro quo etiam signo est in Deo quorundam non Electio, seu reprobatio Negativa. Oportet igitur, hanc se tenentem ex Ordine Intentionis, esse antecedentem Originalis Culpæ remissionem, ut adeò pro illo signo ita intelligatur peccatum Originale Divino conspectui repræsentatum, ut omninò possit esse Causa, & Motivum denegatæ Gloriæ Finalis, & Gloriæ. Unde Negativæ reprobationis objectum debet hunc in modum formari, quòd scilicet Deus ex Intentione suam Bonitatem sub ratione Justitiæ repræsentandi, ob peccatum Originale velit aliquibus Gloriæ negationem, nec non permissionem peccati finalis, propter quod, non verò propter Culpam Originalem remissam in Executione infligatur damnatio æterna.

COROLLARIUM.

21. INfertur. Qualiter Providentia Reproborum per Media sufficientia in salutem ordinativa, & Reprobatio tam Positiva, quam Negativa inter se comparentur. Nam 1. pro eodem signo prævisionis Meritorum Christi, atque propter ista efficacis aliquorum ad Gloriam Electionis stant in Deo tum illa reproborum in salutem ordinativa Providentia, tum Voluntas Judicij à Gloriâ, & consequenter Gratiâ saltem finali, nec non à vocatione finaliter efficaci per modum Intentionis reprobativa, intendens ostensionem Justitiæ Vindicativæ, ac Potentiæ Divinæ, atque adeò supponens Culpam non nisi Originalem.
22. 2. In illâ communi de reprobis Providentiâ divinâ pro secundo signo intelliguntur ordinata media salutis, quæcumque non Electis aliquando sunt concessa, inter quæ in multis est prima Justificatio, atque adeò peccati Originalis extinctio. Econtra ex parte Reprobationis Negativæ pro eodem secundo signo intelligitur à Deo decretata permissio peccati præsertim finalis. 3.
23. Licèt peccatum Originale ante finem Vitæ in multis remissum non possit esse Causa Reprobationis positivæ, seu damnationis inferendæ, attamen ex intentione pro primo signo, positâ in Dei Voluntate de non dandâ Gratiâ finaliter efficaci, consequitur peccatum finale, propter quod, ac cætera peccata non remissa in tertio signo intelligitur Deus habere reprobationem Positivam per modum Executionis inflictivam æternæ damnationis.

(IHS.)

ARTICULUS II.

De

Effectibus Reprobationis.

CUm reprobatio sit pars Divinæ Providentiæ ordinativa Creaturæ rationalis in ostensionem Justitiæ, ac Po- 1.
tentiæ, nixa supremo Dominio Dei habentis Claves Cæli, ac inferni, cum Potestate ex humani generis Massâ vel secundum Originalis peccati debitum, ac Judicium, vel secundum Gratiæ miserationem pro libitu faciendi aliud vas Contumeliæ, aliud verò Honoris. Idcirco nequit Reprobationis effectus esse, nisi ex vi Ordinationis, & Causalitatis Divinæ Providentiæ conducat ad Justitiæ ac Potentiæ Dei, nec non supremi ejus Dominij manifestationem. Et- 2.
si verò peccatum sit unica Justitiæ vindicativæ Materia, concitans contra se Iram, seu Vindictam Divinam, nequit tamen Reprobationis esse effectus, eo ipso, quòd reduci non possit in Dei Causalitatem. De quatuor igitur superest difficultas, An sint Reprobationis Divinæ effectus. 1. *de Permissione peccati.* 2. *de Auxilij efficacis, imò etiam sufficientis denegatione, nec non de obduratione, ac excæcatione.* 3. *de pœnis, ac Morte tum temporali, tum æterna.* 4. *denique de bonis Naturalibus, imò beneficijs quoque supernaturalibus.*



CONTROVERSIA I.

An, & quomodo Permissio Peccati sit effectus Reprobationis.

YSambertus *ad præs. q. 23. disp. 9. art. 3. & 4.* tra- 3.
dit, Permissionem peccati sive primi, sive secundi non esse propriè effectum Reprobationis. Probatur. Quia effectus reprobationis debet esse volitus à Deo ex aliquâ intentione Reprobationis, & Fine illius. At Finis reprobationis est Damnatio creaturæ rationalis, quam Deus ex se nulli vult, nec adeo intendit cuiquam ex hoc fine permissionem peccati.

Franciscus de Lugo *præs. disp. 44. c. 4. n. 9.* 4.
negat, quòd primi peccati permissio sit effectus Reprobationis. Fundamentum adduci potest. Quia reprobatio in Deo est actus Justitiæ vindicativæ. At licèt ad hominum Reprobationem supponatur prævisio culpæ Originalis, quâ Justum Dei reprobantis Judicium nititur: attamen ad reprobationem Angelorum nequit supponi peccatum, nisi personale. Primum ergo Angelorum Peccatum Personale non tam potuit Reprobationis divinæ esse effectus, quàm Causa & Motivum.

Granado *tract. de reprob. disp. un. sect. 4.* tenet: 5.
Omnis peccati etiam remissi, aut remittendi permissionem esse Effectum reprobationis. Fundamentũ asserri potest. Nam ut aliquid sit effectus Reprobationis, requiritur 1. ut procedat effectivè ex Voluntate Dei excludente creaturam rationalem à Gloriâ, 2. ut conducat ad exclusionem à

FineGloriæ, dicatque continuationem aliquam, seu ordinem cum ultimo Medio pariente executionem Justitiæ punitivæ pœnâ æternâ mulctantis peccata. Atqui ex Voluntatis divinæ Caussalitate saltem negativè per Gratiæ efficacis subtractionem eatenus procedit permissio peccati etiam remittendi, ut istud post remissionem conducat ad finem Reprobationis. Probatur istud Assumptum. Tum quia peccatum ejusmodi licèt remissum potest in memoriam revocatum inclinando ad aliud peccatum conducere ad novi lapsûs permissionem. Tum quia relapsûs in novam Culpam contrahit ex peccato præcedenti remisso circumstantiam Ingratitudinis aggravantem, cui in æternâ damnatione peculiaris pœnæ modus respondet. Tum denique, quia Vocationes inefficaces, & Gratia interrupta in prædestinato conducunt in Cælo ad aliquid Gloriæ accidentalis, suntque adeò effectus divinæ Prædestinationis. Ergò à pari Peccata remissa sunt Materia majoris doloris, & pœnæ accidentalis in inferno. Ergò sunt effectus reprobationis.

6. Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 10. a. 3. n. 14.* Labat *disp. 7. de Prædest. cont. ult.* Gonet *præs. disp. 5. a. 4. §. 1. ex communi Thomistarum sententiâ docent,* omnis peccati, etiam primi, modò sit nunquam remittendum, sed cum finali culpâ continuandum, sicuti obdurationem, ac excæcationem esse verè, ac propriè effectum reprobationis.

Conclusio.

Omnis peccati Personalis in statu viæ nunquàm remissi, seu remittendi permissio est effectus Negativæ, non verò Positivæ Reprobationis.

7. Probatur, & Explicatur. Nam Deus decernendo hominis, & Angelorum creationem, Dominij sui, ac Misericordiæ, & Justitiæ ex operibus suis relucentem Gloriam intendebat taliter attemperare, ut tam Angelos, quàm humanum in primo parente Genus elevando ad statum gratiæ, eosque viribus Gratiæ ad perseverandum sufficientibus instruendo, Misericordiæ suæ Liberalitatè erga omnes superexaltaret, sed tamen Gratiam efficacem, seu ipsum Perseverantiæ donû multis Angelorum, ac totius humani generis Capiti subtrahendo sui absoluti independenter à creaturarû felicitate in subsistentis Dominij manifestationem ostendere vellet. Ex hâc verò gratiæ ad perseverandum efficacis substractione factum est, ut plurimi Angelorum, & humani generis parens, imò totum Genus humanum in Adamo, ceu Capite suo peccando, divinæ Justitiæ Judicio subderentur. At quia Angelorum Voluntas naturâ suâ inflexibilis, ac immobilis est, idcircò Providentia Divina rerum naturis se conformando, in primo de Angelorum per Gratiæ efficacis subtractionem peccato, atque adeò ruinâ permittendâ Decreto, jam intendebat ostensionem Iræ, seu manifestationem Justitiæ, ac Potentiæ suæ. Hoc autem Decretum Iure absoluti Divini Dominij, nec non ex Fine Justitiæ Dei manifestandæ Efficaciter excludens à Gloriâ cælesti ita habet rationem Reprobationis negativæ, ut ex eodem flueret primi quoque Angelorum peccati permissio.

8. Econtra, quia Voluntas humana ex naturæ suæ conditione mobilis, ac flexibilis est, idcircò Deus primo nostro Parenti Perseverantiæ Donum, seu Gratiam efficacem denegando, itaque Originalis in totum Genus humanum Maculæ derivationem permittendo taliter intendebat sui in se subsistentis, ac omninò independentis Esse, atque Dominij ostensionem, ut tamen in Justitiæ suæ remedium humani Generis per Christum Redemptionem præpararet. Quo adeò Redemptionis nostræ Decreto posito, cùm in Majestatis Divinæ conspectu staret ex unâ parte Originalis peccati debitum ex Justitiæ vindicativæ justo Judicio exigens omnis Gratiæ negationem; ex alterâ verò parte Pretium Sanguinis Christi suæ Condignitatis valore exigens totius ex Maculâ Originali contracti debiti extinctionem: Idcircò Providentia divina ita detulit Christi Meritorum condignitati & valori, omnibus præparando Media salutis de se sufficientia, nec non ex massâ perditionis aliquos efficaciter eligendo, ac prædestinando ad æternam Gloriam, ut tamen volens ostendere Iram, & notam facere Justitiam, & Potentiam suam multos ex originalis peccati justissimo merito efficaciter excluderet à Regno Cælorum: quos proinde tanquàm Vasa Iræ in multâ patientia sustinuit, permittendo ipsorum peccata. Constat igitur, omnes peccatorum in Angelis non remissorum permissiones esse Reprobationis ipsorum Negativæ effectus: in hominibus verò illorum duntaxat peccatorum, quæ Culpam Originalem subsecuta, nunquam vi Pœnitentiæ extinguuntur, permissiones esse ex voluntate Dei ob peccatum Originale efficaciter excludentis aliquos à Regno cælesti.

Unde S. Thomas *præs. q. 23. a. 3.* ait, *quòd sicuti Prædestinatio includit Voluntatem dandi Gratiam, & Gloriam, sic reprobatio includat Voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpâ.* 9.

Dices. Ad reprobationis Negativæ effectum requiri, ut sit volitus à Deo tanquàm Medium conducens ad ostensionem Justitiæ vindicativæ, ac Potentiæ Divinæ. Atqui permissionem peccati non nisi ratione formalis peccati malitiæ conducere ad Divinæ Justitiæ manifestationem. Non ergò videri, quomodo peccati permissio possit esse effectus divinæ Voluntatis reprobantis, quin ejus malitia sit à Deo volita. 10.

Contra. Nam peccati permissio importat Gratiæ efficacis tanquàm beneficij indebiti denegationem: hæc verò se habet ad peccatum, quatenus istud non impedit; Ista verò non impeditio potest esse volita ex summâ æquitate Dominij Dei, cujus vult miserentis, & quem vult obdurantis. Non igitur repugnat, peccati permissionem esse effectum Divinæ Voluntatis, quin peccati malitia non nisi ex creatâ defectibiliter operante Voluntate profluens sit Volita à Deo, siquidem huic unica volendi ratio sit ens Increata Bonitas, cui ex supremi Dominij æquitate ita congruit denegatio Gratiæ efficacis, ac permissio peccati, ut hujus tamen Malitia devians ab Increatâ Dei Sanctitate non possit respectu Voluntatis Divinæ esse objectum, nisi abominationis, & aversionis, seu nolitionis.

Responsio ad Argumenta ab initio opposita.

12. AD *n.1.* Ysamberti Oppositum Respondetur. Verum esse, quòd damnatio creaturæ rationalis non possit esse Voluntatis Divinæ objectum per se intentum ad instar finis, etsi possit à Deo volita esse tanquàm Medium ex intentione ostensionis Justitiæ, ac Potentiæ, nec non supremi Dominij sui. Ex quâ proinde Voluntatis divinæ Intentione posse peccati quoque permissionem instar Medij conducentis ad prætactum Reprobationis Finem à DEO volitam esse.

13. Ad *n.4.* Oppositum Respondetur. Supremi Gubernationis, ac Universalis Provisoris Dei esse virtutem Justitiæ Vindicativæ procurare nō tantùm *executivè* quoad exercitium punitionis, sed etiam *Architectonicè, ac Gubernativè* providere de illâ Justitiæ Virtute ponenda in Universo. Hoc autem fieri, quatenus Deus ex supremi sui Dominij Jure ac libertate volens ostendere Iram, & notam facere potentiam suam permittit peccata, quibus creaturæ rationales perficiuntur vasa Iræ, Contumeliæ, seu justæ Dei Vindictæ. Etsi proinde Justitia Dei Vindicativa *executivè* quòd exercitium punitionis supponat peccatum, oportere tamen quoad Architectonicam Provisionem, seu Prudentiam Gubernativam priùs esse à Deo intentam in Angelorum Negativâ reprobatione, quàm istorum peccatum aliquod sit à Deo prævisum. Quare Justitiæ divinæ haud repugnare, quòd omnia Angelorum peccata sint effectus divinæ Negativæ ipsorum Reprobationis.

14. Ad *n.5.* Oppositum Respondetur 1. Peccatum remissum non formaliter in ratione Culpæ trahere ad novum lapsum, sed per quandam post se relictam dispositionem, seu inclinationem naturalem physicè causatam ex Entitate actûs peccaminosi, non verò ex ejus morali malitiâ. Quare peccatum remissum formaliter in ratione Culpæ non conducere ad novi lapsûs permissionem. 2. Circumstantiam Ingratitudinis in relapsu non contrahi ex peccato remisso, sed ex defectu recognitionis debitæ ob gratuitam in Culpæ illius remissione acceptum Beneficium. Cui proinde Ingratitudinis Malitiæ per novum peccatum contractæ, nō verò culpæ remissæ in æternâ damnatione respondere peculiarem pœnæ modum. 3. Disparem esse rationem de Culpâ remissâ in reprobo, & vocationibus inefficacibus seu Gratiâ interruptâ in Prædestinato. Nam ista Dei Beneficia non ita oblitterantur per subsequens peccatum, quin per Visionem Beatificam Prædestinato sit in Verbo repræsentanda gratuita Dei Voluntas Gratiarum ejusmodi effectrix, & collatrix, ex se vim habens excitandi Gaudium aliquod, & lætitiam. Econtra Culpa remissa extinguitur, ut nihil peccati maneat secundùm ullam etiam moralem imputationem. Nam licèt peccatum Remissionem præteritæ Culpæ subsequens specialem Ingratitudinis notam contrahat, id tamen non provenit ex culpâ illâ remissâ, sed ex ipsâ Misericordiæ remissione. Sicut ergò Beneficia quæcumque sive Naturalia, sive supernaturalia sunt ratio majoris in peccato postea perpetrato malitiæ, quin tamen Dona ejusmodi sint Reprobationis effectus, velut *inf. cont.* 3. demonstrabitur. Sic nec illa remissio culpæ, quæ non per se, sed per accidens tantùm gravioris malitiæ, atque adeò pœnæ acerbioris causa est, computari potest inter Reprobationis effectus.

CONTROVERSIA II.

An, & quomodo Gratiæ tum Efficacis, tum Sufficientis denegatio, nec non excæcatio, ac obduratio sint Effectus Reprobationis?

DUplex hîc Difficultas venit examinanda. 1.
Altera circa Gratiæ Efficacis denegationem, *An scilicet ista possit in hâc vitâ esse Effectus Reprobationis Positiva.* Affirmare enim videtur Franciscus de Lugo *cit. disp. 44. c. 4. n. 10.* ubi permissionem peccati alterius à primo posse Reprobationis Positivæ effectum esse, probat ex eo, quòd ex simplici Complacentiâ in ostensione divinæ Justitiæ peccata hominis alicujus jam commissa acriter punientis possit Deus nolle illi congruam præbere Gratiam, sed sinere, ut qui in sordibus est, sordescat adhuc, donec simul omnium criminum recipiat retributionem.

Altera difficultas est circa Gratiæ sufficientis denegationem, *Qualiter sit præsertim in obduratis, & excæcatis effectus Reprobationis Negativa.* Circa quod affirmare videntur Authores, qui putant in hâc viâ posse dari statum, in quo remedia salutis sufficientia sive Gratiæ sufficentis Auxilium reprobo denegetur. 2.

Conclusio.

NEc Gratiæ efficacis denegatio in hâc vitâ potest esse Positivæ Reprobationis effectus: nec omnimoda Remedij, seu auxilij sufficientis negatio pro aliquo viæ statu est Negativæ Reprobationis effectus: nec adeò in statu viæ obcæcatio, & obduratio est aliquando effectus Positivæ Reprobationis, sed duntaxat Negativæ.

Probatur. Nam Positiva reprobatio est Judicium divinum æternâ Damnationis Pœnam decernens *executivè.* Hujus autem Executivi Decreti objectum est privatio non tantùm Gloriæ, sed etiam Gratiæ tum Habitualis, tum Actualis, tam Efficacis, quàm Sufficientis. Unde istud Decretum respicit statum, in quo omni Redemptionis spe ademptâ, nihil virium supernaturalium etiam sufficientium superest ad tendentiam in Finem Gloriæ. Atqui pro statu viæ inprimis cuique ex Sanguinis Christi Pretio sunt Media ad salutem parata. 2. Nisi quis obicem ponat, paratus est Deus tangere Cor gratijs Sufficientibus ad Justificationem, & Conversionem. 3. Pro illo saltem tempore, quo instat præcepti alicujus supernaturalis executio, non deest sufficiens Gratiæ Auxilium; si enim hoc deesset, sine culpâ caderet homo, ex S. Aug. *c. 11. lib. de Corrept. & Grat.* Cùm igitur positiva Reprobatio in suo objecto respiciat statum, in quo sufficiente 3.

Gratiâ

Gratiâ ademptâ; viæ, ac tendentiæ in Finem Gloriæ omnis spes est præcisa, hæc autem spes ad totum vitæ hujus cursum se extendens non nisi per damnationis statum adimatur, consequens est, nullum Reprobationis Positivæ effectum stare pro statu viæ, ac vitæ istius.

4. Dices. Dari posse statum Negativæ Infidelitatis, in quo Fidei Ignorantia non culpa sit, sed Pœna. ex S. Thom. *2. 2. q. 10. a. 1.* At in hoc statu negari omne auxilium sufficiens ad Fidem, imò cùm ista sit Fundamentum dispositionis ad Justificationem, negato auxilio ad credendum sufficiente, consequens esse, quòd negetur auxilium sufficiens, quemlibet actum supernaturalem, cui aliqualis ad Iustificationem dispositionis ratio convenire possit. Atqui hæc ad quemvis supernaturalem actum sufficientis Gratiæ negatio est in pœnam Originalis Culpæ decreta à Voluntate divinâ per Negativam Reprobationem. Cur ergò non posset Deus in enormium aliquorum scelerum vindictam aliquem pœnæ infernali vi Decreti sui Executivi jam addictum spoliare omni deinceps efficaci saltem ad supernaturaliter operandum auxilio, itaque obduratum, & in sensum reprobum traditum permittere, ut ea, quæ non conveniunt, faciendo, infernalis pænæ cruciatus per aliquantam Vitæ hujus extensionem adhuc acerbiores in se provocaret?

5. Contra. Nam verum quidem est, Infidelitatem Negativam cum carentiâ omnis ad fidem, & Iustificationem Gratiæ sufficientis in pœnam Originalis culpæ potuisse in vi divinæ Reprobationis à Deo esse decretam aliquibus. Nihilominùs de facto ante prævisum peccatum Finale nunquàm terminatur status viæ seu tendentiæ in Finem Gloriæ. At iste status tendentiæ non potest intelligi pro statu, in quo universâ spe salutis præcisâ Deus ne paratus quidem esse, ampliùs conferre Potentiam, seu vires Sufficientes ad supernaturaliter operandum. Hic autem omnem salutis spem præsciendens status involvitur in objecto decreti, ac Iudicij Divini pænam Inferni *executivè* decernentis, seu *positivè* Reprobantis. Cùm igitur ille in Gloriæ Finem viæ, ac tendentiæ status non nisi cum hâc vitâ terminetur, nequit Reprobatio Positiva intelligi, nisi post prævisum Finale peccatum, nec adeò pro signo hanc prævisionem antecedente intelligi potest obcæcatio, & obduratio, quæ omnem Gratiam actualem etiam sufficientem adimens sit effectus Reprobationis Positivæ, Quare obcæcatio Gratiam efficacem, non autem sufficientem simpliciter tollens potest in hâc vitâ esse effectus Negativæ duntaxat reprobationis.

6. Ad Francisci de Lugo *n. 1* Oppositum Respondetur. Verum esse, quòd Deus non tantùm ex simplici complacentiâ, sed ex efficaci etiam executivo Decreto ex fine ostendendi Iustitiam suam possit ob peccata hominis alicujus enormia nolle Gratiam efficacem ipsi ampliùs præbere, sed sinere, ut qui in sordibus est, sordescat adhuc: attamen illud Decretum, cùm supponat statum viæ nondum finitæ, non attingere Positivæ Reprobationis objectum, quod est damnationis æternæ status omnem Gratiam sufficientem etiam ex parte Dei excludens.

CONTROVERSIA III.

An Pœnæ temporales, ac Pœnalitates, nec non Beneficia naturalia in Reprobis sint effectus Reprobationis?

Granadus apud Amicum *præs. disp. 16. sect. 7. n. 55.* affirmat, omnia mala Pœnæ in hâc vitâ inflictæ, nec non Dona omnia tam Naturalia, quàm supernaturalia Reprobo collata esse effectus Reprobationis. Fundamentum est. Nam ut aliquid sit effectus Reprobationis, non est necessarium, esse primariò intentum à Deo propter damnationem Reprobi, sed tum ad ostendendam Iustitiam suam, tum ad ostendendam Misericordiam erga Electos. At positâ Scientiâ Conditionatâ, quâ prævidit Deus homines, & Angelos finaliter peccaturos, adhuc potuit illos velle condere, eisque sua Dona tam Naturalia, quàm supernaturalia communicare, ut in illis ostenderet Iustitiam, & Misericordiam, siquidem iste Finis honestus sit, & Deo maximè conveniens. 1.

Petrus Labat *disp. 7. de Prædest. cont. ult. §. 2.* in tantum favet sententiæ superiùs relatæ, ut ipsam etiam substantiam reprobi dicat esse effectum Reprobationis. Fundamentum deluitur ex illo *Prov. 16. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* 2.

Franciscus de Lugo *cit. disp. 44. c. 4. n. 3. & 4.* censet, Mortem in statu peccati aliquando citra omnem Causarum Naturalium exigentiam provenire ex speciali Ordinatione, & Causalitate Dei volentis æquissimo Iustitiæ affectu reprobum (velut accident Sodomitis, nec non Dathan, & Abiron) æternâ damnatione punire propter peccata prævisa. In quo adeò casu Reprobi Mortem esse effectum positivæ Reprobationis. Nihilominùs Mortem reproborum in statu peccati Regulariter provenire ex naturali Causarum serie, & activitate, atque tunc non esse effectum reprobationis, sed naturalis Providentiæ. Fundamentum est. Nam Divinam de Morte reprobi volitionem non antecedit absoluta Finalis peccati Præscientia, sed per ipsam mortem fit illud peccatum Finale. Ergò nec antecedit sententia damnationis lata in talem hominem. Ergò pertinet ad communem Providentiam infligere Mortem, sive permittere juxta exigentiam Causarum secundarum, post cujus adeò Mortis inflictæ prævisionem in peccati Finalis vindictam fertur primùm sententia damnationis. 3.

Ioannes à S. Thoma *cit. disp. 10. a. 3. à n. 8.* asserit 1. Mortem reprobi in statu peccati esse reprobationis effectum. 2. Defectus, aut Pœnalitates corporales reproborum, veluti malum temperamentum, durum ac indisciplinabile ingenium, pronitatem ad concupiscendum, vel vindicandum, ac similia ad peccandum, & perseverandum in peccato juvantia posse considerari dupliciter: Primò secundùm se, & quoad substantiam, & sic non esse effectus Reprobationis. Secundò prout de facto conducunt, & coadjuvant ad lapsum, & continuationem peccatorum, vel impediunt operationē Divinorum auxiliorum; sub 4.

sub quâ consideratione defectus illos, quatenus sunt pars quædam, vel conditio permissionis Divinæ Gratiam denegantis, esse ad instar permissionis peccatorum effectus Divinæ Reprobationis.

CONCLUSIO.

QUidquid defectibilitatis Naturalis reprobo accidit, non est à ratione dissonum affirmare, quòd sit *Negativè* effectus reprobationis: Econtra nihil Beneficij etiam naturalis confertur à Deo ex voluntate reprobativâ.

5. Probatur. Nam totius Providentiæ, sive reprobativæ, sive Prædestinativæ, sive Naturalis in Deo ratio desumi debet ex Bonitate ipsius; sic enim dicitur Deus omnia propter Bonitatem suam fecisse, ut scilicet in rebus Divina Bonitas repræsentetur. ex S. Thom. *cit. q.23. art. 5. ad 3.* Ac eo ipso, quòd res creatæ ad Simplicitatem Divinam attingere non possint, necesse est, Divinam Bonitatem in se unam, & simplicem multiformiter repræsentari in rebus creatis. *ex cit.* S. Doctore. Hæc autem multiformitas circa humanum Genus elucet, quatenus in aliquibus hominibus, quos prædestinat Deus, vult suam repræsentare Bonitatem per modum Misericordiæ parcendo, in alijs verò, quos reprobat, per modum Iustitiæ puniendo. *ex loco prænlleg.* Unde eatenus censetur aliquid esse Providentiæ divinæ effectus, quatenus in præfatum divinæ Bonitatis repræsentandæ Finem reducitur. Atqui effectum, sive ex permissivâ duntaxat Voluntate Dei, sive ex positivâ hujus Causalitate provenientem reduci in Finem Divinæ Vindicativæ Iustitiæ, per hoc agnoscimus, quòd Deus in talis effectûs sive permissione sive Causalitate physicâ, & positivâ velit ostendere Iram suam. Ex ejusmodi proinde Irâ, seu vindictâ Iustâ Mortem reprobi in statu peccati immitti à Deo, evincitur ex illo *Iob. 20. Detrahetur in die furoris Dei, hoc est pars hominis impij à Deo, & hæreditas Verborum ejus à Domino.*

6. Insuper ex defectibus dotium Naturalium v. g. Impijferitate, duritie, ac indisciplinatione resultant permissiones peccatorum, quatenus Deus mensuram Gratiæ suæ plerumque accommodat juxta naturalis Capacitatis modum, nec vult dare Gratiam extraordinariam, quæ talem modum vincat. Unde fit, ut Deus ejusmodi defectus in Vasibus Iræ sustineat, seu permittat ex Voluntate ostendendi suam Iustitiam, & Potentiæ Dominium absolutum.

7. Econtra effectum aliquem in Bonitatis divinæ per Misericordiam relucentis Finem reduci ex hoc demonstratur, quòd pro quolibet sive naturali, sive supernaturali Beneficio teneamur Deo gratias agere. Hæc autem gratiarum actio, seu congruæ erga Deum Gratitudinis Debitum arguit Liberalitatem, non verò Iustitiæ Iram, seu Vindictam. Cùm igitur reprobationis Negativæ Finis sit ostensio Iræ, non debet ullum, sive supernaturale, sive naturale Beneficium in reprobo censeri effectus Reprobationis.

8. Confirmatur. Nam sicut ratio Pœnæ est ostensio divinæ Iustitiæ, sic ratio Beneficij est repræsentativa Misericordiæ, ac Liberalitatis divinæ. At Deus ita attemperat Iustitiam, & Liberalitatem, ut superexaltet tamen Misericordiam. Unde nullus adeò reprobus est, quin in hâc vitâ mortali sentiat Liberalitatem Dei illuminantis omnem hominem venientem in hunc Mundum. *Ioan. 1.* Imo ipsam Iustitiæ ostensionem in permittendis Iræ vasis divina Providentia reducis adhuc in manifestationem Divitiarum Gloriæ suæ relucentis in Vasis Misericordiæ ad Gloriam præparatis. *ex Rom. c. 9.* Quare dici nullatenus debet, quòd Beneficia Dei, quæ reducuntur in Finem Misericordiæ, sint à Deo ordinata in Finem Justitiæ Vindicativæ, sintque adeò effectus Reprobationis: adstipulante D. Prospero *in Resp. ad 3. object. Vincent.* ubi ex eo, quòd hominis creatio sit Beneficium Dei, arguit non esse à Deo destinatam ex fine reprobationis: sic enim habet; *Nemo à Deo creatus est, ut periret: ut enim nascantur homines, Conditoris Beneficium est, ut autem pereant, Prævaricatoris est Meritum.*

Reponsio ad fundamenta opposita.

AD *n.1.* Oppositum Respondetur. Verum esse, quòd Deus infinitas Beneficiorum suorum, imò & Personarum cum Gratijs tum sufficientibus, tum efficacibus combinationes possibiles per scientiam simplicis Intelligentiæ cognoscendo posset ex vi absoluti sui Dominij quasvis homini alicui reprobo destinatas combinationes intendere ex fine ostendendi Iustitiam, & Potentiam suam. 9. Nihilominus de facto Deum super Judicium eatenus exaltare Misericordiam, ut ab omni quantumvis reprobo sit reverendus, non tanquàm metuendus duntaxat Dominus, sed ut Pater Misericors, ac Beneficiorum tam Gratiæ, quàm Naturæ Largitor munificus, habens erga omnes Voluntatem salvandi respectu Mediorum salutis remotè saltè sufficientium efficacem, licèt inefficacè quoad actualem finis Gloriæ assecutionem. Quare respectu reproborum ita esse dividendû inter effectus, tû Voluntatis divinæ ex suo Dominio propter Justitiæ manifestandæ Finem aliquos reprobantis tû divinæ volitionis reprobis ejusmodi conferentis Dona Gratiæ, & Naturæ, ut ex hâc fluant omnia, sive naturalia, sive supernaturalia Beneficia, ob quæ ex religionis virtute debemus ipsi gratiarum actionem, ex illâ verò non oriantur nisi permissiones peccatorum, atque defectus Naturales, nec non Pœnalitates, ac Pœnæ temporales peccatorum permissionibus cooperantes, & tandem pœna Inferni æterna ex Iustitiæ divinæ vindictâ Divinitùs præparata, & creata.

Ad Petri Labat *n.2.* Oppositum Argumentum Respondetur, Aliam esse Impij consideratio- 10. nem quoad physicæ Existentiæ substantiam, aliam vero quoad Formalem Impietatis Malitiam. Sub priori adeò respectu æquè de Impio, ac de universo Ente creato verificari illud *Prov. 16. Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* At istud *ly Propter semetipsum* denotare Causalitatem Finalem ita se tenentem ex parte divinæ bonitatis, quin ex parte creaturarum respiciat Deus aliquod Voluntatis suæ universa propter se Operantis Motivum. Quare in ratione Motivâ per Dei Uoluntatem de creandis hominibus intentâ nullam nec ex parte reproborum præsupponi Culpam, propter quam Deus Existentiam, seu Creationem ipsorum velit ordinare in finem Iustitiæ.

Oporte-

Oportere igitur præallegati Sacri textûs verba subsequentia, *ly Impium quoque ad Diem Malum*, intelligere de Impio *formaliter* spectato secundùm rationem Impietatis, prout istius nimirum permissio est à Deo volente ostendere Iram, & Potentiam suam, uti ait Apostolus *Rom. c. 9.*

11. Firmatur hæc nostra Expositio ex Chaldaicâ illius sacri textûs versione, in quâ sic legitur: *Impius servatur in diem malum.* Nam servari Impium, supponit ipsum jam existentem, ejusque adeò Substantiam productam, ex vi scilicet Causalitatis Dei universa propter semetipsum operantis. Neque verò, nisi quà formaliter Impius servatur in diem malum Vindictæ, seu pœnæ æternæ. Non igitur Substantia Impij, sed impietatis duntaxat permissio est ex Fine Reprobationis divinæ Negativæ.

12. Ad Francisci de Lugo *n. 3.* Oppositum Respondetur. Duo esse, quæ displicent in ejus Doctrinâ, alterum, quòd asserat, Mortem esse quandoque Positivæ Reprobationis Effectum; contra quod militat, Deum *executivè* nullum addicere pœnæ infernalis damnationis, nisi prævisio finali peccato, nec adeò Mortem, licèt in Dathan, & Abiron, vel alijs sub flagranti crimine occisis ex Iustitiâ sit à Deo in vindictam decreta, fuisse reprobationis Positivæ effectum. Alterum, quod

13. *in cit.* de Lugo Doctrinâ displicet, esse, quòd Mortem, si ex causarum naturalium serie ordinariâ accidat, eo ipso neget esse effectum Reprobationis. Nam contra est, quòd nulla in hoc sit repugnantia, ut Causæ etiam naturales famulentur divinæ Iustitiæ in reprobatione Negativâ intentæ. Nec aliunde Mors est ex Deo in ratione Beneficij, sicuti Bona non tantùm Gratiæ, sed naturæ, unde cessat in morte ratio, cur Naturæ & Gratiæ Beneficia negemus esse effectus Negativæ etiam reprobationis, siquidem hæc per modum Intentionis respiciat ad Motivum ostensionis Iustitiæ, illa verò Beneficia sint à Deo intenta ex motivo liberalitatis, ac Misericordiæ. Sicut igitur Bona Naturæ ita sunt à Deo per Providentiam naturalem, ut tamen inserviant Providentiæ divinæ supernaturali Ordinatrici Mediorum in Finem Gloriæ. Sic econtra Mors ex vi naturalium Causarum accidens ita cadit sub Providentiam Dei naturalem, ut tamen famulari possit Providentiæ ordinatrici ostensionis divinæ Iustitiæ, ac Potentiæ.

14. Ad Ioannis à S. Thomâ *n. 4.* proposita Respondetur. Illam Doctrinam ex toto placere. Ratio est, quia in tantum aliquid est effectus reprobationis Negativæ, in quantum conducit ad finem Iustitiæ Divinæ. At nullum quantumvis ad mala pronum extat ingenium seu Temperamentum, in quo non sit aliquid Bonitatis naturalis non tantùm Transcendentalis, sed respectu etiam habentis talem indolem, tanquàm donum à Deo acceptum. Sub hâc igitur positivi Beneficij Divini ratione Ingenium illud tanquam Beneficium ex liberalitate Dei collatum substat Providentiæ Divinæ Ordinatrici Ostensionis non Iustitiæ, sed Misericordiæ. Non est igitur Negativæ reprobationis effectus, nisi quatenus secundùm suam innatam defectibilitatem à Deo *negativè* provenientem juvando ad peccatorum permissiones, natum est, præparare vas Iræ, in quo intendat Deus Iustitiæ, ac potentiæ suæ manifestationem.

COROLLARIUM.

Infertur. Quid de Numero Reproborum, factâ præsertim comparatione ad numerum Electorum, sit sentiendum. Nam 1. Christus Dominus *Matth. 20.* asserit: *Multos vocatos, sed paucos Electos.* Cui concordat Isaias Propheta *c. 17. & 24.* numerum Electorum comparans paucissimis spicis, quæ à Messoribus relinquuntur in agro, & rarissimis Olivarum baccis, quæ excussâ oleâ remanent in ramorum cacumine. De quo videri potest S. Hieronymus *in cit. Isaiæ locum*, & Gonet *to. 4. in fine disp. 4. digressi. 2.* 2. Hoc tamen haud obstante Multitudo Electorum vocatur Multitudo innumerabilis *Apoc. 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus, Tribubus, Populis & Linguis stantes ante Thronum.* Unde paucitas Electorum videtur esse duntaxat comparativa respectu scilicet reproborum numeri longè majoris; Doctore Angelico in præallegatum Sacrum textum attestante, quòd, cùm dicitur: *Ex omni tribu, linguâ, populo, natione, ly Ex* delectum quendam, & segregationem paucorum ex multis denotet, & Electorum paucitatem, scilicet comparativam designet. 3. In quâ tamen Electorum ac reproborum numeri comparatione discrepant; alijs, nominatim Suarezio *de Prædest. lib. 6. c. 3.* contendentibus, paucitatis Electorum comparationem faciendam esse respectu quorumlibet etiam Infidelium reproborum, ita ut ex Fidelibus dicantur plures salvandi; alijs ècontra cum Cajetano *in c. 25. Matth.* asserentibus, Paucitatem Electorum stare etiam in comparatione illorum, qui vivunt ac moriuntur in Fide, ac Obedientiâ S. Romanæ Ecclesiæ. Verùm quia videtur hoc Mysterium absconditum à Nobis, meritò abstinendum duximus ab hujus Divini investigabilis Consilij inquisitione, cum S. Ecclesiâ, & D. Thomâ hic *art. 7.* asserentes: *Melius dici, quòd soli Deo cognitus sit Numerus Electorum in supremâ felicitate locandus.* 15. 16. 17.

***

QUÆ-

QUÆSTIO UNDECIMA
DE
VERITATE ET COGNOSCIBILITATE MYSTERII SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

1. UM Theologia secundùm Divum Augustinum *de Trinit. c. 1.* sit, quâ fides saluberrima, non in proprijs duntaxat mentibus, sed aliorum etiam cordibus gignitur, nutritur, & roboratur, præcipuum Theologi munus est, solicitum esse, quibus Argumentis Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, in cujus fide ac invocatione, per salutarem Sacramenti Baptismatis ablutionem signamur Spiritu promissionis, fiat credibile tum Ethnicis nullam sacris Litteris fidem habentibus, tum Iudæis antiqui Testamenti authoritatem allegantibus, tum Hæreticis utriusque Sacri fœderis Scripturæ fidem jactantibus, tum denique Sanctis fidelibus, qui dum per scientiam Sanctorum Spiritûs Sancti Donis innixam fidei Mysteriorum credibilitatem indagant, per vivæ fidei augmentum crescendo in Sanctitate & Iustitiâ, Mysterij illius sublimis Sanctuarium per contemplationẽ ingressi; in pace in id ipsum requiescunt. In quem proinde finem præstitutam de magni illius Mysterij quæstionem tribus articulis complectemur, in 1. visuri, *An, & quibus argumentis adversùs Ethnicos solo naturæ lumine nixos, Sanctissimæ Trinitatis mysterij veritas stabiliatur, & defendatur?* In 2. *Ex quibus Sacrarum Litterarum fundamentis adversùs Iudæos, ac Hæreticos, nec non Mahumetanos demonstretur?* In 3. denique *Quibus Argumentis seu Sanctitatis Vestigijs liceat Sanctis fidelibus per contemplationem ingredi in illa Sancta Sanctorum.*

***

ARTICULUS I.

An, & quibus Argumentis adversùs Ethnicos solo naturæ lumine nixos stabiliatur, & defendatur Sanctissimæ Trinitatis Mysterii Veritas.

Aliquam de Sanctissimæ Trinitatis Mysterio cognitionis lucem Ethnicis etiam Philosophis affulsisse, testatur Cyrillus Alexandrinus *lib. 1. con. Iulian.* inducens Orpheum ita canentem. 2.

Cælum adjuro te Dei Magni Sapiens opus.
Vocem adjuro Patris, quam locutus est primùm,
Quando nondum universum suis firmavit consilijs.

Etenim vocem Patris, quam locutus est primùm, ab Orpheo dici Unigenitum ejus Verbum semper cum Patre existens, asserit Cyrillus citatus inducens 2. Hermetem Trismegistum olim æquiparatum illi (quem ex Iove & Maiâ natum fabulæ ferunt) Sacerdotem Ægyptium, qui de Deo sic loquitur: *Verbum enim ejus procedens, perfectum existens & fœcundum ac Opifex in fœcundam naturam cadens, & fœcundâ aquâ fœcundam aquam fecit.* Vides igitur Patris ac Filij seu Verbi Divini à Sacerdote Gentili ac Idololatrâ expressionem.

Ne verò Spiritûs Sancti notitia omnimodò latuisse illum Trismegistum videri posset, Cyrillus 3. expendit verba ejusdem taliter loquentis: *Una sola erat lux mentalis ante lucem mentalem, & est semper mens mentis fulgida: & nihil aliud erat, quàm hujus unitas semper in se ipse existens, semper suâ mente & luce, & Spiritu omnia continet.* 3.

Ex hoc patet; Hermetem præcitatum Trismegistum sive ter maximum ex Doctrinæ sublimitate appellatum, meminisse spiritûs, qui omnia contineat. At de hoc Divino Spiritu *in serm. 3. ad Asclepium* asserebat Sacerdos ille Ægyptius:

tius: *Quòd hoc spiritu omnia opus habeant, siquidem omnia portet secundùm Dignitatem, omnia vivificet, & alat, & à Sancto fonte producatur adjuvans spiritu, & vitâ omnibus semper existens fœcundus.*

4. Non obscurè Divinus etiam Plato *in Timao. item de animâ Mundi, & in Parminide* scripsit de Divinis Processionibus, Verbi, præsertim Generatione, tametsi hæc ejus doctrina semen fuerit perniciosissimi in Dei Ecclesiâ postea excrescentis Arianismi. Unum tantùm hîc adjicio, quòd præallegatusS. Cyrillus testetur, Prophyriū opinionem Platonis expressisse in hæc verba: *Usque ad tres subsistentias Divina Substantia progreditur. Est autem summè quidem Deus Bonus; post illum autem & alter conditor, tertius & mundi anima.* Quam proinde Platonis Doctrinam expendens Porphyrius ait: *Dei substantiam usque ad tres subsistentias progredi, quatenus unus universorum Deus dilatatur in sanctam & Consubstantialem Trinitatem in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, quem & Mundi animam dixerit Plato.* Plura de his videri possunt apud Tertullianum *in apolog. c. 21.* Iustinum *in exhortatorio ad Gentes.* Eusebium *lib. 11. de praparat. Evang.* Lactantium *lib. 4. c. 6. & 7.* & Theodorum *lib. 2. de curandis affectionibus.*

5. Quibus adeò positis, incumbit nobis, quos decet apes esse argumentosas, aliqua eruere argumenta, quibus Mysterij istius sublimitas Ethnicorum Divinæ revelationis lumine destitutorum intellectibus ad aliquam credibilitatis rationem exinde concipiendam proponi valeat. In quem adeò finem sequentes instituemus Controversias. In 1. visuri *An vi luminis naturalis possit aliqua saltem adumbrata Trinitatis notitia comparari?* In 2. examinaturi, *An istud Mysterium non tantùm superexcedat Virtutem luminis naturalis, sed huic etiam contrarietur?* Quibus per modum Corollarij superaddemus; *Qualiter in statu saltem puræ naturæ possjet de Mysterio Trinitatis stare Divina revelatio.*

CONTROVERSIA I.

An vi Luminis naturalis aliqua saltem adumbrata Trinitatis notitia haberi possit?

1. Masius *lib. de Demonst. sect. 1. q. 6. circa finem* refert, Raymundum Lullium præter Demonstrationem propter *Quid & Quia* excogitasse tertium genus demonstrandi per æqualitatem, vi cujus evidenter confirmari possint Sacrasancta fidei de Trinitate v. g. Mysteria. Ve-
2. rùm id falsò imponi Lullio, asserit Vasquez *to. 2. in 1. p. disp. 183.* siquidem Author ille dum dicit, evidentem Trinitatis Demonstrationem inveniri posse, loquatur supposito Lumine fidei, vel aliquâ supernaturali illustratione Divinitùs nobis infusâ. Hinc quando docet, à se inventas Mysterij Trinitatis demonstrationes ita evidentes esse, ut Gentilem, & Mahometanum eas penetrare volentem convincere valeant, ipsum non explicare, utrùm ad hoc, ut quis eis assentiatur, necessarium sit lumen aliquod supernaturale, an verò sola rationum vis sufficiat?

Tres porro Divinas Personas per discursum posse lumine naturali cognosci ex creaturis, videtur evinci ex Apostolo *ad Rom. 1. cap. junctâ expositione SS. PP.* Cyrilli *lib. 1. Thes. c. 5.* Ambrosij *lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 2.* & Anselmi *in cit. c. 1. Rom.* Probatur. Nam Apostolus *citatus* asserit: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici; sempiternam quoque ejus Virtutem ac Divinitatem.* At per sempiternam Dei Virtutem intelligi posse Filium, per quem facta sunt omnia, per Divinitatem autem Spiritum Sanctum, testatur D. Anselmus *ubi supra*, probatque multis Cyrillus; *Virtutem Dei in præfato Sacro textu significari Filium.* Consequens igitur est, per visibiles creaturas non tantùm intelligi Patrem invisibilem, sed sempiternam ejus virtutem seu Filium, ac Divinitatem, id est Spiritum Sanctum, ad quem maximè pertinet Sanctificatio: ut adeò Gentiles licèt Scripturas Divinas non haberent, inexcusabiles fuerint, siquidem non fuerint Veritatis ignari, sed ipsi veritati, quæ se illis revelaverat, extiterint ingrati. *ex loco cit.* Sancti Anselmi. 3.

4. Confirmatur. Nam ex dictis *in initio hujus articuli* constat, Ethnicos Philosophos habuisse aliquam Mysterij Trinitatis notitiam. At istis non illuxit Lumen Divinæ revelationis. Oportet igitur, ex solo naturæ Lumine intellectuali posse illud Mysterium saltem aliqualiter cognitum esse.

5. Albertus Magnus *in 1. dist. 3. a. 18.* Divus Bonavent. *ibi q. 3.* S. Thomas *1. p. q. 32. a. 1. & q. 10. de Verit. a. 15.* item *q. 9. de Potent. a. 2.* Scotus *q. 14. quodlib. n. 9.* & Theologi communiter negant: Divinarum Personarum distinctionem seu Trinitatem posse naturali ratione cognosci.

CONCLUSIO.

IMpossibile est, per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis Divinarum Personarum pervenire.

6. Probatur ratione Angelici & subtilis Doctorum *ubi supra.* Nam quia naturalis nostra cognitio à sensu principium sumit, idcirco per rationem naturalem non potest homo pervenire in Dei cognitionem nisi ex creaturis. Hæ verò ducunt duntaxat in Dei cognitionem, sicut effectus in Causam. Hoc igitur solùm ratione naturali de Deo cognosci potest, quod ipsi convenit quà omnium Entium Principio. Atqui Principium *Quo* causandi est in Deo virtus creativa: Principium autem *Quod* suppositum habens Virtutem Formalem causandi perfectam & completam. At verò circumscriptâ seu objectivè præcisâ Trinitate, adhuc intelligi potest suppositum per se ac ex se primò subsistens, habens vim creativam, seu Principium Formale Causandi Perfectum & Completum. Cùm igitur creaturæ tanquàm Medium Objectivum præcisè ducant in cognitionem Dei quà principij ad extra causativi, consequens est, Intellectum nostrum ex vi luminis naturalis pendentis à sensibilibus non posse ascendere ad Dei quà Trini notitiam.

7. Dices: Habitâ semel ex creaturis notitiâ Dei quà universorum principij, posse Intelle-

ctum humanum discurrendo, de hoc primo rerum Principio inferre, *quòd sit Ens primum, cujus Essentia sit purissimum & actualissimum esse.* Quo præhabito, posse per lumen Metaphysicum denuò inferre; *quòd sit purissima & actualissima Intelligibilitas, sitque adeò sui formalis intellectio, seu in Esse intelligibili expressio.* Hoc autem posito, rursus inferre posse, *quòd illud Esse actualissimum in se intelligibiliter expressum sit actualiter inclinativum in sui amorem, imò sit formalis inclinatio & amor sui.* Quibus proinde suppositis, ita licere argumentari. Intellectus humanus potest discurrendo penetrare omnem Veritatem, cujus Medium seu ratio est præcognita. Atqui ratio, cur in divinis sit Processio Verbi & Amoris personalis, in eo sita est, quòd Divinitatis Esse infinitum sit suiipsius intelligibiliter expressivum, atque ut sic expressum ad sui amorem actualissimè inclinativum. Cùm igitur hæc ratio sit naturaliter cognita, consequens est, Divinas quoque Processiones naturali lumine noscibiles esse.

8. Contra. Nam verum quidem est, quòd Esse Dei actualissimum sit ratio, per quam Deo convenit tam Verbi, quàm Amoris ad intra in substantiæ seu Essentiæ identitatem processio. Nihilominùs illa ratio ut sic convenit Esse Dei, secundùm proprijssimam sui formalitatem nulli creaturæ communicabilem. Unde ratio illa non potest in Divinarum ad intra processionum notitiam deducere Intellectum hominis Viatoris, lumine suo naturali non nisi dependenter à creaturis cognoscentis Esse Divinum, sed hoc Divino duntaxat, seu per Gloriæ ac Fidei lumen elevato intellectui, Deum ut est in se, videnti, potest esse ratio cognoscendi Divinas in Substantiæ identitatem Processiones. Cujus rationem subtiliter ac nervosè insinuat Scotus *supra citatus.* Nam notitia illius formalitatis, quæ est proprijssima subjecti, non continetur virtualiter primò & evidenter nisi in per se, & proprio conceptu subjecti. At esse trinum in unitate substantiæ est proprijssimum Deo, adeò ut nulli creatæ substantiæ sit communicabile. Ergò istius Veritatis notitia sicuti non continetur virtualiter primò ac evidenter, nisi in proprio ac per se conceptu Divinitatis, sic ex vi luminis naturalis nequit patere intellectui humano, Deum non in se immediatè secundùm Essentiam, sed secundùm formalitates Deo & creaturis analogicè communes per discursum cognoscenti.

9. Instabis. Ex vi luminis naturalis notum esse, *quòd Deus per suum esse irreceptum & actualissimum sit in Essendo infinitus, sitque adeò summè Bonus ac perfectus.* At ex naturæ lumine esse quoque notum; *quòd Ens summè Bonum sit summè sui Communicativum.* Esse insuper per se evidens, *quòd non sit summa Entis alicuius communicatio, nisi adæquet istius communicabilitatem.* Atqui ex ipsis terminis manifestum esse, *quòd ista Communicationis adæquatio non subsistat secundùm proportionem duntaxat similitudinis, sed secundùm Consubstantialem Essentiæ convenientiam.* At verò per Divini Esse infinitatem naturaliter demonstrari *Essentiæ Dei unitatem non tantùm specificam, sed numericam.* Consequens igitur esse, quòd vi luminis naturalis sit demonstrabilis communicatio Esse Divini secundùm identitatem specificam & Numericam. At Communicationem ex ratione suâ formali importare distinctionem Hypostasum illius, qui communicat, & illius, cui communicatur. Ergo lumine naturæ notam esse Hypostasum distinctionem in unâ Dei Essentiâ. 10.

Contra. Nam vi luminis naturalis nequit cognosci de Deo vis sui communicativa secundùm consubstantialitatis adæquationem Cathegorematicè absolutam & actu existentem. Probatur istud assumptum. Nam ex hoc ipso, quòd per lumem naturæ ex purissimâ actualitate, ac infinitate Essentiæ Divinæ demonstretur, Divinitatis substantiam non esse multiplicabilem, nec ullius à se distinctæ Hypostasis receptivam, sequitur, Communicationem Esse Divini non posse secundùm absolutam consubstantialitatis adæquationem intelligi, nihil substantia suppositi communicantis concipiatur realiter identificata tam cum Hypostasi, quàm cum Essentiâ suppositi illius, cui communicatur divinitas. At per hoc intelligeret creatus intellectus Identitatem Substantiæ cum duabus Hypostasibus realiter inter se distinctis. Hoc autem posito, enervaretur principium, quo dicitur, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* At isto principio infirmato, rueret etiam principium, quo asseritur: *Esse impossibile, quòd idem intelligatur esse, & non esse.* Illud verò principium est primum creati Intellectûs, supra quod adeò transcendere nequit. Constat igitur, ex infinitate Divinæ Essentiæ, atque adeò actualissimæ ac summæ Bonitatis ratione, non posse virtute luminis creato intellectui innati demonstrari, quòd Deus suæ in Essendo infinitæ Substantiæ secundùm consubstantialitatis adæquationem actu & Cathegorematicè absolutam sit communicativus, sed Lumine naturali duntaxat esse demonstrabile, quòd Perfectionis ac Bonitatis Divinæ ratio infinita importet vim communicativam ad Syncathegorematicè ac potententiâ infinitam sui participationem seu participabilitatem.

Responsio ad Argumenta Adversariorum opposita.

AD *n. 1. & 2.* Propositum discursum, suspenso nostro de Lullij sententiâ judicio, Respōdetur. Fidei Divinæ derogare, quisquis nititur Trinitatem Personarum naturali ratione probare, ex S. Thomâ *cit. q. 32. a. 1.* Tum quia fidei dignitas est, esse de rebus invisibilibus rationem humanam excedentibus; juxta illud *Heb. 11. Fides est argumentum non apparentium.* Unde & Apostolus *1. Corinth. 2.* ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi: sed loquimur Dei Sapientiam in Mysterio, quæ abscondita est.* At verò Sapientiam, quam nemo principum hujus sæculi, sive ut Glossa habet, Philosophorum cognovit; in Mysterio absconditam esse ipsummet Trinitatis Mysterium secundùm Divinarum Personarum propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio, ac Processio, considerarum, tradit Sanctus Doctor *cit. a. 1. ad 1.* eruiturque ex illo *Matth. 11. Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Manifestum igitur est, quisquis revelationi Divinæ, in Divinarum Personarum Trinitate probandâ non innititur, sublimita- 11.

limitatem fidei Mysteriorum, cum injuriâ Divinæ in abscondito versantis Sapientiæ, subijcere creato intellectui. Tum quia non expedit
12. rationes non convincentes, sed aliqualis duntaxat congruentiæ vim habentes ad fidei Mysteria contra infideles ostendenda inducere, hinc enim Pagani persuasum tenebunt, fidem nostram futilibus credendi rationibus inniti, ex quo ad irrisionem potiùs, quàm ad fidei Veritatem amplectendam proni erunt. Unde Doctor Angelicus citatus concludit; non esse tentandum, ea, quæ fidei sunt, probare, nisi per authoritates, atque adeò apud illos, qui authoritates non suscipiunt, sufficere, ut demonstretur, non esse impossibile, quod fides prædicat. In quem sensum D. Dionysius *2. de Div. Nom. circa init.* ait: *Si aliquis est, qui totaliter eloquijs resistit, longè erit à nostrâ Philosophiâ, si autem ad veritatem eloquiorum scilicet Sacrorum respicit, hoc & nos canone utimur.*

13. Ad *n. 5.* Oppositum Respondetur ex S. Thomâ *cit. a. 1. ad 1.* Aliud esse, Divinas Personas ex creaturis cognosci secundùm proprietates Personales seu Notionales, aliud verò cognosci de ipsis perfectiones Essentiales eisdem appropriatas. Hoc igitur posterius, non autem prius de antiquis Philosophis asseruerunt Patres argumento opposito allegati. Etenim ex creaturis Divina potentia, quæ Patri, sapientia, quæ Filio, & Bonitas, quæ Spiritui Sancto appropriatur, taliter innotescebat Philosophis Ethnicis, ut tamen istarum appropriationum ex Divinis Processionibus desumptarum rationes formales non agnoscerent, D. Ambrosio *lib. 1. de fide ad Gratian. c. 5. ante med.* asserente, *impossibile* per lumen scilicet naturæ *generationis* (secundùm quam est Patris ac Filij distinctiva personalis
14. proprietas) *scire secretum.* Hinc quando Aristoteles *in 1. de Cæl. & mund. tex. 1.* ait, numerum ternarium à se adhibitum ad Deum proprietatibus creaturarum eminentem magnificandum, ex mente præcitati Angelici Doctoris non ita est intelligendus, quasi poneret in Divinis numerum ternarium, sed antiquorum probabat morem numero ternario utendi in Sacrificijs & orationibus, ob quandam ternarij perfectionem. Pari proinde ratione quando Platonici apud
15. Divum Augustinum *lib. 7. Confess. c. 7. post init.* dicebant, quòd in principio erat Verbum, teste Divo Thomâ, non significabant personam in Divinis genitam, sed rationem idealem Filio appropriari solitam, per quam Deus mundum condidit. Quando denique Trismegistus asse-
16. rebat, quòd *Monas genuerit Monadem, & in se suum reflexerit ardorem,* non ad generationem Filij, vel processionem Spiritûs Sancti, sed ad productionem mundi à Deo propter sui amorem creati referendum esse, præfatus S. Doctor asseruit. Quare Philosophos Gentiles dicendum est, per ea, quæ facta sunt, eatenus Dei invisibilia tribus Divinis Personis appropriata intellectu suo conspexisse, ut tamen appropriationis ejusmodi rationes ac proprietates personales non scirent per luminis naturalis discursum.

17. Ad Confirmationem *n. 5.* oppositam Respondetur. Revelationes tum per lumen Gratiæ gratis datæ, tum per quandam Humanæ credulitatis affectionem seu impressionem, tum per Oraculum Deorum, seu potiùs Dæmonum loquentium ex simulachris seu Idolis Gentilium, aliquibus eatenus patuisse, ut Trinitatis quandam notitiam adumbratam inde haurirent, plerumque tamen cum erroris aliquâ conspersione. Nam 1. Ludovicus Vivos *in lib. 11. de Civit.* refert oraculum Serapidis in hæc verba:

Principio Deus est, tum Sermo, at Spiritus istis
Additur: æqueva hæc sunt, & tendentia in unum. 18.

Refert etiam Struchus *lib. 2. de peren. Philosoph. cap. ult.* Apollinis Oraculum taliter pronunciantis.

Ne me utinam supremum infelix ipse Sacerdos
Sceteris de Sancto ac Divino Genitore,
Et Sobole cara, rebus magni induperantis.
Et flatu, qui Mundum astrictum continet omnem,
Montes, Tellurem, fluvios, mare, tartara, & ignem,
Æraque: heu templis hic me discedere ab istis
Cogit, linquetur, quo edebam oracula, limen.

Ex his namque constat, quòd sicut Christum in hâc vitâ mortali agentem Dæmones aliquando coacti fatebantur ipsum Dei Filium, *Matth. 8.* sic Dæmonia, de quibus Propheta Regius *Psal. 95, Omnes Dij Gentium,* inquit, *Dæmonia,* ex simulachris lapideis seu aureis, & argenteis respondentes Deo imperante, inviti pronunciabant quandoque fidei ac Religionis nostræ Mysteria. Ex quibus adeò Oraculis aliqua Trinitatis cognitio in Ethnicos emanare potuit. 2. Ex singulari Dei Providentiâ inter Ethnicos fulserunt Sibillæ secundùm Hieronym. *lib. 1. cont. Iovinian. & Iustinum in exhort. ad Gent.* Divino afflatæ spiritu, ita ut eum apud Gentiles haberent locum, quem Prophetæ apud Iudæos, uti habet Clemens Alexand. *lib. 6. Strom.* Cùm proinde in illarum libris frequens Patris & Spiritûs Sancti, atque frequentior Filij mentio habeatur, Philosophi Ethnici librorum Sibillinorum studiosi Lectores non omninò imperiti erant Mysterij Trinitatis. 3. Philosophi Ethnici maximè Ægyptij ex ore Patriarcharum Hebræorum in Ægypto peregrinantiũ, Josephi præsertim per Pharaonem constituti domûs suæ Principis, ut erudiret Principes ejus, sicut semetipsum & senes ejus prudentiam doceret *Psal. 104.* facilè edocebantur de Divinis fidei Mysterijs, dum præcipuè sacrarum postea Litterarum sibi fecerunt copiam, ex quibus Trismegistus, præsertim & Plato *in init. præs. art. n. 23. & 4. citati* secreta Divinitatis sub quâdam Trinitatis umbrâ ita penetrarunt, ut tamen luminis sui naturalis in hisce Mysterijs defectibilitatem toti mundo deinceps redderent manifestam, variâ errorum conspersione maculantes Divinarum Verbi præsertim Personarum processiones, unde diversæ postmodùm hæreses, Arriana præsertim pullularunt, uti notat etiam Sanctus Thomas *loco cit.*

19. 20.

CONTROVERSIA II.

An Mysterium SS. Trinitatis non tantùm superexcedat Lumen naturale Intellectûs creati, sed huic contrarietur?

1. TRibuitur Holkot *in 1. dist. 3.* quòd affirmarit, Mysterium Trinitatis non tantùm esse supra, sed contra rationem. Cujus fundamentum desumi potest ex eo, quòd videatur adversari Principio lumine naturæ noto, quòd *Duo contradictoria possint simul esse vera.* At circa Deum verificatur, quòd una & eadem res simplicissima sit Essentia Filio, ac spiritui Sancto communicabilis sitque Paterna Hypostasis incomunicabilis. Insuper quòd eadem divina Essentia sit principium ingenitum, quod est Pater: sitque Principiatum

2. genitum, quod est Filius. Si dicas cum Ioanne à Sancto Thomâ *prat. disp. 12. a. 3. n. 27. ly de eodem* in præallegato axiomate intelligendum esse *formalissimè*, in quantum idem, ita ut, ubi diversæ formalitates considerari, ac licèt in re sint unum, secundùm rationem distingui possunt, prædicata contradictoria ibi possint verificari. Quare quòd una & eadem res in Deo, secundùm rationem naturæ & perfectionis absolutæ sit communicabilis, sit verò incommunicabilis secundùm rationem personæ ac relationis, nihil importare contradictionis, siquidem loquendo *formalissimè* non sit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem.

3. Contraponitur, quòd præfatum axioma accipi possit vel *absolutè*, secundùm quod contradictoriorũ de eodem Veritas stat in re ipsâ, vel *comparatè* respectu creati intellectûs cum objectivâ formalitatum per intelligentem præcisione. At secundùm ipsam rei quà in se stantis veritatem ab intellectu divino cognitam nullo adhuc habito ad Intellectum creatum cum præcisionibus objectivis intelligentem respectu subsistit, quòd *Duo Contradictoria non possint esse simul vera.* Vel igitu ratio comunicabilitatis & incomunicabilitatis in Deo nullam inter sehabent contradictionis repugnantiam, vel per Mysterium Trinitatis destruitur istud lumine naturæ notum principium, quòd *Duo à parte rei contradictoria non possint de unâ realiter, imò ex naturâ rei etiam formaliter indistinctâ re verificari.*

4. Verùm hisce minimè obstantibus, ex unanimi omniũ Orthodoxorum Theologorum sententiâ negari debere, quòd Mysterium Trinitatis sit contra rationem naturalem, testatur Suarezius *lib. 1. de Myst. Trin. cap. 11. n. 18.* partim quia verum definiente Concilio Lateran. non repugnat vero, ut à Deo fidei innitens veritas supernaturalis non possit adversari veritati naturali nitenti lumine creati Intellectûs humani intelligentiæ proportionatò: partim quia Deus Auctor naturalis luminis nequit inclinare ad aliquid, quod vero ipsius existendi modo contrarium est. Cujus ratio à priori inducitur ab eodem Authore. Nam

5. Contrarietas propriè est inter res ejusdem Ordinis. At ratio naturalis est inferioris Ordinis comparatione Dei. Unde etiam fit, quod in luminis naturalis quantumvis Generali Principio vel non comprehendatur Trinitatis Mysterium, vel si comprehenditur, ratione tamen naturali demonstrari nequeat, siquidem naturalis ratio non sumat principia, nisi ex rebus finitis, ultra quas in tantùm est res simpliciter infinita, ut consequenter nequeat ratio naturalis ostendere, metiendam esse ejusdem legibus, & principijs, quibus metiuntur res finitæ.

CONCLUSIO.

EX hoc ipso, quòd luminis naturalis Principia sint restricta ad Ens Potentialitati immersum, ac finitum, Trinitatis autem Mysterium subsistat ex purissimâ Essendi actualitate ac infinitate, sequitur, istud Mysterium non adversari rationi naturali.

Explicatur, & Probatur. Nam quodvis Lumen creatæ intelligẽtiæ coñaturale ita comensuratur ipsius modo Essendi, ut ejus objectum efficiẽter Motivum ac specificativum non se extendat ultra intelligibile aliqualiter immersum Potentialitati. Ex quo fit, terminos Principiorum luminis naturalis secundùm rationem saltem Intelligibilitatis quà lumini ejusmodi commensuratæ restringi ad Ens immersum potentialitati. At verò Trinitatis Mysterium subsistit in Deo per purissimam Essendi actualitatem, in quâ ut sic radicatur Fœcunditas procedens in consubstantialem Naturæ seu Intellectionis atque Amoris Divini communicationem. Quare Mysterij istius Intelligibilitas per purissimam sui actualitatem ita supergreditur Intelligibilitatem lumini creati Intellectûs commensuratam, ut non comprehendatur intra objectum creatæ Intelligentiæ efficienter Motivum ac specificativum, nec adeò Principiorum naturali creati Intellectûs lumine intelligibilium termini comprehendant Mysterium Trinitatis. At si hoc Mysterium pugnaret cum Principijs lumine naturæ notis, ita deberet sub horum terminis contineri, ut istorum tamen Complexioni contrariaretur. Consequens igitur est, Mysterium illud non adversari, sed transcendere lumen creati Intellectûs. 6.

Dices. Sanctissimæ Trinitatis Mysterium saltem contineri sub objecto luminis creati Intellectualis Terminativo, cùm alioquin non posset divinâ supernaturali virtute reduci intra sphæram Intelligibilitatis creato intellectui proportionabilis, nec adeò Intellectrix hæc virtus posset à Deo elevari ad illud Mysterium mediante lumine etiam supernaturali infuso intelligendum. At verò Principiorum naturalium termini utpote universalissimi comprehendunt omne Intellectûs humani objectum Terminativum. Si ergò Trinitatis Mysterium comprehensum sub Principiorum naturalium terminis, horum complexioni adversetur, consequens erit, quòd naturali creati Intellectûs lumini contrarietur. At inter præcipua luminis naturalis per se nota principia est primò istud: *Quæcumque sunt eadem uni tertiò, sunt eadem inter se.* Hoc namque axiomate nititur universa Syllogisticæ artis ratio. In Mysterio autem Trinitatis verificatur: *Tres Divinas personas esse unum quid cum tertio scilicet Essentiâ, nec tamen esse unum inter se.* 2. Lumine naturæ notum est, per eandem entitatem, quâ aliquid constituitur, differre ab alijs. At Paternitas in Deo non aliam habet realitatem ac Entitatem nisi Essentiæ, per quam adeò constituitur: 7. 8.

nec

nectamen differt à Filiatione per divinā Essentiā.

Tertiò ex lumine naturali manifestum est, *quòd ubi est ordo Processionis & Originis unius ab alio, non possit esse simultas naturæ.* At inter Patrem & Filium in divinis est Ordo Processionis ac Originis cum simultate, imò identitate naturæ. Quartò ex lumine naturæ repugnat, quòd *idem Esse sit in producente, ac in producto,* cujusmodi tamen Essendi identitas in Deo Patre generante ac Filio Genito reperitur.

Quintò, primum luminis naturalis Principium est, *quòd impossibile sit idem esse, & non esse.* At in Mysterio Trinitatis una est substantia Essentiæ seu naturæ, quæ communicatur Filio, ac Hypostasis Paterna, quæ non communicatur. Ex quibus adeò videtur evinci, Trinitatis Mysterium ita comprehendi sub principiorum lumine naturæ evidentium terminis, ut istorum tamen complexioni, atque adeò ipsi naturali creati Intellectûs lumini adversetur.

9. Contra. Nam licèt Trinitatis Mysterium contineatur sub creati Intellectûs objecto Terminativo, nequit tamen extra statum luminis Gloriæ naturaliter intelligi, nisi per intelligibilitatem lumini creato Intellectuali commensuratam, ejusque adeò specificativam & efficienter motivam. Hæc autem cuivis creato Intellectui commensurata Intelligibilitas est cum immersione Potentialitatis, per quam omne naturali creati Intellectûs lumini proportionatū Intelligibile formaliter est in Essendo finitum, nec in suo adeò Essentiali conceptu involvit Esse. Unde termini Principiorum lumine naturali notorum non se extendunt, primariò nisi ad Ens in Essendo finitum, ac secundariò ad Ens infinitum quà per Discursum ex Ente creato & participato cognoscibile. Ex quo fit, nihil circa Deum esse ab Intellectu creato naturaliter intelligibile, nisi quoad illas formalitates, quæ secundùm participationem analogicam communes sunt creaturis. Quare sicuti divina Essentia in se immediatè per propriam suam Intelligibilitatem non est cognoscibilis ab Intellectu creato, sic sub terminis Principiorum Intelligentiæ creatæ naturaliter evidentium non continentur formalitates divinæ radicatæ in Esse Dei per se actu subsistente, tanquàm Essentiā Dei propriā. Atqui ratio Trinitatis in hoc subsistit, quòd Esse Dei actualissimum fundet Fœcunditatem in Essendo infinitam. Ex hoc enim fit, quòd Intellectûs divini per ipsum Esse Dei subsistens actuata Intellectio sit productiva termini in Essendo infiniti formaliter actuati per idem Esse divinum. Consequens proinde est, hoc Mysterium in Esse Dei actualissimè Subsistente, atque adeò in proprio Essentiæ divinæ conceptu radicatum, non cadere sub terminos principiorum lumine naturæ cognoscibilium. Unde rursus, sequitur horum Complexionem, sive ipsa Principia naturalia per se nota ita superexcedi à Mysterio Trinitatis, ut istud non attingant, nec huic adeò contrarientur. Hinc primò illud axioma: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* non est na-

10. turaliter notum nisi sub ratione Essendi immersâ potentialitati. Hæc autem potentialitatis ratio ita est limitativa Entis, ut in hoc nequeant esse duæ formalitates relativè oppositæ, communicantes idem Esse Essentiæ per se subsistentis. Unde in omni Ente naturaliter noscibili ita verificatur illud principium, ut in Trinitate tamen deficiat eo ipso, quòd istud Mysterium radicetur in Esse actualissimo fundante Fœcunditatem infinitam, atque adeò importantem in uno Esse rationem Principij & Principiati.

Secundò illud axioma, quòd *per eandem Entitatem, quà aliquid constituitur, differat ab alijs;* respectu luminis naturalis eatenus verificatur, quatenus non est intelligibilis alteritas Hypostasum seu relationum, seu quarumcunque formalitatum, nisi ubi est Alietas quoad Esse. At verò Mysterium Trinitatis non comprehendi sub isto per naturæ lumen Intelligibili, instruimur ex lumine supernaturali. Unde axioma illud in quantum se extendit secundùm luminis creati Intellectualis proportionem, in tantum verificatur, Mysterio Trinitatis penitus non attracto. 11.

Tertiò, cur *ubi est ordo processionis & originis unius ab alio, nequeat esse naturæ simultas,* hujus secundùm naturalem intelligentiam ratio reducitur in id, quòd omnis Originis naturaliter intelligibilis terminus sit Ens involvens aliquid Potentialitatis, secundùm quam est distinctio Essentiæ, atque Naturæ inter Principium, & Principiatum. Atqui Mysterium Trinitatis importans Originem, cujus terminus per Esse actualissimum in Essendo Infinitum est subsistens, est ejusdem cum suo Principio Essentiæ. Ergo non comprehenditur sub termino Processionis contento in illo Principio quà per lumen naturæ cognoscibili. Unde ad istud se habet Mysterium Trinitatis non quà contrariè seu contradictoriè oppositum, sed quà spectans ad diversam superioris luminis lineam. 12.

Quartò, Ex hoc, quòd Lumē creatæ Intelligentiæ naturale non sit potens intelligere Ens productum, nisi cum immersione Potentialitatis, est consequens juxta lumen naturæ repugnare, *quòd idem Esse sit in Producente, ac in Producto,* siquidem ratio Potentialitatis ex se ipsā inferat Principij, ac Principiati quoad Esse distinctionem. Constat proinde, Mysterium Trinitatis in Esse actualissimo per se subsistente radicatum importans Fœcunditatem Originativam Hypostasis in Essendo infinitæ, non contineri sub terminis illius Principij, quà lumine naturæ noti. Quintò, *Quòd impossibile sit idem esse & non esse,* eatenus per se notū est, ut incommunicabilitas tamen Hypostaseos propria in substantijs lumine naturali cognoscibilibus fundet negationem communicabilitatis quoad Esse Substantijs ejusmodi conveniens. Econtra per lumen supernaturale est cognoscibilis in Divinis subsistentia eatenus incommunicabilis, quin tamen ista incommunicabilitas involvat negationem communicabilitatis Esse tali Subsistentiæ convenientis. At verò sicuti per actualitatis purissimæ formalitatem est, quòd ista quoad Esse Communicabilitatis negatio non inferatur ex ratione Incomunicabilitatis suppositalitati divinæ propriæ: sic ex ratione Potentialitatis est, quòd Incomunicabilitas Hypostasi creatæ propria inferat Communicabilitatis quoad Esse negationem. Unde subsistit per hoc, quòd impossibile sit idem esse & non esse, repugnare in creatis unam Entitatem esse Hypostasin incommunicabilem, & naturam communicabilem. Econtra verò, quia incommunicabilitas in Divinis ex summâ Esse Divini actualitate non est excludens rationem communicabilitatis 13.

realiter & à parte rei formaliter secum identificatæ, haud infertur idem esse, & non esse, licet una sit Entitas Hypostasis paternæ incommunicabilis, & naturæ Divinæ communicabilis.

14. Et hinc patet Responsio ad ea, quæ à n. 1. opposita fuerunt. Negandū enim est, rationem incomunicabilitatis & comunicabilitatis in Divinis *formaliter*, vel etiam *radicaliter* involvere contradictionē, siquidem ista per purissimam Potentialitatis omnimodæ exclusivam actualitatem in formalitatibus illis abstergatur, ut adeò in unam Entitatem conveniant, quin Contradictoria verificentur, seu naturalis luminis per se notis Principijs contradicatur.

COROLLARIUM.

15. INfertur. In statu puræ naturæ nō posse dari Revelationē, nec adeò cognitionem Mysterij Trinitatis. ex Martino Perez *disp. 1. de Deo Trino. sect. 7.* Ratio est. Nam status puræ naturæ subsisteret in solis naturalibus absque Doni alicujus supernaturalis infusione. At licèt naturæ intellectuali creatæ non adversaretur, habere consortium Dei loquentis & manifestantis objecta naturalia, ita ut tali creaturæ Intellectuali posset in aliquo signo seu argumento per Dei virtutem formato esse evidentia Dei loquentis. Nihilominùs ista divina locutio stare non posset circa Trinitatis, ac similia Mysteria luminis creati Intellectualis vim ac proportionem excedentia, quin hoc ipso supernaturalis foret. Probatur istud Assumptum.

16. Quia locutio supponit in mente audientis capacitatem luminis Intellectualis proportionati ad lumen Intelligibile rei per locutionem manifestatæ repræsentativum. At substantiæ creatæ Intellectualis proportionem excedit lumen Intelligibile Formaliter ac per se primò repræsentativum Esse divini secundùm Divinitatis Gradum quasi specificum. Mysterium autem SS. Trinitatis radicatur in proprio, & quasi specifico divinitatis conceptu objectivo. Nequit ergò esse locutio divina istius Mysterij expressiva nisi cum infusione luminis supernaturalis, proportionati cum lumine Intelligibili ipsius Esse Divini secundùm Gradum quasi specificum repræsentativo. At lumen ejusmodi eatenus excedere totius creatæ Intellectualis substantiæ proportionem, ut propterea demonstraverimus *supra q. 4. a. 1. conc. 3.* implicare substantiam creatam supernaturalem, cui lumen aliquod accidentale supernaturale possit esse connaturale. Constat igitur, substantiam Intellectualem creatam eo ipso elevandam fore supra statum puræ naturæ, si haberet Mysterij Trinitatis revelationem, ac in Deo attestante cognitionem evidentem.

***



ARTICULUS II.

Ex quibus Sacrarum Litterarum Fundamentis adversùs Judæos, ac Hæreticos, nec non Mahumetanos demonstretur Trinitatis Mysterium.

HOstis antiquus videns præcipuam humani Generis dignitatem stare ex SS. Trinitatis signaculo per veram illius Mysterij fidem relucente, dum præsertim Unigenitus Dei Filius Paternæ substantiæ imago, ac Gloriæ æternæ splendor ad homines Orthodoxâ SS. Trinitatis fide in unam Ecclesiam congregandos, ac figuræ suæ divinæ conformandos, humanam induit carnem. Idcirco ad splendorem istum veræ de hoc Mysterio fidei obscurandum, acè mente hominum tollendum, non Ethnicorum duntaxat adversus Dei Ecclesiam concitavit furorem, sed ex illis etiam, quibus credita erāt Dei eloquia, Coluber tortuosus quædam falsitatis Organa tum Judæos, tum Mahumetanos, tum Hæreticos sibi ascivit, quibus summæ Virtutis lucem obumbraret, & caligine suâ obscuraret. 1.

Refertur delirium Mahumetis.

NAm Mahumetes hominum scelestissimus circa annum 630. nullo nixus pondere rationum, vel subtilitate discursuum in unam ignobilissimam ignorantiæ nebulis obcæcatam, ac pervicaciâ obseratam sectā coacervatis omnium ferè antecedentium hæresum farraginem, ac errorum sentinam, teste Sancto Damasceno *lib. de hæres. circa fin.* asseruit, Deum unum Authorem universi neque genitum esse, neque genuisse, vnde negabat Christum esse Deum ac Filium Dei, etsi fateretur esse Verbum ac Spiritum Dei, creatum tamen ac servum, quo Spiritu & Verbo introeunte in Mariam, factum esse, ut ipsa sine semine genuerit Filium, qui Dei Propheta & servus esset. Quem cùm voluissent Judæi agere in crucem, tenuisse umbram ipsius in Cælum à Deo tunc translati, nec adeò mortuū pro humani Generis redemptione. 2.

Hujus proinde impostoris nequissimi deliria etsi falsitatis contra ipsum redargui possent ex Dei Evangelio, siquidem huic perhibeat testimonium in suo Alchorano. Nihilominùs quia sectæ illius homines imperitissimi & crassissimis ignorantiæ tenebris involuti, Nicolao Florent. *contra leges Sarrac.* attestante, nullas admittunt probationes. Idcircò vix ullus est Theologiæ locus ipsos de Veritate fidei Mysteriorum conveniendi, sed redarguendi tantumodo sunt partim per ostensionem absurditatum, quas continet ipsorum secta, evidenter pugnans cum ratione naturali, ac Evangelio per Alchoranum Mahumetis approbato, partim per exprobrationem levitatis, quâ Mahumeti nullam ex miraculis, aliovè 3.

Missionis

Missionis Divinæ signo Authoritatem ac testimonium (sicuti Moyses cæterique Prophetæ, ac ipsemet Christus à Mahumete non quidem ut Deus, sed ut Propheta honoratus, habuerunt) exhibenti, sed somniorum duntaxat vanitate, & fallaciâ nitenti crediderunt, veluti monet præcitatus Damascenus.

4. Quibus adeò prætermissis, duo adhuc genera hominum supersunt, contra quos SS. Trinitatis Mysterium defendamus. Alterum est Judæorum, adversùs quos ex Antiqui Testamenti Sacris Verbis per ipsos admissis procedendum. Alterum Hæreticorum, quorum errores in varias licèt sectas dispersi cum Doctore Angelico *præs. q. 27. a. 2.* ad tria præsertim capita reduci possunt, hæreses nimirum Sabellij, Arrij, Macedonij.

Refertur Hæresis Sabelliana.

5. Etenim Sabelliani ex unitate omnimodâ Essentiæ Divinæ unitatem Personæ inferentes, nomina, quibus sacra scriptura designat in Divinis distinctionem, non ad Personarũ, sed officiorum & actionum diversitatem significandam trahebant, ita ut eandem Divinam Personã quà ingenitam & creandi principium Patrem, quà incarnatã Filium, quà Sanctificantem creaturas Spiritum Sanctum dicerent. Totum proinde Trinitatis Mysterium reducebant in quandam ejusdem Divinæ Personæ ad diversos effectus extensionem ac dilatationem: Sancto Athanasio *in Orat. contra Gregales Sabellij, & contra Arrium* attestante, Sabellianorum fuisse vocem, quòd *Pater dilatetur in Filium sumendo carnem, & in Spiritum Sanctum sanctificando homines.*

6. Hunc errorem Sabellio antiquiorem à Praxeâ traditum, postea à Priscillianistis receptum, & tandem inter modernas hæreses tum per Michaelem Servetum Genevæ damnatum à Calvino, ac exustum, tum per ejus sequaces Ministros Transylvanos ab inferis resuscitatum fuisse, constat ex Tertulliano *lib. de Præscript. cap. 53. & lib. contra Praxeam. cap. 1.* Sancto Augustino *lib. de hæresib. hær. 70. in fine*, ac Bellarminio *lib. 1. de Christo cont. 2. General.*

Refertur Hæresis Arriana.

7. Adversùs hæresin Sabellianam pugnat è diametro hæresis Arriana, quæ ex Personarum in Deo distinctione negat unitatem Essentiæ, & consubstantialitatem Filij cum Patre. Hujus erroris semen jecit Plato, præsertim *in Timæo de animâ Mundi* asserens. *Cum Deus vellet pulcherrimum fœtum producere, hunc effecisse Deum genitum nunquam corrumpendum ab aliâ causâ, præterquam à Deo, qui ipsum composuit, si quando veluerit ipsum dissolvere, tametsi non sit Boni Genitoris, ad sui fœtus & pulcherrimi quidem illius perniciem impelli.* Platonicos secutus est Origenes (à nonnullis tamen ex hoc vindicatus, quòd loca, in quibus Consubstantialitaté Filij negare videtur, ab hæreticis fuerint depravata) qui Sanctis Augustino *lib. de hæresib. hæres. 43.* & Hieronymo *Epist. 57. ad Avitum.* testibus Filiũ in divinis Patre minorem & Christum non natum, sed factũ asserebat. Unde Sanctus Thomas *1. p. q. 34. a. 1. ad 1.* Originem dicit fuisse fontem Arrianorum, à quorum Antesignano Arrio hæresis illa nomen accepit, eò quòd per ipsum longè latèque propagata fuerit, ejus lue universum ferè orbem inficiente.

Ista porro hæresis non in eodem semper statu fuit, Nam in primævâ ejus Origine contendebat Arrius, *Deum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, cum Deus non esset Pater, non ab æterno Verbum Dei fuisse, sed ex nihilo ortum esse: creatum & factum esse Filium, neque Patri esse similem, neque naturâ verum Patris Verbum, neque veram ejus sapientiam esse, sed per abusionem Verbum & Sapientiam dici: ipsum factum esse proprio Dei Verbo* (quòd scilicet esset ipsa Essentia Dei distincta à Verbo extra Deum procedente (*& Sapientiâ, quæ in Deo, per quam cum cætera omnia, tum illud ipsum fecisse Deum. ex Epist. Alexand. Patriarch. Alexand. relatâ à* Baronio *ad an. Christi. 318. n. 69.* 8.

Error iste non Consubstantialitatem & coæternitatem duntaxat, sed naturæ similitudiné cum Patre, & ipsam adeò Divinitatem apertè negans, primitùs fuit damnatus in Concilio Alexandrino, non tamen oppressus, quin sub Arrij de doctrinâ suâ malè intellectâ conquerentis velatis verborum technis totum pene Orientem corriperet, sed tandem jugulata fuit per Patres Concilij Nicæni, sub Sancto Sylvestro Papâ, & Constantino Magno Imperatore, in quo Orthodoxæ fidei edito Symbolo, Filius Dei Genitus, non factus, ex Patre natus ante omnia sæcula Deus de Deo, Patri consubstantialis assertus fuit. 9.

Ex Arrianis cineribus aliquanto post excitatus est Semiarrianismus, cujus sequaces Filium Patri similem, eique coæternum fatebantur, quem tamen æqualem, & consubstantialem negabant, pro voce Homousion Filij cum Patre Consubstatialitatem significante, substituentes vocem Homiusion, ut ista scilicet verborum consonantiâ incautos quosque inducerent ad similitudinem, non verò unitatem Essentiæ & naturæ in Patre ac Filio asserendam. Ex sanctis Epiphan. *hær. 73.* & Hilario *in lib. de Synod.* 10.

Refertur hæresis Macedonianorum.

Sicuti proinde Arriani debacchati sunt contra Dei Filij Divinitatem, sic adversùs Spiritũ Sanctũ furebat Macedonius, qui Spiritûs Sancti Divinitatem negabat, eum tanquàm famulum, & Ministrum Dei, æquiparando Angelis. Cujus hæreseos meminerunt Sancti Augustinus *lib. de hæresib. hær. 52.* Athanas. *in Epist. ad Serapion.* 11.

Hæreses istas jam sopitas Valentinus Gentilis Italus ultimo tandem supplicio Bernæ traditus, resuscitare conatus fuit, asserendo, in Deo esse tres Spiritus æternos, inter quos Pater cæteris eminentior esset, Essentialis ac solus verus Deus; aliæ verò Personæ essent Essentiatæ, ac minores Patre. 12.

Adversùs istos adeò nefandos errores ac blasphemias in aciem progressuri, quatuor ponemus controversias, in primâ investigaturi, *Qualiter ex antiqui Testamenti verbis Sacris probari possit Trinitatis Mysterium?* In secundâ, *Qualiter trium Divinarum Personarum distinctio adversùs Sabellianos aliosve hæreticos demonstretur?* In Tertiâ, *Qualiter Verbi Divini Consubstantialitas & Divinitas ostendatur ex Sacris Literis?* In Quartâ denique, *Qualiter Spiritûs Sancti Divinitas probetur?* 13.

CON-

CONTROVERSIA I.

Qualiter ex antiqui Teſtamenti Verbis ſacris probari poſſit Trinitatis Myſterium?

1. ADverſùs Judæos Myſterium SS. Trinitatis deridentes, ac novi Teſtamenti authoritatem negantes, non niſi ex antiquo Teſtamento procedendum eſt. Quâ de causâ per iſtam ſpecialem controverſiam pondus argumentorum, quæ ex prætacti veteris teſtamenti libris eruuntur ad probandum illud ineffabile Sacramentum, perpendimus.

CONCLUSIO.

HOc Myſterium non obſcurè demonſtratur ex antiqui Teſtamenti verbis ſacris.

2. Probatur argumento Sancti Auguſtini *lib. 12. de Trinit. cap. 6.* Nam *Gen. 1. cap.* dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem noſtram. At ſi homo ad unius Perſonæ imaginem fieret, non rectè diceretur in plurali numero, *ad imaginem noſtram.* Ergo propterea dictum eſt *ad imaginem noſtram*: quia fiebat homo ad imaginem Trinitatis, ſeu plurium Divinarum Perſonarum. At ne in Trinitate credendos arbitraremur tres Deos, ſacer ſubjungit textus: *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei, cit. 1. cap. Gen.* Unde patet Perſonarum in uno Deo ſubſiſtens diſtinctio & pluralitas. Confirmatur. Nam hiſce verbis *Faciamus hominem* manifeſtè exprimitur pluralitas

3. facientium. Actiones autem Suppoſitorum eſſe dicuntur. Oportet igitur in Deo, qui verba illa protulit, eſſe Suppoſitorum pluralitatem. Atqui agens operatur propter formam, in quantum ſimilitudo formæ eſt in ipſo. Hæc autem ſimilitudo omnis formæ à Deo factibilis eſt ejus Eſſentia habens ut ſic ratione Ideæ ſeu Imaginis. Atqui iſta ſimilitudo & imago, ſecundùm quam ſuppoſita divina fecerunt hominem, pronuntiatur à Deo in ſingulari. Ergò ex illo ſacro textu evincitur, in pluribus ſuppoſitis Divinis ſubſiſtere unam Eſſentiam ſeu imaginem ac Ideam divinam.

4. Reſpondebit Judæus, Deum illis verbis: *Faciamus hominem,* locutum eſſe in plurali in ſignum ſuæ Majeſtatis, ſicut inter Principes quoque terreſtres mos tenet. Unde ex illâ loquendi formulâ haud evinci Divinarum Perſonarum in unâ Eſſentiâ pluralitatem.

5. Contra. Nam Hebraicæ conſuetudinis non eſt ponere nomen in ſingulari & verbum in plurali, ſed econtra verbum in ſingulari ac nomen in plurali exarare. Unde *Gen. 1.* habet textus Hebraicus: *In principio creavit Eloim,* id eſt, *Iudices.* At hoc ipſum non vacat Myſterio: ſiquidem unitas actionis & Principij creativi *per ly Creavit*, ac pluralitas creantium *per ly Eloim* denotetur. Ergo tum hiſce, tum illis quoque verbis: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram,* manifeſtè denotatur pluralitas *Facientium,* & unitas *Imaginis* ſeu formæ ac Principij Factivi ſeu Creativi. Confirmatur 1. ex *Gen. 3. capit,* ubi Deus loquitur: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis,* & *cap. 11. Venite deſcendamus & confundamus linguas eorum.* Hiſce namque verbis Deus loquens de ſe, Pluralitatem aliquam pronuntiat. Hanc verò Pluralitatem eſſe Perſonarum, quarum una ſit ab alterâ, ut tamen ſint ejuſdem ad extra operationis Principium, ſitque in eiſdem Dominij æqualitas, evincitur ex illo *Gen. 17. Pluit Dominus à Domino.* In his enim verbis textus Hebræus ubique ponit *Iehova* nomen ſolius Dei proprium. At verò illam in Deo Pluralitatem Per- 6.
ſonarum ſtare numero Ternario, demonſtratur ex pluribus Sacræ ſcripturæ locis, nominatim *Exod. 3. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* & *Pſal. 66. Benedicat nos Deus, Deus noſter, Benedicat nos Deus.* Item *Iſaiæ 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* In quo nihilominùs Ternario numero ſubſiſtere unitatem Deitatis, ſeu naturæ ac Eſſentiæ Divinæ, clarè aſſeritur *Deut. 6. Audi Iſrael Dominus Deus noſter Deus unus eſt.* Conſtat igitur, in Deo eſſe Trinitatem Perſonarum in unitate Eſſentiæ & Naturæ Divinæ ſubſiſtentem. Confirmatur ex *Pſal. 107.* ubi Pro- 7.
pheta Regius pſallit in hæc verba: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à Dextris meis.* Nam hiſce verbis David vocat Meſſiam Dominum ſuum. At Dominus per *ly Tetragrammaton* in Hebræo ſignificatus, illi locutus eſt, ſede à dextris meis. Hæc autem Domini Dei ad Meſſiam locutio ita arguit diſtinctionem ſuppoſitorum, ut tamen ſedes ad Dextram Dei denotet æqualitatem Regiæ Majeſtatis & throni, ac Dominij & Cultûs Latriæ, ipſiuſque adeò naturæ Divinæ in utroque unitatem, veluti Apoſtolus quoque *ad Heb. 1. cap.* arguit. *Cui,* inquiens, *Angelorum dixit Deus, ſede à Dextris meis.*

8. Replicabit Iudæus. In illis verbis: *Dixit Dominus Domino meo,* per textum Hebraicum priori loco poni nomen *Tetragrammaton,* poſteriori verò loco poni nomen *Adonai.* At prius vocabulum eatenus ſignificare Deum per Eſſentiam, ut poſterius tamen nomen appellativum duntaxat non videatur indicare Perſonam illam ſecundam, cui Deus eſt locutus, eſſe Deum.

Contra. Nam Perſonæ nomine Adonai *in* 9.
cit. Pſal. expreſſæ Dominium humanitati ratione Hypoſtaticæ cum Verbo unionis competens ita diſcriminatur à Dominio Dei abſoluto, ut eidem tamen Perſonæ Deus Dominus dixerit: *Ex utero ante Luciferum genui te.* At per uterum & vulvam in ſenſu Metaphorico ſignificari Subſtantiam Divinam conſtat *ex Iſaiæ 46. capit. Audite me Domus Iacob, qui portamini à meo utero, & geſtamini à meâ Vulvâ.* Deus autem creaturas portat ſuâ ſubſtantiâ. Ad quod Apoſtolus *Heb. 1. cap.* alludens ait, Filium Dei tanquàm Figuram Subſtantiæ Patris portare omnia Verbo virtutis ſuæ. Quem igitur Dominus dicit ſe genuiſſe ex utero ante Luciferum, id eſt ante creationem Mundi, antequàm quidquam faceret *Proverb. 8. cap.* hunc in ſeſſione ſeu Cultu Latriæ & Conſubſtantialitate atque Coæternitate ſibi coæqualem pronuntiat. De quo adeò ſemper verè dicit Deus Pater: *Ego hodie* in æternitate ſcilicet, immobili ac invariabiliter ſtante die *genui te, Pſal. 2.* per *egreſſum* nimirum ex meâ Subſtantiâ *in diebus æternitatis. Michææ 5. cap.* Conſtat igitur, ſubſiſtere in Divinis duas perſonas diſtinctas, quarum una ſit ab alterâ genita ſecundùm æqualitatem Conſubſtantialitatis, & Coæter-

Coæternitatis. Atqui hanc ipsam Personam à se in æternitate genitam, in tempore Incarnatam ita misit Deus ad Evangelizandum, ut hæc secundùm Incarnationem Missio attribuatur etiam Spiritui Patris mittentis Filium, qui *Isaia 48.* inducitur in hæc locutus verba. *Et nunc Dominus meus misit me & Spiritus ejus.* Ex hoc autem arguitur unitas operationis in Patre ejusque Spiritu: Operari verò ita consequitur naturam, ut operationis unitas arguat hoc ipso naturæ identitatem. Oportet igitur, præter Filium in æternitate genitum & in tempore missum, esse Tertiam Spiritûs Sancti Personam, cui sit naturæ unitas cum Patre, & consequenter cum Filio. Quare ex antiquo Testamento manifestum est, unitatem naturæ ac Essentiæ in Divinis subsistere cum Trinitate Personarum.

CONTROVERSIA II.

Qualiter adversus Sabellianos aliosque Hæreticos probetur realis Personarum Divinarum distinctio?

1. FAlso illo Ægyptiorum Evangelio, ex quo Sabellius ad Deum Trinominem in Personâ unicum asserendum, præcipuè inductus fuit, rejecto, tanquam Apochrypho, unicum superest pro ipso argumentum ex hoc petitum, quòd Christus *Ioan. 10.* de se & Patre suo dicat; *Ego & Pater unum sumus.*

CONCLUSIO.

DIstinctio trium Divinarum Personarum efficaciter evincitur ex Sacris Litteris.

2. Probatur. Nàm ubi est alius & alius, ibi est distinctio Personarum. sed in Deo alius est pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus. Minor Probatur. Nam Ioan. 5. ait Christus: *Alius est, qui testimonium perhibet de me.* De hoc autem testimonium sibi perhibente asseruit Christus: *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.* Ergò Pater est alius à Christo, qui secundùm revelationem ac Testimonium æterni Patris est Filius Dei vivi. Deinde *Ioan. 14.* inquit Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Hic verò Paraclitus, quem Christus erat missurus à Patre, est Spiritus veritatis à Patre procedens, qui de Christo erat etiam perhibiturus testimonium. *Ioan. 15.* Ergò Spiritus quoque Sanctus est alius tum à Patre, utpote à quo procedit, tum à Filio, utpote à quo erat mittendus. Unde ipsomet etiam Christo de se perhibente Testimonium *Ioan. 8.* Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus. *1. Ioan. 5.* At hi tres unum sunt. *ibidem.* Hæc autem testimonium de Christo perhibentium trium Personarum unitas non potest non esse secundùm Essentiam; & Substantiam, secundùm quam dicitur unus Deus. *Deut. 6. & ad Eph. 4.* Constat igitur, in Deo esse unitatem Essentiæ ac Trinitatem Personarum.

3. Dicet Sabellianus. Filium esse alium à Patre & Spiritu Sancto, non in ratione suppositi, sed secundum denominationem duntaxat extrinsecam ex connotatione diversorum effectuum.

Contra. Nàm Filius, per quem omnia facta sunt. *Ioan. 1.* facit, quæcumque Pater facit. *Ioan. 5.* Ergò denominatio Patris & Filij, non potest intelligi diversa ex connotatione Operationum seu effectuum. At Spiritui quoque Sancto convenire, quod sit creans, quodque Cælorum, qui per Filium omnia verbo veritatis suæ portantem firmati sunt, virtus sit a Spiritu oris Dei, constat *ex Psal. 32. & 103.* Quare nec Spiritûs Sancti denominatio subsistit præcisè ex connotatione diversorum effectuum seu operationum, siquidem eosdem, quos Pater & Filius operatur effectus, creet, seu causalitate suâ firmet, aut efficiat Spiritus Sanctus. 4.

Replicabit Sabellianus: Etsi ijdem effectus sint ex causalitate Dei nominati Patris, Filij & Spiritûs Sancti, nec adeò denomationum istarum diversitas sit ex distinctione operationum, has tamen secundum speciales Appropriationis Modos fundare aliquam Officiorum seu Munerum in Deo varietatem, juxta quam Deo quà Creanti nomen Patris, quà Incarnato Filij, & quà Sanctificanti Spiritûs Sancti nomen imponitur, nullâ se tenente in suppositis distinctione reali & Entitativâ, sed ex parte duntaxat Officiorum, quæ gerit una & eadem Persona Divina, ita ut licet Spiritus Sanctus non formaliter secundùm hanc denominationem dici possit creans, sed Entitativè duntaxat, ratione identitatis tàm substantiæ, quàm Personæ. 5.

Contra. Vera Paternitas & Filiatio, nec non realis Processio, item unius in alio Existentia seu Circuminsessio importat realem suppositorum, non verò Denominativam duntaxat Munerum seu Officiorum diversitatem. Atqui antecedenter ad Incarnationem, Sanctificationem, & creationem Filius dicitur genitus ante Luciferum. *Psal. 109.* Vi cujus Generationis, de quâ *Ioan. 8.* ait: *Ego ex DEO processi*, habuit Claritatem apud Patrem, priusquam mundus esset. *Ioan. 17.* Ex quâ proinde Generatione non tantùm denominatur, sed à parte rei est verus Filius Dei. *Sap. 2. 1. Ioan. ult.* Unde illud *2. Reg. 7. Ego ero illi in Patrem & ipse erit mihi in Filium*; Paulus *Heb. 1.* accipit de æternâ Filij Processione à Patre. At verò Dei Filius unigenitus ita processit ex Deo, ut sit in sinu Patris *Ioan. 1.* Est igitur in Deo & Pater & Filius secundùm veram Filij à Patre Generationem, atque adeò suppositorum distinctionem. Atqui de Spiritu etiam Sancto testatur Christus *Ioan. 15.* quòd à Patre procedat, quòdque ipse Christus esset eum missurus à Patre. Hæc igitur Processio Spiritûs Sancti importat veram realem ejus à Patre & Filio distinctionem. Datur igitur in Deo realis Personarum, non verò denominativa duntaxat Munerum seu Officiorum distinctio. 6.

Responsio ad Opposita Argumenta.

AD Argumentum *ex Ioan. 10. cap.* petitum Respondetur. Filium Dei ita esse unum cum Patre & Spiritu Sancto, ut tamen hi tres sint, qui testimonium dant in cælo. ex *1. Ioan. 5.* 7.

 Quam

Quam porro Trinitatem non esse formarum, potentiarum, Virtutum, attributorum vel Officiorum ex eo evincitur, quòd significetur terminis demonstrantibus personas, *Tò Ego hic ille, alius.* Nam Pater ad Filium locutus *Psal. 2.* inducitur hisce verbis: *Ego hodie genui te.* Idem Pater per *Tò Hic* designavit Filium *Matth. 3. & 17. Hic est,* inquiens, *Filius meus dilectus.* Rursus Filius de Patre locutus *Ioan. 5.* ait. *Alius* (scilicet Pater) *testimonium perhibet de me.* Et de Spiritu Sancto, *ille me,* inquit, *clarificabit, quia de meo accipiet.* Oportet igitur, distinctionem in Divinis per terminos suppositorum Demonstrativos significatam esse Personarum, non verò Virtutum, attributorum, seu Officiorum.

CONTROVERSIA. III.

Qualiter Verbi Divini Consubstantialitas & Divinitas ostendatur ex Sacris Litteris?

1. EX quinque argumentis Arriani fucum faciunt in neganda Filij Divinitate. Primū petitū est ex illo *Ioan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Nam in hisce, nec non *1. ad Timoth. c. 6. vers. 15. & 16.* sacris verbis solus Pater etiam in comparatione Iesu Christi nominatur Deus. Ergò Christus excluditur à ratione veri Dei.

2. Secundum desumitur *ex 24. cap.* Ecclesiastici, ubi Sapientia de se loquens, *Creator omnium,* inquit, *& qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* At mentio est de Sapientiâ Dei Genitâ habente in Divinis rationem Filij *eodem capite* taliter loquentis: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Ex hoc autem sacro textu evincitur, esse sermonem de Filio Dei non quà incarnato, sed quà antecedenter ad Incarnationem, imò ante omnem creaturam procedente ab ore Altissimi. Unde *ad Colossenses 1.* dicitur etiam *Primogenitus omnis creaturæ.*

3. Tertium est, quòd Filius non habeat doctrinam à se, sed audiat à Patre. Unde etiam fit, quòd Patre diei v. g. extremi notitiam ipsi non communicante, dicatur habere ejus ignorantiam, juxta illud *Marci 13. De die autem illâ nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

4. Quartum est, quòd Filius, cui omnia tradita sunt à Patre, non habeat Potentiam nisi communicatam; juxta illud *Ioan. 5. Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* At Communicationem Potentiæ non esse adæquatam, evinci videtur ex illo *Matth. 20. Sedere ad dexteram vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quare non videtur in Filio & Patre esse Potentiæ æqualitas; sacris etiam Litteris hoc insinuantibus, cùm dicunt omnia *per Verbum,* non verò *ex Verbo* esse facta, siquidem particula *per* videatur designare Ministerium seu inferiorem Instrumentalem modum.

5. Quintum denique petitur ex hoc, quòd Filius se minorem Patre dicat *Ioan. 14. Quia Pater major me est.* At per istam inferioritatem fit, quòd Filius sit subjectus Patri, juxta illud *1. Corinth. 15. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.* Hanc verò subjectionem non posse intelligi de Filio secundùm naturam duntaxat humanam, ex eo evincitur; quòd Filius per allegatum sacrum textum dicatur subjectus Patri tunc, quando ipsi etiam Filio sunt omnia subjecta. Hæc autem subjectio omnium facta est humanitati Christi, quando post resurrectionem data est ipsi omnis Potestas in Cælo & in Terrâ. At verò antecedenter ad resurrectionem Christi humanitas erat subjecta Patri. Tunc autem Deus subiecit omnia Filio. Nequit ergò Prima Filij ergà Patrem subjectio, quæ omnium respectu Filij subjectionem habet annexam, esse secundùm humanam naturam assumptam, sed secundùm Naturam à Patre sibi communicatam. Consequens proinde est, istam Filij seu Verbi Divini Naturam non esse ejusdem cum Patre Substantiæ ac Essentiæ.

CONCLUSIO.

FIlij cum Patre Consubstantialitas seu Divinitas efficaciter demonstratur ex Sacris Litteris. 6.

Probatur ex illo *Ioan. 10. Ego & Pater unum sumus.* Nam ista unitas non est secundùm Personas, siquidem *ly Ego & Pater* combinata cum *ly sumus* importent Personarum Pluralitatem. Ergò unitas *per ly unum* significata est secundùm Essentiam & naturam: cùm alioquin Personæ in ratione suppositorum realiter distinctæ dici non possent unum, si substantiarum quoque & naturarum in ipsis esset diversitas.

Respondet Arrianus. Istam Patris & Christi Domini unitatem non esse substantiæ seu Naturæ, sed Concordiæ, de cujusmodi unitate loquitur Christus *Ioan. 17. Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per Verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Ex hoc namque videtur concludendum, talem in Patre & Filio esse unitatem, qualis ut esset in fidelibus, Christus oravit Patrem. Sicut ergò Fidelium unitas est concordiæ quoad fidem & charitatem, sic Patris & Filij Dei unitas non videtur esse quoad naturam & substantiam. Confirmatur *ex 1. Ioan. 5. cap.* ubi cùm dictum esset: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* mox subjungitur: *Et tres sunt, qui testimoniū dant in terrâ, Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres unum sunt. Nam hi tres secundùm expositionem Divi Augustini lib. 3. contra Maximinum cap. 22.* sunt anima Christi, & Aqua & Sanguis de latere ipsius effluentes, quando mortuus est, ac unà cum Spiritu seu, animâ illius emissâ de corpore verè testificantes, Christum esse verum hominem. At hi tres terreni testes æquè dicuntur esse unum, ac tres illi cælestes testes, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Sicut ergò dictorum terrenorum testium unitas non est secundùm Essentiam & Naturam, sed secundùm Convenientiam Testificationis: sic non videtur in Patre, Verbo, & Spiritu Sancto esse unitas Substantiæ, atque Naturæ. 7.

Contra. Nam *ly unum* est nomen analogum, quod *absolutè* positum significat unitatem Essentiæ seu Substantiæ, sed pro exigentiâ rei sub- 8.

substratæ seu subjectæ intelligitur quandoque significare Unitatem similitudinis, imitationis, Concordiæ, Ordinis, seu plurium ad unum habitudinis. Atqui ex ipsis rerum naturis per se manifestum est, unitatem Fidelium, pro quâ Christus oravit, non esse nisi Charitatis, & fidei, ac ejusmodi supernaturalium Donorum, ratione quorum in Sacris Litteris dicuntur manere in Deo, & Deus in illis. Unde quando etiam Christus dixit: *Omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te*, per *ló sicut* non significatur æqualitas, sed similitudo Unitatis, ita ut unio fidelium sit quædam imitatio Unitatis inter Patrem & Filium: quemadmodùm in hisce verbis *Matth. 5. Estote perfecti, sicut & Pater vester Perfectus est*, Particula *sicut* non significat æqualitatem Perfectionis, sed similitudinem imitationis. Econtra verò *Ioan. 10.* cùm Christus affirmasset, quod oves suæ non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu suâ. In hujus probationem adduxit verba sequentia. *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est, & nemo potest eas rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* Ex quibus ita licet argumentari. Ideò nemo potest oves Christi de manu ejus rapere, quia nemo potest eas rapere de manu seu Potentiâ Patris ejus. At ista sequela ideo tenet, quia Pater, quod dedit Christo majus omnibus est, ita ut ipse & Pater unum sint. Ergò per unitatem Potentiæ in Christo & Patre est, quod oves, quas Pater Christo dedit, nemo rapere possit de hujus manu. Atqui unitas Potentiæ radicatur in unitate Naturæ. Ergò in Christo & Patre est unitas naturæ. Confir-
9. matur 1. Nam ex hoc discursu Christi intellexerunt Iudæi, quòd faceret se ipsum Deum *ex cit. cap. 10. ver 33.* At Christus hunc Judæorum sensum non tantùm non correxit, sed argumento à minori ad majus confirmavit taliter respondens: *Nonne scriptum est in lege vestrâ, quia ego dixi Dij estis? si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum.* Ex hoc namque ita in formâ licet argumentari. Christus ostendit, ideò non blasphemasse, se dicendo Filium Dei, quia Pater ipsum sanctificavit, & misit in mundum. At sicut Missio in Divinis importat Originem unius Divinæ Personæ ab aliâ cum effectu ad extra, sic illa Christi Sanctificatio est, quatenus Pater suam ipsi Divinitatem communicavit.

10. Probatur istud assumptum ex contextu. Nam illam suam Sanctificationem, secundùm quam Christus se Filium Dei pronunciabat, ex hoc confirmatur à Christo, quia Pater in ipso est, & ipse in Patre. Ad hoc autem credendum inducere volebat Iudæos, quòd ipse faceret opera Patris. At ista Christi in Patre & Patris in Christo inexistentia, vi cujus opera ipsorum essent communia, arguit unitatem Potentiæ, atque adeò Naturæ. Ergò ex præcitato *Ioan. 10.* efficaciter probatur unitas in Patre, &
11. Filio, seu Christo. Confirmatur 2. Nam licèt *1. Ioan. 5.* Spiritus, Sanguis, & Aqua de Christi humanitatis veritate dantes testimonium, æquè dicantur esse unum, atque Pater, Verbum & Spiritus Sanctus de Christo tanquàm Filio Dei testimonium perhibentes affirmentur esse unum. Nihilominus *eodem cap. 5. ver. 7. & 10.* subjungitur, quòd istud Testimonium sit Dei. Ergò ex hoc ipso, quòd in ferendo isto Testimonio Pater, Verbum & Spiritus sint unum, sequitur, esse unum in ratione Dei. Confirmatur 12.
3. Nam Pater & Filius ita sunt unum, ut Filius sit in formâ Dei *ad Philip. cap. 2.* Hæc autem forma Dei, non analogicè duntaxat est participata Filio, sed ad æqualitatem, ita ut non rapinam arbitratus sit, esse se æqualem Deo, *ex precit. cap. 1.* Quam proinde Filij cùm Patre æqualitatem in Essentiæ identitate radicatam *ad Colos. 2. ait: In Christo inhabitare omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter*, id est vere Substantialiter, non autem Umbraticè duntaxat seu accidentaliter.

Confirmatur 4. Nam omnia, *quæ habet Pater, esse sua, pronunciavit* Christus. Unde Patrem alloquens: *Omnia mea*, inquit, *tua sunt, & tua mea sunt.* At eorum, quæ sunt Patris, potissima est Essentia Divina. Ergo hæc est etiam Christi, ut adeò una sit Essentia Patris & Filij in Deo. 13.

Responsio ad Opposita Argumenta.

AD 1. Respondetur. Verbis præallegati Sacri textûs ex integro spectatis, patere, quòd is, qui solus est verus DEUS sit Pater in vitâ æternâ cognoscendus, & quem misit, Filius Iesus Christus. Quare particula *solus* uni Divinarum Personarum adjuncta à Perfectionibus Dei Essentialibus & Attributalibus non excludit cæteras in eâdem Essentiâ Divinâ communicantes Personas, sed extraneas duntaxat. 14.

Ad 2. Respondetur. Illum Sacrum textum, in quâ Sapientia Divina de se loquens *Creatorem omnium*, ait: *qui se creavit, requievisse in tabernaculo suo*, intelligi posse de Filio Dei tum secundùm humanam naturam vi incarnationis assumptam, in hâc enim seu corpore ipsius requievit omnium Creator; tum secundùm ejusdem Filij Dei generationem æternam: per hanc enim in æternitate Filio communicata est natura Divina sine Patris generantis mutatione. At generatio prout est in creatis, importat Communicationem ejusdem naturæ cum mutatione Generantis: cum econtra creatio sit communicatio naturæ diversæ absque tamen creantis mutatione aliquâ. Quare ut Divinæ Generationis, vi cujus eadem Patris natura sine mutatione est communicata Filio, eminentia exprimeretur, Sapientia æterna Patris *in cit. cap. 24. Ecclesiastici* ita dicitur, creata, ut in *eodem capite* dicatur Primogenita ante omnem creaturam; Patris nimirum immutabilitate acceptâ ex creatione, naturæ verò in Patre ac Filio unitate acceptâ ex generatione, veluti ex quâdam per Sanctum Hilarium relatâ Synodo exponit Divus Thomas *contra Gentes. cap. 8. n. 9.* 15.

Confirmatur ista Responsio: Nam Dei Sapientia *cit. cap. 24. Ecclesiast.* dicitur Primogenita ante omnem creaturam; *quoniam in ipsâ condita sunt universa. ex Colos. 1. v.* At in quo universa sunt condita, est causalitate prius omni omni creaturâ, nec adeò potest esse quid conditum, sed est Causa omnis creati. Ergo Sapientia Patris æterni non nisi Eminentiali quâdam 16.

dam ratione dicitur creata, vi nimirum generationis omnimodam Mutabilitatem excludentis, atque adeò creationis rationem Eminenter includentis.

17. Ad 3. Reſpondetur. Negando auditionem Filij à Patre arguere illius in naturâ ſeu intelligentiâ inæqualitatem. Ratio reſponſionis ex S. Thoma *cit. cap. 8. n. 6.* petita eſt. Nam ex hoc ipſo, quòd Intelligere in Deo ſit ſuum Eſſe, conſequens eſt, communicationem naturæ Divinæ eſſe etiam intelligentiæ communicationem. At iſta intelligentiæ Communicatio dici poteſt demonſtratio vel locutio, ſive Doctrina. Per hoc igitur, quòd Filius ſuâ æternâ Nativitate Divinam à Patre naturam acceperit, dicitur vel à Patre audiviſſe, vel Pater ei demonſtraſſe. At verò ex ejuſmodi Scripturæ modo loquendi haud infertur, Filium prius ignorantem, ſeu neſcientem poſteà edoctum fuiſſe à Patre, ſiquidem Chriſtus *1. ad Corinth. 1.* vocetur Dei Sapientia, quàm ignorantem eſſe repugnat ex privativæ oppoſitionis ratione formali. Unde quando Chriſtus *Marci 13.* dixit neque Filium, *in quo tamen omnes Theſauri Sapientiæ & Scientiæ abſconditi ſunt. Coloſ. 2.* ſcire diem Iudicij extremum, accipi debet de Chriſto ſecundùm humanitatem conſiderato, ut ſic non habente diei illius notitiam alteri communicabilem ſeu revelabilem.

18. Ad 4. Reſpondetur. Verum eſſe, quòd Filius non habeat potentiam niſi communicatam ſibi à Patre: quam nihilominùs communicationem ita perfectam eſſe, ut ſit ad identitatem tam Eſſentiæ & naturæ, quàm Potentiæ, nec adeo Filium in creaturarum productione concurrere ſolùm Miniſterialiter, ſed principaliter.
19. Probatur iſta reſponſio. Ex hoc ipſo enim, quòd actio in Deo ſit ipſa Eſſentia, ſequitur, Perſonam Divinam Filij, quæ non habet Eſſe à ſe, ſed à Patre, non poſſe à ſe agere, ſed à Patre. At hæc ipſa Filij à Patre accepta actio eſt ſecundùm eandem Patris naturam, atque adeò virtutem vi æternæ Generationis communicatam Filio, tanquàm ejus propriam, ſeu formaliter in Eſſe Dei conſtitutivam. Unde etiam fit, quòd Filius ſuâ propriâ, non verò alienâ Virtute, atque adeò Principaliter, non verò Inſtrumentaliter operetur cum Patre.

20. Confirmatur 1. Nam ſi Filius eſſet in operando Patris inſtrumentum ſeu Miniſter, non operaretur verbo ſuæ propriæ Virtutis, ſed verbo virtutis Paternæ, ſeu in vi Patris imperantis. Atqui Apoſtolus *ad Heb. 1.* teſtatur de Filio Dei, quòd per operationem ſuam ſit *portans omnia*
21. *Verbo Virtutis ſuæ.* 2. Potentiæ Patris & Filij eſt una & eadem ratio Potentiæ tam *Extenſivè* quoad multitudinem effectuum, quàm *Intenſivè* quoad modum operandi. Ergò Potentia Filij non eſt inferior potentiâ Patris. Antecedens probatur. Quia omnia per Verbum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Ioan. 1.* Hæc verò factio univerſorum reſpectu quoque Verbi creatio eſt, juxta illud *Coloſſ. 1. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Atqui creatio importat ex parte operantis virtutem agendi *Intenſivè* ac *Extenſivè* infinitam, uti *ſupra q. 8. a. 1. conſ. 3.* demonſtratum eſt. Ergò una & eadem eſt potentiæ Divinæ ratio in Filio & Patre: Evangelio *Ioan. 5.* atteſtante, quòd *quæcumque facit Pater, hæc & Filius ſimiliter*, nec adeò inſtrumentaliter, ſed principaliter *faciat.* Hinc 3. quando Pater æternus dicitur feciſſe omnia per Verbum, *ly per* denotat Ordinem Filij ad Patrem. At iſte Ordo 22.
non poteſt eſſe quoad virtutem, ſed quoad ſuppoſitum vi æternæ Generationis ita productum à Patre, ut eandem habeat ſibi à Patre communicatam virtutem omnium creatricem. Hinc 4. 23.
Chriſtus *20. Matth.* jure conſanguinitatis conventus à Filijs Zebedæi, *ut unum faceret ſedere ad dexteram, alterum verò ad ſiniſtram in regno ſuo,* ita negavit iſtud, eo, nimirum, quo putabatur Conſanguitatis jure ſibi convenire, ut tamen aſſereret, hoc eſſe ſuum dare, quibus paratum eſt à Patre ſuo dante omnia in manus Filij, ita ut omnia Patris ſint Filij. At ex hoc ipſo evincitur, Filio eandem cum Patre in decernendo regno cæleſti eſſe poteſtatem, quæ tamen in Patre eſſet à ſe, in Filio autem per coeſſentialem æternæ Generationis communicationem. Etſi proinde Sedem ad dexteram vel ſiniſtram ſuam dare hominibus Chriſto quoad humanitatem nõ principaliter, imò jure Conſanguinitatis nullatenus conveniret, id tamen erat in manu & poteſtate principali Filij ſecundum Naturam & Virtutem Divinam vi æternæ generationis acceptam à Patre.

Ad 5. denique Reſpondetur. Chriſtum ita 24.
aſſerere ſe Patre minorem, ut ipſe tamen dicat ſe unum cum Patre. Hanc verò unitatem ex teſtimonio Apoſtoli *ad Philip. 1.* ita eſſe ſecundùm formam Dei, ut Filius ſit æqualis Patri. Ergo ſecundùm Naturam duntaxat humanam Chriſtus ſe dixit Patre minorem. Probatur iſta reſponſio ex contextu ita ſe habente: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia* 25.
Pater major me eſt Ioan. 14. Ex hoc enim patet, Patrem dici majorem Filio ſecundùm quod iſte vadit ad Patrem. Hoc autem Filio convenit ſecundùm naturam duntaxat aſſumptam. Sicuti ergò Minoritas ſeu Inferioritas, ſic & ſubjectio, quâ Chriſtus *1. Corinth. 15.* dicitur ſubjectus Patri; non convenit Chriſto niſi ſecundùm naturam Aſſumptam, non verò ſecundùm naturam vi æternæ generationis à Patre acceptam.

Confirmatur. Nam ex præcitati *1. Corinth. 15. capitis* contextu patet, Chriſti ad Patrem ſubjectionem ſpecialiter eſſe factam cum in reſurrectione Chriſtus evacuavit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem; tunc enim Pater omnia ſubiecit ſub pedibus ejus. At eo ipſo, quòd iſta omnium reſpectu Chriſti ſubjectio facta ſit à Patre, ſequitur, eſſe ſecundum operationem Divinam. At verò iſta Divina humanitatis Chriſti per reſurrectionem glorificatæ omnia ſubijciens operatio ita eſt principaliter à Patre, ut tamen eſſet etiam ab humanitate Chriſti tanquàm Inſtrumento Divinitati conjuncto, juxta illud *ad Philippenſes 3. Qui reformabit Corpus humilitatis noſtræ configuratum Corpori Claritatis ſuæ ſecundùm operationem, quâ poſſit ſubijcere ſibi omnia.* Ex hoc ipſo verò, quòd operatio, ſecundùm quam omnia ſunt Chriſto ſubjecta, ſit principaliter à Divinitate, & Inſtrumentaliter ab humanitate, ſequitur, Chriſtum quà hominem in Reſurrectione accipiendo Omnem in cælo & terrâ poteſtatem, fuiſſe pro tunc æterno Patri ſubjectum, ſecundùm illam ipſam opera- 26.

operationem, quâ possit sibi subjicere omnia. Ergò licèt antecedenter ad resurrectionem Christi humanitas tum in agendo, tum præcipuè in patiendo esset subjecta Patri; illa tamen secundùm operationem (quâ Christus posset omnia sibi subjicere) specialis Christi erga Patrem subjectio incepit post resurrectionem. Nec adeò secundùm Naturam & potentiam æternâ generatione acceptam, sed secundùm humanitatem duntaxat & Potestatem vi operationis Divinæ in resurrectione datam dici potest Christus Patri subjectus.

CONTROVERSIA IV.

Qualiter ex Sacris Litteris ostendatur Spiritûs Sancti Divinitas.

1. MAcedonianis negantibus Spiritûs Sancti Divinitatem, sequentia videri possent favere argumenta. 1. quòd in Sacris Litteris dicatur quandoque factus seu creatus. Ad quod facit illud *Ioan. 1. Omnia per ipsum*, scilicet Verbum, *facta sunt.* Nam *ly Omnia* utpote universale videtur etiam includere Spiritum Sanctum. 2. dicitur effundi ac mitti, juxta illud *Ioelis 2. Effundam spiritum meum.* Et *Ioan. 15. Spiritus Sanctus, quem ego mittam vobis à Patre*, 3. dicitur ad *Ephes 4. contristari. Et Rom 7. Pro vobis postulare gemitibus inenarrabilibus.* Atqui contristari ac postulare gemitibus, non convenit Deo.

2. Etsi verò hæreticorum aliqui Patribus antiquis, quasi de Spiritûs Sancti Divinitate dubitassent, imponere haud reformident, nixi præsertim testimonio Gregorij Nazianzeni *Orat. 5. de Theolog.* taliter scribentis de Spiritu Sancto. *Nostri sapientes partim vim quandam, & facultatem ipsum existimarunt, partim creaturam, partim Deum, & utro nomine potiùs vocandus esset, minimè certum & exploratum habuerunt.* Nihilominùs Gregorium per Sapientes hic non intellexisse Patres Orthodoxos, sed alios tandem à fide deficientes, facilè constat ex verbis sequentibus; in quibus eos duntaxat pios & Orthodoxos dicit, qui credunt Spiritum Sanctum esse Deum.

3. Nec porrò illam Hæreticorum imposturam difficile est refellere ex ipsis Sanctis Patribus Basilio *lib. 3. cont. Eunomium.* Athanasio *Epist. ad Serapionem de Spiritu Sancto.* Gregorio Nazianzeno *ubi supra.* Ambrosio *tribus lib. de Spiritu Sancto.* Hieronymo *epist. ad Pammachium.* Augustino *lib. 1. de Trinit. cap. 6. & lib. 2. cap. 5.*

CONCLUSIO.

SPiritûs Sancti per Nizænum ab omnibus exinde celebratis Concilijs probatum Symbolum asserta Divinitas, atque adeò cum Patre & Filio Consubstantialitas efficaciter demonstratur ex Sacris Litteris.

Probatur. Spiritus enim Sanctus dicitur esse
4. unum cum Patre & Filio, juxta illud *1. Ioan. ult. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, Et hi tres unum sunt.* At istam Spiritûs Sancti cum Patre ac Filio unitatem esse naturæ ac Essentiæ Divinæ, evincitur ex eo, quòd Sacræ Litteræ Spiritum Sanctum dicant Deum. Nam 1. Deus est; qui locutus est per os Sanctorum Prophetarum. *ex Num. 12. & Luc. 1.* At Spiritus Sanctus est, qui locutus est per ora Prophetarum. *Actor. 1. vers. 16. Math. 22. ver. 43. 2. Pet. 1. v. 21.* Unde ille idem Dominus Exercituũm, qui Isaiæ *6. dicit: Vade dic populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere,* dicitur *Actor. ult.* Spiritus Sanctus, ibi enim Paulus præfatum Isaiæ locum referens ait: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam dicens: Vade ad populum istum, & dic eis aure audietis, & non intelligetis.* 2. *Deus est, qui loquitur Mysteria. Dan. 2. cap.* At Spiritus Sanctus est, qui loquitur Mysteria. *1. Corinth. 14.* Unde Apostolus *1. ad Corinth. 2.* de Mysterio ijs, qui diligunt Deum præparato loquens ait. *Nobis autem revelavit per Spiritum suum.* Ergò Spiritus Dei est Deus, Apostolorum Principe Petro clarè id attestante *Actor. 5.* ubi cùm dixisset, *Anania cur tentavit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto,* mox subintulit, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

Dices ex personâ hæretici, ipsos etiam Pro- 5.
phetas, ad quos Dei sermo factus est in Sacrâ
Scripturâ, dici Deos: *Ioan. 10. u. 35.* At hos non
esse Deos, nisi Ministerialiter. Etsi proinde Sermo Dei ad Prophetas sit factus per Spiritum Sanctum, non sequi, hunc esse Deum Consubstantialiter.

Contra. Nam primò Apostolus 1. *Corinth. 2.* cùm
dixisset: *Mysterium ijs, qui ipsum diligunt, præparatum à* 6.
Deo revelavit per Spiritum suum, mox subjungit. *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Atque per hoc datur intelligi, quòd revelatio non Ministerialiter sit per Spiritum Sanctum, sed ex Scientiâ naturæ divinæ propriâ omnium etiam profundorum Dei comprehensivâ. Ejusmodi verò scientia arguit Consubstantialitatem in naturâ Deitatis non participativè, seu Denominativè,
sed ad identitatem communicatâ. 2. Deus *Sa-* 7.
pient. 1. dicitur renum Maledici testis & cordis illius Scrutator, *quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, Scientiam habet vocis.* Ex quo patet, quòd Scientia Spiritûs Sancti concludatur ex ejus Immensitate, secundùm quam continet omnia. At sicuti Filius Dei omnia Verbo Virtutis suæ portat per Omnipotentiam sibi à Patre communicatam, sic consequenter Spiritus Sanctus continet omnia manu Omnipotentiæ sibi à Patre & Filio communicatæ, adeò ut omnis virtus cælorum, qui verbo Domini sunt firmati *Psal. 32.* constet oris Dei Spiritu, cujus est non tantùm ornare cælos *Iob. 33.* sed etiam creare, imò & justificare, sanctificare, & vivificare. ex *Psal. 103. vers. 30. 1. Corinth. 6. v. 11. ad Rom. 8. ver. 11.* Cùm proinde Spiritui Sancto sit cum Patre & Filio non tantùm æqualitas Omnipotentiæ ac Immensitatis, sed ex Spiritûs Sancti omnium continente causalitate inferatur Scientia Deitatis, seu Substantiæ divinæ propria, consequens est, Spiritum Sanctum esse consubstantialiter Deum unum cum Patre & Filio.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD 1. Respondetur eo ipso, quòd factio, seu 8.
creatio sit in communicationem naturæ di-

versæ à Naturâ Principij creantis, non posse inter omnia, quæ facta sunt per Verbum, intelligi Spiritum Sanctum: siquidem ex alijs sacris textibus demonstraverimus ejus cum Patre ac Filio Consubstantialitatem, seu Naturæ unitatem substantialem. Unde si sacra Scriptura de aliquo spiritu loquatur tanquàm Dei facturâ, seu creaturâ accipi debet de Spiritu Procellarum, sive de ventis, debetque ex contextu dijudicari, an sub nomine Spiritûs in Sacris quandoque Litteris expresso veniat Tertia Trinitatis Persona, uti notat S. Hieronymus *in Michæam Prophetam*.

9. Ad 2. Respondetur. Quòd in vulgatâ legitur. *Effundã Spiritum meum*, hoc per Septuaginta interpretes verti, *Effundam de Spiritu meo*. Juxta quã proinde posteriorem expositioné posse Effusionem Spiritûs Sancti accipi pro Gratiâ & Charitate, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris. At verò secundùm expositionem priorem Spiritûs Sancti effusionem significare ejus missionem. Hanc verò esse internam Spiritûs Sancti à Personâ Mittente processionem cum connotatione effectûs ad extra. Eo ipso autem, quòd illa in Missione Spiritûs Sancti importata Processio sit interna, Personam Missam ita secundùm suam Substantiam esse in Mittente, ut consequenter huic sit consubstantialis.

10. Ad 3. Respondetur *ex Sancto Augustino lib. 1. contra Maximum non longè à Princ. & lib. 4. de Gen. ad Litt. cap. 9.* Spiritum Sanctum secundùm Denominationem non formalem seu intrinsecam, sed causalem, adeòque extrinsecam dici contristari, ac postulare gemitibus inenarrabilibus, quatenus in Sanctis, in quibus habitat per gratiam, causat tristitiam, per quam de lapsu peccatorum contristantur, eosque facit postulare gemitibus inenarrabilibus, causando in ipsis amorem, ex quo nascitur desiderium excitans ad postulandum, quod desideramus.



ARTICULUS III.

Qualiter suppositâ Divinâ Revelatione cognosci posit Trinitatis Mysterium?

1. PLures hic latent difficultates suis quæque Controversijs elucidandæ. 1. *An Mysterij Sanctissimæ Trinitatis Revelatione ac fide suppositâ, possint per vires humani ingenij inveniri rationes illius demonstrativæ.* 2. *An ex effectu aliquo supernaturali v. g. Visione Beatificâ, seu visione Hypostaticâ posset evidenter cognosci Trinitatis Mysterium?* 3. *Utrùm in evidentiâ Dei de Trinitatis Mysteriò attestantis posset generari evidens illius Mysterij notitia?*

CONTROVERSIA I.

An Mysterii Sanctissimæ Trinitatis revelatione ac fide suppositâ, possint per humani ingenij vires inveniri rationes illius demonstrativæ?

RIchardus à Sancto Victore in *primo libro de Trinit. cap. 4.* arbitratur, haud deesse argumenta etiam necessaria, ad Mysterium illud fide divinâ præcognitum firmandum. Cui suæ assertioni conformiter *lib. 4.* plures studio suo adinventas producit demonstrationes. Quarum 1. *cap. 2. ejusdem lib. 3.* ita deducitur. In Deo tanquàm Summo Bono, universaliterque perfectò est totius Bonitatis plenitudo, atque perfectio. At ubi totius bonitatis plenitudo est, vera & Summa Charitas, quâ nihil melius ac perfectius reperitur, deesse non potest. Oportet autem, amorem tendere in alterum, ut Charitas esse possit. Atqui hæc Charitas non potest esse Summa, nisi erga Personam, quæ Summâ dilectione digna est. Divinæ autem Personæ non esset ad diligendum condigna Persona, quæ Deus non esset. Ergo ut in Divinitate plenitudo charitatis possit habere locum, oportet divinam Personam alterius Personæ divinæ sibi condignæ consortio non carere. 2.

Altera demonstratio ex prædicati *lib. 3. cap. 2. & 14.* sic formatur. Nihil gloriosius & magnificentius est, quàm nihil habere, quòd nolit quis communicare. At si sola una Persona in divinitate esset, non haberet, cui Magnitudinis suæ divitias communicaret. Impossibile igitur est, unam aliquam in Divinitate Personam consortio Societatis carere. At si solam unam Personam sociam haberet, ei utique non deesset, cui Magnitudinis suæ divitias communicaret, sed cui Charitatis in alteram dilectione Divinâ condignam, adeòque Tertiam Divinam Personam tendentis delitias impertiret, omninò non haberet. Unde Communio amoris non potest esse omnino minus, quàm in tribus Personis. 3.

CONCLUSIO.

MYsterium Sanctissimæ Trinitatis ad intellectum habitu fidei illustratum se habet instar Primi Indemonstrabilis Principij, nec suppositâ etiam Fide ac revelatione Divinâ est nisi secundùm aliquas Convenientiæ rationes probabile.

Probatur & Explicatur. Nam ut aliqua veritas strictè sit demonstrabilis, oportet intellectui nostro, vel secundùm luminis naturalis evidentiam, vel secundùm Divini per revelationem licèt obscuram communicati luminis certitudinem præstò esse Principium, quâ veritatis illius saltem Virtualiter ac Metaphysicè Præcontentivum, seu Causativum. At licèt simus per Fidem certificati de intrinsecâ realis identitatis inter Esse ejusque relativas Hypostases connexione: Intellectus tamen noster neque per revelationem, neque per lumen naturale est certificatus de 4.

ris de hoc, quòd Esse divini, vel cujuscumq; Perfectionis in Deo absolutæ ratio se habeat ad relativas Divinas Hypostases tanquã radix seu principium virtuale earundem Metaphysicè Causativum. Nequit ergo Trinitas Hypostasum in Deo per lumen Intellectûs nostri fide licèt divinâ elevati demonstrari, sed ex Motivo divini Luminis seu Primæ Veritatis sub obscurâ revelatione intellectui nostro applicatæ credi duntaxat, atque ut sic per modum Primi Principij secundùm indemonstrabilem Fidei supernaturalis certitudinem supponi.

Responsio ad Richardi à Sancto Victore argumenta.

5. AD 1. Respondetur. Solâ fide, non verò per rationem etiam in fide fundatam certò cognosci, quod Bonitatis divinæ plenitudo exigat Charitatem, non in ratione duntaxat unionis per Esse divinum formaliter identicè actuale, sed in ratione etiam tendentiæ in alterum, seu distinctum suppositum summâ Dei qua amantis propriâ dilectione condignum. Quare per rationem etiam in fide fundatam demonstrari non posse, quòd divina Persona nequeat alterius Personæ divinæ sibi condignæ consortio carere, sed veritatem istam ità supponi per fidem, ut nulla ejus ratio virtualiter prior per rationem nostram ratiocinatam possit assignari, quin in hâc ipsâ ratione debeat per fidem supponi distinctio Personarum Divinarum in omnimodâ perfectione communicantium.

6. Ad 2. Respondetur. Communicationem Dei ad intra cum eo ipso, quòd sit ad intra, oporteat esse Consubstantialem, non posse intelligi, quin in ejus formali conceptu involvatur distinctio Personarum in eâdem Essentiâ divinâ communicantium. Quare ipsam argumenti rationem supponere, imò formaliter involvere Mysteriũ, quod intendit probare. At Naturam Demonstrationis esse, ut medium seu ratio argumenti sit radix seu Causa saltem Virtualis sive Metaphysica Veritatis illatæ in conclusione. Illas igitur Richardi de Sancto Victore argumentationes non esse Demonstrativas, sed Mysterij Trinitatis in ipso medio, seu argumenti ratione per fidem Præsuppositi explicativas ad excitandum affectum specialiter natas Voluntate ardentiùs erga tam sublime Mysterium concipiente amoris divini flammam ex luce Fidei magis relucente per expliciotiorem Mysterij illius expressionem.

7. Instabis. Etsi Mysteria Divinitùs revelata, quà per fidem infusam credita sint Primæ Veritatis, sintque adeo ut sic indemonstrabilia; nihilominùs quatenus per rationem fide elevatam inter se conferuntur, posse unum ratione nostrâ ratiocinatâ comparari cum altero, tanquàm illius Principio virtuali. Pari ergò ratione divinæ Bonitatis plenitudinem, atque Charitatis perfectionem in Deo intelligi posse tanquàm radicem Consubstantialis ad intra Communicationis, atque unius Personæ in alteram summâ dilectione dignam tendentiæ. Ergo ut sic posse Intellectui nostro esse medium Demonstrativè probandi Divinarum Personarum in unâ Substantiâ distinctionem.

8. Respondetur. Ut Divinæ Bonitatis plenitudo ac perfectio Charitatis in Deo intelligeretur à nobis tanquàm Principium Virtuale Consubstantialis ad intra communicationis, oportere hanc formalitatem, in quâ Mysterium Trinitatis Virtualiter præcontinetur, esse præcognitam vel virtute luminis naturalis, vel vi revelationis Divinæ. At inprimis ex revelatione divinâ nullam esse assignabilem formalitatem in Deo, quæ radicaliter præcontineat Trinitatis Mysterium, quin istud formaliter in ratione objecti attingatur & supponatur. Deinde stando in lumine naturali, divinæ Bonitatis Plenitudinem non esse intelligibilem, nisi cum Esse per se subsistente, involvente formaliter in suâ quidditate ultimam individuationis, seu Hæcceitatis rationem. At verò lumine naturæ non esse cognoscibile, quòd Substantia, quæ per completam Hæcceitatem individuata secundum ipsum et Esse suũ sit formaliter communicabilis. Cùm igitur ista Divinæ Substantiæ Comunicabilitas, atque adeo unius personæ Divinæ in alteram se condignam seu coæqualem Personam per Charitatem tendentiæ cognitio virtute Fidei duntaxat intutæ habita formaliter ex parte objecti attingat & supponat Divinarum Personarum in unâ Substantiâ distinctionem, consequens est, non esse à nobis intelligibilem ullam Dei formalitatem radicaliter, non autem ex parte objecti formaliter involventem Trinitatis Mysterium, atque adeò hujus Mysterij Veritatem in Præmissis formaliter ex parte Medij præsuppositam non esse ex Lumine etiam Divinæ Viatori communicatæ revelationis propriè demonstrabilem.

CONTROVERSIA II.

An ex Effectu aliquo supernaturali v.g. Visione Beatifica seu Unione Hypostaticâ possit evidenter cognosci Trinitatis Mysterium?

1. CIrca Visionem Beatificam Vasquez *pras. disp. 131. cap. 4. n. 10.* affirmat, Trinitatem videri hoc ipso intuitivè, si visio Beata Dei unius ac Trini intuitivè cognosceretur. Fundamentum est, Nemo enim discernere posset, an notitia esset intuitiva & propria objecti, nisi propria & intuitivâ notione videret ipsum objectum, cum quo intuitivam notitiam, quam alius habet de eodem objecto, conferre possit.

2. Martinus Perez *de Deo ut Trino disp. 1. sect. 5. n. 3.* & Andreas Lao *to. 2. in quast. 32. cont. un. n. 10.* docet, in visione Beatâ, nec non in lumine Gloriæ tanquàm medio evidenter & Quidditativè cognito Mysterium Trinitatis cognosci solùm posse evidenter abstractivè quoad an est. Fundamentum est. Quia non est major connexio inter effectum creatum & Deum ut unum, quà causam existentem, quàm inter visionem Beatam & Deum ut Trinum ac unum existentem, tanquàm objectũ: Sicut enim ille est effectus Dei necessariò pendens à Deo, ut uno existente: sic ista est repræsentatio Dei ut unius & Trini existentis, & ipsam Trinitatem Essentialiter respicit. At cognitâ evidenter & Quidditativè connexione, illâ effectus cum Deo ut uno tanquàm cum causâ, solùm cognoscitur evidenter abstractivè Deus ut unus. Ergo cognitâ evidenter & Quid-

Quidditativè connexione visionis Beatæ tum Deo ut uno & Trino, evidenter abstractivè tantum cognoscitur Trinitas, quoad an est.

3. Cardinalis de Lugo *de Incarn. disp. 2. n. 41.* tenet, animã Christi per Scientiam infusam evidenter cognoscendo actus fidei supernaturales, quos fideles eliciunt circa Trinitatis Mysterium, evidenter cognovisse hoc Mysterium. Fundamentum est. Quia videbat illos actus esse infallibiles. Igitur oportuit etiam novisse, quòd ipsorum objectum ita se haberet.

4. Circa unionem Hypostaticam Arrubal *disp. 116. cap. 2. n. 12.* sentit, ex cognitione Quidditativâ triplicis unionis Hypostaticæ (cujusmodi de Hypostaticâ unius humanitatis ad tres Divinas Personas unione quà possibili notitiam Christo per scientiam infusam competere hîc supponimus) deduci cognitionem Trinitatis non solùm quoad an est, sed intuitivam. Fundamentum est. Quia notitia illarum unionum quidditativa haberi non potest, nisi intellectâ ipsarum ex terminis ortâ distinctione. At distinctio hæc non potest cognosci, nisi Personarum Trinitas in se cognoscatur.

5. Martinus Perez *cit. sect. 5. n. 7.* arbitratur, quòd licèt ex triplici ad tres Divinas Personas unione Hypostaticâ evidenter abstractivè cognoscatur triplex Persona Divina, non tamen oportere totum Trinitatis Mysterium etiam quoad an est, tunc cognitum esse. Fundamentũ est. Nam Trinitatis Mysterium potissimè in hoc est constitutum, quòd sint tres Personæ & non plures, quòdq; tres illæ Personæ sint inter se realiter oppositæ & distinctæ habeant identitaté realem cum unâ Essentiâ. At licèt quælibet ex illis ad tres Divinas Personas terminatis unionibus Essentialiter respiciat Personam determinatam, ut adeo specificâ triplicis illius unionis ratione intuitive penetratâ necessum sit cognosci tres Personas Divinas quoad an est. Nihilominùs ex vi illius notitiæ necdũ apparet talium divinarum Personarum identitas cum unâ Essentiâ. Ergo neque Mysteriũ Trinitatis.

6. Suarez *to. 1. in 3. p. disp. 29. sect. 5.* existimat, etsi unio Hypostatica in Christo sit determinata ad Personalitatem Filij, non tamen oportere, quòd unionem illam videns, distinctè cognoscat Personam secundam Trinitatis, sed satis esse cognoscere, quòd unio ejusmodi terminetur ad Personalitatem Divinam. Fundamentum est. Quia comprehendens creaturam, cui Essentialis est ordo ad Deitatem, non illico cognoscit Deitatem esse fæcundam, & postulare sibi tres subsistentias, sed ordo ille creaturæ Essentialis solùm explicat, Deum esse Primam Causam creaturæ effectricem. Pari ergo ratione poterit comprehendi Humanitatis ad Personam Filij Dei unio Hypostatica, quin cognoscatur, an Personalitas, cui unitur, sit relativa ad Patrem, vel exigat alias personalitates.

7. Cardinalis de Lugo *cit. sect. 2. n. 45.* non dissentit quoad visionem Intuitivam, sed quoad comprehensivam intuitionem, ita ut impossibile sit, Comprehensivè videntem unionem ad suppositum Filij terminatam, non cognoscere etiam evidenter *Quoad an est*, Trinitatem Personarum.

8. Fundamentum est. Quia comprehendens unionem istam cognoscit totam ejus differentiam specificè distinctivam ab unione possibili ad Hypostasin Patris & Spiritûs Sancti. At differentia ista est secundùm ordinem Essentialem ad Personalitatem Filij quà distinctam ab alijs Personis. Ergo unio illa cognita non solùm ostendit Personam Filij; sed alias etiam Personas.

CONCLUSIO.

Ex nullo etiam supernaturali effectu quà tali est SS. Trinitatis Mysterium etiam quoad an est evidenter abstractivè cognoscibile.

Probatur. Effectus quantumvis supernaturalis non est medium cognoscendi Deum nisi sub ratione Principij seu Causæ. ex S. Tho. *q. 32. a. 1.* Atqui ratio Principij in ordine ad effectus tam naturales, quàm supernaturales est communis toti Trinitati, huic conveniens secundùm Esse absolutum Essentiæ, non verò secundùm relativas Hypostasũ proprietates, per quas Essentia Dei est subsistens in tribus personis. Ergo nullus quantumvis supernaturalis effectus Formaliter sub ratione Effectûs potest esse medium cognoscendi Deum, quà subsistentem in tribus Personis. 9.

Dices. In ratione Principij involvi etiam formam seu Ideam, ad cujus imitationem procedit effectus. At ratio supernaturalitatis in formis creatis consistit in participatione seu imitatione Dei quà Trini. Minor, (quam Doctores à Francisco de Lugo *lib. 1. de Deo uno. disp. 7. cap. 1. n. 2. ac 3.* relati tradunt) probatur. Tum quia habitus fidei ex naturâ suâ est potens elicere actum, qui sit cognitio Dei ut Trini, ac subinde ejus similitudo intentionalis, atque adeò participatio Dei quà Trini. Ex hoc autem sequitur, quod omnis actus fidei tendat ad Deum sub ratione formali, quæ se extendit ad Deum ut Trinum. Sicut ergo ratio formalis cujuslibet Fidei assensûs extendit se ad Mysterium Trinitatis, sic omni Fidei actui convenit, esse hujus Mysterij aliqualem participationem. Tum quia spes inclinans ad claram Dei visionem sperandam, nec non amor ex charitatis Theologicæ Motivo attingens Deum ut Trinum, item Gratia Sanctificans communicando Jus Filiationis ac Hæreditatis Divinæ in Dei quà Trini visione consistentis, habent intrinsecam connexionem cum Divinâ Essentiâ quà subsistente in Trinitate Personarum. Nequeunt ergo ejusmodi supernaturales formæ intuitivè cognosci per Scientiam Christi infusam, quin Trinitatis Mysterium evidenter in illis cognoscatur. 10. 11.

Contra. Nam ratio supernaturalitatis in actibus & habitibus Virtutum & Donorum gratiæ formaliter importat Divinæ naturæ Participationem, veluti ex professo *tomo seq.* demonstrabitur. Atqui Naturam Divinam formaliter consistere in Intellectione Divinâ per Esse Dei subsistens tanquàm actualissimum Intelligibile formaliter identicè actuatâ & specificatâ, constat ex dictis *to. præs. q. 5. a. 2. conc. 4.* Unde fides ac visio Beatifica sunt formæ supernaturales, prout sunt Intellectiones per primam Veritatem seu purissimam Divini Esse Intelligibilitatem quodammodò specificatæ, spes autem & Charitas habent rationem supernaturalitatis, quatenus sunt Inclinationes in Bonum Dei repræsentatum 12.

tatum sub Esse Divini Intelligibilitate per fidem, aut Visionem Beatificam, sive per actus Donorum Spiritûs Sancti Intellectualium expressa? Gratia denique Sanctificans & lumen Gloriæ censentur supernaturalia, quatenus habent rationem Principij Radicalis, vel proximi efficientis actum, mediante quo Intelligibilitatis Dei increatæ in intellectu humano fit expressio. Constat proinde rationem supernaturalitatis in formis creatis supernaturalibus ex suâ propriâ Divinæ participationis Ideatâ impressione respicere Dei Intellectionem Naturæ Divinæ formaliter constitutivam, quæ relationum Personalium, atque adeò Trinitatis ex hoc solùm expressiva est, quòd Mysterium istud non aliam, quàm Esse Divini habeat Intelligibilitatem, tamesi hæc virtualiter fit per prius in Esse Dei absoluto, quam respectivo. Unde etiam infertur, quòd Esse Dei absolutum quà virtualiter distinctum à personalitatibus relativis habeat rationem Ideæ per sui actualem in Intellectu divino expressionem formas creatas supernaturales Intelligibiliter seu idealiter Formantis. Atqui Esse Divinum ex effectibus seu formis creatis eatenus duntaxat est cognoscibile, quatenus habet rationem Principij tum Efficientis, tum Ideantis seu Exemplantis formas ejusmodi. Consequens igitur est, Esse Divinum absolutum duntaxat, non verò secundùm relativas Personalitates, nec adeò Trinitatis Mysterium in formis creatis supernaturalibus qua effectibus Dei Intuitivè cognitis esse evidenter noscibile.

13. Instabis. Eo ipso, quòd Mysterium Trinitatis non aliam nisi Esse Divini habeat Intelligibilitatem, sequi; Visioni Divinæ Essentiæ per modum Proprietatis Metaphysicæ necessariò convenire, quòd terminetur ad istud Mysterium. Similiter habitibus Fidei, Spei, & Charitatis ac Donis Spiritûs Sancti ab intrinseco competere, quòd tanquàm objectum suum respiciant Esse divinum quà subsistens non tantùm absolutè in se ipso, sed in Trinitate Personarum. Ex quo consequens esse, naturam tum visionis Dei, tum habituum illorum supernaturalium non posse intuitivè cognosci, quin ista ad Trinitatem habitudo, atque adeò ipsum, Trinitatis Mysterium

14. cognoscatur.

Contra. Nam in formis illis creatis alia est cum Deo connexio tanquàm effectuum cum causâ, alia verò tanquàm formarum intentionalium cum objecto. At licèt visio Dei & habitus supernaturalis intrinsecam importent habitudinem ad Trinitatis Mysterium tanquàm ad objectum, ut adeò formæ ejusmodi nequeant per intuitivâ saltem comprehensivam cognitionem videri, quin Mysteriû illud in ipsis evidenter abstractivè cognoscatur. Nihilominùs ut ex illis tanquàm effectibus esset Mysterium illud cognoscibile, oporteret Deo non secundùm Esse duntaxat absolutum, sed secundùm proprietates quoque Personales competere rationem Causæ ad extra. At istam Causæ ad extra formalitatem esse communem tribus Personis Divinis, nec adeò ex ratione Hypostasum Relativarum, sed ex Divinæ Essentiæ in se absolutè subsistentis perfectione competere Deo, indubitatum est. Ergò Mysterium Trinitatis nequit ex illis formis creatis tanquàm Effectibus Dei cognosci.

Responsio ad Argumenta in initio opposita.

AD Vasquezij *n.1.* oppositum Respondetur. In Visione Divinæ Essentiæ duas oportere considerare formalitates: alia enim est ipsa actio videndi consistens in contactu vitali Essentiam Divinam quoad Esse intelligibile ac repræsentativum actualiter uniente cum Intellectu Beati: alia verò est formalis Esse Divini Intellectui creato communicata repræsentatio, seu Expressio, consistens in Verbo non producto per Intellectum creatum, sed in Dei Verbo increato Essentiali vitaliter attacto per creatam Visionis Beatificæ Visionem. Etsi proinde hæc posterior Essentiæ Divinæ, ut est in se, expressiva formalitas non posset videri ab Intellectu creato, quin hoc ipso videretur Trinitatis Mysterium, utpote formaliter expressum in Essentiæ Divinæ Intelligibitate, attamen prior actionis videndi Deum formalitas non posset per suam in intellectu creato expressam propriam Intelligibilitatem in se tanquam Medio objectivo Trinitatis Mysterium nisi abstractivè repræsentare, siquidem hujus Mysterij Intelligibilitatem infinitè superexcedentem adæquare nequeat. Et hinc Apostolus Paulus etsi post raptum, in quo vidit Dei Essentiam, haberet speciem quandam non formalis Divini Esse Intelligibilis expressionis, sed illius duntaxat contactûs vitalis rememorativam, in hâc nihilominùs tanquàm medio ojectivo non potuit Esse Dei ac Trinitatis Mysterium, nisi *Quoad an est abstractivè* rememorari. 15.

Ad Perezij *n.2.* Oppositum Respondetur. Sicuti effectûs ad causam Primam est connexio intrinsecæ ac Essentialis habitudinis, sic actioni videndi Deum tanquàm vitali ad Essentiam divinam creato Intellectui Intellectualiter uniendam contactui esse intrinsecam Essentialem connexionem cum Divini Esse Intelligibilitâte, atque adeò cum Trinitatis Mysterio tanquàm termino intrinsecè attacto, & quoad Esse repræsentativum unito creatæ per Gloriæ lumen illustratæ Intelligentiæ. Unde verificari, quòd, sicuti Dei Essentia non nisi *abstractivè* cognoscitur in creaturis intuitivè cognitis, sic in illâ videndi Deum actione seu vitali Essentiæ Divinæ contactu tanquàm Medio Objectivo non nisi *abstractivè* cognosci possit Trinitatis Mysterium. 16.

Ad Cardinal. de Lugo *n.3.* Propositum argumentum Respondetur. Ex illo evinci, quòd anima Christi in supernaturalibus Fidei actibus tanquàm formis Trinitatis Mysterium cum intrinsecâ certitudine intentionaliter attingentibus, non tanquàm Dei effectibus *evidenter abstractivè* noverit illud Mysterium.

Ad Arrubal. *n. 4.* oppositum Respondetur. Negando Minorem, quòd scilicet triplicis trium Divinarum Personarum unionis Hypostaticæ differentia non possit Quidditativè cognosci, nisi Personarum Trinitas in se cognoscatur: Cùm enim Mysterij hujus Intelligibilitas sit infinita, nequit esse repræsentata in Medio objectivo creato habente Intelligibilitatem duntaxat Finitam. 17.

Ad Perez *n. 5.* Oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd lumine naturæ sit demonstrabile, non nisi Personæ Divinæ in supposítando infinitæ convenire, naturam alienam creatam posse terminare, imò cùm actioni naturæ creatæ ad

Hypostasin Divinam unitivæ intrinseca sit connexio cum Personâ quà divinâ, consequenter visâ triplici omnium trium Divinarum Personarum ad naturam creatam unione Hypostaticâ, *evidenter abstractivè* cognosci tres Personas in Naturâ divinâ subsistentes. At lumine naturæ esse etiam demonstrabile, quòd hæc natura divina sit unica. Ergò visâ illâ triplici Hypostaticâ unione, fore consequens, quòd Trinitas Personarum in unâ Essentiâ & naturâ subsistens *evidenter abstractivè quoad an est*, cognosceretur.

18. Ad Suarezij *n.6.* Oppositum Respondetur. Effectûs creati nullam esse connexionem intrinsecam cum Fœcunditate Deitatis ad intra, atque adeò cum Divinarum Personarum Trinitate, sicuti econtra unioni Personali Verbi cum Humanitate est ordo Essentialis ad Personam Filij Dei formaliter relativam ad Patrem. Quare unionem illam Hypostaticam non esse saltem *comprehensivè* visibilem, quin *evidenter abstractivè* cognoscatur Persona Filij, quà relativa, atque adeò distincta à Patre, uti rectè probat Cardinalis de Lugo *supra n. 7. citatus.*

CONTROVERSIA III.

An, & qualiter ex evidentiâ Dei attestantis posset generari evidens Mysterij Trinitatis notitia?

1. SEnsus Controversiæ formari potest pro statu, in quo Deus talem de Trinitate internam faceret homini locutionem, seu Mysterij hujus expressionem, ut hæc ipsa locutio cum Deo notitiam ejusmodi seu locutionem internam formante ac exprimente intrinsecè connexa, signatè tanquàm medium duceret in evidentem, sed abstractivam Dei loquentis cognitionem, tunc enim quæri posset, *An Intellectus de Veritate locutionis ejusmodi certificatus posset discurrendo evidentem Scientificam & Demonstrativam Mysterij Trinitatis cognitionem producere?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

2. VAsquez *cit. disp. 135. cap. 3.* videtur negare. Fundamentum est. Nam si quæ Mysterij Trinitatis tunc pareretur notitia evidens ac Demonstrativa, in talem reduceretur Syllogismum; *Deus est omne id, quod ipse dicit se esse. Ipse autem se dicit esse Trinum. Ergo Deus est Trinus.* Atqui in hoc Syllogismo medium utpote omninò extrinsecum generare non potest evidentiam rei in se. Probatur istud assumptum. Non enim necesse est, consequens esse evidens in se, quoties antecedens est evidens, nisi cum eo habeat connexionem ex naturâ rei, siquidem medium in antecedente positum, si extrinsecum sit, non manifestet evidenter consequens secundùm rationem propriam, & connexionem extremorum in se, sed secundùm rationem communem extrinsecam isto principio contentam: *Deus est omne illud, quod dicit se esse.* Atqui per Demonstrationem generatur evidentia rei secundùm se & intrinseca. Ergo notitia Trinitatis in evidentiâ divinæ attesta-

3. tionis non est Demonstrativa. Confirmatur ex Sancto Thomâ *in 2.2.q.5.a.2.* scribente in hæc verba. *Si aliquis Propheta pronuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando: ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur, licèt illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset. Unde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Ex quo licèt taliter argumentari. Omnis assensus, qui testimonio Extrinseco innititur, est fides seu non evidens rei testificatæ notitia. At de ratione Scientificæ ac Demonstrativæ cognitionis est, esse ipsius rei scitæ seu Veritatis demonstratæ notitiam evidentem. Ergo ex evidentiâ attestationis divinæ nequit generari cognitio Demonstrativa & Scientifica.

Perez *cit. disp. 1. De Deo Trino. sect. 6. à n. 7.* Arriaga *to. 1. in 1. p. disp. 43. sect. 6. n. 21.* affirmant: notitiam Trinitatis in evidentiâ Dei attestantis, tametsi sit per Principia extrinseca, esse vèrè ac propriè Demonstrativam, pertinereque ad scientiam non propter *Quid*, sed *Quia*. 4.

Fundamentum est. Tota ratio, per quam effectus deservit ad demonstrandam causam, est illius cum hâc essentialis connexio. Ergo ubicumque invenitur talis connexio, sive sit effectûs sive relationis, seu quæcunque alia; dabitur verissima demonstratio, si ex connexione probetur illud, respectu cujus est illa connexio. Atqui revelatio Dei tam Essentialiter est connexa cum re revelatâ, quàm effectus cum causâ. Ergo tam erit Demonstratio ex divinâ revelatione visâ probare rem revelatam, quàm ex effectu causam, licèt res revelata in se non cognoscatur, sicut etiam hunc non cognoscitur Causa in se.

CONCLUSIO.

EX Evidentiâ Divinæ attestationis Intellectus humanus lumine supernaturali elevatus & illustratus posset contemplando ingredi ipsam luminis increati scientiam Divinam, & ex hâc tanquàm medio seu ratione ab intrinseco connexâ cum Trinitate demonstrare hoc Mysterium.

Explicatur & Probatur. Sicut enim ex revelatione Dei obscurâ per supernaturale Voluntatis imperium Intellectui humano applicatâ, & per fidem infusam creditâ abstrahit Intellectus lumen Intelligibile, quod in ipsum Divinæ scientiæ increatæ lumen reducitur, ex hoc trahendo non quidem evidentiam, sed certitudinem supernaturalem, fundans ut sic Principia Theologici propriè Demonstrativi Discursûs. Sic ex evidentiâ Divinæ attestationis Intellectus lumine quodam supernaturali elevatus abstrahere posset lumen Intelligibile, quod in Dei Increatam scientiam cum evidentiâ reductum in principijs vi talis luminis intelligibiliter formatis seu expressis fundaret non certitudinem duntaxat, sed evidentiam supernaturalem. At sub isto lumine stare posset formalitas Dei, in quâ radicatur processio Filij per Intellectionem, & Spiritûs Sancti per amorem. At verò formalitate ejusmodi repræsentatâ, per illud virtute agentis lumine Intellectuali supernaturali instructi intellectûs formatum Intelligibile lumen staret evidentia Principiorum supernaturalis continens 5.

nens rationem Trinitatis Personarum per se ab intrinseco Demonstrativam. Non igitur repugnat, ex evidentiâ Divinæ attestationis generari evidentem Mysterij Trinitatis Demonstrativam notitiam.

6. Confirmatur. Nam duplex potest fieri Dei loquentis evidentia, altera, quâ se diceret Trinum in Personis, altera, quâ manifestaret formalitatem, quæ intelligeretur esse *radix Divinarum Processionum*. Ex priori igitur Divinæ attestationis evidentiâ foret abstrahibile lumen, sub quo non tam Demonstrabilis esset, quàm secundùm expressiorem aliquam claritatem magis explicabilis Personarum Divinarum Trinitas. Econtra ex posteriori Dei loquentis evidentiâ abstrahi posset lumen Intelligibile, sub quo Mysterium Trinitatis proprijssimè posset demonstrari à priori.

7. Ratio prioris est. Nam Dei se Trinum in Personis asserentis evidentia reduci posset in ipsius Increati luminis Primam Veritatem. Hâc verò in Dei loquentis lumen increatum reductione suppositâ, potest intellectus intrinsecam Primæ Veritatis loquentis in identitate Existentiæ ac Essentiæ radicatam cum Trinitatis Mysterio connexionem in se Intelligibiliter exprimere. Ex ejusmodi verò intrinsecâ Mysterij Trinitatis, & luminis Dei loquentis connexione in se intelligibiliter expressâ determinatur Intellectus ad Trinitatem in vi Discursûs cognoscendam. At per talem Discursum Mysterij illius tam intensiva, quàm extensiva claritas eatenus excrescit, ut tamen in præmissis talis Discursûs non virtualiter duntaxat præcontineatur, sed formaliter expressa supponatur veritas illius Mysterij. Atqui ad rationem Demonstrationis simpliciter acceptæ requiritur, ut veritas conclusionis non formaliter, sed virtualiter duntaxat præcontineatur in præmissis. Constat igitur, ex Dei se Trinum asserentis evidentiâ generari posse lumen Intelligibile, sub quo non tam Demonstrabilis, quàm per Discursum ex ratione habente cum conclusione intrinsecam connexionem, secundùm expressiorem quandam claritatem magis explicabilis esset Divinarum Personarum Trinitas.

8. Ratio posterioris est. Nam tres distingui possunt effectus luminis Divini supernaturalis, ex quo Intellectus creatus elevaretur ad formalitatis, in quâ Divinæ Processiones radicantur, evidentiam in se formandam. Primus effectus esset Veritatis illius ex evidenti Dei loquentis Testimonio rei tamen attestatæ extrinseco conceptus assensus. Secundus esset lumen quoddam objectivum Intelligibile virtute Agentis lumine illo supernaturali elevati Intellectûs abstractum, vi cujus Formalitas, in quâ radicantur Dei ad intra Processiones, ita reduceretur in Dei revelantis lumen, ut ex hoc increato lumine derivaretur in illam formalitatem certitudo & evidentia objectiva supernaturalis. Tertius effectus esset assensus sub illo intelligibilitatis objectivo lumine de veritate Trinitatis conceptus propter hujus Mysterij intrinsecam cum formalitate illâ tanquàm Divinarum ad intra Processionum virtuali radice connexionem. Ex his proinde effectibus primus importans assensum ex ratione Motivâ solùm extrinsecâ certificatum non esset simpliciter Scientificus seu Demonstrativus, sed reduci deberet ad Fidem. Secundus verò contineret rationem formalem sub Quâ Trinitatis Mysterium esset ab intrinseco propriè demonstrabile à priori. Tertius denique effectus esset Formalis Demonstratio seu Demonstrativa Trinitatis ex Divini *Esse* Formalitate Mysterium hoc virtualiter præcontinente illatio. Consequens igitur est, ex Evidentiâ Dei Mysterium istud revelantis per Agentem supernaturali revelationi Divinæ proportionato lumine elevatum Intellectum formari posse lumen intelligibile, sub quo cum evidentiâ esset ab intrinseco demonstrabilis Divinarum Personarum Trinitas.

Responsio ad Argumenta ab initio opposita.

AD Vasquezij *n. 2.* propositum Fundamentum Respondetur. Recte probari, quòd Discursus Mysterij Trinitatis ex Dei Testimonio Extrinseco illativus non sit simpliciter Demonstrativus, posse tamen ex Dei loquentis attestatione supernaturali reductâ in Divinæ Scientiæ lumen Increatum, vi Intellectûs Agentis supernaturaliter elevati extrahi lumen intelligibile supernaturale repræsentativum formalitatis & rationis Divinæ, per quam ab intrinseco esset Mysterium illud demonstrabile. 9.

Ad Confirmationem à S. Thomæ authoritate *n. 2.* petitam Respondetur. Verum esse, quòd assensus Veritati alicui præstitus ex Dei loquentis Testimonio duntaxat Extrinseco necdū excedat limites fidei, unde ad hoc, ut vera scientifica supernaturalis Demonstratio fieri possit, opus esse Intellectûs Agentis supernaturaliter elevati abstractione, per quam intrinseca veritatis demonstrandæ ratio Intelligibiliter vestiatur objectivo supernaturaliter formato Intelligibilitatis lumine. 10.

Ad Perezij & Arriagæ *n. 4.* oppositum Respondetur. Ad Demonstrationem Scientiæ generativam requiri, ut medium ipsius sit Causa per se veritatis in conclusione inferendæ. Unde Demonstrationem *Quia* eatenus excludi à ratione perfectæ Demonstrationis, ut istius naturam non nisi analogicè participet. A fortiori igitur ex Dei loquentis Testimonio extrinseco non posse formari Medium perfectæ, & propriæ Demonstrationis, siquidem non scientiæ, sed fidei duntaxat generativa sit, tametsi Syllogismus ex Divinæ attestationis infallibilitate Præmissarum & conclusionis certitudinem participans eo ipso præseferat quandam Demonstrationis similitudinem analogicam. 11.

QUÆSTIO DUODECIMA
DE
PROCESSIONIBUS DIVINARUM PERSONARUM.

1 Amètsi nomen Processionis ex usu Ecclesiæ accommodatum sit ad significandam Processionem Spiritûs Sancti, latiùs tamen acceptum extenditur ad emanationem tam Filij à Patre, quàm Spiritûs Sancti à Patre & Filio. Hinc enim Christus *Ioan. 8.* de se ait: *Ego ex Deo processi.* At vi hujus Processionis Pater dicitur *Ioan. 5. dedisse Filio eandem vitam*, adèoque naturam, *quam habet in semetipso.* Manifestum ergò est ex Sacris Litteris, dari in Deo Processionem Filij à Patre, quæ sit in naturæ divinæ identitatem.

Similiter de Spiritu Sancto testatur Christus *Ioan. 5.* quòd *procedat à Patre.* At vi hujus Processionis accipere Spiritum Sanctum à Filio Scientiam, atque adeò Essentiam, & Attributa Divina Essentialia, evincitur ex illo Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet* (nimirum in æternitate complectente eminenter omne tempus etiam futurum ac præteritum) *& annunciabit vobis.* Oportet igitur, Spiritum Sanctum procedere tam à Patre, quàm Filio, non enim in Divinis una Persona potest aliquid accipere ab aliâ, nisi per Processionem.

De quâ proinde duplici Divinarum Personarum Processione agemus in præsenti per tres articulos. In 1. visuri, *Quot & quales in Deo dentur Processiones?* In 2. *De principio Divinarum Processionum.* In 3. denique. *Cur Processio Filij, non autem Spiritûs Sancti sit generatio.*



ARTICULUS I.

Quot & quales dentur in Divinis Processiones?

2 IN ingressu hujus articuli occurrit statim difficultas de modo loquendi, an Processiones in Divinis dici queant actiones? Nam actionis nomen primò est impositum ad significandam Originem motûs inferentis ex se passionem. Ex S. Thoma. *1. p. q. 41. a. 1. ad 2. & 3.* At certum est, Divinas Processiones esse sine motu & Passione reali ac physicâ.

3 Quo tamen haud obstante, idem Sanctus Doctor. *q. 27. a. 1.* docet: quòd *Omnis Processio sit secundum actionem.* Hinc autem *a. 3.* concludit: *in Divinis non esse Processionem, nisi secundum actionem, quæ non tendat in aliquid extrinsecum, sed maneat in ipso agente.*

4 Verùm ista in speciem apparens discrepantia facilè disparet, si Processio in Divinis dicatur actio non Physica, involvens motum, seu Mutationem, sive dependentiam & distinctionem Naturæ: sed Metaphysica importans Originem Principiati à Principio depuratam à ratione Motûs & Mutationis. ex Ysamberto *ad præs. q. 27. disp. 3. a. 1. & 2.* Cujusmodi actionem Divus Thomas *in cit. q. 41. a. 1. ad 2.* vocat Personalem, sitam in habitudine Principij ad Principiatum.

5 Ex quâ proinde actione Sanctus Doctor *citatus ad 3.* ait, inferri passionem duntaxat Grammaticalem, quæ non *absolutè, & simpliciter* seu *subjectivè*, sed cum addito *Terminativè* dici possit Passio. ex Lao *in eandem q. 27. a. 1. dub. 1. concl. 2.* Ratio est. Tum quia Passio *subjectivè*, sive *simpliciter* accepta importat ordinem ad passum seu subjectum. At Processio in Divinis importat ordinem duntaxat Originis, quâ Procedens se habet ad Processionem ut terminus, non ut subjectum. ex S. Tho. *q. 10. de Potentiâ a. 1. ad 3.* Unde Divus Cyrillus *lib. 1. Thesauri. cap. 6.* circa finem ait: *In Deo esse quidem activam generationem Patris, quamquam Deus sine Passione generet.* Tum quia Filius est terminus realiter productus à Patre, & Spiritus Sanctus Passivè dicitur Spiratus à Patre & Filio. Unde in Divinis ponimus Passivam tam generationem, quàm Spirationem. Juxta quem adeò significandi modum non incongruè dicitur in Deo esse Passio *Terminativè*, non autem *subjectivè.*

6 Quibus adeò de loquendi modo suppositis, ad rem ipsam progressuri, quinque distinguemus Controversias. In primâ visuri, *An per realem Divinarum Personarum distinctionem demonstrari possit unius ab aliâ processio?* In secundâ, *An Divinæ Processiones consistant formaliter in actu intellectûs & Voluntatis?* In tertiâ, *In quo actu Intellectûs & Voluntatis consistant Divinæ Processiones?* In quartâ,

Quot

Quot sint in Deo Processiones? In quintâ, *Qualiter inter se distinguantur Divinæ Processiones?*

CONTROVERSIA I.

An per realem Divinarum Personarum distinctionem demonstrari possit unius ab aliâ Processio?

1\. AFfirmativa facilè adstruitur ex S. Thomâ *1. p. q. 33. a. 4. ad 4.* Nam si staret in Deo distinctio Divinarum Personarum, quin una esset ab alterâ, sequeretur, plures in Deo esse innascibiles. At istud repugnat unitati Deitatis seu Naturæ Divinæ. Minor probatur tum authoritate Sancti Hilarij *in lib. de Synod. post med. diff. 26.* tum ratione, quia tales Personæ Divinæ innascibiles non distinguerentur oppositione relativâ. Ergò distingui deberent ex diversitate naturæ.

2\. Verùm Scotus *in 1. dist 2. q. 7. n. 35. & 36.* opponit; partim quòd authoritas Sancti Hilarij asserat, non autem probet, fore plures Deos, si plures darentur Personæ Divinæ innascibiles; partim quòd non probetur, non posse in Divinis plures esse personas absolutas: partim quòd supponatur, non autem demonstretur, relationes Divinarum Personarum distinctivas non esse nisi Originis.

CONCLUSIO.

EX distinctione Personarum efficaciter ostenditur in Divinis unius ab alterâ Processio.

3\. Explicatur & Probatur. Non est distinctiò in Divinis, nisi secundùm oppositionem relativam. At hæc oppositio relativa non est, nisi secundùm relationes originis. Ergo non est in Divinis distinctio personarum nisi secundùm relationes originis. Ergò in Divinis datur origo unius personæ ab aliâ. Major & Minor probatur. In omni distinctione involvitur aliqua extremorum repugnantia. Est autem alia repugnantia Disparata, alia verò Oppositionis. Atqui repugnantia Formarum Disparata eatenus fundatur in ratione limitationis radicatæ in Potentialitate, ut per puram Essendi actualitatem hâc exclusâ, omnimoda formarum disparatè repugnantium distinctio tollatur. Unde non posset in Divinis formalitatum esse disparata repugnantia, nisi earundem Essendi ratio Potentialitati immersa fundaret in se limitationem, secundùm quam esset unius ab alterius Essendi ratione exclusio. Atqui hæc quoad Essendum formalitatum mutua in Divinis exclusio importaret Essentiæ Diversitatem. Nequit ergò in Divinis intelligi Disparata formalitatum repugnantia, nisi cum pluralitate Essentiarum. Oportet igitur, Personarum Divinarum distinctionem esse secundùm oppositionem. Atqui hæc in Divinis oppositio est secundùm formalitates positivas non *contrariè*, ergo *Relativè* oppositas. Hæc autem relativa oppositio in Divinis non est assignabilis nisi secundùm Origines.

4\. Probatur istud Assumptum. Nam relationes, secundùm quas distinguuntur Personæ Divinæ, non in ratione Essendi, sed in modo habendi eandem Dei Essentiam differre possunt. At nisi una Persona Divina originetur ab aliâ, non est intelligibile, quòd in Deo sint plures modi eandem habendi Essentiam, siquidem omnes æquè primò, non per communicationem seu Originem ab aliâ Personâ communicarent in unâ Dei Essentiâ. Constat igitur, distinctionem Personarum in Divinis non esse Intelligibilem sine origine unius ex aliâ. Ergò suppositâ per fidem distinctione Personarum, in Divinis necessariò infertur Processio unius ab aliâ.

5\. Ad Scoti *n. 2.* allegatas oppositiones Respondetur 1. Ex hoc, si plures essent Personæ Divinæ innascibiles, sequeretur, ipsomet Scoto *cit. n. 36.* fatente, ipsas non distingui duntaxat ex modo habendi unum Esse. Ergò distingui deberent quoad ipsum Esse Essentiæ Divinæ, essentque adeò plures Dij. Rectè igitur Sanctus Hilarius ex unitate Essentiæ Divinæ concludit, non posse plures dari Personas Divinas innascibiles. 2. Nulla formalitas absoluta est exclusiva alterius Formalitatis nisi per limitationem radicatam in Essendi ratione immersâ Potentialitati. Atqui formalitatû in Essendi limitatione ac potentialitate radicata pluralitas infert distinctionem Essentiarum. Rectè igitur ex Sancti Thomæ *supra n. 1. citati* mente concluditur, fore plures Deos, si darentur plures Personæ Divinæ absolutæ. 3. Non est intelligibilis distinctio Personarum in Divinis nisi secundùm realem Hypostasum incommunicabilitatem. Hæc autem incommunicabilitas in Divinis non est secundùm Esse Existentiæ etiam quà subsistentis, ac individuatæ. Unde est secundùm modum duntaxat habendi unam Deitatis Essentiam. Atqui relationes non correlativæ, nec adeò oppositè, sed disparatè se habentes ex ratione suâ formali non important incommunicabilitatem, nisi hæc sit ex immersione Potentialitatis, ac inde secutæ limitationis. Oportet igitur, Relationes, secundùm quas in Divinis est distinctio, esse correlativas. Hæc autem correlatio importans formaliter diversitatem in modo habendi eandem Dei Essentiam non subsisteret, si omnes personæ essent innascibiles, nec adeò una procederet ab aliâ. Consequens proinde est, ex hoc ipso, quòd in Divinis debeant cum unitate Essentiæ adstrui relationes Mutuæ inter se incommunicabilitatis rationem importantes, probari efficaciter, quòd oporteat ejusmodi relationes esse Originis.

CONTROVERSIA. II.

An Divinæ Processiones sint formaliter actus Intellectûs & Voluntatis?

6\. DUrandus *in 1. dist. 6. q. 2. & dist. 27. q. 2. & 3.* existimabat, Filium, & Spiritum Sanctum ex solâ naturæ Divinæ fœcunditate produci, præcisis à Deo intellectu & Voluntate, eorumque actionibus, ità ut si per impossibile non haberet Intellectum & Voluntatem, adhuc

huc per suam naturam produceret Filium, & Spiritum Sanctum. Fundamentum, prout apud Radam *controv. Theolog. p. 1. cont. 9. a. 1.* videre licet, præcipuum est, quòd intelligere & velle sint actus Essentiales tribus Personis Divinis communes. At non omnibus Personis Divinis competit generare ac spirare.

2. Molina *1. p. in q. 2. a. 3. disp. 4. §. Quòd verò. & §. Postremo.* Martinus Perez *disp. 2. de Deo ut Trino sect. 4. n. 2.* negant, Intellectionem & volitionem, quantumvis connotent relationes, esse ipsas in Divinis Origines seu Processiones activas. Fundamentum à Perezio *citato* deductum est. Quia productio & Processio in recto est conceptus respectivus. Ergò nequit esse in recto formaliter Intellectio vel volitio.

3. Non Thomistæ duntaxat apud Ioannem Baptistam Gonet *to. 5. disp. 2. a. 2. §. 1.* sed prout referunt Rada *cont. Theolog. 1. p. cont. 9. a. 1.* & Amicus *to. 1. disp 18. sect. 4. n. 39.* Scholastici communiter docent, Divinarum Personarum Processiones esse actus Intellectûs & Voluntatis.

Conclusio.

PRocessiones in Divinis formaliter important Intellectionem & Volitionem quà Modificatam per relationes Paternitatis & Spirationis.

4. Probatur. Nam Filius est propriè Verbum. Hinc enim, quem S. Ioannes *1. capite* dicit Verbum, eundem postea asserit unigenitum à Patre, hoc autem Verbum procedit per locutionem ex ore Altissimi, juxta illud *Ecclesiast. 24. Ego ex ore Altissimi prodivi.* At ista æterni Patris locutio est intellectio ejus æterna. Ergo Processio Filii Dei est intellectio Divina quà subsistens in Patre. Deinde Spiritus Sanctus *1. Ioan. 4.* dicitur *Charitas*, quæ nimirum fit in Divinis Spirata seu producta per Patrem & Filium. Atqui Charitas producitur à Voluntate, cujus actio est volitio. Ergo actio Spiritûs Sancti productiva est Volitio divina in Patre & Filio subsistens, quà modificata per relationem Spiratoris.

5. Respondebis cum Perezio *cit. sect. 4. n. 8.* locutionem propriè & *formaliter* non includere Intellectionem, sed tantùm quasi *Causaliter*, vel tanquàm terminum. Sicut ergò locutio Mentalis creata non est intellectio, vel Verbum, sed hujus productio, sic ex eo, quòd Filius Dei procedat ut Verbum per locutionem, non sequi generationem Divinam includere formaliter Intellectionem, sed hanc in Patre esse Principium *Quo*, in Filio autem esse Terminum locutionis seu productionis Verbi.

6. Contra. Nam omne Agens ita tendit ad producendum sibi simile, ut nulla sit productio perfecta & univoca, nisi secundùm similitudinem formæ producentis. Unde omnis Productio importat rationem communicationis, vi cujus si perfecta, & univoca sit, forma rei productæ conveniat cum Producente quoad Esse Naturæ specificum. At productio in Divinis est perfectissima. Ergo non potest stare in ratione productionis, quin ut sic involvat formaliter rationem communicationis quoad ipsam Principij producentis formam univocam. Atqui Paternitatis relatio ita in Deo Patre respectu Filij est ratio dis-conveniendi, ut non intelligatur habere formaliter rationem communicationis, nisi involvendo intellectionem, in quâ Filius æternus formaliter ex vi suæ Processionis communicando cum Patre, habet rationem Verbi. Ergo productio Filij in Divinis non est præcisè formalitas relativa, sed involvit etiam Intellectionem, secundùm quam vi generationis Divinæ Formaliter fit communicatio Formæ, seu Naturæ Divinæ in Patre producente Filium.

Replicabis ex Perezio *citato n. 7.* Hoc argumento probari duntaxat, quòd productio Verbi Divini *Communicativè*, non autem *Formaliter* involvat Intellectionem, quatenus hæc non tam sit de ratione Formali productionis seu generationis Filij, quàm sit Terminus Formaliter communicatus per illam productionem. 7.

Contra. Nam Productio est formaliter egressio seu Emanatio producti à producente. Hæc autem egressio, si univoca sit, formaliter importat communicationem Formæ Producentis. At ista communicatio univoca, si perfecta sit, ac excludat rationem Dependentiæ & causalitatis, non est secundùm unius ex alterâ Formæ derivationem, sed secundùm Formalem identitatem Formæ ex suis Principijs Essentialibus individuatæ, ac per se primò & ultimò actuatæ. Unde ejusmodi communicatio Perfecta formaliter involvit identitatem realem Formalē Formæ in producente & producto: ut adeò Formalis quoad Intellectionem in Patre & Filio identitas sit de ratione formali productionis Verbi. Atqui non est intelligibile, quòd Intellectionis Divinæ in Patre & Filio unitas seu Identitas Formalis fit de ratione generationis, quin in hujus conceptu formaliter involvatur Intellectio Divina tanquàm purissima & actualissima sui intra Deum communicatio. Cùm igitur Intellectio Divina ad productionem Verbi se habeat non præcisè quà Terminus in Filio, & quà Principium in Patre, sed quà actualissima sui communicatio, consequens est, illam esse de ratione formali Productionis Verbi. 8.

Responsio ad fundamenta opposita.

AD 1. Respondetur. Rationem formalem divinæ Processionis importare duplicem Virtualiter distinctam formalitatem. Alteram productionis, secundùm quam oportet esse distinctionem realem Producentis, ac Producti, alteram communicationis secundùm omnimodam realiter Formaliter univocam identitatem. Ex quâ Identitate reali formali fieri consequens, quòd Processio in Divinis formaliter importet rationem communem Personæ producenti, ac productæ. Quamvis proinde Intellectio & volitio sint tribus Personis divinis communes, non inferri, quòd illa, quatenus affecta relatione Paternitatis, non sit Formaliter generatio, hæc verò quà modificata relatione Spiratoris non sit formaliter Spiratio activa. 9.

Ad 2. Respondetur. Tametsi formalitates Divinæ absolutæ per rationem objectivè præcisivâ sint separabiles à relationibus Personalibus, istas tamen non esse Intelligibiles sine Esse Dei absoluto, tum quòd istud sit unica Essendi ratio omnis ac totius divinæ Perfectionis & formalitatis, tum quòd ipsa ratio generationis v. g. in Deo 10.

Deo formaliter importet Esse respectivum Paternitatis tanquàm Originem procedentem in alium cum omnimodâ Naturæ, atque adeò Intellectionis Identitate reali formali. Quare Processionem & Productionem in Divinis taliter importare conceptum respectivum, ut in hoc tamen involvatur formaliter conceptus etiam absolutus formalitatis v. g. Intellectionis communis Personæ generanti ac Genitæ.

CONTROVERSIA III.

In quo actu Intellectûs & Voluntatis consistant Divinæ Processiones?

1. Controversia ista ortum habet ex Scoto *in 1. dist. 2. q. 7. à n. 22. & in quodlib. 72. n. 8.* asserente, in divino Intellectu duos esse actus ex naturâ rei formaliter distinctos, nempe actum intelligendi & dicendi, actum verò productivum Verbi esse actum dicendi, non verò intelligendi. Fundamentum potissimum à Radâ *cit. 1. p. cont. 8. in explanat. Doctoris Subtilis conc. 2.* deductum est. Si enim actus productivus Verbi divini esset Intellectio Patris, sequeretur, quòd Pater non communicaret Filio Essentiam perfectè beatam. Pro-
2. batur ista sequela. Essentia Dei non intelligitur perfectè beata sine sui dilectione: siquidem beatitudo DEI perfecta in utrâque tam visionis, quàm Amoris operatione consistat. At si Patris Intellectio esset actus Verbi productivus, tunc non illa duntaxat, sed ipsum etiam Verbum tanquàm terminus ejus intrinsecus præcederet quemcumque divinæ voluntatis actum, atque adeò Essentiæ Dei dilectionem. Ergo Essentia Dei non nisi in posteriori signo post Verbum jam productum esset perfectè beata. Ex hoc autem rursus sequeretur, quòd Pater aliquam Perfectionem reciperet à Filio. At istud absurdum est & falsum. Ergo & id, ex quo sequitur.

3. Neque verò pergit Rada *citatus* dicere licet, Intellectionem Essentialem præcedere actum divinæ Voluntatis Essentialem, tametsi hanc subsequatur Intellectio quà notionalis. Nam in contrarium arguitur, quòd vel Intellectio, quâ Pater formaliter intelligit suam Essentiam, habeat Verbum tanquàm terminum, vel non. Si asseratur hoc secundum, infertur, quòd Intellectio, quâ Deus se formaliter intelligit, non sit Verbi productiva. Si dicatur primum, sequitur, quòd sicut Intellectio, ita & Verbum præcedat quemcunque divinæ Voluntatis actum, siquidem non sit intelligibile, actionem præcedere, quin terminus ejus intrinsecus similiter præcedat.

4. Circa istam subtilis Doctoris doctrinam ex mente Divi Thomæ *1. p. q. 27. a. 1. & q. 34. a. 1. ad 3. item q. 37. art. 1.* Cajetani *cit. q. 27. a. 1. §. Ad 2.* Ioannis à Sancto Thomâ *præs. disp. 12. à n. 15.* Gonet *cit. to. 5. disp. 2. a. 2. §. 3.* Suarezij *de Trinit. lib. 1. cap. 7.* Vasquezij *disp. 1. cap. 2.* Amici *disp. 18. sect. 5.* & aliorum. 1. Verum est, quòd Pater *dicendo* producat Verbum. 2. Verificatur, quòd *dicere* ac *intelligere* aliquo modo virtualiter & ratione ratiocinatâ distinguantur, siquidē hoc, sit Essentiale, & commune tribus Personis, ac importet habitudinem duntaxat ad rem intellectam, illud verò activè sumptum conveniat soli Patri, atque importet habitudinem ad Verbum ut Dictum, seu procedens à Principio loquente. At 3. Falsum est, quòd Dictio & Intellectio se habeant tanquàm duæ actiones ex naturâ rei formaliter distinctæ, ita quidem, ut neutra etiam virtualiter sit ex alterâ, sed merè concomicanter se habentes sint ab uno communi Principio, Intellectu nimirum Patris quà fœcundo in actu Primo.

CONCLUSIO.

Dicere ac spirare in Divinis non sunt actiones ex naturâ rei formaliter distinctæ à Dei intelligere ac velle, atque adeò Dicere Activum unà cum relativâ Patris Hypostasi intellectionem; spirare verò unà cum relatione Spiratoris volitionem formaliter importat.

Probatur. Nam ratio Dictionis consistit in operatione Formativâ Verbi, seu rei intellectæ expressivâ in Verbo. In hâc autem Verbi formatrice operatione duæ importantur formalitates, scilicet ratio viæ ex objecto intentionaliter præsente quasi causaliter influens in Verbum: nec non ratio Verbi formatrix quoad actualem rei intellectæ in Verbo expressionem. Atqui formalitas viæ non est intelligibilis in Divinis nisi secundùm relationem: ratio autem formatrix Verbi in Deo importans actualem Essentiæ Divinæ in Esse intelligibili expressionem ut sic non est secundùm relationem, sed secundùm purissimam divinæ in se expressæ Intelligibilitatis lucem manifestativam. At ista Essentiæ divinæ intelligibiliter expressiva actualitas, seu lux Manifestativa est formaliter intellectio. Quare Dicere activum in Divinis unà cum relatione Paternæ Hypostasis importat formaliter intellectionem, non ex naturâ rei formaliter, sed virtualiter distinctam ab illâ relatione, velut *supra q. 3. a. 1. cont. 2.* demonstratum est. 5.

Responsio ad Argumenta Adversariorum opposita.

Ad I. Respondetur. Duplicem in Divinis assignari posse Prioritatis ac Posterioritatis ordinem, scilicet *A Quo* secundùm Origines, & *in Quo* secundùm signa seu instantia rationis. Ordo verò Originis seu Prioritas *A Quo* non convenit nisi formalitati habenti rationem Principij erga terminum realiter productum seu Principiatum. Atqui Intellectio Divina tum Essentialis, tum Notionalis, non habet rationem Principij respectu volitionis Dei Essentialis, tametsi Verbo ceu Intellectionis Notionalis intrinseco termino conveniat esse Principium amoris spirati. Etsi proinde respectu Notionalis passivæ volitionis conveniat Intellectioni divinæ Notionali Prioritas *A Quo*, non tamen verum est, quòd Intellectio Patris, ejusque terminus intrinsecus seu Verbū prioritate *A Quo* præcedat Essentiæ divinæ dilectionē Essentialem. Deinde ipsis etiam Scotistis fatentibus Essentialia in Divinis *secundùm Prioritatem in Quo, sive secundùm signa rationis* in Divinis sunt priora 6.

Notio-

Notionalibus, nec adeò Eſſentialem divinæ Eſſentiæ Dilectionem præcedit Intellectio Dei notionalis. Sive ergo ſermo ſit de prioritate *A quo* ſive *in quo*, falſum eſt, quòd Divinæ Notionalis Intellectionis terminus præcedat Eſſentialem Dei Eſſentiæ Dilectionem, ut adeò Pater antecedenter ad Filij productionem intelligi poſſit perfectè beatus non tantùm ſecundùm Intellectum, ſed etiam ſecundùm Voluntatem.

7. Ad 2. Reſpondetur. Intellectionis, quâ Pater Formaliter intelligit Eſſentiam ſuam, *non ſecundùm ſe abſolutè, ſed quà per Paternam Hypoſtaſin modificata* terminum eſſe Verbum. At eidem Patris Intellectioni *ſecundùm ſe abſolutè*, non autem *ſecundùm Paternæ Hypoſtaſis modificationem* convenit, quoad inſtans aliquod rationis eſſe priorem volitione Dei Eſſentiali, nec adeò Verbum ceu intrinſecus Intellectionis, quà per Paternam Hypoſtaſin modificatus terminus ſecundùm aliquod rationis Signum præcedit Eſſentialem divinæ Eſſentiæ dilectionem.

CONTROVERSIA IV.

Quot ſint Proceſsiones in Deo?

1. DUas duntaxat in Divinis eſſe Proceſſiones, nempe generationem, ac ſpirationem, docet fides, per quam credimus, non niſi duas eſſe Perſonas in Deo realiter procedentes, Verbum nimirum ac Spiritum Sanctum. Cujus rationem ex Sancto Thoma *præs. q. 27. a. 5.* Theologi communiter aſſignant, quia Proceſſiones Divinarum Perſonarum ſunt ſecundùm operationes ſeu actiones Dei immanentes. Eſt autem operatio ſecundùm naturam ſubſtantiæ. Dei verò natura eſt purè Intellectualis. Atqui naturæ purè intellectualis duæ duntaxat ſunt immanentes operationes, nimirum Intellectio, & Volitio. Ergo in Deo non ſunt niſi duæ reales
2. Proceſſiones. Verùm quia hæc ratio ſolùm demonſtrat, eſſe in Deo duas ad intra Proceſſionum ſpecies, dictionis nimirum ac ſpirationis, ſupereſt probandum, non dari in Divinis plures ejuſdem rationis productiones ſeu plures v. g. generationes.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

3. DIvus Thomas *de potent. q. 2. a. 4. in fine Cap.* præinſinuatæ Veritatis primam affert rationem ex eo, quòd Materia non habens locum in Deo ſit unicum Principium diſtinctionis ſecundùm numerum in eâdem ſpecie. Ex Scoto proponit Rada *cit. cont. 9. a. 2. concl. 3.* rationem illam niti falſo vel dubio fundamento.

4. Secundam rationē Doctor Angelicus *citatus* inducit ex eo, quòd Perſonæ divinæ producantur per modum naturæ, natura autem determinetur ad unum. Ex ſubtili ſuo Doctore opponit Rada *citatus* non obſtare naturam etiam ad unum determinatam eſſe Principium plurium productio-
5. num ejuſdem rationis. Tertiā rationem S. Doctor *4. contra Gentes cap. 13. in prin.* proponit, quòd in Deo unicum ſit intelligere, quo Deus ſe, & omnia alia à ſe uno ac ſimplici actu intelligit. At ex divinæ Intellectionis ſimplici unitate infertur, non eſſe in Deo niſi unicum Dicere, atque adeò unicum Verbum. Opponit ex Scoto Rada, non eſſe univerſaliter verum, quòd ubi eſt unicum Intelligere, ibi ſit unicum dicere ac Verbum. Quar- 6.
tam rationem cōmuniter aſſignant Theologi ex eo, quòd fœcunditas in Divinis ordinata ad Generationem exhauriatur in unius Filij generatione, utpote adæquatâ illi Fœcunditati, nec adeò poſſibile ſit, per eandem Fœcunditatem gigni alium filium. Opponit Rada ſupponi, non autem probari, quòd per unicam Filij Generativæ in Divinis Fœcunditati adæquatam productionem exhauriatur illa Fœcunditas.

CONCLUSIO.

OMnes prææallegatæ rationes reduci poſſunt ad unum ab Angelico Doctore *cit. q. 2. de Potent. a. 4.* inſinuatum Principium, atque ut ſic efficaciter probant, non eſſe in DEO niſi unicam generationem, nec niſi unam ſpirationem.

Probatur, & explicatur. Omnes prææallegatæ rationes radicantur in eo, quòd ratio divinæ ad intra Proceſſionis formaliter importet Hypoſtaſin. At ex hoc ipſo, quòd intellectio divina quà formaliter importans Hypoſtaſin ſit generatio, & volitio quà importans formaliter ſuppoſitalitatem ſpirati, ſit ſpiratio paſſiva, evidenter ſequitur, non poſſe in Divinis dari niſi unicam generationem, nec niſi unam ſpirationem. Ergo Numerica divinarum Proceſſionum unitas rectè concluditur ex prææallegatis rationibus reductis ad Principium prætactum, in quo radicantur. Minor patet ex terminis. Nam ratio Hypoſtaſis dicit incommunicabilitatem in ratione individui. At iſta in ratione individui incommunicabilitas Eſſentialiter infert negationem Numericæ Multiplicabilitatis. Major probatur. Nam 1. materia eſt Principium numericæ in unâ ſpecie multiplicabilitatis, eò quòd in ſe habeat indifferentiam Potentialitatis, non in ratione duntaxat ſpeciei per formas, ſed in ratione etiam individui per ſubſiſtentias determinabilem. Hinc Formæ per ſe ſubſiſtentes nec adeò receptibiles in materiâ ſunt ex ſe ipſis determinatæ ad unum individuum ſubſiſtens. At iſta ad unum ſubſiſtens individuum formæ determinatio alia eſt duntaxat radicalis, velut in Angelis, alia verò formalis, velut in puriſſimo cujuſvis Deo intrinſecæ formalitatis actu. Unde Intellectio divina quà generatio formaliter involvit ſubſiſtentiam. At Intellectio Divina Patris quà generatio eſt Notionalis diſtincta à Perſonalitatibus Filij & Spiritûs Sancti, quam proinde oportet ut ſic includere ſubſiſtentiam non duntaxat abſolutam tribus Perſonis communem, ſed relativam Paternæ Hypoſtaſis. 8.

Cùm igitur ex eo, quòd in Deo ſit puriſſima ſecundùm omnimodam potentialitatis excluſionem immaterialitas, ſequatur, quamlibet Divinam Formalitatem involvere Eſſentialiter ſubſiſtentiam. Hæc autem ſubſiſtentia in formalitate Divinâ Eſſentiali ſit abſoluta, in Formalitate verò Notionali ſit relativa, evidenter 9.

dentet

denter ex purissimâ Divinæ Generationis immaterialitate infertur, quòd in ratione suâ formali involvat individuam Incommunicabilitatem, atque adeò multiplicabilitatis Numericæ exclusionem. 2. Naturæ ad unum Determinatio est secundùm actualitatem formæ. At formalitatis, qua Divinæ atq; adeò productionis Deo immanentis actualitas est non tantùm secundùm speciem, sed secundùm rationem individuam in se ultimatè completam & subsistentem. Est autem per se notum, formalitatem quà in ratione ultimatè & completè individuâ determinatam non esse multiplicabilem. Ergò ex intrinsecâ Productionis Divinæ determinatione sequitur, non esse in Deo nisi unicam Generationem, nec nisi unam spirationem.

10. 3. Nam ex unitate Intellectionis vel maximè infertur unitas Dictionis, si hæc formaliter involvat Hypostasin. At in Divinis intelligere formaliter specificatur per Esse Dei ex se ipso Essentialiter subsistens per subsistentiam absolutam. Hoc autem Intelligere constituitur in ratione Dictionis per Hypostasin Patris relativam. Ergo ex unitate Intellectionis maximè in Deo infertur unitas Dictionis numerica, utpote formaliter importata per Incommunicabilitatem Paternæ Hypostasis, ut sic exclusivam numericæ Multiplicabilitatis.

11. 4. Fœcunditas in Divinis ordinata ad generationem ideò dicitur exhauriri in unius Filij generatione, quia hæc propter suam infinitatem est adæquata illi Fœcunditati. At ratio infinitatis simpliciter perfectæ fundatur in ratione purissimæ actualitatis, seu formalitatis Essendi omnino irreceptibilis. Hæc autem purissimæ in Essendo Formalitatis irreceptibilitas importat actualitatem in se formaliter subsistentem, atque adeò perfectè, & completè individuam. Cùm igitur ratio Completæ individuationis formaliter excludat multiplicabilitatem Numericam, cuique autem operationi Divinæ immanenti sive Intellectioni sive Volitioni eatenus inexistat vis ad intra Productrix, ut hæc in ratione ultimatæ individuationis tam absolutæ, quam relativæ sit formaliter ex se actuata, evidenter sequitur, Intellectionem Divinam quà relativâ Patris Hypostasi suppositatam ita esse generationem activam, & Volitionem quà relativâ Spirati Hypostasi subsistentem, ita esse spirationem Passivam, ut ambæ per suam intrinsecam rationem excludant Numericam sui Multiplicabilitatem. Ex quibus adeò facilè patet responsio ad Scoti & Radæ *n. 3.* oppositiones.

CONTROVERSIA V.

Qualiter inter se distinguantur Divinæ Processiones?

1. SUpponimus 1. realem esse distinctionem inter Generationem passivam & Spirationem passivam: hæc enim est distinctiva Spiritûs Sancti à Patre & Filio, per illam verò distinguitur Filius a Patre & Spiritu Sancto. 2. Processiones activas, cùm nullam inter se habeant oppositionem relativam, in Deo non distingui realiter, sed spirationem activam in Patre esse à parte rei eandem cum Generatione activâ. 3. Generationem activam ceu Personalem Patris proprietatem realiter distingui tum à Generatione passivâ, tum etiam à spiratione passivâ Spiritûs Sancti propriâ.

Quibus adeò suppositis, remanet difficultas. *An tum Processiones Divinæ activæ virtualiter duntaxat distinctæ, tum passivæ inter se comparatæ, tum denique activa aliqua ad Passivam relativè oppositam comparata processio importent specificam inter se differentiam?* 2.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

FRanciscus de Lugo *lib. 2. de Deo Trino disp. 6. c. 2.* cum alijs à se relatis affirmat. Fundamentum est. Quia Generatio & Spiratio in Divinis tendunt in terminos specie distinctos. Ergò differunt specie. Antecedens Probatur. Nam generatio activa tendit ad Filium, & spiratio activa ad Spiritum Sanctum. At istæ Personæ licet in naturâ Divinâ non differant specie, vel numero, in proprietatibus tamen specificè distinguuntur, siquidem Personalitas Filij constituat illum verè genitum; Personalitas verò Spiritûs Sancti non constituat illum Filium, nec verè genitum, sed spiratum. 3.

Confirmatur. Generatio enim activa in Deo producit formaliter similem in naturâ, spiratio verò activa non nisi Materialiter & Identicè similem. Ergo distinguuntur quasi specificè, sicut Relationes etiam Divinæ differunt inter se specificè propter diversitatem fundamenti ac termini quasi specificam, & propter diversum modum respiciendi. 4.

CONCLUSIO.

PRocessiones in Divinis, eæque duntaxat, quæ relativam inter se oppositionem habent, non distinguuntur specificè, sed Numericè tantùm.

Probatur. Nam Differentia specifica formaliter importat quidditatem rei determinativam in Esse Essentiæ. At in Divinis omnium etiam Personalium proprietatum non est nisi unicum actualissimum ac simplicissimum Esse Essentiæ in se ipso formaliter subsistens, atque adeò completè individuatum. Sicut ergò totum Esse Dei quoad proprietates etiam personales est omninò indivisibile, sic non admittit intra se formalitates specificè distinctas, imò quoad Esse Essentiæ Numericè etiam diversas. 5.

Dices. Tametsi omnis in Deo formalitas sit simpliciter una quoad *Esse in*, seu *Esse absolutum*, esse tamen in Divinis personis formalitates diversas *Quoad Esse ad*, seu *Esse relativum*. At istam Esse relativi diversitatem ratione Fundamenti & Terminorum esse Numericâ Majorem. 6.

Contrà. Nam sicuti differentia specifica est secundùm Quidditatem Formalem, sic Numerica est secundùm individuationem. At in Deo non est nisi unica Essentia & quidditas, per ultimam actualitatem, atque adeo Hæcceitatem purissimè in se actuata. Hæc autem quidditas in se formaliter subsistens, atque adeò per se ipsam completè individuata ita quo- 7.

ad relationes secum identificatas admittit pluralitatem, ut illæ ipsæ tamen relationes habeant rationem subsistentiarum seu Personalitatum: est enim relatio Paterna formaliter Hypostasis Patris, & relatio filiationis formaliter est Hypostasis Filij, relatio autem spirationis Passivæ est formaliter Hypostasis Spiritûs Sancti, ac denique relatio Spirationis activæ formaliter importat Hypostases Patris & Filij, ita ut licèt istæ sint secundum distinctionem virtualem ratione ratiocinatâ separabiles à relatione spiratoris, non tamen econtra relatio hæc sit objectivè præscindibilis ab Hypostasi Personarum tum Generantis, tum geniti per Intellectionem Divinam. At verò ratio Hypostasis formaliter importat Hæcceitatem seu individuationem ultimam. Ergò supra Esse Essentiæ Quidditativum ac specificum in se ipso subsistens omnem tam specificam, quàm individualem sui in Essendo multiplicabilitatem excludens non est in Deo intelligibilis multiplicabilitas seu differentia, nisi quoad Hypostases relativas. At differentia quoad Hypostases est formaliter individualis, non autem specifica. Ergo in Divinis non datur Differentia, nisi individualis quoad Personales relationes.

Responsio ad opposita Argumenta.

8\. AD Francisci de Lugo Fundamentum Respondetur. Negando Filium & Spiritum Sanctum differre specificè quoad Proprietates Personales: nam ista Proprietas formaliter est secundum oppositionem relativam, per quam formaliter est unius ad alteram incommunicabilitas. At ista ratio incommunicabilitatis est formaliter Hæcceitas spectans ad individuationem. Ergò rationes Filij & Spiritûs Sancti seu geniti ac spirati non important differentias, nisi individualiter, non autem specificè diversas.

9\. Ad Confirmationem Respondetur. Generationem activam in Patre importare formaliter Hypostasin Paternam, sicuti Spirationem activam includere relationem Spiratoris formaliter constitutam in Hypostasibus Patris & Filij. At Hypostasin Patris ex hoc respicere Filium in naturâ consubstantialiter similem, quod sit Terminus Personalis Naturæ Divinæ quà virtualiter distinctæ ab amore, sicut relationem è contra spiratoris respicere Spiritum Sanctum quà identicè, non autem formaliter procedentem in naturæ similitudinem, eò quòd sit Terminus formaliter importans Personalitates Patris & Filij quà Terminantes Amorem Divinum virtualiter distinctum ab Intellectione seu Naturâ Deitatis. Quare generationem & Spirationem activam, quatenus una, non verò altera ex vi processionis est producens formaliter similem in naturâ, nullam nisi secundum relationes non Formaliter à parte rei, sed virtualiter distinctas importare differentiam, quæ ex parte Terminorum ita inferat distinctionem realem Hypostasum, ut ipsæ tamen activæ productiones ex eo solùm à parte rei differant, quòd Generatio activa relationem in solâ Hypostasi Paternâ, spiratio verò activa relationem in duabus Patris & Filij Personalitatibus subsistentem importet. Quam equidem ex parte Hypostasum distinctionem ita esse numericam, non autem specificam, ut multò minùs inter Intellectionem seu Naturam, & Amorem Divinum in uno simplicissimo Dei Esse per Essentiam suam ultimatè individuato subsistentem possit esse differentia specifica.



ARTICULUS II.

De *Principio ac Termino Divinarum Processionum.*

PRincipium actionis distinguitur à Philosophis in Principium *Quod*, & *Quo*. Illud est suppositum operans: de quo dici solet, actiones esse suppositorum. Hoc verò est forma, seu virtus, per quam operatur suppositum. 1.

Principium *Quo* subdistinguitur in *Radicale*, & *Formale* seu *Proximum*. Illud est virtus ex se proportionata ad rei alicujus productionem, illud verò, si naturale sit, est radix, ex cujus per modum proprietatis emanat virtus proximè productiva, velut in igne forma substantialis est Principium *Quo* Radicale, calor verò per modum Proprietatis ex hac emanans proxima potentia calefactiva. 2.

De Principio *Quod* Generativo in Divinis est indubitatum, esse Personam Patris, Principium verò *Quod* Spiritus Sancti esse Personas Patris & Filij. At de principio *Quo* Divinarum Processionum sequentes moveri possunt controversiæ. 1. *An in Divinis detur vera & realis virtus ad intra Productiva?* 2. *Quæ sit ratio formalis Divinæ ad intra tum Generativæ, tum spirativæ virtutis?* 3.

CONTROVERSIA I.

An in Divinis detur vera & realis Virtus ad intra Productiva?

AUreolus *in 1. dist 7. q. 1. a. 2.* negat; in Divinis esse realem ad intra Productricem Potentiam. Probatur. Non datur realis Potentia physicè productiva, ubi non est verè productio elicita. At generatio activa in Deo Patre non est verè ac physicè elicita, seu est ipsum Esse relativum Patris, estque adeò realiter improducta. Sicut ergo ad Esse Hypostasis Paternæ, sic ad generationem activam datur in Patre potentia duntaxat Logica consistens in solâ non repugnantiâ. 4.

Molina *in 1. p. q. 41. a. 4.* existimat, non dari in Deo potentiam realem respectu generationis, aut spirationis activæ, sed ad generandum Filium ac spirandum Spiritum Sanctum. Fundamentum est. Ubi Productio non habet rationem actionis, sed relationis duntaxat, non datur Potentia ad Productionem, sed ad terminum seu rem productam. At inter Personam Divinam Producentem & productam non mediat actio à Producente emanans, sed relatio dun- 5.

tio duntaxat Producentis ad Productum. Ergò in Divinis non est ponenda Potentia realis respectu Productionis, sed Personæ duntaxat productæ.

6. Divus Thomas *1. p. q. 41. a. 4. in corp. & ad 3.* docet : in Divinis esse veram potentiam Generativam & Spirativam, quæ respectu actionum, secundùm quas Personæ Divinæ procedunt à Deo personaliter distinctæ, habeant propriam rationem Principij.

CONCLUSIO.

VIs Generativa & Spirativa est respectu actuum Notionalium vera realis Potentia.

7. Probatur ratione S. Doctoris *incit. a. 4. q. 1.* Nam Potentia nihil aliud significat, quàm Principium alicujus actûs. At in Deo sunt actus Notionales: omnis autem actûs realiter productivi oportet ponere Principium. At istud Principium in Patre est vis Generativa, in Patre autem ac Filio est vis spirativa. Ergo vis Generativa & Spirativa in divinis respectu actuum Notionalium Generationis & Spirationis est vera realis Potentia.

8. Dices. Principium importare distinctionem ab eo, cujus est Principium. ex S. Doctore *cit. a. 4. ad 3.* At nullam Generationis & Spirationis activæ esse in Deo distinctionem à Virtute Generativâ & Spirativâ. Ergo hanc respectu Generationis & Spirationis activæ non esse veram realem Potentiam, sed respectu Generationis & Spirationis duntaxat passivæ, ac Terminorum per actiones notionales divinas productorum.

9. Contra. Nam respectu illarum actionum, secundùm quas res aliquæ procedunt à Deo tanquàm Essentialiter vel Personaliter distinctæ, potest DEO attribui Potentia secundùm propriam rationem Principij. ex Divo Thomâ *proximè citato.* Unde ratio Principij relata etiam ad actionem non importat Essentialiter distinctionem ab actione, sed ab hujus termino. At licèt Generatio & Spiratio activa in Divinis non distinguatur realiter à Virtute Generativâ & Spirativâ, illarum tamen termini ab his distinguuntur realiter. Ergo virtus Generativa & Spirativa in Divinis respectu actionum quoque Generandi, ac Spirandi est realiter Potentia secundùm propriam rationem Principij; sicut vis creativa in Deo est realiter Potentia, non respectu creaturæ duntaxat Essentialiter distinctæ à Deo, sed respectu actionis etiam creandi Deo formaliter immanentis, atque adeò realiter identificatæ cum divinâ Substantiâ & Omnipotentiâ.

Responsio ad fundamenta opposita.

10. AD Aureoli *n. 1.* Oppositum Respondetur per distinctionē. Nam verum est, quòd ubi non est productio realiter elicita, ibi non sit Potentia physicè productiva tanquàm Principium *A quo* emanet illa productio. At falsum est, quòd si Terminus Essentialiter vel Personaliter sit distinctus à Potentiâ habente actionem sibi realiter identificatam, ibi non sit Potentia physicè productiva tanquam Principium *In quo* physicè existat actio ceu realis & physica à principio ejusmodi termini emanatio. Etsi proinde Generatio activa in Deo non sit actio physicè elicita, sed sit realiter improducta, quia tamen est vera Personæ genitæ à Patre emanatio realiter identificata cum virtute Generativâ, hæc veram respectu Filij habet rationem Principij *A quo*, respectu verò Generationis activæ rationem Principij *in quo.* Unde falsum est, quòd ad Generationem activam in Patre detur sola non repugnantiæ Logica Potentia. Tum quia hæc Potentia est non repugnantia duntaxat negativa per non implicantiam seu non inclusionem formalem Negationis ad Essendum. At Generatio activa in Patre est formaliter per se ipsam in Esse purissimo actuata, nec adeò Negativam solummodò habet non repugnantiam ad Essendum, sed positivam formaliter exclusivam non existentiæ seu non Esse actualis. Tum quia Generatio activa in Patre per suam formalem rationem importat Potentiam Physice Generativam tanquam *Principium in quo* reale, & tanquam *Principium à quo* per illam Generationem ceu physicam emanationem realiter procedat Persona Genita.

Ad Molinæ *n. 2.* Oppositum Respondetur. Aliud esse, si Generatio activa dicatur vera Personæ Genitæ physice Productrix actio, aliud autem fore, si diceretur actio media inter Personam producentem & productam. At licèt hoc posterius sit falsum, prius tamen esse verum, nec ut respectu actionis Potentia habeat realem Principij *in quo* rationem, requiri, quòd actio sit media interPrincipium & Principiatum. Ergo Molinæ argumentationem laborantem quatuor terminis nihil evincere adversùs Physicam respectu generationis activæ in Deo Patre Virtutem. 12.

CONTROVERSIA II.

Quæ sit formalis ratio Divinæ ad intra Virtutis tum Generativæ, tum Spirativæ?

DIvus Bonaventura *in 1. dist. 7. q. 1.* asserit, verius & probabilius esse, quòd Potentia Generativa importet solam relationem Paternitatis, non verò Naturam seu Essentiam DEI absolutam. Fundamentum ab eodem Sancto Doctore deductum est. Nam Potentia generandi non videtur dicere, nisi fœcunditatem ad actum Generationis. At ista fœcunditas est quid proprium Personæ Generantis. Ergo & Potentia Generandi est propria hujus. Atqui Proprietates Personarum Divinarum non important ut sic nisi formalitates relativas. Ergo ratio Potentiæ Generativæ in Divinis est quid relativum. 1.

Gabriel *in 1. dist. 7. q. 1. 2. & 3.* & alij suppressis licèt nominibus à D. Thomâ *q. 2. de Potent. a. 2.* relati docent : Principium *Quo* divinarum Personarum esse solam Perfectionem absolutam. Probatur authoritate Ioannis Theologi in Concilio Florentino *sess. 18.* asserentis: *Filium ex Patre, & ex Patris Substantiâ generari, ita ut Pater sit generans, Principium autem Quo persona generat, sit id, quod solum communicabile est.* At id, quod solum 2.

lùm est communicabile in Divinis, est quid purè absolutum nullam involvens notionem seu proprietatem relativam.

3. Hæc sententia videtur stabiliri posse ex Scoto *in 1. dist. 7. q. un. n. 9.* docente: Potentiam generandi in Deo sumptam pro fundamento proximo relationis Generativi non esse relationem, sed absolutum. Fundamentum ab eodem subtili Doctore *n. 1.* deductum est. Nam quod est perfectionis in Principio productivo, non tollit ab illo rationem Principij productivi. At communicare se in identitate numerali & communicatione sibi adæquatâ, ponit perfectionem in Principio Productivo. Ergo hoc non tollit ab aliquo rationem Principij productivi. Sed si Deus per impossibile generaret alium Deum, & ille alius tertium, Deitas poneretur Principium productivum alterius, & non relatio, & tunc Deitas non communicaret se in identitate numerali, nec communicaret se communicatione adæquatâ sibi in ratione Principij productivi. Ergo cùm modò Deitas communicetur in identitate numerali, & communicatione sibi adæquatâ, itaquòd in Deitate non potest esse alia communicatio numero ejusdem rationis cum istâ, sequitur, quòd multò magis modò poneretur absolutum esse Principium productivum, quàm tunc poneretur.

4. Henricus *quodlib. 3. q. 3. & in sum. q. 7. a. 57.* Valentia *to. 1. disp. 2. q. 15. punc. 2.* Albertin. *to. 2. in Prædicament. Relation. coroll. 11. cont. 2. n. 6. & 8.* tenent: Potentiam Generativam non esse solam Intellectionem, nec Potentiam Spirativam esse solam volitionem, sed in utraque includi relationem Producentis, ut intrinsecam & Essentialem Virtuti Productivæ. Fundamentum à præcitato de Lugo *n. 7.* deductum est, quia de ratione naturæ est, esse Principium *Quo*, nam suppositum operatur *ut Quod.* At Deus constituitur in Essentiali ratione divinæ Naturæ per intellectionem, cujus affectio est volitio. Ergo ab eisdem habet rationem Principij *ut quo* Generandi, & Spirandi. At verò Principium oportet realiter distingui à Principiato. Essentialis verò & absoluta Intellectionis & volitionis formalitas secundùm se non distinguitur à Personâ productâ. Ergo non est Principium, nisi additâ relatione, per quam distinguatur.

5. Divus Thomas *1. p. q. 41. a. 5.* Cajetanus *ibi.* Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 16. a. 4. n. 6.* Perez *disp. 3. de Deo ut Trino sect. 4.* & alij asserunt: Principium *Quo* Generandi in Deo consistere in Intellectione quà connotante relationem Paternitatis. Favet huic sententiæ Albertus Magnus *in 1. dist. 7. a. 2.* docens: Potentiam productivam in Divinis, quatenus est potentia in actu, esse quid medium inter purè Essentiale, & purè Personale, & illius Medij id, quod est potentiæ, tenere se ex parte naturæ, id autem, quod est actûs, tenere se ex parte actionis & Personæ.

CONCLUSIO.

POtentia Generativa in Divinis formaliter consistit in Intellectione quà connotante relationem Paternitatis: potentia verò spirativa consistit formaliter in volitione quà connotante relationem Spiratoris.

6. Probatur ratione Divi Thomæ *ubi supra.* Nam illud, in quocunque agente propriè dicitur Potentia, quo agens agit. At omne agens producit sibi simile, quantum ad formam, quâ agit. Ergo Potentia cujuscumque agentis est forma, in quâ productum assimilatur Principio sui Productivo. Atqui filius Dei assimilatur Patri gignenti in naturâ divinâ. Ergo hæc in Patre est potentia generandi. At verò natura divina formaliter consistit in Intellectione. Ergo hæc est Potentia seu Principium *Quo* in Patre generandi Filiû.

Respondebis ex Alarcon *tract. 5. disp. 6. cap. 2.* 7. oportere in Divinarum Personarû processionibus distinguere tum rationem productionis, tum rationem communicationis. Hanc verò ita procedere in assimilationem, ut illa tamen involvat distinctionem Principij, & Principiati. At nullam esse distinctionem in Divinis nisi secundùm relationes. Ergo relationes formaliter ingredi in Divinis rationem tum Principij, tum Principiati. 8.

Contra. Nam illa Formalitas, quæ est radix saltem virtualis ad fundandam realem productionem activam, ex quâ physicè emanet productio aliqua passiva, habet rationem veri realis Principij productivi. Atqui Natura divina consistens formaliter in Intellectione, est radix Virtualis, in quâ fundatur Paternitas Personalis, quæ unà cum eâdem Intellectione est realis actio habens rationem tum communicationis, tum productionis activæ physicè producentis Filium Dei. Ergò Natura seu Intellectio Divina in ratione Principij ad intra realiter productivi non importat formaliter relationê Personalis Paternitatis, sed ista spectat ad actum secundum Divinæ Generationis, ad quam virtualiter est prior actus primus Principij realiter Generativi. Minor probatur. Productio perfectè univoca tendit in assimilationem perfectam Principij ac Principiati. Ergo illa duntaxat Formalitas est formaliter Principium Productivum, quæ est assimilativa. 9. At forma quâ Individualiter Incommunicabilis non est assimilativa Principij cum Principiato. Relatio autem Personalis Paternitatis in Divinis est forma individualiter incommunicabilis realiter in Esse suppositi seu individui Personalis distinctiva Patris à Filio. Econtra verò Natura Divina ita habet vim sui communicativam & assimilativam, ut in se fundando Paternitatem Personalem, tanquàm Originem activam sit Productiva Filij quoad relationem Personalem à se quidem distincti, quoad naturam tamen divinam omnino Consubstantialis: sicut Volitio seu amor in Deo ita habet vim sui Communicativam & Numericè assimilativam, ut in Patre & Filio fundet relationem activæ spirationis, ex quâ physicè procedat Spiritus Sanctus Personaliter distinctus, sed quoad amorem substantialê realiter identicè similis Patri ac Filio. Oportet igitur, actum quasi primû Principij Productivi in Divinis formaliter consistere tum in Naturâ seu Intellectione, tum in Volitione divinâ, Paternitas autem Personalis, nec non relatio Spiratoris spectant præcisè ad actum secundum divinæ ad intra productionis. Unde inter Principium & Principiatû in Divinis eatenus est distinctio realis, ut ista se teneat ex parte Principij Quod, nec non ex parte Productionis, non verò ex parte Virtutis, quâ in actu primo productricis, atque ut sic fundantis originem activam Personaliter distinctam à Personâ productâ.

Repli-

10. Replicabis. Si Virtus in actu primo productrix in Divinis non involvit formaliter relationem, sequi, quòd sit communis tribus Personis. At consequens esse falsum & contra fidem. Ergo & id, ex quo infertur.

11. Contra. Nam Intellectio & Natura Divina eatenus habet rationem Virtutis ad intra Generativæ, quatenus fundat activam Generationem. Hæc autem formaliter importat Personalem Paternitatem. At eo ipso, quòd ista Paternitas sit formaliter Personalis, sitque adeò forma individualiter incommunicabilis, sequitur, illam Virtutem Generativam non posse subsistere nisi in unâ Personâ divinâ. Ergò licèt Natura divina ut sic communis sit tribus Personis divinis, in ratione tamen Virtutis Generativæ non connotat nisi unicam Paternitatem Personalem. Cùm igitur Natura divina non denominetur Virtus Generativa, nisi quatenus connotat Paternitatem Personalem, in se quà tali formaliter fundatam, consequenter negandum est, ex nostrâ sententiâ sequi, quòd virtus Generativa sit communis tribus Personis divinis.

12. Instabis. Ex hoc discursu evinci, quòd Virtus Generativa *Denominativè* duntaxat, non autem *realiter* sit propria Patris. Probatur ista sequela. Nam tota Entitas illius Virtutis est in Filio, licèt in hoc non denominetur radix virtualiter fundans Paternitatem Personalem.

13. Contra. Nam Intellectio seu Natura divina habet rationem virtutis generativæ, quatenus formaliter dicit connotationem Paternitatis Personalis. Hæc autem connotatio ex parte rei importat realem identitatem Naturæ divinæ cum Paternitate Personali. At ista realis identitas est Entitativè ipsa Natura divina cum reali formali Inclusione Paternæ Hypostasis. Hæc autem Paternæ Hypostasis inclusio est realis exclusio Filiationis Personalis. Ergò Natura divina quà virtus Generativa est formaliter exclusiva Filiationis Personalis non quidem ex parte naturæ ut sic, sed ratione connotati Formalis, Paternæ nimirum Hypostasis. At tota ista secundum realem formalem identitatem Paternæ Hypostasis connotatio ita est à parte rei exclusiva Filiationis à Paternâ Hypostasi, ut secundùm præcisioné objectivam cum fundamento in re sit ejusdem personalis Filiationis exclusiva à Naturâ divinâ quà Virtute Generativâ. Ergo Virtus Generativa Naturam divinam cum connotatione Personalis Paternitatis formaliter importans non tantùm *Denominativè* est propria Patris, sed *realiter*, ita tamen ut ista proprietas non se teneat ex parte Naturæ importatæ in recto, sed ex parte Hypostasis Paternæ in obliquo importatæ per Virtutem Generativam.

14. Urgebis. Ex hoc evinci, quòd illa saltem formalitas, quam virtus Generativa formaliter importat, sit communis Patri & Filio. Probatur istud assumptum. Nam formalitas, in quâ virtus Generativa consistit, *formaliter* est Natura Divina: Hypostasis verò Paterna solùm *connotativè* se habet ad formalitatem virtutis generativæ. Atqui Natura Divina, nec non ejusdem cum Paternâ Hypostasi Identitas, quantum est ex parte sui, tota est in Filio, tametsi Personalis Paternitas ab hoc sit realiter distincta. Ergo virtus Generativa secundùm id, quod importat *Formaliter*, est tota in Filio, tametsi *Connotativè* importet Formalitatem à Filio distinctam.

15. Contra. Nos enim loqui non possumus de Divinis per unum simplex Verbum mentis, sed per diversos inadæquatos conceptus objectivos. At secundùm has per ipsam etiam Fidem Divinam non nisi in formarum creatarum intelligibilium ænigmatibus intelligentem regulatas præcisiones objectivas triplex inadæquatum formamus Verbum de Naturâ Divinâ, prout per realem formalem identitatem connotat tum Hypostasin Paternitatis, tum Personalitatem Filiationis. Est autem primus conceptus, quo intelligibiliter exprimitur Intellectio Divina, quà virtualiter Radix Paternitatis personalis: secundus verò conceptus est, quo intentionaliter repræsentatur Natura Divina, prout per Hypostasin Paternam suppositata, est sui actualis Communicatio ac productio Filiationis Personalis: Tertius denique conceptus est, quo in mente nostrâ formatur in ratione formalitatis per realem formalem identitatem communicatæ Hypostasi Filij realiter emananti ex Paternâ Hypostasi. At verò sub primo duntaxat conceptu Natura Divina intelligitur quà Virtus Generativa: sub conceptu autem secundo cognoscitur quà actualis generatio, sub tertio denique conceptu concipitur quà passivè terminans Divinam generationem. Est autem per se manifestum, quòd illa Virtutis Generativæ Formalitas ceu Radix paternitatis Personalis non sit *Formaliter* in Filio. Negandum igitur est, Virtutem Generativam secundùm id, quod importat *Formaliter*, esse in Filio.

Responsio ad Opposita Argumenta.

16. AD Divi Bonaventuræ *n. 1.* oppositum Respondetur. Verum esse, quòd Potentia generativa in Divinis non importet nisi Fœcunditatem ad actum generationis. Hanc verò Fœcunditatem aliter intelligi ab intellectu per fidem in ænigmate per formarum creatarum Intelligibile speculum cognoscente, aliter verò repræsentari in intellectu per lumen Gloriæ Intuitivè conspiciente illam Fœcunditatem. Hinc enim lumine Gloriæ illustratus intellectus in Naturæ Divinæ Fœcunditate non distinguit actum primum, & secundum, sed purissimam ejus actualitatem, ut est in se contemplando, videt eam sub ratione actualissimæ Filij à Patre egressionis seu Originis activæ. Econtra verò intellectus per fidem cognoscens *ænigmaticè*, secundùm præcisiones objectivas distinguendo inter Fœcunditatis Divinæ actum secundum ac primum; istum concipit tanquàm virtualem Hypostasis Paternæ radicem, illam verò intelligit tanquàm Formalem Filij à Paternâ Hypostasi activam emanationem. At verò inter hos duos conceptus istud est discriminis, quòd secundùm priorem intelligendi rationem Fœcunditas Naturæ Divinæ in actu primo spectata intelligatur Patri propria secundùm personalis, atque adeò individuam Paternitatis connotationem; secundùm posteriorem autem intelligendi modum Naturæ Divinæ fœcunditas in actu secundo spectata sit Patri propria per ipsam personalem Paternitatem.

17. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Id, quod in Deo solùm communicabile est, nullam involve-

volvere in recto proprietatem relativam, sed in obliquo seu connotato. Probatur istud assumptum. Nam communicabilitas importat formalitatem, quæ ex uno possit transfundi in alterum. At in Divinis non est alteritas, nisi secundùm relationes Personales: nulla verò formalitas spectans ad Hypostases proprias, sed ad identitatem naturæ pertinens in Deo potest ex unâ Personâ transfundi in alteram. Ergò communicabilitas in Divinis importat formalitatem Naturæ cum connotatione relationum Personalium. Ergo quia Principium *Quo* Pater generat in Divinis, est id, quod solùm est communicabile, sequitur Principium *Quo* Generationis in Deo importare in recto Naturam Divinam, in obliquo Paternitatem Personalem.

18. Ad Scoti *n. 3.* Propositùm Fundamentum Respondetur. Verum esse, quod de ratione Principij productivi ad intra in Deo sit, esse sui communicativum secundùm identitatem numeralem. At hoc ipsum in identitate numerali communicativum importare in recto Formalitatem absolutam Personæ Producenti ac productæ communem, in obliquo autem dicere formalitatem distinctivam communicantis à Personâ *Cui* formalitas illa absoluta communicatur. Quare Potentiam Generandi in Deo esse *Formaliter* quid absolutum, sed *connotativè* importare relationem Personæ Generantis distinctivam à Personâ Genitâ.

19. Ad Francisci de Lugo *n. 4.* oppositum Respondetur. De ratione Principij Productivi esse, quòd sit sui Communicativum per realem alterius ex se emanationem seu egressionem. At in creatis non potest intelligi unum emanare ab altero, nisi hæc alteritas præsupponatur ex parte Principij spectati in actu primo. Unde in creatis actiones sunt eatenus suppositorum, ut ex parte Principij in actu Primo præsupponatur subsistentia constitutiva Principij *Quod*. At in Deo Natura in se ipsâ Essentialiter subsistens est virtualiter prior relationibus Personalibus, habetque ut sic rationem virtutis in actu primo perfectam se in identitate numerali ad intra communicandi. Ex hâc autem perfectæ ad intra Communicabilitatis virtute resultat virtualiter Personalis paternitas spectans formaliter ad actũ secundum Generationis Divinæ. Quare actiones Dei ad intra eatenus sunt suppositorum, ut subsistentia relativa Generantis à Genito distinctiva & Principij *Quod* constitutiva non se teneat ex parte actûs Primi, sed actûs secundi. Etsi proinde in creatis ob Naturæ limitationem inter Principium non tantùm *Quod*, sed *Quo* in actu etiam primo spectatum debeat respectu Principiati esse realis distinctio; in Divinis tamen non oportet Principium *Quo* secundùm actûs primi in recto importatam formalitatem distingui realiter à Principiato, sed Principij duntaxat *Quod* ut sic *Formaliter* includentis actum secundum est realis à Principiato, distinctio.

COROLLARIUM.

20. Infertur 1. Qualiter verificentur istæ propositiones. Natura Divina est Terminus Formalis Generationis quà Communicationis: Relatio Personalis Filiationis est Terminus formalis Generationis quà Productionis: Persona Filij est Terminus Totalis *Qui* Generationis Divinæ. Nam 1. in Divinis intelligi potest communicatio quasi formalis importans identitatem realem formalem formæ cum Hypostasi, cui forma ejusmodi communicatur. At ex Fide Divinâ non dicimus communicari in Divinis nisi perfectionem absolutam realiter identificatam cum Personâ tum communicante, tum illâ, cui communicatur. Ergo sola perfectio absoluta in Divinis potest denominari tanquàm Terminus Formalis Communicationis.

2. Intelligi potest in Divinis Communica- 21.
t[illegible]asi effectiva. Hæc autem importat for-
m[illegible]er tum unius ab altero emanationem seu
Processionem, tum identitatem formæ in Principio & principiato. Unde Generationis Divinæ quà Communicationis quasi effectivæ terminus formalis est tam Natura Divina, secundùm quam in Generante ac Genito est identitas formalis, quàm Filiatio Personalis, secun-
dùm quam est alteritas Filij à Patre. 3. Sicu- 22.
ti ratio productionis univocæ ac perfectæ non est abstrahibilis à ratione communicationis, sic Generationis Divinæ quà Productionis terminus formalis non est sola relatio personalis Filiationis, nec sola Natura Divina, sed Hypostasis Filij quà per realem formalem identita-
tem terminans Naturam Divinam. 4. Per- 23.
sona Filij est Generationis Divinæ Terminus non *positivè*, sed *Negativè Totalis*. Explicatur & probatur. Nam Terminus *Positivè* Totalis est, qui ex pluribus partialibus terminis quasi integratur. At neque Hypostasis Filij, neque Natura in Deo potest intelligi Generationis Divinæ terminus quasi partialis. Minor Probatur. quia ratio terminandi Generationem Divinam non convenit Naturæ secundùm se præcisè, sed secundùm personalem Filiationem. At ista Filiatio Personalis non potest intelligi quà terminans generationem Divinam, nisi quatenus per identitatem realem formalem habet sibi cõmunicatam Naturam Divinam. Ergò neque Natura Divina, neque Filiatio Personalis præcisè sumpta habet rationem termini quasi partialiter terminantis Divinam Generationem. Ergo Persona Filij est Generationis Divinæ terminus non *Positivè*, sed *Negativè* Totalis.

Infertur 2. Qualiter verificetur ista propo- 24.
sitio, *Filius in Divinis est procedens De, vel Ex substantiâ Patris.* Nam 1. particula *De* denotat Consubstantialitatem. ex S. Thomâ *cit. q. 41. a. 3. ad 2.* Unde aliquid dicitur esse *De aliquo* tanquàm Principio Consubstantiali. Hoc autẽ Consubstantiale Principium aliud est materiale, de cujus substantiâ consistit Principiatum. Aliud est activum, veluti de Patre dicitur gigni Filius consubstantialis, cùm econtra Domus non dicatur esse de ædificatore, eò quòd iste non sit Causa Consubstantialis: aliud est formale in formis irreceptibilibus, veluti Angelus dicitur esse de naturâ Intellectuali tanquàm principio suo formali. At in primis Filius Dei non est genitus de substantiâ Patris tanquàm Principio Materiali, hoc enim importat potentialitatem mediante Productione Principiati mobilem, & mediante formâ in se receptâ actuabilem. At ejusmodi mobilitas & actuabilitas pugnat cum Essentiâ

sentiâ Divinâ tanquàm purissimo actu. Deinde substantia seu Natura Divina in Patre est verum Principium *Quo* Generativum Filij in Consubstantialitatem Naturæ ac Essentiæ. Ergo Filius est de Patris substantiâ tanquàm Principio activo Consubstantiali. Denique Essentia & substantia Patris per generationem communicata Filio, in hoc per realem formalem identitatem subsistens est Principium formale Filij qua Patri Consubstantialis. Ergo hâc etiam ratione dici potest Filius Dei esse de Substantiâ Patris.

25\. 2. Particula Ex denotat quandoque Terminum *à Quo*, ut cùm ex frigido dicimus fieri calidum, & ex tenebroso luminosum. In ejusmodi autem loquendi modo Particula *Ex* importat non tantùm prioritatem Termini *à Quo*, sed hujus cum Termino *ad quem* oppositionem. At licèt Natura Divina intelligatur origine prius subsistens in Patre, quam Filio, nulla tamen est oppositio inter substantiam divinam patris & Hypostasin Filij. Deinde particula *Ex* in hoc maximè differt à particulâ *De*, quod per *ly De* significetur non tantùm Origo unius ab alio, sed prætereà Consubstantialitas; econtra *ly Ex* præscindendo a Consubstantialitate significet Originem in genere Principij vel *Materialis*, vel *Formalis*, vel *Activi*. At substantia & Natura Divina licèt ad Filium non se habeat ut Principium materiale, est tamen ejusdem Formale constitutivum, estque in Patre Principium *Quo* physice productivum Filij. In quo proinde sensu dici potest Filius esse *Ex* substantiâ Patris.

26\. Infertur 3. Qualiter verificetur ista propositio, *Pater genuit Filium Voluntate*, vel *Pater volens genuit Filium*. Nam 1. ista propositio inter orthodoxos habuit ortum ad confutandos illos, qui Filium dicebant genitum naturali necessitate excludente voluntatis nostræ electionem, cujusmodi necessitatem habemus etiam contra Voluntatem nostram in subeundâ morte, ac ignis nullam habens Voluntatem ex naturæ suæ determinatione necessitatur ad calefaciendum. Ad ejusmodi proinde necessitatem Voluntatis exclusivam de Divinâ generatione negandam, Sanctus Hilarius *lib. 1. de Synod.* protulit hanc sententiam: *Non naturali necessitate ductus, Pater genuit Filium.* Hinc 2. Divus Thomas *cit. q. 41. a. 2.* asserit: *Generationem Filij esse Patri Voluntariam voluntate Concomitante, non autem Voluntate Principiante seu Antecedente.* Explicatur & Probatur. Nam in hâc propositione, *Pater genuit Filium Voluntate*; potest iste ablativus designare vel Concomitantiam duntaxat; sicuti verè dico, quòd meâ Voluntate sim homo, utpote volens me esse hominem. At verum est, quòd Deus velit se generare Filium. Ergo verificatur, quòd Deus generet Filium Voluntate Concomitante. Vel ille ablativus potest denotare habitudinem Principij. At Filium non esse à Patre genitum Voluntate Principiante, evincitur ex Symbolo Concilii Syrmiensis apud Hilar. *2. in lib. de Syn. circa medium* definientis in hæc verba: *Si quis Voluntate Dei tanquàm unum aliquid de creaturis Filium factum dicat; anathema sit.*

27\. 3. Scotus *in 1. dist. 6. q. un. n. 5.* docens, *Patrem gignere Filium Voluntate, non quidem Principiante, sed antecedente*; videtur nonnullis Thomistis contrarius Doctori Angelico superiùs adducto. Verùm legenti subtilem Doctorem patebit, ipsum non intendere aliud, nisi quòd volitio Essentialis, per quam Pater est volens Filij generationem, sit quodammodò prior Generatione utpote Notionali. At non est alienum à Doctrinâ Angelici Doctoris, quòd in Divinis Essentialia sint secundùm rationem nostram ratiocinatam priora Notionalibus.

ARTICULUS III.

An, & cur Verbi Divini, non autem Spiritûs Sancti Processio sit Generatio?

Non laborabimus in eo, qualiter Generatio late sumpta conveniat Verbo Divino. Solet enim Generatio prout Viventibus, ac non Viventibus est communis, definiri, quòd sit *Mutatio de non esse ad esse in aliquo subjecto*: vel. *quòd sit Mutatio huius totius in illud totum nullo sensibili remanente.* ex Arist. *de Gener. cap. 4.* Est autem per se notum, quòd ratio purissimæ actualitatis à Divinitate excludat Mutationem. Quare de Generatione strictiori solis Viventibus propriâ hîc sermo est, quam Doctor Angelicus *1. p. q. 27. a. 2.* definit, quòd *sit Origo Viventis à Vivente, à principio vitæ conjuncto in similitudinem Naturæ.* De quâ proinde vitali Generatione difficultas est 1. *Qualiter accommodetur Processioni Verbi Divini?* 2. *Quomodo ex vi Generationis Divinæ similitudo in naturâ communicetur?* 3. *Quæ sit ratio Fundamentalis, cur Processio Spiritûs Sancti non sit generatio?* 1.

CONTROVERSIA. I.

An Verbi Divini Processioni adæquatè conveniat ratio Vitalis Generationis?

Videtur subesse difficultas in eo, quomodo Verbi Divini processio sit in Similitudinem Naturæ. Hæc enim denotat speciem. Unde similitudo naturæ non est, nisi in ijs, quæ habent naturas individualiter diversas, sed specie similes. At Verbum Divinum procedens quà Consubstantiale Naturam Divinam Individualiter ac Numerice eandem habet cum Patre. 2.

CONCLUSIO.

Verbi Divini Processioni convenit adæquatè ratio vitalis Generationis.

Probatur. Nam Verbi Divini realem esse à Patre Processionem seu originem, constat ex illo *Psal. 2. Ego hodie genui te.* Item *Ioan. 8. Ego ex Deo processi.* At istam Originem esse à Vivente, evincitur ex illo, quòd Christus sit Filius Dei vivi 3.

vivi. *Matth. 16.* Hanc porro à Deo Patre vivente Originem eſſe Viventis, demonſtratur ex eo, quòd, *ſicut Pater habet Vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere Vitam in ſemetipſo.* Unde etiam concluditur, Filium Dei eſſe a Patre ut à Principio conjuncto, juxta illud *Ioan. 1. Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris*; nec non juxta illud; *Verbum erat apud Deum.* At hunc ipſum Unigenitum aſſerit Paulus *ad Heb. 1.* quòd *ſit ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ ejus.* Item ad *Coloſſ. 3.* quòd *ſit imago inviſibilis Dei.* Ratio autem Figuræ ac imaginis importat ſimilitudinem cum Figurato, atque adeò Filij Dei generatio eſt in ſimilitudinem ſubſtantiæ ſeu Naturæ Divinæ Patris. Ergo Verbum Divinum procedit vivens à Patre vivente tanquam Principio conjuncto in Similitudinem Naturæ. Ergo Verbi Divini Proceſſioni convenit adæquata Generationis vitalis ratio.

4. Dices. Per *ly à Principio Conjuncto* deſignari cauſam materialem, ex quâ elaboratur & procedit Genitum. Quam unicam eſſe rationem, cur Angelorum & Adami procreatio non habuerit rationem generationis, licèt eſſet viventis à Deo Vivente Origo in ſimilitudinem Analogicam Naturæ: non enim erat à Deo ut à Principio conjuncto tanquàm Causâ Materiali, ſed tanquàm Principio activo per intimum ipſius Eſſe illapſum conjuncto. At Verbum divinum procedere à Patre ut à principio activo, non ut à Causâ Materiali ſibi conjunctâ. Ergo Verbi divini Proceſſioni non convenire adæquatè vitalis Generationis definitionem.

5. Contra. Nam per *ly à Principio conjuncto* denotatur, debere aliquid de ſubſtantiâ Generantis communicari Genito, tanquàm principium intrinſecum. Eſt autem duplex intrinſecum principium ſcilicet Materiale, ac formale. Atqui formis creatis ex ſuâ intrinſecâ limitatione taliter convenit eſſe coarctatas ad unam Hypoſtaſin ac individuationem Perſonalem, ut in ratione principij formalis non ſint ſui Communicativæ, ſed in ratione Cauſæ duntaxat Efficientis importantis realem principij ac principati quoad formas, ſeu naturas diſtinctionem. Unde ex limitatione formarum creatarum eſt, quòd nulla poſſit per ipſas eſſe Generatio tanquàm à principio formali conjuncto, ſed tanquàm a principio duntaxat Materiali conjuncto, hoc enim ratione ſuæ Potentialitatis eatenus eſt indifferens ad pluralitatem formarum, adeòque Hypoſtaſum ac individuationum Perſonalium, ut conſequenter de intrinſecâ Patris materiâ poſſit pars aliqua decidi, ac intrinſecè communicari Filio. At verò natura divina eſt forma puriſſimæ actualitatis. Ex hâc autem actualitatis puritate, adeòque infinitate eſt, quòd in ſe ipsâ Eſſentialiter ſubſiſtens cum ſuâ abſolutâ Hæcceitate poſſit terminare diverſas perſonales relativas individuationes. Unde eidem quà per Paternitatem Perſonalem terminatæ convenit eſſe productivam Filiationis Perſonalis, cui ipſiſſimam ſuam naturam cum omnimodâ abſolutâ Hæcceitate communicet tanquàm Principium formale intrinſecè conſtitutivum Filij. Ergo ex limitatione formarum creatarum eſt, quòd Vitalis Generatio in creatis ſit à Principio tum activo, tum materiali conjuncto: ex infinitate autem Naturæ divinæ eſt, quòd Generatio in Divinis ſit à Principio activo ſimul & Formali conjuncto.

Reſponſio ad Oppoſita Argumenta.

Ad difficultatem *n. 1.* oppoſitam Reſpondetur. Sicut Eſſentia importat Primá rei in Eſſendo realitatem, ſic naturam dicere primá in operando formalitatem. At in creatis primam tam Eſſendi, quam operandi radicem involvere Potentialitatem, ratione cujus ſit abſtrahibilis ab ultimâ Hæcceitatis ſeu individuationis ſubſiſtentis actualitate. Quam Eſſentiæ & Naturæ ab individuatione abſtrahibilitatem in creatis eſſe rationem, cur Eſſentia & Natura veniat ſub ratione Specierum. At verò in Deo Primum Eſſe, & Operari formaliter, ac Eſſentialiter importare ultimam exiſtendi ac ſubſiſtendi formalitatem ſeu Hæcceitatem. Unde proprium eſſe Naturæ ac Eſſentiæ divinæ, quod non ſit ſpecies, ſed Eſſentialiter ſit individuum ſubſiſtens. In quo nihilominus individuo ſecundum ultimam Hæcceitatem Eſſentialiter actuato eſſe Perſonales relationes realiter inter ſe diſtinctas, ſed omninò identificatas cum Naturâ & Eſſentiâ Dei. At de ratione ſimilitudinis eſſe, tum extremorum inter ſe diſcrepantium, tum Formæ, in quâ ſimilia ſunt, identitatem. Cum igitur in Deo taliter ſit Naturæ ac Eſſentiæ identitas, ut tamen Perſonarum quoad individuationes relativas ſit diverſitas, conſequens eſſe, quòd una Perſona divina verè dici poſſit alteri ſimilis quoad Naturam. 7.

Confirmatur. Nam verum quidem eſt, in rebus creatis nullam ſtare ſimilitudinem cum reali Formæ identitate. At hujus ratio eſt ex limitatione Formæ creatæ de ſe coarctatæ ad unicam ſui individuationem. Econtra verò Natura divina, licèt Eſſentialiter ſubſiſtens ac individua, per ſuam infinitatem eſt communis tribus realiter diſtinctis Perſonalitatibus, ſeu individuationibus relativis. Unde harum in Eſſentiâ & Naturâ Divinâ ſimilitudo non eſt æquiparanda cum ſimilitudine formarũ creatarum, ſed Eminentioris eſt rationis: tametſi nominationem & rationẽ ſimilitudinis propriè participet. 6.

CONTROVERSIA II.

Quomodo ex vi Generationis Divinæ Verbo communicetur ſimilitudo in Naturâ?

Divus Thomas *præs. q. 27. a. 2.* hujus difficultatis rationem exponit ſimili diſcurſu: *In Deo idem eſt eſſe, & Intelligere. Ergo conceptio intellectûs eſt ſimilitudo rei intellectæ, & in eâdem naturâ exiſtens. At proceſſio Verbi eſt per modum intelligibilis actionis. Ergo Proceſſio Verbi eſt per modum ſimilitudinis.* 8.

Referuntur ſententiæ hujus diſcurſûs expoſitoriæ.

Hunc Sancti Doctoris diſcurſum nonnulli de mente Cajetani *præs. q. 27. a. 2. & infra q. 35. a. 2.* cenſent taliter exponendum. Nam in operatione intelligibili, ſecundùm quam eſt Proceſſio Verbi, duæ ſunt conſiderandæ formalitates, altera nimirum ſub ratione operationis quà præciſe intelligibilis, altera ſub ratione operationis quà di- 9.

quà divinæ. At istæ duæ formalitates per summam identitatem, ac purissimam actualitatē ita conveniunt in intelligibili Verbi divini processione, ut tamen ratio Divini *Virtualiter* ac *secundùm objectivam Intellectûs nostri præcisionem se habeat* quasi *Materialiter*, tanquam *differentia purè extranea* ad lineam Intelligibilitatis. Unde Processio Verbi non ex formalitate Intelligibilitatis, sed ex ratione *Divini* habet, quod sit in Esse seu Substantiæ, atque Naturæ divinæ Similitudinem. Ergo processio Verbi quatenus est per modum intelligibilis operationis, est præcisè in similitudinem rei intellectæ intentionalem, quatenus verò est divina, est in Essentiæ & Naturæ divinæ divinæ consubstantialem similitudinem.

10. Vasquez *præs. disp. 13. cap. 6. & 7.* refutatâ sententia Cajetani, arbitratur, Generationis divinæ quatenus distinctæ à Spiratione non esse proprium, quod sit in similitudinē Naturæ, sed quod per eam procedat Verbum quà imago Patris, cùm econtra Spiritus Sanctus procedat ut similis in Naturâ Patri & Filio, a quibus procedit, sed non ut imago illorum. Fundamentum ejusdem Authoris *à n. 41.* deductum est. Nam Generationis divinæ Terminus est *formaliter Filius*. At Dei Filius quà talis est imago Patris, juxta illud Athanasij *in Epist. de Decret. Nicæn. Synodi paulò ante medium* differentis in hæc verba: *Si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaveris, quid enim simile Deo, nisi sua progenies?* Ergo generativus divinæ Generationis Terminus Formaliter spectatus est imago Patris: quæ ut sic est similitudo non præcisè fundata in unitate Naturæ, sed in ratione repræsentativâ Naturæ paternæ: juxta illud Nazianzeni. *Brevis & compendiosa, facilisque Paternæ Naturæ declaratio est Filius: Omne enim, quod genitum est, genitorem suum tacitâ voce definit.*

11. Ferrariensis *4. contra Gent. cap. 11.* & Ioannes à S. Thomâ hic *disp. 12. art. 5. num. 15.* docent: Verbi divini Processionem ex formali ratione Processionis Intelligibilis, prout intra lineam Intelligibilitatis ab omni imperfectione est in Deo purificata, esse generativam, atque ut sic formaliter tendere in similitudinem seu Unitatem Naturæ divinæ. Probatur ex eodem Ioanne à S. Thoma *n. 18.* Nam de ratione formalissimâ Intellectionis, expressionis, ac Dictionis Intelligibilis est, verbum fieri unum cum objecto in Esse Intelligibili, ac exprimere ipsum objectum cum omnimodâ Similitudine in Esse Intelligibili. At quòd Esse Intelligibile objecti non sit ipsamet substantia, & Esse Entitativum objecti, provenit ex potentialitate ejus & defectu actûs puri. Si ergo intra lineam Intelligibilem detur actus purus ab omnimodâ potentialitate depuratus, sequitur, talem Intelligibilitatem formaliter in Esse Intelligibili esse ipsamet Substantiam seu Esse Entitativum objecti. Ergo etiam Intellectio intra lineam Intelligibilitatis ab omnimodâ potentialitate depurata erit ipsum Esse substantiale ac Entitativum objecti. Ergo etiam Verbum intra lineam Intelligibilitatis ab omnimodâ potentialitate depuratæ ita est expressivum objecti in Esse Intelligibili, ut formalissimè sit hujus Esse Entitativum ac substantiale, sitque adeò simile non tantùm *repræsentativè*, sed *Consubstantialiter*.

***

CONCLUSIO.

EX eo, quòd Esse Dei sit suum intelligere, efficaciter demonstratur, Processionem Verbi Formaliter importantem hoc Dei Intelligere, esse formalissimè in similitudinem Naturæ.

12. Explicatur & Probatur. Esse Dei est suum intelligere, quatenus Intellectio Divina formalissimè specificatur per Esse Dei subsistens. Intellectio verò formaliter specificata per Esse Dei subsistens est formalissimè Natura Divina. Atqui Verbi divini Processio est formalissimè communicatio Intellectionis. Ergo ex hoc, quòd Esse Dei sit suum Intelligere, sequitur, quod Processio Verbi Divini formalissimè sit communicatio Naturæ Divinæ. At per se notum est, Processionem, quæ formalissimè est Naturæ Divinæ communicatio, esse in Naturæ divinæ formalissimam similitudinem. Ergo ex eo, quod Esse Dei sit suum Intelligere, manifeste evincitur, Processionem Verbi formalissimè importantem hoc Dei Intelligere, esse formaliter in similitudinem Naturæ Divinæ.

13. Dices. In prætacto discursu Sancti Thomæ includi duas consequentias: quarum alteram taliter formari posse, *Esse Dei est suum intelligere. Ergo conceptio Intellectûs est similitudo rei intellectæ.* At in istâ Consequentiâ esse difficultatem intelligendi, an conceptio Intellectûs sit rei Intellectæ similitudo Substantialis, vel Intentionalis duntaxat. Et quomodo ex eo, quòd *Esse Dei sit suum Intelligere*, inferatur, *Conceptionem Intellectûs Divini esse rei intellectæ similitudinem Substantialem?* Alteram deinde Sancti Doctoris consequentiam taliter posse formari: *Conceptio Intellectûs divini est similitudo rei intellectæ. Ergo est in eâdem Naturâ Divinâ Subsistens.* At in hâc consequentia subintelligi istam majorem: *Similitudo rei intellectæ est cum hâc in eâdem Naturâ subsistens.* At in istâ majori subintelligi difficultatem, an similitudo rei Intellectæ Formaliter quà talis, an verò Materialiter duntaxat, ratione quasi subjecti, prout est in Deo, sit cum re Intellectâ subsistens in eâdem naturâ Divinâ?

14. Contra. Nam verissimum est, quòd in Intellectu, in quo Esse est suum Intelligere, rei Intellectæ similitudo formaliter quà talis habeat eandē cum re Intellectâ Naturâ subsistentem. At conceptio Intellectûs formaliter importat similitudinem rei Intellectæ. Ergo in intellectu, in quo Esse est suum Intelligere, conceptio formaliter quà talis habet eandem cum re Intellectâ Naturam subsistentem. Major Probatur. In Intellectu, in quo *Esse est suum Intelligere*, oportet rem Intellectam per suum Esse actualissime subsistens esse sui intelligibiliter expressivum. At Esse sui per se ipsum Intelligibiliter expressivum in ratione expressionis activæ est Dictio formaliter specificata per illud Esse subsistens: in ratione verò expressionis passivæ formaliter est illius Esse tanquàm rei Intellectæ similitudo subsistens in eâdem naturâ. Probatur istud Assumptum. Esse per se ipsum Intelligibiliter expressum in Ente, cujus Essentia est suum Esse Subsistens, in Deo nimirum importat Intellectionem per Esse subsistens formaliter specificatam. Ejusmodi verò Intellectio utpote prima intra lineam operativam actualitatis, est

tis, est

tis, est ipsa naturâ. At Esse subsistentis sui per se ipsum sub purissimâ actualitate Intelligibiliter expressivi passiva expressio est illius Esse similitudo subsistens formaliter in Intellectione specificata per Esse Divinum subsistens. Ergo Esse subsistentis sui per se ipsum sub purissimâ actualitate Intelligibiliter expressivi passiva expressio est similitudo Esse Divini non *Identicè* duntaxat, sed ex ratione talis expressionis passivæ *formaliter* subsistens in Naturâ divinâ. Atqui Esse divini sub purissimâ Intelligibilitatis per se actuatæ formalitate expressio passiva est conceptio Divini Intellectûs, per quam passivè procedit, imò formaliter realiter constituitur Verbum Divinum. Ex hoc igitur, quòd Processio Verbi æterni sit conceptio Intellectûs Divini per Esse Dei subsistens formaliter specificata, infertur, quòd sit similitudo non intentionaliter duntaxat, sed Consubstantialiter expressiva Esse divini, atque adeò ut sic formaliter subsistens in Naturâ Divinâ. Atqui ex eo, quòd Esse Dei subsistens sit suum Intelligere, infertur, quod conceptio Intellectûs Divini sit formaliter specificata per Esse Dei subsistens. Constat igitur ex eo, quòd Esse Dei subsistens sit suum Intelligere, efficaciter probari à Doctore Angelico, Processionem Verbi esse formaliter in Naturæ divinæ similitudinem Consubstantialem.

Responsio ad sententias Discursûs D. Thomæ expositorias.

15. AD ea, quæ ex Cajetano *n. 3.* sunt opposita, Respondetur. Falsò ibi supponi, quòd ratio Divini tanquàm differentia purè extranea, quasi *Materialiter* se habeat ad lineam Intelligibilitatis. Nam ratio Divini *formaliter*, ac *Essentialiter* est actualitas, quæ sit Esse subsistens. At eo ipso, quòd istud Esse subsistens sit suum intelligere, Intellectio in Deo formaliter in ratione Intellectionis est Esse subsistens per se ipsum actualiter in Esse Intelligibili expressum. Ergo intra lineam Intelligibilitatis quà talem est actualitas formaliter Divina. At ista intra lineam Intelligibilitatis purissima actualitas est Formalissimè Natura divina. Cùm igitur Verbum Divinum per modum Intelligibilis operationis procedens sit in Esse divini similitudinem intelligibiliter expressivam, consequenter est formaliter in Essentiæ & Naturæ divinæ similitudinem Consubstantialem.

16. Ad Vasquezij oppositum fundamentum Respondetur. Verum esse quidem, *quòd Generationis Divinæ terminus formaliter sit Filius, habens ut sic rationem imaginis repræsentantis Naturam Paternam.* Ex quo tamen haud concludi, quòd *Generationis Divinæ quà distincta à spiratione non sit proprium, esse in Naturæ similitudinem.* Nam imago est formaliter secundùm rationem repræsentandi: At repræsentatio specificatur vel formaliter, vel Causaliter per Esse intelligibile rei repræsentatæ. At repræsentationem in Imagine Dei ob purissimam sui actualitatem oportet *formaliter* esse specificatam per Esse Dei Intelligibiliter repræsentatum in tali Imagine. Ejusmodi verò formalis per Esse Dei Intelligibiliter repræsentatum specificatio in illâ Dei Imagine importat Intellectionem habentem formaliter rationem Naturæ divinæ. Ergo ratio purissimæ Imaginis in Deo est formaliter similitudo Naturæ divinæ. Ergo eo ipso, quòd Processionis Verbi terminus sit Imago Naturæ Paternæ repræsentativa, sequitur, Processionem Verbi esse formaliter in Naturæ divinæ Similitudinem.

Ad Ioannis à Sancto Thoma discursum Respondetur. Illum ex integro nobis probari, cujus efficaciam ex eodem authore taliter posse firmari. Ratio Intelligibilitatis fundatur in ratione Essendi reali ac Entitativâ. Ergò ratio Essendi purissimæ actualitatis, ac omnimodæ immaterialitatis fundat Intelligibilitatem purissimæ immaterialitatis ab omnimodâ Potentialitate depuratæ, atque adeò indistinctæ ab Esse reali ac Entitativo objecti Intelligibilis. Atqui Intelligibilitas ab omnimodâ Potentialitate depurata ita est sui Intellectio, ut ista sit ipsum Esse Entitativum objecti Intelligibilis. Est autem Processio Verbi per ejusmodi divinâ ab omnimodâ Potentialitate depuratam Intellectionem, quæ est Natura Divina subsistens per Esse Dei ex vi Processionis Intelligibilis formaliter communicata Verbo divino. Ergo ex eo, quòd Esse Dei per purissimam suam actualitatem & omnimodam Immaterialitatem sit sui Intellectio, habens rationem Naturæ divinæ ut sic formaliter ex vi Processionis Intelligibilis communicata Verbo, consequens est, Processionem Verbi esse in Naturæ divinæ non præcisè *repræsentativam*, sed *Consubstantialem* similitudinem. 17.

CONTROVERSIA III.

Cur Processio Spiritûs Sancti non sit generatio?

SPiritûs Sancti Processionem non habere rationem Generationis, nullum Orthodoxis esse potest dubium: Sacris Litteris *Ioan. 1.* secundam Trinitatis Personam asserentibus *Unigenitum.* Hujus enim vocis propria significatio excludit consortium alterius Geniti seu Filij. Unde in Symbolo Sancti Athanasij profitemur, quòd *Spiritus Sanctus sit à Patre & Filio, non factus, nec Genitus, sed Procedens.* 1.

Verùm in hujus veritatis assignandâ ratione tanta est difficultas, ut eam inscrutabilem, & inaccessibilem judicarint nonnulli Sancti Patres, nominatim Ioannes Damascenus *lib. 1. de Fide. cap. 10.* Augustinus *lib. 3. contra Maximinum. cap. 14.* Athanasius *in Epistolâ ad Serapionem.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 5. Theolog. aliàs 37.* Hilarius *lib. 2. de Trinit.* Anastasius Synaita *lib. de rectis Fidei Dogmat.* Ambrosius *lib. 1. de Fide. cap. 1.* Quibus concinit Divus Bernardus *Serm. 1. Pentecostes* asserens: *Processionem Spiritûs Sancti posuisse tenebras latibulum suum.* 2.

Cujus difficultatis Argumentum adduci potest ex ipsâ Generationis definitione. Hæc enim definitur esse *Origo Viventis à Vivente, à Principio conjuncto in similitudinem Naturæ.* At Spiritus Sanctus est Vita ipsa, procedens à Patre & Filio quà vivente. Hæc autem Processio non est ex nihilo, nec ex Substantiâ creatâ: Ergo de divinâ Spiritui Sancto communicatâ Substantiâ per sui à Patre & Filio Processionem, quæ proinde est à Principio conjuncto. Ex hoc autem, quod Spiritus 3.

ritus Sanctus vi Processionis suæ habeat sibi communicatam substantiam divinam, sequitur, ipsum, ut Personam divinam, & ut Deum procedere in similitudinem Naturæ divinæ. Quare Generationis Vitalis definitio videtur adæquatè convenire Spiritui Sancto.

4. In hujus proinde difficultatis, etsi Patribus videretur insuperabilis, solutione Theologis vel ex hoc laborandum fuit, quòd ipsis Mysteria fidei incumbat à contradictione tueri. Unde non minùs Patres antiqui, quàm Theologi Scholastici vires ingenij sui operosè in hoc impenderunt, uti mox patebit.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

5. PEtrus Aliacensis à Vasquezio *præs. disp. 113. cap. 3. n. 18.* relatus docet, Verbi, non autem Spiritûs Sancti Processionem habere rationem generationis, eò quòd iste procedat à duobus, illud verò ab uno duntaxat supposito divino. Probari potest authoritate Sancti Augustini *lib. 15. de Trinit. cap. 27.* ad illam quæstionem, *Cur non dicatur natus esse, sed potiùs procedere Spiritus Sanctus?* respondentis in hæc verba: *Quoniam si etiam Filius diceretur, amborum utique filius diceretur, quod absurdissimum est, Filius siquidem nullus est duorum, nisi Patris aut Matris: absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquid tale suspicemur.*

6. Durandus *in 1. dist. 6. q. 2.* arbitratur, Filij, non autem Spiritûs Sancti Processionem esse Generationem, quòd ista sit per Voluntatem, illa verò per Naturam. Explicatio hujus sententiæ affertur ab Ysamberto *ad præs. q. 27. disp. 4. a. 5. n. 3.* Nam Generatio est Processio per modum Naturæ. Hic autem modus est procedere ab uno tantùm. Econtra procedere per modum Voluntatis, est procedere à duobus suppositis, quorum quodlibet per se sufficiens sit, ut adeo videantur voluntariè conjungi ad producendum unum. At Verbum divinum procedit ab uno Patris supposito: Spiritus autem Sanctus à Patre & Filio. Ergo ille, non verò iste generatur.

7. Huc reduci posse videtur opinio Scotistarum apud Radam *1. p. cont. Theolog. 14. a. 1. circa finem* ideo negantium; Spiritûs Sancti Productionem esse generationem, quòd à Principio per modum Voluntatis agente, adeòque liberè, licèt necessariò procedat.

8. Scotus *in 1. dist. 13. q. un. n. 10.* asserit: Generationem Formaliter se ipsâ non esse spirationem, ita ut non oporteat quærere, quibus distinguantur, eò quod tota ratio formalis unius sit non eadem toti rationi formali alterius. Probationem hujus desumit ex S. Augustino *15. de Trinit. cap. 27.* ubi ex Processionum distinctione vult concludere distinctionem personarum procedentium. Unde *5. de Trinit. cap. 9. & 14.* quærens; *Cur Spiritus Sanctus non sit filius, cùm tamen à Patre exeat*; solvit dicens: *Exit enim non quomodo datus, sed quomodo natus.*

9. Divus Bonaventura *in 1. dist. 13. a. 1. q. 2. ad 3. docet*; Hypostasin, ad quam terminatur Processio quà condistincta à Generatione esse amorem, hypostasin verò, ad quam terminatur generatio, esse imaginem. At verò amoris & Nexûs esse spirari, non generari: è converso Imaginis esse generari, non spirari.

Cui consentire videtur Vasquez *cit. disp. 113. cap. 7.* docens, rationem, ob quam Processio Verbi, non autem Processio Spiritûs Sancti sit generatio, esse; quòd Verbum non solùm vi suæ Processionis procedat simile in naturâ, hoc est ejusdem cum Patre Naturæ: sed etiam ut imago Patris; at Spiritus Sanctus procedat quidem ut similis in Naturâ Patri & Filio, à quibus procedit, sed non ut imago illorum. Probatur authoritate Sancti Anselmi *in Monolog. cap. 53.* qui ubi hanc proposuisset quæstionem: *Quid ergo cùm hic amor pariter habeat esse à Patre & Filio, ut sit similis sit ambobus, ut nullatenus dissimilis sit, sed omnino idem sit, quod illi, nunquid Filius eorum aut Proles existimandus?* Respondet in hæc verba: *Sed sicut Verbum mox ut consideratur, se Prolem esse ejus, à quo procedit, evidentissimè probat, promptam præferendo Parentis imaginem; sic amor apertè se Prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti ejus, ex quo est, similitudinem, quamvis ipsum considerata ratio doceat, omnino id ipsum esse, quod Pater & Filius.* 10.

Richardus à S. Victore *lib. 6. de Trinit. cap. 18.* Alensis *1. p. q. 42. memb. 2.* Major *in 1. dist. 3. q. un. & nonnulli recentiores* sentiunt; Processionem secundæ Personæ Trinitatis ideò esse generationem, quia accipit à Patre Naturam Divinam, cum Virtute illam communicandi; ècontra processionem Spiritûs Sancti non esse generationem, eò quòd naturam Divinam ita accipiat à Patre & Filio, ut nulli alteri eam possit communicare. Fundamentum est: Quia Generatio est in Similitudinem naturæ. Atqui Natura importat primum Operationis ad intra Principium, seu Fœcunditatem alterius suppositi productivam: quam Spiritus Sanctus suâ Processione non accepit. 11.

Nicolaus Ysambertus *cit. disp. 4. a. 11.* cum Suarezio *lib. 11. de Trinit. cap. 5. & alijs* existimat, rationem radicalem, cur Processio Verbi, non autem Spiritûs Sancti sit generatio, esse, quòd illud sit per intellectionem, hic verò sub ratione actualis amoris sit per Voluntatem: at proximam hujus rationem petendam esse ex eo, quòd actualis Intellectio sit differentia ultimò constitutiva Naturæ Divinæ: Amor verò supponat Naturam Divinam veluti constitutam. Probatur Argumento Ysamberti *cit. a. 11. à n. 8.* Nam omne generans generatione propriè dictâ tendit primò per se formaliter & ex vi activæ suæ generationis ad communicandum genito propriam suam Naturam, prout hæc habet vitam substantialem sibi propriam. Atqui primam Trinitatis Personam producendo secundam, isti communicasse vitam substantialem sibi propriam, constat ex illo *Joan. 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Hoc autem in eo sensu accipi debet; quòd, quemadmodum Deus Pater est vita subsistens, ita etiam genuerit vitam quà subsistentem, ex S. Augustino *lib. contra serm. Arianorum cap. 17.* At quemadmodùm Pater dicitur dedisse Filio vitam, hoc est, ut vita sit: sic potest dici, Patrem dedisse Filio Verbum, hoc est, ut Verbum sit, ex eodem Sancto Doctore. *ibidem.* Atqui Deus Pater suam communicando Essentiam per intellectum primò per se formaliter dedit ei, ut esset Verbum purissimam Intellectio- 12.

tellectionis actualitatem includens. Ergo per hoc, quòd Pater formaliter ex vi suæ Processionis communicarit Verbo Intellectionem per Essentiam, evincitur, hanc Verbi Processionem esse strictè generativam. Ergo à contrario, quia Pater & Filius formaliter ex vi Spirationis non communicat Spiritui Sancto Intellectionem, sed amorem substantialem, sequitur; istam non esse generationem.

13. Doctor Angelicus *præs. q. 27. a. 4.* præsentis quæsiti rationem petit ex differentiâ inter Intellectum & Voluntatem. Nam Intellectus fit in actu per hoc, quòd res intellecta sit in Intellectu secundùm suam similitudinem: Voluntas autem fit in actu ex hoc, quòd habeat quandam inclinationem in rem volitam. At Processio non est generatio nisi secundùm rationem similitudinis. Ergo quia processio Spiritûs Sancti, quæ est per modum amoris, non attenditur secundùm rationem similitudinis, sed magis secundùm rationem impellentis & moventis, sequitur, non esse Generationem, sed aptè exprimi nomine Spirationis designantis vitalem motionem, ac impulsionem, prout aliquis ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum.

14. Ioannes à Sancto Thomâ *in præs. disp. 12. a. 7.* prætactam Angelici sui Doctoris rationem taliter exponit. Nam ad rationem generationis non sufficit, quòd sit actio producens efficienter, vel activè aliquem terminum, qui in se similis sit Producenti, sed quòd specificativè, seu in quarto modo per se producat simile. At ex hoc ipso, quòd terminus productus in Voluntate habeat rationem ponderis vitalis proportionantis & coaptantis Voluntatem ad objectum, sequitur; processionem, quæ est per Voluntatem, specificativè seu in quarto modo per se non producere simile. Major patet ab exemplo per Sanctum Thomam *lib. 4. contra Gent. cap. 23.* proposito: si enim homini alicui Divinitùs daretur producere hominem, tum naturali ac seminali viâ, tum modo artificiali, ita ut manibus suis posset ex carne & sanguine suo formare alium; sicuti ex costâ Adami Deus produxit Evam: tunc licèt uterque homo produceretur similis suo Principio, unus tamen per viam seminalem productus esset genitus, ac Filius, non verò alter per modum artificialem effectus. Cujus non alia foret ratio, nisi quòd iste non ex vi Productionis Formaliter in quarto modo per se ac specificativè procederet similis suo Principio producenti.

15. Minor Probatur. Nam Processio in quarto modo per se ac specificativè est producens simile, quæ ex suâ formali tendentiâ respicit in termino similitudinem tanquàm formale sui specificativum. At pondus illud vitale Voluntatis formaliter impulsivum in rem amatam, non habet rationem imaginis trahentis & continentis in se objectum per repræsentationem: sicutiècontra Verbum ex ipso suo procedendi modo est expressivum & assimilativum objecto Motivo ac Principio Intelligibili. Ergo processio, quæ est per Voluntatem, specificativè & in quarto modo per se non producit simile. Ergo non est generatio,

16. Idem Ioannes à S. Thomâ *cit. cap. 7. n. 19.* Spiritûs Sancti processionem non esse generationem, probat ex illo etiam capite, quòd non procedat formaliter ex vi processionis in similitudinem Naturæ. Nam Generatio per se primò intendit speciem, non proprietates rei. Unde pro formali termino habet formam substantialem, & Esse substantiale, ob quam etiam rationem oportet ejus Principium esse ipsam formã substantialem. At in naturâ cognoscitivâ appetitus se habet ut consequens Naturam, seu rationem Naturæ constitutivam, est enim appetitus ex suo formali conceptu inclinatio quædam & pondus in appetibile: omnis autem inclinatio consequitur aliquam formam, non ipsam constituit. Ex quo evincitur, quòd nec Natura Divina consistat in velle, siquidem istud virtualiter supponat Intellectionem & Naturam Intellectivam. Quia ergo Spiritûs Sancti Processio pro Principio formali habet Voluntatem, non verò Intellectualitatem quà gradum Naturæ Divinæ constitutivum, consequenter ejus terminus formalis non est Natura Divina; nec adeò ex vi illius procedit Spiritus Sanctus Formaliter, sed identicè tantùm similis in Naturâ Divinâ.

Conclusio.

Cur in Divinis una, non verò altera Processio sit Generatio, ratio formaliter est per Hypostases Verbi ac Spiritûs Sancti.

Probatur, Passiva secundæ in Divinis Personæ Processio formaliter importat Verbi Hypostasin. At ista Hypostasis quà condistincta ab Hypostasi Spiritûs Sancti per rationem suam formalem est similitudo subsistens in Naturâ Divinâ. Ergò per rationem formalem Hypostasis Verbi quà condistinctæ à Personali Spiritûs Sancti proprietate est, quòd Processio Verbi Passiva sit in similitudinem; imò sit subsistens Naturæ Divinæ similitudo. Minor patet. 17. 18.
Nam inpræsenti inquiritur formalitas, quæ non secundùm nostrum intelligendi modum, sed à parte rei sit ratio taliter distinguens Processiones Verbi ac Spiritûs Sancti, quòd una, non verò altera sit Generatio. Atqui Processiones in Divinis secundùm quod sunt à parte rei, sunt actus per se subsistentes, atque adeò secundæ in Divinis Personæ processio importat formaliter Verbi Hypostasin. Minor Probatur. 19.
Nam similitudo non merè intentionalis, sed realiter subsistens importat tum distinctionem suppositorum, tum unitatem formæ realem. At Hypostasi Verbi eatenus convenit distinctio à Personalitate Patris, ut ejusdem quà condistinctæ à Spiritûs Sancti subsistentiâ sit proprium Hypostaticè terminare ipsissimam Patris intellectionem & Naturam Divinam.

Probatur istud assumptum. Nam secundæ in Divinis Personæ propria Hypostasis in Sacris Litteris explicatur per nomen Verbi, splendoris Gloriæ, & Figuræ substantiæ Patris: cùm è contra Tertiæ Personæ Hypostasis exponatur per nomen Spiritûs Sancti, & Amoris Notionalis. At ratio Verbi non informantis, sed subsistentis importat Hypostasin, quæ sit substantialis Terminus Intellectionis: sicut & splendor Gloriæ subsistens importat Hypostasin Glo- 20.

riæ

riæ Paternæ consistentis in Intellectione Formaliter actuatâ per Divinam Essentiam. At hæc ipsa per Divinam Essentiam actuata Intellectio est substantia seu Natura Dei Patris. Unde Verbum & splendor Gloriæ Patris importat formaliter Hypostasin, per quam ipsissima Patris substantia & Natura divina substantialiter terminetur. Verissimum igitur est, Hypostasin Verbi eatenus distingui realiter à personalitate Patris, ut illi ex ratione suâ Formali proprium sit, includere substantiam seu Naturam Divinam, & ipsissimam Dei Patris ex ejus Essentiâ actuatam Intellectionem. Ergò Hypostasi Verbi ex ratione suâ propriâ convenit tum identitas substantiæ & Naturæ cum Patre, tum distinctio suppositi à Personâ Patris. Ergo Verbi Divini Hypostasis per rationem suam propriam Formaliter est Divinæ à Patre sibi communicatæ Naturæ subsistens similitudo. Econtra nomen Spiritûs, Sancto Thomâ *cit. q. 27. a. 4.* adver-
21. tente, designat vitalem motionem ac impulsionem, vi cujus ex amore quis dicitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum. Ergo Hypostasis Spiritûs Sancti ex propriâ suâ ratione est Substantialis Terminus vitalis motionis Divinæ formaliter consistentis in amore. Unde passiva Spiritûs Sancti Processio formaliter includens illius Hypostasin ex propriâ hujus ratione non est Naturæ Divinæ, sed amoris substantialis similitudo. Atqui de ratione formali generationis est, esse in similitudinem Naturæ: Et quia Processio in Divinis est per modum actûs puri subsistentis, oportet, generationem activam esse similitudinem Naturæ Divinæ in Personâ producente subsistentem; generationem verò Passivam esse Naturæ Divinæ in Personâ productâ subsistentem similitudinem. Consequens proinde est, ex proprijs Verbi ac Spiritûs Sancti Hypostasum rationibus formalibus esse, cur processio Verbi, quatenus Intellectionis per Dei Patris Essentiam actuatæ, atque adeò Naturæ Divinæ subsistentiam importat, sit Generatio; Processio autem Spiritûs Sancti, prout substantialis per Essentiam Divinam actuati amoris subsistentiam involvit, non sit generatio.

22. Dices. Hypostasin Spiritûs Sancti Formaliter esse terminum substantialem amoris Divini quà purissimi actûs. Atqui amorem Divinum quà purissimum actum ita specificari ex Essentiâ Divinâ tanquàm Motivo formali, ut hanc formalissimè involvat in ratione suâ formali. At verò Amorem non specificari ex Motivo suo formali, nisi quà intelligibiliter repræsentato voluntati. Ergo Spiritûs Sancti Hypostasin formaliter esse terminum substantialem amoris divini formalissimè specificati per Essentiam Divinam quà intelligibiliter repræsentatam. At Essentiam Divinam quà intelligibiliter repræsentatam importare formaliter Intellectionem, adeòque Naturam Divinam. Ergo Hypostasin Spiritûs Sancti esse formaliter terminum Substantialem amoris Divini, quà involventis Naturam Divinam. Ergo Spiritum Sanctum ex ratione formali suæ propriæ Hypostaseos procedere quà similitudinem subsistentem, non in amore duntaxat, sed etiam in Intellectione, adeòque Naturâ Dei.

23. Contra. Nam amoris ex formali intelligibiliter expressivo Motivo specificatio eatenus se habet, ut ista intelligibilis repræsentatio se habeat tanquàm ratio applicans objectum, quod per rationem sui intelligibiliter repræsentatam est formaliter specificativum amoris. Unde amor Divinus non specificatur formaliter ex Intellectione Divinæ Essentiæ repræsentativâ, sed per solum Esse Dei subsistens. Atqui Hypostasis Spiritûs Sancti est formaliter terminus substantialis Amoris quà Divini. Ergò formaliter dicit similitudinem subsistentem in amore quà actuato per Essentiam Dei: cùm ècontra Hypostasis Verbi formaliter importet similitudinem subsistentem in Intellectione per Esse Dei subsistens actuatâ. Cùm proinde Naturæ Divinæ ratio formalis non in amore, sed Intellectione per Esse Dei subsistens actuatâ consistat, consequens est, Processionem Verbi, non autem Spiritûs Sancti ex proprietate suâ Personali importare Formaliter similitudinem in Naturâ Divinâ subsistentem, esseque adeò Generationem.

Replicabis. Spiritum Sanctum procedere formaliter ut Personam Divinam. Ergo ipsius Hypostasin ex ratione suâ propriâ esse substantialem terminum Divinitatis, adeòque Naturæ Divinæ. 24.

Conta. Nam ratio Personæ Divinæ formaliter importat Hypostasin in Essentiâ Dei subsistentem. At Hypostasis in Dei Essentiâ subsistens alia est per modum activæ Originis substantialiter terminantis Intellectionem per Esse Dei subsistens formaliter actuatam, alia verò est per modum Originis passivæ substantialiter terminantis eandem Intellectionem, adeòque Naturam Divinam; alia denique est per modum passivæ Originis substantialiter terminantis amorem ex Essentiâ Dei formaliter intrinsecè specificatum. Hæc autem Origo passiva est Processio Spiritûs Sancti. Unde ista importat formaliter Hypostasin, quæ sit Persona Divina subsistens in amore quà per Essentiam, non verò per Naturam Dei actuato. Unde quando dicitur *Spiritus Sanctus procedere Formaliter ut Persona Divina*; triplex potest formari sensus; 1. Quòd Hypostasis Spiritûs Sancti Formaliter inclusa in ejus passivâ processione per propriam sui à Generatione distinctivam rationem sit substantialis terminus Naturæ Divinæ, quod falsum est. 2. Quòd illa Hypostasis per propriam suam rationem sit Substantialis terminus Essentiæ Dei quà importatæ formaliter in amore Divino: quod verum est. 3. Quòd eadem Spiritûs Sancti Hypostasis per propriam suam rationem sit terminus substantialis amoris Divini realiter formaliter identificati cum Intellectione, adeòque Naturâ Divinâ. Hoc autem eatenus verificatur, ut consequenter non ex vi Processionis *Formaliter*, id est, per propriam Hypostasis in spiratione passivâ inclusâ rationem, sed Materialiter & identicè, id est propter realem formalem Naturæ & Amoris Divini identitatem Spiritus Sanctus procedat in Naturâ Divinâ Essentialiter similis seu Consubstantialis Patri & Filio. 25. 26.

Instabis. Ex hoc quidem evinci, rationem, cur Passivæ Verbi, non autem Spiritûs Sancti Processioni conveniat esse Generationem, ritè desumi ex eo, quòd Verbi Divini Hypostasi ex propriâ per passivam ejusdem Processionem importatâ ratione conveniat Con-

at Consubstantialitas seu Formalitas similitudinis in Naturâ Divinâ subsistens: cùm econtra Spiritûs Sancti Hypostasi non ex propriâ per passivam ejusdem Processionem importatâ ratione, sed per amoris Divini cum intellectione identitatem realem conveniat Consubstantialitatis, seu similitudinis in Naturâ Divinâ subsistentis Formalitas. Nihilominùs activas Processiones Divinas nullam habere inter se distinctionem realem, nec adeò rationem, cur una sit Generatio, altera verò spiratio, posse desumi ex Hypostasum Divinarum distinctivis Formalitatibus.

27. Contra. Nam alia rerum seu Formalitatum distinctiva specificatio est in primo modo per se, per actualitatem seu Formalitatem intrinsecè constitutivam: alia verò est in quarto modo per se, per rei specificatæ respectum ad terminum Extrinsece specificativum. At in Patre est respectus tum ad Hypostasin Verbi substantialiter terminantem Intellectionis & Naturæ Divinæ; tum ad Hypostasin Spiritûs Sancti substantialiter terminantem Amoris per Dei Essentiam Formaliter actuati. Hic verò duplex Patris respectus in quarto modo per se ita specificatur ab Hypostasi Verbi ac Spiritûs Sancti, ut in ordine ad istum habeat rationem spirationis, in ordine verò ad illud dicat Ordinem Generationis. At verò licèt iste ad Verbi & Spiritûs Sancti Hypostases in Patre respectus à parte rei Formaliter sit idem, virtualiter tamen est diversus ob ipsorum etiam terminorum, à quibus specificatur, distinctionem realem. Sicut ergò Passivæ Processiones in Deo habent rationes formales Generationis & Spirationis realiter distinctas per sui intrinsecam Formalem specificationem, quam in primo modo per se habent ex Verbi ac Spiritûs Sancti Hypostasum rationibus proprijs: sic activæ processiones in Deo habent formalitates à parte rei virtualiter, & per rationem ratiocinatam actualiter diversas per specificationem, quam in quarto modo per se habent ex earundem Hypostasum proprijs rationibus.

Responsio ad Argumenta in initio opposita.

28. AD Petri Aliacensis rationem Respondetur. Eam sic deduci ac explicari posse. Virtus Generativa vel Formaliter vel radicaliter est ipsa Natura: omnis enim productio univoca, cujusmodi est generatio perfecta, intendit similitudinem Principiati cum Formâ sui Principij: Generationis autem proprium est, tendere in similitudinem Naturæ. Atqui Virtus Generativa tunc est formaliter Natura Principij Generantis, quando istud est actus purus. Tunc autem ista Virtus quà Subsistens in primo supposito per formalitatem à se indistinctam est actu generativa: ut adeò de ratione Virtutis Generativæ quà actûs puri sit habere Genitum, non nisi ab uno, eoque Primo Supposito procedens. Unde à contrario, si Virtus Generativa non se habeat per modum actûs puri, est solùm *radicaliter* Natura. At eo ipso, quòd talis virtus Generativa non sit actus purus, admittit Potentialitatem in ratione Principij generantis. Hæc autem Potentialitas fundare potest distinctionem Principij activi, & Passivi in duobus suppositis eatenus subsistentis, ut alterum habens virtutem Principij Activi sit Pater, alterum habens rationem Principij Passivi sit Mater. Nisi ergo Virtus Generativa in Divinis esset actus purus, fundare posset duplex Generativum Principium, quorum unum esset Mater, alterum verò Pater. At rationi actûs puri repugnat, Virtutem Dei Generativam admittere Passivum Matris proprium influxum. Ergo Spiritum Sanctum non procedere per Generationem demonstratur ex eo, quòd procedat à duobus suppositis; siquidem Generativa à duobus suppositis emanatio excludat à Principio generante rationem actûs puri, atque adeò admittat Potentialitatem, per quam est in Generatione Materni seu Passivi, & Paterni sive activi influxûs divisio.

Ad Durandi sententiam Respondetur. In illis verbis, quibus dicitur: *In Processione per Voluntatem conjungi Voluntariè duo Supposita ad unum producendum*, involvi æquivocationem. Nam Patris & Filij ad producendum Spiritum Sanctum conjunctio dici potest Voluntaria, vel in comparatione Patris ad Filium, cui communicat Virtutem spirativam, vel in comparatione utriusque ad Spiritum Sanctum. At ista virtutis spirativæ communicatio non est Patri voluntaria Voluntate Principiante, etsi tam Patri, quàm Filio sit Voluntaria Voluntate concomitante. Quare in comparatione duntaxat ad Spiritum Sanctum potest Patris & Filij conjunctio dici voluntaria Voluntate principiante. At eo ipso, quod in hâc conjunctione involvatur Voluntas per modum Principij, sequitur Spiritûs Sancti Processionem non Principiari formaliter per Naturam, sed per Voluntatem Naturâ Divinâ Virtualiter posteriorem. Ergò non tendit ad Hypostasin, quæ per rationem suam propriam sit terminans Naturam Divinam, sed identicè duntaxat seu Materialiter. Ergò per rationem Durandi omnino demonstrari potest, processionem Spiritûs Sancti non esse generationem. 29.

Ad Scotistarum à Radâ *citato* allegatam rationem Respondetur. Eam sustineri posse, si actio libera accipiatur pro modo agendi Voluntatis proprio. Hic enim distinguitur à modo agendi Naturæ proprio, quatenus Naturalis actio est à primo nullû se priùs supponente Principio, cùm econtra modus agendi Voluntarius sit à Principio intrinseco movente se ad operandum cum cognitione finis. At eo ipso, quòd iste agendi modus supponat cognitionem Finis, habet se prius Principium. Unde ex eo, quòd Processio Spiritûs Sancti sit per modum Voluntatis, atque adeò Spiritus Sanctus liberè, sed tamen necessariò procedat, est consequens, ejus Processionem non esse per modum Naturæ primi Operativi Principij. At de ratione Generationis est, eatenus originari ex naturâ, ut formaliter sit propagativa similitudinis in Naturâ. Ergo ex eo, quòd Spiritus Sanctus liberè procedat, ritè infertur, ejus Processionem non habere rationem Generationis. 30.

Ad Scoti rationem Respondetur. Propriam eamque primam Generationis passivæ rationem importare Verbi divini Hypostasin. At de ratione propriâ hujus esse, quòd sit substantialis terminus Intellectionis, adeòque Naturæ divinæ, sitque adeò Formaliter Naturæ divinæ similitudo 31.

militudo consubstantialis. Ex hoc ipso verò Verbum Divinum procedere quà Natum & Filium, quòd procedat quà Naturæ divinæ similitudo substantialis. Econtra propriam, eamque primam Spirationis passivæ rationem importare Spiritûs Sancti Hypostasin. At de hujus ratione propriâ esse, quòd sit terminus substantialis amoris, nec adeò formaliter, sed identicè tantū sit substantialiter terminans Naturam divinam. Ex hoc ipso vero Spiritum Sanctum procedere quà Datum, quòd per amorem procedat quà subsistens in divinæ Essentiæ amore substantiali. Ergo ex proprijs Divinarum Processionum rationibus formalibus esse, quòd Spiritus Sanctus procedat quà datus, Filius verò quà Natus: nec posse, cur una, non verò altera in Divinis processio sit generatio, aliam à priori rationem afferri, quàm ex proprijs Processionum Divinarum rationibus formaliter ut sic importantibus Verbi ac Spiritûs Sancti distinctivas Hypostases.

32. Ad D. Bonaventuræ rationē ℟. Specialem vim in eo esse ponendam, quòd Hypostasis, ad quam terminatur Processio condistincta à generatione, dicatur esse amor. Hoc enim eatenus verificatur, quatenus illa Hypostasis per rationem suam propriam quà condistinctam à Verbi Hypostasi per realem formalem identitatem sit terminans amorem, sitque adeò realiter formaliter amor, cùm tamen ipsi non conveniat, esse Naturam divinam ex proprietatis suæ formali ratione, sed propter amoris Divini realem cum Naturâ Dei identitatem. At eo ipso, quòd illa Hypostasis non ex suæ personalis proprietatis ratione sit Naturam divinam, substantialiter terminans, sequitur, quòd Processio Spiritûs Sancti formalissimè includens illam Hypostasin, non ex ratione suâ formali, sed identicè tantùm & Materialiter sit in similitudinem Naturæ, nec adeò habeat rationem Generationis.

33. Ad Vasquezij rationem Respondetur. Rationem imaginis consistere in similitudine repræsentativâ. At istam Essentiæ Divinæ in Verbo increato repræsentationem ex purissimâ sui actualitate esse ipsammet Essentiæ divinæ non in Esse duntaxat Intelligibili, sed in Esse etiam Entitativo formalem expressionem. Hanc verò in Esse Dei purissimo subsistente expressionem eatenus esse Naturam Divinam, ut per subsistentiam Verbi constituatur in ratione similitudinis formaliter subsistentis in Naturâ Divinâ. Unde ex hoc, quòd Verbum Divinum ex propriæ Hypostaseos ratione procedat ut imago Consubstantialis, seu quà subsistens in Naturâ divinâ: Spiritus autem Sanctus ex Hypostasis suæ Personali proprietate procedat quà subsistens in amore divino, rectè inferri, hujus, non verò illius processionem habere rationem Generationis.

34. Ad Richardi à Sancto Victore rationem Respondetur. Naturam Divinam consistere in primâ intra lineam operativam formalitate. At primam in totius Entis lineâ operativâ Formalitatem esse Intellectionem ex ipso Dei Esse subsistente Formaliter identicè specificatam, atque adeò sub purissimæ actualitatis ratione subsistentem. Hanc verò sub purissimâ Dei Essentiâ subsistentem Intellectionem eatenus esse Virtualem amoris per Esse Dei subsistens actuati radicem, ut hic ipse per divinam Essentiam actuatus Amor habeat rationem Virtutis Spirativæ. Unde consequens etiam esse, quòd per Naturæ divinæ communicationem Consubstantialem communicetur Virtus quoque spirativa. Si proinde alicui Personæ Divinæ non sit Virtus ad intra productiva, signum esse, ex propriâ suæ Hypostasis ratione non habere sibi communicatam Naturam Divinam. Ergo ex eo, quòd Verbum Divinum, non autem Spiritus Sanctus habeat Virtutem ad intra productricem, *à posteriori* bene inferri, illud, non verò istum ex propriæ Hypostasis ratione procedere quà similitudinem in Naturâ Divinâ subsistentem, atque adeò Verbi divini, non autem Spiritûs Sancti Processionem esse Generationem.

Ad Ysamberti & Suarezij rationem Respondetur. Eam nobis non improbari. Nam Dei Natura est primus gradus vitæ. At vitæ gradus simpliciter & abstractè primus est Intellectio per Dei subsistens Esse formaliter identicè specificata. Hanc igitur ex Esse divini actualitate purissimâ actuatam vitam dedit Pater Verbo divino, quatenus ipsi dedit, ut esset Verbum, producendo nimirum Hypostasin; quæ ex ratione suâ propriâ Formaliter identicè esset terminans Intellectionem, adeòque Naturam Divinam. Atqui productio Hypostasis per suam Formalem rationem subsistentis in Naturâ divinâ, eo ipso habet rationem Generationis, quòd formaliter ex ratione suâ propriâ sit in Naturæ Divinæ subsistentem similitudinem. Ergo ex eo, quòd Verbi Divini, non autem Spiritûs Sancti per Intellectionem originata Processio ex propriâ Hypostatici per hanc processionem producti termini sit in Communicationem Intellectionis, adeòque Naturæ Divinæ, rectè infertur: Spiritûs Sancti Processionem, quæ ex amore originante tendit in Hypostasin Amoris divini substantialiter terminantem, non habere rationem Generationis. 35.

Ad Doctoris Angelici rationem, ejusque per Ioannem à S. Thomâ deductas explicationes ℟. Eas optimè subsistere, ac breviter reduci posse in hunc Syllogismū: Illa processio in Divinis habet rationem Generationis passivæ, per quam formaliter est producta Hypostasis, quæ ex ratione suâ propriâ in primo modo per se est Divinæ Naturæ similitudo: activa verò Processio in quarto modo per se specificata ex tali subsistente similitudine habet rationē generationis activæ, ut pote formaliter importans respectū tendentiæ ad Hypostasin cui ex ratione Personalis suæ proprietatis convenit esse Naturæ Divinæ subsistentem similitudinem. Atqui Processio importans Hypostasin, ex ratione proprietatis suæ Personalis terminantem Intellectionis per Esse Dei subsistens actuatæ, vel formaliter in primo modo per se, vel Terminativè in quarto modo per se, secundùm suam specificationem est in subsistentem Divinæ Naturæ similitudinem. Ergo quia Processio Verbi, non autem Spiritûs Sancti importat Hypostasin ex proprietatis suæ personalis ratione terminantem Divinæ per se actuatæ Intellectionis, sequitur, illam, non verò istam esse generationem. 36.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA TERTIA *DE* RELATIONIBUS, ET NOTIONIBVS DIVINIS.

1. ALia Dei Nomina significare substantiam, alia relationes, apertè indicavit S. Augustinus *15. de Trinitate. 3.* asserens. *Quòd de Deo dicitur non secundum substantiam, relativè dici.* Quas porro relationes distinctivas esse Divinarum Personarum, Boetius *lib. de Trinit.* pronuntiavit *Substantiam*, inquiens, *præbere unitatem, relationem verò multiplicare Trinitatem.* Unde Concilium Toletanum *in confessione 2.* profitetur in hæc verba: *In relativis verò Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur, quæ cùm relativè tres Personæ dicantur, una tamen Natura per Substantiam creditur.*

2. Ex quo patet, relationes in Divinis verè ac propriè esse notiones. Hæc enim teste Divo Basilio *epist. 43.* est cognoscibile signum, id est, proprium & discretivum Signum, quo unam Personam ab aliâ discernimus. At sicut in Divinis, secundùm commune ex Concilio Florentino depromptum axioma, nulla est distinctio, nisi ubi est relativa oppositio, sic non nisi per relationes tanquàm Personarum proprias, earundemque notas & characteres intellectus per fidei veritatem discernit unam Personam ab aliâ. De his proinde tum relationiubs, tum Notionibus Divinis per duos sequentes articulos disseremus.



ARTICULUS I.

De Relationibus Divinis.

3. MArtinus Perez *de Deo uti Trino. disp. 5. sect. 2. n. 2.* inducit Cajetanum *præs. q. 28. a. 1.* docentem, quòd relationes Divinæ solùm quoad *Esse in*, non verò quoad *Esse ad* sint reales. Verùm legenti patebit, Cajetanũ citatum docuisse duntaxat, relationem in communi abstrahere a relatione reali, & rationis, atque adeò *Esse ad* ex ratione communi relationis non involvere realitatem, licèt aliter sentiendum sit de relationibus Paternitatis & Filiationis, quæ ex proprijs suis rationibus important respectum ad aliquid reale. Hinc à fortiori de relationibus Divinis videtur concludendum, quòd ex formali *Esse ad* ratione sint reales. Ratio est, quia nihil est intelligibile sine ratione Essendi. Atqui ratio Essendi omnis formalitatis Divinæ est unica secundùm purissimam ex potentialitate creatarum quidditatum propriæ elevationem, estque ipsum Esse subsistens. Unde nulla formalitas supra creaturæ rationem elevata intelligitur, nisi sub ratione Esse subsistentis. Hoc autem ut sic formaliter importat realitatem actûs puri. Ergo relationum Divinarum *Esse ad* sub divinæ seu supra creatam quidditatem elevatæ formalitatis ratione non est intelligibile, nisi quà reale subsistens.

Quo tanquàm faciliori supposito, sequentes restant decidendæ Controversiæ. 1. *Qualiter Essentia & Relationes in Deo se invicem includant? 2. Quot & qualiter inter se distinctæ sint Divinæ relationes? 3. An relationes Divinæ addant aliquid perfectionis ad Essentiam? 4. An divinæ relationes importent diversas relativas Existentias, æternitates, aliasve similes formalitates?* 4.

CONTROVERSIA I.

Qualiter Essentia & Relationes in DEO se invicem includant?

SUpponendum 1. ex dictis *q. 3. a. 1. & 2.* nullam neque realem, neque Formalem ex naturâ rei esse in Deo Essentiæ & Naturæ distinctionem à relationibus Personalibus. Supponendum 2. ex *eàdem q. 3. a. 3.* Essentiæ & Naturæ Divinæ esse à parte rei virtualem, & ratione ratiocinatâ Formalem seu actualem distinctionem à Personalitatibus relativis. Hinc 3. videtur concludendum, relationes Dei Personales ex naturâ rei formaliter esse de Essentiâ Deitatis, licèt virtualiter à parte rei, & per rationem ratiocinatam Formaliter sint extra Naturam & Essentiam Divinam. In quò tamen, quantum sit difficultatis, sententiarum, quas mox referemus, diversitas ostendit. 5.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

VAsquez *1. p. disp. 101. cap. 2. & 4.* Alarcon *tract. 5. de Trinit. disp. 2. cap. 11. & 13.* Ysambertus *ad præs. q. 28. disp. 5. a. 1. & 4.* Molina *eâd. q. 28. a. 2. disp. 6.* Franciscus de Lugo *lib. de Deo Trino. disp. 8. cap. 2. n. 3. & 9.* Perez *de Deo Trino. disp. 6. sect. 5. & 6.* docent, relationes esse de conceptu quiddi- 6.

tativo Essentiæ Divinæ: nec econtra Essentiam seu Naturam Divinam includi Essentialiter in relationibus. Fundamentum prioris partis est: Nam sine eo, quod est de Essentiâ, nequit aliquid esse vel concipi: Atqui Sanctus Thomas *1. p. q. 33. a. 3. ad 1.* docet, propria in divinis non esse de conceptu communium. In quem sensum Sanctus Doctor *1. p. q. 33. a. 3.* ait: *Intellectum nostrum posse intelligere bonitatem & Sapientiam Divinam, aliaque Essentialia attributa, non intellectâ Paternitate, & Filiatione, quæ dicuntur Personalitates.* Ergo relationes Personales non sunt de Essentiâ Deitatis, eodem Angelico Doctore *q. 78. de Potent. a. 2.* attestante, istam propositionem, *Essentia est Paternitas,* non esse per se.

7. Ad hanc sententiam reducendus etiam est Ioannes à Sancto Thomâ *in præs. q. 28. disp. 13. a. 2. n. 6.* docens: si Divinitas seu Divina Essentia sumatur in vi conceptûs Naturæ, secundum quod *ly natura* dicit conceptum specificum & proprium condistinctum à proprietatibus, operationibus, & Personalitatibus, sic neque attributa, neque relationes esse de conceptu formali Naturæ Divinæ: neque è converso conceptum Naturæ esse de formali conceptu relationum, & attributorum. Fundamentum ab eodem authore *n. 12.* deductum est. Quia unum esse de Formali conceptu alterius, nihil aliud est, quàm ingredi & pertinere ad illud, quod Formale est in proprio & specifico conceptu talis rei. At conceptus Naturæ, attributorum & Personæ in Divinis ita se habent, quòd Natura consideretur sub conceptu Naturæ, ut Fundamentum & radix attributorum, & operationum, & ut præsuppositum ad Personam: intelligitur enim ut aliquid terminabile per Personalitatem. Ergo Personalitas non est de formali conceptu Naturæ, & èconverso.

8. Cajetanus *præs. q. 27. a. 2. circa 3.* Bannes *q. 28. a. 3. dub. 3. circa 6. argum.* Navarrete *tom. 3. cont. 18.* tenent; tam Essentiam esse de conceptu relationum, quàm relationes de conceptu Essentiæ. Prior pars, quam præter alios tenet etiam Suarez *lib. 4. de Trinit. cap. 7.* probatur. Quia Ens Increatum & à se est formaliter Deus. At relatio Divina est Ens à se, cùm non sit ens creatum & ab alio. Ergo formaliter includit Deitatem.

9. Huc reduci potest Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 2. n. 6.* docens, 1. Si Essentia Divina sumatur in vi conceptûs Entis Increati ut sic, seu actûs puri, qui est conceptus transcendentalis ad omne id, quod in Deo est, & Esse increatum habet, sic non solùm divinam Essentiam esse de conceptu Essentiali Personarum, & Relationum, atque attributorum, sed etiam attributa & relationes esse de Essentiali ratione & connexione cum ipsâ Essentiâ Divinâ. 2. Essentiam tamen esse de conceptu relationum tanquàm intrinsecum constitutivum, seu tanquàm Entitatem, relationes autem esse de conceptu seu de Essentiali ratione Essentiæ Divinæ non ut constitutivum, sed tanquàm modos seu terminos ipsius Divinæ Essentiæ. 3. Nec quamlibet tamen relationem esse adæquatè intrinsecam, & Essentialem Divinæ Essentiæ, sed inadæquatè, secundùm autem collectionem adæquatè. Fundamentum à præcitato Authore *n. 15.* deductum est. Quidquid enim Deo convenit, in se formaliter increatũ, & Divinũ & actus purus est. Omne autem Esse Divinum est Essentiale Essentiæ Divinæ. Ergo quia relationes Deo formaliter inexistentes Essentialiter sunt Entia Divina, Essentialiter conveniunt Divinitati.

Ioannes Baptista Gonet *disp. 3. de relat. Divin. §. 2. & 4.* tenet; Divinam Essentiam non solùm sub ratione Entis Increati, sed etiam sub ratione Naturæ consideratam esse de Essentiâ Divinarum relationum: & èccontra relationes esse de conceptu Essentiali Divinitatis. Probatur ex Sancto Tho. *1. p. q. 39. a. 6. ad 2.* docente: hanc propositionem: *Deus est Pater,* non minùs esse per se, quàm istam: *Pater, est Deus.* At ista posterior est per se in primo modo, quia prædicatum est de Essentiâ subjecti: sicut enim persona humana Essentialiter includit naturam humanam, cujus est individua substantia, ita & Persona Divina naturam Divinam Essentialiter debet includere. Ergò etiam illa prior; *Deus est Pater,* est per se in primo modo, ita ut Pater Essentialiter prædicetur de Deo. Atqui secundùm Divum Thomam *q. 8. de potent. a. 2.* nihil dicit concretum in Divinis, quod non importetur etiam in abstracto. Sicut ergo Pater; sic Paternitas Essentialiter includitur in conceptu Dei, imò & Deitatis. 10.

Arrubal *præs. disp. 101. cap. 3.* Granadus *tract. 3. disp. 4. sect. 3.* Martinon *de Trinit. disp. 25. sect. 4. & 5.* tenent, Essentiam Divinam saltem implicitè includi in relationibus seu Proprietatibus Divinarum Personarum, non tamen has ècontra includi formaliter in Essentiâ. Prioris partis, quam Divus quoque Bonaventura in 1. *dist. 34. a. 1. q. 2.* insinuat, probationem Martinon *cit. sect. 4. n. 40.* sic ferè deducit. Ex Sacris Concilijs habemus, quamlibet Personam Divinam esse plenè ac perfectè Deum, & totam Essentiam communicari Personis productis. At quælibet Divinarum Personarum non est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Unde non esset plenè & perfectè Deus, si relationes includerentur Formaliter in Essentiâ Divinâ. Hoc autem repugnat Concilio Nicæno, quod Nazianzeno teste *orat. 50.* profitetur Filium Dei Deum de Deo, plenum à pleno, perfectum à perfecto, totum à toto. Deinde sequeretur; totam Essentiam non communicari cuilibet Personæ productæ, siquidem cui non communicaretur proprietas & relatio Personæ producentis; quæ tamen supponitur esse De Essentiâ Deitatis. At illa sequela repugnat Concilio Lateranensi *Can. Damnamus. De sum Trinit.* decidenti, *Patrem dedisse Filio suam totam substantiam.* 11.

Posterioris partis, quam tradit etiam Ferrariensis *2. cont. Gent. cap. 9.* probatio à Martinon *cit. sect. 5. n. 52.* deducta ita se habet. Relationes Paternitatis, Filiationis, & spirationis passivæ sunt subsistentiæ propriæ & connaturales Divinarum Personarum. Atqui subsistentia propria & connaturalis includit in suo conceptu naturam subsistentem; cùm sit intrinsecè natura ipsa ut ultimò completa, seu terminata secundùm existentiam, & vi propriâ stans formaliter. 12.

(IHS.)

Conclusio. I.

Essentia Divina in conceptu omnium Divinarum relationum: natura autem divina in relationibus Paternitatis & Filiationis; amor verò divinus in relationibus Spiratoris, & Spirati Formaliter includitur.

13. Prima pars Probatur. Nulla enim quantumvis abstractè sumpta formalitas est intelligibilis sine ratione Essendi. At Essentialitatis conceptui, in quo nōn involvitur aliqua Potentialitatis ratio, respondet formaliter pura Essendi actualitas. Hæc autem pura Essendi actualitas, seu Esse subsistentis omnimoda immaterialitas, licèt respectu omnis Formalitatis Divinæ sit Transcendens, est tamen virtualiter radix omnis veritatis de Deo demonstrabilis, summæ nimirum simplicitatis, infinitatis, Bonitatis, ac perfectionis, immutabilitatis, æternitatis, infinitæ, virtutis tum cognoscitivæ, ac volitivæ, tum ad extra causativæ, veluti videre est ex Sancto Thomâ *in 1. p. à quæst. 2. usque ad quæst. 28.* Ex quo proinde fundamento *supra q. 2. a. 2. conc. 3.* asseruimus, Essentiam Divinam proprijssimè sumptam consistere Formaliter in Esse subsistente. Ergo quia hoc Esse subsistens involvitur in conceptu omnis Formalitatis à Potentialitatis ratione depuratæ, consequens est, relationes Divinas, eo ipso, quòd earum conceptus supra rationem creati elevatus sit, Formaliter involvere Essentiam Divinam. Doctore Angelico *præs. q. 28. a. 2.* expresse attestante: quòd *relatio realiter existens in Deo habeat Esse Essentia Divinæ idem omnino existens.*

14. Secunda pars probatur. Nam Paternitatis & Filiationis relationes, quam in creatis Formalitatem important Fundamentaliter, hanc in Divinis per rationem actûs puri in earundem formali conceptu inclusam dicunt Formaliter. Atqui Paternitatis & Filiationis relationes per Essentiam suam in creatis important Fundamentaliter Naturam, in Patre quidem quà sui communicativam, & in Filio qua formaliter ex vi generationis communicatam. Ergo Paternitatis & Filiationis relationes in Divinis (idem est in relationibus spiratoris ac spirati respectu amoris Divini) in suo conceptu objectivo important formaliter Naturam Divinam, qua actualissimam sui activam in Patre communicationem; & quà sui passivam in Filio communicationem.

15. Dices ex Ioanne Baptistâ Gonet *cit. disp. 3. §. 2.* Totam rationem, cur Essentia Divina dicatur Formaliter includi in conceptu relationum Personalium, esse: quòd alioquin Essentia Divina se haberet ad relationes Divinas tanquàm actualitas earum determinativa. At eo ipso, quòd Divna Natura non clauderetur in conceptu Paternitatis, sequi, quòd hæc sit in Potentiâ ad illam, tanquàm ab illâ determinabilis & actuabilis. Ex hoc autem sequi, quòd ex Paternitate & Naturâ tanquàm Potentiâ & actu resultaret in Deo Compositio rationis. At istam rationis compositionem non minùs pugnare cum simplicitate Dei, quàm compositionem ex genere & differentiâ. Oportere igitur non minus Naturam, quàm Essentiam Divinam Formaliter includi in conceptu Divinarum Personalium relationum.

Contra. Nam si Esse subsistens tanquàm Divina Essendi ratio non includeretur *Formaliter* in conceptu Divinarum relationum; tunc istæ secundùm proprium suum objectivum conceptum essent intelligibiles sub ratione Essentialitatis non subsistentis, atque adeò Determinabilis, & Actuabilis. At iste conceptus objectivus pugnat cum ratione puræ actualitatis & simplicitatis Divinæ. Econtra quia tam Natura, quàm relationes Divinæ in suo Formali objectivo conceptu important Esse subsistens; nulla intelligi potest quà per alteram actuabilis seu determinabilis. Unde licèt Amor Divinus *Formaliter* inclusus in relatione spirati non includat *Formaliter* Naturam Divinam, quam tamen in formali suo conceptu objectivo importat Spiritus Sanctus, si concipiatur qua Deus subsistens in Essentia, & Natura Divinâ. Nihilominùs in hoc ipso Spiritûs Sancti conceptu objectivo non importatur relatio spirati tanquàm actuabilis per Naturam Divinam; sed ambarum, imò omnium Divinarum Formalitatum, sive seorsim, sive simul sumptarum non est nisi unicus simplicissimus purissimæ actualitatis objectivus conceptus. Probatur istud Assumptum. Nulla enim formalitas Divina quantumvis abstractè sumpta est intelligibilis nisi sub ratione Esse purissimè subsistentis. Hæc autem Esse subsistentis ratio eatenus excludit omnimodam Potentialitatem, ut formaliter dicat purissimam Essendi actualitatem. At per hanc purissimam Essendi actualitatem est, quòd intelligenti aliquid Divinum ex parte conceptûs sui objectivi semper respondeat una simplicissima actualitas, sive concipiatur Essentia præcisè, sive hæc unà cum Naturâ, sive ista cum Attributis & relationibus Personalibus concipiatur. Consequens proinde est, eo ipso, quòd Essentia Divina includatur in omnis etiam relativæ formalitatis Divinæ conceptu, inferri, relationem Spiratoris etsi objectivè præscindibilem à Naturâ Divinâ, non posse intelligi quà determinabilem seu actuabilem ab istâ. 16. 17.

18. Instabis. Eo ipso, quòd Essentia Divina involvatur in omnis Divinæ etiam relativæ formalitatis conceptu, sequi, quòd etiam Natura & Attributa Dei sint de formali conceptu Divinarum relationum. Probatur ista sequela ex Sancto Thomâ *in 1. ad Anibaldum dist. 33. q. un. a. 1. ad 4.* Hinc enim Sanctus Doctor, cùm in objectione sibi factâ posuisset istam propositionem: *De quocumque prædicatur Essentia, prædicantur Essentialia attributa*; in responsione eatenus concessit hanc enuntiationem; ut asserat: *Attributa DEI Essentialia prædicari Essentialiter & de Essentiâ, & de proprietate Personali in abstracto acceptis.* At quod prædicatur Essentialiter, est de formali conceptu subjecti. Ergo attributa, atque adeò Amor in Divinis sunt de formali conceptu Paternitatis & Filiationis. Ergo à fortiori Naturam Divinam oportet esse de formali conceptu relationum Spiratoris & Spirati.

19. Contra. Nam in formalitatibus virtualiter à parte rei & per præcisionem objectivam actualiter distinctis alius ex parte objecti respondet conceptus Formalis ac Essentialis, si extra prædicatio-

dicationem considerentur *in statu præcisionis*, quàm si per prædicationem intelligantur *in statu contractionis*. Nam prædicatio eatenus involvit contractionis statum, ut subjectum dicatur supponere secundùm Naturam prædicati: ac Prædicatum Universale, amisso Præcisionis & Universalitatis statu, contrahatur eo ipso ad differentiam inferioris. Pari ergo ratione discurrendum est de attributis & relationibus Divinis tum inter se, tum ad Essentiam Dei comparatis. Explicatur & Probatur ista consequen-

20. tia. Essentia enim Divina omni formalitati extra creatæ entitatis limites extractæ in tantùm immersa est, ut nulla Divinarum sive absolutarum, sive relativarum Formalitatum, quantumvis abstractè sumantur, tam intra, quàm extra prædicationem, sit objectivè præscindibilis à Dei Formali Essendi ratione. E-contra non Essentia duntaxat Divina est objectivè abstractibilis à Naturâ, attributis, & Personalitatibus relativis, sed attributa Dei tum à se invicem, tum à relationibus Personalibus extra prædicationem *objectivè* præscindi possunt. At verò si Paternitas v. g. de Bonitate vel amore, aliàve secundùm naturam rei *Formaliter* secum identificatâ, sed *Virtualiter* distinctâ formalitate prædicetur, tunc per prædicationem ejusmodi in tantum dissolvitur objectiva præcisio, ut eo ipso formalitas amoris Divini involvatur in Essentiali & secundùm Contractionis, & Prædicationis statum Formali conceptu Paternitatis.

21. Probatur istud Assumptum. Nam copula *Est* in prædicatione significat Unitatem seu identitatem prædicati & subjecti. Hæc autem per copulam expressa identitas est secundùm rationem tam subjecti, quàm prædicati. Atqui tam Personalis, quàm cujuslibet attributalis Formalitatis Divinæ ratio & conceptus Formalis ex parte objecti involvit purissimam Essendi actualitatē. Unde in prædicationibus Divinis subjectum & prædicatum sive abstractè sive concretè sumpta supponunt pro unâ simplicissimâ actualitate. At eo ipso, quòd in hâc v. g. Prædicatione; *Paternitas in Divinis est Amor & Sapientia*: Prædicatum & Subjectum nihil importent formalitatis, nisi sub unicâ simplicissimâ Essentialitatis actualitate, non potest formalis ratio Prædicati esse extra Formalem subjecti conceptum. Constat igitur, in Divinarum ex Naturâ rei Formaliter identificatarum, sed secundùm rationem objectivè præcisivam & Virtualiter distinctarum Formalitatum Prædicatione intelligi, quamlibet esse de Essentiali seu Formali conceptu alterius: adeòque verificari assertum Angelici Doctoris, *ubi supra* affirmantis: Attributa Dei Essentialia prædicari Essentialiter & de Essentiâ, & proprietate Personali in abstracto acceptis. Quare extra Prædicationem in statu duntaxat Præcisionis objectivæ verificatur, tum quòd Natura Divina non sit de formali conceptu relationum Spiratoris & Spirati, tum quòd Amor Divinus non sit de formali conceptu relationum Paternitatis & Filiationis.

Conclusio II.

Relationes DEI Personales non in Prædicatione duntaxat, sed etiam extra Prædicationem sunt quodammodò de Essentiæ & Naturæ Divinæ conceptu Formali, dum nimirū non præcisè sub Essentiæ vel Naturæ Divinæ nomine & conceptu; sed sub Hypostasis & relationis Personalis Paternitatis, Filiationis & Spirationis Formalem Essentiæ rationem Transcendentaliter importantibus nominibus & conceptibus exprimuntur.

Explicatur & Probatur. Nam si quid Formalitatis Divinæ absolutæ prædicatur de Personalitatibus relativis, vel econtra, oportet, per Copulam *est* talem importari identitatem, qualis inest purissimæ Essendi actualitati: hanc enim tanquàm Essentiam Dei propriam oportet involvi in omnis Divinæ formalitatis conceptu Formali. At Identitas Purissimæ Essendi actualitati conveniens intelligi nequit inter subjectum & Prædicatum, quin ista se invicem involvant in conceptu suo Formali. Ergo in Divinarum tum relativarum, tum absolutarum Formalitatum de se invicem prædicatione, dicendo v. g. *Paternitas est Sapientia*, *Filiatio est Omnipotentia*, *Spiratio passiva est æternitas*; oportet, prædicatum & subjectum se invicem includere formaliter. 22.

Dices. Si Sapientia includatur in Formali conceptu Divinæ Paternitatis. Ergo has formalitates etiam abstractè sumptas posse de se invicem verificari in sensu etiam Formali, dicendo v. g. Sapientia quà talis est in Deo Paternitas. At consequens esse falsum. Ergo & id, ex quo sequitur. 23.

Contra. Nam reduplicatio ejusmodi afficiens subjectum, significat hujus conceptum objectivum secundùm se, prout per simplicem apprehensionem præparatur ad enuntiationem, importare Formalitatem Sapientiæ. At licèt in Divinarum Formalitatum de se invicem prædicatione talis significetur prædicati & subjecti identitas, ut horum ratione purissimæ Essendi actualitatis sit unus simplex in Enuntiatione conceptus objectivus. Nihilominùs per simplicem *Objectivè* præcisivam apprehensionem Formalitates Dei absolutæ eatenus sunt abstrahibiles à Personalitatibus relativis, ut istæ non includantur in illarum conceptu formali. Cùm igitur sensus reduplicativus afficiat Formalitates, non ut sunt in se ipsis, sed substant nostris objectivè præcisivis conceptibus, consequens est, Personalitates Dei relativas non verè enuntiari de absolutis reduplicativè acceptis: atque adeò Propositionem, *Sapientia quà talis est Paternitas*, non verificari. 24.

Replicabis. Ex prætactis sequi, quòd in Prædicationibus duntaxat Formalitates Dei absolutæ in conceptu suo objectivo includere possint Personalitates relativas. 25.

Contra. Nam per simplicem *objectivè* præcisivam apprehensionem multiplex de Essentiâ & Naturâ Divinâ formari potest conceptus objectivus. Primus significatur per *Tò Essentia*. Huic respondet ratio Essendi à se seu Formalitas Existentiæ subsistentis. At in isto conceptu non Involvitur Naturæ seu cujusvis attributalis, aut relativæ Formalitatis ratio. Secundus Significatur *per Tò Natura* consistens in intelle- 26.

ctione per purissimæ Essendi actualitatis Intelligibilitatem Formaliter Identicè specificatâ, quæ ut sic in Formali suo conceptu involvit Essentiam, non attributa, vel Hypostases Dei Personales. Tertius significatur per nominationem v.g. æternitatis, Infinitatis &c. cujusmodi attributalis Dei Formalitas non est intelligibilis nisi quà Formaliter importans actualissimam Dei Essentialitatem. Quartus significatur per nomen *Paternitatis, Filiationis, Relationis Spiratoris, ac Spirati.* At nullus istarum relativarum Formalitatum conceptus objectivus stat, nisi in suâ Intelligibilitate formaliter involvendo Essentialem Dei subsistentiam. Deinde Paternitas & Filiatio in Divinis nequeunt intelligi, nisi quatenus in suo Formali conceptu important Naturam Divinam; sicuti relationes Spiratoris & Spirati concipi non possunt, nisi Formaliter involvendo Amorem Divinum.

27. Probatur istud assumptum: Quia Paternitas & Filiatio Naturam, relatio autem Spiratoris & Spirati Amorem quà Principium & terminum Formalem important Formaliter, saltem quà Fundamentum. At nec ista ratio fundamenti, nec relationis super eam fundatæ ratio in Divinis intelligi potest nisi secundùm purissimam simplicissimæ actualitatis Essentialitatem. Est autem impossibile, quòd intellectus quà sub simplicissimâ purissimæ actualitatis Essentialitate intelligens relationem, ejusque fundamentum non formet de utroque conceptum, cui respondeat una simplex formalitas seu conceptus objectivus. At in ejusmodi conceptu involvitur Paternitas unà cum Naturâ & Essentiâ Divinâ. Ergo tunc intelligitur Paternitas quà per simplissimæ actualitatis identitatem formalem inclusa in Naturâ & Essentiâ Divinâ.

28. At hoc ipsum est, quod dicimus, relationem scilicet Paternitatis Formaliter involvi in conceptu Essentiæ & Naturæ Divinæ. Ergo verificatur, tù quòd relationes Divinæ sint de conceptu formali Essentiæ, tum quòd Relationes Paternitatis & Filiationis in conceptu objectivo Naturæ, relationes autem spiratoris & spirati in conceptu formali amoris Divini quodammodò includantur: hoc enim posterius verum est de conceptu objectivo per *Tò Relatio Spiratoris, aut Spirati* significato, in quo tam Essentia, quàm Amor divinus formaliter involvit activæ vel passivæ Spirationis relationem, illud autem prius est verum de conceptu objectivo per *Tò relatio Paternitatis, aut Filiationis* expresso: in quo tam Essentia, quàm Natura Divina formaliter includit Paternitatem vel Filiationem. In quo adeò sensu accipi potest illud Angelici Doctoris *1.p.q.27.a.2. ad 3.* dicentis: *In ipsâ perfectione Divini Esse contineri & Verbum intelligibiliter procedens, & Principium Verbi: sicut & quæcunque ad ejus perfectionem pertinent.*

Responsio ad Opposita Argumenta.

29. AD Vasquezij & Authorum *n.6.* allegatorum sententiam Respondetur. Ejus Fundamentum probare tantùm inadæquatè. Nam 1. eatenus verum est proprietates Personales in Divinis non esse de formalitatum absolutarum simplici objectivè Præcisivo conceptu, ut tamen per Judicium Perfectionis absolutæ de relationę enuntiativum importetur una simplex Prædicati & subjecti Formalitas, in cujus conceptu absoluta perfectio per purissimam Essentialitatis actualitatem formaliter involvat Personalem Proprietatem. 2. De Formalitatibus Omnipotentiæ, Æternitatis, Immensitatis, Amoris Divini verificatur quidem, ipsas non involvi formaliter in conceptu Paternitatis ac Filiationis Dei Personalis: tametsi istarū relationum fieri non possit talis objectiva præcisio, quin in conceptu suo objectivo semper involvant Formalitatem Essentiæ & Naturæ Divinæ. 3. Licèt ista Enuntiatio, *Essentia est Paternitas*, simpliciter non sit *per se*, non enim ex eo, quòd Paternitas quà Divina sub purissimâ Essendi actualitate intelligatur, statim cognoscitur, hanc Essendi actualitatem purissimam esse Formaliter Essentiam Divinam: requiritur autem ad propositionem *per se*, ut ex unicâ terminorum apprehensione sit hoc ipso nota immediata subjecti & prædicati connexio. Nihilominus *secundum quid* posse illâ Prædicationem dici *per se*, eò quòd sub tali Enuntiativo judicio stet Essentia & Paternitas, tanquàm una purissima simplex Essendi actualitas formaliter includens tam Essentiam, quàm Paternitatem Divinam. 30.

31. Ad Ioannis à Sancto Thoma *n. 7.* propositum Fundamentum Respondetur. In proprio ac specifico Divinarum Formalitatum conceptu importari tanquàm Formale, per quod una Dei formalitas distinguitur ab alterâ. At inprimis comune esse omni cujusvis Divinæ formalitatis objectivo conceptui; tū quòd importet purissimâ Essentialitatis subsistentis actualitatē, tum quod consequenter nihil Divinum etiam in abstracto sit intelligibile, nisi ratio formalitatis simplicissimæ ex parte objecti attingatur. Ex hoc autē evinci, quòd, sive Deus intelligatur sub ratione Omnipotentis, Patris, aut Sapientis, sive concipiatur Deitas quà Objectivè præcisa ab omni attributali & Personali formalitate, semper ex parte objecti respondeat una simplex purissimæ actualitatis formalitas. Quare Divinarum formalitatum conceptus proprios ac specificos seu formaliter distinctivos in eo se tenere, quòd Essentia Divina præcisè sub ratione Esse subsistentis, Natura verò Divina sub ratione Intellectionis per actualissimam Esse subsistentis Intelligibilitatem actuata, Omnipotentia sub ratione virtutis effectricis per Esse subsistens fœcundatæ, Paternitas sub ratione Formalitatis in Esse subsistente tum relativam Individuationis Incommunicabilitatem, tum actualissimam Naturæ divinæ Communicationem identicam importantis intelligatur. In quibus porro conceptibus Essentiam Divinam seu Esse subsistens eatenus *Virtualiter & ratione ratiocinatâ actualiter* esse radicem formalitatum tum Attributalium, tum Personalium, quatenus objectivus Esse subsistentis conceptus est in intellectu nostro generativus reliquorum de divinis conceptuum. Et hinc rationem Radicis non adeò propriam esse Divinæ Essentiæ, quin intellectum nostrum circa formalitates Divinas operantem connotet. Quocirca realitatem in objectivo Essentiæ Divinæ conceptu importatam esse Formaliter Esse subsistens: Hoc ipsum verò subsistens Esse induere rationem attributalem, quatenus Sapientia, Potentia, æternitas, & Immensitas sub purissimâ Esse subsistentis actualitate 32.

tate

tate concipitur: Sicut Proprietatis Personalis rationem habere, prout Relatio v. g. Paternitatis in Naturâ Divinâ, seu intellectione per Esse Divini actualissimam Intelligibilitatem actuatâ *Formaliter Identicè* subsistens sub ratione individualis incommunicabilitatis, intelligitur. Manifestum proinde esse, divinarum Formalitatum specificos Formaliter distinctivos conceptus subsistere, quamvis Essentiæ Divinæ ratio propria in omni sive Attributali, sive Personali Dei Formalitate, ratio autem Naturæ Divinæ in Personali Dei Paternitate involvatur.

33. Ad Cajetani *n. 8.* Propositam doctrinam respondetur. Eam in tantum verificari, ut objectivus Relationis Divinæ conceptus quantumvis præcisivus importet Formaliter Personalitatem ex se subsistentem. In quo adeò conceptu intelligi Personalitatem Essentiæ Divinæ Formaliter intrinsecam, atque adeò Essentialiter inexistentem. Unde Personalitatem relativam nec à parte rei, nec respectu Intellectûs nostri universaliter, sed respectu duntaxat conceptûs objectivi *Esse subsistens* præcisè, vel cum formalitate duntaxat attributali intelligentis posse dici non Essentialem Divinæ substantiæ.

34. Ad Ioannis à S. Thomâ *n. 9.* Propositam Doctrinam Respondetur. 1. Improbari à nobis, quòd universaliter dicat, relationes esse de ratione Essentiali Divinæ Essentiæ sumptæ in vi conceptûs importantis rationes Entis a se seu increati, & actûs puri. Hoc enim verificatur duntaxat respectu conceptûs objectivi, sub quo intelligitur relativa Dei Personalitas, non autem respectu objectivi conceptûs, sub quo ratio præcisa Essentialitatis subsistentis seu actûs puri, vel absoluta attributalis Formalitas concipitur.

35. 2. Nobis non probari simpliciter, quòd relationes non ut constitutivum, sed tanquàm modi divinæ Essentiæ dicantur esse de hujus Essentiali ratione. Tum quia in Formalitatum Dei Personalium & Essentialium mutuâ prædicatione, nec non in ipsius relativæ Personalitatis conceptu involvitur una purissimæ actualitatitis Divinæ Formalitas per simplicissimam Identitatem importans Relativam incommunicabilitatem, quâ *Formaliter Identicè* subsistentem in actualissimo Esse. At eo ipso, quòd isti conceptui non respondeat nisi una simplicissima Formalitas, oportet, in isto conceptu inclusum esse constitutivum Essentialitatis sub simplicissimâ actualitate subsistentis. Tum quia modus licèt Essentialem cum

36. re, cujus est modus, connexionem importet, non tamen involvitur Formaliter in conceptu Substantiæ, quam modificat. At relationes Divinæ Personales includuntur in Essentiâ divinâ quâ repræsentatâ per conceptum, quem *ly Paternitas, Filiatio, relatio Spiratoris, & Spirati important.* Ergo in conceptu ejusmodi relationes Personales non se habent ad Essentiam Divinam tanquàm modi, licèt ad eandem se habere possint tanquàm Termini non quidem *Transitivè*, sed *Intransitivè*, in ratione actualissimæ Terminationis Formaliter includentes Esse Dei subsistens, cujus illæ sunt individuales terminationes, seu Personales Incommunicabilitates. Quare personalitates Dei relativæ ad Essentiam Divinam comparatæ tunc solùm se habent tanquàm modi, quatenus ista præcisè in ratione Esse subsistentis seu formalitatis absolutæ considerata in suo conceptu objectivo non involvit relationes Personales. Hoc autem evenit in Essentiæ ceu Formalitatis absolutæ, ac Personalitatis relativæ per simplices præcisivas apprehensiones intellectarum conceptu comparativo, ac proximè dispositivo ad Judicium personalis proprietatis de Essentiâ divinâ Enuntiativum.

3. Displicere, quòd negetur, quamlibet relationum esse adæquatè intrinsecam & Essentialem Divinæ Essentiæ. Nam omni conceptui de Divinis respondet unica Essentialitatis subsistentis ratio. Hæc autem Esse Subsistentis ratio est adæquata & tota in divinis Essentialitas. Ergo in cujusvis Divinæ sive absolutæ sive relativæ Formalitatis conceptu eatenus involvitur Dei Essentia, ut unica Paternitatis relatio non minùs dicat Essentialitatis, quàm tres divinæ Hypostases, imò quàm omnes divinæ, sive Notionales, sive Essentiales Formalitates. Unde *Essentiam divinam adæquatè non dicere unicam, sed tres Personalitates relativas,* non in eo sensu verificatur, quasi Essentia divina sive secundùm se præcisè sumpta, sive quà Formaliter includens Paternitatis & Filiationis Hypostases, involvat aliquid Essentialitatis, quod non importetur *Formaliter* in conceptu Hypostasis Spiritûs Sancti, sed quòd de divinis plures sint Formabiles conceptus Objectivè præcisivi, quorum omnibus ac singulis semper unica respondeat Essentialitas, non tamen eadem adæquatè Formalitas objectiva, ut adeò abstractiva per ænigmaticum speculum Dei cognitio nec ex parte objecti, nec ex parte modi cognoscendi adæquet Essentiam Divinam quaslibet simpliciter simplices Formalitates Formaliter includentem, sed cognitioni tum intuitivæ, tum comprehensivæ proprium sit, ut hæc simpliciter ex parte etiam modi cognoscendi, illa verò ex parte tum Motivi, tum Terminativi Deo inexistentis objecti adæquet Divinæ Essentiæ cognoscibilitatem, ita ut nihil sit Formalitatis Deo intrinsecæ, quin attingatur per intuitivam divinæ Essentiæ cognitionem. 37.

38. Ad Ioannis Baptistæ Gonet *n. 10.* propositam Doctrinam Respondetur. Eam varijs indigere distinctionibus. Nam 1. verum est, quamlibet etiam relativam, tam in concreto, quàm in abstracto sumptam Dei Formalitatem, si prædicetur de Essentiâ, vel Naturâ Divinâ, vel è contra, primo modo per se involvi in Essentiali conceptu Deitatis. Cujus ratio superiùs insinuata est, quòd nihil sit de Deo prædicabile nisi sub ratione Essentialitatis subsistentis Formaliter identicè importatæ in talis prædicationis subjecto. Ex quo Fundamento etiam verificatur, concretum nihil dicere in Divinis, quod non etiam importetur in abstracto: nam *ly Pater* dicit Esse subsistens Formaliter includens Formalitatem relativæ ad Filium incommunicabilitatis Personalis. At ista relativa ad Filium Personalis incommunicabilitas eatenus importatur per *ly Paternitas*, ut in hujus tamen conceptu Formaliter importetur ratio actûs puri, atque adeò Essentialitatis subsistentis. Per hanc igitur in omni de divinis conceptu inclusam Essentialitatis purè subsistentis rationem fit, quòd nulla de divinis formari possit prædicatio, quæ non aliqualiter sit in primo modo Dicendi per se. 2. Verù quidem est, 39.

 quòd

quòd relationes Paternitatis & Filiationis in divinis non sint intelligibiles, quin Natura divina non tantùm *Fundamentaliter* seu *connotativè*, sed per rationem actûs puri *formaliter* includatur in earum conceptu objectivo. At 3. Falsum est, quòd in conceptu non enuntiativo, sed simpliciter ac præcisivè apprehensivo relationis Spiratoris & Spirati involvatur Formaliter ratio naturæ divinæ, tametsi in eo importetur Formaliter Essentialitatis divinæ subsistentis ratio. Hinc 4. Natura divina in omni circa Paternitatem & Filiationem, non autem Spiratoris ac Spirati relationem formali conceptu includitur Essentialiter, ita tamen, ut nulla Divinarum relationum Formaliter importetur in Deitatis seu Naturæ divinæ objectivè præcisivo seu apprehensivo conceptu.

40. Ad Doctrinam *n. 11.* Propositam Respondetur. Nobis omninò probari, quòd de Essentiâ & Naturâ divinâ per fidei Orthodoxæ ænigmaticum Divinorum Mysteriorum non nisi abstractivè repræsentativum speculum formari possit concept' objectivus Deitatis ac Essentiæ Divinæ, in quo nulla involvatur Divinarum Hypostasum. Juxta quem adeò conceptum totius divinæ Essentiæ, non tamen omnimodæ formalitatis ex parte objecti repræsentativum verificari, tum quòd *tota Divina Essentia & Substantia à Patre communicetur Filio, quin Hypostasis Paterna communicetur.* Tum quòd *Amor, non autem Natura Divina formaliter ex vi Spirationis communicetur.* Unde sequi, hanc Paternam Hypostasin non involvi in formali Essentiæ & Substantiæ seu Naturæ divinæ præcisivo conceptu Essentiali, tametsi sub Paternæ Hypostasis conceptu relatio Paterntatis Essentialiter involvatur in Essentiâ & Natura divinâ.

41. Ad *n. 12.* propositam Doctrinam Respondetur. Relationes Paternitatis & Filiationis ex formali cõceptûs sui objectivi ratione esse subsistentias Naturæ divinæ, relationem autem Spiratoris in suo conceptu duas Patris & Filij Hypostases formaliter includentem esse ex conceptu suo formali subsistentiam Amoris per purissimum Esse subsistens actuati. At verum esse, quòd subsistentia omnis potentialitatis exclusiva purissimam Essendi actualitatem involvens, sit intrinsecè illa ipsa substantia, cujus est Personalis terminatio. Quare relationem Spiratoris ac spirati in suo conceptu objectivo formaliter involvere Amorem sub purissimâ Essendi actualitate subsistentem, sicuti relationes Paternitatis & Filiationis Essentialiter involvunt Naturam divinam. Unde verum est, quòd Paternitas sit activæ originis relatio ex ratione suâ propriâ Essentialiter stans in Naturâ Divinâ, hanc importans Formaliter quâ ultimò completam ac terminatam secundùm existentiam. In quo adeò sensu procedit illud Sancti Thomæ *præs. q. 27. a. 2.* asserentis: quòd *relatio realiter existens in Deo habeat Esse Essentiæ Divinæ idem omninò existens.*

CONTROVERSIA II.

Quot, & qualiter inter se distincta sint Divinæ Relationes?

1. Quatuor in divinis numerantur relationes Originis, nempe Paternitatis, Filiationis, Spiratoris, & Spirati. De quibus ex fide Orthodoxâ inprimis est certum: Paternitatem ac Filiationem tam inter se, quàm cum relatione spirati distingui realiter. Nam teste Divo Anselmo *lib. de Processione Spiritûs Sancti. cap. 3.* relatio multiplicat Trinitatem. At quidquid distinguit realiter unum ab alio, debet esse realiter distinctum à reali distinctivo alterius. Cùm igitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus distinguantur, & multiplicentur realiter: hæc autem distinctio sit secundùm relationes ipsorum proprias: Concilio Toletano undecimo in confessione Fidei attestante: *In relatione cerni numerum Personarum*, consequens est: relationes Paternitatis Filiationis & Spirati realiter inter se distingui.

Verùm difficultas est *tum de relatione spiratoris: Qualiter distinguatur à Paternitate & Filiatione*; *tum de relationibus realiter oppositis, an distinguantur specie, vel solo numero?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

Durandus enim *int. dist. 18. q. 2.* videtur distinxisse Spirationem activam à Paternitate & Filiatione. Fundamentum est. Si enim Paternitas sit idem realiter cum relatione Spiratoris, verè dici poterit, Paternitatem esse relationem Spiratoris. Hinc autem erit consequens, Patrem referri ad Spiritum Sanctum Paternitate, sicut Spiratione, & ad Filium Spiratione, sicut Paternitate. Ex quo rursus sequeretur, Spiritum Sanctum terminare Paternitatem, esseque adeò Filium, & hunc terminare Spirationem, esseque adeò Spiritum Sanctum. 2.

Rada *cont. 14. a. 3. concl. 1. & 3.* docet, Hypostases divinas simpliciter & absolutè esse ejusdem rationis, & speciei eo modo, quo species concedi potest in divinis, imò nec differre propriè numero, seu differentiâ numericâ, etsi proprietates earum constitutivæ sint alterius rationis. Fundamentum est. Quia duæ differentiæ individuales constituentes individua ejusdem speciei, non faciunt individua ipsa primò diversa, cum ipsæ tamen sint inter se primò diversæ. Pari ergo ratione, quamvis Personarum Divinarum constitutiva sint alterius rationis, Personæ tamen constitutæ simpliciter sunt ejusdem rationis & speciei, propter unitatem Naturæ etiam Numericam. 3.

Nazarius *præs. q. 27. a. 4. cont. 3.* tenet, tametsi Hypostases divinæ simpliciter loquendo, propter unitatem Essentiæ sint ejusdem rationis & speciei: Proprietates tamen Personales specie differre, atque adeò Personas divinas differre specie proprietatis Personalis. Fundamentum desumi potest ab Authoritate Sancti Thomæ *q. 10. de Potent. a. 2. ad 12.* asserentis: *In aliquo individuo posse speciem dupliciter considerari, uno modo speciem Hypostasis ipsius, alio modo speciem proprietatis individualis. Dato enim, quòd Sortes sit albus, & Plato sit niger, & posito, quòd albedo, & nigredo sint proprietates individuantes Sortem, & Platonem; verè dici, quòd Sortes & Plato sint unum Specie, sub quâ specie Hypostases contineri; siquidem conveniant in humanitate, sed distinguantur secundùm speciem proprietatis, quatenus albedo & nigredo afferant speciem. Sic ergo rem se habere in Patre & Filio, considerari enim ut unum specie, cujus istæ Hypostases sint supposita convenientia in unâ Naturâ Deitatis: sed secundùm* 4.

secundùm speciem Proprietatis Personalis inveniri differentes, eò quòd Paternitas & Filiatio sint relationes secundùm speciem diversæ.

Conclusio I.

Relationes Personales in Divinis non differunt specie, sed individualiter.

5. Explicatur & Probatur. Nam Genus & differentia specifica ita comparantur ad se invicem, ut illud desumatur à materiâ seu potentialitate per formam actuabili: hæc verò desumatur à formâ seu actualitate per Existentiã, & Subsistentiam ceu completam Hæcceitatem determinabili. Unde in illo duntaxat Ente intelligibilis est differentia specifica, cujus Forma non est suum Esse subsistens. Ejusmodi verò est omne creatum, ita, ut ex hoc ipso de Angelo sit conceptibilis ratio speciei seu differentiæ specificæ, quòd sit actus per subsistentiæ à suâ Naturâ distinctam Hæcceitatem determinabilis ad Esse individui, licèt alioquin cuivis Angelicæ Naturæ non nisi unica connaturalis Hæcceitas convenire possit. At verò Relationes in divinis per suum conceptum formalem important Incommunicabilitatem personalem, à quâ Esse subsistentis ratio nequeat *objectivè* præscindi. Hæc autem tam Esse subsistentis, quàm Incommunicabilitatis Personalis ratio est formaliter individuatio, sive Hæcceitas per conceptum suum Formalem importans indivisibilitatẽ, atque adeò excludens divisibilitatem. Unde Personales relationes ac quævis in divinis formalitates per rationem Esse subsistentis non nisi *individualiter* distinguuntur à creaturis, ita ut ratio individualis Differentiæ seu Hæcceitatis *formalissimè* involvatur in earum ratione objectivâ: At verò licèt relationes in divinis secundùm Esse Subsistentis rationem conveniant non Specificè, aut Genericè, sed omninò individualiter: tamen *quoad Esse ad* eatenus inter se differunt, ut hæc ipsa differentia sit secundùm incommunicabilitatẽ Personalem, adeòque Hæcceitatem ultimatè individualem. Ejusmodi verò differentia, quæ est secundùm incommunicabilitatem, seu Hæcceitatem Personalem non est nisi individualis. Ergo relationes divinæ *Quoad Esse ad* non nisi Individualiter in se differunt.

6. Doctore Angelico *q. 9. de potentiâ a. 5. ad 18.* id clarè attestante sequentibus verbis. Dicendum, quòd licèt Pater & Filius non distinguantur ab invicem, nisi Paternitate & Filiatione, non tamen oportet, quòd Pater & Filius quasi specie differant in Divinis, quia Paternitas & Filiatio sunt relationes secundùm speciem. Non enim istæ relationes se habent ad Divinas personas, ut speciem dantes; sed magis ut supposita constituentes & distinguentes. Illud autem, quod se habet ad personas Divinas, ut speciem dans, est Natura Divina. Sicut ergo Sortes & Plato licèt non distinguerentur individualiter nisi albedine & nigredine, quæ sunt diversæ qualitates secundùm speciem, non tamen specie differrent, quia quod est species albo & nigro, non est species Sorti & Platoni: ita nec sequitur, quòd Pater & Filius specie differant propter differentiam Paternitatis & Filiationis secundùm speciem; licèt in Divinis non possit propriè dici aliquid differre secundùm speciem, cùm non sit ibi species & genus.

Dices ex Sancto Thomâ *superiùs n. 4.* allegato, Proprietates Personales in divinis eo modo differre inter se, quo modo differunt proprietates Personales Platonis v. g. & Sortis. At Personales Proprietates in his differunt secundùm speciem albedinis v. g. & nigredinis. Pari ergo ratione dicere licet de Paternitate ac Filiatione in divinis differre secundùm speciem Paternitatis Personalis, ex claro textu Sancti Thomæ. 7.

Contra. Nam Sortis & Platonis proprietates Personales aliter considerantur secundùm Esse Substantiale: aliter verò secundùm Esse Accidentale. Sub priori enim consideratione important fundamentaliter Esse Naturæ, formaliter autẽ in ratione individuationis completæ dicunt Esse subsistentiæ. Unde ratio & differentia Temperamenti, per quod in uno albedo, in altero autem nigredo resultat, est per modum accidentis huic individuo proprij resultantis ex substantiali Proprietate fundante hanc Personalitatem seu subsistentiam. Quam ob causam proprietates hominum personales non tam *formaliter* in se ipsis, quàm *Fundamentaliter & connotativè* denominari possunt differentes secundùm speciem. Pari ergo ratione Personales Proprietates in Divinis secundùm comparationem ad Paternitatem & Filiationem in creatis specie differentes, possunt connotativè secundùm extrinsecam cum relationibus creatis æquiparantiam dici differentes secundùm speciem. 8.

Instabis. Ex hoc evinci, quòd sicut substantiales Platonis, ac Sortis Personales Proprietates non tam formaliter in se ipsis, quàm ratione accidentis in se radicati differunt secundùm speciem, sic Personales relationes in divinis secundùm speciem differre, prout una scilicet Paternitatis relatio non est objectivè præscindibilis à naturâ divinâ, cujus est terminus substantialis ac Personalis, altera verò scilicet relatio Spiritûs Sancti propria à Naturâ, non autem ab Amore substantiali divino objectivo abstrahibilis est. 9.

Contra. Nam Personalium Sortis & Platonis differentiarum non omninò eadem est ratio cum divinarũ Hypostasum Personalibus Proprietatibus. Etenim illæ possunt ab intrinseco denominari, quòd *Fundamentaliter* differant secundùm speciem, utpote in quarum ratione intrinsecâ fundentur qualitates individuantes, differentes secundùm speciem. At verò Paternitas Divina licèt Formaliter in omni de se Formabili conceptu objectivo involvat Naturam, non autem Amorem Divinum: hic tamen nec specie, nec Individualiter differt à Naturâ Dei, sed utraque ista Divina Formalitas Essentialiter importans rationem Esse subsistentis, tam in se à parte rei, quàm sub nostris conceptibus non stat nisi sub unicâ Esse subsistentis propriâ individuali ratione. Quare Fundamentum, ex quo Divinæ relationes secundùm speciem differentes denominari possint, non æquè ac in creatis Personalibus proprietatibus est intrinsecum, sed merè extrinsecum ex comparatione ad creatas relationes. 10.

Conclusio II.

Secundùm veram Orthodoxæ fidei Doctrinam, est indubitatum, quòd relatio spirato-

ſpiratoris non diſtinguatur realiter à Paternitate & Filiatione.

II. Probatur ex Concilio Lateranenſi relato *in cap. Damnamus. De ſummâ Trinitate.* Ubi expreſsè damnatur Quaternitas in Divinis. At ſi relatio Spiratoris in Divinis realiter diſtingueretur à Paternitate & Filiatione, tunc cum iſtis conſtitueret Trinitatem: hæ autem tres relationes unà cum relatione ſpirati realiter ab ipſis diſtinctâ conſtituerent Quaternitatem.

12. Reſpondebis ex Durando. Concilium damnâſſe duntaxat Quaternitatem in Divinis, quæ ex ex tribus Perſonis & ex Eſſentiâ, ab his realiter diſtinctâ reſultaret.

13. Contra. Tum quia Concilium apertè damnat Quaternitatem rerum in Divinis. At per illam Paternitatis & Filiationis à relatione Spiratoris diſtinctionem realem apertè admitteretur Quaternitas rerum in Divinis. Tum quia cum fide Orthodoxâ non ſubſiſtit Quaternitas Perſonarum in Divinis. At relatio Spiratoris quà realiter condiſtincta à Paternitate & Filiatione importaret reſpectu iſtarum individualem incommunicabilitatem, quæ ut ſic radicata in Naturâ Intellectuali haberet rationem Perſonalitatis. Unde Paternitas, Filiatio, & Relatio Spiratoris ita facerent in divinis Perſonalitatum trinitatem, ut ſi combinarentur cum Perſonalitate Spirati, ſtatueretur Divinarum Perſonalitatum, adeòque Perſonarum Quaternitas: quod minimè cohæret cum fide Orthodoxâ.

Reſponſio ad Oppoſita Argumenta.

14. AD Durandi *n. 2.* oppoſitum Fundamentum Reſpondetur. Conceptus objectivos ſtantes ſub vocibus *ly Paternitas & ly Filiatio* importare Perſonalitates, quarum prior ſub ratione Originis activæ, poſterior autem ſub ratione Originis Paſſivæ ſit Naturæ divinæ incommunicabilitas individualis. At verò conceptum Objectivum ſtantem ſub voce *Tò Relatio Spiratoris* dicere ex parte objecti incommunicabilitatem duarum Divinarum Perſonarum Amoris mutui ſubſtantialiter ac Individualiter terminativam. Unde in Relationis Spiratoris conceptu objectivo formaliter importari duas Perſonalitates divinas, quà ſubſtantialiter Terminantes, ac Relativè individuantes Amorem divinum. Has verò duas in relationis Spiratoris ratione formali importatas Perſonalitates eſſe à parte rei ipſam Paternitatem & Filiationem, ſecundùm noſtrum tamē objectivè præciſivum conceptum explicari nō ſub ratione Paternitatis & Filiationis ut ſic, ſed ſub præciſivâ ratione Perſonalitatis nō tam Naturā formaliter quà Intellectionem, quàm Amorem divinum ſubſtantialiter terminantis ac relativè individuantis. Quare negandum eſſe, quòd Pater ad Spiritum Sanctum referatur Paternitate, ſicut ſpiratione activâ: per hanc enim loquendi formulam non tam realis inter Paternitatem & Spirationem activam identitas, quàm formalis ſecundùm conceptum noſtrum objectivum unitas inſinuatur, cujuſmodi unitas ob Eminentialem formalitatum in Divinis diſtinctionem non ſtat inter Paternitatem ac relationem Spiratoris. Quocirca falſum etiam eſſe, quòd Spiritus Sanctus Paternitatem ſub formali hujus objectivi conceptûs ratione ſpectatam, & Filius ſpirationem activam terminet.

15. Ad Radæ *n. 3.* Propoſitam Doctrinam Reſpondetur. Veriſſimum Eſſe, quod Hypoſtaſes in divinis non differant ſecundùm ſpeciem, malè tamen ſupponi, quòd in Proprietatibus Perſonalibus divinis ſit rationum alteritas non individualis duntaxat, ſed ſpecifica. Etenim rationum alteritas ſpecifica non datur, ſi in ejuſmodi rationibus formaliter includatur incommunicabilitas individualis. At Proprietatum Perſonalium rationes in divinis formaliter important individualem Incommunicabilitatem, Ergo non ſpecie, ſed Individualiter duntaxat differunt.

16. Ad Divi Thomæ *n. 4.* Propoſitam authoritatem Reſpondetur. Relationes & Proprietates Perſonales in Divinis eſſe ſpecie diverſas ſecundùm aliquam duntaxat ſimilitudinem ad relationes creaturarum, ex Nazario *cit. cont. 3. paulò ante 1. concl.* Unde iſtas divinas relativas individuales differentias differre à creatis individualibus differentijs, eò quòd iſtæ poſſint fundare accidentia verè differentia ſecundùm ſpeciem, ſintque adeò fundamentaliter ab intrinſeco differentes ſecundùm ſpeciem, cùm è contra Divinæ perſonales proprietates nec formaliter, nec fundamentaliter poſſint ab intrinſeco denominari differentes ſecundùm ſpeciem, ſed *connotativè* duntaxat & *Extrinſecè* per comparationem ad creatas Paternitatis v. g. & Filiationis relationes.

CONTROVERSIA III.

An Relationes Divinæ addant aliquid Perfectionis ad Eſſentiam?

1. AUreolus *in 1. diſt. 19. q. 2. a. 3. propos. 2.* Gabriel *11. diſt. 7. q. 1. a. 3.* Bannes *1. p. q. 28. a. 2. dub. 1. citans* Canum & Torrem, Cabrera *3. p. q. 2. diſp. 4.* Suarez *lib. 3. de Trinit. cap. 9. n. 14. & ſeq.* Vaſquez *diſp. 122. cap. 6.* Amicus *præs. diſp. 19. ſect. 8.* Perez *diſp. 6. de Deo Trino. ſect. 8.* & alij affirmant: relationes Divinas ut ab Eſſentiâ diſtinctas vendicare ſibi propriam perfectionem realem relativam. Fundamentum ab Amico *cit. ſect. 8. n. 201.* deductum eſt. Relationes enim Divinæ quà Relationes formaliter conſtituunt Perſonarum trinitatem. At iſta Trinitas ut ſic eſt Perfectio Dei. Ergo relationes formaliter quà tales dicunt perfectionem.

2. Ex quâ doctrinâ Suarez citatus & Amicus *n. 206.* inferunt; in Deo perfectiones relativas multiplicari ſecundùm numerum relationum. Fundamentum eſt. Quia licèt relationes Divinæ comparatæ cum Eſſentiâ ſint una Entitas, integritas, & perfectio; comparatæ tamen inter ſe, ac cum Perſonis, quas conſtituunt, ſunt plures entitates integrantes, adeòque Perfectiones.

3. Contra Vaſquez *cit. cap. 6. n. 23.* negat, in Deo multiplicari perfectiones ſecundùm numerum relationum. Fundamentum ab ipſo inſinuatum eſt. Nam ex eo Formalitas aliqua dicitur perfectio rei, quòd illam perficiat, & integret. At nihil ſe ipſum realiter perficit, ſicut nihil realiter ſe ipſum conſtituit. Unde ſequitur, per-

tur, perfectionem ex hoc dici realem, quòd realiter distinguatur à re, quam perficit, nec adeò dici posse, quod Perfectiones in Divinis realiter multiplicentur, nisi à re, cujus sunt perfectiones, distinguantur realiter. At Falsum est, quòd relationes in Divinis distinguantur realiter ab Essentiâ, cujus sunt perfectiones. Ergo non potest dici, quòd multiplicentur in Deo secundùm numerum relationum.

4. Ioannes a S. Thoma *praes. disp. 3. a. 3. n. 8.* existimat: Relationes Divinas etiam secundùm se in lineâ & Formalitate relationis dicere Perfectionem, sed non explicare illam per Ordinem ad terminum, sed per Ordinem ad subjectum & Fundamentum. Unde consequens esse, istas perfectiones non multiplicari in tribus relationibus seu Personis Divinis, sed eadem Perfectione, etiam ut relativa est, gaudere. Fundamentum ab ipso *n. 9. & 12.* deductum est. Quia *Ad* relationis, quod in se reale & in se perfectio est, respectu Termini non ponit nisi respicientiam, & contra ipsum est. Ergo non explicat prout sic realitatem, quæ sit, sed ad quam realitatem sit. Etsi proinde relatio in se habere possit realitatem ratione Fundamenti, ex hoc enim habet Esse & actualitatem: Omnis autem perfectio dicitur ratione alicujus Esse, vel actualitatis; omnisque realitas respicit aliquam existentiam. Nihilominùs per terminum relatio nec habet Esse, nec Existentiam seu actualitatem, sed tantùm terminationem. Quare Fundamentum duntaxat est Causa seu ratio realitatis in relatione: terminus autem est conditio, seu id, circa quod exercetur realis oppositio. Cùm igitur tota Divinarum relationum Perfectio etiam quà relativa desumatur ex Fundamento, cujus est una simplicissima Essendi in Deo actualitas, consequenter repugnat, illas multiplicari in ratione perfectionis, licèt in ratione respectûs oppositi & distinguentis multiplicentur.

5. Scotus *in 1. dist. 3. q. 1. ad 4. & quodlib. 5.* Richardus *in 1. dist. 24. a. 1. q. 3. ad 1.* Capreolus *in 1. dist. 17. q. 1. ad 3. contra Primam Conclus.* Cajetanus *hic art. 2.* Ferrariensis *2. cont. gent. cap. 9.* Molina *q. 42. a. 6. disp. 2. concl. 2.* Becanus *cap. 2. q. 6.* & alij negant: relationes Divinas secundùm Formalem suum conceptum *quoad Esse ad* importare perfectionem. Fundamentum à Ioanne Baptistâ Gonet *praes. disp. 3. a. 5. §. 1.* deductum est. Nam ratio Perfectionis debet sumi per respectum ad subjectum inspectum ratione sui. At relatio nullum sibi peculiare subjectum respicit ratione sui in illo sistendo, sed ratione termini sui correlativi. Ergo nihil relativum potest ex se obtinere rationem seu conceptum Perfectionis. Ergo relationes Divinæ ex vi proprij & relativi conceptûs non addunt perfectionem ad Essentiam. Major, in quâ solum potest esse difficultas, probatur. Perfectio debet respicere subjectum perfectibile per commensurationem cum illo. At nisi subjectum ratione sui respiciat, non commensuratur cum illo, sed cum termino, qui est ratio respiciendi subjectum. Ergo ratio perfectionis debet sumi per respectum ad subjectum inspectum ratione sui, & non ratione alterius.

CONCLUSIO.

Esse *Ad* in relationibus Divinis nullo modo est objectivè abstrahibile ab Esse Dei subsistente: per cujus simplicissimam Unitatem in omnibus formalitatibus Divinis sive absolutis sive relativis est unica perfectionis ratio.

Probatur. Omnium enim perfectiones pertinent ad perfectionem Essendi; secundùm hoc enim aliquà perfecta sunt, quòd aliquo modo Esse habent. ex Sancto Thomâ *1. p. q. 4. a. 2. circa Finem.* At in Divinis non est nisi unicum Esse, & ideò sicut in Filio est Esse Essentiæ, ita & in Filio est Esse Paternitatis. ex eodem Sancto Doctore *in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 2.* Pari ergo ratione in Filio & Patre non est nisi unica in Esse Divino radicata Perfectio, atque adeò sicut in Filio est Perfectio Essentiæ Patris, sic & in Filio est tota & omnimoda perfectio Paternitatis. 6.

Dices. In Divinis eatenus esse unicum Esse, ut tamen Paternitas habeat aliquid, in quo non unitur cum Essentiâ, scilicet ratione Paternitatis, utpote quæ alia sit à ratione Essentiæ. Unde secundùm istam rationem posse respectum esse in Patre, & non in Filio. ex Doctore Angelico *proximè citato.* At hoc ipsum aliquid respectûs, in quo Paternitas non unitur cum Essentiâ, importare perfectionem. Ergo in Paternitate esse perfectionem respectivam quodammodò aliam à perfectione Essentiæ. 7.

Contra. Nam ex prææallegatâ Divi Thomæ doctrinâ solùm evincitur, quòd alia Essentiæ, alia Paternitatis Divinæ ratio sit. At hæc duplex ratio seu Formalitas Divina importat eandem & unicam perfectionem. Minor Probatur. Nam licèt in Divinis sint plures rationes seu Formalitates per objectivam rationis præcisionem distinctæ, nullo tamen modo concedendum est, quòd aliud sit Esse relationis in Divinis, & aliud Essentiæ. ex Sancto Thomâ *q. 8. de Potent. a. 2. ad 11.* differente; *Quòd relatio non significet Esse, sed Esse quid, id est, quid aliquid est. Unde duas rationes unius rei non demonstrare duplex Esse ejus: sed demonstrare, quòd dupliciter de illâ re possit dici, quid est, sicut de puncto posse dici, quid est, sicut Principium, & ut finis, propter diversam rationem Principij & Finis.* At verò Perfectio radicatur in Esse, imò perfectionis ratio importat formaliter actualitatem Essendi, eodem Sancto Doctore *in 1. p. q. 42. ad 2.* asserente, *Dignitatem*, adeòque perfectionis rationem in Divinis, *esse absolutam; & ad Essentiam pertinere.* Sicut ergò eadem Dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio; ita eadem Perfectio, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio. *Uti expressis verbis tradit* Sanctus Doctor *proximè citatus.* Ergo relatio Paternitatis non aliam, quàm ipsius Essentiæ Divinæ Perfectionem importat; *Eadem enim est Essentia & Dignitas Patris & Filij, licèt in Patre sit secundùm relationem dantis, in Filio autem secundùm relationem accipientis ex proximè citato* Angelico Doctore. 8.

Instabis ex Amico *cit. sect. 8. n. 203.* Filiationem Divinam quà oppositam, seu quà à Patris & Spiritûs Sancti Hypostasibus condistinctam sustentare humanitatem Christi. Ut sic autem 9.

 Filia-

Filiationem Divinam importare relationem quà virtualiter distinctam seu objectivè præcisam ab Essentiâ Dei. At implicare, quòd Filiatio Divina sustentet naturam humanam, & nullam in se dicat perfectionem. Consequens igitur esse, quòd Filiatio Divina sub ratione Formali relationis quà Virtualiter distinctæ & objectivè præcisæ ab Essentiâ Divinâ, dicat perfectionem.

10. Contra. Nam licèt Essentia Divina possit objectivè præscindi à relatione Filiationis, nequit tamen ista relatio Divina intelligi, quin in suo conceptu involvat Formaliter Esse Dei subsistens. Ergo ratio perfectionis Filiationi Divinæ quà Humanitatem Christi sustentanti convenientis formaliter importat Esse Dei subsistens. Probatur tam antecedens, quàm consequentia.

11. Nihil enim est intelligibile sine ratione Essendi. Hæc autem in Divinis est unicum Esse subsistens, in quo formaliter consistit Essentia Divina. Etsi proinde ista sit objectivè præscindibilis à relatione Filiationis, hæc tamen intelligi nequit, quin in conceptu ejus objectivo Formaliter involvatur Esse Dei subsistens. At in hoc ipso *Esse* stat tota Filiationis, & cujusvis Formalitatis Divinæ perfectio. Unde Filiatio ejusmodi substentando Christi humanitatem, huic communicat perfectionem ipsius Esse Divini, seu Existentiæ subsistentis, ut adeò per ipsam Dei Existentiam ceu formalem Essentiæ Divinæ rationem stet Christi Humanitas. Quare Filiatio Divina sub ratione relationis importat quidem perfectionem, hæc tamen secundum rationem etiam nostram non est alia, nisi Essentiæ Divinæ, nec adeo alia est perfectio Paternitatis, alia verò Filiationis, sed tota Patris dignitas & perfectio est in Filio, cum hoc duntaxat discrimine reali, quòd in Patre sit secundum relationem Dantis, in Filio autem secundùm relationem accipientis. ex S. Thomâ *superiùs adducto.*

Responsio ad fundamenta opposita.

12. AD Amici *n. 1.* propositum Fundamentum Respondetur. Verum esse, quòd Trinitas Personarum, quæ ut sic constituitur *Formaliter* per relationes Divinas, sit perfectio, non quidem Virtualiter distincta ab Esse Divini Perfectione, sed in conceptu suo objectivo Formaliter involvens Esse Dei subsistens. Unde multiplicitatem seu Trinitatem Personarum non esse ex ratione Perfectionis in relationibus Divinis inclusæ, sed ex oppositione relativâ, quæ ita fundatur in unâ simplicissimâ Esse Divini subsistentis perfectione, ut tamen dicat Terminationes realiter diversas, non aliam nisi Essentiæ Divinæ Perfectionem importantes.

Ad Suarezij *n. 2.* oppositum Fundamentum Respondetur. Relationes Divinas non esse concipiendas instar formæ Perfectivæ, sed tanquam actum per Esse subsistentis purissimam actualitatem omninò perfectum. In quo proinde purissimo Essendi actu relationes Divinas inter se comparatas seu oppositas eatenus dici tres Entitates, ut tamen non sint distinctæ sub ratione Entitatis, sed sub ratione terminationis relativæ, Formaliter importantis simplicissimâ Esse subsistentis Entitatem indivisibilem, Cum igitur ratio Perfectionis radicetur in Esse, tres relationes Divinas non posse intelligi multiplicatas sub ratione Perfectionis, sed sub ratione Terminationis relativæ ipsam Esse subsistentis perfectionem sub simplicissimâ unitate involventis.

Ad Vasquezij *n. 3.* propositum Fundamentum Respondetur. Relationes Divinas esse intelligendas per modum perfectionis realis non actuantis, sed subsistentis. Hanc autem Perfectionem sub purissimi Esse actualitate subsistentem esse hoc ipso unicam & indivisibilem; quòd radicetur in simplicissimo Dei Esse subsistente. 13.

Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 4.* propositam Doctrinam Respondetur Relationes Divinas sub formalitate relationis eatenus dicere perfectionem, quatenus non sunt objectivè præscindibiles ab Esse Dei subsistente, ex quo est unica cujuslibet formalitatis Divinæ actualitas & perfectio indivisibiliter inexistens tribus Personis Divinis. Quam proinde perfectionem esse relativam, quatenus per Terminationem incommunicabilem habet rationem Dantis vel Accipientis Esse subsistens. Hanc verò Dantis & Accipientis rationem in Divinis suo oppositione correlativâ eatenus esse Divinarum Personarum distinctivam, ut vi omnimodæ sui cum Esse Dei subsistente identitatis per rationem etiam nostram objectivè inseparabilis includat formaliter perfectionem non aliam, quam Essentiæ Divinæ, 14.

Ad Ioannis Baptistæ Gonet *n. 5.* oppositum Fundamentum Respondetur. Rationem Perfectionis in relationibus Divinis non tam intelligi debere per respectum ad subjectum, quàm per modum perfectionis subsistentis per ipsammet Esse Divini purissimam actualitatem. Unde in Formali relationum Divinarum conceptu *Quoad Esse ad* necessariò involvi Divini Esse subsistentis Perfectionem. Etsi proinde verum sit, relationes Divinas ex vi proprij & relativi conceptûs non addere Perfectionem ad Essentiam, attamen falsum esse, quòd relatio Divina ex se non obtineat conceptum Perfectionis. 15.

CONTROVERSIA IV.

An Divinæ relationes importent diversas relativas existentias, æternitates, aliasve similes formalitates?

SUarez *lib. 3. de Trinit. cap. 5. & in 3. p. disp. 11. sect. 2.* Amicus *præs. disp. 19. sect. 7. n. 175.* Arriaga *tract. de S. Trinit. disp. 49. sect. 2.* Perez *cit. disp. 7. sect. 7.* sentiunt: in Divinis relationibus importari tres realiter distinctas relativas existentias. Fundamentum potissimum est. Omnis enim productio producit actualitatem & existentiam sui termini. At Existentia Dei absoluta non producitur. Ergo productio tum Filij, tum Spiritûs Sancti non absolutam tribus Personis communem, sed relativam propriam istarum Personarum existentiam producit. 1.

Pro hâc sententiâ allegatur etiam Authoritas Richardi de Sancto Victore *lib. 4. de Trinit. cap. 17.* 2.

cap.17. & 18. asserentis: *Quot sunt in Divinitate Personæ, tot esse incommunicabiles existentias, eò quòd Persona nihil aliud sit, quam incommunicabilis existentia.* Verùm Vasquez *disp. 126. cap. 2.* pluribus ostendit, illum Doctorem, dum tres in Divinis ponit existentias, nomine existentiæ non intelligere nisi subsistentiam.

3. Arriaga *citatus n. 8. & 9.* in Divinis ponit etiam tres ubicationes ac durationes, adeòque immensitates ac æternitates relativas. Fundamentum est. Nam Paternitas Divina etiam ut distincta ab Essentiâ petit esse ubique, & ab æterno, in æternum durare. Ergo per semetipsam convenit ei, quòd & duret, & sit in loco. At eadem ratio militat de alijs duabus relationibus Divinis. Ergo singulis convenit sua propria duratio, & ubicatio immensitatis, ac æternitatis relativæ.

4. Amicus *cit. sect. 7. n. 192.* arbitratur; posse in Deo quidem concedi tres existentias, & tres durationes, non tamen tres æternitates. Explicat & probat ille Author. Nam prædicata, quæ Divinis relationibus attribui possunt, in duplici sunt differentiâ. Alia enim competunt illis secundùm proprias differentias, cujusmodi sunt *relatio*, *Proprietas Personalis*, *Hypostasis*. Hæc autem indubitatum est, posse de Deo ut plura prædicari. Alia deinde sunt, quæ conveniunt illis solùm ex ratione genericâ, cujusmodi sunt omnia transcendentia, velut *Ens, res, aliquid, unum, Verum, Bonum*: inter quæ sunt etiam existentia, substantia, & Essentia. At ex his aliqua sunt, quæ vel Patrum usitato loquendi modo, vel ex Conciliorum determinatione ad cavendas errorum occasiones ita commodata sunt Naturæ communi, ut nullo modo liceat ea transferre ad relationes, cujusmodi sunt substantia & Essentia, quæ proinde non nisi singulariter prædicantur de Deo. Nonnulla verò sunt, quæ licèt ab extrinsecâ authoritate non sint limitata ad solam naturam communem, ex loquendi tamen & concipiendi communi modo ita determinantur ad solam communem Essentiam, utpote rem perfectissimam significandam; ut non nisi cum addito determinante ad perfectionem relativam, possint de Deo in plurali prædicari: velut *Ens, res, aliquid, unum verum, Bonum, existentia, & duratio* cum addito *relativa* possunt de Deo pluraliter enuntiari. Alia denique sunt, quæ in suo concepu semper involvunt aliquid absolutum. Hæc autem neque cum addito possunt de Deo pluraliter nisi tantùm adjectivè prædicari: ad prædicationem enim adjectivam sufficit suppositorum pluralitas. Atqui talia prædicata sunt Natura, æternitas, Sapientia, & reliqua attributa, quæ in Deo dicunt perfectionem simpliciter simplicem. Etenim Natura est Principium omnium operationum, quod nullâ ratione competit relationi. Æternitas verò est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio; quæ proinde in sui definitione includit Existentiam vitæ perfectissimæ ac interminabilis. Unde quia æternitas vitæ prorsus immutabilis perfectionem involvens Deo ratione Essentiæ competit, negandum est, in Deo esse tres æternitates, licèt in ipso sint tres durationes relativæ.

5. In Deo non distingui tres existentias relativas, sed per unicam Essentiæ Divinæ existentiam absolutam existere, omnes sive absolutas sive relativas Formalitates Divinas, docent Vasquez *cit. disp. 126. cap. 2. & 3.* Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 13. a. 3. à n. 23.* Ruiz *de Trinit. disp. 15. sect. 3. & 4.* Ioannes Baptista Gonet *præs. disp. 3. a. 6.* Granadus *tract. 5. disp. 1. sect. 3.* Andreas Lao *disp. 167. a. 5. n. 441.* Huic sententiæ apertè favet Divus Thomas; In Divinis, inquiens, nullo modo est Esse, nisi Essentiæ, *ex q. 8. de potent. a. 2. ad 11.* At in Deo non est nisi una Essentia. Ergo nullo modo concedendum est, quòd in Divinis sit nisi unum Esse, cùm Esse semper ad Essentiam pertineat, & præcipuè in Deo, cujus Esse est sua Essentia. *ex q. 9. de Potent. a. 5. ad 19.* Unde relationes, quæ distinguunt supposita in Divinis; non adducunt aliud Esse super Esse Essentiæ. *ex loco proximè citato.* Nec obstat, quòd relationum ac Essentiæ formalitates in Divinis sub diversis rationibus formalibus intelligantur, & quodammodò definiantur. Nam ratio non significat Esse, sed Esse quid, id est, quid aliquid est. Unde duæ rationes unius rei non demonstrant duplex Esse ejus: sed demonstrant, quòd dupliciter de illâ re dici potest, quid est: nec adeò ullo modo concedendum est, quòd aliud sit Esse relationis in Divinis, & aliud Essentiæ. *ex cit. q. 8. a. 2. ad 11.* 6.

CONCLUSIO.

EX unitate Essentiæ efficaciter demonstratur; relationes in Divinis nō habere diversas relativas Essentias, seu unitates, Veritates, Bonitates & durationes, ubicationes, infinitates, & Sanctitates, sed existere per unicam subsistentem existentiam Essentiæ Divinæ ut sic Formaliter constitutivam.

Explicatur & Probatur. Nam Essentia dicitur ab Essendo. At omnis Essendi denominatio cadit supra Entitatem vel quà Potentialem & actuabilem ab Esse distincto, vel quà Purissimum Essendi actum, qui sit ipsummet Esse subsistens. Eo ipso autem, quòd relationes Divinæ omnimodam excludant Potentialitatem, oportet, ipsarum Existentiam esse purissimum Esse subsistens. At ex hoc ipso, quòd Esse aliquod sit subsistens, includit formaliter individuationem ultimā, suique adeò indivisibilitatē omnimodam, seu unitatem singularem ac individualem. Ergò ex hoc, quòd relationes Divinæ sint Entitates omnimodam excludentes Potentialitatem, sequitur, in Dei relativis Formalitatibus non esse nisi unicum ex se Formaliter singularizatum seu Essentialiter individuatum, atque adeò immultiplicabile Esse Existentiæ, quod Formalissimè sit ipsa Essentia Divina. Sicut ergo secundùm Patres, & Concilia Orthodoxa in Divinis profitemur unicam Essentiam, sic oportet fateri unicam existentiam ex se Formaliter subsistentem, & ut sic Essentiæ Divinæ sub singularitatis seu omnimodæ individuationis & purissimæ, adeòque ex se individuatæ actualitatis formaliter constitutivam. 7.

8. Dices. Existentiam habere pro effectu Formali, quòd ponat rem extra causas, vel extra nihilum. Unde consequi ad entitatem non absolutè consideratam, sed sub illâ Formalitate, quâ egreditur à causis, scilicet sub ipso produci, vel sub ipso improduci, & à se, veluti Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 3. n. 14.* discurrit. Atqui produci & improduci convenire Divinis relationibus ex proprio suo notionali conceptu, vi cujus Paternitas formaliter ingenita, Filiatio autem per Generationem sit producta. Oportere igitur hisce Divinis Entitatibus ex proprio suo Notionali conceptu assignare proprias relativas existentias.

9. Contra. Nam de Entibus creatis duntaxat verificatur, quòd existentia consequatur ad Entitatem non absolutè, sed sub ipso produci consideratam. Hujus autem ratio est, quòd ejus Essentia non sit per se actuata, sed in potentiâ ad existendum. At Potentiæ per formam actuatio non fit, nisi mediante Causalitate efficiente. Oportet igitur, Essentiam creatam pro aliquo priori naturæ priùs terminare actionem sui effectricem, quàm intelligatur actuari per existentiam. Unde omninò verificatur in Entibus creatis, existentiam consequi ipsorum entitatem non in se absolutè, sed quà egressam è causis sub ipso produci consideratam.

10. Secùs est in Formalitatibus Divinis. Hæ enim purissimam Essendi actualitatem importantes in primo suo Essentiali conceptu inseparabiliter involvunt existentiam irreceptibilem, seu Esse subsistens. Unde ratio tam ingeniti, quàm producti in Divinis Formalissimè includunt existentiam subsistentem. At eo ipso, quòd ratio subsistentis dicat Hæcceitatem Individualem seu indivisibilem, nequit esse nisi unica subsistens existentia. Quamvis proinde alia relatio Producti sit in Filio, & alia in Spiritu Sancto, hæ tamen geniti in Filio, & Spirati in Spiritu Sancto, ac ingeniti in Patre rationes ita differunt quoad relativam incommunicabilitatem seu oppositionem, ut tamen Formalissimè importent unum simplicissimum Esse, ac Existentiam subsistentem omninò eandem & indivisibilem.

11. Instabis. Relationes in Divinis esse plures realiter multiplicatas Entitates. At rationem Entitatis vel Formaliter vel consecutivè importare existentiam. Insuper rationem Unitatis, Bonitatis, Veritatis Transcendentaliter inesse Entitati. Denique cuivis Enti esse propriam suam Durationem ac ubicationem, nec posse illud Ens stare nisi quà Finitum vel infinitum. Cùm igitur relationes Divinæ non sint Entitates finitæ, oportere cuilibet inesse suam relativam infinitatem. Ergo Unitates, Veritates & Bonitates Transcendentales, nec non infinitates, & existentias relativas esse in Divinis relationibus realiter multiplicatas.

12. Contra: Nam licèt in Deo sint tres realiter distinctæ Entitates, hæc tamen Pluralitas, ac distinctio non est secundùm rationem Entitatis, sed secundùm oppositionē & incommunicabilitatem relativam. At Unitas, Veritas, & Bonitas, ac infinitas, nec non ubicatio, & Duratio formaliter consequuntur rationem Entis, Existentia verò in Ente Puro est Formaliter Prima Entitatis ratio. Sicut igitur in Divinis non est nisi unica ex se subsistens Essentialiter individuata Entitas, sic non nisi unica est in Divinis relationibus Duratio, Ubicatio, Infinitas, Unitas, Bonitas, & Veritas Transcendentalis,

Major Probatur. Quia ratio Entitatis nullo modo est intelligibilis, quin in suo conceptu involvat vel actualitatem Essendi, vel Potentialitatem ad Essendum. Atqui nulla Formalitas in Divinis est intelligibilis nisi omnimodâ remotâ Potentialitate. Ergo non est ulla de Divinis conceptibilis formalitas, nisi sub purissimâ Essendi actualitate. Atqui per purissimam Essendi actualitatem est, quòd Entitas per se subsistens in suo conceptu objectivo sit Formaliter involvens existentiam & Hæcceitatem, Hæc ipsa verò Hæcceitatis ratio est formaliter importans ultimam individuationis indivisibilitatem, atque adeò excludens multiplicabilitatem in ratione Entitatis. Ergo relationes Divinæ per oppositionem relativam eatenus multiplicantur *Quoad Esse ad*, ut tamen in suo conceptu objectivo formaliter involvant unicam ex se individuatam Entitatem, atque adeò Veritatem, Unitatem, Bonitatem, Infinitatem, Ubicationem, & Durationem. 13.

Urgebis. Humanitatem Christi ex Hypostasi Verbi sibi substantialiter unitâ participare Sanctitatem Personalem. Ergo cuique Divinarum Hypostasum convenire suam propriam relativam Sanctitatem. 14.

Contra. Nam Sanctitas importat radicem Divinæ operationis. At sicut Prima Divina operatio est formaliter intellectio per Esse Dei subsistens formaliter actuata, & specificata, sic Sanctitas creata est Divinæ operationis secundùm gradum quasi specificum participatio, prout vel per Esse Divinum tanquàm terminum suum intrinsecum specificatur, velut evenit in visione Beatificâ, vel ad hanc dicit ordinem Proportionis, & Commensurationis intrinsecum. Unde Personalitas Verbi est Humanitatem Christi substantialiter sanctificans, quatenus secundùm connaturalitatis exigentiam in Verbi Divini Hypostasi Naturæ creatæ unitâ radicantur tum visio Beatifica, tum supernaturales cum hâc proportionatæ operationes. Atqui Hypostasis Verbi in suo objectivo conceptu inseparabiliter involvens Esse Dei actualissimum ita communicat Humanitati Christi modum existendi Divinum, ut consequenter exigat connaturaliter modum operandi Divinum consistentem in visione Beatificâ & supernaturalibus cum hâc proportionatis operationibus. Etsi proinde Hypostasis Verbi habeat rationem Sanctitatis humanam Christi Naturam personaliter Sanctificantis, ejusmodi tamen Sanctificatio est per ipsum Esse Dei subsistens inseparabiliter inclusum in cujuslibet Divinæ Hypostasis conceptu objectivo. Consequens igitur est, cuilibet Hypostasi Divinæ non esse suam propriam personalem, sed in omnibus Personis Divinis esse unicam in ipso Dei Esse actualissimo subsistentem Sanctitatem. 15. 16.

Responsio ad Argumenta in initio opposita.

AD Suarezij *n. 1.* Oppositum Fundamentum Respondetur negando Majorem. Tum quia 17.

quia Productio humanitatis Christi non terminatur ad existentiam sui Termini, sed Christi natura humana existit per existentiam Verbi increatam. Unde negotium productionis rerum creatarum ita expediri debet, quòd nimirum Entitas creata stans sub actione sui Productrice sit per se ipsam ab intrinseco determinata ad existentiam. Hæc autem intrinseca cujuslibet creatæ sub actione reali stantis entitatis ad existentiam, tanquàm sui actualitatem determinatio eatenus fundat resultantiam existentiæ, ut cum istâ habeat Entitas creata connexionem connaturalem non nisi supernaturaliter impedibilem. Quare existentia non tam *Formaliter* est Terminus productionis, quam *Consecutivè*, ita quidem, ut Entitatis creatæ substantialis productionem connaturaliter consequatur Existentiæ, sicut & Subsistentiæ resultantia, in supernaturali autem Incarnationis Mysterio Humanitatis Christi productionem, impeditâ connaturalis existentiæ resultantiâ, concomitetur Communicatio & unitio existentiæ Increatæ Verbi Divini.
18. Tum quia productio in Divinis Formalissimè importat Communicationem tum Intellectionis, tum amoris quà subsistentis per actualissimum ex se individuatum Esse Divinum. Unde productio in Divinis ita producit proprietates personales *Quoad Esse ad*, ut in hoc ipso tamen *Esse ad* formaliter importetur *Esse Dei subsistens* non quà productum, sed quà vi Productionis Divinæ sub ultimâ Hæcceitatis ratione & purissimæ actualitatis individuatione communicatum.

19. Ad Arriagæ *n. 3.* oppositum Fundamentum Respondetur. Procedere ex falso supposito. Nam quia Paternitas Divina non nisi sub ratione purissimæ Essendi actualitatis est intelligibilis, sequitur, non posse per rationem nostram objectivè præscindi, seu distingui ab Esse Divinæ Essentiæ Formaliter importantis existentiam ex se subsistentem ac individuatam. At Ubiquitatis seu Immensitatis, sicuti æternitatis ratio est formaliter secundùm actualitatem Essendi. Sicuti ergo in Divinis est unica Essendi actualitas, seu existentiæ ex se individuatæ Formalitas; sic relationibus Divinis non est multiplex Immensitas & æternitas.

20. Ad Amici *n. 4.* oppositum Respondetur. Hunc authorem hallucinari in eo, quòd existimet aliqua in Divinis esse prædicata, quæ Hypostasibus Personalibus conveniant ex ratione solùm genericâ. Etenim nulla de Deo est prædicabilis Formalitas, nisi sub purissimâ Essendi actualitate. Ejusmodi verò actualitas formaliter involvit ultimam Esse subsistentis Hæcceitatem. Atqui per se manifestum est, Hæcceitatem ejusmodi formaliter excludere rationem generis seu Formalitatis multiplicabilis. Quare in Divinis secundùm incommunicabilitatis Personalis Oppositionem relativam oportet eatenus distinguere Hypostases, ut in his tamen omnibus sit unica Essentialitatis & Entitatis, atque adeò Unitatis, Veritatis, Bonitatis & Durationis ratio per Esse subsistens in se Formaliter inclusum Essentialiter individuata.

(IHS.)

COROLLARIUM.

Infertur. An & qualiter relationes divinæ sint modi, vel Entitates ac res substantiales? Nam Recentiorum aliqui apud Perez *disp. 5. de Deo ut Trino sect. 3.* existimant: Relationes divinas ut ab Essentiâ virtualiter distinctas esse modos Deitatis, & ut tales concipi debere, eò quòd supponant Essentiam in Esse absoluto constitutam, illique secundùm rationem adveniant. 21.

Econtrario autem Perez *citatus* cum Suarezio *lib. 7. cap. 4. n. 8.* sentit: Relationes Divinas neque in se esse modos, neque cum fundamento in re concipiendas esse ut modos, sed ut Entitates: eò quòd Divina relatio accedat Divinitati, ut actus purus relativus sine ullâ informatione etiam per rationem. Verùm inter has oppositas sententias distinguendum est. Nam 1. Relatio divina nequit intelligi, quin in suo conceptu formaliter involvat Esse subsistens. Hinc autem sequitur, Relationes divinas non se habere ad Essentiam Divinam tanquàm modos informantes, sed tanquàm Entitates per se subsistentes. 2. Relationes Divinas ad Esse Dei absolutè ac præcisè sumptum comparari possunt tanquam prædicabile. Ut sic autem Relationes divinæ in suo conceptu objectivo eatenus involvunt Esse Dei subsistens, ut istud tamen in ratione suâ formali secundùm præcisionem objectivam non importet aliquam relationem. Unde relationes divinæ *Quoad Esse ad* se habent ad Essentiam Divinam tanquàm accidens non physicum, sed logicum. Ergo ut sic comparantur ad Essentiam divinam tanquàm modi non inhærentes seu informantes, sed prædicabiles, ita tamen ut in actuali prædicatione per simplicissimam copulâ *Est* significatam identitatem se habeant ad Essentiam Dei tanquàm realitates *Formalissimè* importatæ in illius conceptu objectivo. 22.

23.

ARTICULUS II.

De Notionibus Divinis.

Notio in divinis Divo Thomâ *1. p. q. 32. a. 2.* teste dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi divinam Personam. Harum autem rationum altera est formalis, importans conceptum mentis, quem de Personæ alicujus divinæ proprietate formamus: quo modo Divus Augustinus *lib. 5. de Trinit. cap. 6.* notionem accipiens ait: *Alia, est notio, quâ intelligitur Genitor, alia quâ Genitus.* 1.

Altera Personam divinam cognoscendi ratio est objectiva, per quam una Persona divina distinguitur ab aliâ. Quomodo Divus Basilius *lib. 2. contra Eunomium* Notiones vocat proprias Personarum formas, & earundem notas, atque characteres. Unde definiri solet à Theologis, Ratio objectiva sive forma, vel quasi forma Personæ divinæ, quâ cognoscitur distingui ab aliâ. In quo adeò sensu Sanctus Basilius *Epist. 43.* Notionem dicit *cognoscibile*, id est, proprium & discretivum *signum*, quo unam Personam distinguimus ab aliâ. 2.

Hinc sequitur, Notiones exprimi debere nominibus abstractis. ex divo Thomâ *cit. a. 2.* Cujus rationem affert Ioannes Baptista Gonet *præs. disp. 1. a. 2. post init.* eò quòd Notio sit formale cognoscendi Principium. At formale Principium cognoscendi, sicut & formale Principium Essendi congruentiùs significatur in abstracto, quàm in concreto. Ergo sicut Personalitas tanquàm formale personaliter Essendi Principium significatur in abstracto, ita & Notio.

3. Differunt porro Notiones à relationibus ac Personalitatibus, non ex parte rei seu subjecti, sed secundùm diversos rationis nostræ respectus. Nam Notionis, Personalitatis, seu proprietatis, ac relationis nomina ita uni, nullâ etiam virtuali distinctione interveniente, formalitati conveniunt, ut ista dicatur relatio per comparationem ad suum correlativum, Personalitas per Comparationem ad Personam, cujus est formale constitutivum sive distinctivum, Notio verò per comparationem ad nostrum Intellectum, cui est signum manifestandi Personam divinam. ex divo Thomâ *in 1. dist. 26. q. 2. a. 3.*

4. Quibus ita constitutis, Theologi communiter ponunt quinque in divinis Notiones, quatuor Positivas, & unam Negativam. Positivæ sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio Activa, & spiratio Passiva. Negativa est Innascibilitas seu Esse Ingeniti, quæ ut sic Patris æterni propria dicit rationem improducti & incommunicati.

5. De quibus duæ supersunt difficultates. 1. *Qualiter ratio Ingeniti seu improducti, cùm videatur importare negationem, dicat in Patre æterno aliquam dignitatem.* 2. *Cur non æquè Inspirabilitas in Filio, & Ingenerabilitas in Spiritu Sancto censeatur inter Divinas Notiones.*

CONTROVERSIA I.

Qualiter ratio Ingeniti seu improducti ac incommunicati in Paternâ Hypostasi importet dignitatem aliquam?

1. DOctor Angelicus *in 1. dist. 26. q. 2. a. 3.* ait: *Tria requiri ad hoc, quod aliquid dicatur Notio Personæ Divinæ. 1. quòd ad Originem pertineat, siquidem Personæ Divinæ distinguantur Relationibus Originis. 2. quòd pertineat ad Dignitatem, siquidem Persona sit Hypostasis distincta proprietate ad Dignitatem pertinente. 3. quòd dicat aliquid speciale, siquidem commune non sit Principium sufficiens innotescendi.*

Ex quo moveri potest difficultas, quòd ratio ingeniti importans negationem, nec Originem, nec dignitatem aliquam divinam explicare videatur, nec adeò sit censenda in Divinis Notionibus.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

2. RAda *in suis cont. Theolog. par. 1. cont. 28. a. 2. conc. 5.* asserit, negationem Ingeniti, id est, Improducti & Incommunicati esse Primæ Personæ propriam Notionem, quatenus fundatur in ratione Entitatis Hypostaticæ primæ Fundamentum ex eodem Doctore *loc. cit. & in art. 1. §. ad intelligentiam, ac sequent.* deduci potest. Nam ratio formaliter fundans illam negationem est Entitas singularis incommunicabilis prima. At per hanc rationem est, quòd Essentia divina secundùm Primitatem immediationis ac Ordinis Primò sit in Patre & virtute illius in alijs divinis suppositis, quibus communicatur ab illo Primo. Hoc ipsum verò importat specialem Primæ in divinis Personis Dignitatem, quæ spectet ad rationem Originis. Ergo ex prætacto Fundamento ratio Ingeniti meritò censetur inter Notiones divinas.

3. Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 14. a. 3. n. 25.* rationem Ingeniti ex fundamento non dissimili numerat inter Notiones divinas: quòd licèt de formali solùm explicet, quid non sit Pater, Divo Augustino *5. de Trinit. cap. 3.* attestante. *Cùm ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit*, dici, per hanc tamen negationem circumloquamur magnam Dignitatem, & authoritatem Principij per modum Capitis & Fontis omnium Divinarum Processionum, nullam aliam habentis Originem ab alio.

4. Philippus à S. Trinitate *præs. disp. 6. dub. 3.* cum D. Bonaventurâ, Aureolo & alijs antiquis Theologis sentit: Innascibilitatem, ut est Notio Patris, importare quid positivum. Citat etiam pro se Divum Thomam *in 1. dist. 28. q. 1. a. 1.* Verùm Ioannes Baptista Gonet *disp. 8. a. vn.* ex hoc Angelici Doctoris loco probat oppositum, quòd scilicet Innascibilitas non constituatur in ratione Notionis per aliquid positivum, sed per Negationem omnis Processionis, vel Productionis passivæ, quam de formali significat.

CONCLUSIO.

INnascibilitatis Notio *ut Quo* importat in Patre Omnimodæ productionis passivæ negationem, *ut Quod* autem dicit Essentiæ divinæ Primam Primitate immediationis determinationem ad Personæ Patris Hypostasin, quam determinationem ratione nostrâ ratiocinatâ seu Virtualiter consequitur ratio Fontalis plenitudinis seu universalis in Divinis tam ad intra, quàm ad extra Principij.

5. Probatur. Cùm enim Divinas formalitates non Intuitivè per propriam suam intelligibilitatem, sed abstractivè per Intelligibiles ex rebus creatis abstractas formas intelligamus, idcirco cujuslibet ad divinas res explicandas impositi Nominis duplex est significatum. Alterum *ut Quod* est ipsa Dei Formalitas sub alienâ intelligibili formâ nostro intellectui repræsentata; alterum *ut Quo* est ipsa Intelligibilitas ex rebus creatis formata, ac formalitatis divinæ nostro intellectui repræsentativa seu expressiva. Atqui nulla Dei formalitas secundùm se, sive secundùm nominis alicujus divini significatum *Quod* formaliter, vel etiam Fundamentaliter importat aliquam Deo intrinsecam negationem. Probatur istud Assumptum. Sicut enim omnis positiva formalitas Transcendentaliter involvit rationem Entis, sic omnis negatio est formaliter exclusiva Entitatis, cum quâ ut sic habet oppositionem. Atqui omnis de divinis prædicabilis veritas est formaliter purissima Essendi actualitas nullam adeò habens

habens cum ratione Entitatis oppositionem. Si ergo ratio aliqua divina explicetur per nomen, quod de formali importat negationem, sequitur, hanc non esse de significato *Quod* talis nominis, sed de significato *Quo*. Probatur hoc Assumptum.
8. Nam significatum *Quo* est ratio intelligibilitatis à nostro Intellectu formatæ, sub quâ repræsentatur significatum *Quod*. Atqui ratio ista, sub quâ formalitas Innascibilitatis Patri realiter inexistens repræsentatur nostro intellectui, consistit in remotione, cujusmodi proinde ratio optimè certificatur per Negationem. ex Divo Thomâ *in 4. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 1.* Hæc igitur negatio est nominis *Tò Innascibilitas* significatum *Quo*, Divo Thomâ *in 1. p. q. 33. a. 4. ad 1.* attestante *Ly Ingenitus* generationis Passivæ negationem significans, ideo esse Notionem Patris, quod prima & simplicia per negationes notificentur. Hæc igitur per *Tò Innascibilitas* significata negatio ita est Notio ut *Quo*, ut id, quod sub istâ negatione tanquàm Primum in Personalibus Dei Proprietatibus notificatur, sit Notio *Quod* æterni Patris. At ista inter Personales Proprietates prima formalitas importat Hypostasin, quæ secundùm Primitatem immediationis sub purissimâ actualitatis ratione simplicissimam, adeòque formalem identitatem sit primè determinata ad Essentiam Divinam, cùm ista econtra respectu reliquarum duarum Hypostasum nó nisi mediante sui comunicatione, & Personalitatum ejusmodi productione determinetur ad istas. Hæc igitur Primitas immediationis in Hypostasi Paternâ est Notio *Quòd* per *Tò Innascibilitas* significata, quam ... sic ratione nostrâ ratiocinatâ, seu virtualiter consequitur Fontalis Plenitudo, sive universalis Principij omnium tam ad intra, quàm ad extra suppositorum Productivi Authoritas.

CONTROVERSIA II.

An Inspirabilitas in Patre & Filio debeat constitui sexta Notio Divina?

1. SCotus in *1. dist. 28. q. 1. circa finem* arguit, si Innascibilitas esset Proprietas Patris, Inspirabilitatem fore etiam Notionem Patris & Filij, & ita sex fore Divinas Notiones, quod tamen communiter negatur.
2. Verùm Rada *cit. cont. 2. a. 3.* sentit: tametsi opinio asserens, in Divinis sex Notiones sit in fide tutissima, tamen Doctorem subtilem non absolutè tenere, quòd Inspirabilitas sit sexta Notio, sed cum moderamine, dummodò non assignetur aliqua bona ratio, ob quam cogamur dicere eam non esse Notionem.

CONCLUSIO.

INspirabilitas non est ponenda sexta in Divinis Notio.

3. Probatur. Nam de ratione Notionis est, ut sub ejus formalitate reluceat proprietas ad alicujus divinæ Personæ Dignitatem pertinens. At sicut negatio productionis activæ in Spiritu Sancto importans negationem Fœcunditatis: sic inspirabilitas in Patre & Filio negationem Spirationis passivæ denotans non est expressiva dignitatis alicujus divinæ.

Dices. Negationes in divinis ex parte significati *Quod* importare rationem aliquam positivam, veluti *præced. cont. n. 7.* ostendimus. At in omni Divinâ positivâ formalitate relucere aliquid perfectionis ac Dignitatis: imò negationem Productionis activæ in Spiritu Sancto & negationem spirationis passivæ in Patre ac Filio æquè radicatam esse in Proprietatibus divinis Personalibus, atque Productionis Passivæ in Patre negatio seu Innascibilitas sit radicata in primâ divinâ Hypostasi. Ergo illas negationes, æquè ac istam denotare Dignitatem Personæ alicui divinæ propriam. 4.

Contra. Nam verum quidem est, quòd negatio productionis activæ in Spiritu Sancto, & Spirationis passivæ in Patre & Filio non tam sint negationes *secundum Esse*, quam *secundum Dici*. Unde nomina hæc negativa ex parte significati *Quo* catenus important negationes Intentionales, id est, Intelligibilitate sub ratione remotionis formatas, ut tamen illarum significatum *Quod* stans sub ejusmodi Negativis conceptibus sit personalis cujusdam proprietatis formalitas positiva. Hæc autem positiva sub *Tò Inspirabilitatis* nomine expressa formalitas & proprietas activæ spirationis non per negationem, sed per oppositionem relativam est removens à Patre & Filio passivam Spirationem: sicuti positiva per negationem productionis activæ de Spiritu Sancto enuntiata formalitas est ratio Hypostaseos Amorem vi Spirationis communicatum catenus terminantis, ut hæc posteritate Ordinis seu Originis sit ultima in divinis Personalitatibus. Ex quâ proinde Hypostasis quà in divinis ultimæ ratione est consequens, quòd per oppositionem relativam, non autem per negationem physicam removeat à Spiritu Sancto omnimodam ad intra productionem activam. At verò licèt istæ positivæ per Inspirabilitatem, & productionis activæ negationé denotatæ formalitates involvant aliquid Personalis Dignitatis, hæc tota nihilominùs Dignitatis ratio explicatur sub ratione Spirationis tum activæ, tum passivæ, siquidé ista ultimâ Hypostasin amoris tanquâ ad intra communicatæ operationis divinæ Personaliter terminantem importans per oppositionem relativam sit formaliter removens à Spiritu Sancto omnimodam ad intra productionem activam: illa verò sub ratione actualissimæ infinitæ, atq; adeò, singularissimæ Spirationis activæ per oppositionem relativam sit a Patre & Filio Formaliter removens passivam Spirabilitatem. Constat proinde, Inspirabilitatem nihil Dignitatis in Patre & Filio importare, quod non denotetur sub ratione activæ Spirationis: sicut ècontra per *Tò Innascibilitas* significatur primæ in divinis Hypostasibus formalitas importans ut sic Personalem Patris dignitatem non ita clarè expressam sub Paternitatis nomine. 5. 6.

QUÆ

CONTROVERSIA I.

An, præcisis per Intellectum nostrum Personalitatibus relativis, in Essentiâ Dei absolutè sumptâ remaneat aliqua subsistentia communis tribus Personis?

7. JOannes Baptista Gonet *præs. disp. 5. a. 1.* existimat, istam Controversiam magis esse de nomine, quàm de re, & procedere ex diversâ hujus nominis *Subsistentia* acceptione ac Intelligentiâ. Ex eo enim, quòd res aliqua per se existat & non in alio, vocari subsistentiam: Hunc autem per se existendi modum vel accipi posse pro perseitate excludente dependentiam, vel pro perseitate excludente communicationem. Juxta illam igitur priorem, non verò secundùm istam posteriorem acceptionem in divinâ secundùm se absolutè, & à Personalitatibus relativis præcisè sumtâ Essentiâ intelligi posse subsistentiam tribus Personis divinis communem.

8. Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 2. à n. 1.* Andreas Lao *cit. dub. 1.* cùm quatuor in subsistentiâ formalitates consideràssent, singularitatem nimirum, modum existendi per se, incommunicabilitatem, & concretum Naturæ per modum non tantùm formæ ac Principij *Quo*, sed per modum *Quod* habentis naturam. Exinde tanquàm certum supponit 1. Quòd remotis subsistentijs relativis, Deitatis forma secundùm se absolutè sumpta habeat singularitatem seu unitatem singularem. 2. Quòd illa natura, utpotè quæ sit ipsum Esse à se, sit per se independenter ab omni alio existens. 3. Quòd remotis Personalitatibus relativis, natura Deitatis non sit Persona Incommunicabilis. Hinc 4. totam præsentis Controversiæ difficultatē ad hunc non de nomine, sed re quæstionis statum reducunt præallegati Doctores; *An*, scilicet, *id, quod accipitur remotis Personalitatibus in Deo, seu id, quod est commune tribus Personalitatibus, ex vi sui formalis conceptûs Deitatis & Essentiæ non solùm sit Essentia significata per modum Naturæ & Formæ, seu ut Principiū Quo ipsius Dei, sed etiam sit Essentia significata per modum Quod, & ut concretum subsistens, quantum ad rationem per se existendi, ita quòd hæc perfectio per se existendi non sit solùm radicaliter in Essentiâ, & formaliter per subsequentem relationis conceptum conveniat, sed formaliter in ipso Deitatis conceptu includatur, ita quòd istud sufficiat, ut subsistens formaliter dicatur hic Deus, & hæc Deitas, licèt non sit subsistens incommunicabiliter, sicut suppositum & Persona?*

9. Nos quæstionis statum ex antiquorum definitionibus formaturi supponimus 1. Subsistentiam strictè sumptam ita comparari ad Personalitatem, ut hæc solam rationalem; illa verò quamlibet naturam afficiat. 2. Personam à Boëtio definiri, quòd sit individua Naturæ rationalis substantia. 3. Hanc individuationis rationem formaliter importare incommunicabilitatem exclusivam multiplicabilitatis. Hinc 4. Personam Divinam à Richardo de Sancto Victore definiri, quòd sit Naturæ Divinæ incommunicabilis existentia. *ex dictis suprà in initio præs. quæst.*

10. Ex quibus facilè occurrit status quæstionis: *An Incommunicabilitas individuationis propria habens ut sic rationem subsistentiæ, conveniat naturæ ac Essentiæ divinæ secundùm se absolutè & à Personalitatibus relativis præcisè considerata?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

EX parte Vasquezij, aliorumque Doctorum suprà *in init. hujus art. n. 4.* allegatorum ita licet argumentari. 1. In Deo ut communi tribus Personis non datur una Hypostasis absoluta. Ergo neque subsistentia. Antecedens est Sancti Thomæ *1. p. q. 40. a. 3.* docentis, quòd relationibus Personalibus remotis per intellectum, non remaneat Hypostasis. Consequentia verò probatur, quia Subsistentia in Divinis est idem, quod Hypostasis: velut Martinus 1. in Concil. Lateran. *consult. 5. can. 1.* explicans, quomodo sit Trinitas in unitate, ait, *Deum esse in tribus subsistentijs, quasi Græcè dicatur Hypostasibus.* Consequens igitur est, in Deo non esse unam absolutam subsistentiam, si non detur una tribus Personis divinis communis Hypostasis. 11.

2. Subsistentiæ munus est, constituere Ens per se. At licèt Essentia Divina secundùm se, præcisis relationibus, possit considerari ut Purus existendi actus, nequit tamen considerari ut per se. Probatur ista minor. Natura quatenus consideratur ut communicabilis alicui Personæ, non consideratur per se, sed ut terminabilis alio termino. Atqui Natura divina, præcisis relationibus, consideratur ut communicabilis tribus Personis, atque adeò ut terminabilis alio termino scilicet relatione. Ergo ut sic non consideratur per se, nec adeò involvit sub tali consideratione aliquam subsistentiam. 12.

CONCLUSIO.

ESsentia Dei ut sic importat individuationem, quæ formaliter dicit irreceptibilitatem, & incommunicabilitatem sub ratione purissimæ Essendi ex se individuatæ actualitatis omnino indivisibilem, cujusmodi incommunicabilitas est subsistentiæ ratio propria.

Probatur. Nam subsistentia definitur, quòd sit ultimum Naturæ complementum. Hæc autem ultimi complementi ratio importat actualitatem, per quam natura ita constituitur completa & actuata, ut in ratione Substantiæ nec per modum subjecti sit actuabilis, nec per modum formæ receptibilis sit potens actuare. Unde subsistentiæ proprium est, Naturæ tribuere talem perseitatem, per quam in se subsistens tanquàm substantia ultimatè completa nullū habere possit ordinem vel actuabilitatis potentialis, vel actûs receptibilis ad totum aliquod substantiale sive physicum sive Metaphysicum constituendum. At per istam perseitatis independentiam fit, quòd substantia taliter perfecta, ne quidem ad individualem determinationem sit ulteriùs contrahibilis, utpote individuationis positivæ & completæ rationem formaliter includens. Ejusmodi verò positiva & completa individuatio differt ab individuatione Naturæ incompletâ, & Negativâ, quòd ista radicaliter, illa verò formaliter per modum positivæ Characteristicæ proprietatis sit unius substantiæ ab alijs distinctiva, ac sui in se Divisibilitatis seu Multiplicabilitatis positivè exclu- 13.

exclusiva. Unde subsistentia ita est ultima sub ratione substantiæ perfectio & actualitas, ipsam etiam individualem positivam determinationem tribuens, ut consequenter importet incommunicabilitatem multiplicabilitatis sub ratione
14. Substantiæ exclusivam. Atqui Essentia divina secundùm se absolutè & à Personalitatibus relativis præcisè considerata est purissima Essendi actualitas. Hæc autem purissimæ actualitatis ratio importat substantiam ex se ita perfectam & completam, ut nec per modum potentiæ receptivæ, nec per modum formæ receptibilis possit ulteriùs perfici. Unde sub omnimodæ independentiæ Perseitate subsistens ad nullum sive Phisicum, sive Metaphysicum totum substantiale constituendum potest habere ordinem vel actuabilitatis potentialis, vel actûs receptibilis. At ista per se ipsam ultimate actuata nullo modo actuabilis subsistens actualitas in suo formali conceptu involvit Hæcceitatem, seu positivam individualem determinationem, ita ut hæc sit ipsamet divinæ Essentiæ a creatis potentialitatem includentibus Essentijs distinctiva ratio formalis, & proprietas Characteristica omnimodam Essentiæ divinæ multiplicabilitatem eo ipso formaliter excludens, quòd Hæcceitas sit de Essentiali Deitatis ac Essentiæ divinæ conceptu. Constat igitur, Deitatem ut sic quà præcisam à personalitatibus relativis in formali suo conceptu involvere omnimodam subsistentiæ rationem, ut adeò Essentia divina per Angelicû, aliosq; Theologos passim exponatur per Esse subsistens.

Dices. In hoc discursu supponi, quòd sub-
15. sistentia importet perseitatem, per quam Substantia nec in ratione Potentiæ receptivæ, nec in ratione actûs receptibilis sit ulteriùs potens ad totum Substantiale sive Physicum, sive Metaphysicum constituendum. At contra istam Doctrinam pugnare, quod Natura quà subsistens sit actuabilis per Existentiam. Hæc autem tanquam formalitas Substantialis una cum naturâ subsistente constituit compositum substantiale. Unde non videtur verum, quod subsistentia importet Perseitatem, per quam substantia nec in ratione potentiæ receptivæ, nec in ratione actûs receptibilis sit ulteriùs potês ad totû substantiale sive Physicum, sive Metaphysicum constituendû.

Contra. Nam subsistentiæ ratio Essentialis consistit in actualitate Naturæ ultimâ. Atqui ra-
16. tio actualitatis importat determinationem formalem. Unde ratio actualitatis quà ultima importat formalitatem quà ultimò Determinativam in ratione naturæ. Hæc autem Formalitatis ultimò Determinativæ ratio importat ut sic Notionem Characteristicam Naturæ taliter Terminativam, ut non sit ulteriùs Determinabilis in ratione Naturæ etiam *ut Quod* consideratæ. Unde formalitates huic ultimæ per subsistentiam determinationi supervenientes oportet esse extra formalitatem Naturæ etiam *ut Quod* spectatæ. Ex hoc autem sequitur, quòd Existentia Naturæ subsistenti superveniens in rebus creatis se habeat ad illam instar accidentis prædicabilis. Unde concretum ex Existentiâ & naturâ subsistente non est Compositum Essentiale etiã *ut Quod*, sed numeratur in creatis inter composita prædicabiliter accidentalia, seu Denominativa. Quocirca verificatur, de ratione primâ & Essentiali subsistentiæ esse, quòd sit actualitas Naturæ ultimò & taliter Terminativa, ut cõpositum ex naturâ & subsistentiâ resultans nec in ratione Potentiæ receptivæ, nec in ratione actûs receptibilis possit ulteriùs ordinari ad Compositum simpliciter substantiale, tale nimirum, quod in suo formali conceptu nullam involvat actualitatem primæ substantiæ supervenientem. At verò per hoc, quod Deus sit actus purus, ita est per Essentiam simpliciter perfectus, nec in ratione potentiæ receptivæ, nec in ratione actûs receptibilis habeat aliquam perfectibilitatem. Ex hoc autem sequitur, in Deo idem esse *Quo est*, & *Quod Quid* est. At ex hac ipsâ identitate, per quam in Deo idem est Natura & suppositum, rursus infer ur, Esse existentiæ aliter realiter, quam formaliter esse ipsum Esse Essentiæ divinæ, nec adeo illam ullius accidentis esse receptivam. Velut hæc omnia patent *ex deductis supra q. 2. a. 1. cont. 2. & seq.* Pa et igitur, per rationem actûs puri Essentiæ ac existentiæ identitatem realem formalem seu Essentialem formaliter importantis, atque adeò Potentialitatem omnimodam excludentis convenire Deo formalitatem subsistendi, seu Perseitatem, per quam Esse Dei in se subsistens nec in ratione potentiæ receptivæ, nec in ratione actûs receptibilis ulteriùs possit ordinari ad Compositum aliquod sive Essentiale, sive etiã accidentale, sive *ut Quo* sive *ut Quod* consideratum. Atqui ratio actûs puri convenit Essentiæ divinæ *absolutè* consideratæ. Ergo eidem Dei Essentiæ etiam quà præcisæ à relationibus convenit formalis ratio subsistendi: Angelico Doctore *in 1. dist. 21. q. 2. a. 1.* expressis verbis attestante hisce verbis: *Iste terminus Deus prædicat Naturam divinam de tribus Personis, quæ etiam in se est habens Esse subsistens, nulla intellecta Personarum distinctione.*

Replicabis. Ex præfacto discursu infer r, vel quòd Existentia in Substantijs creatis intrinsecè ac Entitativè non sit substantialis, vel quòd Natura subsistens quà per Existentiam Entitativè substantialem actuabilis possit ulteriùs ordinari ad compositionem Substantialem, atque adeo ad Compositum simpliciter substantiale, id est constans ex meris Substantijs. Ergo rationem subsistentiæ non importare talem Perseitatem, per quam substantia subsistens non sit ordinabilis ad compositum simpliciter substantiale. 18.

Contra. Nam substantia simpliciter sumpta est Ens per se subsistens. At ratio Entis per se subsistentis ultimate completur per formalitatem subsistentiæ. Unde Existentia subsistenti Naturæ superveniens ex hoc solum est Entitas substantialis, quòd sit modus intrinsecè ac Essentialiter connexus cum naturâ quà subsistente, non autem sit formalitas intrinsecè constitutiva Primæ Substantiæ. Quare Natura subsistens eatenus est actuabilis per existentiam, ut tamen in ratione Primæ substantiæ simpliciter sit actuata, nec adeò in ratione vel potentiæ receptivæ, vel actûs receptibilis sit ulteriùs ordinabilis ad suppositum, sive Compositum simpliciter substantiale. At per hoc quod Deus sit actus purus, infertur, ipsius Essentiam formaliter importare rationem subsistentiæ, ex Divo Tho. *quæst. 2. quodlib. a. 4.* Ex eo autem, quòd ipsa Dei Essentia sit subsistens, sequitur, ipsam esse suum Esse subsistens. *ex 3. dist. 6. q. 2. a. 1. ad 2.* Exinde verò, quòd Divina Essentia sit suum Esse subsistens, fit consequens, quod nullius 19. 20.

lius accidentis sit receptiva. *ex 1. p. q. 3. a. 6.* Constat igitur, rationem formalem subsistentiæ eatenus convenire Divinæ Essentiæ quà tali, ut hæc ipsa subsistentiæ ratio formalis simpliciter & absolutè conveniat soli Essentiæ Divinæ, creatis autem Primis substantiis competat solùm limitatè.

21. Probatur istud Assumptum: Nam ratio subsistentiæ creatæ constituit Naturam non simpliciter, sed sub ratione primæ duntaxat substantiæ, seu Naturæ *ut Quod* actuatam. Unde relinquit primam substantiam actuabilem, tùm per modum Existentiæ Prædicamentaliter quidem substantialem, sed prædicabiliter accidentalem, tum per varij generis accidentia. Atqui ratio subsistentiæ importat Perseitatem, tanquàm ultimam Naturæ actualitatem. Quare illa duntaxat Natura est absolutè subsistens, quæ in suâ quidditate involvit actualitatem omnimodæ Potentialitatis & actualitatis exclusivam. At istud nulli convenit creatæ substantiæ. Ergo huic non absoluta, sed limitata duntaxat convenit subsistentiæ perfectio, per quam sub ratione duntaxat Naturæ *ut Quod*, sive sub ratione Primæ substantiæ, non autem sub ratione Entis, vel substantiæ simpliciter competit creatis substantiis esse actuatas, ac per se subsistentes. Soli ergo Divinæ Essentiæ ut sic proprium est absolutè ac simpliciter esse subsistentem.

22. Instabis. Animæ rationali separatæ convenire, quòd sit subsistens. Atqui animæ in statu etiam separationis competere, quòd sit actus ex naturæ suæ exigentiâ receptibilis in materiâ quà subjecto non quidem inhæsionis, sed informationis. Ergo de ratione subsistentiæ non esse, quòd sit actualitas tribuens Naturæ irreceptibilitatem in alio tanquàm subjecto.

23. Contra. Nam per hoc, quòd Esse Dei sit irreceptum, est formaliter subsistens, ex D. Thomâ *1. p. q. 7. a. 1.* Ergo subsistentiæ effectus formalis, vel quasi est tribuere naturæ seu substantiæ irreceptibilitatem. Unde quò purior in substantiâ seu Ente aliquo stat irreceptibilitas, eò perfectiori modo habet rationem subsistentiæ, non nisi ex Divinâ, tanquàm primo Exemplari derivatam & exemplatam. Atqui anima rationalis in statu separationis subsistens per subsistentiam Totius, eatenus habet in ratione individui Incommunicabilitatem, ut in ratione etiam Naturæ, imò & substantiæ completæ habeat irreceptibilitatem non quidem Formalem, sed radicalem. Unde perseitatis ratio in animâ rationali separatâ ut sic subsistentiam creatam Totius Essentialiter, non autem Integraliter perfectam habente minùs perfectè participat Exemplabilitatem Primæ soli Deo propriæ subsistentiæ, quàm Prima completa substantia, siquidem huic omnimoda in ratione etiam Naturæ conveniat perseitas, sive irreceptibilitas quoque formalis, animæ verò rationali in statu separationis conveniat quidem Formaliter irreceptibilitas in ratione substantialis individui, non verò in ratione Naturæ, nisi Radicaliter. Constat proinde, eatenus distinguendos esse diversos subsistentiæ gradus, ut primus soli Essentiæ Divinæ ultimatè subsistenti proprius sit; secundus autem conveniat Toti substantiæ sive simplici, sive ex materiâ & formâ compositæ; tertius Animæ rationali etiam naturaliter subsistenti extra materiam.

24. Confirmatur. Nam 1. quia Esse Dei est irreceptum, ideò importat formaliter rationem subsistendi. 2. Quia Essentia, non autem Esse Existentiæ in Angelo est irreceptum, ideò species Angelica importat Radicaliter subsistentiam, ita quidem, ut ejusmodi Angelica Essentia non sit indifferens ad plures individuales Determinationes, sed ad unicam individualiter subsistendi formalitatem determinata sit. Econtra verò. 3. Quia anima rationalis est forma secundùm naturalem sui exigentiam receptibilis in materiâ, ideò secundùm gradum suum specificum spectata ne Radicaliter quidem in suâ Essentiâ importat Principia individuantia, sed ejus individuatio completa est per materiam individualem, in quâ tanquàm causâ naturali Dispositivâ radicatur subsistentia illius ad primæ substantiæ rationem formaliter determinativa. Constat igitur, Subsistentiam eatenus consistere in formalitate receptibilitatis exclusivâ, ut quò purior ejusmodi est irreceptibilitas, eò perfectior substantiæ conveniat subsistendi ratio.

25. Urgebis. Si subsistentia importet in ratione substantiæ Irreceptibilitatem, sequi, animam rationalem in suæ creationis instanti pro priori Naturæ actuatione materiæ, sive sui cum corpore unionem antecedente non posse intelligi subsistentem, siquidem pro illo priori se habeat anima rationalis ut forma receptibilis. Ex hoc autem sequi, animam Christi non fuisse priùs unitam subsistentiæ Verbi, quàm corpori. At istud repugnare doctrinæ Divi Thomæ *in 3. p.* Ergo & id, ex quo sequitur.

26. Contra. Nam alia substantiæ irreceptibilitas est Formalis sita in actualitate Formaliter exclusivâ receptibilitatis in alio tanquàm subjecto: alia est Radicalis importans Formalitatem, quæ connaturaliter exigit actuationem non ulteriùs actuabilem. At verò de quidditate subsistentiæ est tum *Formalis* in ratione individui incommunicabilitas & irreceptibilitas, adeò ut substantia subsistens sit Essentialiter exclusiva omnimodæ cum aliâ Hypostasi unionis: tum *Radicalis* in ratione naturæ irreceptibilitas, adeò ut substantia subsistens, si non actu in ratione Naturæ sit completa, connaturaliter exigat omnimodum in ratione naturæ complementum. Ejusmodi verò radicalis in ratione Naturæ irreceptibilitas formæ rationali eatenus convenit tum in statu separationis, tum in creationis actuationem materiæ antecedente signo, ut consequenter pro tali statu intelligatur habere subsistentiam. Unde etiam fit, quòd subsistentia in gradu perfecto, cujusmodi est in Deo, omnimodam quidem irreceptibilitatem importet, in gradu tamē potentialitati immerso, & ut sic intrinsecè quoad perfectionem limitato, cujusmodi est in animâ rationali, importet Essentialiter irreceptibilitatem logicam & Metaphysicam in ratione individui, non verò Physicam in ratione Naturæ seu substantiæ simpliciter, nisi radicalem, adeò ut Formalis Physica in ratione substantiæ irreceptibilitas sit potiùs de statu integrali, quàm Essentiali subsistentiæ connaturaliter competentis formæ rationali.

27. Confirmatur. Nam alia Incommunicabi-

nicabilitas est Physica in ratione Naturæ, alia est Metaphysica in ratione individui, alia denique est Logica in ratione prædicabilis. At prima solùm Radicaliter spectata est de quidditate subsistentiæ creatæ, afficiens substantiam in ratione naturæ vel compositam vel componibilem. Secunda verò Formaliter involvitur in subsistentiæ cujuscumque etiã creatæ quidditate. Tertia verò est istam secundam consequens, in eâque radicatur tanquàm fundamento.

28. Minor ista Probatur. Nam ratio subsistentiæ secundùm Boetium est Formaliter individuatio completa. Hæc verò importat Formalem in ratione individui seu suppositi incommunicabilitatem Metaphysicam. At ista in ratione individui incommunicabilitas secundùm connaturalem suam exigentiam, atq; adeò Radicaliter eatenus supponit substantiam in ratione Naturæ completam, ut huic communicet omnimodam in ratione substantiæ irreceptibilitatem, licèt in incompletâ subsistente formâ reperiatur sola Metaphysica in ratione individui, non autem Physica in ratione Naturæ irreceptibilitas. Unde fit, quòd physica in ratione naturæ irreceptibilitas solùm Radicaliter, Metaphysica verò in ratione substantialis individui irreceptibilitas Formaliter sit de quidditate subsistentiæ. At verò in istâ Metaphysicâ quoad rationem individui irreceptibilitate fundatur incommunicabilitas logica.

29. Probatur istud Assumptum. Nam Communicabilitas Logica importat universalitatem. Hæc autem consistit in Formali Naturæ unitate, & aptitudine inexistendi pluribus. Ejusmodi verò Naturæ unitas Formalis, ejusque pluribus inexistendi aptitudo radicatur in potentialitate eatenus fundante, tum generis, tum Differentiæ, tum speciei sub unâ rationis objectivæ formalitate multiplicabilitatem, ut hæc tum in potentialitate Materiæ, vel substantiæ quà receptivæ: tum in receptibilitate formæ radicetur. Cùm igitur Communicabilitas Logica radicetur in Potentialitate tum receptivâ, tum receptibili, consequens est, Incommunicabilitatem Logicam omnimodæ à substantiâ aliquâ multiplicabilitatis exclusivam, atque adeò ad rationem individui etiam logicè determinativam fundari in irreceptibilitate tum subjectivâ, tum Formali substantiæ quà per subsistentiam realiter terminatæ convenientem. At verò ista irreceptibilitatis omnimodæ ratio Primò convenit Essentiæ Divinæ, prout est purissima Essendi actualitas formaliter includens Hæcceitatem, atque adeò excludens sui tam Logicam, quàm Physicam, & imò Metaphysiam Potentialem communicabilitatem. Etsi proinde Essentia Divina subsistens in Patre sit communicabilis Filio, hæc ipsa tamen Communicabilitas nullam vel in ratione subjecti receptivi, vel actûs receptibilis importat Potentialitatem. Ergo non obstat, quò minùs Essentiæ Divinæ ut sic competat tota subsistentiæ ratio receptibilitatis seu Communicabilitatis Potentialis tum Physicæ, tum Metaphysicæ & consequenter Logicæ formaliter exclusiva.

Responsio ad Opposita Argumenta.

30. AD 1. Vasquezij oppositum Argumentum Respondetur; Cùm Nomen Hypostasis ex primævâ suâ significatione corresponderet substantiæ: Hujus verò significatio æquivoca importaret quandoque subsistentiam, quandoque verò Essentiam: Idcirco propter Nominum ejusmodi confusionem factum esse, ut nonnulli ponendo in Deo tres Hypostases, assererent tres substantias, adeòque tres etiam Essentias. Hinc ad erroris periculum tollendum è medio, inter Orthodoxos conventum esse, ut Hypostasis appropriaretur Personis, Substantia verò Essentiæ. Cui proinde jam recepto loquendi usui insistendo, nomen quoque substantiæ eo ipso ambiguum esse redditum, quòd substantia definiatur Ens per se subsistens, atque adeò subsistentia importetur formaliter in ratione Primæ seu completæ substantiæ. Unde subsistentiam in Naturâ Divinâ, vel accipi posse prout omnimodam importat incommunicabilitatem, atque ut sic notionem subsistentiæ coincidere cum Hypostasi seu relativâ personæ alicujus Divinæ proprietate, vel accipi posse prout præcisè dicit Incommunicabilitatem receptibilitatis Potentialis exclusivam, atque ut sic notionem Hypostasis non ita propriam esse Personarum, quin in ipsâ Divinâ tribus Personis communi substantiâ involvatur, juxta sextæ Synodi actionem 4. Agathone Papâ per Epistolam ibi asserente: *Tres Personas esse unum Deum, non trium nominum subsistentiam; sed trium subsistentiarum, seu Personarum unam subsistentiam.*

Ad 2. Vasquezij oppositum Argumentum Respondetur. Subsistentiam importare formaliter actualitatem in ratione substantiæ non tantùm *Quo*, sed *Quod* ultimò constitutivam. Ejusmodi verò ultimæ actualitatis rationem importare irreceptibilitatem omnimodæ ad ulteriorem substantialem compositionem ordinabilitatis, atque adeò Potentialitatis tum receptivæ, tum receptibilis exclusivam. In quâ porrò irreceptibilitate consistere incomunicabilitatem tum Physicam, tum consequenter Logicam & Individualem Metaphysicam. At verò irreceptibilitatis, atque adeò Incommunicabilitatis ejusmodi rationem aliam esse ex puritate Essendi, velut in Essentiâ Divinâ, aliam ex limitatione Essentialitatis, velut in substantijs creatis, aliam denique ex correlatione, velut in Personalitatibus Divinis. Constat proinde, rationem subsistendi, prout importat perseitatem substantiæ in ratione *Quod* constitutivam, & omnimodæ tam subjectivæ, quàm formalis receptibilitatis, atque Logicæ communicabilitatis seu universalitatis sive multiplicabilitatis exclusivam, esse formaliter in Divinâ Essentia, utpote quæ per se ipsam simpliciter in ratione substantiæ sit ultimò actuata, nec sit adeò communicabilis nisi per purissimæ actualitatis identitatem, omnimodæ potentialitatis ac Terminabilitatis receptibilis exclusivam.

***

CON-

CONTROVERSIA II.

An præter absolutam Essentiæ Divinæ subsistentiam dentur in Deo tres subsistentiæ relativæ?

1. NEgativa Durandi *in init. hujus art.* citati sententia videtur 1. habere fundamentum in Angelico Doctore *q. 8. de Potent. a. 3. ad 7.* asserente: *Relationes in Divinis, etsi constituant Hypostases, & sic faciant eas subsistentes, hoc tamen facere in quantum sunt Essentia Divina. Relationem enim, in quantum est relatio, non habere, quòd subsistat, vel subsistere faciat: hoc enim solius substantiæ esse.*

2. 2. Confirmatur ex S. Augustino *7. de Trinit. cap. 3. & 4.* probante: Deum ad se subsistere, non ad aliud; & quod ad se dicitur, non multiplicari in Deo.
3. 3. Probatur ratione. Nam in ratione Personæ duo tantùm importantur, scilicet subsistere incommunicabiliter. At primum tribuitur Personis Divinis à subsistentiâ absolutâ Essentiæ in illis inclusâ: alterum verò præstatur à relationibus, quæ per oppositionem relativam sunt rationes distinctionis, & incommunicabilitatis in Personis Divinis. Ergo videtur superfluum, & otiosum præter subsistentiam absolutam tres relativas in Personis Divinis admittere, siquidem ipsa subsistentia absoluta, ut tribus relationibus modificata, possit præstare totum id, quod ad rationem & constitutionem Personæ Divinæ requiritur.

Conclusio.

RElationes Divinæ Personales non sunt intelligibiles, quin in conceptu suo objectivo formaliter involvant rationem subsistendi, quæ tamen ut sic est Formalissimè Essentia Divina.

4. Probatur authoritate Sancti Thomæ. Nam quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo, in abstracto secundùm se consideretur, alijs circumscriptis, erit subsistens. *ex 3. p. q. 3. a. 3. ad 1.* Atqui res quà subsistens formaliter dicit subsistentiam. Ergo nulla sive attributalis sive Personalis Dei formalitas ex mente Sancti Thomæ per nostram quantumvis præcisivam rationem est intelligibilis, quin ex parte sui conceptûs objectivi Formaliter involvat subsistentiam. At proprietates Personales habent, quòd subsistant ab Essentiâ: ex eo enim Paternitas habet, quòd sit res subsistens; quia Essentia Divina, cui est idem secundùm rem, est subsistens. ex Sancto Doctore *q. 9. de Potent. a. 5. ad 13.* Ergo Personalitates Divinæ quà tales eatenus involvunt subsistentiam, ut hæc tamen secundùm nostrum quoque objectivum conceptum Formaliter sit ipsa Divina Essentia.

5. Dices. Ex hoc aliquid multiplicari secundùm numerum, ex quo subsistentiam habet. ex Divo Thomâ *ubi supra.* Atqui multiplicatio Divinarum Personalitatum non est per hoc, quòd in suâ ratione formali involvant Essentiam. Ergo non ex istâ habent subsistentiam, sed formaliter ex se ipsis.

Contra. Nam distinctio Numerica est per hoc, quòd aliquid ita sit indivisum in se, ut consequenter sit divisum à quolibet alio. At ista rei in se indivisæ à quovis alio est incompleta, habens rationem Negativæ individuationis, per quam Natura secundùm se antecedenter ad subsistentiam non simpliciter in ratione substantiæ, sed cum addito in ratione Naturæ singularizata est ab alijs tum substantialibus, tû accidentalibus Entitatibus realiter distincta. Alia proinde substantiæ in se indivisæ ab alijs divisio est completa habens rationem positivæ individuationis. Hæc autem positiva & Completa ab alijs distinctiva individuatio est substantiæ *ut Quod* spectatæ actualitas intra substantiæ lineam Ultima, cujusvis tam receptivæ, quàm receptibilis Potentialitatis, omnisque adeò tam physicæ, quàm Logicæ intra eandem substantiæ lineam Communicabilitatis formaliter exclusiva. Unde individuatio ejusmodi formaliter importat subsistentiam, quæ proinde est formaliter actualitas substantiæ *ut Quod* distinctiva ab alijs, ut adeò verum sit, Substantiam *ut Quod* cum alijs collatam ex hoc multiplicari secundùm numerum, ex quo subsistentiam habet. Atqui ratio substantiæ *Quod* 7. actualitatem puram, adeòque primam, & ultimam omnimodæ non duntaxat intra substantiæ, sed Entis absolutè perfecti lineam potentialitatis exclusivam importans omni formalitati Divinæ formaliter convenit per Essentiam, quæ ut sic est Esse subsistens. Unde per hoc Essentialiter individuatum Esse convenit omni formalitati Divinæ, quòd in se indivisa sit ab omni alio taliter divisa seu distincta, ut quævis Deo intrinseca & Personalis formalitas sub ratione substantiæ & Entis purissimè subsistentis, sit à parte rei Formaliter una & indivisa, sed distincta & divisa à quovis alio, cujus Essentia involvens potentialitatem non est suum Esse subsistens. Etsi proinde relativæ in Divinis Hypostases non distinguantur per Essentiam, per istam tamen habent rationem substantiæ *Quod.* Unde per relationes hoc solùm habent, quòd ab invicem distinguantur, quòd autem subsistant, hoc habent ab Essentiâ. ex Doctore Angelico *ubi supra.*

Replicabis ex Gonet *præs. disp. 7. a. 2. §. 3.* 8. Significatum Formale hujus nominis *Persona Divina* est Esse subsistens incommunicabiliter. Unde ut Personæ Divinæ multiplicentur, utrumque debet necessariò multiplicari, subsistentia scilicet, & incommunicabilitas. At si Personæ Divinæ non subsisterent nisi per Essentiæ subsistentiam absolutam, sequeretur, hanc ut sic non multiplicari in Personis Divinis. Quare ad multiplicandas Personas Divinas non sufficit unica Essentiæ absoluta per relationes modificata subsistentia, sed oportet, ipsas relationes Divinas secum deferre suas subsistentias relativas sibi proprias, & à subsistentiâ absolutâ Essentiæ in illis inclusâ virtualiter distinctas.

Contra. Nam subsistentia importat Formaliter ultimam sub ratione substantiæ determinationem, atque adeò individualem incommunicabilitatem. At ista ultima sub ratione substantiæ determinatio alia est Formaliter involvens ipsum Esse, alia verò importat Potentialitatem 9.

litatem, non quidem ad ulteriorem in ratione substantiæ constitutionem, sed ad Esse existentiæ prædicabiliter accidentale. Hæc autem ultima ad Esse Existentiæ Potentialitatem involvens substantiæ determinatio fundat multiplicabilitatem vel intra eandem speciem, vel saltem intra genus non duntaxat supremum, sed subalternum substantiæ prædicamentalis. E-contra verò ultima in ratione substantiæ ac essentiæ ipsum Esse formaliter involvens actualitas intra substantiæ per Essentiam Existentis lineam ita est exclusiva multiplicabilitatis, ut nec in ratione Entis, nec in ratione substantiæ nec in ratione Existentis plurificentur formalitates Divinæ, sed sub ratione duntaxat correlationis. Ejusmodi verò Divinæ relationes nequeunt intelligi tanquàm formalitates Substantiã Divinã, seu Esse Dei subsistens modificantes, sed ut per se subsistentes. Atqui in ejusmodi Divinæ relationis Formalitate subsistente, quà unius Personæ ad alteram correlativã ita involvitur Esse subsistens Divinæ Essentiæ ut sic constitutivum; ut hoc sit quidem præscindibile à Formalitate correlationis, non ècontra Formalitas Divinæ relationis etiam quà talis sit abstrahibilis ab Esse subsistentiæ formaliter constitutivo Essentiæ Divinæ. Unde verificatur, relationes Divinas ad se invicem referri, quà subsistentes.

10. Atqui Formalitates ejusmodi Divinæ quatenus ad se correlatæ distinguuntur, & multiplicantur. Ergo verificatur ista Propositio, quòd relationes Divinæ, non quà formalitates Divinæ substantiæ modificantes, sed quà per se subsistentes multiplicentur in Deo. At verò istius propositionis sensus solummodò est, quòd ratio correlationis multiplicabilitatem Personarum in Deo importans in suo objectivo conceptu Formaliter dicat Esse subsistens. Unde in relatione ejusmodi quà subsistente, non debent Virtualiter dividi (uti facit Gonet citatus) Formalitates Incommunicabilitatis, & subsistentiæ, sed sub indivisibli relationis Personalis Divinæ conceptu objectivo involvitur una simplex Formalitas habens rationem correlationis, atque adeò Incommunicabilitatis per se subsistentis. At verò hæc ipsa subsistens Incommunicabilitas, eatenus involvit Formaliter subsistentiam ipsius Essentiæ Divinæ ut sic constitutivam, ut tamen hæc non præcisè sub conceptu subsistentiæ, sed sub ratione 11. subsistentiæ quà correlatæ formaliter, atque adeò secundùm talem conceptum Essentialiter importet unam indivisibilem Formalitatem subsistentiæ quà ad alteram Personam correlatæ. At verò sub hoc ipso subsistentiæ quà ad alteram correlatæ conceptu ipsamet Essentia Divina Formaliter habet rationem Personæ importantis ut sic individuationem substantialem, sitam in substantiã Divinã, non absolutè sumptã, sed quà correlatã. Verum igitur est, quòd Persona Divina formaliter dicat Esse subsistens incommunicabiliter, ita tamen, ut hoc Esse subsistens sit ipsamet Essentia Divina in Formali Personæ Divinæ conceptu importata involvens ut sic incommunicabilitatem non modificativam, sed subsistentem non aliã subsistentiã, quàm 12. ipsiusmet Essentiæ Divinæ. In quo adeò sensu accipiendum est illud Divi Thomæ de potentiã *cit. a. 5. ad 13.* taliter differentis: *In rebus creatis Principia individuantia duo habent, quorum unum est, quòd sunt Principium subsistendi: natura enim communis de se non subsistit, nisi in singularibus: aliud est, quòd per Principia individuantia supposita Naturæ Communis ab invicem distinguuntur. In Divinis autem Proprietates Personales hoc solùm habent, quòd supposita Naturæ Divinæ ab invicem distinguantur, non autem sunt Principium subsistendi Divinæ Essentiæ; ipsa enim Divina Essentia est secundùm se subsistens, sed è converso proprietates Personales habent, quòd subsistant ab Essentiâ: ex eo enim Paternitas habet, quòd sit res subsistens, quia Essentia Divina, cui est idem secundùm rem, est res subsistens.*

Responsio ad Argumenta pro Negativâ Durandi sententiâ *à n. 1.* deducta.

13. Ad 1. ex Authoritate Divi Thomæ depromptum argumentum Respondetur; Posse Sancti Doctoris verba ibi posita ad istam redigi argumentationem: Relationes in Divinis constituunt Hypostases. Atqui constituendo Hypostases faciunt eas subsistentes. At verò relatio, in quantum relatio non habet, quòd subsistat, vel subsistere faciat, hoc enim solius substantiæ est. Ergò relationes in Divinis Hypostasum constitutivæ non sunt considerandæ præcisè quà relationes, sed quà substantiæ sunt. Ut sic autem sunt Essentia Divina. Ergo relationes Divinæ, quà tales prout sunt constitutivæ Hypostasum, involvunt formaliter Essentiam Divinam, atque ut sic faciunt Hypostases subsistere. 14. Ex quibus adeò facilè patet, relationes Divinas non nisi per absolutam Essentiæ subsistentiam subsistere, nec tamen Personalitates Divinas se habere ad Essentiam Divinam quà Modos duntaxat Incommunicabilitatis, sed quà Incommunicabilitatem relativam formaliter ut sic subsistentem per Essentiam Divinam.

15. Ad Sancti Augustini *n. 2.* propositam Authoritatem Respondetur. Eatenus verum esse, quòd Deus absolutè spectatus ad se subsistat, ut tamen sub relatione Originis sit Persona ad aliam subsistens. At verò hanc subsistendi rationem, quæ est ipsa Essentia Divina ad se subsistens, non quidem multiplicari, ipsam tamen Originem correlationis, quæ formaliter involvit subsistentiam omnino unicam, & indivisibilem, realiter multiplicari. Unde verum quidem est, Formalitatem Divinam, prout ad se dicitur, sub tali conceptu non intelligi multiplicabilem; ex hoc tamen, quòd hæc ipsa Divina Formalitas Essentialis sit per se ipsam à parte rei Formaliter correlativa, esse ut sic multiplicem in Deo.

16. Ad Argumentum ex ratione *n. 3.* propositum Respondetur. Ex eo habere efficaciam, quòd Essentia Divina Formaliter non tantùm à parte rei, sed etiam objectivè importetur in Personali quantumvis abstractã Dei proprietate. Nam subsistentia ex parte conceptûs nostri etiam objectivè Formaliter importatur in Essentiâ Divinâ. Unde ex eo, quòd nulla Personalitas Divina sit abstrahibilis ab Essentiâ Dei, est consequens, ipsam incommunicabilitatis rationem in Personâ Divinâ, etiam quà talem involvere subsistentiam Essentiæ Divinæ ut sic propriam. Unde hæc non quidem secundùm aliquam sui ex relatione Personali modificationem, sed sub simplici

simplici correlationis per se stantis conceptu habet formaliter rationem Personæ Divinæ.

ARTICULUS II.

De Formali Divinarum Personarum Constitutivo.

1. SUppono 1. in Divinis dari proprietates Personales, quibus una Persona distinguitur ab alijs. Probatur ex Sacris Concilijs. Nam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *in cap. Firmiter. de Sum. Trinitate* dicitur Sancta Trinitas secundùm essentiam una, & secundùm proprietates discreta. Et Epistola Sophronij relata in VI. Synodo Generali *actione 2.* sic habet. *Sicut Esse Deum unaquæque* (scilicet Persona) *inconvertibiliter possidet, ita & proprietatem, per quam ipsa Persona figuratur, immutabilem & immobilem obtinet, quæ eidem soli est insita, & ab alijs Personis eam discernit.* Unde Ecclesia in Præfatione Trinitatis canit: *Ut in Personis proprietas, & in Majestate adoretur æqualitas.*

2. Rationem hujus suppositionis nostræ adversùs Præpositum deducit Sanctus Thomas *1. p. q. 32. a. 2.* ex instantiâ Hæreticorum. Cùm enim confiteamur Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse unum Deum & tres Personas; quærentibus Hæreticis, *Quo* sint unus Deus, & *Quo* sint tres Personæ, sicut respondetur, quòd sint Essentiâ vel Deitate unum; ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit, Personas distingui. At ejusmodi sunt Proprietates, vel Notiones in abstracto significantes, veluti Paternitas & Filiatio. Unde Essentia in Divinis significatur *ut Quod*; Persona verò *ut Quis*; Proprietas autem *ut Quo*.

3. Suppono 2. Proprietates Dei Personales exprimi nominibus abstractis. Ratio per citatum Sanctum Doctorem deducta est, quia una Persona in Divinis refertur ad duas Personas scilicet Persona Patris non unâ, sed secundùm virtualem & rationis ratiocinatæ formalem distinctionem multiplici relatione referri oportet ad Filium & Spiritum Sanctum, alioquin consequeretur, quòd etiam Filius & Spiritus Sanctus unâ & eâdem relatione referrentur ad Patrem, & sic cùm sola relatio in Divinis multiplicet Trinitatem, sequeretur, quòd Filius & Spiritus Sanctus non essent duæ Personæ. Probantur istæ sequelæ. Nam per hoc

4. Filius & Spiritus Sanctus sunt duæ Personæ, quòd habeant relationes diversarum rationum. Unde virtualiter Patris est diversæ rationis relatio ad Filium & Spiritum Sanctum. At hæ diversarum rationum relationes in Patre in Quarto modo Dicendi per se specificantur à suis terminis correlativis. Ex hoc igitur, quòd Pater referatur ad Filium & Spiritum Sanctum, tanquàm duas Personas distinctas, sequitur, in Patre esse duplicem virtualiter diversam rationem relationis Personalis. At verò Persona Patris in concreto intelligitur per modum unius. Ergò illæ correlationum Personas Filij & Spiritûs Sancti terminantium rationes virtualiter distinctæ in Patre significari debent nominibus abstractis. Ut sic autem dicuntur Proprietates & Notiones. Hæ igitur exprimuntur nominibus abstractis.

Suppono 3. Nomina Abstracta & Concreta in Divinis non tam importare diversitatem ex parte rei, seu conceptûs objectivi, quam ex parte conceptûs nostri Formalis, seu modi duntaxat cognoscendi. Ratio ex Angelico Doctore *cit. a. 2.* sic deducitur. Nam secundùm quod intelligimus, sic & nominamus. At intellectus noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem Divinam, secundum quod in se consideranda est. Unde apprehendit & nominat Divina secundùm modum suum, id est secundũ quod inveniuntur in rebus sensibilibus, a quibus cognitionem accipit. Atqui in hisce rebus sensibilibus ad significandum simplices formas, utimur nominibus abstractis, ad significandum verò res subsistentes, utimur nominibus concretis. Quare nostro intelligendi modo congruit, ut & Divina ratione simplicitatis per nomina abstracta significemus, ratione verò subsistentiæ, & complementi per nomina concreta. Atqui formalitates Divinas sub quàvis licet abstractione oportet in suo conceptu objectivo importare puram Essendi actualitatem, sive ipsum Esse subsistens Divinæ Essentiæ eatenus proprium, ut tamen in omni formalitate quà Divinâ Transcendentaliter, ac Essentialiter involvatur. Consequens proinde est, per nomina etiam abstracta ex parte conceptûs objectivi importari subsistentiam, nec adeò hæc differre à nominibus concretis ex parte objecti, sed ex parte modi duntaxat cognoscendi, quatenus per conceptum nostrum Formalem, nomini abstracto respondentem non ita explicitè, sicuti per conceptum nomini concreto respondentem denotamus Formalitatem Divinam quà subsistentem. 5. 6.

Quibus adeò suppositis tres resultant hic Controversiæ. 1. *An Personales proprietates in Divinis sint formalia constitutiva Personarum?* 2. *An Proprietates Personarum Divinarum constitutivæ sint formaliter relativæ?* 3. *Sub quâ ratione Divinæ relationes constituant Personas.* 7.

CONTROVERSIA I.

An Personales proprietates in Divinis sint Formalia Personarum constitutiva?

GRegorius Ariminensis *in 1. dist. 22. q. 1.* ac Præpositivus à Scoto *in 1. dist. 26. quæst. un. n. 2 relatus* arbitrati sunt: Personas Divinas se ipsis distingui, ac per consequens non oportere quærere, per quæ formaliter distinguantur, vel quibus constituantur, eò quòd non habeant constitutivum: sicut ultimæ differentiæ simplices, quæ se ipsis distinguuntur, nullum habent constitutivum. Probatur. Si enim Pater non se ipso distinguatur à Filio, sed Paternitate. Ergò includit aliquid, in quo conveniat cum Filio, ex quo 8.

& Paternitate constituatur ut suppositum integrum, & perfectum. Ex hoc autem sequitur, tum quòd Pater sit Persona Composita: tum quòd Paternitas se habeat ut actus & forma respectu communis Essentiæ, in quâ Pater cum Filio convenit. At utrumque consequens est alienum à veritate.

9. Rada *Controvers. Theolog. p. 1. cont. 23. a. 1.* tenet, Personas Divinas non solùm secundùm quod à nobis concipiuntur, sed etiam secundùm Esse, quod habent à parte rei, non se ipsis, sed suis Proprietatibus distingui & constitui. Fundamentum est. Quia omni actu nostri intellectûs secluso, Pater & Filius à parte rei sunt idem in Essentiâ, & distinguuntur realiter per proprietates Personales, ut de fide tenendum est. At quæ se ipsis distinguuntur, sunt primò diversa in nullo convenientia. Ergo Pater & Filius à parte rei non distinguuntur se ipsis totis.

10. Divus Thomas *in 1. dist. 26. a. 1. ad 5.* & Cajetanus *1. p. q. 40. a. 1.* docent: Personas Divinas secundùm Esse, quod habent à parte rei, se ipsis constitui, ac distingui tanquàm formas simplicissimas: at prout concipiuntur à nobis, & nostris nominibus significantur, non distingui se ipsis, sed suis Proprietatibus relativis.

CONCLUSIO.

VErum est, quòd Personæ Divinæ ex Naturâ rei formaliter ita constituantur, & distinguantur se ipsis, ut tamen secundùm nostrum concipiendi modum dici possint constitutæ per suas Proprietates Personales.

11. Probatur. Per hanc enim propositionem, quâ dicitur, *Personas Divinas formaliter in ratione Personarum constitui per Proprietates Personales*; insinuatur: Personalitates esse in Divinis Personis tanquàm Formalia earundem distinctiva Principia. At secundùm nostrum intelligendi modum verificatur, quòd proprietates Personales insint Personis Divinis tanquàm Principia Formalia earundem distinctiva. Hoc enim clarè innuit Concilium Florent. *sess. 1.* asserens: Personas Divinas per suas proprietates differre. Ergo verificatur secundùm nostrum intelligendi modum, quòd Personæ Divinæ Formaliter in ratione Personarum constituantur per suas Personales proprietates: juxta illud Ioannis Theologi in præfato Concilio Florent. *sess. 18.* affirmantis: Personam ex substantiâ, proprietateque subsistere.

12. Dices ex præcitato Ariminensi. Illas locutiones, *quibus Patres & Concilia dicunt, Personas Divinas subsistere, vel differre ex sive per proprietatem*, accipiendas esse in sensu Intransitivo. Hunc verò sensum ita se habere, ac si diceretur, quòd Personæ divinæ constituantur se ipsis, utpote quæ sunt ipsæ proprietates. Unde reprobandum esse transitivum illarum locutionum sensum, juxta quem verificatur, *Personas Divinas constitui proprietatibus tanquàm formis.*

13. Contra. Nam ejusmodi sensus Transitivus vel potest denotare Transitionem *secundùm rem*, vel *secundùm rationem*, seu *nostrum intelligendi modum.* Hæc autem Transitionis diversitas in eo se tenet, quòd juxta priorem acceptionem dicerentur Personalitates Divinæ se habere tanquàm forma inhærens, vel informans, sive per unionem realem physicam actuans. Econtra juxta acceptionem posteriorem denotat Transitio denominationem formalem, vi cujus designatur ratio Personæ divinæ constitutiva, & distinctiva. At quando Intellectus noster aliquam Personarum divinarum tum inter se, tum cum Essentiâ tribus Personis communi comparationem facit, necessariò designat formalitatem Divinarum Personarum ut sic constitutivam & distinctivam. Ergo Intellectui nostro de Divinis differenti omnino necessarium est, in sensu etiam Transitivo secundùm transitionem non realem, sed rationis ponere proprietates personales, tanquam formalia divinarum Personarum constitutiva.

Replicabis. Personam Divinam non tantùm ex naturâ rei esse, sed à nostro etiam Intellectu concipi tanquàm actum purum, ac ita simplicem, sicuti est divina Essentia. At istam ob sui simplicitatem non tantùm à parte rei, sed juxta nostrum etiam intellectum se ipsâ distingui à quocunque alio. Ergo & Personam divinam distingui se ipsâ ab alijs divinis Personis. Ergo si Concilia asserant, Personas distingui per proprietates Personales, oportet, locutionem accipi in sensu etiam secundum rationem nostram Intransitivo. 14.

Contra. Nam quia per fidem ambulantes non intelligimus divina, nisi per speculum ænigmaticum, sive alienam ex formis creatis abstractam Intelligibilitatem, idcirco hunc de divinâ Hypostasi conceptum ex creatæ Personalitatis specie abstrahimus. At hanc ipsam Personalitatis creatæ à potentialitate depuratam speciem transferimus ad intelligendam divinam Hypostasin, dum, quam in creatis concipiebamus tanquàm modũ in naturâ receptum, in divinis intelligimus tanquam actualitatẽ Essentiæ divinæ realiter formaliter identificatam. Unde conceptus Personalitatis quà creatæ, hanc repræsentat sub ratione formæ inhærentis ac informantis, conceptus autem personalitatis quà divinæ, hanc exprimit sub ratione formæ Essentiam divinam per realem formalem Identitatem denominantis. Hinc noster Intellectus Essentiam quoque divinam cum comparatione ad Hypostases seu proprietates Personales concipiendo, eam efformat instar subjecti non physicè receptivi, sed per realem formalem sui cum Hypostasibus Identitatem denominabilis. At denomitio ejusmodi formalis ex parte objecti importat formaliter Essentiæ per Hypostases actuationem non in vi realis physicæ unionis, sed formalis Identitatis. Unde sub tali denominatione stat Essentia divina tanquàm forma omninò simplex & actus purus. Quamvis ergo Essentia divina tanquàm primus in Entis divini lineâ objectivus conceptus non sit a nostro Intellectu formabilis sub ratione concreti Denominativi, eadem tamen Essentia per summam simplicitatem, & puram actualitatem ex naturâ rei formaliter, adeòque Essentialiter includens formalitates tum attributales, tũ Personales ab his denominabilis est non in vi physicæ unionis, sed realis formalis Identitatis. Ergo secundùm ejusmodi formalitatem, quasi secundùm concretionem intelligitur instar Concreti Denominativi, in quo ipsa Essentia seu 15. 16.

tia seu Esse Dei subsistens se habeat ut Denominatum, formalitates autem Attributales seu Personales se habeant ut formæ non per unionem, sed per Identitatem actualissimam denominantes. Constat igitur, simplicitati divinæ non repugnare Hypostases in Deo intelligere vel per modum abstracti, vel concreti, ut adeò Personales proprietates secundùm formalem in actualissimâ identitate fundatam denominationem accipi possint tanquàm formalia Divinarum Personarum constitutiva.

Responsio ad Opposita Argumenta.

17. AD Ariminensis oppositum argumentum Respondetur. Non repugnare simplicitati divinæ substantiæ, talem per nostros objectivos conceptus in ipsa ponere compositionem, ut Essentia se habeat tanquam subjectum, non in vi realis physicæ unionis, sed purissimæ, & actualissimæ identitatis formaliter denominatum. At ejusmodi formalem in purissimæ actualitatis identitate radicatam denominationem sufficere, ut Persona in Divinis dicatur concretum resultans ex Essentiâ tanquam Materiali; ex proprietate verò Personali tanquam formali, non *Physicè*, sed *Metaphysicè* constitutivo. Verum proinde est, quod Pater in Divinis ex Essentia, in qua convenit cum Filio & Paternitate, non in vi unionis Physicæ, sed formalis realis identitatis constituatur tanquam suppositum perfectum.

18. Ad Radæ oppositum Argumentum Respondetur. In propositione, qua dicuntur *Persona Divina distingui se ipsis*, subesse aliquam æquivocationem. Nam vera est in eo sensu, quod Personâ divina sit simplicissima indivisa actualitas à reliquis duabus Personis formaliter distinctiva, ita tamen, ut hæc ipsa divina distinctiva ratio à parte rei formaliter sit Essentia trium Personarum, sitque adeò una cujusvis Personæ divinæ simplex actualitas, quæ secundum eandem à parte rei formaliter indistinctam formalitatem sit respectû reliquarum duarum Personarum ratio conveniendi simul, ac disconveniendi. At falsa est illa propositio in sensu per Radam proposito, quòd scilicet Personæ divinæ ita distinguantur se ipsis, ut, sicut ultimæ differentiæ secundùm nostri Intellectûs abstractionem formaliter important puram disconvenientiæ formalitatem omni conveniendi ratione exclusâ; sic Personæ divinæ à parte rei formaliter dicant, omni prorsus convenientiâ remotâ, puram disconveniendi rationem. Quo proinde posteriori non tam à Thomistis asserto, quàm per Radam ipsis imposito sensu rejecto, verificatur: Patrem & Filium à parte rei formaliter non quidem *se totis* (siquidem istud *Ly Totis* sit omnimodæ convenientiæ exclusivum) sed tamen *se ipsis* distingui.

CONTROVERSIA II.

An Proprietates Personarum divinarum constitutivæ sint formaliter relativæ?

1. IOannes de Ripâ *in 1. dist. 25. & 26.* & nonnulli alij antiquiores censent: Personas divinas constitui per proprietates absolutas. Cui opinioni Scotus *eâd. dist. 26. q. un. à n. 35.* eatenus favet, ut argumenta contraria solvat. Fundamentum est. Nam illud, quod refertur relatione, non est aliquid posterius eâ, nec simul naturâ. Ergo est prius naturaliter. At quod refertur ad illud, distinguitur realiter ab eo. Essentia verò Divina à nullo in divinis distinguitur realiter. Unde id, quod refertur in divinis, oportet esse Hypostasin: cujus proinde realitatem oportet esse priorem relatione. At realitas prior relatione in divinis est absoluta. Ergo Hypostasis in divinis est formaliter in aliquo absoluto.

Rada *cont. 23. a. 3. circa finem expositionis subtilis Doctoris* asserit: Personas divinas secundùm rem constitui per relationes sub expressâ relationum formâ, & etiam in ordine ad nostrum Intellectum, si conceptu integro concipiantur, sicut concipiuntur à Beatis. Si verò concipiantur conceptu partiali, non constitui relationes sub expressâ relationum formâ, nec sub ratione absoluti, sed indifferentis. Prior Pars probatur. Eo ipso, quòd Pater æternus sit persona realis singularis, sequitur, ipsum constitui in Esse Personæ per entitatem aliquam realem singularem. At nulla Entitas à parte rei est indifferens ad absolutum & relativum. Ergo Entitas Patris æterni constitutiva, vel est determinatè absoluta, vel relativa. At non esse absolutam, probant Sacræ Scripturæ, & Patres Conciliorum, in his enim Personæ divinæ semper exprimuntur nominibus relativis. Oportet igitur, ejusmodi Entitatem Relativam à parte rei esse Patris æterni constitutivam sub expressâ relationis formâ. 2.

Posterior pars Probatur. Nam licèt Relatio Originis primæ v. g. personæ sit unica à parte rei formalitas, includit tamen rationem Paternitatis, generationis, & formæ Hypostaticæ ex naturâ rei distinctas in rebus creatis. Unde si concipiatur conceptu non integro seu incompleto, potest fundare diversos rationis nostræ ratiocinatæ conceptus. At secundû ejusmodi concipiendi modû Persona Divina Patris priùs concipitur sub ratione Hypostasis, quàm sub ratione Generantis, priùs sub ratione Generantis, quàm Patris. Ergo Persona divina Patris in ordine ad nostràm cognitionem imperfectam non constituitur per expressam relationis formam, sed per rationem formæ Hypostaticæ. Atqui forma Hypostatica Patris, ut sic nec concipitur conceptu relativo, ut patet, neque absoluto, cùm alioquin falleretur intellectus noster. Ergo prout abstrahit à relativo, & absoluto, atque ut sic ad utrumque indifferens est. 3.

Cajetanus *præs. q. 40. a. 1.* Ioannes à S Thomâ *hîc q. 39. disp. 16. a. 1. n. 25. & seq.* Sentiunt: Personam Patris constitui ipsâ relatione Patris non confusè, sed distinctè conceptâ per conceptum non solius *in*, sed per conceptum *Ad* proprium Paternitatis, ut paternitas est. 4.

CONCLUSIO.

PRoprietates Divinarum Personarum constitutivæ non solùm à parte rei, sed secundùm nostrum quoque conceptum sunt formaliter relativæ.

Probatur argumento per Scotum *in 1. dist. 26. q. un. n. 5.* adducto: Si enim duo sint supposita 5.

absoluta, videtur, quòd, quidquid est in uno, sit aliud à quocumque, quod est in alio. Ergo eadem natura nō potest esse in diversis suppositis absolutis, nisi distinguatur in eis. Ex hoc autem sequeretur, Essentiam Divinam numerari in Personis, si Personæ Divinæ in Esse personali constituerentur per absoluta. At illa sequela repugnat Veritati fidei Orthodoxæ. Ergo & id, ex quo infertur.

6. Respondebis ex Scoto *cit. q. un. n. 33. ad 2.* illam propositionem: *Omnis Natura communis suppositis absolutis distinguitur, & plurificatur in eis*, esse quidem veram in creatis, sed in Divinis petere principalem conclusionem. Etenim ponendo personas relativas, oportet, ponere eas verè subsistentes, & in eis esse eam naturam indivisam. Hoc autem non potest poni propter aliquam imperfectionem Personarum in subsistendo, quia ponuntur ita verè subsistentes, ac si essent absolutæ. Ergò oportet, quòd ponatur propter infinitatem Essentiæ, quæ est in subsistentibus. At eadem esset infinitas Essentiæ, si Personæ essent absolutæ. Ergo non oporteret, Naturam dividi in Personis divinis, etiamsi non proprietatibus relativis constituerentur.

7. Contra. Nam ea Subsistentiæ quà absolutæ, & quà relativæ est differentia, quòd ista importet incommunicabilitatem suppositi non absolutè, sed correlativè spectati, illa verò sit Hæcceitas substantiæ in se absolutè consideratæ. At de ratione formali subsistentiæ est, quòd sit individuatio ultimatè determinativa, ac distinctiva in ratione substantiæ. Ergo subsistentia quà absoluta est ipsius in se spectatæ substantiæ ultimatè distinctiva ac determinativa, ècontra verò subsistentia quà relativa est substantiæ non absolutè in se, sed secundùm sui ad alterum correlationem distinctiva formalitas. At verò ratio ejusmodi distinctiva importat formaliter exclusionem unius ab altero. Unde quia substantia absoluta afficit substantiam seu Essentiam in se spectatam, oportet, ubi multiplicatur substantia absoluta, plurificari etiam Essentiam, saltem quà in ratione substantiæ simpliciter perfectam, & completam: Cùm econtra per plurificationem subsistentiæ quà relativæ non debeat fieri multiplicatio substantiæ, quatenus in se absolutè spectatæ, sed quà correlatæ duntaxat. Consequens igitur est, per infinitatem divinæ Essentiæ posse hanc ita subsistere in pluribus suppositis relativis, quin ipsius Essentiæ sit multiplicatio, etsi econtrario Essentia divina in ratione substantiæ foret eo ipso multiplicabilis, si in eâ plurificarentur aliquæ subsistentiæ seu Hypostases absolutæ.

8. Replicabis. Ex hoc solùm evinci, quòd Persona Patris *secundùm rem*, non autem *secundùm nostrum præcisè, & abstractivè intelligendi modum* constituatur per Hypostasin quà formaliter relativam.

9. Contra. Nihil enim est intelligibile sine suo formali constitutivo. Unde sine hoc non concipitur res, cujus illud est formale constitutivum. Atqui à parte rei constitutivum Patris importat formaliter Hypostasin quà relativam: Ergo secundùm nostrum etiam concipiendi modum; ita ut quomodocunque sive distinctè, sive confusè ab Intellectu nostro attingatur Persona divina Patris, oporteat, ex parte conceptûs nostri attin-

10. gi relationem Paternitatis, Cujus ratio à priori sic deducitur. Nam Persona Patris secundùm nostrum etiam intellectum constitui debet in ratione Personæ condistinctæ à subsistentiâ Essentiali, & à reliquis Subsistentijs Personalibus. Atqui non intelligitur condistincta à subsistentiâ Essentiali, nisi secundùm formalitatem quà Relativam. Hæc autem relativa formalitas non est distinctiva Patris à reliquis Personalibus divinis subsistentijs, nisi sub ratione fœcunditatis generativæ ad producendum Filium. Consequens igitur est, Hypostasin Patris non tantùm à parte rei, sed secundùm nostrum etiam intelligendi modum importare formaliter relativam fœcunditatis generativæ ad Filium oppositionem.

Instabis. Per Notionem Innascibilitatis jam intelligi Patrem quà condistinctum à subsistensstentiâ Essentiali, ac Personalibus Filij & Spiritûs Sancti Hypostasibus. Atqui hanc Innascibilitatis Notionem non importare fomaliter relativam ad Filium oppositionem. Probatur Minor. Nam per hanc Innascibilitatis Notionem significatur Hypostasis Patris per se primò, non autem per aliquam sui ex personâ priori originatam productionem determinata ad Esse divinæ Essentiæ. At secundùm istam formalitatem Persona Patris eatenus intelligitur sub ratione Primæ Personæ quà condistincta à Filio & Spiritu Sancto, ut tamen ex parte nostri conceptûs non dicat formaliter Relativam fœcunditatis generativæ ad Filium oppositionem. Ergo Persona Patris est secundùm nostrum imperfectum concipiendi modum intelligibilis sine relativâ ad Filium oppositione. 11.

12.

Contra. Nam subsistentiæ Dei Essentiali vel maximè convenit ratio primi suppositi, prout hæc importat subsistentiam, quæ per se primò, non autem per aliquam ex Personâ priori originatam productionem sit formaliter determinata ad Esse divinæ substantiæ. Ergo ratio primæ Personæ ex hoc solùm est Patris propria, prout non tantùm in absolutâ Essendi, sed etiam in relativâ Personalitatum lineâ importat primam sine aliquâ sui productione formalem ad Esse Dei determinationem. At ex terminis manifestum est, hanc in Personalitatum lineâ relativâ primam Hypostaseos formalem ad Esse Dei determinationem importare formaliter relationem. Ergo ratio primæ Personæ non est intelligibilis quà formaliter constitutiva, & distinctiva Patris, nisi sub relationis formalitate. 13.

Urgebis. Ex hoc necdum evinci, quòd Hypostasis Patris secundùm nostrum etiam intelligendi modum importet *formaliter* relativam fœcunditatis generativæ ad Filium oppositionem. Probatur istud assumptum. Nam eo ipso, quòd Pater concipiatur tanquàm primum ad intra Principium, intelligitur sub ratione Personæ primæ in lineâ non duntaxat Essendi absolutâ, sed Personalitatum relativâ. Atqui sub hàc primæ personæ ratione eatenus concipitur Pater condistinctus à cæteris personis divinis, ut tamen nō intelligatur determinatè sub relativâ fœcunditatis generativæ ad Filium oppositione. Ergo ista ad Filium fœcunditatis Generativæ oppositio relativa ut sic determinatè non est formale Patris æterni constitutivum ac Distinctivum. 14.

Contra. Nam ratio Primi in divinis Principij non est intelligibilis, nisi prout importat relationem fœcunditatis consistentis in Naturâ divinâ 15.

vinâ quà tali, siquidem de hujus formali ratione sit, quòd primæ substantiæ operatio in eam reducatur. Atqui Principiū importans relationē fœcunditatis consistentis in naturâ divinâ, dicit formaliter fœcunditatis quà generativæ relativā ad Filium oppositionem. Ergo prima Persona sub ratione primi etiam in divinis principij importat formaliter fœcunditatis Generativæ relativam ad Filium oppositionem, ùt adeò sub omni Patris, seu primæ in divinis Personæ conceptu tanquàm formale ejus constitutivū stet ista relativa fœcunditatis oppositio. At ista relativa oppositio exprimi solet sub nomine Paternitatis. Ergo formale hujus nominis significatū est primę Divinæ Personæ constitutivum formale, ut proinde nostrorum de Patre æterno conceptuum differentia sit per hoc duntaxat, quòd per unum minùs distinctè & clarè, quàm per alium exprimatur illa æterni Patris constitutiva ratio.

Responsio ad opposita Argumenta.

16. AD 1. *n. 1.* oppositum Argumentum Respondetur. Id, quod refertur solum Denominativè & Accidentaliter, esse quidem prius relatione: at secus esse, si relatio Essentialiter includatur in relato. At Essentiam divinam non tantùm ex naturâ rei formaliter includere relationem, sed eo ipso, quod Essentia Dei a nostro Intellectu concipiatur relata, intelligi per purissimę actualitatis identitatem Essentialiter importare relationem. Unde Essentiam divinam sub ratione relati conceptam neque priorem, neque posteriorem esse relatione, sed ut sic formaliter Essentialiter includere relationem, per quam constituatur in Esse Hypostasis non absolutæ, sed relativæ.

17. Ad Radæ *n. 2. & 3.* propositam Doctrinam Respondetur. Eam ita probari nobis, ùt in hoc duntaxat displiceat, quòd arbitretur, formam Patris Hypostaticam posse à nobis intelligi sub abstractione relativæ ad Filium oppositionis. Etenim prima in divinis Personæ Hypostasis nō attingitur per nostrū intellectū, nisi concipiatur formalitas ejusdem formaliter constitutiva: nihil enim sine suâ ratione formali, seu Essentiali est Intelligibile. At ipsomet Radâ fatente, Hypostasis Paterna constituitur per Entitatem realem Singularem, quà ex naturâ rei formaliter, atque adeò Essentialiter relativam. Ergo dum ex parte Intellectûs nostri non attingitur hæc Relativa formalitas, non concipitur Paterna divina Hypostasis, sed alia quædam formalitas.

18. Cæterùm unum adhuc, in quo Radam conveniamus, hîc superest, dum *supra n. 3.* citatus asserit: *Rationem Paternitatis, Generationis, & formæ Hypostaticæ in rebus creatis esse ex naturâ rei distinctas, tametsi Relatio Originis primæ Personæ sit unica à parte rei formalitas includens rationem Paternitatis, Generationis, & formæ Hypostaticæ.* Nam hæc Radæ doctrina funditùs tollit distinctionem ex naturâ rei formalem, cujus ratio fundamentalis secundùm Scotum *in 1. dist. 8. q. 4. n. 17. & 18.* in eo sita est, quòd cuilibet formalitati sit ex naturâ rei sua quidditas, quæ ubicumque sit, persistat in suo gradu, nec possit adeò per actualitatis divinæ infinitatem eatenus elevari, ut cum alterâ formalitate ex naturâ rei in Entibus creatis distinctâ habeat unitatem formalem. Atqui Radæ superiùs posita doctrina directè adversatur huic subtilis sui Doctoris menti. Quomodo ergo fundamentum ex naturâ rei formalis Distinctionis stabit?

CONTROVERSIA III.

Sub quâ ratione Divinæ Relationes constituant Personas?

EX dictis *præced. Controv.* constat, non esse aliquem de Personalitatibus Divinis formabilem conceptum, quin sub illo exprimi debeat formalitas quà relativa. Sed quia formalitatis quà relativæ conceptu stante, noster Intellectus sub creatarum formarum intelligibilibus speciebus varias quoad explicitum & implicitum intelligendi modum formare potest de relationibus divinis conceptiones, ideo decidendum superest, quæ ratione nostrâ ratiocinatâ de Divinis Personalibus relationibus sit formabilis objectiva ratio, tanquàm prima earundem constitutiva formalitas? 1.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

DIvus Bonaventura *in 1. dist. 26. q. 3.* docet, tametsi idem sit Personis Divinis, oriri, & esse, & ad alterum se habere, tamen secundùm rationem intelligendi ordinata esse, ut primū sit oriri, deinde in his, quæ habent esse ab alio, Esse intelligatur, ac deinde se habere ad alterum. Fundamentum ex Ioanne à Sancto Thomâ *præs. disp. 16. a. 1. n. 8.* ita deduci potest. Nam relationes divinæ fundantur in actione. At non in actione purè absolutâ & Essentiali, siquidem intelligere ac velle Essentiale inveniantur etiam in Filio, ac Spiritu Sancto, & tamen nec ille habeat relationem Paternitatis, nec iste Spirationis activæ. Oportet igitur, relationes divinas esse fundatas in Actione seu Origine Notionali. Atqui Relationes in Divinis non fundantur in Orgine nisi quà subsistente. Ut sic autē Origo dicit Personā. Ergo prima divinarū Personarū constitutiva formalitas concipienda est ad instar Originis subsistentis. 2.

3. Alarcon per Ioannem à Sancto Thomâ *præs. disp. 16. a. 1. n. 20. in fine* relatus tenet; formale constitutivum Patris non esse relationem Paternitatis ut sic, sed rationem fontalis Principij per modum respectûs non prædicamentalis, sed Transcendentalis respicientis Patrem, & Filium tanquàm terminum nostro confuso intelligendi modo indivisum. Probari potest hæc sententia argumento per Ioannem Baptistam Gonetium *præs. to. 5. disp. 11. a. 3. §. 1,* taliter deducto. Nam quæ formalitas subsequitur ad aliquid nòn constituens, sed supponens Personam, non potest ipsum constituere in ratione Personæ. Atqui Paternitas subsequitur ad Generationem, cùm fundetur super illam: generatio autem non constituit, sed supponit constitutam Personam Patris, cùm rei constitutio ad actionem supponatur. Ergo Paternitas non constituit, sed supponit constitutum Patrem in ratione Personæ. Hæc autem Personæ primæ ratio non occurrit alia nisi primi, adeòque fontalis Principij formalitas

litas. At Principij ratio importat respectum ad suum Principiatum non prædicamentalem, sed Transcendentalem. In ejusmodi igitur Transcendentali respectu consistit prima Patris æterni constitutiva ratio.

4. Joannes Baptista Gonet *cit. a. 3. §. 2.* asserit, Paternitatem Divinam dupliciter considerari posse, per modum scilicet relationis, & per modũ formæ Hypostaticæ: primo modo sumptam fundari supra generationem, atque adeò Patrem in ratione Personæ constitutum supponere, secundo autem modo supponi ad generationem, & constituere Patrem in Esse Personæ. Fundamentum istius assertionis suæ adstruit ab Authoritate Divi Thomæ *præs. q. 40. a. 4.* taliter disserentis: *Proprietas Personalis Patris potest considerari dupliciter. Uno modo ut est relatio, & sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem, quia relatio in quantum hujusmodi fundatur super actum. Alio modo secundum quod est constitutiva Personæ: & sic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, sicut Persona agens præintelligitur actioni.*

5. In hanc suam sententiam Gonetius citatus trahit Capreolum, & Cajetanum, quorum prior *in 1. dist. 26. q. 2.* docet: Relationem in Divinis dupliciter considerari, scilicet ut est forma individualis, & quatenus est relatio: & sub primâ ratione dicere incommunicabilitatem, atque constituere personam: sub secundâ verò Personam constitutam Originemvè supponere. Ejusdem autem mentis esse Cajetanum *præs. q. 40. a. 4.* ubi ait: Paternitatem in Divinis posse dupliciter significari, scilicet ut *Conceptam*, seu *Signatam*, & ut *Exercitam*, eamque primo modo antecedere generationem, atque constituere Personam Patris ac exercere munus Hypostaticæ formæ: Secundo autem modo subsequi generationem, ac fundari in illâ, habereque formæ relativæ exercitium, ipsumque referendi actum.

6. Istam Cajetani sententiam Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 16. a. 1. n. 32.* explicans affirmat, quòd relatio primò dividatur inadæquatè in conceptum *In*, & in conceptum *Ad*. 2. Quòd pro conceptu *In* deserviant, quæcumque ad perfectionem, Essentiam, Divinitatem, Esse & identificationem cum attributis pertinent, & quidquid non multiplicatur in relationibus, & lineam absolutorum involvit. 3. Quod pro conceptu *Ad* ut explicito & distincto ab isto conceptu *In* pertineant, quæcumque multiplicantur in relationibus & ex parte oppositionis se tenent, sicut est subsistentia, quæ ad incommunicabilitatem & oppositionem realem in ratione termini substantialis spectat: Sicuti etiam est realitas respicientiæ ad terminum, distinctio, oppositioque realis. 4. Quòd istum conceptum *Ad* non repugnet iterum dividere in conceptus inadæquatos, & concipere ipsum *Ad*, partim ut exercet munus subsistentiæ non quomodocuunque, sed incommunicabiliter, cum oppositione & distinctione ab alio termino Personali; partim ut exercet munus Respicientiæ secundùm attingentiam termini correlativi. 5. Quòd ista attingentia sit ipsa explicatissima ratio *Ad* seu *relationis*, ut relatio est, quæ quidem realis sit, & tamen in correlativo nihil realitatis ponat, sed purè respiciat, sitque ut sic realis respicientia. 6. denique, quòd ipsum Esse *Ad* Patris prout est res in se excludens, & incompossibilis termino, in se incommunicabilis, & opposita Filio, estq; Paternitas subsistens, ut sic constituat Personam Patris *ad se*, & *in se*, prout verò est ipsum terminum respectu suo tangens, & quasi egreditur à se & tangit alterum, ut sic non constituat *in se*, sed exerceatur *extra se*.

Ysambertus ad *præs. q. 40. a. 6.* reliquorum Doctorum Sententias quodamodò reducens ad concordiam docet sequentia: 1. Divinas Personas ut considerantur constitutæ in suo gradu ultimo, vel quasi ultimâ differentiâ in ratione personæ conceptu distincto licèt non adæquato, distingui & constitui formaliter, etiam nostro modo considerandi, per suas relationes Personales, ut sunt formaliter relationes in actu exercito, seu ut unam Personam de facto referunt ad aliam. 2. Unamquamque Personam Divinam à nobis apprehensam per analogiam ad res creatas constitui in suo Esse Personali per suam relationem personalem, quatenus est quædam forma Hypostatica, & per eam ut sic distingui ab aliâ Personâ divinâ. 3. Personas Divinas juxta aliquem nostrum considerandi modum per analogiam ad res creatas constitui, & distingui per Origines, nimirum præsuppositivè, & minus Principaliter. 4. Denique Personas Divinas magis Principaliter constitui & distingui per relationes suas personales etiam ut relationes nostro modo considerandi per analogiam ad res creatas, quam constituantur & distinguantur per ipsas suas Origines. 7.

CONCLUSIO.

Relationes non in quantum Relationes, sed in quantum significantur per modum Hypostasis esse formalia divinarum Personarum constitutiva cum Doctore Angelico *1. p. q. 29. a. 4.* in eo sensu accipiendum est, quòd nimirum in divinarum Relationũ conceptu si considerentur quà formæ Hypostaticæ, importetur munus respicientiæ ex parte objecti duntaxat materialis, non autem Formalis.

Explicatur, & Probatur. Nam objectum formale importat intelligibilitatem signatam, sub quâ res aliqua intelligitur. Hæc autem circa divina Mysteria Intelligibilitas non formatur à nostro Intellectu, nisi per species à formis creatis abstractas. Atqui Intellectus noster lumine Metaphysico instructus considerans rationem Hypostasis seu Personalitatis formalem importare in ratione substantiæ actualitatem sub individuationis completæ, atque incommunicabilitatis omnimodæ formalitate determinativam, dum istam Intelligibilitatis speciem ad Divinas Personalitates transfert, in suo conceptu omninò signat Divinas relationes sub munere etiam respicientiæ spectatas. Probatur istud Assumptum. Quia dum Intellectus noster Divini Esse subsistentis Hæcceitatẽ vel absolutè ex parte conceptûs etiã objectivi, vel in comparatione ad creatas substantias considerat, nõdũ attingit formalitatem, secundùm quam unius Personæ in Divinis est distinctio ab alterâ. Unde ad ejusmodi conceptum pertingit primùm, quando aliquam ad intra- 8. 9.

intra oppositionem, seu realem unius ab altero exclusionem in Divinis cognoscit. Hæc autem in Divinis ad intra oppositio ac exclusio non stat, nisi sub ratione correlationis. Oportet igitur, hanc Correlationis oppositionem *signatè* stare sub nostro conceptu, ut hic Formale divinæ alicujus Personæ constitutivum attingat. At verò sub hâc ipsâ correlationis oppositione *signatè* conceptâ stat unius ad alteram Personam respicientia. Ergo ipsum respicientiæ munus seu ratio relationis ut relationis *signatè* attingitur per conceptum formalis Divinarum Personarum constitutivi expressivum, ita tamen, ut ejusmodi respicientiæ munus se teneat ex parte objecti duntaxat materialis. Probatur hoc Assumptum.
10. Nam Metaphysico Hypostasis quà ultimæ actualitatis individuationem completam, atque adeò incommunicabilitatem seu distinctionem omnis alterius exclusivam formaliter tribuentis expressivo lumine ad divinas relationes tanquàm veras Hypostases translato, attinguntur istæ relationes Divinæ sub formalitate, per quam una est alterius à se exclusiva. At verò relatio secundùm respicientiæ munus eatenus habet rationem tendentiæ ad terminum, ut istum ipso respectu suo quasi tangat: habendo cum eo simultatem quasi coexistentiæ & attingentiæ, sub quo adeo respectu intelligitur relatio se habere ad terminum non tam exclusivè, quàm correlativè. Quas proinde individuales nimirum Hypostaticæ aliorum exclusivæ, & ad Terminum tendentiæ correlativæ formalitates in rebus creatis separabiles Intellectus noster Divinarum Personarum formalia constitutiva discurrendo investigans, ad unum Divinæ Personalitatis objectivum conceptum redigit eo ipso, quòd illam individualem Hypostasis propriam exclusivam formalitatem in Divinis ad intra non reperiat, nisi sub ratione correlativæ ad alterum tendentiæ. At vero in hoc ipso duas illas in creatis distinctas realitates ad unam in Divinis rationem objectivam redigente conceptu nostro Intelligibilitas illa, sub quâ individualitas completa, seu Incommunicabilitas Hypostatica exprimitur, est ratio Motiva, siquidem ex illâ Hypostaticæ formalitatis Intelligibili ratione moveatur Intellectus ad intelligendum, personalitates divinas se tenere in formalitate ad intra correlativâ, seu reale respicentiæ munus exercente. Illa verò formalitas se tenet respectu conceptûs nostri tanquàm objectum duntaxat materiale, quæ sub lumine sui expressivo non tam est objectivè Motrix, quàm Intellectus noster ad eam cognoscendam moveri debeat per aliam prioritate saltem virtuali priùs cognitam. Consequens igitur est, in Divinarum relationum conceptu, si considerentur quà formæ Hypostaticæ, importari quidem Munus respicientiæ, non tamen quà objectum formale, sed Materiale duntaxat.

11. Dices. Sanctum Augustinum *lib. 7. de Trinit. cap. 6.* docere, quòd Persona in Divinis dicatur *ad se*, & nō *ad aliud*. Atqui hoc non ita accipiendū est, quasi ex mente Sancti Augustini Persona in Divinis à parte rei importaret formalitatem absolutam, sed quòd secundùm nostrum considerandi modum Hypostasis Divina sub formali personalitatis conceptu intelligatur non quà involvens relationem, sed quà in se subsistens. Ergo relatio ut sic non est de formali Hypostasis Divinæ conceptù.

Contra. Nam Sanctus Augustinus *loco cit.* cùm affirmâsset, *Esse in Deo dici ad se, Personam verò relativè*, subjunxit istam quæstionem, *Quid ergo? num placet, ut dicamus, Patrem esse Personam Filij ac Spiritus Sancti?* Cujus proinde quæstionis solutionem ponens, *sed neque*, ait, *Persona ita dici alicubi solet, neque in hâc Trinitate cùm dicimus Personam Patris, aliud dicimus, quàm Substantiam Patris. Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est, ita ut Persona Patris non aliud, quàm ipse Pater est: ad se quippe dicitur Persona, non ad Filium, & Spiritum Sanctum.* Ex quo ita licet argumentari. 12.
Persona Patris in eo duntaxat sensu dicitur ad se, quatenus non est aliud à se, nec adeò est Persona Filij; ad quem tamen *relativè* dicitur. At juxta hunc sensum manifestè evincitur, quòd *ly ad se* in Patre eatenus importet relationem, ut tamen ista sit Patris in Esse Personæ constitutiva per modum Formalitatis, in ipso Patre intrinsecè subsistentis, atque ut sic per oppositionem relativam Filium, ac Spiritum Sanctum formaliter à se excludentis, non autem per modum attingentiæ personam Filij quasi Extrinsecè respicientis. Ergò ex mente Sancti Augustini Persona Divina Hypostasis in ratione suâ formali eatenus importat relationem, ut hæc tamen quà formalitas oppositionis cæterarum Divinarum Personarum formaliter exclusiva, atque ut sic distinctiva sub conceptu nostro Personæ Patris constitutivum intelligente se habeat tanquàm formale, respicientia ad Filium tenente se ut objectum duntaxat Materiale. 13.

Cujus ratio à priori est. Quia Hypostasis eatenus est substantiæ terminativa, ut tanquàm ultima ejus actualitas & completa individuatio substantiam positivè indivisam constituens sit formaliter distinctiva, atq; adeò exclusiva omnis alterius substantiæ. Atqui secundùm Philosophiæ naturale lumen non agnoscimus in substantijs illam distinctionem, nisi quæ ex parte unius saltem extremi radicetur in limitatione: hinc enim eo ipso, quòd Deus sit suum Esse subsistens, Essentialiter includens Hæcceitatem, atque individuationem, nequit in lineâ Entis Divini lumine naturali intelligi aliqua distinctio, sed per hoc duntaxat, quòd creatura non sit suum Esse, sitque adeò finitæ Essentiæ, habet ab Esse Dei subsistente realem distinctionem. Unde ex lumine duntaxat Fidei agnoscere possumus in Divinis realem distinctionem, atquè adeò Hypostaticam oppositionem. At per fidem non instruimur de aliâ in Divinis oppsitione nisi relativâ: unde commune inter Theologos se tenet axioma, quòd nulla in Divinis sit distinctio, ubi non est relativa oppositio. Cùm igitur conceptus noster Divinarum Hypostasum expressivus debeat esse regulatus per fidem Divinam, non possumus Divinas Hypostases cum veritate per nostros conceptus exprimere, nisi signando ejusmodi relativam oppositionem. 14.

Nihilominùs hi ipsi per fidem licèt regulati conceptus nostri nituntur speciebus ex Formarū creatarū intelligibilitate abstractis, ac formatis. At verò creatarum Hypostasum Intelligibilitas est horum expressiva sub formalitate omnimodæ secundùm ultimam individuationem Incommuni- 15.

municabilitatis ut sic à substantiâ positivè ac Formaliter excludentis cæteras sufistentias. Unde ista signata Incommunicabilitatis Intelligibilitas est ratio Motiva, sub quâ Intellectus noster per fidei lumen elevatus, in Divinis relativam Oppositioné habentibus formalitatibus cognoscit verá Hypostaseos rationem. At in ejusmodi relativâ oppositione per intellectú expressâ non potest non esse signata unius Personæ ad alteram relatio nisi sub ipso etiam respicientiæ munere concepta. Consequens proinde est, quòd ipsum etiam respicientiæ munus attingatur per conceptum Divinarum Hypostasum expressivum; [illegible], ut non se habeat tanquam ratio motiva, sed tanquàm objectum materiale.

Responsio ad fundamenta opposita.

16. ADd Fundamentum ex Sententiâ Divi Bonaventuræ *n. 2.* oppositum Respondetur. Nobis cum hoc Sancto Ecclesiæ Doctore non esse pugnam de re, sed de modo duntaxat intelligendi: nam libenter damus, quòd Divinæ Personæ à parte rei formaliter constituantur, ac distinguantur Originibus per ipsum Divinæ Essentiæ actualissimum Esse taliter subsistentibus, ut in suis conceptibus objectivis inseparabiliter importent relationes Hypostaticas. In quo adeò sensu Sanctus Augustinus *lib. 1. de Trinit. cap. 15.* ait: *Quia igitur aliud est genuisse, quam natum esse, aliudque procedere, quam genuisse, vel natum esse; manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.* Et Sanctus Damascenus *lib. 1. de fide cap. 2. Pater*, inquit, *Filius, & Spiritus Sanctus omninò sunt unum, exceptâ ingeni-*
17. *ti, generationis, & processionis proprietate.* Quare tota difficultas hîc proposita procedit de nostro intelligendi modo, juxta quem relationes videntur Divo Bonaventuræ fundari in Originibus Notionalibus. Verùm oportuisset, hunc Ecclesiæ Doctorem considerasse, nos per Discursum Intellectualem Divinarum Hypostasum rationes formales indagando ex creatæ suppositalitatis præintellectâ quidditate, sub hujus per intellectum nostrum signatâ intelligibilitate eatenus ascendere in Divinarum Hypostasum contemplationem, ut illa creatæ Hypostasis expressiva intelligibilitas ad ejusmodi intellectualem discursum nostrum habeat se ut ratio formalis *sub quâ*. Atqui propria & definitiva creatæ Hypostasis ratio importat actualitatem substantiæ eatenus terminativam, ut in se completè individuata, & positivè indivisa habeat Formalem sui incommunicabilitatem omnis alterius à se exclusivam. Hæc autem incommunicabilitatis ratio importat formaliter respectu alterius repugnantiam vel oppositionem. At verò Relationis quà talis est importare formaliter Oppositionem: Originis autem definitiva quidditas consistens in ratione emanationis seu tendentiæ, non tam *formaliter*, quàm *consequenter* vel *Identicè* seu *Materialiter*, ac *Entitativè* oppositionem, vel in rebus creatis repugnantiam potiùs disparatam importat. Quare ratio Originis per Intellectualem à specie creatæ actionis abstractionem elevata ad Processiones Divinas intelligendas non tam Formaliter, quàm Entitativè ac Identicè ex parte objecti *Materialis*, non autem *Formalis* explicat Formalitatem Personalitatis ac Hypostasis.

Ad Argumentum ex parte Alarcon *n. 3.* oppositum Respondetur. Omnem in argumento propositam difficultatem disparere, si vel unicè attendatur Intelligibilitatis Formalitas *sub quâ* ad Divinas tum relationes, tum origines intelligendas mens nostra se explicat. Nam quia intelligibilitates, sub quibus tanquàm speciculis ænigmaticis res Divinæ elucent nostro Intellectui, formantur ex speciebus seu formis creatis, idcirco sicut alia species intelligibilis est actionis creatæ, alia verò relationis, alia denique personalitatis: sic per rationis nostræ depuratiorem abstractionem ascendendo ad relationum ac Originum, atque Formalitatum Divinarum contemplationem, ex fidei quidem supernaturali elevatione invenimus realem Formalem rationum illarum in Divinis identitatem, ut alia tamen Intellectio ex actionis, alia verò ex relationis Intelligibilitate moveatur. Est autem harum intellectionum differentia superiùs exposita, quod per priorem *Materialiter*, per posteriorem autem *Formaliter* explicetur Oppositio relationis propria, habens eo ipso Formalitatem & rationem Hypostasis, quòd importet incommunicabilitatem Hæcceitatis substantialis propriam. Quare relativa oppositio per Formæ Hypostaticæ creatæ intelligibilitaté signata eatenus exponit in suo objecto materiali munus respicientiæ seu relationis, ut ex parte tamé objecti sui Formalis sit expressiva Hæcceitatis, seu incommunicabilitatis per relativam oppositionem aliorum exclusivæ. Etsi proinde rela- 19.
tio v.g. Paternitatis sub isto respicientiæ munere seu Formalitate per Intelligibilitatem ex relatione creatâ abstractam repræsentata intelligi possit fundata super generationem, attamen si per intelligibilitatem ex creatâ suppositalitate abstractam sub ratione Formæ Hypostaticæ repræsentetur, munere respiciendi se habente solùm *Materialiter*, tunc generatio non tam intelligitur ut Fundamentum illius, quàm ut Origo ex illâ emanans. Consequens proinde est, relationem Paternitatis Divinæ secundùm ipsum etiam respicientiæ munus, non autem secundùm rationem Originis ut objectum materiale *signatè* intelligi per Divinæ primæ Hypostasis conceptum Formalem. At verò istud in Paternitate Divinâ respicientiæ munus eo ipso formatur ex intelligibili relationis prædicamentalis, non autem Transcendentalis specie, tum quòd illa respicientia sit secundùm Esse, non autem instar Transcendentalis relationis tantummodò sit secundùm dici; tum quòd non merè disparatam causæ cum Causato repugnantiam instar Transcendentalis, sed strictam instar Prædicamentalis relationis Principij cum principiato oppositionem importet. Constat igitur, Hypostaticam primæ personæ Formalitatem, quà signatè conceptam, non quidem ex parte *objecti Formalis*, sed ex parte *objecti materialis* importare relationem ex prædicamentalis relationis Intelligibilitate abstractam, Naturæ Divinæ in ratione Principij *Quod Formalis* terminativam, quæ hoc ipso Paternitatis rationem induat, quòd ipsam Naturam Divinam quà Principium *Quo Formaliter* involvat.

Ad argumenta, quæ ex parte Gonetij, ac 20.
liquorum authorum *à n. 4.* allegatorum sunt adducta, Respondetur. Eâ omnimodè nobis probari jux-

rì juxta sensus in præcedentibus expositos, ut adeò verùm sit 1. Relationes Divinas per Intelligibilitatem ex formâ creatæ relationis abstractam sub formali respicientiæ munere concipi Posteriores Originibus. 2. Has origines sub intelligibilitate ex actionibus creatis formatâ intellectas *præsuppositivè* juxta nostrum considerandi modum, ex parte autem rei *Formaliter* esse constitutivas Divinarum Personarum. 3. Relationes sub ipso etiam respicientiæ munere, adeòque quà exercitas ad nostrum Divinarum Hypostasum signatè expressivum conceptum se habere ex parte objecti Materialis, non autem Formalis. 4. Sub *objecto Formali* respondente *Primario* Personalitatum Divinarum conceptui stare Formaliter Esse relationum sub ratione incommunicabilitatis & oppositionis aliarum Personarum exclusivæ.

ARTICULUS III.

Quibus nominibus, & quâ loquendi formulâ utendum sit circa Trinitatis Mysterium?

1. Quia Nomina & Voces sunt conceptuum nostrorum effigiatæ quædam imagines, non minor cautela est necessaria in loquendo, quàm intelligendo Trinitatis Mysterium. Ea verò circumspectio Mysterium illud intelligere volentibus est adhibenda, ne dum per ænigmaticum ex formarum duntaxat creatarum intelligibilitate Formatum speculum in sublime illud Deitatis arcanum ascendunt, intra Principia Naturæ lumine nota se continceant, sed ista per fidei supernaturalis elevationem transcendendo, captivent suos intellectus in fidei ejusdem obsequium, soli revelationis Divinæ Veritati adhærentes.

2. Quæ proinde causa & ratio est, cur non veritates duntaxat, sed certæ etiam loquendi formulæ de hoc Mysterio à Sacris Concilijs ac Patribus ac Theologis Orthodoxis magnâ ex parte sint definitæ ac præscriptæ, ut adeò Philosophis quidem liberum sit, quibus voluerint uti verbis; Theologis verò Divo Augustino teste, dum agunt de Trinitate, ad certum regulam loqui pernecessarium sit, dum præsertim secundùm Divum Hieronymum à Sancto Thomâ *1. p. q. 31. a. 2. citatum* ex verbis circa istam veritatem inordinatè prolatis facilè incurratur hæresis.

3. Hinc ut certam ejusmodi loquendi formulam præfigamus, tres hic ponemus Controversias. In 1. ad reliquas sternente viam quæsituri, *Quale quoad abstracta & concreta in Divinis nomina sit discrimen?* In 2. *Qualiter nomina circa Trinitatis Mysterium sint formanda?* In 3. *Qualiter formandæ sint propositiones circa hoc Mysterium?*

❧(IHS.)❧

CONTROVERSIA I.

Quale quoad abstracta & concreta in Divinis nomina sit discrimen?

Præpositivus à Divo Thomâ *1. p. q. 32. a. 2.* relatus negavit, aliquod in Divinis esse discrimen inter concretum & abstractum. Probari potest, quia Esse subsistens Essentialiter involvitur in omni Formalitate Divinâ quantumvis abstractâ. Atqui Formalitas, quatenus importat subsistentiam, eo ipso habet rationem concreti. Ergo omnis Divina Formalitas, quantumvis nomine abstracto significetur, habet rationem concreti. Major Probatur. Quia nulla Formalitas est intelligibilis, nisi sub ratione Entis, ratio autem Divini dicit puram actualitatem omnimodæ potentialitatis exclusivam. Eo ipso igitur, quòd Formalitas aliqua intelligatur intra rationem ac lineam Divini, dicit puram in ratione Entitatis actualitatem. Atqui pura in ratione Entitatis actualitas omnimodæ exclusiva potentialitatis importat Esse sub ultimâ actualitate, atque adeò Hæcceitate, & consequenter suppositalitate. Ergo nulla Formalitas quantumvis abstracta, dum ejusmodi abstractio non extrahit illam ex lineâ actualitatis Divinæ, intelligi potest nisi in concreto, quà involvens Esse Essentialiter subsistens. Ergo inter abstracta & concreta in Divinis nulla est distinctio. 4

Aureolus apud Cajetanum *1. p. q. 29. a. 2.* existimavit: Distinctionem abstracti & concreti aliquam ex parte rei significatæ, & non solùm ex parte modi significandi diversitatem inducere. Fundamentum est. Si enim ex parte modi significandi solùm distinguerentur, quidquid verificatur de uno, verificaretur etiam de alio. At licèt sit verum, quòd tam *Pater, quàm Filius spiret*; est tamen falsum; quòd *Paternitas ac Filiatio spiret*. Sicuti verum etiam est, quòd *Pater sit Spirator*: cùm falsum tamen sit; quòd *Paternitas sit spiratio activa*. Ergo quia propositiones ex Divinis nominibus in concreto formatæ verificantur, quæ tamen falsæ sunt, si prædicationes formentur sub terminis abstractis, consequens est, nominibus concretis ex parte ipsius rei significari aliquid aliud, quàm nominibus abstractis. 5

Ioannes à Sancto Thoma *cit. q. 29. disp. 14. a. 4. à n. 2.* negat, abstracti & concreti distinctionem in Divinis inducere ex parte rei significatæ aliquam diversitatem, sed tantùm ex parte modi significandi. Fundamentum est. Quia forma ita est per se ac in se existens, quòd ut sedatur concreta & *ut Quod*, non indiget aliquo à se distincto, sed se ipsâ, immediatè est *Quo*, & *Quod*: est enim in se omninò perfecta, & in actu puro secundùm Esse, & secundùm modum suum. Ergo ut significetur in abstracto, & in concreto, *ut Quo, & ut Quod*; non indiget diversitate aliquâ ex parte rei significatæ, sed eadem omnino res in se & in suâ lineâ, utrumque ob suam perfectissimam rationem includens nostro modo concipiendi, & significandi præcisè dividitur, & diverso modo concipitur in abstracto & in concreto. 6

Con-

CONCLUSIO.

Abstracta non ex parte rei significatæ, sed ex parte modi duntaxat significandi in Divinis distinguuntur à concretis, nisi abstractio Formalitatis alicujus respectu sui concreti importet inadæquatam objectivam præcisionem.

7. Explicatur & Probatur. Nam *ly Deus Sapiens* nihil aliud importat, quàm Esse subsistens, in quo per realem Formalem purissimæ actualitatis identitatem sit sapientia. At eo ipso, quòd nulla Forma intra Divinæ Formalitatis lineam sit Intelligibilis, nisi sub ratione actûs Puri formaliter involvens *Esse subsistens*, sequitur, per *Tò Sapientia Divina* exprimi eò ipso Sapientiam in purissimo Esse subsistentem. Ergo idem ex parte objecti importatur tum per abstractum Sapientiæ Divinæ nomen, tum per concretum *Tò Deus Sapiens*.

8. Dices. Ex hoc evinci, quòd abstracta in Divinis non tantùm *implicitè* & *Materialiter*, seu *Connotativè*; sed etiam *explicitè* ac *Formaliter* designent Esse subsistens. Atqui Attributa & prædicata Divina eo ipso designantur nominibus concretis, quòd importent actum subsistentem. Ergo ne quidem ex parte modi intelligendi debent in Divinis concreta, & abstracta distingui.

9. Contra. Nam verum quidem est, quòd Esse Dei subsistens per omnem cujuscunque quantumvis abstractæ Formalitatis Divinæ cognitionem attingatur, alius tamen Intellectualis nostræ attingentiæ modus significatur per nomen abstractũ, alius verò per nomen concretum.

10. Probatur istud Assumptum. Nam modus Intellectualis attingentiæ est in cognitione secundùm specificationem ex Formali objecti ratione, seu Intelligibilitate motivâ. Hæc autẽ per Formæ v. g. Sapientiæ creatæ speciem formata Intelligibilitas ad Sapientiam Divinam repræsentandam elevatur per remotionem omnis potentialitatis præcisivam. Atqui stante hâc potentialitatis præcisivâ remotione, potest Sapientia Divina concipi sub intentione aliquâ ejusdem ad suppositum Divinum comparativâ, ut tamen sub istâ intentione, seu conceptione Sapientia comparetur ad suppositum Divinum quà Forma huic inexistens non per modum inhæsionis, unionis, seu informationis, sed per realem puræ actualitatis identitatem. Cui proinde Intellectûs nostri conceptioni respondet abstractum Sapientiæ nomen.

11. Insuper Intellectus noster per Intelligibilitatem ex sapientiæ & suppositi creati speciebus formatam, & abstractam potest ascendere ad contemplandam Sapientiam, quà in puræ actualitatis Esse subsistentem. Ut sic autem intelligitur Sapientia sub conceptione expressivâ Sapientiæ, non tanquàm Formæ secundùm identitatem inexistentis, sed tanquàm actûs per se subsistentis. Atqui huic conceptioni respondet Concretum Sapientis nomen. Constat igitur, in Divinis dari concreti & abstracti diversitatem, non quidem ex parte rei significatæ, sed ex parte modi significandi, ac intelligendi, prout per abstractum Sapientiæ nomen importatur secunda intentio, sub quâ repræsentatur Esse Dei subsistens tanquàm objectum non physicè secundùm informationem, sed Logicè secundùm Identitatem realem denominabile per Divinam Sapientiam: cùm ècontra per concretum Sapientis nomen importetur Intellectûs nostri intentio, sub quâ tam Esse Dei subsistens, quàm Sapientia Divina repræsentatur tanquàm subsistens actus Sapientiæ puram actualitatem Formaliter identicè involvens.

Instabis. Verè dici, quòd *Deus generet*, ècontra falsum esse, quòd *Deitas*, seu *Essentia Divina generet*, *ex Cam. Damnamus. de Trinitate & Fide Catholicâ*. Oportere igitur, quòd concretum *Tò Deus* & abstractum *ly Deitas*, seu *Essentia Divina* ex parte ipsius rei conceptæ importent aliquam diversitatem. Pari ergo ratione *Tò Sapientia* & *ly Sapiens*, cæteraque abstracta & concreta in Divinis nomina dicere ex parte rei significatæ aliquam differentiam. 12.

Contra. Nam per *ly Deus* non significatur talis à suppositalitatibus relativis abstractio seu præcisio objectiva, quin istæ in confuso ex parte objecti involvantur. Econtra *ly Deitas* significat Formalitatem Naturæ, seu Essentiæ Divinæ objectivè præcisam à Divinis relativis Hypostasibus. Atqui prædicatum *Generans* formaliter importat realem Principij Generativi à Principiato Genito distinctionem: subjectum autem prædicationis supponit secundùm naturam prædicati. Unde illud prædicatum non potest verè combinari cum termino significante formalitatem Divinam, quà objectivè præcisam à relativâ Hypostasi, secundùm quam in Divinis stat Principium Generans quà distinctum à Genito. Unde verum est, quòd abstracta & concreta in Divinis, quatenus cum prædicato aliquo Notionali combinantur, importare possint inadæquatam Formalitatis alicujus objectivam præcisionem, possintq; ut sic non ex parte modi duntaxat significandi, sed ex parte rei significatæ habere aliquam diversitatem. At secus est, si abstractum & concretum Essentiale & absolutum sine aliquâ cum Notionali prædicato combinatione inter se comparentur. 13. 14.

Probatur istud assumptum. Nam forma in creatis sumitur abstractè, prout consideratur præcisa à subjecto seu supposito. At licèt Formalitates Divinæ absolutæ per objectivam præcisionem sint abstrahibiles à suppositis relativis, nequeunt tamen objectivè præscindi à substantiâ Divinâ absolutâ, sive Esse Dei subsistente. Unde tantùm quoad modum significandi, non ex parte rei intellectæ ac significatæ potest inter abstracta & concreta Dei absoluta & Essentialia intervenire aliqua diversitas, prout nimirum, concretum *Tò Sapiens* v. g. importat Sapientiam quà per Esse Dei formaliter in se subsistentem: cùm ècontra abstractum *Tò Sapientia* importet formalitatem ejusmodi ex creatæ sapientiæ intelligibilitate cum omnimodâ potentialitatis depuratione abstractam, atque ut sic sub aliquo Intentionali logicæ secundùm identitatem realem denominationis ordine ordinabilem ad Dei subsistens Esse, ut adeò istud per Nomen concretum in recto, per Nomen autem abstractum importetur in obliquo, secundùm aliquam connotationem non physicæ alicujus infor-

... pnis', sed realis identitatis repræsen...

Responsio ad Argumenta ab initio opposita.

15. AD 1. ex parte Præpositivi oppositum Respondetur. Illo argumento ritè probari, ... abstracta & concreta in Divinis importare diversitatem aliquam non ex parte rei conceptæ seu intellectæ, sed ex parte modi duntaxat significandi ac intelligendi. Ejusmodi verò diversum intelligendi modum esse nobis necessarium ex ipsâ Intellectûs nostri non nisi dependenter à Formarum creatarum Intelligibilitate intelligentis intrinsecâ limitatione, & coarctatione. Quam ipsam porrò infirmioris nostri per fidem proportionaliter tamen elevati luminis nostri tum Intellectualis tum intelligibilis coarctationem ad hoc inservire, ut & simplicitatem Divinarum Formalitatum omnimodæ compositionis, imò & componibilitatis physicæ exclusivam sub earum abstractione significemus, & plenitudinem earundem perfectionis denotemus per nomina concreta significantia Formalitates Divinas per se ab omni Inhæsionis vel informationis subjecto independenter subsistentes, per Divinum Essentialiter subsistens Esse realiter Formaliter eisdem identificatum.

16. Ad 2. ex parte Aureoli oppositum Respondetur. Aliam esse rationem in abstractis Divinis, quatenus comparantur ad subsistentiam Dei absolutam, aliam verò esse rationem, quatenus in aliquâ præsertim propositione comparantur ad prædicatum Hypostasis seu Formalitatis Divinæ relativæ sub reali correlativæ oppositionis repræsentativum. Nam nulla Divinarum Formalitatum est ab Esse Divino subsistente eatenus abstrahibilis, ut istud ex parte sui conceptûs objectivi non involvat, cùm econtra detur intentionalis tum Paternitatis, tum Filiationis à spiratione activâ ex parte objecti præcisiva abstrahibilitas. Unde, consequens fit, hanc propositionem *Paternitas*, vel *Filiatio spirat*, ideò falsam esse; quòd *ly spirans* sit subjecti determinativum, ad rationem Principij Spirativi significandam, cujusmodi tamen significatio non est in *Tò Paternitas* & *Tò Filiatio*; eò quòd per objectivam relationis Paternæ & Filiationis præcisionem in neutro istarum Formalitatum conceptu objectivo involvatur Spiratoris relatio, quam tamen ex parte conceptûs objectivi important concreta Patris & Filij nomina. Constat igitur, abstractionem in Divinis nominibus respectu suorum concretorum in comparatione ad prædicata Notionalia, non autem in comparatione ad Divinum absolutè subsistens Esse importare objectivam Formalitatis Divinæ præcisionem.

***



CONTROVERSIA II.

Qualiter nomina circa Trinitatis Mysterium formanda sint?

YSambertus *ad q. 31. disp. un. art. un.* regulam universalem, ex quâ unicuique liceat formare judicium in particulari de singulis circa hoc Mysterium loquendi Formulis; statuit hisce verbis. *in explicando Mysterio Sanctissimæ Trinitatis est solummodò utendum his vocibus, quæ significant distinctionem suppositorum, quando proferuntur vel in plurali numero, vel important aliquam pluralitatem: Est autem abstinendum ab ijs, quæ simul cum distinctione Personarum important etiam vel distinctionem naturarum, vel æqualitatem inter Personas.* 1.

Ex quâ generali Regulâ deducitur 1. qualiter voces *Tò Trinus, Tò triplex, Tò multiplicabilitas* circa Deum proferre liceat. Etenim falsæ sunt istæ propositiones: *Deus est triplex, Deitas est Trina.* Econtra veræ sunt istæ: *In Divinis est Triplicitas Personarum, sive triplex Persona. Unitas in Deo est Trina, sive Deus est Trinus*, ita partim ex Sancto Thomâ *præs. q. 31. a. 1.* partim ex Ysamberto *citato*, partim ex Francisco Amico *to. 1. disp. 29. n. 36. & seq.* quorum authorum hâc in re differentiæ non tam reales, quàm vocales apud eosdem videri possunt. Ratio primi est. Tum quia vox *Triplicitas* in rigore Grammaticali significat multitudinem cum proportione inæqualitatis, ita ut id, quòd triplex dicitur, majus sit, respectu cujus dicitur Triplex, velut innuit Sanctus Doctor *cit. a. 1. ad 3.* At Trinitas Personarum in Divinis non est major unitate Essentiæ etiam præcisæ ab Hypostasibus personalibus; neque tres Divinæ relativæ Personalitates sunt quid perfectius, quàm unica Patris v. g. Hypostasis. Non igitur Deus Triplex dicendus est, alioquin minor esset Pater solus, quàm Pater & Filius simul, uti expressis verbis arguit Sanctus Augustinus *lib. 6. de Trinit. cap. 7.* Tum quia vox Triplex per hoc differt à voce *Trinus*, quòd ista ex suâ Ethymologiâ importet trium unitatem: Triunitas enim quasi Trinitas dicta idem est ac Unitas in Trinitate, seu Trinitas in Unitate. At vox *Triplex* significat multitudinem, nullâ etiam implicitè insinuatâ Essentiæ Unitate. Unde quando Deus dicitur Trinus, significatur in unitate Essentiæ Personarum distinctio, è contra verò quando Deus dicitur Triplex, Multitudo per vocem hanc significata ita cadit supra Deitatem tanquàm Formale vocis *Deus* significatum, ut consequenter tollatur Divinæ Essentiæ unitas. Tum quia per istam propositionem: *Deitas est Trina*, Trinitas importans distinctionem cadit supra Essentiam Divinam, nisi temperetur per additionem cujusdam particulæ: veluti fit in hymno Festi Corporis Christi, ubi cùm Ecclesia cecinisset: *Te Trina Deitas*, mox subjungit; *unaque poscimus*: per hoc enim temperamentum significatur, quòd Deitas non in se ipsâ præcisè sumptâ seu ratione Essentiæ Divinæ admittat multitudinem, sed quòd sit & existat in tribus Personis. 2. 3. 4.

5. Ratio secundi est. Tum quia licèt Triplicitas rigorosè loquendo importet aliquam proportionis in-

nis inæqualitatem: ex usu tamen satis frequenti denotat aliquam Formarum, quas terminus *Triplex* afficit, similitudinem; nullâ earundem connotatâ inæqualitate. Juxta quam adeò significationem Cyrillus *Dialog. de Trinit. lib. 3.* in Personis Divinis concedit Duplicitatem, & Triplicitatem. Unde Theologi passim in Deo ponunt Duplicem Processionem, triplicem Personam, & quatruplicem relationem; Angelico
6. Doctore *q. 10. de Potent. art. 2.* asserente: *Quòd Natura Divina possit communicari duplici Processione.* Tum quia si *Vox Trina* enuntietur de unitate Essentiæ Divinæ propriâ, non potest hanc ex formali individuationis ratione ita extrahere, quin consequenter per illud Prædicatum insinuetur multitudo ac distinctio Hypostasum, non verò naturæ ac Essentiæ. In quo adeò sensu cuivis Orthodoxorum facilè obvio non potest non esse vera enuntiatio, quam ipsemet Sanctus Augustinus *lib. Medit. cap. 3.* pronuntiavit; *Una Trinitas*, inquiens, *& Trina unitas Deus.* Hinc à fortiori, quia per nomen *Deus* significatur Natura subsistens involvendo saltem implicitè ipsas etiam relativas Hypostases, consequens est, cum veritate dici, quòd *Deus sit Trinus.*

7. Secundò deducitur, verè dici, quòd *Pater sit alius à Filio*, at falsum esse, quòd *Filius sit aliud à Patre & Spiritu Sancto.* ex Concil. Lateranensi sub Innocentio III. relato *in Can. Damnamus. de Sum. Trinit.* ubi sic habetur. Licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus. ex *Joann. 15. Ego*, inquit Christus,
8. *& Pater unum sumus.* Ratio est. Nomen enim Neutrum est instar substantivi: Masculinum verò *ly alius* significat per modum adjectivi. At nomina substantiva unitatem ac multitudinem sumunt à Formâ, quam significant; adjectiva verò à supposito, cui significationem applicant. Minor probatur. Nomina
9. enim substantiva significant Formam per modum substantiæ ut per se stantis: adjectiva verò per modum accidentis ut alteri adjacentis. Atqui substantia sicut habet esse per se, & non in alio, ita unitatem & multitudinem, quæ ad Esse sequuntur, habet ex se sive ex formâ, quâ per se stante. Econtra accidens sicut non habet esse in se, sed in subjecto, sic unitatem & multitudinem sumit à subjecto. Ergo nomina substantiva sumunt unitatem ab unitate Formæ per se stantis, adjectiva verò ex connotatione suppositi, cui per nomen ejusmodi significatur forma adiacere. Unde nomina Dei absoluta & Essentialia, vel Notionalia duabus Personis communia, si *substantivè* sumantur; non nisi in singulari verè prædicantur de Personis Divinis, veluti dum dicitur, *Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt unus creator, Unus Dominus, unus æternus, unus Immensus, Pater & Filius sunt unus spirator, unum ad*
10. *intra Principium.* Econtra verò si nomina ejusmodi sumantur *adjectivè*, non nisi pluraliter enuntiantur de Divinis Personis: velut si dicantur *tres Divini, tres habentes Deitatem: tres creantes: tres æterni: tres immensi: Duo spirantes: Duo principiantes.* Quod proinde discrimen observâsse censendus est Sanctus Athanasius *in suo Symbolo* dicens: *Non esse substantivè nimirum loquendo* tres increatos, nec tres immensos, sed unum increatum & unum immensum: dum tamen ille ipse Sanctæ Ecclesiæ Doctor *in eodem symbolo* affirmavit: Totas tres personas sibi esse coæternas & coæquales. Pari ergo ratione Pater dici potest alius, non tamen aliud à Filio: siquidem *Tò aliud* Essentiæ, *ly* verò *alius* Hypostasis Essentiam Divinam habentis alietatem seu distinctionem inferat.

Tertiò deducitur; Non æquè propriè dici posse Filium à Patre & Spiritu Sancto diversum, discrepantem, differentem, vel alterum: quàm secundùm rigorosum etiam loquendi modum verè dicatur Filius distinctus à Patre & Filio. ex Ysamberto *citato prop. 3.* & Amico *dictâ disp. 29. n. 30.* Ratio. Nam *Tò distinctus* præcisè significat unius ab alio distinctionem, ècontra verò *ly diversus, alter, differens* ex mente Sancti Thomæ *præs. q. 31. a. 2.* important diversitatem in Naturâ: nisi fiat additio alicujus vocis limitantis ad Hypostases seu Personas: veluti si Pater & Filius dicantur quà Personæ proprietatibus differentes, aut diversæ: quomodo accipitur illud Sancti Augustini *epist. 66.* differentis in hæc verba: *Pater ita genuit de se alterum se, ut totus maneret in se.* 11.

Quartò deducitur. Eatenus esse cavenda nomina, quæ Personarum consortium à Divinis excludunt, ut consequenter vox *solus* non nisi cum prædicato Essentiali Syncategorematicè conjuncta habeat locum in Divinis prædicationibus. ex Divo Thomâ *præs. q. 31. a. 3.* & Ysamberto *proposit. 4. & ult.* item Amico *a n. 31.* Ratio est. Nam vox illa sumitur syncategorematicè, quando in propositione ponitur *Comprædicativè*: cùm ècontra se habeat tanquam terminus *Categorematicus* dum *absolutè* posita tenet vices subjecti ac prædicati. At inprimis *ly solus* cum veritate *Comprædicativè* adjungitur termino Deus respectu prædicati Essentialis: Verum enim est, quòd solus Deus sit immensus: & æternus: Econtra falsum est, quod *Deus sit solus*: In priori enim propositione *ly solus* excludit à ratione Immensitatis supposita non Divina, sed creata duntaxat: cùm ècontra in posteriori enuntiatione *Tò solus* absolutè ex parte prædicati positum excludat plurium Divinarum Personarum in unâ Deitatis naturâ consortium. Unde in his etiam per sacras Litteras assertis enuntiationibus; *Videte, quòd Ego sum solus. Deuteron. 32. & Tu qui solus es. Job. 14.* Particula *solus* non nisi *syncategorematicè* accipienda est, ita quidem, ut in priori significetur aliorum Deorum exclusio: in posteriori autem singularis Dei modus existendi per se & independenter à quocumque alio. 12.

Deinde *ly solus* non potest Termino Personali respectu prædicati Essentialis etiam syncategorematicè adjungi; benè tamen respectu prædicati Notionalis: sic enim verificatur, quòd *solus Pater generet, solus Filius gignatur: solus Spiritus Sanctus spiretur.* Nec obstat, quòd Christus *Matth. 11.* ita fuerit locutus: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*; in hâc enim locutione non est Spiritûs Sancti à notitiâ Patris & Filij prædicato Essentiali exclusio, siquidem *ly Nemo*. Divo Tho. *præs. q. 31. a. 4. ad 2.* teste distribuat sive supponat non pro Personâ, sed pro Naturâ; atque adeò illas duntaxat Personas, quæ non communicant in Naturâ Divinâ, excludat, sicuti ècontra in hâc etiam enuntiatione 13. 14.

tione

tione, *solus Pater novit Filium*, *ly solus* distributive supponens pro Personâ excluderet personas Filii ac Spiritûs Sancti. Quibus adeò deductionibus in nullam inter Orthodoxos Controversiam tractis hic suppositis; nonnulla magis dubia circa præsens punctum deinceps expendemus.

Referuntur Sententiæ & Argumenta Opposita.

15. PRima proinde de modo loquendi difficultas hîc est, an relativum *Idem* in hâc v. g. enuntiatione: *Deus genuit eundem Deum*, referat subjectum secundùm identitatem Naturæ vel suppositi? Affirmat Divus Bonaventura *in 1. dist. 4. a. 1. q. 1.* qui proinde illam propositionem asserit falsam. Ratio est. Nam *ly Deus* ex parte subjecti supponit pro Deo quà Generante, atque adeò producente Patris Hypostasin. Atqui relativum refert antecedens sub eodem modo supponendi, sub quo antecedens præcessit. Unde illius, *Deus genuit eundem Deum*, sensus reddutur, quòd Deus generans & genitus habeant identitatem suppositi ac Hypostasis. Hoc autem est falsum, Ergo & id, ex quo sequitur.

16. 2. Difficultas est de Particulâ *De* qualiter construi possit cum personis respectu Naturæ Divinæ? An scilicet veræ sint istæ propositiones: *Pater est de Naturâ Divinâ: Omnes Personæ sunt de substantiâ Dei*? Affirmat Vasquez *disp. 162. cap. 1. in fine*. Ratio est. Quia præpositio *De* importare potest solam habitudinem Causæ Formalis. At præpositiones importantes habitudinem Causæ Formalis, seu quasi Causæ Formalis tribui possunt tam Notionalibus, quàm Essentialibus respectu quarumcumque Divinarum Perfectionum. Probatur ista Minor. Nam

17. sub ejusmodi Particulis Causam quasi Formalem significantibus potest cum Veritate fieri unius sive Essentialis, sive Notionalis Perfectionis de alterâ enuntiatio, si quælibet Divinarum perfectionum ad alteram sibi non oppositam se habeat tanquàm Forma. At quælibet perfectio Divina sive concretè, sive abstractè sumpta propter sui illimitationem Quidditativè includit reliquas perfectiones sibi non oppositas. Ergo de quâlibet enuntiari potest quælibet perfectio illi non opposita per modum formæ inclusæ in includente: nam ad hoc sufficit continentia unius in aliâ cum solâ virtuali distinctione extremorum. veluti ex Sancto Thomâ *1. p. q. 42. a. 2.* ponderat Amicus *disp. 29. n. 68.*

Conclusio.

HÆc Propositio: *Deus genuit eundem Deum*, in vero sensu accipi potest: istæ verò, *Pater est de Naturâ Divinâ: Omnes Personæ sunt de substantiâ Dei*; tanquàm falsæ sunt rejiciendæ.

Prior pars per Scotum *in 1. dist. q. 1. ad 1.* Suarezium *lib. 6. de Trinit. cap. 7.* & Amicum *cit. disp. 29. n. 26.* asserta

18. Probatur. Quia sicut in hâc propositione, *Petrus genuit eundem secum hominem*, identitas non suppositi, sed Naturæ, non quidem Numericâ, sed specifica denotatur. Sic proinde in istâ enuntiatione: *Deus genuit eundem Deum*, non est necessum, ut sub relativo *Idem* intelligatur identitas suppositi, sed Naturæ. Posterior ex Sancto Thomæ *1. p. q. 41. a. 3.* & Theologorum communi sententiâ ab Amico *citato n. 65.* asserta probatur. Nam 19. particula *De* præter Consubstantialitatem semper importat habitudinem principiati ad Principium productivum. Atque eo ipso, quod nullus possit se ipsum producere, præpositiones importantes habitudinem termini ad Principium productivum tribui non possunt nisi solis Personis procedentibus respectu sui Principij productivi. Etsi proinde Filius verè dicatur esse de substantiâ Patris, siquidem hæc in Patre sit vera Virtus Filij Generativa: attamen falsum est, quòd Pater sit de Naturâ Divinâ, cùm per istam enuntiationem denotetur, naturam Divinam saltem in ratione Principij *Quo* comparari ad Hypostasin Patris tanquàm suum Principiatum.

Responsio ad Argumenta in initio opposita.

20. AD 1. ex parte Divi Bonaventuræ *n. 15.* oppositum argumentum Respondetur. Negando minorem, quòd nimirum relativum semper debeat referre antecedens sub omni adæquato modo, qui antecedenter fuit enuntiatus; unde sufficit pronomen *Idem* referre Dei Geniti cum Generante identitatem consubstantialitatis, non verò Hypostasis ac Personalitatis.

21. Ad secundum ex parte Vasquezij *n. 16.* oppositum argumentum Respondetur. Minorem, ejusque probationem omninò teneri, hinc enim verè dicitur, quòd *Deitas sit in Paternitate. Omnipotentia in Filiatione, Pater in Filio, Spiritus Sanctus in Patre: velut infra q. 46. art. 1. de Circum in sessione probab itur.* At majorem esse falsam, siquidem particula *De* non æquè, ac particula *In* solùm Naturæ Consubstantialitatem seu perfectionis cum alterâ non oppositâ identitatem realem importet, sed habitudinem Principiati ad Principium productivum. At certum est, non omnes Personas Divinas esse Principiatas *Ex* seu *De substantiâ Divinâ*, sed solis Filij & Spiritûs Sanctis Hypostasibus convenit, quòd Divina substantia sit earum sive formale & proximum, sive Radicale Principium. Ergo falsum est, quòd *omnes Personæ Divinæ sint de Substantiâ Dei.*

CONTROVERSIA. III.

Qualiter formandæ sint propositiones circa Trinitatis Mysterium?

1. QUatuor in hoc puncto assignantur Regulæ. Prima, in Sancto Thomâ *præs. q. 39 a. 4.* fundata est, quòd *Notionalia verè prædicentur de nominibus Essentialibus concretis.* Fundamentum est. Quia Concretum Essentiale v. g. Deus immensus, idem importat, atque *ly Habens Deitatem, Immensitatem*; sicut *ly homo* significat suppositum habens humanitatem. Ergo *Tò Deus* ex vi & modo significationis suæ potest supponere pro quocumque habente Deitatem. At Deitas non solùm

lùm habetur in se, quatenus est per se existens, sed etiam habetur in Personis, quatenus terminatur per illas. At Notionalia verè prædicantur de Essentialibus, quatenus hæc supponunt pro Personis. Ergo Notionalia eatenus verificantur de Essentialibus, ut ex ipso prædicato, hoc nomen Deus v.g. trahatur seu determinetur ad supponendum pro Deo absolutè, vel pro Personâ relativâ, aliquando pro unâ, aliquando pro duabus, aliquando pro omnibus. ex Sancto Thomâ *cit. a. 4. in fine Corporis.* Unde veræ sunt istæ enuntiationes: *Deus generat, Deus generatur: Hic æternus spirat: Hic immensus spiratur: Deus refertur ad Deum; Deus relativè opponitur Deo.*

2. Secunda Regula ex Amico *cit. disp. 29. n. 51.* petita est: quòd Nulla sive Notionalis, sive Essentialis actio per Verbum exercitum significata sit prædicabilis de terminis Essentialibus, aut personalibus abstractè sumptis, nisi talis actio formaliter sit à tali Principio. Fundamentum est. Omnia verba, excepto substantivo *Sum, es, est,* sunt adjectiva, & applicata subjecto reddunt sensum Formalem. Atqui actio sive Notionalis, sive Essentialis adjectivè significata in sensu formali non verificatur nisi de subjecto supponente pro formâ Divinâ se habente ad illam actionem tanquàm Principium. Nulla verò Dei formalitas est actionis Notionalis Principium, nisi formaliter involvendo, vel connotando Hypostasin Personalem. Unde de illis duntaxat Essentialibus terminis verificatur actio Notionalis adjectivè significata per verbum exercitum, quando termini ejusmodi significant formam Essentialem, quatenus hæc sive *formaliter* sive *Connotativè* importat Hypostasin seu Personam. At Essentialia Divina nomina in abstracto, licèt significent formalitatem, quæ ex parte rei significatæ est Hypostasis, ex parte tamen modi significandi nullatenus supponunt pro Personâ. ex Divo Thomâ *cit. q. 39. a. 5.* Ergo de Essentialibus nominibus abstractè sumptis non verificantur verba exercita adjectivè significantia tum actionem Notionalem, tum Essentialem, nisi sub tali abstracto termino saltem *Connotativè* significetur Principium actionis non tantùm Identicum, sed formale. Hinc falsæ sunt istæ: *Deitas generat: Intellectus Divinus spirat: Voluntas intelligit, Immensitas creat: Misericordia punit: Justitia miseretur:* Econtra veræ sunt istæ: *Intellectus Divinus intelligit, Voluntas vult. Omnipotentia creat. Sapientia gubernat. Bonitas benefacit.*

3. Tertia Regula est. Omnis actio Notionalis Divina significata per nomen seu Verbum in actu duntaxat signato, verè enuntiatur de quacumque perfectione Divinâ sive abstractè sive concretè consideratâ. ex Amico *cit. disp. 29. n. 57.* Fundamentum est. Cùm enim sit realis identitas omnis Divinæ formalitatis, ubi non est relativa oppositio, sequitur, veras esse quascumque propositiones, in quibus una Divina formalitas de alterâ sibi relativè non oppositâ in sensu Identico enuntiatur. velut innuit Sanctus Tho. *cit. q. 39. a. 6.* Unde secundùm ejusmodi identicum sensum verificatur Regula quinta per Ioannem à Sancto Thomâ *in cit. q. 39.* posita: quòd scilicet *abstracta Essentialia de Personis, & econtra Personarum abstracta de Essentiâ, tam in concreto, quam in abstracto prædicari possunt.* At eo ipso quòd actio Divina per nomen vel verbum in actu duntaxat signato significata non importetur per modum adjectivi, sed per modum substantivi, sequitur, prædicationem, in quâ actio ejusmodi de aliqua Divinâ Perfectione taliter enuntiatur, non reddere sensum formalem, sed identicum; uti insinuat Sanctus Doctor *cit. a. 5.* Quocirca veræ sunt istæ propositiones: *Deitas est generatio. Essentia est Relatio: Intellectus est volitio. Voluntas est generare.*

Quarta Regula: Perfectiones Divinæ, quatenus in suo conceptu involvunt secundam intentionem, non sunt de se invicem verè prædicabiles. Unde falsæ sunt istæ enuntiationes: *Attributum Sapientiæ est attributum Iustitiæ seu Misericordiæ. Notio Paternitatis est Notio spirationis. Notio Spirationis est Filiatio.* Fundamentum est. Nam Sapientia v. g. habet rationem attributi, prout stat sub secundâ intentione objectivè præcisivâ Sapientiæ ab alijs Divinis formalitatibus. Unde illarum propositionum redditur sensus; formalitatem Sapientiæ, non prout est à parte rei duntaxat, sed secundùm rationis nostræ ratiocinatæ objectivam præcisionem esse formalitatem Misericordiæ, Justitiæ &c. ita ut consequenter istæ formalitates non sub diversis intentionibus, sed sub uno intellectûs nostri conceptu repræsentarentur. Ex hoc autem tolleretur omnimoda attributorum tum inter se, tum respectu Essentiæ Divinæ distinctio rationis etiam ratiocinatæ. 4.

Quibus adeo certioribus suppositis, ad ea, quæ aliquid in præsenti materia Controversiæ continent, descendemus.

Referuntur sententiæ Doctorum.

Circa primam igitur Regulam controvertitur, an sicuti Notionalia *in sensu affirmativo* verè prædicantur de divinis Essentialibus Concretis nominibus: sic *in sensu* etiam *Negativo* veræ sint istæ: *Deus non generatur, Hic æternus, vel hic immensus non spiratur: Deus non refertur ad Deum: Deus relativè non opponitur Deo?* 5.

Durandus *in 1. dist. 4. q. 2. n. 13.* Aureolus *q. 1. a. 2.* Ocham *q. 2. ad 1.* Gabriel *q. 1. a. 2 conc. 2. & alij.* arbitrantur, esse veras, tametsi propter authoritatem Patrum & periculum erroris, illis sit abstinendum. Fundamentum est. Nam ut Negativa sit vera, sufficit de uno tantùm individuo eam verificari. Econtrario Amicus *n. 50.* rejectis illis negativis, istam: *Hic Deus non est Deus,* veram dicit, eò quòd *Hic Deus* ex parte subjecti pro Patre, ex parte autem prædicati pro Filio supponat. 6. 7.

Circa secundam Regulam controvertitur, an vera sit ista: *Paternitas generat?* Nam Ruiz *disp. 80. sect. 5. n. 16.* & Zuniga *disp. 39. memb. 2.* veram, licèt propter modum significandi in abstracto impropriam asserunt. Fundamentum est. Quia actio adjectivè in concreto significata verè affirmatur de suo Principio proximo & formali. Atqui relatio Paternitatis ut sic est Principium proximum, & formale Divinæ Generationis. 8.

Econtra Amicus *n. 52.* negat illam propositionem, eò quòd generare non dicat solam productionem, sed cum productione importet naturæ communicationem, cujus formale Principium non est sola Paternitas præcisa à naturâ, sed totum suppositum Patris cum proprietate relativâ includens Naturam absolutam. 9.

Circa tertiam Regulam difficultas est, an 10.

veræ

veræ sint istæ. *Intellectio in Divinis est volitio: Misereri est punire*? Nam eas verificari, negat Amicus *n. 57.* eo quod diversæ in his actibus sint objectorum connotationes, quas illi Essentialiter includunt.

CONCLUSIO I.

NOn hæ duntaxat, *Deus non generatur, Hic immensus non spiratur, Deus relativè non opponitur*; sed etiam ista; *Hic Deus non est hic Deus*, sunt falsæ.

11. Probatur. Negatio enim à subjecto removet formam universaliter & omni modo, quo ipsi convenire posset. At non *ly Deus* tantùm, sed etiam *Tò hic Deus*, *Tò hic immensus* importat Hæcceitatem Divinæ Essentiæ Essentialiter constitutivam non ad unum duntaxat Personale suppositum restrictam, sed communem tribus Personis Divinis. Unde ut verum esset, quòd *Hic immensus non spiretur*, oporteret, spirationem verè negari de immenso importante Hæcceitatem Divinæ Essentiæ propriam quà continentem realiter omnium Divinarum Personarum Hypostases: sicuti ut vera esset ista, *Hic Deus non est Deus*, deberet Hæcceitas Dei ut sic propria esse alia ab Hypostasi importatâ ex parte prædicati. Unde facilè patet responsio ad opposita *n. 6. & 7.* adducta.

CONCLUSIO II.

HÆc propositio: *Paternitas generat*: est simpliciter falsa.

12. Probatur. Nam prædicatum hoc adjectivè positum facit sensum formalem. Hic verò cadit super rem, prout subest nostro conceptui. At secundùm nostrum intelligendi ac significandi modum per *ly Paternitas* non exprimitur nisi paterna relatio: ècontra verò *ly Generans* exprimit Suppositum tanquàm Generationis activæ Principium *Quod*. Etsi proinde Paternitas Divina ex parte rei significatæ importet ipsam Generationem activam, ipsamque Paternam Hypostasin ac Essentiam & Naturam Divinam, hæc tamen propositio; *Paternitas est Generans*, verificari nequit, eo ipso, quòd *ly Paternitas* ex modo nostro concipiendi non exprimat Principium *Quod* Generans. Hinc facilè patet responsio ad Ruiz *n. 8.* oppositum argumentum, tum quia Generatio activa posita adjectivè ex parte sui materialis importat suppositum, nec adeò verificatur de Principio *Quo*: tum quia falsum est, Paternitatem esse Principium Formale Generationis Divinæ activæ.

CONCLUSIO III.

IStæ. *Intellectio est volitio, Misereri est punire* veræ sunt, si *Tò Misereri est punire* supponant pro actibus Deo formaliter immanentibus, & Virtualiter tantùm transeuntibus.

Probatur. Quia illæ propositiones faciunt sensum merè identicum. At licèt miserationis & punitionis Divinæ quà actuum Dei immanentium sint connotationes ad diversos effectus: illi ipsi tamen actus diversa objecta connotantes, sunt realiter in Deo identificati. Ergo verè dicitur actus miserendi in Deo esse actus puniendi. Unde patet responsio ad Amici *n. 10.* oppositum argumentum. 13.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA QUINTA
DE
PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI.

1. NE, dum ex personæ Divinæ in communi consideratæ abstractione descendimus ad Personas Divinas in particulari contemplandas, quis arbitretur, Personam Divinam, ut sic esse aliquod universale, oportet advertere, illam abstractionem non esse secundùm objectivam præcisionem, sed secundùm confusum in-
2. telligendi modum. Etenim Personam Divinam licèt in communi cognoscendo, attingitur eo ipso Hæcceitas & individuatio omninò completa, nec adeò fit ex parte objecti præcisio, per quam prædicatum aliquod Divinum à ratione individuante intentionaliter abstractum per differentias quasdā inferiores sit contrahibile. Sicut ergo
3. Ens in comuni non est nisi secundùm confusum nostrū intelligendi modum abstrahibile, ex parte objecti alioquin involvendo ipsummet etiam Divinum Ens Essentialiter ut sic importans Esse subsistentis Hæcceitatem: sic discurrendo circa Personas Divinas in communi attinguntur omnium in confuso Personales ac individuantes proprietates. Quare dum eas deinceps in particulari considerabimus, earundem proprietates sub explicatiori duntaxat intelligendi ratione attingemus.



ARTICULUS I.

De Personis Patris & Filij.

4. UT ea, quæ minùs controversa, vel omninò certa sunt, separemus à dubijs, eo procedemus ordine, ut quæ Patrem contingunt *per suppositiones aliquas*, exinde quæ ex diversis Doctorum sententijs ambigua sunt *per Controversias aliquot*, quæ demum de Filio minùs habent difficultatis per Corollaria quædam exponamus,

Supponendum igitur 1. Latinos meritò ne-
5. gare, quòd Pater sit Causa Filij ac Spiritûs Sancti, Eugenio IV. in Concil. Florent. *Decret. de Proces. Spiritûs Sancti* declarante: *Quòd id, quod SS. Doctores & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc Intelligentiam tendat, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò Principium subsistentiæ Spiritûs Sancti, sicut & Patrem.*

Ratio istius loquendi modi à Doctore Angeli- 6.
co *1. p. q. 33. a. 1. ad 1.* exposita est. Nomina enim quantò magis specialia sunt, tantò magis determinant modū creaturæ supereminentem. Unde quantò aliquod nomen est communius, tantò convenientius accipitur in Divinis. At Principium est communius, quàm Causa, Primus enim terminus dicitur Principium, sed non Causa. Unde Causa ex suâ speciali ratione connotat in effectu diversitatem substantiæ ac dependentiam; quam non importat nomen Principij, sed istud præcisè importat unius ab altero emanationem seu Processionem. Quando igitur Græci utuntur in Divinis nomine Causæ, non strictè, sed latè loqui censendi sunt: Bessarione Patriarchâ Constantinopolitano *in Orat. ad Concil. Florent. habitâ de union. circa ult. cap. init.* taliter differente: *Quòd SS. Doctores Orientales in Divinis utantur nomine Causæ & Causati largo modo, non quidem ut limitationē & dependentiam importat, sed prout productionem & emanationem à Principio ejus, quod est à Principio, significat.*

Supponendum 2. in sensu ab Orthodoxis 7.
usurpato, Patrem verè dici Principium seu Fontem Deitatis. ex Divin Dionys. *de Divin. nomin. cap. 2.* asserente. *Solum Fontem supersubstantialem Deitatis esse Patrem*, adeò ut Primordialis & Fontana Deitas sit Pater, Filius verò & Spiritus Sanctus sint fœcundæ Deitatis (si fas sit dicere) Germina Plantata Divinitùs, & velut Flores, ac supersubstantialia lumina. Ratio est. Nam illius Propositionis sensus est æquivocus. Unde alius redditur ejus intellectus: quòd ipsius Deitatis ut sic Principium & fons sit Pater. At iste sensus ex Concilij Lateranensis sub Innocentio III. *cap. Damnamus. De Sacrosanctâ Trinitate, Divinam Essentiam Genitam vel procedentem negantis* definitione tantùm abest à veritate, ut ipsa potiùs Natura Divina tanquàm formale & proximum Filij Principium sit virtualiter radix Hypostasis Paternæ
tanquàm activæ generationis. Unde sub alio 8.
sensu stare solummodò potest propositionis illius veritas in eo se tenens: tum quòd Pater sit Fons

Fons Deitatis eatenus subsistentis in Filio, & Spiritu sancto, ut per actionē Patris sit Deitatis ad Filij & Spiritûs Sancti Hypostases Comunicatio realiter formaliter identica: tum quòd, licèt Pater nō sit fons Deitatis in se subsistentis, hanc ipsam tamen Deitatem non habet ab alio Principio sibi communicatam, sed ex primâ nullam Originem, seu processionem activam supponente Naturæ Divinæ ad Paternam Hypostasin determinatione. Quare sub hâc posteriori ratione ita dicitur *Negativè* fons Deitatis in se subsistentis, ut sub ratione priori etiam *Positivè* vocari possit Deitatis quà in
9. Filio & Spiritu Sancto subsistentis Principium. Juxta quam adeò duplicem sensûs prætacti rationem Sanctus Augustinus *lib. 4. de Trinit. cap. 20. circa finem* Patrem ita appellat Principium totius Divinitatis, ut consequenter Concilium Wormatiense *in conf. fidei* dicat ipsum Principium totius Trinitatis. Constat igitur, in aliquo sensu subsistere veritatem illius propositionis. At ea æquivocorum est natura, ut sensuum varietas & indifferentia in ipsis determinetur ex circumstantijs tum loquentis, tum audientis. Cùm igitur ipsa etiam Concilia tum Toletanum XI. *in profess. fidei init.* tum Florentinum *in Decret. de Process. Spiritûs Sancti* illâ loquendi formulâ utantur, nullum inter Orthodoxos est periculum, quò minùs illa propositio etiam absolutè prolata in
10. legitimo & Catholico sensu accipienda sit.

Supponendum 3. Etsi non Pater duntaxat respectu Filij, sed etiam Filius dici possit author Spiritûs Sancti, Sancto Hilario *lib. 1. de Trinit.* attestante: quòd *Spiritus Sanctus de Patre & Filio authoribus confitendus sit.* Nihilominùs duas in hoc adhibendas esse cautelas. Tum quòd Sanctus Thomas *in 1. dist. 29. q. 1. a. 1.* dicat, Nomen authoris supra rationem Principij addere negationem passivæ ab alio Originis: juxta quem sensum est indubitatum, authoris nomen non convenire Filio, tum quod Arriani nomen authoris Patri attribuerint, aliquam hujus respectu Filij Majoritatem designando. Unde Sanctus Augustinus *contra Maximin. cap. 14.* ait; *Si propterea Deum Patrem de Filio dicis Authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, Fateor & concedo: si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremque Majorem, nec ejusdem Substantiæ Filium, cujus est Pater, detestabor & respuam.*

CONTROVERSIA I.

An Verbum per se procedat ex cognitione non solius Essentiæ, sed omnium Divinarum Personarum?

1. JOannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 15. a. 2. n. 1. & 2.* hujus Controversiæ statum eleganter explicans advertit primò, ea, quæ intrinsecè ac Essentialiter, quantum ad quidditatem, & conceptum Essentialem sive identicè sive formaliter conveniunt, dici *in primo modo per se* convenire. 2.
2. Ea, quæ sub formali ad operationem conducente ratione, & non identicè tantùm conveniunt, dici *in Quarto modo per se convenire.* v. g. Homini discurrenti intrinsecè ac Essentialiter competit esse animam & corpus, tametsi formalitates illæ non sint formales Discursivæ Virtutis rationes. Hinc
3. inter Primum & Quartum per se dicendi modum esse discrimen, quòd in Perseitate primi modi forma prædicetur de suo *formaliter & quidditativè* per ipsam constituto: in Perseitate autem quarti modi forma quà operativa comparetur ad suum effectum tanquàm formalis faciendi ratio & Principium per se conducens ad effectum, non autem tanquàm formalitas, quæ Principio quidem intrinseca sit, sed in ordine ad effectum solùm concomitanter seu identicè in tali Principio se habeat: sicuti ignis ut calefaciat, debet quidem esse substantia, & Corpus, ac Elementum ignitivum, ita ut omnia hæc prædicata intrinsecè ac essentialiter ei conveniant, nec tamen Corporeitate, vel substantialitate calefacit, sed vi calefactivâ, cujus radix licèt sit substantia ignis Essentialiter importans corpus, non tamen ista corporeitatis ratio concurrit in quarto modo per se ad calefaciendum.

Hinc 4. Facilè elucere præsentis difficultatis punctum. Etenim cùm Verbi Divini processio sit Divina per Intellectum Generatio substantialis, sequi, illam cognitionem quâ procedit, & Formam, quâ Intellectus Paternus ad exprimendum & producendum Verbum fœcundatur, esse infinitam, atque adeò ex suâ Infinitate non solùm Essentiæ, & attributorum ac Personarum Divinarum, sed etiam creaturarum comprehensivam, ita ut tota hæc Comprehensionis ratio conveniat ipsi Essentialiter in primo Modo Dicendi per se. 4.

Unde 5. Quæstionis præsentis statum in eo situm esse, *An ista forma seu species, quâ fœcundatur Intellectus Divinus ad generandum, & ista cognitio, quâ exprimitur Verbum, ad hoc producendum formaliter formalitate Quarti modi per se concurrat secundùm omnia illa objecta, etiam secundùm quod attingit Personas & creaturas? vel econtra, an per se formaliter in quarto modo solùm concurrat cognitio alicujus Personæ ac ipsius Essentiæ: reliqua verò ibi reperta concomitanter se habeant, non formaliter in Perseitate producendi Verbum.* 5.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

PRima sententia est Scoti fusiùs exposita per Radam *cont. 11. a. 1. in explanat. subt. Doctoris*, scilicet quòd Verbum Divinum non producatur de cognitione Essentiæ nec ut Principio *Quo*, nec ut Productione, sed immediatè à memoriâ fœcundâ Patris per actum dicendi, cognitione aliquâ non concurrente, licèt cognitio Essentiæ Divinæ præsupponatur. Fundamentum à Radâ *citato* deductum est. Nam Verbum Divinum producitur per memoriam fœcundam Patris. Atqui ad hanc nullius rei cognitio spectat, sed intellectus & Divina Essentia in ratione objecti infinitè intelligibilis. Sicut ergo in nobis intellectio actualis, quæ Verbum est, immediatè gignitur ab intellectu ut informato specie intelligibili. Sic verbum Divinum gignitur immediatè ab intellectu & Essentiâ in ratione objecti non intellecti, sed intelligibilis. Quare ad productionem Verbi Divini non prærequiritur actualis intellectio, etsi verum sit, quòd ex naturâ Potentiæ Intellectivæ omninò perfectæ præsupponatur ei. 6.

Secunda ad mentem subtilis Doctoris à Radâ *cit. cont. 11. a. 2. concl. 4.* asserta sententia est: 7.

quòd

quòd Intuitiva Divinarum Personarum ad proprias earum subsistentias terminata cognitio non præsupponatur ad Verbi productionem: nec consequenter nascatur ex earum intuitivâ cognitione: Cui conformiter Doctor subtilis *in 1. dist. 32. q. 2. n. 14.* ait, Spiritum Sanctum ex vi productionis suæ esse quidem primò amorem Essentiæ, non posse tamen nisi concomitanter dici amorem Filij. Fundamentum est. Si enim cognitio intuitiva ad Personas in seipsis terminata præsupponitur Verbi Productioni, sequitur, ipsas etiam Personas in se ac secundùm proprias subsistentias præsupponi eidem productioni. At per se manifestum est: Personas Divinas in seipsis non præsupponi Verbi productioni. Ergo nec
8. earum cognitio intuitiva. Probatur sequela majoris. Quia objectum est naturâ prius cognitione intuitiva, siquidem ista formetur ex objecto tanquàm Principio. Unde si Filius procederet ex cognitione intuitivâ Divinarum Personarum, oporteret, istas in se ipsis spectatas, atque adeò ipsi Verbi ac Spiritûs Sancti Hypostasi præsupponi ad processionem Filij tanquam ejus Principium. At istud consequens est falsum. Ergo & id, ex quo sequitur.

9. Tertia Sententia est Vasquezij *præs. disp. 142. cap. 4.* Alarcon. *hic disp. 8. cap. 8.* & aliorum existimantium: Verbum per se in quarto modo Perseitatis procedere ex cognitione Essentiæ divinæ, attributorum, ac Personæ Patris & Filij, non autem Spiritûs Sancti. Fundamentum est. Generatio Divina habet rationem actionis perfectissimo modo assimilativæ. At tota actionis assimilativæ ratio per se ac formaliter se tenet inter Principiũ assimilativum & terminum assimilatum. Unde oportet, id solùm requiri per se ad Processionem, & generationem Verbi, quod ex parte Principij se habet ut ratio & Principium assimilativum, ex parte autem termini ut assimilatum. Atqui in Generatione Divinâ Principium assimilativum *ut Quo* est Essentia, *ut Quod* est Pater: terminus autem assimilatus *ut Quod* est Verbum, *ut Quo* est Natura Filio communicata, siquidem Verbum procedens ex notitiâ Patris solùm assimiletur ipsi Patri, ejusque Naturæ, non verò Spiritui Sancto. Cùm igitur cognitio Spiritûs Sancti in generatione Filij neque se habeat ut Principium assimilativum, neque ut terminus assimilatus, consequens est, cognitionem Spiritûs Sancti non concurrere per se in quarto modo ad productionem Filij.

10. Quarta sententia asserens, Verbum Divinum procedere per se formaliter ex cognitione Divinæ Essentiæ, omniumque Personarum, est Divi Thomæ *præs. q. 34. a. 1. ad 3.* Cajetani *ibidem & a. 3.* Bannis *eod. art. 3.* Nazarij *ibi cont. 1.* Valent. *1. p. disp. 2. de Trinit. q. 8. punc. 2.* Suarezij *lib. 9. de Trinit. c. 4. & 6.* Ysamberti Sorbonici *ad cit. q. 34. disp. 2. a. 1.* Amici *disp. 26. sect. 3. n. 87.* Mæratij *disp. 50. de Deo. sect. 1. asser. 2.* Arriagæ *disp. 52. sect. 4. subsect. 1. concl. 2.* Andreæ Laos *in dictam q. 34. dub. 1.* Ioannis à Sancto Thomâ *disp. 15. n. 2. concl. 1. & 2.* Ioannis Baptistæ Gonet *to. 5. disp. 9. a. 2. §. 2. 3. & 4.* plurium aliorum.

CONCLUSIO.

Ex eo, quòd omnis formalitatis DEO inexistentis sit una simplicissima etiam Virtualiter indivisibilis Intelligibilitas, sequitur, Verbum Divinum in quarto modo Perseitatis procedere formaliter ex cognitione non tantùm Essentiæ, sed omnium Divinarum Personarum.

Probatur. In Principio perfectè assimilativo 11.
oportet illam rationem per se in quarto modo conducere ad constituendum Principium Productivum, quæ per se formaliter relucet in termino producto. Atqui Intellectio Divina quà omnis formalitatis Deo inexistentis expressiva per propriam Characteristicam Verbi Divini rationem relucet. Minor ista Probatur. Nam 12.
Verbi Mentalis proprium est, tum ut dicatur ab Intellectu, tum ut per ipsam dicatur res intellecta. ex S. Tho. *cit. q. 34. a. 1. ad 3.* At sicut Intellectus hominis verbo, quod concipit, lapidem dicit; Sic tota Trinitas dicitur Verbo, quod Pater concipit intelligendo se & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia, quæ ejus scientiâ continentur. ex præallegato Sancto Doctore. Consequens igitur est, Verbo Divino per Dei Patris Intellectum dicto & concepto ut sic convenire ex propriâ suâ ratione, quòd tota Trinitas dicatur per tale Verbum. Atqui res dicitur verbo, quatenus per illud intelligitur. ex Divo Thomâ *citato.* Nequit autem res verbo esse intellecta, nisi quatenus verbum importat Intellectionem rei per se Dictæ expressivam. Ergo in Verbo Divino ut sic per propriam ejus Characteristicam rationem relucet formaliter Intellectio Divina totius Trinitatis expressiva. Ergo ista in Patre tanquàm Principio Filij secum assimilativo est Principium *Quo* productionis Verbi.

Dices. Ex Francisco de Lugo *lib. 2. de Deo. c.* 13.
3. concl. 1. in Verbi Divini productione distingui debere rationem generationis quà Essentialis, & quà adæquatæ. Etenim Essentiali generatione inspectâ, Verbum Divinum Essentialiter ex solâ Divinæ Essentiæ cognitione procedere, licèt adæquatâ, & quasi integrali Processione, perfectioneque Verbi Divini perpensâ, procedat etiam formaliter ex cognitione omnium attributorum & Personalitatum: Divo Augustino *15. de Trinitate cap. 14.* taliter disserente. *Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim se ipsum integrè perfecteque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso.*

Contra. Nam Hypostasis secundæ Personæ 14.
Trinitatis habet rationem Verbi, prout ex vi realis Dictionis habet sibi communicatam Intelligibilitatem Essentiæ Divinæ, omnisque in eâ repræsentatæ Veritatis actualissimè expressivam. Atqui ratio Intelligibilitatis fundatur in ratione Essendi. Unde quia in attributis & Personis Divinis non alia est Essendi ratio, quàm Essentiæ divinæ, sequitur, nec aliam etiam Virtualiter distinctam Intelligibilitatis rationem ipsi convenire, quàm Essentiæ Divinæ ut sic propriam. Hæc autem Essentiæ Divinæ Intelligibilitas ita est per se ipsam actuata, ut suum Esse sit suum intelligere. Atqui hoc Essentiæ Divinæ proprium Esse ex suâ formali puræ actualitatis ratione carens involvit individuationem, ut consequenter non possit per rationem etiam nostram ratiocinatam intelligi, quòd alia Intelligibilitas sit in Essentiâ, quàm in attributis, seu Personis Divinis, & alia in unâ Hypostasi, quàm in alterâ. Ergò

ri. Ergo nec ratio Verbi in Divinis quà formalitatum Deo intrinsecarum sub actualissimâ Intelligibilitate expressiva potest cum Fundamento in re per rationem nostram ratiocinatam eatenus dividi, ut formemus in Deo plura quasi partialia Verba, quorum unum ad solam Existentiam, alterum ad Essentiam & attributa, alterum denique ad Hypostases terminari concipiatur: sed oportet, Verbum Divinum sub eâdem per rationem etiam nostram indivisibili Intelligibilitate esse indivisibiliter expressivum Divinæ per idem subsistens Esse individuatæ formalitatis.

15. Confirmatur ex Sancto Augustino *cit. cap. 14.* Nam quia *Nosse, & Esse in Deo unum est, ideò Nosse in Filio est de Patre, sicut Esse.* Ex hoc autem infertur, quod *Pater tanquam se ipsum dicens genuerit Verbum sibi per omnia æquale.* Unde sequitur etiam, quòd *Pater se ipsum ita perfectè & integrè dixerit, ut nec minus, nec amplius sit in Verbo, quam in ipso.* Constat igitur, integritatem ac perfectionem hujus Dictionis reduci debere in illud Principium, quòd *Nosse* eatenus sit Esse in Deo, ut sicut *Nosse*, sic *Esse* in Filio sit à Patre. Atqui non est aliud etiam Virtualiter distinctum, seu per rationem nostram ratiocinatam divisibile Esse Personarum & attributorum, quàm ipsiusmet Divinæ Essentiæ. Ergo integritas illius Dictionis non est secundum aliquam rationis etiam ratiocinatæ divisibilitatem, sed secundùm unius simplicissimi *Nosse* repræsentationem omnium Divinarum Formalitatum sub eâdem Essentiæ Divinæ Intelligibilitate expressivam.

16. Replicabis. Ex hoc discursu inferri, quòd omnis formalitatis Divinæ Intelligibilitas sub actualissimæ intellectionis expressione communicetur Verbo Divino formaliter ex vi Dictionis, seu Processionis suæ. At hoc admisso, consequens esse, quòd sicut Intelligibilitas, sic ipsa ratio Quidditativa Amoris, Omnipotentiæ, & quarumvis Divinarum formalitatum Verbo Divino communicetur formaliter ex vi Dictionis seu Processionis suæ.

17. Contra. Nam Intelligibilitas ut sic est secundum Esse. Ergo ex eo, quòd omnis formalitatis Divinæ Intelligibilitas ex vi Dictionis formaliter in quarto modo Perseitatis communicetur Verbo Divino, solum infertur, omnis Divinæ formalitatis Esse qua in seipso actualissime expressum, atque ut sic omnis Veritatis expressivum ex vi Dictionis formaliter communicari Verbo Divino. Atqui ista omnis Divinæ formalitatis sub unâ simplicissimâ Intelligibilitate expressio eatenus habet rationem Naturæ Divinæ, ut formalissimè importet Esse subsistens tanquam Essentiam Divinam. Etsi proinde Verbum Divinum in quarto modo Perseitatis ex vi suæ Processionis formaliter procedat à Patre in similitudinem & identitatem Naturæ ac Intelligibilitatis omnimodæ, nec non Essentiæ in omni formalitate Divinâ formalissime inclusæ quoad Essentialitatis ac Existentiæ rationem unicæ etiam Virtualiter indistinctæ. Nihilominus

18. quia hæc ipsa Essentia Divina, ejusque adeò Intelligibilitas est virtualiter distincta a Formalitatibus tum attributalibus, tum Hypostaticis, adhuc verificatur, Verbum Divinum procedere quidem in unitatem attributorum ex naturâ sui formalem, non tamen formaliter ex vi Processionis suæ in quarto perseitatis modo, imò omnino non procedere in identitatem Paternæ Hypostasis. Patet proinde, Divinas attributales ac Hypostaticas Formalitates ita se habere ad sui Intelligibilitatem ac Essentiam, ut hæ quidem sint considerabiles sine Formalitate Personalitatis seu attributi, non illæ econtra sint intelligibiles sine ratione Essentiæ, ejusq; intelligibilitatis formalissimè importatâ ratione, ut adeò ex hoc fundamento stare possit, quòd Verbũ Divinum Identicè, non autem Formaliter ex vi Processionis suæ in quarto Perseitatis modo procedat in similitudinem amoris, Omnipotentiæ, aliorumque Divinorum attributorum, tametsi ejusdem Dictio in quarto modo per se tendat in horum Intelligibilitatis ac Essentiæ Formalissimam communicationem.

Confirmatur. Nam Verbum Divinum formalissimè procedit ut imago Dei, juxta illud *Coloss. 1. Qui est imago Dei invisibilis.* At imago importat similitudinem sui Exemplaris ut sic repræsentativam: similitudo autem intelligibiliter repræsentativa importat actualitatem Intelligibilitatis. In quantum igitur Verbum Divinum est similitudo & imago Dei, in tantum habet Divinarum Formalitatum repræsentativam in se formaliter expressam Intelligibilitatem. At *ly Deus* simpliciter positum importat omnes perfectiones seu Formalitates Deo intrinsecas, ut consequenter Filius quà Imago Dei sit *Splendor Gloriæ* ex omnibus Divinis etiam attributalibus & Hypostaticis Formalitatibus relucentis, sitque adeò *Figura Substantiæ Patris. ad Heb. 1.* prout ista Substantia importat primam Hypostasi Patris suppositatam substantiam, veluti clarè habet Græca versio, ubi loco *To Figura substantiæ* ponitur *To Character Hypostasis Patris.* Ergo Verbum Divinum à Patre procedens quà Imago Dei ita est Formaliter similitudo Intelligibiliter expressiva omnimodæ, sive attributalis sive Personalis Divinæ Formalitatis, ut consequenter harum omnium Intelligibilitatem ex vi suæ Processionis in quarto perseitatis modo habeat in se expressam, sibique à Patre communicatam, tametsi illas ipsas Formalitates, si attributales sint, solùm identicè, si verò sint Correlativæ, nullatenus habeat sibi identificatas. 19.

Responsio ad Opposita Argumenta.

Ad Primæ Sententiæ ex Radâ oppositum argumentum Respondetur. In eo non tam probari, quàm falsò supponi, quòd Intellectus Divinus ad producendum Filium fœcundari dicatur per Essentiam Divinam non quà Intellectam, sed quà intelligibilem. Nam quia omne productivum perfectè univocum tendit ad sui assimilationem, oportet, Principium *Quo* in Patre esse, in quo Filius ex vi suæ Processionis Formaliter assimilatur Patri. At Sanctus Augustinus *tract. 29. in Ioannem* illa Christi verba, *Mea Doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*; expendens: Doctrinam Patris, ait, esse Verbum Patris, ut adeò Christus se ipsum verè dixerit, *& suam doctrinam*, cùm ipse sit Verbum Patris; *& non suam*, quod Patris sit Verbum. Illud ergo, in quo Verbum Divinum Formaliter quà Verbum 20.

bum assimilatur seu identificatur cum Patre, est Doctrina & sua & Patris. Atqui Doctrina in Deo dicit actualem cognitionem, & non speciem duntaxat Intelligibilem Virtualiter vel Formaliter ex naturâ rei priorem Intellectione actuali. Consequens igitur est, quòd Essentiæ Divinæ cognitio actualis, non autem species duntaxat Intelligibilis tanquàm Principium *Quo* præsupponatur ad Verbi Divini Generationem.

21. Ad secundæ sententiæ argumentum oppositum, negatâ sequelâ Majoris, Respondetur ad ejus probationem; quòd propositio: *Objectum cognitione intuitivâ secundùm prioritatem Naturæ prius supponi cognitionis ejusmodi Principium* asserens, multas patiatur difficultates: Tum quia Essentia Divina habens in ratione Intelligibilis actualitatem purissimam est Formaliter sui Intellectiò actuata & specificata per ipsummet Essentiæ Divinæ proprium subsistens Esse. At hæc ipsa Essentiæ Divinæ Intelligibilitas est sola & unica in omni formalitate Divinâ. Ergo cujuslibet Formalitatis Divinæ cognitio eatenus est actuata & specificata per purissimam ipsiusmet Esse subsistentis intelligibilitatem, ut consequenter sit intuitiva, nec tamen objectum suum etiam Motivum ac specificativum naturâ

22. priùs supponat. Tum quia cognitio Divina creaturarum quà existentium intuitivè repræsentativa est Causalitas exercitæ earundem existentiæ productrix. At hujus intuitivæ creaturarum in Deo cognitionis objectum Motivum est Decretum Dei in Esse Divino subsistens ut sic Formaliter Identice specificativum illius intuitivæ cognitionis: objectum verò Terminativum sunt ipsæ creaturæ se habentes ad illam Divinam Intellectionem tanquàm effectus. Falsum igitur est, in Divinis, quòd objectum sive Formale & Motivum, sive Materiale ac purè Terminativum sit naturâ prius Divinâ Intuitivâ Intellectione.

23. Ad tertiæ Vasquezij Sententiæ argumentum Respondetur. Eo ipso, quòd Generatio Divina per modum actionis intelligibilis sit modò perfectissimo assimilativa, oportere, ex vi talis Generationis in Verbo Divino expressam esse omnimodam Divinæ Essentiæ Intelligibilitatem per ipsum Esse Dei subsistens Formalissimè actuatam, & specificatam. Cùm igitur omnis Formalitatis Divinæ eatenus sit unica etiam Virtualiter indistincta tum Essentia, tum Intelligibilitas in se actualissimè expressa & actuata, consequens est; Intelligibilitatem Hypostasis Spiritûs Sancti actualissimè in se expressam ex vi Generationis Divinæ esse Formalissimè communicatam Verbo Divino. Ergo istud per se in quarto modo procedit ex Divinarum etiam Personarum, atque adeò Spiritûs Sancti cognitione.

CONTROVERSIA II.

An Verbum Divinum in quarto perseitatis modo procedat etiam ex cognitione creaturarum?

1. TRes hâc de re sunt Doctorum sententiæ. Prima simpliciter negans, Verbum Divinum per se procedere ex Divinâ creaturarum cognitione, est Scoti *in 2. dist. 1. q. 1. & in quodl. q. 14. ejusque Discipulorum, nominatim* Radæ *cit. cont. 11. art. 2.* Ocham *in 1. disp. 27. q. 3. in fine,* Vasquez *disp. 43. cap. 3.* Arubal *disp. 12. cap. 5.* Alarcon *tract. 5. disp. 3. cap. 8. & 9.* Turriani *disp. 28. dub. 3. & aliorum.* Fundamentum est. Si enim Verbum per se procederet ex cognitione creaturarum; sequeretur, illud originari ex creaturis. Hoc autem posito, rursus sequeretur, Verbum Divinum non habere majorem necessitatem Essendi, quàm creaturas possibiles, siquidem totum Esse termini producti pendeat ex principio sui productivo, nec adeò possit ille excedere hujus modum Essendi. At hoc est absurdum. Ergo & id, ex quo sequitur.

Secunda Sententia simpliciter affirmans: Verbum Divinum per se procedere ex creaturarum etiam existentium cognitione; est Valentiæ *1. p. q. 34. punct. 2.* Zunigæ *disp. 9. dub. 7.* Ruiz *disp. 63. sect. 4.* Arriagæ *cit. sect. 4. subsect. 3. & aliorum.* Fundamentum ab Arriaga *citato* deductum est. Quia si semel dicimus, scientiam aliquam Dei esse fœcundam propter suam infinitatem ad producendum Verbum substantiale, etiam idem debemus dicere de Scientiâ liberâ, cùm hæc sit infinitè etiam perfecta. 2.

Tertia Media Sententia docens, Verbum Divinum procedere ex cognitione creaturarum quà possibilium, non verò Futurarum, vel existentium; est Caietani *in cit. q. 34. a. 3.* Bannis *eod. art. ad. 3.* Molinæ *ibidem.* Suarezij *lib. 9. de Trinit. cap. 6. &* Amici *cit. disp. 26. sect. 4. & 5.* Ysamberti *ad dictam q. 34. disp. 2. a. 3. & 5.* Andreæ Lao *disp. 101. n. 1001. & 1008.* Francisci de Lugo *cit. disp. 15. cap. 3. concl. 2. & 3.* Ioannis à S. Thomâ *cit. a. 2.* Goneti *cit. disp. 9. a. 2. & 3. & aliorum.* 3.

CONCLUSIO I.

VErbum Divinum ex vi suæ Processionis formaliter in quarto perseitatis modo procedit ex cognitione creaturarum possibilium.

Probatur authoritate Divi Thomæ *cit. q. 34. a. 1. ad 3.* differentis in hæc verba: *Sic ergo uni soli Personæ convenit dici eo modo, quo dicitur Verbum: eò verò modo, quo dicitur res in Verbo intellecta, cuilibet Personæ convenit dici: Pater enim intelligendo se & Filium & Spiritum Sanctum & omnia alia, quæ ejus scientiâ continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Ex quo ita licet argumentari. Verbum Divinum ex vi suæ processionis Formaliter ac per se procedit ex illâ cognitione, quæ Verbo Divino communicatur Formaliter, ita ut ejusdem Hypostasis per suam Formalem ab Hypostasi Spiritûs Sancti distinctivam rationem sit Personaliter Terminativa talis cognitionis. Atqui Verbi Divini Hypostasis per suam Formalem ab Hypostasi Spiritûs Sancti distinctivam rationem est Hypostaticè terminativa illius à Patre sibi communicatæ cognitionis, quæ formaliter in Verbo eatenus relucet, ut ejus objectum tanquàm res in Verbo intellecta dicatur Verbo. Hæc autem cognitio est illa, per quam Pater intelligendo 4.

gendo concipit Verbum. Atqui Pater omnia, atque adeò creaturas etiam intelligendo, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur & etiam creatura. Cùm igitur omnis creatura dicatur Verbo, tanquàm res intellecta in Verbo, quod Pater easdem creaturas intelligendo ut sic concipit, consequens est, cognitionem etiam creaturarum per se in quarto Perseitatis modo influere in Verbi Divini Processionem.

5. Dices. Ex hoc sequi, quòd Verbum Divinum non magis esset imago æterni Patris, quàm creaturarum. Probatur ista sequela. Si enim Verbum ex cognitione creaturarum per se formaliter procedat, oportet, ex Hypostasis suæ proprietate Characteristicâ procedere in creaturarum similitudinem intentionalem ac repræsentativam. At hæc ipsa intentionalis per Verbi Divini Hypostasin terminata similitudo ex parte sui Principij supponeret Esse creaturarum in Paterno Intellectu repræsentativum. Unde Verbum Divinum ex hoc creaturarum Esse repræsentativo originatum est formaliter similitudo creaturarum intentionalis. Atqui ad rationem imaginis requiritur ac sufficit similitudo intentionalis originata ab Esse repræsentativo seu intelligibili rei imaginatæ seu repræsentatæ. Consequens igitur foret, Verbum Divinum non Patris duntaxat, sed etiam creaturarum & à fortiori Spiritûs Sancti esse imaginem. At istud consequens adversatur Orthodoxæ Patrum Doctrinæ. Ergo & id, ex quo sequitur.

6. Contra. Nam per illius duntaxat Intelligibilitatis in se vi dictionis formatam expressionem Verbum Divinum est imago Patris, quæ intelligibilitas in ratione objecti Motivi est fœcundans Intellectum Paternum, atque ut sic tam Intellectûs Paterni quà ad concipiendum seu Generandum fœcundi, quàm Verbi Divini ceu imaginis ab intellectu Paterno procedentis specificativa. Atqui objectum per realem Formalem Identitatem Motivum Intellectûs Divini, atque ut sic specificativum est unica Essentiæ Divinæ Intelligibilitas per purissimam Esse subsistentis actualitatem repræsentans omne etiam creatum objectum in se Eminenter contentum. ex Sancto Thomâ supra *q.14. art. 2. et seq.* Unde creaturarum propria Intelligibilitas se habet ad Divinum Intellectum solùm *Terminativè*, non autem *Motivè* seu *specificativè*, & consequenter sola Esse Divini Intelligibilitas est fœcundans Intellectum Paternum. Hæc igitur sola quà creaturarum etiam Intelligibilitatis actualiter expressiva habet in Intellectu Paterno rationem Virtutis Generativæ ac Formativæ Verbi Divini. Ex quo adeò fundamento dici

7. debet; creaturas ut cognitas à Patre æterno concurrere ad Verbi Divini prædicationem per se *Terminativè*, id est tanquàm objectum Terminativum Intellectionis per se Originantis, non autem *Originativè* per modum objecti specificantis seu fœcundantis Principium Dictionis Divinæ Originativum. At verò de ratione strictæ Imaginis est, ut rei per se repræsentatæ sit eatenus similitudo saltem Intentionalis, ut originetur ab illâ re, cujus est imago. Quamvis ergo Verbum Divinum possit dici imago habens in se Formaliter expressam Intelligibilitatem, quâ Pater Formaliter intelligit creaturas, non tamen est harum imago, cùm non ab istarum Intelligibilitate propriâ, sed ab Esse duntaxat Divini Intelligibilitate Intellectum Dei Patris formaliter Essentialiter ut sic specificante ac fœcundante originetur.

Replicabis. Ex hoc discursu inferri; quòd Divina cognitio sit virtus Verbi Divini Formatrix, quatenus in Patre fœcundatur per Esse duntaxat Divini Intelligibilitatem. At hæc ipsa Esse Divini Intelligibilitas per se primò est repræsentativa Formalitatum Deo intrinsecarum in unâ Divini Esse Intelligibilitate communicantium, propriâ creaturarum Intelligibilitate se habente ad illam solum *Consequenter ac Secundariò*. Unde videtur sequi, quòd istius creaturarum propriæ intelligibilitatis repræsentatio ac expressio actualis non per se concurrat ad Productionem Verbi Divini. 8.

Contra. Nam ista creaturarum propria Intelligibilitas ita comparatur ad sui in Intellectu Divino expressionem actualem, ut hæc per ipsum Esse Dei subsistens ceu Propriam Intellectûs Divini Intelligibilitatem actuata sit ratio, ex quâ per modum objectivæ in æternitate non *Formaliter*, sed *Terminativè* existentis veritatis Intelligibiliter derivetur illa creaturarum quidditatum propria Intelligibilitas. Ergo licèt ista non *per se primò*, sed tantùm *Consecutivè* se habeat ad cognitionem Verbi Divini Originativam; subsistere tamen potest, quòd creaturarum in Intellectu Paterno repræsentatio seu cognitio actualis sit de ratione Principij, ex quo per se procedit Verbum Divinum. 9.

Ratio hujus à priori est. Nam Verbo Divino per specialem quandam appropriationem ex sacris Litteris attribuitur, quòd omnia per ipsum facta sint; quòd sit sapientia Divina omnium artifex, creatrix, & gubernatrix. Atqui formalitas potentiæ in Deo factivæ, Creativæ, & Gubernativæ radicatur in ratione Ideali Creaturarum ut sic repræsentativâ. Hæc autem Idealis ratio est Esse Divinum per Intelligibilem sui expressionem creaturarum quidditatum Intelligibiliter expressivum, habens ut sic rationem activæ ad extra imitabilitatis. In quâ proinde Ideali ratione radicatur Formalitas Omnipotentiæ, quâ Potentiæ Divinæ ad extra effectivæ. At verò perfectio Verbo Divino per sacras Litteras appropriata denotare solet Formalitatem, quæ per ejusdem Verbi Hypostasin terminatur ex hujus propriâ à Spiritu Sancto distinctivâ Characteristicâ ratione. Ejusmodi autẽ per Hypostaseos Verbi propriam rationem per se primò terminata Formalitas in quarto Perseitatis modo communicatur Formaliter ex vi Dictionis seu Generationis Divinæ. Oportet igitur, Verbum Divinum per se formaliter ex propriæ suæ Hypostaseos ratione habere sibi communicatam creaturarum Quidditatum in Esse Divino expressionem ceu Idealem omnis ad extra factibilis creaturæ rationem, seu Sapientiam creatricem, ac virtualem Omnipotentiæ & Potentiæ creativæ radicem. 10.

Conclusio II.

VErbum Divinum non Formaliter in quarto perseitatis modo, sed concomitanter ac Identicè tantùm procedit

 ex cog-

nem in Primo Divini tum Intellectûs, tum Intellectionis signo perfectè subsistentem posse in se omninò invariatam ad Divinæ Voluntatis liberā determinationem pro subsequenti signo habere actualem ad creaturas existentes terminationem. Quare verum esse, quòd Pater creaturas Spiritu Sancto diligat, siquidem Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter procedat per illam ipsam Amoris Divini ex Primâ Bonitate specificationem, quæ est sui ad creaturas liberè determinativa. Sicut ergo Spiritus Sanctus ex Divino creaturarum amore quoad sui specificationem, non verò quoad liberam ad creaturas terminationem procedit. Sic Verbum Divinum gigni ex creaturarum existentium cognitione quoad ejus ex Intelligibilitate Divinæ Essentiæ specificationem in Primo Intellectûs Divini signo subsistentem, non verò quoad ejusdem ad creaturas actualem Terminationem, non nisi in Signo Processiones & Hypostases Divinas consequente intelligibilem. Firmatur hæc responsio
18 ex Sancto Doctore *cit. q. 37. a. 2. ad 3.* asserente, Patrem & se & creaturam diligere Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor Bonitatis primæ, secundùm quam Pater amat se, & omnem creaturam. Atqui per hæc verba clarè insinuatur, Amoris ex Bonitate primâ specificationem esse formale, quod ex vi spirationis per se communicatur Spiritui Sancto. Unde Decreti liberi ad creaturas terminati formalitas cùm non illam duntaxat Divini amoris specificationem, sed ipsam etiam Spiritûs Sancti Processionem sit consequens, nequit esse de ratione formali Principij, seu actionis spirativæ. At secus est in cognitione Creaturarum Possibiliũ, harum enim sub Esse Divini subsistentis Intelligibilitate repræsentatio stat pro primo Intellectionis Divinæ quà Comprehensivæ signo. Unde quia Verbum ex comprehensivâ Deitatis Intellectione procedit, sequitur, ipsam etiam creaturarum quà Possibilium repræsentationem esse de formali Generationis Divinæ Principio.

CONTROVERSIA III.

An, & qualem ad creaturas respectum importet Verbum Divinum?

1. Divus Thomas *1. p. q. 34. a. 3.* expressis verbis docet: in Verbo importari respectum ad creaturam. Cujus ratio est. Nam Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. At Verbum in mente conceptum est repræsentativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Sicut ergo Dei scientia est quidem Dei cognoscitiva tantùm, creaturarum verò cognoscitiva & factiva: Sic Verbum Dei est substantiæ Deo Patri inexistentis tantùm expressivum, creaturarum verò est expressivum & operativum: Psalte Regio *Psalm. 32.* attestante, *quòd dixerit, & facta sint.* Cùm igitur importetur in Verbo ratio expressiva & factiva eorum, quæ Deus facit, ejusmodi verò rerum faciendarum ratio importet aliquem ad creaturas respectum, consequens est, in Verbo importari aliquem ad creaturas respectum. Quo adeò supposito, restat examinanda difficultas, *An respectus ejusmodi conveniat Verbo ratione proprietatis Personalis, vel ratione notitiæ Essentialis?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

Heinricus *in Sum. p. 2. art. 59. q. 5.* Aureolus *in 1. dist. 27. prop. 2. art. 3. in fine.* asserunt, istum respectum convenire Verbo ratione solius proprietatis personalis. Fundamentum à Francisco de Lugo *cit. disp. 15. cap. 5. n. 5.* allegatum est. Nam de ratione Verbi quà Verbi est, exprimere creaturas intellectas à Patre. Atqui esse Verbum convenit ipsi ratione relationis, cùm sit quid proprium. Ergo & repræsentare, quatenus in Verbo fundat respectum ad creaturas, convenit ipsi ratione relationis, seu Proprietatis Personalis, veluti Divus Augustinus: *lib. 83. quæst. q. 63.* insinuare videtur, ubi exponens illud, *In principio erat Verbum*, docet, meliùs sic interpretari, *ut significetur non Verbi solùm ad Patrem respectus, sed ad alia, quæ per Verbum facta sunt, operativa potentia.* 2.

Vasquez *in 1. p. disp. 144. cap. 2.* Ruiz *disp. 62. sect. 2. & 3.* Amicus *disp. 26. n. 41.* Nazarius *in cit. q. 34. art. 3. cont. 3.* tenent, illum ad creaturas respectum convenire Verbo ratione utriusque, & proprietatis Personalis, & Notitiæ Essentialis. Fundamentum ab Amico *citato* deductum est. Nam respicere creaturas formaliter ut dictas, & manifestatas, seu potiùs ut dicendas, & manifestandas, non dicit purum respectum repræsentantis ad repræsentatum, sive cognoscentis ad cognitum, alioquin enim competeret omnibus Personis, siquidem omnes Personæ ratione Notitiæ Essentialis cognoscant & repræsentent sibi creaturas, & reliqua objecta. Oportet igitur, quòd illud respicere importet peculiarem ad res locutione dicendas & significandas respectum, qui præter notitiam Essentialem rerum dicendarum expressivam superaddat peculiarem respectum locutionis seu Dictionis, quâ res per Verbum locutione seu Dictione prolatum sint dicendæ seu manifestandæ alicui. At hic respectus non convenit Verbo, nisi ratione proprietatis Personalis, quâ ut terminus locutionis, dictionisque Paternæ peculiari ratione connotat res se ipsoà Patre sibi ipsi dicendas & manifestandas. 3.

Divus Thomas *cit. a. 3. ad 1. & q. 4. de Verit. art. 5. ad 4. & 4. contra gent. cap. 13.* Scotus *q. quodlibet. 8. a. 3.* Rada *cit. cont. 11. art. 3. difficult. 1.* Capreolus *in 1. dist. 21. q. 2. a. 2. contra 1. conclus.* Suarez *lib. 9. de Trinit. cap. 6. in fine.* Franciscus de Lugo *cit. disp. 15. cap. 5. n. 6. & alij* asserunt, illum Verbi ad creaturas respectum convenire Verbo ratione Notitiæ Essentialis. 4.

Conclusio.

Respectus Verbi ad creaturas convenit Verbo formaliter ratione Divinæ Essentialis cognitionis, ita tamen ut ad ejusmodi Divinam creaturarum repræsentativam Intellectionem Hypostasis Verbi ex ratione Proprietatis suæ Personalis non

lis non tantùm Identicè, sed per se formaliter se habeat.

5. Probatur. Hypostasis Verbi per suam propriam quatenus à Personalitate Spiritûs Sancti distinctam rationem est substantialis ac Hypostaticus Terminus Divinæ Intellectionis per ipsum Esse Dei subsistens formaliter identicè actuatæ ac specificatæ. At eo ipso, quòd istud Dei subsistens Esse in se intelligibiliter expressum ratione suæ increatæ Bonitatis ac Imitabilitatis activæ sit actualissimè expressivum omnis à se derivabilis seu participabilis creatæ quidditatis, oportet, Dei Intellectionem Essentialem esse formalem omnis Essentiæ creabilis repræsentationem. Oportet igitur Hypostasin Verbi ex sui quà Divinæ propriâ ratione esse formaliter Terminativam ejusmodi formalis creaturarum repræsentationis. At ista creaturarum repræsentatio licèt de se sit absoluta, à nostro tamen Intellectu concipitur sub ratione alicujus ad creaturas respectûs: ut adeò illa repræsentatio sit respectus Dei ad creaturas non realis secundum Esse, sed rationis nostræ secundùm Dici. ex Sancto Thomâ *cit. q. 4. de Verit. a. 6.* Constat igitur, Verbi ad creaturas respectum esse quidem formaliter fundatum in Intellectione Dei Essentiali, ad hanc tamen quatenus est creaturarum repræsentatio Intelligibilis, Verbi Divini Hypostasin se habere ex propriâ suâ Personali ratione.

6. Dices. Si Verbi Divini Hypostasis per propriam suam Personalem rationem se habeat ad creaturarum in Esse Dei subsistente Intelligibiliter expresso actualem repræsentationem, sequi; Verbum Divinum non tantùm ex consequenti, & quasi per accidens, sed quasi per se referri ad creaturas. At istud consequens pugnare cum Doctrinâ Sancti Thomæ proximè *cit. a. 6.* in fine asserentis: *Patrem generando Verbum suum principaliter dicere se, & ex consequenti dicere creaturas. Unde Principaliter & quasi per se Verbum referri ad Patrem: sed ex consequenti, & quasi per accidens referri ad creaturam: accidere enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur.*

7. Contra. Nam Creaturarum in Esse Dei subsistente Intelligibiliter expresso repræsentatio specificatur per Intelligibilitatem Esse Divini. Unde Esse creaturarum se habet ad illam repræsentationem solum *Terminativè* per modum objecti duntaxat Materialis. At per Verbum ab Intellectione formatum per se ac Principaliter dicitur objectum Motivum ac specificativum talis Intellectionis. Unde materiale dicitur tantùm consequenter & quasi per accidens. Cùm igitur Divinæ Intellectionis repræsentatio *per se primò* sit expressiva Esse Divini, cujus unicam Intelligibilitatem habet Paterna Hypostasis, verè dicitur, quòd Verbum non tantùm sub ratione producti, sed etiam sub respectu Manifestativi per se ac Principaliter referatur ad creaturas.

8. Econtra verò Verbum sub præcisâ producti ratione nullatenus referri potest ad creaturas, sed sub ratione duntaxat repræsentativi: ita quidem ut repræsentatio ejusmodi solùm secundariò & ex consequenti, adeoque quasi accidentaliter referatur ad creaturas tum possibiles, tum existentes, eo tamen discrimine, quòd ad istas repræsentandas non se habeat ex formali Hypostasis suæ ratione, sed identicè duntaxat & Entitativè: ad illas verò in Esse Divino Intelligibiliter expresso repræsentandas se habeat ex ratione propriæ suæ Hypostaticæ Formalitatis.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD 1. ex parte Heinrici oppositum argumentum Respondetur. Eo probari solummodò, quòd Verbo Divino per Hypostasin conveniat Formaliter esse substantialem Terminum Intellectionis quà creaturarum in Esse Divino Intelligibiliter in se expresso repræsentativæ. Vnde Verbi ad creaturas respectum fundari quidem in Verbi Divini Hypostasi, sed prout ista per actualissimam formalem Identitatem importat Intellectionis Divinæ Essentialis formalitatem, quà creaturarum in Esse divino eatenus expressivam, ut ratione hujus conveniat Verbo ratio potentiæ Idealiter factivæ seu operativæ tum in actu primo respectu creaturarum in statu possibilitatis spectatarum, tum in actu secundo respectu creaturarum in statu existentiæ consideratarum. 9.

Ad 2. ex Amico oppositum fundamentum Respondetur. Verum esse, quòd respectus ad creaturas quà Verbo divino dictas præter respectum repræsentantis ad repræsentatum importet respectum Verbi ad Dicentem. Hos autem respectus ita se tenere, ut iste sit realis, seque habeat ad solum Patrem dictione suâ Filij productivum, ille verò sit rationis ac secundum Dici, qui eatenus sit adæquatè in Essentiali creaturarum Intellectione divinâ, ut hanc ipsam tamen creaturarum in Esse divino repræsentationem ex propriæ suæ Hypostaseos ratione formaliter importet Verbum Dei. Quare in *sensu composito* verum esse, quòd respectus Verbi ad creaturas quà per Verbum dictas non importet præcisè Divinam creaturarum Notitiam Essentialem: *in sensu tamen Diviso* falsum esse, quòd ille respectus secundùm se præcisè sub ratione Intelligibilitatis creaturarum expressivæ importet aliquid Notionale. 10.

COROLLARIUM.

INfertur: Qualiter Filio sit proprium in Divinis, quòd sit imago Dei. Nam primò Imaginis nomen sumitur latè, prout est similitudo rei cum expressione. Hoc autem modo Sanctus Augustinus *lib. 83. quæst. q. 73.* imaginem pro exemplari accipiens, Sanctæ Trinitatis Divinitatem dicit, esse imaginem, ad quam factus est homo: Insuper prout videre est apud Sanctum Thomam *prae. q. 35. a. 2. ad 1. & 2.* Patres Græci ad Spiritûs Sancti cum Patre & Filio consubstantialitatem denotandam dicunt, Spiritum Sanctum Esse imaginem Patris & Filij. 2. Sumitur imago strictè ac propriè pro similitudine ad suum Prototypon, à quo procedit, repræsentandum ex vi suæ originis expressâ. Hoc autem modo soli Filio ex suæ Hypostasis Personali proprietate convenit, esse Patris imaginem, sacrâ scripturâ *ad Colossenses 1.* asserente: quòd sit *imago invisibilis Dei.* Et ad *Heb. 1.* quòd sit *splendor Gloriæ, & figura substantiæ Patris.* Cujus ratio est. Nam ad rationem Imaginis spectat tum similitudo rei in se expressæ, tum Origo, vi cujus Formaliter procedit aliquid 11. 12. 13.

liquid in Principij ſui ſimilitudinem. At licèt Spiritus Sanctus procedat in Conſubſtantialitatem Patris & Filij, non tamen Formaliter ex vi ſuæ Proceſſionis habet, quòd ſit ſimilitudo Naturæ ſeu Subſtantiæ Patris & Filij, ſed id habet Identicè, ac Entitativè in Primo quidem, non autem in quarto perſeitatis modo, ſiquidem non ut Verbum ſui Prototypi ex vi ſuæ Proceſſionis formaliter expreſſivus, ſed ut amor inclinativus procedit. Ergo Filio, non autem Spiritui Sancto ſtrictè loquendo convenit eſſe Patris imaginem.

ARTICULUS II.

De Perſonâ Spiritûs Sancti.

1. NOmen Spiritûs Sancti ex primævâ ſtius duplicis vocis ſignificatione derivatum à Spiritualitate eſt commune tribus Perſonis Divinis, ſiquidem deſignet immaterialitatem ac Sanctitatem in Deo ſubſiſtentem. In quo adeò ſenſu Sanctus Auguſtinus *15. de Trinit. cap. 19.* ait: *Spiritus & Filius, Spiritus & Pater, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus eſt.* Et Divus Baſilius *lib. 2. contra Eunom. Non eſt,* inquit, *ſolùm hoc nomen Sanctitatis cum Patre & Filio ipſi Spiritui Sancto commune, ſed ipſa etiam Spiritus appellatio.*

2. Verùm ex appropriatione Eccleſiæ nomen Spiritûs Sancti à Spiratione paſſivâ deſumptum reſtringitur ad ſignificandam Perſonam divinã, quæ per modum Amoris procedit: quomodo Cyrillus *lib. 9. in Ioannem* ait: Chriſtum Apoſtolis oſtendiſſe modum, quo à Patre, Filioque procedit, quando *inſufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Cujus proinde appropriationis rationem Divus Auguſtinus *in lib. 5. de Trinit. cap. 11.* ita deducit: *Ergo Spiritus Sanctus ineffabilis eſt quædam Patris Filiique communio: & adeò fortaſſe ſic appellatur, quia Patri & Filio poteſt eadem appellatio convenire. Nam hoc ipſe propriè dicitur, quod illi communiter, quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus. Ut ergo ex nomine, quod utrique convenit, utriuſque communio ſignificetur, vocatur Donum amborum Spiritus Sanctus.*

3. Quam equidem Sancti Auguſtini rationem eatenus approbat Divus Thomas *præſ. q. 36. a. 2.* ut *alteram ex propriâ το Spiritus* ſignificatione petitam ſupperaddat. Etenim nomen *Spiritus* in rebus corporeis impulſionem quandam & motionem ſignificare ſolet: unde ventum & flatum vocamus Spiritum. At proprium amoris eſt, quòd moveat & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur quæ in Deum ordinantur. Cùm igitur tertia Perſona Divina procedat per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter dicitur Spiritus Sanctus.

Quibus adeò de nomine Spiritûs Sancti ſupp-
4. oſitis, tres de re ipsâ ſuperſunt Controverſiæ. 1. *Qualiter verificetur, Spiritum Sanctum non fore diſtinctum à Filio, ſi ab iſto non procederet? 2. An Spiritus Sanctus ex ſuâ perſonali proprietate petat procedere ex duabus diſtinctis Perſonis? 3. An & qualiter Pater ac Filius ſint unum Spiritûs Sancti Principium.*

CONTROVERSIA I.

Qualiter verificetur, Spiritum Sanctum non fore diſtinctum à Filio, ſi ab iſto procederet?

HÆreſis Spiritum Sanctum à Filio procedere 5.
negans, teſte Divo Thomâ *cit. q. 36. a. 2. ad 3.* ortum habuit ex quodam Neſtorianorum Symbolo damnato in Epheſinâ Synodo. Exinde Theodoretus (alij Theodoricum Neſtorianum vocant) Concilij Epheſini *actis to. 2. cap. 31.* referentibus, hæreſin illam reproduxit, Divo Cyrillo *in contradictione nonii Anathematiſmi* objiciens: Scripturas ſacras dicere ſolum, quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre, nec meminiſſe Filij: nec adeò
dici poſſe, quòd ab iſto procedat. Verùm omni- 6.
bus Theodoreti adverſùs Sanctum Cyrillum ſcriptis *in quintâ Generali Synodo collat. 11.* damnatis, ad ſaniorem ille mentem rediens in pluribus ſuis Epiſtolis à Baronio *anno Chriſti 436. n. 11.* allegatis, creditur, abdicato à Neſtorianis ſtudio, errorem prædictum revocâſſe & condemnâſſe.

7. Tandem Græcorum adverſus Latinam Eccleſiam ſub Leone IX. ſub Annum 1053. efferveſcente ſchiſmate, error ille ab orco reſuſcitatus acriùs ventilari cæpit, præſertim à Theophylacto, quem ſub Michaele Duce ad annum Chri-
ſti 1071. vixiſſe, probat Baronius *ibi. n. 15.* Hinc in 8.
varijs Concilijs agi cæpit de illo articulo, & imprimis ante Schiſma Græcorum in Concilio Nicæno 2. *in Confeſſione fidei*, item *in 6. Synodo act. 17. & in 5. Synod. action. 6.* ubi approbata fuit epiſtola decima Cyrilli docens, *Spiritum Sanctum à Filio effundi, aut emitti, aut procedere,* nec non in Epheſinâ Synodo, in quâ, *referente Gratiano de Conſecr. diſt. 3. can. penult.* habetur, quod *Spiritus ſanctus ex Filio, ſicut ex Patre procedit.* Denique poſt exortum
Græcorum Schiſma Veritas de Spiritûs Sancti à 9.
Filio proceſſione agitata definita fuit tum in Concilio Barenſi ſub Urbano II. agente ibi ac diſputante Sancto Anſelmo: tum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. tum in Lugdunenſi ſub Gregorio X. tum ipſis etiam Græcis conſentientibus in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. Quibus adeò ſe taliter habentibus, unicum Orthodoxo Theologo ſupereſt, argumenta & rationes ponderare, quibus hæc indubitata Veritas nititur.

Referuntur argumenta Oppoſita.

PRimò igitur arguunt Græci, quòd Chriſtus 10.
Ioannis 15. dixerit, Spiritum Sanctum procedere à Patre, nullâ Filij mentione factâ. 2. Quòd in Symbolo Niceni Concilij ita habeatur: *Credo in Spiritum Sanctum ex Patre procedentem, cum Pa-*
tre & Filio coadorandum. At in fine illius Symboli 11.
ſtringitur anathema adverſùs illos, qui aliter docuerint, vel prædicaverint. Quare Latinos ſubinferebant Græci huic ſubjectos anathemati, quòd additionem quandam huic Symbolo fecerint: aſſerendo Spiritum Sanctum à Patre, Filio-
que procedere. 3. Ab authoritate Ioannis Da- 12.
maſceni *lib. 1. de fide cap. 7. & 8.* aſſerentis, *Spiritum Sanctum à Patre procedere, & in Filio quieſcere.* Et infra *Spiritum Sanctum dici ex Patre, non ex Filio.* 4. Refutando

31. ſutando potiſſimum Latinorum fundamentum in eo ſitum, quòd Spiritus Sanctus non diſtingueretur Perſonaliter à Filio, ſi ab ipſo non procederet. At iſtud fundamentum ne quidem inter Latinos Doctores adeò videtur firmum, quin ſequelam illam negent quàm plurimi, nominatim Heinricus *quodlib. 5. q. 9.* Baccon. *in 1. diſt. 13. q. un. a. 5.* Scotus *diſt. 11. q. 2.* Lycherus *ibidem.* Aureolus *a. 3. propoſ. 4.* Majoron. *q. 3.* Rubio *q. 1. a. 2.* Ocham *q. 2.* Gregorius *q. un. a. 1. in fine.* Gabriel *q. 2. a. 2. concl. 1. & alij.*

Conclusio.

Veritas Catholica eſt, Spiritum Sanctum procedere non tantùm à Patre, ſed etiam à Filio.

14. Probatur. Nam *Ioannis 15.* ait Chriſtus, *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam Vobis à Patre, ille docebit vos omnem Veritatem.* Atqui miſſio importat aliquam mittentis authoritatem erga Miſſum: Inter Perſonas autem Divinas non poteſt habere locum authoritas Titulo Dominij ac Servitutis, ſed authoritas duntaxat Originis. Unde miſſio in Divinis importat Perſonæ Miſſæ à mittente proceſſionem; veluti Sanctus Athanaſius *in Epiſtolâ ad Sarapionem* hiſce verbis tradit: *Hic eſt ordo*, inquiens, *Naturæ Divinæ à Patre & Filio, ut, qui à nullo eſt, à nullo mittatur, & qui eſt ab alio, in nomine ſuo non veniat, ſed in nomine ejus, à quo exiſtit. Ita Spiritus Sanctus, quia à ſe non eſt, à ſe Venire non debuit, ſed in nomine illius, à quo eſt, & à quo habet, ut Hypoſtaſis ſit Deus: quemadmodum de eo dicit Filius: Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Conſequens proinde eſt, ex Sacris Litteris aſſerentibus Spiritum Sanctum mitti à Filio, efficaciter probari Spiritûs Sancti non à Patre tantùm, ſed etiam à Filio proceſſionem.

15. Confirmatur. Nam Chriſtus *cit. 15. Ioannis* affirmavit: Spiritum Sanctum, cùm venerit, edocturum Apoſtolos omnem veritatem. At hoc ipſum eſt, quod Chriſtus *Ioannis 16.* aſſeruit de Spiritu Sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit Vobis.* Neque verò Spiritus Sanctus accipere potuit aliquid à Chriſto niſi in æternâ ſuâ proceſſione. Ergo Spiritus Sanctus Veritatem, quam annunciaturus & Apoſtolos edocturus erat, accipiet à Chriſto per æternam Proceſſionem. At nulla ex Divinis Perſonis quidquam communicat alteri, niſi ab ipsâ procedat. Fatendum igitur eſt, Spiritum Sanctum procedere à Filio.

16. Dices. Illa verba: *De meo accipiet*, non poſſe habere locum in æternâ Spiritûs Sancti Proceſſione, ſiquidem in hâc nihil futurum ſit. Quare verba illa in eo ſenſu accipienda eſſe, ut idem ſonent, ac ſi dictum fuiſſet: *Spiritus Sanctus loquetur & annuntiabit ea, quæ dictis meis conſentanea ſunt.* Hoc autem totum ſubſiſtere poſſe, quin Spiritus Sanctus procedat à Filio. Ergo ex illis Sacræ Scripturæ verbis non evinci Spiritûs Sancti à Filio proceſſionem.

17. Contra. Nam Chriſtus horum ſuorum verborum: *De meo accipiet*, mox reddens rationem, *Omnia quæcunque habet Pater meus*, inquit, *mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit Vobis, ex cit. Ioannis 16.* Atqui Pater habet virtutem etiam Spirativam & Spirationem activam. Hæc igitur ita eſt Filij, ut exinde Chriſtus de Spiritu Sancto per Spirationem procedente dixerit: *De meo accipiet.* Ergo Spiritus Sanctus accipiet de ſubſtantiâ & Doctrinâ Filij per ipſam à Filio Proceſſionem ſeu Spirationem æternam, quæ hoc ipſo, quòd æterna ſit, admittit futurum, non quidem ſecundùm aliquam mobilitatis ſucceſſionem, ſed ſecundùm immobilem in ſe ſubſiſtentem Futuri ac Præteriti Eminenter incluſivam Durationem ac Permanentiam.

Reſponſio ad Oppoſita Argumenta.

Ad 1. Reſpondetur. Illis verbis *ex Ioannis 15. capite* petitis, quibus Spiritus Sanctus dicitur procedere à Patre, adſtrui implicitè ejuſdem à Filio Proceſſionem: tum quòd omnia, quæ habet Pater, ipſaque adeò Spiratio activa ſit Filij, tum quòd Filius *ibidem* dicatur miſſurus Spiritum Sanctum. Unde Sanctus Auguſtinus *tract. 99. in Ioannem circa finem*; verba illa expendens. *Si ergo*, inquit, *& de Patre & de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, niſi quemadmodum ad eum ſolet referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? Unde illud eſt, quod ait: Mea Doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Si igitur intelligitur hic ejus Doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris: quantò magis illic intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus Sanctus, ubi ſic ait: de Patre procedit, non diceret, ut de me non procedit? A quo tamen habet Filius, ut ſit Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus: ac per hoc Spiritus Sanctus, ut etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre.* 18.

Ad 2. Reſpondetur. Additionem, quâ Spiritus Sanctus dicitur procedens etiam à Filio, non eſſe ſecundùm aliquam Orthodoxæ per Symbolum Nicænum traditæ veritatis mutationem, ſed explicatiorem duntaxat expoſitionem. Hanc verò eâdem Eccleſiæ in Concilio Univerſali cum ſuo Capite Romano Pontifice congregatæ authoritate optimo Iure præfato Symbolo inſertam eſſe, eo præſertim tempore, quo Hæreticæ pravitatis virulentia ſæviebat adverſùs Veritatem, Litteris Sacris implicitè ſaltem ac virtualiter contentam. Unde in Litteris Unionis ab Eugenio IV. editis poſt ultimam Concilij Florentini ſeſſionem ita habetur. *Definimus inſuper explicationem Verborum illorum Filioque, veritatis declarandæ gratiâ, imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* 19.

Ad 3. Reſpondetur. Authoritatem Ioannis Damaſceni in hoc paſſu non eſſe attendendam, cui error abſque Voluntatis pertinaciâ vitio vertendus non eſt, cùm veritas oppoſita per Eccleſiæ definitionem nondum eluxerit: tametſi eam in Sacris Litteris adhuc latentem plerique etiam Græci Patres jam eruerint, nominatim Athanaſius ſupra citatus, Cyrillus Alexandrinus *in epiſt. 10.* Chryſoſtom. *homil. 1. & 2. de Symbolo. to. 5.* Epiphanius *de hæreſibus. hæreſi 69.* Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſi 16.* Baſilius *lib. 3. contra Eunomium*, & Gregorius Nazianzenus *orat. 24.* inquiens, *Filium accepiſſe à Patre omnia, quæ Pater habet exceptâ ſuâ cauſalitate.* 10.

Ad 4. Reſpondetur. Illud Principium, quòd Spiritus 21.

Spiritus Sanctus, si non procederet à Filio, ab hoc non distingueretur, adeò firmum esse, ut non obstante Doctorum in oppositum allegatorum authoritate, sit pro certo habendum. Probatur. Nam in Concilio Florentino *sess. 18.* ubi de Filij à Spiritu Sancto processione disputari cæpit, Ioannes Theologus coram summo Pontifice Eugenio IV. sic argumentatus fuit. *Sola namque relatio, quam Principalem habitudinem supra nominavimus, apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores divinâ processione personas multiplicat, cui etiam duo illa à Quo & ad Quod conveniunt. Siquidem igitur relationes hujusmodi Personas multiplicant, ita ut nulla aliâ ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ac una Persona ab aliâ differat, juxta quem quidem modum Spiritus etiam ab alio est, necesse est juxta omnes supradictos Doctores sic intelligere, ut idcirco Persona hæc, id est, Spiritus dicatur accipere, atque esse, quod ab alio est.*

22. Ex quo adeò hâc in formâ licet argumentari. Apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores receptum fuit; quòd *relatio Divina processione personas multiplicet.* Huic autem Divinæ relationi conveniunt illa duo nimirum *à Quo* & *Ad Quod.* In tantum igitur Spiritus Sanctus differt à Filio, in quantum accipit esse ab ipso, habens ut sic ad Filium relationem Passivæ Originis, cujusmodi relatio ita est ratio multiplicandi Personas Divinas, ut una Persona nullâ ratione differat ab aliâ, quam vi talis relationis.

23. Replicabis. Istam argumentationem non esse ex definitione Concilij Florentini, sed Ioannis duntaxat Theologi. Ergo Principia ibi posita non esse authoritatis indubitatæ.

24. Contra. Nam Ioannes Theologus illam suam argumentationem accepit ex Sancto Thomâ *p. 1. q. 36. a. 2.* qui ex isto duplici Principio, partim quòd *Personæ Divinæ, cùm secundùm aliquid absolutum à se invicem distingui nequeant, solis relationibus distinguantur*; partim quòd *relationes nullam habeant inter se oppositionem, nec adeò distinctionem, nisi secundum rationes Originis à Quo & ad Quod*; inferebat: *Relationes Spiritûs Sancti ac Filij non habituras majorem inter se oppositionem, atquè adeò distinctionem, quam relatio Spirationis activæ, & Filiationis, imò & Paternitatis, nec consequenter Spiritum Sanctum fore distinguendum à Filio, si à Patre, non autem à Filio procederet.* Hanc autem ex Divo Thomâ petitam argumentationem tacitè saltem approbavit Concilium Florentinum, ita ut ne Græci quidem refragari auderent Principijs in eâ positis. Imò Principia ejusmodi jam firmum habebant robur ex Concilij Barensis coram Urbano II. adversùs Græcos celebrati actis, ubi Divus Anselmus Græcos convicit his ipsis argumentis, quæ postea *in lib. de Processione Spiritûs Sancti* mandavit Litteris *in capite* præsertim *Tertio* scribens in hæc verba: *Supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum de invicem dici, & propria singulorum alijs attribui.*

(IHS.)

CONTROVERSIA II.

An Spiritus Sanctus ex personali suâ proprietate petat procedere ex duabus distinctis Personis?

Scotus *in 1. dist. 12. q. 1. n. 5.* Lychetus *ibidem.* Rada *cont. 15. art. 1. in fine, cæterique Scotistæ* tenent: Spiritum Sanctum petere hunc duorum suppositorum concursum, non *per se formaliter in quarto perseitatis modo, sed quasi materialiter & concomitanter*; sicuti ad creationem indivisibiliter concurrunt tres Personæ Divinæ, ita tamen, ut Deus quà unus creet, nec adeò creatio Formaliter *in quarto perseitatis modo* exigat omnium trium Divinarum Personarum influxum. Fundamentum ex Scoto *cit. n. 5. & 8.* petitum est. Nam Voluntas infinita ut voluntas infinita habens infinitum objectum sibi præsens, est sufficiens Principium productivum Spirati Amoris infiniti. At in quocumque Signo naturæ vel Originis est Principium productivum perfectum in supposito conveniente actioni, potest in illo signo esse tali supposito ratio producendi. Ergo pro quocumque signo Voluntas Divina infinita in aliquo supposito habet sibi præsens infinitum objectum, potest in illo signo esse tali supposito ratio producendi amorem Spiratum, sive Spiritum Sanctum. Atqui Voluntas Divina in ratione Principij Spirativi æquè perfecta est in uno supposito, sicut in duobus. Principium enim *Quo* non accipit perfectionem sibi competentem à supposito, sed dat supposito, quia eo suppositum perfectum est, ut possit agere. At verò Principium æquè perfectum in uno supposito, sicut in duobus, æquè est Principium agendi, sicut in duobus. Ergo Voluntas Divina, quà Principium Spirativum pro aliquo signo in unâ duntaxat Personâ Divinâ jam intelligitur producens. Ergo ut sic habetur Spiritus Sanctus, quin intelligatur procedens à duobus suppositis. 1.

Ex opposito Richardus de Sancto Victore *3. de Trinit. à cap. 3.* Alensis *1. p. q. 43. memb. 3. a. 3. & memb. 4. & 5.* Caietanus *in 1. p. q. 36. a. 4.* Bannes *in fine ejusdem art.* Nazarius *ibidem cont. 3.* Capreolus *in 1. dist. 12. q. 1.* Ferrariensis *4. contra Gentes cap. 25.* Amicus *disp. 27. sect. 6.* Suarez *lib. 10. de Trinit. cap. 6.* Vasquez *disp. 150.* Franciscus de Lugo *lib. 2. disp. 17. cap. 6. concl. 2.* Perez *de Deo Trino. disp. 15. sect. 3.* Ysambertus *ad cit. quæst. 36. disp. un. a. 6.* Ioannes à Sancto Thomâ *p. 1. disp. 15. art. 4.* Gonet *cit. disp. 10. art. 2. & plerique alij* affirmant, Processionem Spiritûs Sancti per se in quarto modo exigere, quòd sit à duobus suppositis. Favet Divus Thomas *in 1. p. cit. q. 36. a. 4. ad 1. & in 1. dist. 11. q. 1. a. 4. ad 2. & dist. 29. q. 1. art. ult. ad 2.* ponens differentiam inter creationem & Spirationem, quòd creatio non petat tres Personas per se, spiratio verò petat duas. Et *q. 10. de Potent. art. 2. ad 15.* ex eo, quòd Spiritus Sanctus sit amor mutuus, & nexus duorum, infert, debere à duobus suppositis procedere. 2.

CONCLUSIO.

Spiritus Sanctus ex propriâ ſuæ Hypoſtaſeos ratione formali refertur ad Patrem & Filium tanquàm duo realiter diſtincta ſuppoſita, & conſequenter ex vi ſuæ proceſſionis Formaliter in quarto perſeitatis modo procedit ab illis tanquàm diſtinctis Perſonis.

Probatur. De ratione Divinæ Hypoſtaſis quà
3. talis eſt, quòd ſit Formaliter diſtinctiva Perſonæ à reliquis duabus Perſonis Divinis. Atqui hæc Divinarum Perſonarum diſtinctio formaliter eſt ſecundùm relationes: Concilio Toletano 2. *in confeſſ. Fidei* taliter differente: *In relatione Perſonarum numerus cernitur, in Divinitatis verò ſubſtantiâ quid numeratum ſit, non comprehenditur. Ergo hoc ſolùm numerum inſinuat, quòd ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quòd ad ſe ſunt.* Conſequens proinde eſt, Hypoſtaſin Spiritûs Sancti non diſtingui ab Hypoſtaſibus Patris & Filij, niſi quatenus ad iſtas habet aliquam Correlationem. Atqui oportet, Hypoſtaſin Spiritûs Sancti ab Hypoſtaſibus Patris, & Filij aſſerere diſtinctam, non ſecundùm quod præcisè important relationem Spiratoris, ſed ſecundùm quod Formaliter dicunt proprias ſuarum Hypoſtaſeos rationes. Ut ſic autem realiter diſtinguuntur Patris & Filij Hypoſtaſes. Ergo Spiritûs Sancti Hypoſtaſis ex formali ſuâ propriâ ratione refertur ad Patris & Filij Hypoſtaſes quà realiter diſtinctas: Concilio Toletano *in cit. fidei confeſſ.* atteſtante: *In relativis Perſonarum nominibus Patrem ad Filium, & Filium ad Patrem, Spiritum verò Sanctum ad utroſque referri.* Cujus rationem ex eo deducit, quòd *Spiritus Sanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relativè refertur in eo, quòd Spiritus Patris & Filij prædicetur.*

4. Dices. Ex mente Scotiſtarum, nominatim Radæ *cit. art. 2.* ratum & gratum haberi, quòd Patris & Filij Hypoſtaſes quà præciſæ à relatione Spiratoris dicantur realiter diſtinctæ ab Hypoſtaſi Spiritûs Sancti. At Patris & Filij Hypoſtaſes quà præciſas à relatione Spiratoris nullam explicare ad Spiritum Sanctum relationem Originis. Ergo Spiritum Sanctum intelligi diſtinctum à Patre & Filio, quin concipiatur procedens ab iſtis tanquàm duobus ſuppoſitis. Non igitur ſubſiſtere, quòd Spiritus Sanctus ex propriâ ſuæ Hypoſtaſeos ratione petat procedere à Patre & Filio tanquàm duobus ſuppoſitis.

5. Contra. Nam ut ſolidè ac fundamentaliter in Myſterio Trinitatis diſcurramus, oportet, firmam fidei Orthodoxæ in Sacris Concilijs traditam & approbatam doctrinam ſupponere. At verò ex Sacris Concilijs eruitur, quòd nulla in Divinis ſit diſtinctio, niſi ſecundùm relationes. Has verò relationes poſſe intelligi inter ſe diſtinctas, prout non merè diſparatè ſe habent ad invicem, ſed Correlativè, evincitur ex verbis præcitatis Concilij Toletani aſſerentis: *Hoc ſolùm in relationibus Divinis inſinuare numerum, quòd ad invicem ſunt.* Nam iſtud *ly ad invicem* importat correlationem, ſeu oppoſitionem relativam. Unde commune ex Boetio *lib. de Trinitate, &* Sancto Anſelmo *lib. de Proceſſione Spiritûs Sancti cap. 2. prope init.* aliiſque Græcis & Latinis Patribus petitum axioma, quòd *nulla in Divinis ſit diſtinctio, niſi ubi obviat relativa oppoſitio,* non tam facilè deſerendum eſt. Atqui hanc ipſam Perſonarum Divinarum diſtinctivam correlationem non poſſumus ex principijs fidei eruere ac intelligere, niſi quà fundatam in Originibus ſeu Proceſſionibus Divinis: veluti tradunt Sancti Patres, nominatim Athanaſius *lib. de unicâ Deitate Trinit.* Baſilius *lib. contra Eunomium circa principium.* Cyrillus *lib. 7. Theſauri cap. 1.* Nyſſenus *lib. ad Ablabium.* Nazianzenus *orat. 5. de Theologiâ.* Horum 6.
adeò veſtigijs eatenus inſiſtendum eſt, ut pro fundamento adſtruamus, quòd Ioannes Theologus *in cit.* Concilij Florent. *ſeſſ. 18.* tanquàm commune omnium Patrum Principium poſuit: nempe *Perſonas multiplicari proceſſione Divinâ, quatenus hæc duo illa à Quo, & ad Quod conveniunt.* Quo proinde Principio poſito, apertè ſequitur: Patris & Filij Hypoſtaſes quà diſtinctas à Spiritu Sancto importari formaliter in hujus Principio ſeu Origine. At Spiritûs Sancti Proceſſio Paſſiva per ſe refertur ad illam in Patre & Filio Formalitatem, quæ importatur formaliter in ratione ſui principij. Cùm igitur Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis Formaliter referatur ad Patris & Filij Hypoſtaſes quà diſtinctas inter ſe, ſequitur, ipſum ex propriæ ſuæ Hypoſtaſeos ratione per ſe procedere à Patre & Filio tanquàm uno quidem Spiratore, ſed tanquàm duobus diſtinctis ſuppoſitis Spirantibus.

Replicabis Patrem & Filium nullam habere cum Spiritu Sancto correlationem, ſeu oppoſitionem relativam, niſi ſecundùm relationem Spiratoris. At Patris & Filij Hypoſtaſes ut ſic in ſuâ Formali ratione non involvere Spiratoris relationem: tametſi in ratione Hypoſtaſum ſint realiter diſtinctæ à Spiritu Sancto. Oportere igitur, Patris & Filij Hypoſtaſes, omni relativâ oppoſitione circumſcriptâ ſeu præcisâ, diſtingui ab Hypoſtaſi Spiritûs Sancti, veluti Sanctus Anſelmus *lib. de proceſſ. Spiritûs Sancti cap. 2.* nullius relativæ oppoſitionis ſeu correlationis mentionem faciens ait, quòd *etſi Filius & Spiritus Sanctus per aliud non eſſent plures, tamen per hoc eſſent diverſi, quòd alter naſcendo, alter procedendo exiſtat.* 7.

Contra. Nam Sanctus Anſelmus *paulò antea* dixerat: quatenus *Filius exiſtit naſcendo, Spiritus autem Sanctus procedendo, ipſos diverſitate Nativitatis & proceſſionis referri ad invicem.* Manifeſtum igitur eſt, eorum Filij naſcendo, & Spiritûs Sancti procedendo diſtinctionem eſſe ſecundùm Nativitatis & Proceſſionis correlationem, ſeu oppoſitionem relativam. Cui proinde Divinarum Perſonarum diſtinctivo in unicâ Correlationis oppoſitione fundato Principio ita eſt inſiſtendum, ut nullis ex noſtrâ ratione emergentibus contrarijs argumentis, in eo vacillare expediat, ut adeò Scotiſtæ inverſum ſanè perſequantur Ordinem, dum, ne ex cerebro ſuo adinventis vel ſubtilitatibus vel rationibus contraire debeant, illud potiùs Divinarum Perſonarum ex relativâ oppoſitione diſtinctivum Principium deſerere maluerunt, in hoc non tam captivantes intellectum in obſequium doctrinæ Patrum, quàm ſenſuum ſuorum ſubtilitates oſtendere ſoliciti. Quorum adeò procedendi morem in hoc deteſtantes, præfato ex Patrum & Con- 8. 9.

& Conciliorum Doctrinis eruto Theologorum communi Principio firmiter adhærendo, difficultatem superiùs propositam componimus asseverando; tum quòd relatio Spiratoris ex parte objecti inseparabiliter involvat Patris & Filij Hypostases, ita ut sine istis per præcisionem objectivam non sit intelligibilis activa Spiratio, tum quòd, licèt Hypostases Patris & Filij, quatenus ad se invicem comparantur, sint objectivè præscindibiles a relatione Spiratoris, eo ipso tamen involvant ex parte conceptûs objectivi hanc Spiratoris relationem, dum intelliguntur in comparatione ad Spiritum Sanctum.

10. Quas proinde eatenus convenit à Spiritu Sancto realiter distingui, ut tamen nullam ex naturâ rei formaliter à relatione Spiratoris involvant distinctionem, imò ipsam relationem ex parte conceptûs objectivi importent, dum intelliguntur distinctæ à Spiritûs Sancti Hypostasi. Consequens proinde est, Patris & Filij Hypostases nec ex naturâ rei formaliter, nec secundùm conceptus nostros objectivè præcisivos intelligi posse à Spiritu Sancto distinctas nisi secundùm oppositionem relativam. At verò easdem Hypostases etiam quà tales oportere distinctas esse à Spiritûs Sancti Hypostasi, est indubitatum. Oportet igitur, ipsas sub aliquâ sui Formalitate per conceptum nimirum Spirationis activæ explicatâ habere relativam cum Hypostasi Spiritûs Sancti oppositionem, esseque adeò non de identitate tantùm reali, sed Formali conceptu Originis Spiritûs Sancti productricis.

11. Cujus ratio ex Sancto Thomâ *præs. q. 36. a. 2.* sic deduci potest. Filius procedit per actum Intellectûs ut Verbum, Spiritus autem Sanctus per actum Voluntatis ut amor. Atqui amor necessariò procedit à Verbo, nihil enim est volitum, nisi fuerit præcognitum. Ergò Spiritus Sanctus necessariò procedit à Verbo.

12. Instabis cum Rada *cit. cont. 15. art. 1. &* Scoto *in 1. dist. 11. q. 1. n. 3.* Notitiam rei amatæ ideò duntaxat præsupponi amori, quòd per notitiam fiat objectum præsens Voluntati. At Divinam Essentiam, de cujus amore procedit Spiritus Sanctus, non fieri præsentem Voluntati per Verbum, sed per cognitionem Essentialem. Ergo per hoc, quòd notitia rei amatæ vel amandæ præsupponatur ejus amori, non rectè concludi, quòd Spiritus Sanctus procedat à Verbo.

13. Contra. Nam Verbum Divinum per suam in Esse intelligibili puritatem actualissimam habet, quòd Essentiæ Divinæ eatenus sit in Esse intelligibili expressivum, ut sit consubstantialiter ipsa res intellecta, Essentia scilicet Dei, ejusque quà summæ ac infinitæ amabilitatis expressio actualissima habens ut sic ratione Naturæ Divinæ. Atqui Essentiæ Divinæ amabilitati quà per intellectione expressæ convenit influxus Finalis in amorem. Hic verò Essentiæ Divinæ influxus finalis est amoris in Deo specificativus per realem Formalem Esse Divini subsistentis in se actualissimè expressi identitatem. Unde Esse Divinum in se actualissimè expressum, atque adeò ejus expressio seu Intellectio actualis ex naturâ rei est de ratione Formali amoris Divini. At verò amoris Divini ad spirandum fœcunditas est Formaliter per sui ex Esse Divino in se subsistente specificationem. Cum igitur ista amoris Divini specificatio fit per Essentiam Divinam, quà in se intelligibiliter expressam, atque adeò per ipsammet Essentiæ Divinæ actualem Intellectionem, consequens est, actualissimam Divinæ Essentiæ intelligibilitatem quà amoris Dei specificativam per se concurrere ad productionem Spiritûs Sancti. Atqui hæc Intelligibilitas quà per Hypostasin Verbi terminata est Formalissimè Verbum Divinum: illa verò Hypostasis, quæ in Divinis est terminativa formalitatis in spirativâ Dei virtute Formaliter importatæ, est per se concurrens ad productionem Spiritûs Sancti. Ergo Verbum Divinum per se concurrit ad producendum Spiritum Sanctum. Ergo Spiritus Sanctus ex proprietate suâ Characteristicâ petit produci non tantùm à Patre, sed à Verbo etiam Divino.

Responsio ad Opposita Argumenta.

Ad Scoti fundamentum Respondetur. Potentiam Spirativam non posse in Patre intelligi, nisi pro illo rationis signo, in quo supponitur Voluntas Divina. At quia hæc est purissimus in Deo actus, sequitur, ipsam non Esse intelligibilem nisi per modum actualissimi ex Esse Divino subsistente specificati actûs. Hæc verò amoris Divini specificatio non est per Esse Dei subsistens, nisi quatenus intelligibiliter in se expressum est formaliter sui expressio ac Intellectio actualis. At pro illo signo, in quo est Essentiæ Divinæ expressio actualis, Essentia Divina est intelligibiliter præsens voluntati Divinæ. Ergo Voluntas Dei non supponitur, sed tanquàm purissimus amoris subsistentis actus supponit illam Essentiæ Divinæ Intelligibilem præsentiam seu repræsentationem actualem. Atqui pro illo signo, in quo Essentiæ Divinæ est in Deo expressio seu præsentia intelligibilis, statim consequitur Hypostatica Intellectionis Divinæ per Patris & Filij Personalitates terminatio. Unde Hypostatica Intellectionis Divinæ per duplicem Patris & Filij personalitatem terminatio ita comparatur ad Amorem Divinum ex Essentiæ Divinæ Intellectione specificatum, ut hic absolutè, vel in ratione Virtutis spirativæ spectatus pro aliquo signo intelligatur prior Patris & Filij Hypostasibus, ille ipse tamen amor in ratione spirationis activæ consideratus formaliter involvat Patris ac Verbi Divini Hypostases. Etsi proinde Voluntas Divina quà virtus spirativa sit æquè perfecta in solo Patre, ac in duobus Divinis suppositis: attamen sub ratione Spirationis actualis nequit intelligi nisi quà subsistens in duabus Personis Divinis. Ergo licèt Spiritus Sanctus secundùm confusum nostrum intelligendi modum possit concipi procedens ab uno duntaxat supposito, ex parte tamen conceptûs objectivi necessariò intelligitur procedens à duabus Personis. 14.

CONTROVERSIA III.

An, & qualiter Pater & Filius sint unum Spiritûs Sancti Principium?

Concilium Lugdunense *in Cap. Fideli. de Sanct. Trinit. in 6.* relatum definivit in hæc verba: 1.

Fideli ac devotâ professione fatemur, quòd Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre & Filio non tanquàm ex duobus Principijs, sed tanquàm ex uno Principio, non duabus Spirationibus, sed unicâ Spiratione procedit. Unde damnat illos, *qui temerario casu asserere præsumpserint, quòd Spiritus Sanctus à Patre & Filio tanquàm duo-*
2. *bus Principijs & non tanquàm ex uno procedat.* In quem tenorem Concilium quoque Florentinum *in Litt. unionis* decrevit. *Definimus*, inquiens, *quòd Spiritus Sanctus à Patre & Filio aeternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque aeternaliter tanquàm ab uno Principio, & unicâ spiratione procedit.*

Quibus adeò per Fidem Divinam suppositis,
3. duæ supersunt difficultates. *An scilicet Pater & Filius non in ratione duntaxat Principij Quo, sed etiam Quod sint unum Spiritûs Sancti Principium? 2. An ista Principij Quod in Patre & Filio per nomen Spirationis significata unitas importet singulare quoddam individuum subsistens, an verò nomen Spiratoris supponat immediatè pro Personis Patris & Filij confusè, seu collectivè sumptis?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

4. Circa primam difficultatem Durandus *int. dist. 29. q. 2.* & Gregorius *dist. 12. q. 1.* sentiunt: Patrem & Filium in rigore non esse unum Spiritûs Sancti Principiũ, sed duo, tametsi Concilia propter erroris periculum aliter loquantur ad declarandam nimirum Unitatem Spirativæ Potentiæ, & spirationis, ac termini per eam producti. Cui sententiæ ex parte insistunt Gabriel & Ocham apud Suarezium *lib. 10. de Trinit. cap. 7.* asserentes: Patrem & Filium posse sub diversis respectibus dici unum, & duo Spiritûs Sancti Principia. Fundamentum est. Quando enim Pater & Filius dicuntur unum Spiritûs Sancti Principium, vel sermo est de Principio *Quo*. Hoc verò est potentia Spirativa, quæ potiùs dicenda est esse in Patre & Filio, quàm ut Pater & Filius dicantur propriè esse una potentia Spirativa, atque adeò unum Spiritûs Sancti Principium. Quare ad ejusmodi Principij spirativi unitatem non sufficeret unitas potentiæ spirandi, sed requireretur unitas etiam suppositi per se concurrentis ad spirationem, sicut etiam tres Divinæ Personæ dicuntur unus creator non tantùm ob unitatem Virtutis creativæ, sed Principij *Quod* per se concurrentis ad creationem Personarum Divinarum, Trinitate se ad istam habente solùm concomitanter. Vel igitur in pro-
5. positione, quâ *Pater & Filius dicuntur Unum Spiritûs Sancti Principium*, sermo est de Principio *Quod*. Hoc autẽ est suppositũ per se concurrens seu influens in productionem Spiritûs Sancti. At Spiratio formaliter est ex Patre & Filio tanquàm duobus suppositis non *Concomitanter* duntaxat & *quasi per accidens*, sed *per se* requisitis ad producendum Spiritum Sanctum. Ergo Pater & Filius dicentur potiùs duo esse Spirandi Principia.

6. Econtrario Divus Thomas *præs. q. 36. & a. 4.* Theologi tum antiquiores tum recentiores communiter asserunt: Patrem & Filium propriè ac simpliciter dici debere unum Spiritûs Sancti Principium, adeò ut Vasquez *disp. 46. cap. 3.* & Suarez *cit. lib. 10. de Trinit. cap. 7. n. 1.* temeritatis damnent oppositam sententiam, ut alienam à recepto loquendi modo. Imò Molina *hic art. 4. disp. 2.* vocat parum tutam in fide, erroneam, & authoritati Ecclesiæ detrahentem.

Circa Secundam difficultatem Nazarius *præs. art. 4. cont. 2.* Molina ibidem. *disp. 4.* Becanus *tract.* 7.
de Trinit. cap. 6. censent: Spiratorem esse quoddam individuum constitutum ex Essentiâ & relatione Spirationis, esseque ut sic aliquod subsistens in Naturâ Divinâ. Fundamentum ex Nazario *cit. cont. 2. §. secundò considerandum.* ita deducitur. Nam in principio *Quod* spirativo duo oportet considerare: unum est ratio formalis ipsius Principij constitutiva. Hæc autem in re propositâ est Essentia cum Notione Spirationis. Alterũ est conditio Spirantis, vel spiratoris, quæ est Pluralitas Personarum, eò quòd Spiritus Sanctus procedat ut amor mutuus, seu Nexus duorum. Si proinde sola ratio formalis Principij Spirativi, sive spirationis attendatur, dici debet, Spiratorẽ ex Essentiâ ut subsistente & relatione Spiratoris constitui: quemadmodùm enim Spiritus Sanctus ex relatione Spirationis passivæ & Essentiâ ut subsistente constituitur in suo Esse Personali relativo ad Spiratorem: ita Spirator ejus Correlativum oportet ut constituatur in Esse Spiratoris ex Essentiâ ut subsistente, & relatione, quæ est activa Spiratio.

Ex opposito Relationem Spiratoris non 8.
constituere Principium *Quod* spirandi subsistens seorsim à subsistentiâ Patris & Filij, sed nomen Spirationis supponere confusè seu vagè ac indeterminatè vel potiùs collectivè pro duabus Patris & Filij Hypostasibus quà unitis in relatione Spiratoris, docent Sanctus Thomas *cit. a. 4. præsertim ad 4. & 5.* Bannes *ibidem.* Navarretus *cont. 31.* Suarez *cit. lib. 10. de Trinit. cap. 4.* Vasquez *disp. 149.* Franciscus de Lugo *cit. disp. 17. cap. 5. præsertim. n. 6.* Gonet *cit. disp. 10. n. 3.* Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 15. a. 4. à n. 23.*

Conclusio.

Principium *Quod* Spirandi ut sic constituitur per spirationem activam, quæ formaliter importat tum Amorem Divinum ac Relationem Spiratoris per modum unius simplicissimæ formæ, tum collectivè seu confusè Patris & Filij quà realiter distinctas Hypostases: ob quam partim simplicem relationis Spiratoris identitatem, partim collectivam Patris ac Filij Hypostasum in ratione spirandi ex vi nostri quoque præcisivi conceptûs inseparabilem unitatem dici debet, Patrem & Filium esse unum Spiratorem seu Principium *Quod* Spirandi.

Probatur. Nam Amor divinus per Esse Dei 9.
subsistens in se intelligibiliter expressum, atque ut sic actualissimè inclinativum actuatus ac specificatus ut sic formaliter habet fœcunditatem per modum potentiæ spirativæ. At hic ipse Amor Divinus habens ut sic rationem formæ, per quam Principium est sui cum Principiato assimilativum, in suppositis Principiantibus habet rationem Principij *Quo*, quatenus ex eâ virtualiter emanat Origo seu spiratio activa. Hæc verò Spira-

Spirationis activæ ratio ex illo amore divino est virtualiter emanans in illis suppositis, quorum Hypostases ex ratione suâ formali sunt per prius Terminativæ amoris illius Divini, quàm hujus fœcunditas per suiCommunicationem productivam sit exhausta. At vero Hypostases Patris & Filij per rationem suam formalem Characteristicam sunt substantialiter Terminativæ Intellectionis. Hæc verò est Virtualiter prior amore Divino, ut adeò non Patris duntaxat, sed Filij quoque Hypostasis prioritate Virtuali per prius sint Terminativæ Intellectionis & consequenter Divini cum hâc identificati amoris, quàm illius fœcunditas per actualem productionem sit exhausta. Ergo Patris & Filij Hypostasibus per realem formalem Identitatem convenit Amor Divinus cum fœcunditate, & consequenter cum actualis Spirationis activæ origine.

10.

11. At hæc ipsa Patris & Filij Hypostasum cum Amoris divini fœcunditate, nec non activâ spiratione identitas formalis importat Essentialem in primo dicendi modo perseitatem, vi cujus spirationi activæ in se omninò simplici Essentialiter convenit inexistere duabus illis Hypostasibus ex ratione suâ formali Characteristicâ inter se realiter distinctis. Hæc verò Essentialis cum illâ duplici Hypostasi connexio facit, ut spiratio activa non in alterutrâ Divisivè, sed in utrâque collectivè duntaxat intelligi possit. Constat proinde, tam fœcunditatem Amoris Divini, quàm Spirationem activam ex reali Hypostasum, quibus inexistit, distinctione non tantùm non esse divisibilem, sed essentialiter requirere duas Hypostases collectivè spectatas. Ergo Principium *Quod* spirativum importans collectivam Patris & Filij Hypostasum unitatem, nec non simplicem spirationis activæ & Potentiæ spirandi identitatem non est nisi unicum in Patre & Filio.

Responsio ad fundamenta opposita.

12. AD Fundamentum ex parte primæ difficultatis *à n. 4.* oppositum Respondetur. Patrem & Filium dici unum Spiritûs Sancti Principium tam ratione Principij *Quo*, quàm Principij *Quod*. Nam licèt Spiratio Passiva realiter procedat à Patre & Filio tanquam duobus suppositis non concomitanter, & quasi per accidens, sed per se requisitis ad producendum Spiritum Sanctum: hic tamen concursus quoad influxum activum in primo Perseitatis modo, quoad influxum verò Passivum in quarto Dicendi modo per se requirit illas duas Hypostases, non Divisivè, sed collectivè spectatas. Ergo illarum distinctio non impedit, quò minùs debeant simpliciter dici unum, non autem duo Spirandi Principia.

13. Ad Fundamentum ex parte secundæ difficultatis *à n. 7.* oppositum Respondetur. Spirationem activam esse formalissimè ipsam relationem spirationis, hanc verò importare Amorem Divinum formaliter quà mutuum. At istam Amoris Divini quà mutui rationem formalissimè importare Dualitatem Hypostasum, per quas constituatur in ratione suppositi non unius, sed duplicis correlativè oppositi Spiritui Sancto. Quare Esse Spiratoris in Divinis formaliter constitui per Amorem ex ipsomet Esse Dei subsistente actuatum, nec non per Relationem Spiratoris Essentialiter involventem Hypostases.

COROLLARIUM.

INfertur 1. Qualiter verificetur ista propositio: *Pater & Filius se diligunt Spiritu Sancto.* Nam 1. *To diligere* in Divinis sumitur Essentialiter. Sic autem non verificatur, Patrem ac Filium se diligere Spiritu Sancto, sed Essentiâ suâ, ex Divo Thomâ *præs. q. 37. a. 2.* Unde D. Augustinus *15. de Trinit. cap. 7.* ait: *Quis audet dicere Patrem nec se, nec Filium: nec Spiritum Sanctum diligere, nisi per Spiritum Sanctum?* 2. Igitur *Tò Diligere* in Divinis accipitur *Notionaliter.* Quo modo verificatur illa Propositio non in ratione Denominationis formæ actuantis, sed Terminantis. Ratio est. Nam ille ablativus *Tò Spiritu Sancto* denotat formam, quâ Pater & Filius se mutuò diligunt. At in ejusmodi Denominationibus forma denominans quandoque se habet *per modum Principij intrinseci*, veluti si Pater & Filius dicantur se Amantes per amorem Essentialem: quandoque verò se habet *Extrinsecè* ad Denominatum *per modum Causalitatis*, ut si dicatur, creaturas Dei fieri volitione Divinâ, seu creatione Deo formaliter immanente, quandoque verò *per modum formæ Terminantis effectæ seu productæ* in quarto perseitatis modo se habet ad Denominatum, quâ ratione verificatur: Spiritum Sanctum utpote Terminum per se formaliter vi mutuæ inter Patrem & Filium dilectionis productum esse formam, quâ Pater & Filius se invicem diligunt; sicuti etiam arbor denominatur florens floribus ex se productis: ac de Patre æterno dici solet, quòd Verbo suo se, & omnem creaturam intelligat. 14.

Infertur 2. Qualiter Spiritui Sancto proprium sit dici amorem. Nam amor Notionaliter sumitur pro Personâ, cui ex vi suæ Processionis ac personalis proprietatis formaliter convenit esse amorem. Ejusmodi verò est Spiritus Sanctus. Unde nisi ex Characteristicæ suæ Hypostaseos ratione convenit formaliter esse amorem. Ex hâc ipsâ verò Personali Hypostaseos suæ amorem formaliter terminantis proprietate fit, quòd Charitas & Gratia in creaturis rationalibus infusæ à totâ Sanctissimâ Trinitate, approprientur Spiritui Sancto, qui proinde etiam Causaliter dicitur Amor, non excludendo cæteras Divinas Personas à Causalitate Gratiæ & Charitatis effectrice, sed designando Personalem hujus Divini Suppositi proprietatem, ac Hypostasin formaliter Terminativam Amoris increati. 15. 16.

Infertur 3. Qualiter Spiritui Sancto sit proprium, esse Donum Dei. Nam Donum quandoque sumitur latè pro quolibet Dato: quâ ratione Essentia quoque Divina, quam per æternam generationem Pater dedit Filio, dici potest Donum: quandoque verò sumitur strictè pro Dato, quod ex amore proficiscitur. At ejusmodi ex Amore proficiscens datio alia potest esse secundùm identitatem, atque ut sic ipse amor Essentialis inexistens Patri & Filio per sui ipsius fœcunditatem est Donum identicè se communicans Spiritui Sancto. Alia verò est secundùm Causalitatem extra Deum Transeuntem, quomodo omnes tres Divinæ Personæ per Gratiæ & Charitatis infusionem donantur creaturæ rationali, sicut ipsa Filij Hypostasis ac Persona increata per causalitatē Dei ad extra transeuntem Humanitati Christi ad illam Hypostaticè terminan- 17.

dam, eâque mediante toti humano generi donata fuit. Alia denique est secundum æternam Deo immanentem Originem: quomodo soli Spiritui Sancto convenit originari ex Amore, ut ad ò ipsi proprium sit habere rationem Primi Doni, cui consequenter secundùm quandam appropriationem attribuantur cætera membris Christi divisa gratiarum Dona, ex D. Thomâ *præs. q. 39. a. 2.*

18. Infertur 4. Qualiter Spiritus Sanctus dici possit Nexus, Vinculum, seu Osculum Patris & Filij. Hoc enim verificatur quatenus ex propriâ suæ Hypostaseos ratione est respiciens Patrem & Filium tanquàm duas quidem Personas, inseparabiliter tamē per modum unius Principij Spirativi conjunctas ad producendum Spiritum Sanctum, eidem formaliter ex vitali Processionis communicando amorem, quo Pater & Filius se invicem sunt osculantes per amorem reciprocum. Rectè igitur procedunt istæ denominationes non *formaliter intrinsecè*, sed *Formaliter Terminativè*, veluti superius in primâ illatione exposuimus.

QUÆSTIO DECIMA SEXTA
DE
CIRCUMINSESSIONE, ÆQUALITATE, SIMILITUDINE, AC MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

ARTICULUS I.

De Circuminsessione, æqualitate, ac similitudine Divinarum Personarum.

1. Nomine Circuminsessionis intelligimus mutuam Divinarum Personarum inexistentiam: quam Divin. Dionys. *de Divin. nom. cap. 2.* vocat inconfusam unius Personæ in aliâ mansionem: Christo Domino *Ioan. 14.* dicente. *Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est? Verba, quæ ergo loquor, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.* Unde Sanctus Fulgentius *de fide ad Petrū cap. 1.* inquit; *Per hanc unitate totus Pater in Filio, & in Spiritu Sancto, totus Filius in Patre & Spiritu Sancto est, & totus Spiritus Sanctus in Patre & Filio est.* Cui adeo

2. conformiter Divus Thomas *præs. q. 42. a. 5.* ait: unam Personam Divinam in aliâ esse tripliciter. 1. Ratione Essentiæ utpote communis omnibus Divinis Personis. 2. Ratione mutuæ correlationis, siquidem correlativa sint simul naturâ & cognitione ac definitione, ita ut unum correlativum cadat in definitionem alterius, nec unum sine altero cognosci possit. 3. Denique ratione Originis, quatenus Filius à Patre, ac Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit per actum im̄anentem, de cujus ratione est, ut id, quod procedit, ma-

3. neat in eo, à quo est procedens. Ex quo adeò fit, Circuminsessionis in Divinis rationem esse quid Notionale. Nam licèt dicat Essentiæ Divinæ Unitatem, per quam est Consubstantialis unius divinæ Personæ in aliâ mansio, hæc ipsa tamen mutua immansio seu inexistentia importat etiam distinctionem Hypostasum seu Persona-

4. rum. Quibus proinde tanquàm certis suppositis, aliquæ supersunt Controversiæ. 1. *An vi hujus Circuminsessionis verificetur, quòd Paternitas sit in Filiatione, ac Relatio spiratoris in relatione spirati? 2. Qualiter ex istâ circuminsessione sit omnimoda inter Personas Divinas æqualitas ac similitudo? 3. An ista æqualitas, seu similitudinis ratio in Divinis importet realem aliquam relationem?*

CONTROVERSIA I.

An per mutuam Divinarum Personarum inexistentiam verificetur, quòd Paternitas sit in Filiatione, ac Hypostasis Spiritus Sancti in Personalitate Patris ac Filij?

Videntur negandæ istæ propositiones, eò quòd per ipsas importetur Unitas subjecti ac prædicati. At inter Filiationem & Paternitatem, nec non istas Personalitates ac Spiritûs Sancti Hypostasin in Divinis non est unitas, sed distinctio realis.

Quo tamen non obstante, Scotus *in 1. dist. 19. q. 2. n. 11. ad 3.* Cajetanus *1. p. q. 42. a. 5.* Suarez *lib. 4. de Trinit. cap. 16.* Amicus *præs. disp. 29. n. 76.* admittunt, ejusmodi propositiones tanquàm veras. 5.

Conclusio.

Propositiones illæ per Divinarum Personarum omnimodam circuminsessionem in vero sensu accipi possunt.

Probatur. Nam si dicatur v.g. Paternitas est in Filiatione, *Tò est* non tantùm habet rationem Copulæ, sed Prædicati etiam formalis significantis ut sic Esse Essentiæ ac Existentiæ. Unde 6.
per illam propositionem solùm dicitur, quòd quidquid Esse Essentiæ, vel Existentiæ est in Paternitate, id totum esse in Filiatione. At eo ipso, quòd Filiatio non habeat propriam relativam existentiam ac Essentiam, sed substantiam dun-

taxat

taxat ex se individuatam, atque ut sic indivisibiliter existentem in omnibus Personis Divinis, sequitur verificari, quòd totum Paternitatis Esse sit in Filiatione. Ergo illa propositio in vero sensu accipi potest, non quidem excludendo Relativá Paternitatis ac Filiationis distinctionem, sed significando horum in Esse tam Essentiæ, quàm Existentiæ omnimodam identitatem. Unde patet etiam Responsio ad argumentum initio oppositum.

CONTROVERSIA II.

An per Divinarum Personarum Circuminsessionem inter ipsas subsistat omnimoda similitudo ac æqualitas?

1. DUbitare non licet, quin omnimoda sit æqualitas & similitudo inter Divinas Personas: Ecclesiâ Catholicâ in Symbolo S. Athanasij profitente hisce verbis: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.* Et: *In hâc Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

2. Circa quod tamen difficultas moveri potest, quòd Pater sit Origine prior Filio: Hæc ipsa verò prioritas Originis importet in Patre aliquam dignitatem, quæ non est in Filio. Quomodo ergo Filius carens aliquâ dignitate Patri conveniente, est huic æqualis?

CONCLUSIO.

OMnimoda inter Personas Divinas æqualitas est per simplicissimam Essendi Dignitatem.

3. Probatur. Nam ratio perfectionis radicatur in ratione Essendi. At in Deo est ratio Essendi per se purissimè actuata. Ergo quidquid est perfectionis excogitabilis nullam potentialitatem involventis, sed sub purissimâ actualitate formalitatis subsistentis, est formaliter in omni personâ per ipsum Essentiæ Divinæ subsistens Esse existente. Unde non nisi unica perfectionis ratio est in omnibus tribus Personis Divinis, adeò ut ipsarum relativæ Hypostases inter se quidem realiter distinctæ sint quoad oppositionis relativæ Incommunicabilitatem, in ratione tamen Essentiæ, Existentiæ, ac omnimodæ perfectionis sint unum quid simplicissimum.

4. Ad difficultatem oppositam Respondetur. In Patre respectu Filij, nec non in Patre ac Filio respectu Spiritus Sancti esse prioritatem non Naturæ, nec Causalitatis, nec Durationis, sed Originis. At istas prioritates in eo distingui, quòd durationis posteritas importet Essentiam non ex se subsistentem ac Existentem, sed Existentiæ receptivam ex alterius Entis Causalitate. Unde etiam Causalitatis & Naturæ prioritas & posterioritas dicit Essentiarum, atque Naturarum distinctionem. Econtra prioritas Originis dicit unius ab altero Emanationem, per quam Principij & Principiati quoad Hypostasum relativam oppositionem eatenus importatur realis quidem distinctio, ut tamen illa ipsa forma, atque adeò Natura & Essentia, quæ est in Principio, sit formaliter communicata Principiato. At verò ratio Dignitatis ac Perfectionis est secundùm formam. Ergo quia Prioritas & posterioritas originis in Divinis omnimodam formæ seu Essentiæ ac Naturæ Identitatem importat, distinctione se tenente pænes solam oppositionis relativæ incommunicabilitatem, sequitur: illam Prioritatem importare quidem Dignitatem, quæ tamen tota secundùm omnimodæ simplicitatis Unitatem sit etiam in Principiato habente aliquam Originis posterioritatem.

CONTROVERSIA III.

An similitudo ac æqualitas inter Divinas Personas importet aliquam relationem realem?

SCotus *in 1. dist. 31. q. un.* Rada *1. p. cont. 26. a. 3.* & alij Scotistæ affirmant, Æqualitatem in Divinis esse realem inter Personas relationem, quæ in suo conceptu formali non includat Essentiam, nec relationes Originis, licèt importet Essentiam fundamentaliter, Relationes verò Originis Personales præexigitivè. Fundamentum est, quòd ad Relationem realem tria sufficiant nempe fundamentum reale, terminus realis, & extrema realiter distincta. At ista tria inveniuntur in æqualitate Divinâ. 1.

Econtrario Divus Thomas *1. p. q. 42. a. 1. ad 4. & in 1. ad Annibaldum dist. 31. quæst. unicâ,* negat, æqualitatem in Divinis Relationem esse realem. 2.

CONCLUSIO.

DIvinarum Personarum Æqualitas & similitudo supra relationes Originis non addit nisi respectum rationis.

Probatur. Ratio fundandi æqualitatem in Divinis est unitas Essentiæ ac perfectionis. Hæc verò unitas, sicut Essentia, non est alia in Patre, & alia in Filio. Atqui relatio realis requirit distinctionem non tantùm Extremorum, sed rationis etiam fundandi. Probatur istud Assumptum. Nam ratio fundandi est forma, secundùm quam fundamentum remotum fundat sui relationem ad alterum extremum. Unde per prius refertur ratio fundandi, quàm extrema materialiter in ratione fundamenti duntaxat remoti spectata: veluti patet in duabus albedinibus, quarum subjecta ex hoc inter se referuntur, quòd illæ earumq; similitudinis relationes sint ad invicem relatæ. Cùm igitur ratio æqualitatem in Divinis fundans sit simplex & unica, nequit fundare relationem realem, sed rationis duntaxat. 3.

Ad Scoti argumentum Respondetur, negando Majorem: siquidem ex præfatis manifestum fit, non sufficere illa tria ad relationem realem, nisi rationes quoque fundandi seu fundamenta proxima in extremis sint realiter distincta. 4.

***

ARTI-



ARTICULUS II.

De Missione Divinarum Personarum.

1. FIlium à Patre, Spiritum verò Sanctum à Patre & Filio mitti ad creaturas est absoluta authoritas, Christo de se ipso attestante *Ioan. 8. Testimonium perhibet, qui misit me Pater. Et Ioan. 10. Quem Pater sanctificavit & misit in mundum.* Item de Spiritu Sancto. *Ioan. 4. Quem mittet Pater in nomine meo. Et Ioan. 16. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.*

2. De quâ proinde Divinarum Personarum missione tres inter Scholasticos agitantur Controversiæ. 1. *In quo consistat?* 2. *Secundùm quos effectus fiat Divinarum Personarum ad creaturas missio?* 3. *Utrùm ex vi missionis Divinæ non tantùm donentur gratiæ dona, sed ipsemet Divinæ Personæ realiter dentur & inexistant creaturæ Intellectuali?*

CONTROVERSIA I.

In quo consistat Ratio Missionis Divinarum Personarum?

3. NOnnulli apud Magistrum *in 1. dist. 15.* asserunt, Missionem divinam consistere præcisè in æternâ processione unius Personæ Divinæ ab aliâ. Probatur. Nam Missio nihil aliud importat, quàm egressum missi à mittente. Unde Cyrillus *12. Thesauri. cap. 5. Ita Missum se Filius à Patre dicit non mutatione locorum, sed sicut calorem ab igne, vel splendorem à lumine.* At inter Personas Divinas non est egressus nisi secundùm processionem. Ergo missio in Divinis est unius ab aliâ Personâ processio: Divo Gregorio *hom. 26. in Evang.* asserente: *Eo ipso Filium dici à Patre missum, quo à Patre generatur.* Et Hilarius *8. de Trinit. Spiritum Sanctum,* inquit, *mitti à Filio, nihil aliud est, quàm ab illo accipere.*

4. Magister citatus, Divus Bonaventura *ad dist. p. 1. q. 4.* Scotus *dist. 14. q. un. n. 5.* tenent: Missionem in Divinis non esse nisi operationem temporalem, per quam Processio Personæ missæ in aliquo effectu manifestatur. Fundamentum est. Nam missio non importat exitum ab alio secundùm primam sui in Esse productionem: sed per prius intelligitur aliquid in se existens, quàm dicatur mitti. Atqui per Originem Personæ procedentes exeunt à suo Principio quoad primum sibi communicatum Esse. Ergo talis egressio non est missio, sed potiùs ad hanc supponitur. Divo Augustino *4. de Trinit. cap. 20.* taliter differente. *Non eo ipso, quòd de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo, quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum: Vel quòd ex tempore cujusque mente percipitur, sicut scriptum est: mitte illum, ut mecum sit, & mecum laboret.*

5. Divus Thomas *præs. q. 43. a. 1. & 2. præsertim ad 3.* Suarez *lib. 12. de Trinit. cap. 11. n. 8.* & plerique Theologi sentiunt: Missionis Divinæ quidditatem importare tum æternam personæ Missæ à mittente Processionem, tum temporalem, per quam Persona missa Peculiari modo manifestatur in creaturis, processionem. Verùm in hoc ipso aliqua est adhuc dissensio: Francisco de Lugo *præs. disp. 24. cap. 1. n. 6.* & Amico *hic disp. 28. n. 34.* existimantibus: adæquatam missionis Divinæ Essentiam includere intrinsecè tam processionem æternam, quàm temporalem operationem, hanc quidem *formaliter & Completivè*, illam verò *Materialiter & Præsuppositivè.* E contra Ioanne à Sancto Thomâ *præs. disp. 17. a. 1. n. 5.* Ioanne Baptistâ Gonet *to. 5. disp. 13. a. 1.* arbitrantibus, Missionem Divinarum Personarum *in recto* dicere ipsarum duntaxat Originem, sed *Connotativè* seu *in obliquo per modum conditionis* importare novum in creaturâ productum effectum.

CONCLUSIO.

MIssio Divinarum Personarum intrinsecè ac Essentialiter constituit in Processione æternâ, & simul immanente ipsarum ad extra communicatione seu manifestatione: Connotativè verò importat temporalem creaturæ impressam Dei operationem seu motionem.

Probatur. Missio ex suâ significatione importat in misso duplicem habitudinem, alteram ad Mittentem tanquam Principium *à Quo*, alteram ad terminum, *ad Quem* in misso. Atqui habitudo Personæ Divinæ missæ ad Mittentem non est alia, quàm Relatio passiva Originis; sicuti econtra Mittentis ad Missum relatio est formaliter Origo activa: habitudo verò personæ Divinæ ad creaturam, ad quam terminatur Missio Divina, non est nisi causalitas Dei immanens, in se quidem subsistens absolutè, sed fundans Divinæ Virtutis ad extra Relationem rationis. Consequens proinde est, hanc in Divinis tum ad intra Processionem, tum ad extra virtualiter Transeuntem, sed formaliter immanentem productionem esse de Essentiâ Divinæ Missionis, operatione temporali Transeunte se habente ad eam Terminativè & Connotativè per modum conditionis requisitæ ad hoc, ut Divina tum ad intra, tum ad extra immanens productio possit denominari missio. 6.

Dices. Filij in mundum mediante Incarnatione Missionem describi *Ioan. 16. Exivi à Patre, & veni in mundum.* Nam à Patre exire, & venire in hunc mundum, mitti est, ex Sancto Augustino *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* Atqui exitus à Patre est Filij æterna processio, ejus verò in mundum adventus importat non tantùm Dei immanentem, sed formaliter Transeuntem Incarnationis actionem. Hæc igitur non tantùm *Terminativè* seu *Connotativè*, sed formaliter est de ratione missionis Filij in mundum. 7.

Contra. Nam alia Verbi æterni in mundum (ut ita loquar) Ventio est activa, alia vero passiva. At Ventio activa ita est formaliter immanens & Virtualiter Transiens, ut tamen per nos explicari nequeat, nisi cum connotatione operationis Transeuntis actionis, nimirû Humanæ Christi naturæ cum Verbo Unitivæ. Hæc ipsa verò activa Ventio unà cum passivâ Filij generatione constituit formaliter hujus à Patre Missionem passivam, quatenus illam ipsam Hypostaticæ 8.

ticæ cum Humanitate unitionis actionem non habet niſi per communicationem ſeu acceptionem à Patre. Conſtat proinde, non activam duntaxat in Patre, ſed etiam Paſſivam Filij Miſſionem ſolùm connotativè importare Transeuntem Incarnationis Divinæ actionem.

Reſponſio ad argumenta Oppoſita.

9. AD 1. Oppoſitum Argumentum Reſpondetur. Miſſionem eatenus dicere Perſonæ Miſſæ à Mittente egreſſionem, ut importet tamen habitudinem ad Terminum, ad Quem fit miſſio. Ejuſmodi verò habitudinem eſſe Divinam ad extra formaliter Immanentem, ſed Virtualiter Transeuntem operationem, non aliter à nobis intelligibilem, niſi cum effectûs temporalis connotatione. At verò hanc ipſam formaliter Immanentem ac virtualiter Transeuntem operationem accipere Filium à Patre, Spiritum verò Sanctum à Patre ac Filio, ut adeò verificetur tum illud Cyrilli, quòd Miſſio *in Divinis non ſit ſecundùm mutationem locorum*, tum illud Gregorij Magni, quòd *Filius eo ipſo ſit miſſus, quo generatur à Patre*, tum illud Sancti Hilarij; *quòd Spiritum Sanctum mitti aliud non ſit, quàm accipere à Filio.*

10. Ad 2. Oppoſitum Fundamentum ℞. Miſſionem non eſſe Perſonæ Miſſæ in Eſſe productionem, quaſi ſiſtendo in hoc Eſſe, ſed per modum cujuſdam ad effectum temporalem quaſi extenſionis progrediendo ad extrinſecum temporalem effectum. At verum eſſe, *Filium non eo ipſo, quo natus eſt, dici Miſſum*, ſiquidem iſta Nativitas non ex ſe *formaliter*, ſed *concomitanter* duntaxat importet Filij ad Extra Communicationem, Miſſionis inadæquatè Formaliter conſtitutivam: ſed ex Divi Auguſtini mente ideò dici debere Filium Dei miſſum, quòd acceperit à Patre actionem æternam, vi cujus Caro factus apparuerit in terris, vel in mentibus hominum ex tempore concipiatur.

CONTROVERSIA. II.

Secundùm quos effectus fiat Divinarum Perſonarum ad creaturas miſſio?

1. IOannes à Sancto Thomâ *præs. diſp. 17. art. 2.* ſupponit pro certo; non dari Perſonarum Divinarum Miſſionem cum effectûs duntaxat naturalis ad creationis Donum ac Beneficium pertinentis connotatione. Cujus ratio eſt. Quia miſſio Divina ordinatur ad hoc, ut Perſonæ quà diſtinctæ manifeſtentur creaturis rationalibus, ſpeciali titulo eis inexiſtendo. At eo ipſo, quòd omnia Dei ad extra opera à totâ Trinitate procedant per unicam Virtutem, Deus non quà diſtinctus in Perſonis, ſed quà in Bonitate & ſapientiâ unus manifeſtatur in Donis naturalibus. Ergo ſecundùm hæc non intelligitur fieri unius Perſonæ Divinæ ab aliâ miſſio.

Referuntur rationes oppoſitæ.

2. ADverſùs iſtam rationem ſequentes moveri poſſunt difficultates. Nam 1. Divinæ Perſonæ quà diſtinctæ ab alijs manifeſtatio fit per illos effectûs, qui ſpeciali appropriationis titulo attribuuntur uni alicui Perſonæ Divinæ: Ejuſmodi verò effectus Spiritui Sancto ſpecialiter appropriatus eſt tum creatio Mundi, utpote emanans ex Bonitate & amore, ex quo Spiritus Sanctus in æternitate procedit: tum conſequenter ornatus cælorum, juxta illud *Iob. 26. Spiritus Domini ornavit Cælos*; tum gubernatio Mundi, ſiquidem ſit Spiritus amoris habentis efficaciſſimum in humana corda imperium, ſitque Spiritus Veritatis fortioris præ omnibus, & ſuper omnia dominantis ac prævalentis *3. Eſdræ 4.* At verò hi omnes effectus ſunt Ordinis naturalis. Ergo ſecùndùm effectus etiam naturales poteſt intelligi Spiritûs Sancti Miſſio.

2. Alia eſt Divinarum perſonarum Miſſio Viſibilis, alia verò inviſibilis. At Miſſio Spiritûs Sancti Viſibilis erat tum ſub ſigno columbæ, quando apparuit in Baptiſimo Chriſti, tum ſub lucidæ nubis ſigno in Transfiguratione Chriſti; tum ſub ſigno flatûs; Chriſto *Ioan. 20.* inſufflante Apoſtolos ac dicente: *Accipite Spiritum Sanctum*; tum deniquè ſub ſigno ſonitûs ac Spiritûs vehementis, & linguarum ignis id die Pentecoſtes. Etſi verò in hâc ultimâ miſſione Spiritus Sanctus fuerit operatus in Apoſtolis gratiam ſanctificantem, vel ejus augmentum, ratione cujus ſpeciali titulo ipſis inexiſteret: ſecùs tamen eſt in præcedentibus ſupra Chriſtum Spiritûs Sancti apparationibus, in his enim nihil gratiæ ſanctificantis conferebatur animæ Chriſti, utpote jam habente omnem Gratiæ Plenitudinem. Quomodo ergo eſt de ratione Miſſionis, ut Perſonæ Divinæ ſpeciali titulo inexiſtant creaturæ Intellectuali, ad quam fit Miſſio? 3.

3. Filius mittitur inviſibiliter etiam ſecundùm Dona Gratiæ gratis Datæ, Prophetiam nimirum, ſermonem ſcientiæ, interpretationem ſermonum; Divo Thomâ *in 1. ad. Anibaldum diſt. 18. q. unicâ in argum. ſed contra.* affirmante; *Filium præcipuè mitti, cùm ſapientia datur.* Atqui Dona gratis data non ſunt connexa cum Gratiâ gratum faciente. Hæc verò eſt ille titulus, ratione cujus Deus ſpecialiter eſt inexiſtens creaturis Intellectualibus, cùm ècontra longè ab impijs ſit Dominus *Proverb. 15.* Quomodo ergo ſubſiſtit, quòd vi Miſſionis in Divinis debeat Perſona Divina ſpeciali titulo eſſe inexiſtens creaturæ intellectuali? 4.

CONCLUSIO.

MIſſio Divinarum Perſonarum ex ratione ſuâ Formali in creaturâ Intellectuali, ad quam fit Miſſio, importat connotationem vel Gratiæ Sanctificantis, vel effectûs habentis cum Sanctitate connexionem ſive ex naturâ rei, ſive ex inſtituto Divino.

Probatur ex Sancto Thomâ *in 1. diſt. 15. q. 4. a. 1.* Miſſio de Divinis dicitur, in quantum propria Perſonæ Divinæ relatio repræſentatur in animâ per ſimilitudinem, quæ eſt exemplata, & Originata ab ipsâ proprietate relationis æternæ. At per exitum rerum à Principio dicitur 5.

citur Bonitas Divina in creaturas procedere, in quantû repræsentatur in creaturâ Bonitas Divina in ipsâ receptâ. Ejusmodi verò Bonitatis Divinæ in creaturis repræsentatio alia est secundùm causalitatem Efficientem, quæ ut sic est secundùm Virtutis Divinæ ac Omnipotentiæ unitatem, non autem secundùm distinctionem & Originem Personarum. Unde secundùm hanc Dei quà in unâ Bonitate subsistentis repræsentativam ad extra communicationem nequit intelligi unius Personæ Divinæ ab aliâ Missio, siquidem ista importet Personarum distinctionem. Alia proinde Divinarum Personarum secundùm proprietates relativè distinctivas repræsentatio est secundùm reductionem creaturæ rationalis in Deum quà ultimum Finem: siquidem ista reductio fiat per similitudinem aliquam receptam, quæ ab ipsâ rela-
6. tionis æternæ proprietate sit exemplata. Unde quia proprius Modus, quo Filius refertur ad Patrem, est, quia est Verbum ipsius manifestans: proprius verò modus, quo Spiritus Sanctus refertur ad Patrem & Filium, est; quia est amor ipsorum mutuus. Idcirco Spiritus Sanctus mittitur in mentem per Donum Amoris, Filius verò per Donum Sapientiæ, in quo ipsius Patris tanquàm ultimi, ad quod recurrimus, est manifestatio. Quare istæ Divinæ Personæ secundùm horum donorum receptionem eatenus in nobis habent novum inexistendi modum, quatenus sunt in illis Donis tanquàm in suâ similitudine, per quam consequenter ipsæ Personæ Divinæ in nobis sunt quasi Ductrices in finem, vel huic conjungentes. At verò hæc ipsa in finem nostrum ultimum ducendi seu conjungendi ratio omnimodè radicata est in gratiâ sanctificante. Oportet igitur, omnem Divinarum Personarum Missionem connotare effectum cum gratiâ sanctificante aliqualiter connexum. Doctore Angelico *in 1. parte q. 43. art. 5. ad 3.* attestante, quòd *communicent duæ missiones in ratione Gratiæ, sed distinguantur in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio Intellectûs, & inflammatio affectûs.*

Responsio ad difficultatum rationes.

7. AD 1. oppositam difficultatem Respondetur. Verum esse, quòd Divinæ Personæ quatenus ab alijs distinctæ fiat manifestatio per effectus, qui speciali appropriationis titulo attribuuntur tali Personæ Divinæ. At istum appropriationis specialem titulum non manifestari nisi suppositâ Dei revelatione manifestante Personarum proprietates Hypostaticas. Ex hoc igitur Spiritum Sanctum, imò & Filium mitti in mentes humanas, quatenus fide suppositâ, Creaturarum ex Deo per amorem & Bonitatem emanationes considerando per Donum scientiæ cum Divinæ dilectionis inde resultantis affectu, Humana mens contemplatur aliquam Spiritûs Sancti per Amorem emanationis similitudinem, in creaturis præfulgentem non ex vi creationis ut sic, sed ex vi creaturarum in Deum per effectuum contemplationem reductionis.

8. Ad 2. Difficultatem Respondetur. Verum omninò esse, quòd Missionis Divinæ effectus sit novus Personarum Divinarum in creaturis inexistendi seu inhabitandi modus, ut tamen ista specialis cum gratiâ Sanctificante connexionem habens inhabitatio aliter sit secundum Missionem visibilem, aliter verò secundùm Missionem invisibilem. Nam per Missionem Visibilem in Christi v. g. Transfiguratione missus fuit Spiritus Sanctus ad Nubem Lucidam, ut in istâ inhabitaret tanquàm signo significante Spiritum Sanctum præsentem non in ordine ad Sanctitatem Christi Humanitati conferendam, vel augendam, veluti factum fuit in igne Apostolos in Pentecoste sanctificante, & quotidie fit in Sacramentis, sed in ordine ad Sanctitatem tam Hypostaticam ac substantialem, quàm accidentalem, & Habitualem eidē permanenter inexistentem significandam. Econtra per Missionem invisi- 9.
bilē inhabitant Personæ Divinæ in alicujus animâ tanquâ templo, juxta illud *1. Corin. 6. 3. Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.* Hoc autem fit per gratiam sanctificantem, mediante quâ creatura rationalis ita habitualiter reducitur in Deum, tanquàm ultimum finem, ut ex eâdem resultent actus tum cognitionis fidei ac Donorum Spiritûs Sancti Intellectualium, tum amoris, spei, religionis ac similium Virtutum, tanquàm cultus Divinus in templo animæ in ea iori exercendus. 10.

Ad 3. oppositam difficultatem Respondetur. Quod Divinarum Personarum Missio non nisi *secundùm quid* fiat per gratias gratis datas; *simpliciter* verò & *absolutè* fiat solùm per Dona gratiæ gratum Facientis. ex Divo Thomâ *pr. st. q. 43. a. 3.* Cujus ratio est. Nam Divinæ Personæ convenit mitti secundùm quod novo modo existit in aliquo. At unus est communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per Essentiam, Potentiam, & Præsentiam: sicuti causa in effectibus Divinam Bonitatem participantibus. Hic autem communis inexistendi modus non est sufficiens ad hoc, ut Personæ Divinæ dicantur mitti ad creaturas, veluti supra *in argument. concl.* probatum est. Est igitur unus specialis modus, secundùm quem Deus dicitur esse in naturâ rationali, sicut cognitum in cognoscente, & amatû in amante. At neque secundùm hunc in existendi modum Deus mitti dicitur, quatenus ex effectibus creatis mens naturali suo lumine ac Virtute se erigit ad Divinæ Bonitatis contemplationem: siquidem per hanc non reluceat Personarum Divinarum distinctio & Origo. Oportet igitur, amorem & contemplationem, secundùm quam Divinæ Personæ mitti dicuntur, niti supernaturali lumine in Deum quà Personis distinctum reducente. Hoc autem supernaturale Donorum Spiritûs Sancti Lumen radicatur in gratiâ sanctificante, per quam ita fit potestas fruendi Personis Divinis, ut Deus in animâ rationali, sicut in templo suo inhabitans summo cultu adoretur, & colatur per Intellectûs in obsequium fidei captivationem, & Voluntatis in Deum quà ultimum finem in Sanctitate & Iustitiâ fundatam reductionem. Non est igitur Divinarum Personarum in animâ rationali inhabitationis ratio, secundùm quam istæ simpliciter mitti dicuntur, nisi Gratia gratum faciens.

COROLLARIUM.

HInc sequitur, Filij ac Spiritûs Sancti Missionem simpliciter fieri 1. quoties de novo in- 11.
fundi-

funditur gratia Sanctificans, vel ejus fit augmentum, sive Intensivum, sive Extensivum. Doctore Angelico *cit. q. 43. a. 6. ad 2.* taliter differente: *Sed tamen secundùm illud augmentum Gratiæ præcipuè Missio invisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, vel novum statum gratiæ: utputa cùm aliquis proficit in gratiâ Miraculorum, aut Prophetiæ, vel in hoc, quòd ex fervore Charitatis exponit se Martyrio, aut abrenunciat omnibus, quæ possidet, aut quodcunque opus arduum aggreditur.*

12. 2. Per status Beatifici elevationem, siquidem per hanc Divinæ Personæ existant intra beatos per Intelligibilem Essentiæ suæ unionem seu repræsentationem. Imò statu hoc Beatifico jam supposito, fit ad Beatos adhuc Missio Divina, non quidem secundùm luminis Gloriæ & gratiæ Intensionem, sed quoddam ejus augmentum extensivum: veluti S. Doctor *cit. a. 6. ad 3.* habet: *Ad Beatos*, inquiens, *facta est Missio invisibilis in ipso Principio Beatitudinis; Postmodum autem ad eos fit Missio invisibilis, non secundùm intensionem gratiæ, sed secundùm quod aliqua ejus Mysteria eis revelantur de novo, quod est usque ad diem Iudicij, quod quidem augmentum attenditur secundùm intensionem gratiæ ad plura se extendentis.*

13. 3. Per Maternitatem Divinam missus est ad Beatissimam Virginem Filius Dei ac Spiritus Sanctus; tum quia per hanc attingit Ordinem Hypostaticum, ipsius Filij Hypostasi ministrando carnem personaliter secum uniendam, atque sic unitam gerendo intra Virgineum uterum suum; Tum quia Dignitas Maternitatis Divinæ connaturaliter exigebat Sanctitatem & gratiæ plenitudinem, ut adeò Spiritus Sanctus superveniret in eam, dum conciperet Filium Dei.

14. 4. Per Prophetiam, cæterasque gratias gratis datas, nec non actus fidei ac Spei, aut religionis extra gratiæ statum elicitos mitti Spiritum Sanctum secundùm quid, non simpliciter. Nam licèt ejusmodi supernaturalia Dona aliquam Divinarum Personarum tum Filij, tum Spiritûs Sancti emanationis repræsentationem præseferant; per ipsa tamen non dicitur inhabitare Spiritus Sanctus nisi conjuncta sint cum charitate & gratiâ sanctificante.

15. 5. Denique per Dona Intellectûs, Sapientiæ, Scientiæ & Consilij specialiter mitti Filium utpote emanatione intelligibili productum, è contra per Dona Pietatis, Fortitudinis & Timoris specialiter mitti Spiritum Sanctum, utpote ex voluntate Divinâ Patris & Filij procedentem. Unde Divus Thomas *cit. q. 43. art. 5. ad 3.* ait; *Missionem Filij ac Spiritûs Sancti distingui in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio intellectûs, & inflammatio affectûs.* Et *in 1. ad Anibaldum dist. 15. quæst. un. art. 5. in arg. sed contra* asserit: *quòd Filius præcipuè mittatur, cùm Sapientia datur.*

16. Quod equidem non tam accipiendum est de sapientiâ, quæ per modum gratiæ gratis datæ quibusdam extra Sanctitatis statum infunditur: sed quæ habet rationem Doni Intellectûs cum Gratiæ sanctificantis statu inseparabiliter connexi; per hanc enim fit mentis rationalis reductio ad Deum secundùm rectam de ipso quà ultimo fine æstimationem, ita ut licèt multi in Gratiâ constituti sint hebetes, ac stulti secundùm mundum, sive quoad scientiam acquisitam, & scientiæ sermonem idiotæ, habeant tamen scientiam Sanctorum, & prudentiam procedendi sine querelâ coram Domino, cum sincerâ & clarâ Dei quà ultimi Finis æstimatoine; eodem Sancto Doctore *in 1. dist. 15. q. 4. a. 2. ad 4.* asserente, *illam notitiam, ex quâ procedit Amor, vigere in ferventibus Divino amore, dum cognoscunt Divinam Bonitatem, in quantum est Finis, & quantum est in eos profluens largissimè sua Beneficia. Unde talem notitiam non habere, qui amore ipsius non accenduntur.* Quòd si proinde aliqui sermone scientiæ, alijsque gratijs gratis datis extra Sanctitatis statum abundent, non est in ipsos Verbi Divini Missio perfecta, sed tantùm secundùm quid: sicut enim hoc Dei Verbum ex cognitione adeò perfectâ procedit, ut sit amorem spirans; sic non mittitur perfectè nisi secundùm cognitionem amoris inductivam, & sic amore mediante unitivam cum Deo quà ultimo fine: cujusmodi non est sterilis illa etiam infusa scientia ad gratias gratis datas pertinens: Doctore Angelico *2. 2. q. 8. art. 5. ad 8.* attestante: *In Prophetis, qui non sunt in gratiâ, non esse illustrationem mentis, quæ faciat rectam æstimationem de ultimo fine.*



CONTROVERSIA III.

Utrùm ex vi Missionis Divinæ non tantùm donentur Gratiæ Dona, sed ipsæmet Personæ Divinæ realiter dentur, & inexistant creaturæ Intellectuali?

Indubitatum est, personas Divinas dari per sui Missionem; ex Sancto Thomâ *præs. q. 43. a. 3. in 1. arg.* ubi oppositum vocat errorem. Probatur ex sacris Litteris. Nam Spiritûs Sancti Missio fit, quatenus diffunditur Charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datur nobis *ad Rom. 15.* Exinde verò ita manet homo in Charitate, ut consequenter maneat Deus in ipso *1. Ioan. 4.* Unde incipit homo tunc esse Templum Spiritûs Sancti habitantis in illo *1. Cor. 3.* Neque verò ista spiritûs sancti inhabitatio accidit sine Patre & Filio, juxta illud *Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ego & Pater veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Quare tota Trinitas per invisibilem mediante Charitate & Gratiæ infusione Missionem Spiritûs S. incipit habitare in mente hominis. De quâ proinde inhabitatione Controversia est, *An sit realis & Entiativa Dei præsentia distincta ab Immensitate, ita ut si per impossibile Deus non esset ubique, infundendo tamen gratiam esset realiter ac intimè præsens substantiæ creatæ Intellectuali secundùm præsentiam non tantùm Potentiæ, sed Essentiæ ac suppositi?* 1.

2.

3.

Referuntur Sententiæ & Argumenta opposita.

Negat Vasquez *1. p. disp. 30. cap. 3. & 1. 2. disp. 8. cap. 2.* Fundamentum est. Quia Dei secundùm gratiæ habitualis Donum cum homine conjunctio est per affectum, Deo intra mentem humanam tunc existente, sicuti cognitum est in cognoscente, & amatum in amante. At cognitum esse in cognoscente, & amatum esse in aman- 4.

quædam cum Divinarum Perſonarum diſtinctionis, atque adeò Originis repræſentatione in Deum quà Ultimum Finem reductio. Secundùm hanc igitur peculiarem Divinæ Virtutis cauſalitatem Perſonæ Divinæ mediantibus Donis ſupernaturalibus conſtituuntur ſpecialiter præſentes mentibus creatis.

Ad oppoſitum Vaſquezij Fundamentum.

17. Reſpondetur. Verum eſſe, quòd Divinæ Perſonæ ſecundùm ſpecialem Gratiæ inhabitationem ſint in mente creatâ, ſicuti cognitum in cognoſcente, & amatum in amante. At verò cognitionem & amorem ex gratiâ Habituali tanquàm ſui radice profluentem cum Naturæ Divinæ gradu quaſi ſpecifico, atque adeò Myſterio Trinitatis, ſeu Divinarum Perſonarum emanationibus tanquàm objecto per ſe connaturaliter attingibili habere proportionem intrinſecam. Hanc verò in ratione actûs & objecti proportionem importare aliquam etiam Exemplabilitatis proportionem cum Naturâ Dei quà radice Divinarum Emanationum. Quare ratione hujus Exemplabilitatis ſpecialem ex ipſius Naturæ Divinæ gradu quaſi ſpecifico exemplatam Cauſalitatem per Dona Gratiæ ſupernaturalia à Patre luminum deſcendere in mentes creatas: Unde ratione hujus ſpecialis ex Divinâ Naturâ deſcendentis, & in ipſum Deum quà ultimum Finem ſecundùm ipſarum etiam Divinarum Proceſſionum repræſentationem, in viâ *inchoativè*, in Patriâ autem *Conſummativè* fruendum reducentis Cauſalitatis Divinæ, convenire Perſonis Divinis ſpecialem ad mentes creatas inhabitationem, quæ importet Divinæ Naturæ in gradu quaſi ſpecifico contactum, ſitum ex parte Dei in Cauſalitate ipſius intrinſecâ Formaliter ſpecificatâ per Naturam Divinam, ex parte autem mentis creatæ in cauſalitate Dei Tranſeunte huic impreſſâ, ac exemplabiliter ipſius Naturæ Divinæ emanationes Dei ad intra in ſe fundantis repræſentativâ.

QUÆ.

CONCLUSIO.

HÆc ex materiâ spirituali & formâ compositio est chymerica.

6. Probatur. Nam in totâ Entis universitate sunt duo extrema, quorum primum & supremū est actus purus, infimum verò pura potentia, quam materiam primam dicimus. Unde fit, quòd ens aliquod habeat tantum de materialitate, quantum habet de potentialitate. Et quia nullum creatum ens accedit ad actûs puri rationem, omni consequenter substantiæ creatæ convenit aliquid potentialitatis. Atqui secundùm veram Philosophiam duæ sunt substantiæ considerationes: nimirum quà naturæ, & quà suppositi, seu quà primæ Substantiæ. Quare in creatâ substantiâ ut sic est intelligibilis potentialitas tum in ratione naturæ, tum in ratione suppositi. At eo ipso, quòd in ratione naturæ substantia aliqua importet potentialitatem, sequitur, ipsam substantialiter esse compositam ex potentiâ & actu, ceu materiâ & formâ, & per consequens ex naturâ & subsistentiâ. Quare talem substantiam, licèt habeat formam spiritualem, dicimus simpliciter materialem, eò quòd in omni genere substantiæ tum *ut Quo* quà natura, tum *ut Quod* quà suppositum importet potentialitatem, atque adeò materialitatem. Unde fit etiam consequens, non posse substantiam aliquam dici spiritualem, nisi in ratione naturæ sit excludens

7. potentialitatem, atque adeò compositionem ex potentiâ & actu, sive materiâ & formâ. At intra substantiæ ejusmodi spiritualis in ratione naturæ potentialitatem formaliter excludentis lineam datur alia, quæ etiam in ratione suppositi est omnimodæ potentialitatis exclusiva, quæ consequenter ita est purus in ratione substantiæ perfectus actus, ut omnimodam respectu etiam existentiæ & accidentium receptibilitatem excludat, cujusmodi est solus Deus, qui proinde unicus est Ens omninò simplex, seu omnimodo expers compositionis. Alia proinde in ratione naturæ receptibilitatem formaliter removens substantia importat adhuc potentialitatem in ratione suppositi. In quo adeò est compositio ex naturâ & subsistentiâ, & consequenter ex Essentiâ & Existentiâ, nec non ex substantiâ & accidente. Quamvis igitur Angelus, cùm sit spiritualis, debeat esse substantia in ratione naturæ omnino simplex, est tamen compositus in ratione suppositi, nec non in ratione intelligentis, & aliarum denominationum accidentalium.

Responsio ad Argumenta Opposita.

8. AD Arriagæ *n. 5.* oppositum Respondetur. Spiritualitatem formaliter consistere in hoc, quòd substantia habeat depuratiorem Essendi modum, per quem non coarctetur ad unam formam, sed aliarum etiam formarum quoad esse intentionale ac repræsentativum sit intussusceptiva. At ejusmodi depuratior essendi modus ita quidem est exclusivus quantitatis per naturam suam coarctantis, ut consequenter potentialitatis tanquàm primæ coarctationem in ente fundantis radicis sit a substantiâ exclusivus. Unde verum quidem est, quòd spiritualitatem comitetur penetrabilitas quantitatis impenetrabilitati opposita: sicuti tamen quantitas & consequenter impenetrabilitas utpote accidens radicatur in potentialitate naturæ; sic à contrario penetrabilitas fundatur in actualitate potentialitatem, atque adeò compositionem in ratione naturæ formaliter excludente. Ergo spiritualitas ex primâ suâ quidditate reduci debet in substantiam quà naturæ simplicitatem compositionis ex materiâ & formâ exclusivam, penetrabilitate instar proprietatis ad eam primùm consequente.

COROLLARIUM.

INfertur. Angelos secundùm naturam suam esse incorruptibiles. ex S. Thomâ *cit. q. 50. a. 5.* Ratio est. Nam alia est incorruptibilitas absoluta & positiva soli Deo conveniens, ac in eo se tenens, quòd cùm sit suum Esse subsistens, sitque adeò per Essentiam determinatus ad Esse, habeat ab intrinseco incorruptibilitatis formam positivè repugnantem cum omnimodâ mutatione. Alia Incorruptibilitas est Connaturalis & quasi Negativa, quatenus Ens aliquod nullum in se habeat corruptibilitatis principium intrinsecum, tametsi ipsius Esse à Primæ Causæ influxu receptum quoad conservari dependeat à liberâ Dei voluntate. Unde tale Ens in ordine ad Deum habet in se aliquod corruptibilitatis principium, quod nimirum est potentialitas in ratione subsistentis ac existentis. At hæc ipsa in ratione subsistentis potentialitas secum compatitur incorruptibilitatem connaturalem præcipuè radicatam in simplicitate naturæ. Probatur istud assumptum. 10.
Nam corruptionis in naturâ substantiali principium est materiæ potentialitas seu compositio ex materiâ & formâ. Ergo simplex substantia istam corruptionis radicem à se formaliter excludens eatenus dicitur negativè incorruptibilis, quatenus non habet in se corruptionis primum intrinsecum principium. Unde à Deo semel producta secundùm naturæ exigentiam petit æviternaliter conservari in rerum naturâ. Cùm igitur Angeli quoad naturam, licèt non quoad suppositum sint substantiæ simplices, consequenter dici debent substantiæ incorruptibiles.

CONTROVERSIA II.

Qualiter Angeli inter se distinguantur?

SUpponendum 1. Tantam esse Angelorum multitudinem, ut longè superet omnem corporū tam sublunarium, quàm superlunarium numerum. ex S. Thomâ *1. p. q. 50. a. 3.* D. Dionys. *cælest. Hierarch. cap. 14.* Ratio est. Quantò enim aliqua sunt magis perfecta, tantò in majori excessu sunt creata à Deo. At sicut in corporibus attenditur excessus secundùm magnitudinem, sic in rebus incorporeis attendi debet secundùm multitudinem. Videmus autem cœlestia corpora perfectione excedentia inter substantias materiales quasi incomparabiliter excedere corpora corruptibilia secundùm magnitudinem. Rationi igitur conveniens est, quòd substantiæ immateriales mul-

les multitudine excedant omnes simul existentes substantias materiales.

2. Supponendum 2. Hanc Angelorum multitudinem distingui in tres Hierarchias, Supremam, Mediam & Infimam. ex communi Theologorum sententiâ. Ratio est. Nam sub nomine Hierarchiæ intelligitur sacer principatus, seu Respublica sacra, collectio nimirum personarum Deo sacrarum sub uno principe. At inprimis collectio non tantùm Angelorum, sed & hominum constituens Ecclesiam tum Militantem, tum Triumphantem sub uno Principe Deo constituit commune aliquod regimen fundatum in Communione Sanctorum. Ex his igitur coacervatur aliqua Hierarchia, seu sacra Respublica, quæ licèt ex parte Principis nimirum Dei sit unica, ex parte tamen subditorum distinguitur inprimis in *Ecclesiasticam*, quæ per fidem in terris adhuc militat, & *Cælestem*, quæ per visionem beatificam triumphat in cælis. Quæ proinde cœlestis Hierarchia adhuc tripliciter est subdivisa ex eo, quòd sint aliqui Angelorum ordines, qui diversis licèt modis illuminentur immediatè à Deo circa Mysteria Divina extra Verbum cognita. Econtra alij ex civitatis Sanctæ Ierusalem civibus ita sunt divinitùs ordinati ad Ecclesiæ militantis cives gubernandos, ut non nisi mediantibus superioribus Angelis, non tamen supremis, percipiant divinas illustrationes, qui Infimum gradum hierarchicum constituunt, inter quos adeò & illos supremos mediant certi Angelorum ordines, qui ex illustrationibus supremorum Angelorum sibi communicatis condunt quasi leges, mediantibus quibus Angeli infimæ Hierarchiæ dirigant cives Ecclesiæ Militantis.

3. Supponendum 3. Quamlibet ex Angelicis Hierarchijs subdividi in tres Ordines, qui collectim sumpti conficiunt novem Angelorum Chores. Explicatur. Nam in primâ Hierarchiâ locantur Seraphim, Cherubim, & Throni. Inter quos Seraphini instruuntur à Deo Divinæ Providentiæ seriem in ipsâ bonitate Divinâ percipiendò ceu primâ ratione, ex quâ fluit Deitatis ad extra comunicatio. Ex quâ proinde Bonitatis divinæ contemplatione Seraphini exardescentes in amore divinorum mysteriorum cognitionem comunicant inferioribus, inflamando ipsos, ac succendendo in amoris erga Deum ardore. Quibus proximè succedunt Cherubini, qui à Deo illuminantur Divinæ Providentiæ dispositionem ac executionem perspiciendo in Dei sapientissimâ mente; quam illustrationem inferioribus communicantes purgant ipsos, perficiuntque Divinæ sapientiæ radio. Ultimo tandem loco inter supremos se tenent Throni, qui à Deo illustrantur divinæ Providentiæ dispositionem percipiendo in Dei executrice volitione. Cujusmodi illustrationem communicando alijs excitant ipsos ad obedientiam & reverentiam erga Deum, cujus Majestati adeò & in se ipsis & in alijs taliter præparant quasi Thronum.

4. Deinde Mediæ Angelorum Hierarchiæ Ordines distinguuntur in Dominationes, Virtutes & Potestates. Dominationes primum inter Angelos ministrantes tenendo ordinem, ex superiorum Angelorum illustrationibus disponunt, quid singuli infimi Ordinis Angeli facere debeant circa creaturarum regimen ac gubernationem. Virtutes custodiam habent super omnes naturas corporeas, secundùm D. Thomam *3. contra gent. cap. 80.* curando Cœlestium quoque Corporum motus. Ad quem proinde ordinem juxta Greg. Mag. *hom. 3. in Evang.* pertinent actiones miraculosæ, quæ contingunt in rebus corporeis, ut adeò Angelus præcedens populum Israeliticum *Exodi 23.* ad verba Moysis coram Pharaone signa faciens ad eundem sit reducendus ordinem. Potestates secundùm D. Thomam custodiunt totum genus humanum, arcendo etiam dæmones, ne illis infesti sint.

Denique Angelis infimæ Hierarchiæ eo ordine incumbit cura hominum, ut Principatus præsint Communitatibus, Regnis, ac Ecclesijs, Archangeli curam habeant personarum insignium, Regum, Episcoporum, ac Pontificum, Angeli verò teneant custodiam privatorum hominum. 5.

Quibus adeò suppositis, restat difficultas: *Utrùm singuli Angelorum differant specie, vel utrùm saltem possibilis sit plurium sub unâ infimâ specie Angelorum multiplicatio individualis.* 6.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

Scotus *in 2. dist. 3. q. 7.* Rada *par. 2. cont. 5. a. 5. in explan. subtil. Doct. conc. 6.* affirmant, sub eâdem specie atomâ posse plures Angelos esse. Fundamentum est. Quia omnis absoluta entitas, quantum est de se, communicabilis est pluribus. At quælibet natura Angelica est absoluta quidditas. Ergo est communicabilis pluribus. Major probatur, si enim alicui quidditati absolutæ repugnaret pluribus communicari, hoc non tam imperfectionis, quàm perfectionis esset: siquidem ejusmodi incommunicabilitas non inferiori corporeæ, sed superiori Angelicæ naturæ competeret. At naturæ incommunicabilitatem esse imperfectionem, dici non potest, cùm alioquin Natura Divina, quæ tribus Personis est communicabilis, includeret aliquid imperfectionis. 7.

Econtrario Thomistæ cum Angelico suo Doctore *præs. q. 50. a. 4.* negant, posse dari plures ejusdem speciei solo numero differentes Angelos. 8.

Conclusio.

Implicat Angelorum sub unâ infimâ speciei Individualis multiplicatio.

Probatur argumento S. Tho. Nam proprium individualis multiplicabilitatis est principium materia. Unde ea, quæ conveniunt specie, ac differunt numero, conveniunt in formâ, & distinguuntur materialiter. Atqui Angeli non sunt compositi ex materiâ & formâ. Ergo impossibile est, esse duos Angelos unius speciei. 9.

Dices. Fundamentum à nobis positum, quòd unica materia sit principium individualis multiplicabilitatis, seu numericæ distinctionis, non subsistere. Tum quia animæ separatæ sub unâ specie differunt numero. At non per materiam. Tum quia individuatio consistit formaliter in indivisione à se ac divisione à quolibet alio. At indivisio à se est ratio formalis unitatis, unitas verò est proprietas Transcendens Entis tã corporalis, quàm spiritualis. Ergo individuatio formæ non est per materiam, sed per transcendentalem 10.

dentalem Entis proprietatem seu unitatem, cum quâ inseparabiliter est connexa divisio à quolibet alio. Hæc verò divisio importat distinctionem individualem. Ergo ratio individualis distinctionis, atque adeò numericæ multiplicabilitatis non debet reduci in materiam, sed in intrinsecam cujuslibet Entis rationem.

11. Contra. Nam individuatio Formalis & Positiva cōsistit in subsistentiâ, seu Hæcceitate. Unde si quæ natura sit per seipsam determinata ad unā subsistentiā, non est numericè ac individualiter multiplicabilis. Atqui hæc naturæ ad unam subsistentiam determinatio alia est actualis, vi cujus natura est essentialiter suum Esse subsistens: quod soli Naturæ divinæ convenire potest. Alia proinde ad unam subsistentiam determinatio est radicalis, vi cujus Natura habens realem à subsistentiâ distinctionem non per se primò est Esse subsistens, in suâ tamen essentiali ratione, seu quidditate exigit determinatam sibi propriam Hypostasin. At istud proprium est naturæ com-

12. pletæ spirituali. Probatur istud assumptum. Subsistentia enim & consequenter existentia consequuntur ad formam. Hæc autem subsistentiæ perfectæ substantiam Primam in Esse *Quod* constituentis ex Formâ resultantia vel supponit, vel coexigit Formam in ratione Naturæ perfectam. Atqui alia forma in Esse Completæ Naturæ constituitur per compositionem cum materiâ: alia verò per se ipsam est substantia in ratione Naturæ simpliciter perfecta & completa, cujusmodi ex quidditate suâ esse Naturam Angelicam, supra demonstravimus. Est autem istud discrimen inter hæc duo Formarum genera: quòd Forma cum materiâ componibilis in hâc supponat aliquas dispositiones (adeò quantitatem, ut vocant, signatam) ut sic materiæ determinativas ad certam formam. Sicut igitur forma ejusmodi non nisi mediantibus dispositionibus determinatur ad hanc Naturam unà cum materiâ constituendam, sic mediantibus ejusmodi dispositionibus fit Formæ in materiâ determinatio ad istam subsistentiam seu Hypostasin ex se quà materiæ informativâ pullulantem. Unde ejusmodi dispositio sive qualitas signata est in substantiâ corporeâ proximum Hypostasis sive Individuationis Principium.

13. At eo ipso, quòd istæ dispositiones supponant potentialitatem materiæ ex se indifferentem ad diversas respectu Formarum ejusdē alioquin speciei dispositiones, sequitur, quòd Formæ in materiâ receptibiles debeant in se habere diversarum Hypostasum radicale Principium. Consequens proinde est, formæ receptibili in materiâ eo ipso convenire aliquam determinabilitatem ad diversas pro qualitatis seu materiæ signatæ sive dispositionum varietate Hypostases. Hæc autem ad diversas Hypostases determinabilitas, uti per se patet, est hoc ipso multiplicabilitatis individualis Principium radicale. Ergo individualis multiplicabilitatis radix reduci debet ad formæ in materiâ receptibilitatem.

14. Econtra forma, quæ per seipsam Essentialiter in ratione naturæ Completa est ut sic irreceptibilis, per seipsam habet immediatam connexionem cum Hypostasi ex se emanante. Naturæ enim quà completæ est intrinseca ad Hypostasin determinatio. Atqui Naturæ determinatio est ad unum. Ergo ejusmodi natura, atque adeò Forma Angelica per se in ratione Naturæ Completa est ab intrinseco determinata ad unā Hypostasin. Atqui individualis multitudo est secundùm Hypostases. Ergo eo ipso, quòd Forma Angelica in se quoad rationem Naturæ Essentialiter Completa sit ab intrinseco irreceptibilis, sequitur, repugnare Numericam Angelicæ substantiæ sub unâ Naturæ specie multiplicabilitatem.

Unde patet discrimen inter Angelicam Naturam, & formam rationalem separatam, hæc enim cùm sit receptibilis in materiâ, est consequenter per varias quantitatis signatæ dispositiones determinabilis. Hæc autem determinabilitas eo ipso infert formæ rationalis in statu etiam separationis indifferentiam ad diversas licèt pro illo statu incompletas subsistentias. Patet etiam, falsum esse, quòd adversarij prætendunt, individuationem scilicet consistere in unitate Transcendentali, hoc enim procedit solummodò de individuatione Incompletâ, & Negativâ, non verò de Completâ & Positivâ Primæ præsertim substantiæ: cujus multiplicabilitas ex potentialitate ad diversas Hypostases, atque adeò per formæ in materiâ receptibilitatem adstruenda est. 15.

Responsio ad Opposita Argumenta.

AD Scotistarum *n.7.* oppositum fundamentum Respondetur. Aliam esse communicabilitatem Esse purè subsistentis sine aliquâ sui utpote ultimam in ratione Essentiæ & Naturæ Hæcceitatem Formaliter importantis multiplicabilitate. Ejusmodi verò Communicabilitatem summæ perfectionis esse soli divinæ Naturæ propriam. Aliam verò esse quidditatis absolutæ communicabilitatem cum aliquâ sui in Esse Naturæ multiplicabilitate. Hanc verò reduci in formæ in materiâ receptibilitatem, atque adeò involvere imperfectionem Naturæ Angelicæ repugnantem. 16.

Instabis ex Radâ *cit. cont. 6. art. 3.* Omnem naturam, quæ de se non est actus purus, posse determinari aliqua Entitate positivâ. Cùm igitur Natura Angelica non sit actus purus, sequi, posse hanc ad Esse determinari Entitate aliquâ, nimirum Hypostasi à se distinctâ, posseque adeò in suâ specie plurificari. 17.

Respondetur. Aliam esse determinationem Formalem in actu secundo, aliam verò esse determinationem formæ in actu primo ad determinatam Entitatem ex se pullulantem. Sic enim substantia ignis creata non per se formaliter quoad secundum causalitatis formalis actum est determinata in ratione calidi seu sicci, licèt in actu primo ex suâ Essentiâ sit determinata ad istas proprietates ex se pullulantes. Pari ergò ratione Naturam Angelicam, cùm non sit actus purus, non esse formaliter per se in ratione actualis denominationis, seu quà causalitatis formalis determinatā ad Esse Hujus, sive ad Hæcceitatē & subsistentiā, etsi ob sui in materiâ irreceptibilitatē sit ex suâ quidditate determinata ad hanc Hypostasin ex se emanantem, quæ omnis plurificabilitatis ita est formaliter exclusiva, ut consequenter Natura taliter determinata in ratione suppositi formaliter, in ratione verò Naturæ radicaliter sit per Essentiam suam immultiplicabilis. 18.



ARTICULUS II.

De

Angelorum Loco, Motu, Duratione & Operatione ad extra.

NEgabant nonnulli antiqui Philosophi, Intelligentias esse in loco. Verùm istam opinionem hæreticam dicit S. Thom. *in 1. dist. 37. q. 3. a. 1.* siquidem S. Scriptura asserat, Angelos venisse ad Abram & Loth. *Gen. 18. & 19.* Item Angelos ascendisse de Galgalis ad locum flentium. *Jud. 2.* Et *Apoc. 12.* Non esse inventum locum eorum (Diaboli scilicet & Angelorum ejus) ampliùs in cælo.

CONTROVERSIA I.

Qualiter Angeli sint in Loco?

1. TRes hâc de re sunt Doctorum sententiæ 1. Scoti *in 2. dist. 2. q. 6.* & aliorum tenet: Angelum esse in loco Formaliter per suam præcisè substantiam, Causaliter vero per suam voluntatem. Fundamentum est. Nam substantia Angeli in ordine ad locum per se ipsum habet id, quod quantitas in corporibus. Hæc autem per seipsam immediatè est in loco. Ergo per hoc solum, quod Angeli substantia per suæ voluntatis applicationem ordinetur ad aliquem locum, est per seipsam ut sic in tali loco.

2. 2. Suarezij *lib. de Angelis. c. 2. & 3.* aliorumque Recentiorum opinio habet, quòd Angeli sint in loco per aliquam formam sibi superadditam, antecedenter ad eorum operationem, quæ forma sit Ubi in substantiis eorũ immediate receptum, tanquàm formalis in loco existendi ratio. Fundamentum à Francisco de Lugo *in 1. p. lib. 3. disp. 5. c. 3.* deductum est. Nam inter Angelum & corpus datur vera distantia & indistantia. At ista indistantiæ ratio non tantùm ex parte corporis, sed etiam ex parte Angeli importat formam aliquam superaditam: siquidem Angeli mali debuerint esse in cælo, tanquàm loco suo, quin istud amiserit suam realem præsentiam. Oportet igitur, ex parte Angelorum perditam esse aliquam formam, ut sic verificetur, non esse amplius inventum eorum locum in cælo.

3. 3. Thomistarum sententia est, quòd Angeli existant in loco per contactũ virtutis. In quo tamen virtutis contactu explicando videntur nonnihil dissidere, Salmanticensibus *tract. 7. de Angelis. disp. 2. dub. 5. assert. 2.* affirmantibus, consistere in ipsa formali Angeli circa corpus operatione. E contra Cajetano *1. p. q. 52. a. 1.* asserente, contactum illum formaliter importare applicationem virtutis ad operandum ex aliquo corpore.

CONCLUSIO.

ANgelus est formaliter in loco per suam in hoc operationem. Ita S. Thomas *in 1. dist. 37. q. 3. a. 3.* asserens: Angelum, & quamlibet substantiam spiritualem non posse esse in corpore, nisi per operationem, quæ effectum aliquem in eo causet.

Probatur. Nam Angeli ad locum corporeum præsentia non est Ubi circumscriptivum loci ac extensionis legibus subjectum, sed loco superius est. Unde per illam Angelus non continetur seu mensuratur corpore locante, sed potiùs continet corpus, non quidem secundùm Esse substantiæ, sed secundùm aliquam accidentalē impressionem: sicuti de divinâ etiam præsentiâ habemus ex sacris Litteris, quòd Deus ex vi talis præsentiæ contineat omnia, & portet Verbo virtutis suæ. At ejusmodi continentia importat aliquam Causalem in loco operationem, quæ vel ipsius intimi Esse, velut ex parte Dei, sit sustentativa, vel alicujus saltem accidentalis immutationis in re locante sit effectiva. Oportet igitur, præsentiam Angeli sitam esse in tali operatione, non ipsũ locorum Esse substantiale, sed immutationem aliquam accidentariam causante. 4.

5. Dices. Angelum antecedenter ad operationem circa corpus aliquod efficiendam præsupponi debere huic præsentem.

6. Contra: Nam alia præsentia Angeli est completa, alia verò incompleta. At ista importat talem virtutis Angelicæ contactum, ut per practicum intellectûs judicium, & voluntatis ipsius expeditionem sufficienter sit applicata virtus Angeli ad operandum in aliquo loco. Hæc proinde incompleta virtutis Angelicæ ad corpus contactum in actu primo importans præsentiam præsupponitur quidem ad actualem operationem, ut tamen substantia Angelica non intelligatur completè collocata in aliquo loco, nisi ex hujus passivâ potentiâ eliciat actualem aliquam operationem. Ratio est. Quia Angelus cum careat quantitate, nequit esse in loco per quantitativam commensurationem. Ergo per commensurationem duntaxat virtutis agentis ad passum. At ista commensuratio in actu secundo importat ut sic tum actionem, tum passionem. Ergo non est præsentia Angeli in actu secundo quà completa, nisi prout importat actualem virtutis suæ in passo operationem. 7.

8. Instabis. Angelos malos esse à Deo alligatos ad ignem infernalem tanquam locum suum violentum. Atqui Angelos non agere in ignem, sed pati ab isto. Ergo præsentiam Angeli stare posse sine Virtutis suæ in corpus actione.

9. Contra. Nam alia præsentia Angeli est connaturalis, alia verò præternaturalis. Ejusmodi verò est Dæmonum ad ignem infernalem alligatio, consistens in passione ab hoc igne tanquàm Dei instrumento impressâ Angelicæ substantiæ. Etsi proinde præter sive supernaturalis Angeli præsentia consistere possit in passione à corpore receptâ, eo ipso tamen, quòd Angelica substantia non sit naturaliter mobilis à corpore, nequit connaturalis Angelorum præsentia consistere nisi in actione corpori impressâ.

Respon.

Responsio ad Opposita Argumenta.

AD Scoti *n. 1.* oppositum Respondetur. Quidquid de hoc sit, an ubi quantitativũ sit entitas à quantitate realiter distincta, oportet saltem Angelicæ substantiæ ad corpus præsentiã ponere in commensuratione virtutis activæ ad passum. At ista commensuratio in actu primo remoto importat Angeli virtutem ad extra motricem, in actu autem primo proximo importat ejusdem virtutis cum loco contactum quoad sui mediante judicio practico applicationem. In actu denique secundo importat prætactæ virtutis contactum in ipsâ operatione corpori locanti impressâ perfectum & completum.

11. Ad Francisci de Lugo *n. 2.* oppositum Respondetur. Illo rectè probari, quod ratio indistantiæ in Angelo ad corpus comparato importet formam ab ejus substantiâ distinctam, quæ tamen sita sit in commensuratione non quantitativâ, sed virtuali. Unde formaliter importat tum applicationem virtutis Angelicæ ad passum, tum actualem Angeli in corpus operationem. Et hinc Angelorum non est ampliùs in cælo inventus locus, quòd in hoc connaturalem lucis effectricem virtutem ampliùs exercere non possint. De cujusmodi Angelorum virtute S. Thomas *in 1. dist. 37. q. 3. a. 1. in corp.* disserit.

COROLLARIUM.

12. INfertur 1. Cuivis Angelorum limitatum quidem locum designari, intra hujus tamen sphæram pro libitu posse existere in indivisibili puncto, seu majori spatio. ex S. Thomâ *præs: q. 52. a. 4.* Ratio est. Tum quia Angeli virtus est finita. Ergo operatio, per quam Angelus est in loco, non potest non esse coarctata, quæ ratio est, cur Angelus definitivè, non immensè per operationem suam instar Dei dicatur esse in loco. Tum quia virtutis Angelicæ nulla est dependentia ab extensione corporis, in quod agit. Ergo ejus effectus ad quamlibet corporis partem sphæræ suæ commensuratam, imò ad punctum etiam indivisibile terminari potest.

13. Infertur 2. Angelum non posse naturaliter simul existere in pluribus locis adæquatis, sed supernaturaliter. ex S. Thomâ *cit. a. 2.* Ratio est. Quia locus adæquatus est sphæra determinata, intra quam Angelica virtus potest pro uno tempore suam exercere operationem. At quia hæc Angeli virtus finita est, non extendit se ultra determinatos in corporibus producendos effectus. Nisi ergo Deus hanc Angeli virtutem augeat per supernaturalem elevationem, nequit operari ultra locum ex naturæ ac virtutis suæ finitæ limitatione sibi determinatum, atque ut sic adæquatum.

14. Infertur 3. Qualiter Angelus possit esse in duobus locis inadæquatis. Nam ejusmodi loci inadæquati dupliciter possunt se habere; primò ut ambo sint intra sphæram activitatis Angelicæ. Secundò, ut alter locorum sit extra sphæram Angeli. v. g. si sphæra Angeli alicujus sit totum spatium hujus Cænobij, quæstio est, an possit operando simul existere in templo, & in isto conclavi, quin operetur in locis intermedijs; vel si in unicâ hujus Cænobij parte operetur, possit extra sphæram suam operari in altero loco inadæquato, per unam v. g. leucam hinc distante. In quo affirmat cum alijs Labat *tract. 3. in 1. p. disp. 1. dub. 7. §. 1.* Angelis inesse virtutem in locis etiam discontinuis operandi intra, non tamen extra suã sphæram. Verùm hoc ipsum Ioanni à S. Thomâ *præs. disp. 20. a. 3. n. 21.* videtur difficile, quòd Angelus nimirum naturaliter possit intra suam quoque sphæram discontinuare locum. Cujus ratio est, quòd natura agentis limitati videatur exigere, ut operando per unicam suam virtutem non nisi unicâ operatione operetur, nec possit adeò unum agens plures elicere operationes, nisi istæ vel sint subordinatæ, vel promanent à diversis potentijs. At si Angelus in pluribus sphæræ suæ partibus discontinuis operetur, tunc ab unicâ ipsius virtute simul emanarent plures non subordinatæ operationes. Unde si quando unus Angelus eodem quasi momento occidit exercitum Senacherib *Isaiæ 37.* Author citatus *n. 25.* ait, non constare id factum esse simultate instantis physici, & operationis, sed simultate brevissimi temporis per maximam virtutis Angelicæ celeritatem. 15.

Infertur 4. Plures posse simul existere in eodem loco materiali, non autem Formali. ex S. Thomâ *præs. q. 52. a. 3.* Ratio est. Nam locus materialis dicitur corpus aliquod Entitativè spectatum, in quo Angelus operatur. Formalis verò locus vel est ipse contactus Angelicæ virtutis in corpore operantis, vel est corpus, quatenus subest tali contactui seu operationi. At licèt non repugnet, plures Angelos simul applicare suas virtutes ad diversos in uno corpore effectus producendos: sic enim *Marci 5.* Legio dæmonum unius hominis corpus occupans in eâdem corporis parte varios producebat effectus diversimodè illum hominem vexando. Nihilominùs repugnat, plures Angelos tanquàm causas totales operari eundem in uno corpore effectum, tametsi ut Causæ partiales concurrere possint ad ejusdem numero totalis effectûs productionem. Possunt igitur plures Angeli existere in uno loco materiali, non tamen formali nisi partialiter. 16.

CONTROVERSIA II.

Qualis sit Angelorum motus?

SUpponendum 1. Angelis convenire verum motum localem, juxta illud *Exod. 14. Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos.* Et *Math. 28. Angelus autem Domini descendit de cælo.* 1.

Supponendum 2. Hunc Angeli motum consistere in operatione partim immanente, partim transeunte. Nam terminus motûs est Præsentia localis. Hæc autem in Angelo non est Ubi intrinsecum in ejus substantiâ receptum per modum commensurationis ad corpus locans, seu ad puncta cæli, sed est operatio, per quam fit Angelicæ virtutis ad corpus contactus realis & physicus. Ejusmodi verò Angeli ad extra operatio importat tum passivam in corpore immutationem, tum in ipso imperium intellectûs, & applicationem voluntatis. D. Thomâ *opus. 11. a. 3.* asserente: Angelum movere cælum, seu operari ad 2.

ad extra per imperium intellectûs. Ergo Angeli motus nunquam stat sine intrinsecâ sui quoad operationem immanentem mutatione.

Supponendum 3. Nullam esse difficultatem
3. in eo, quin motus Angeli possit esse continuus per corporis quantitativi contactum nullis temporum morulis interruptum. Nec difficultatem esse, quin eâ ratione possit esse discretus, ut Angelus circa corporis alicujus partes quantitativè extensas operando, successivè se moveret tum per morulas, tum per mutationes instantaneas temporum morulis interruptas, tum per mutationes temporaneas quibusdam instantaneæ quietis morulis discontinuatas.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

4. QUare difficultas est 1. *Utrùm Angelus possit moveri de loco ad locum dissitum, non transeundo per medium*; Etenim sententiam Negativam tradunt D. Bonaventura *in 1. dist. 37. p. 2. a. 2. q. 2.* & Scotus *in 2. dist. 2. q. 12.* Fundamentum est. Si enim Angelus ab uno extremo ad aliud moveretur non transito medio, sequeretur, dari duo instantia immediata, scilicet instans, quo Angelus immediatè est in isto loco, & instans, quo sine motu invenitur continuò in alio loco. At consequens illud videtur absurdum. Ergo & antecedens,

Ex opposito affirmat Cajetanus *1. p. q. 53. a. 3.* Vasquez *hic disp. 146. cap. 2.* & alij.

5. 2. Difficultas est. *Utrùm motus Angeli in spatio divisibili possit fieri in instanti?* Affirmat cum Scoto & alijs Suarez *præs. lib. 4. c. 20. & 21.* Fundamentum est. Motus enim nihil aliud facit, quàm loci acquisitionem. Atqui Angelus simul & in instanti acquirit totum locum ex parte termini ad quem. Ergo motus ejus est in instanti. Minor probatur. Nam in toto motum antecedente instanti Angelus neque movetur, neque disponitur ad motum, sed manet sub priori loco, sine voluntate transeundi ad alium determinatum locum. Quo enim instanti hanc utpote efficacem voluntatem habere incipit, jam est in alio loco. Ergo non est intelligibile, quòd Angelus moveatur nisi in instanti, in quo volendo incipit hoc ipso priorem locum deserere, & alium à se intentum acquirere.

Ex opposito D. Thomas *præs. q. 53. a. 3.* negat, Angelum posse motu vel continuo, vel discreto moveri in instanti.

Conclusio I.

ANgeli motus discretus, non autem continuus potest esse ab uno ad alium dissitum locum, quin medium pertransiri debeat. ex S. Thomâ *cit. q. 53. a. 2.*

6. Probatur. Nam corpus ideo non posset nisi transito medio moveri de loco in locum, quia præsentia ipsius localis est secundùm commensurationem loci. Hinc enim cùm terminus motûs sit præsentia localis, sequitur, quòd sicut ista præsentia in corpore est secundùm extensionem loci quantitati commensurata, sic & motus localis corporis sit affixus divisibilitati ac extensioni corporis locantis, cujus adeò partes debeat successivè pertransire. At secus est in Angelo, cujus præsentia non est secundum commensurationem quantitativam, sed secundùm virtutis contactum. Hic verò contactus est secundùm imperium intellectûs, & liberam voluntatis applicationem, nec adeò subjicitur legibus loci. Unde pro libertate suâ potest Angelus alicui ex toto universo substantiæ corporeæ se applicare ad aliquid in eâ operandum sine ullâ sui a spatio dependentia. Nec adeò Angelus in cælis constitutus ut operando in terris se alicui sublunari corpori localiter uniat, opus habet operari in substantijs intermedijs. Ergo Angelicæ substantiæ connaturale est, ex uno extremo, non pertransitis spatijs intermedijs, transire posse ad alterum extremum.

Dices. Ex hoc inferri, tum quòd detur actio in distans, tum quod ob paritatem rationis motus Angeli non tantùm discretus, sed etiam Continuus posset fieri de extremo ad extremum sine transitu per medium. 7.

Contra. Tum quia Angelus applicando suam virtutem ad aliquod passum non est jam distans. Atqui Angelus ad quodvis corpus sibi intelligibiliter præsens potest per voluntatem suam velle suæ virtutis applicationem, sibique adeò corpus ejusmodi indistans facere incompletè quidem per Imperium intellectûs, completè verò per ipsam ex hoc imperio transeuntem passo impressam operationem. Tum quia motus Angeli importat tum operationem immanentem voluntatis, & intellectûs practici, tum transeuntem mutationis passo impressæ operationem. Atqui continuitas motûs ut sic se tenet formaliter ex parte istius transeuntis operationis, quæ utpote recepta in corpore subjicitur hujus legibus, secundùm quas continuitas motûs importat ordinem prioris & posterioris in magnitudine loci seu spatij, veluti ex Aristotele tradit S. Doctor *citatus*. Consequens igitur est, motum Angeli continuum, ratione operationis transeuntis in corpus, ad quod fit Angeli præsentia, non posse esse ab uno extremo ad aliud nisi transito medio, secundùm prioris & posterioris ordinem fundatum in magnitudine spatij seu corporis locantis. 8.

Conclusio II.

REpugnat, motum Angeli fieri in instanti, tametsi Angelus per mutationem simplicem possit in instanti acquirere aliquem locum toti sphæræ suæ se instantaneè applicando. 9.

Probatur. Hoc enim est discriminis inter motum & mutationem, quòd ille, non hæc importet aliquam successionem. At implicat successio in instanti. Ergo implicat, motum etiam Angelicum esse instantaneum.

Dices. Eo ipso, quòd Angelus sit in loco per contactum suæ virtutis, & per operationem suâ, sequi, posse Angelum desistendo ab omni operatione manere sine loco positivo, & actuali, veluti tradit S. Thomas, *in 1. dist. 37. a. 1. ad 4.* At in tali casu posset Angelus per unam simplicem mutationem in instanti, ad quem vellet locû, applicare se diffundendo per totam suam sphærâ mediante corporis locantis mutatione alterativâ quoad 10.

quoad omnes suas quantitativè extensas partes. Hæc autem mutatio haberet mutationem motûs. Ergo potest dici motus Angeli instantaneus.

11. Contra. Nam sicut lucis per aerem diffusio, cùm in instanti secundùm Extensionem licèt quantitativam fiat, non formaliter, sed tantùm præsuppositivè secundùm motûs orbium cœlestium præsuppositionem denominari potest motus: sic illa corporis, ad quod Angelica operatio in instanti se diffundit, mutatio quantitativè licèt extensa, nec formaliter nec causaliter dici debet esse motus.
12. Probatur ratione per Angelicũ Doctoré *cit. q.53. a.3.* deductâ. Impossibile enim est, dari motũ, si mobile toto antecedente tempore quievit. At in casu prætacto mobile toto antecedente tempore quievisset, utpote subsistens absque omni sui per Angelum mutatione. Ergo illa mutatio non esset motus. Minor patet. Major autem probatur. Non enim est motus, si res in primo sui fieri instanti jam sit in facto esse. At si mobile toto antecedente tempore quievit, tunc effectus in tali mobili productus jam est in facto esse, ita ut antecedenter secundùm nullam sui etiam dispositivam formalitatem fuerit in fieri. Unde in ejusmodi mutatione nulla est quoad fieri successio temporis vel instantium. Non igitur est aliquis motus Angeli, nisi pro diversis instantibus secundùm aliquam temporis saltem discreti successionem, veluti in sequenti Corollario deducetur.

Responsio ad opposita Argumenta.

13. AD Fundamentum ex parte primæ Difficultatis *n. 4.* oppositum Respondetur. Non esse absurdum in Angelis, eorumque motibus seu operationibus admittere plura immediata instantia, quæ faciant tempus Angelicum à nostro tempore ex hoc distinctum, quòd istud continuum sit, illud verò discretum, ut in præcitato corollario dicetur.

14. Ad Fundamentum ex parte secundæ difficultatis *n. 5.* oppositum Respondetur. Acquisitionem loci in Angelo quandoque esse instantaneam, quandoque verò successivam. Potest enim Angelus voluntatis suæ applicatione liberâ efficaciter se transferre ad locum, quem voluerit in toto Universo. Hæc autem ad locum translatio aliquando fit cum successione quorundam instantium Angelicorum, in quorum uno Angelus virtutis suæ contactum ad istud corpus, vel corporis partem, in altero verò ad aliud corpus, seu corporis partem exercet. Tunc igitur acquisitio loci ejusmodi utpote successiva habet rationem motûs. Quandoque verò Angeli substantia, dum priùs vel nullum pro libertate suâ exercendo ad corpus aliquod virtutis suæ contactum, vel hunc per aliquod Angelici temporis spatium in uno determinato corpore continuando manserat in quiete, postmodùm instantaneè se transfert ad locum aliquem, sive proximũ sive remotum. Quare tunc acquisitio loci ejusmodi utpote unico constans instanti, non habet rationem motûs, sed instantaneæ mutationis.

COROLLARIUM

De Tempore ac Duratione Angelorum

INfertur 1. Duplicem Durationis operatio- 15.
num Angelicarum esse mensuram Extrinsecam. Una est secundùm nostrum intellectum aliqualiter mensurantem Angelicas operationes sive immanentes sive transeuntes per tempus nostrum situm in motu Primi mobilis. Altera est secundùm intellectum Angelicum: sicut enim Angeli Primi coæva intellectio est mensura Extrinsecè mensurans intellectionum, quas habent inferiores Angeli; sic ejusdem Primæ Intelligentiæ volitio libera instantanea potest esse mensura, per quam aliquis Angelus suo intellectu metitur alterius Angeli operationes.

Infertur 2. Tempus Angelicum non instat 16.
nostri consistere in motu continuo, sed esse discretum ex pluribus Angelicis operationibus conflatum. Ratio est. Nam duplex est Angelicæ operationis genus. Alterum est coævum substantiæ Angelicæ, habens sui permanentiam immobilem; veluti sunt Intellectiones Angelicæ Intelligentiæ connaturales & congenitæ, quæ proinde mensurantur æviternitate, uti *superius q. 3. a. 5 coroll. 2.* docuimus. Alterum est transmutabile, cujusmodi sunt Intellectiones volubiles, ac liberæ Angelicæ volitiones quarum singulæ faciunt unum instans, collectim verò conflant tempus Angelicum.

Hinc 3. infertur. Sicuti respectu nostri, sic re- 17.
spectu Angelicarum operationum aliud tempus esse intrinsecum, aliud verò Extrinsecum. Nam respectu nostri Extrinsecum tempus est motus Primi mobilis, Intrinsecum verò est intrinsecus corporis nostri motus alterativus: nam continua primarum qualitatum in nobis pugna & alteratio est illud intrinsecum tempus nostrum, cujus termini ita sunt nobis à Deo constituti, ut præteriri non possint, sed prout temperamenti nostri alterativa defectio est Divinitùs præordinata, sic hoc intrinseco tempore nostro sive temperamenti intra naturæ debitos terminos continuò agitati consistentiâ effluente, mors tandem succedet. Pari quodammodò ratione potest Intellectus Angelicus operationes suas liberas & volubiles sive transeuntes sive immanentes mensurari per Angeli superioris volubiles actiones, è quibus tanquàm instantibus Angelicis ita conflatur tempus Discretum Angelicorum motuum mensurativum, ut illæ ipsæ tamen Angelicæ operationes per propriam suæ Durationis mensuram sibimet sint tempus Intrinsecum.

CONTROVERSIA III.

Qualis Angelorum sit ad extra operatio?

SUpponendum. 1. ex S.Thomâ *1. p. q. 110. a. 2.* 18.
& unanimi Theologorum consensu, Angelos naturali suâ virtute non posse substantiam producere. Probatur ex Concilio Ancyrano *in cap. Episcopi 26. q. 5.* hisce verbis relato. *De Domino nostro*

ſtro ſcriptum eſt, omnia per ipſum facta ſunt. Quiſquis ergo credit, poſſe fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut deterius immutari, aut transformari in aliquam ſpeciem vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo Creatore, proinde infidelis eſt. In quo Decreto eliminatur Dæmonum per aliquos aſſerta potentia ad faciendas extraordinarias immutationes. Cùm igitur virtus naturalis ſecundùm Divinum Dionyſium non ſit imminuta in Angelis Apoſtatis, conſequenter dici debet, non eſſe Angelis virtutem ſubſtantiarum tranſmutativam.

2. Supponendum 2. ex D. Thomâ *citato ad 2. & 3.* Angelos poſſe per applicationem cauſarum naturalium efficere, quidquid per ejuſmodi cauſas factibile eſt. Tum quia Angeli omnium naturalium cauſarum vires cognoſcunt. Ergo quaslibet naturales virtutes eo modo inter ſe conjungere poſſunt, quomodo in ordine ad certos effectus producendos natura facere conſuevit. Tum quia in corporibus movendis vel maximè expediti ſunt Angeli, unde poſſunt quàm celerrimè cauſas naturales taliter attemperare, ut quàm citiſſimè producatur effectus excedens omnem humani ingenij captum. Hinc inprimis Dæmoni, cùm noverit, quâ attemperatione cauſarum naturalium opus ſit ad producendum aurum, ipſi non eſt difficile per artem alchimiſticam efficere aurum. Deinde cùm morbum cujuſvis hominis intimè penetret, noveritque quarumlibet rerum vires, ipſi perfacile eſt, conficere medicinam talis morbi certò expulſivam. Denique cùm ſciat, per quas cauſas poſſint è terrâ & aquâ extrahi exhalationes, atque vapores, quantâve exhalationum copiâ abundet aer, quàm celerrimè poteſt vaporum ac exhalationum copiam excitare, congregare, ac elevare ad mediam aëris regionem, ex ijſque poſtmodum tempeſtates, fulgura & tonitrua efficere. Econtra verò, quia dæmon nihil in rebus corporeis efficere poteſt niſi per applicationem cauſarum naturalium: nequit producere effectus miraculoſos totius naturæ creatæ virtutem ſuperantes. Unde quia hominis in beſtiam, ſeu beſtiæ in hominem tranſmutatio præſertim momentanea naturæ vires excedit, dæmon per faſcinationem ſolùm apparenter tranſmutat ſagas in lupos, & ſimilia animalia.

3.

4. Supponendum 3. Potentiam locomotivam in Angelis non diſtingui realiter ab intellectu & voluntate. Probatur tum authoritate S. Thomæ *1. p. q. 70. a. 3. & q. 16. de malo a. 1. ad 14.* aſſerentis: *Angelum movere corpora ſolo imperio voluntatis.* Unde Ariſtoteles *12. Metaph. textu 41.* ait; *Intelligentias movere cælos tanquam intelligentes, ac deſiderantes.* Tum ratione, ſi enim potentia loco motiva in Angelo diſtingueretur ab intellectu & voluntate, tunc ſpecificaretur ab operatione, per quam fit in Angeli in corpore aliquo locatio. Ex hoc autem ſequeretur, ejuſmodi potentiam ſpecificari à termino materiali. Unde non eſſet purè ſpiritualis. Atqui Angelicæ utpote ſpirituali naturæ nulla convenit potentia niſi immaterialis. Nequit ergo potentia locomotiva eſſe diſtincta ab intellectu & voluntate.

Quibus adeò ſuppoſitis, Doctores concertant, *Utrùm Angelus propriâ ſuâ virtute non motum duntaxat localem, ſed alias immutationes accidentales efficere poſſit?*

Referuntur Sententiæ Doctorum.

Affirmat Avicenna relatus à D. Thomâ *3. cont. Gent. c. 13.* quòd natura corporea ad formas accidentales v. g. calorem & ſimiles qualitates poſſit ab Angelis immutari, non applicando cauſam duntaxat paſſo, ſed propriâ Angeli virtute proximâ operante. Fundamentum eſt. Nam faſcinatio fit ſolâ virtute imaginationis faſcinantis. At per faſcinationem fit mutatio qualitatum in faſcinato. Ergo cognitio & volitio Dæmonis Angeli faſcinantis ſe ſolâ ſine cauſarum naturalium applicatione poteſt eſſe cauſa alicujus formæ accidentalis in faſcinato effectæ. 5.

Econtra Franciſcus de Lugo *præs. diſp. 3. cap. 2. n. 15.* cum Theologis a ſe relatis negat, poſſe formam aliquam accidentalem præter motum localem in corporibus produci ab Angelo. Fundamentum eſt. Quia nullum habetur ſufficiens argumentum ad virtutem formæ etiam accidentalis è ſubſtantiâ corporeâ eductricem in Angelo adſtruendam. 6.

Mediam ſententiam tenent Thomiſtæ diſtinguentes duos qualitatum ordines, ſcilicet Phyſicarum, cujuſmodi ſunt primæ qualitates ac ſecundæ ex illis ortæ; & Intentionalium, cujuſmodi ſunt motiones Inſtrumentariæ per Entia ſuperiora inferioribus impreſſæ. Cui ſententiæ conformiter Ioannes à S. Thomâ *præs. diſp. 20. a. 2. n. 10.* docet, Angelos poſſe in corporibus producere lucem, non tamen alias alterativas qualitates, ut frigus, niſi applicando activa paſſivis: eò quòd lux magis pertineat ad qualitates intentionales, quàm qualitates Elementales. 7.

Conclusio.

Videtur, vix poſſe negari, quòd Angelis inexiſtat virtus immediata ad Lucem phyſicè producendam.

Probatur Argumento per Ioannem à Sancto Thomâ deducto. Nam inprimis pro hâc concluſione videntur ſtare teſtimonia S. Scripturæ, quibus aſſeritur, aliqua loca ſenſibiliter illuminata fuiſſe ab Angelis. *Act. 12. Angelus Domini adſtitit, & lumen refulſit in habitaculo.* Et *Lucæ 1. Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* Item *Math. 28. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur.* Deinde dicitur de Beatis *Apocap. 12.* quòd afferent gloriam ſuam & honorem in illam, id eſt, civitatem cæleſtem. Ergo multò magis Angeli luce à ſe emanante glorioſiſſimam efficiunt illam cæleſtem habitationem. Ex quâ proinde luce non improbabile eſt, fluere cæli Empyrei in corpora inferiora influentias aliquas; ut adeò Sanctus Thomas *1. p. q. 66. a. 3. ad 2.* dixerit. Licèt cœlum Empyreum immobile ſit locali motu, tamen aliquid influere in hæc inferiora, atque id pertinere ad ſupremi hujus corporis dignitatem. 8.

Reſpon-

Responsio ad Argumenta ab initio opposita.

7. AD n. 5. oppositum Avicennæ argumentum Respondetur ex D. Thomâ 1. p. q. 111. a. 3. Fascinationem fieri à dæmone in phantasiâ nostrâ, non per immediatam phantasmatum productionem; sed quatenùs dæmon virtute suâ locali, vel per summam celeritatem objicit objectum aliquod sensibile, vel in vi Imaginativâ hominis fascinati movet ac excitat Spiritus seu humores, mediante quorum commotione fit excitatio specierum ac phantasmatum repræsentantium objectum aliquod sensibile.

Ad Francisci de Lugo n. 6. oppositum Respondetur. De luce saltem adstrui fundamentum sufficiens pro virtute ipsius effectrice in Angelo asserendâ.

COLLORARIUM

De Virtute & operatione Angelorum in corporibus assumptis.

8. INfertur 1. Angelorum in aliquo corpore apparitiones posse tripliciter fieri. *Primò* secundùm internam duntaxat Imaginationem. Etenim Angeli possunt præstigijs immutare hominum sensus, objiciendo Imaginationi ipsorum corporis alicujus figuram, vel aliquas in phantasiâ species excitando: veluti lamijs frequenter contingere creditur, ut delusæ à dæmonibus ad varia putent loca se deduci, ibique permulta conspicere.

Secundò. Per proprij alicujus corporis assumptionem, velut S. August. 14. *de Civit.* 11. existimavit, serpentem, sub cujus specie allocutus est Evam dæmon, fuisse verum animal. *Tertiò*. Per corporis ex aëre formati assumptionem. Etenim aër, & vapor medijs agentibus naturalibus facilè nonnihil condensatur, condensatus autem potest colorari ac figurari, veluti patet in nubibus, quæ ex luminis irradiatione varios subinde præseferunt colores ac figuras. Verisimile proinde est, Angelos efformare corpora sua ex aëre & vapore ac nube, eò vel maximè, quòd talia corpora vel in momento dissolvantur. ex S. Thomâ *q. 51. a. 2. ad 3.*

9. Infertur 2. Corporis ab Angelo assumptionem non esse Hypostaticam, sed secundùm intimam localem conjunctionem ad præsentiam. Ratio est. Quia unio naturæ cum alienâ hypostasi excedit totius creatæ naturæ vires: nequit verò Angelus efficere, nisi quod continetur intra virtutes causarum naturalium.

10. Infertur 3. Qualiter possit Angelus in corpore assumpto elicere actus vitales. Nam aliæ actiones sunt vitales *quoad substantiam*, veluti sensationes &c. quæ per essentiam suam sunt determinatæ ad principium vitale, à quo immanenter fluunt. Nullo igitur modo possunt istæ fieri per Angelum in corpore assumpto. Aliæ verò sunt actiones *quoad modum* duntaxat vitales, veluti locutio, motus progressivus, actio commestionis Etsi verò iste vitalitatis modus consistens in denominatione organorum vitaliû, à quibus emanant illæ actiones, nequeant ab Angelo exerceri in corpore assumpto nullis constante organis vitalibus. Nihilominus quoad entitatem spectatæ *materialiter* actiones ejusmodi fieri possunt ab Angelo, quatenus v. g. hic apparente ore cibum sumens, dentibusque apparenter dividens, & in stomachum quasi traijciens videtur manducare, non tamen strictè ac vitaliter, juxta illud *Tobiæ 12.* ubi, *Cum essem vobiscum*, ait Raphael, *videbar quidem manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.*

11. Infertur 4. Quid sentiendum sit de illis apparitionibus, per quas SS. Litteræ asserunt, Deum, vel aliquam Divinarum Personarum extra Verbi in carne hypostaticam unionem quandoque apparuisse. Nam 1. Euseb. *lib. 1. de demonst. c. 5.* Nizephorus *lib. 1. Hist. c. 2.* Chrysostomus *hom. 16. in Acta*, & alij tenent, apparitiones ejusmodi, quarum aliquâ Deus *Exodi 19. & 29.* omni populo, cùm ei legem daret, apparuisse dicitur, esse factas in formâ seu figurâ corporeâ à Deo, non quidem hypostaticè, sed præsentialiter, immediatè tamen assumptâ. Probatio esse potest, quòd SS. Scripturæ in sensu proprio acceptæ non nisi de ipsiusmet Dei apparitione, utpote nullâ in eis factâ mentione Angeli, accipi possint. 12. 2. Apparitiones ejusmodi ante Verbi Incarnationem mediantibus Angelis, post Incarnationem verò, dum v. g. Spiritus Sanctus in signo Columbæ, & Pater in in signo Nubis super Christum transfiguratum, atque baptizatum apparuit, fuisse secundùm veram immediatam personæ Divinæ præsentiam specialem; asserunt Clictoveus *in Damasc. lib. 4. c. 14.* & alij, arbitrati, hanc specialem legis gratiæ prærogativam esse, ut postquam Verbum hypostatice fuit incarnatum, aliarum quoque Divinarum personarum apparitio visibilis esset immediata. 13. Deum non nisi mediantibus Angelis sive ante, sive post Incarnationem, non verò in corpore per se immediatè assumpto extra Verbi hypostaticam carnis assumptionem, apparuisse docent plerique Scholastici cum S. Thomâ *1. 2. q. 98. a. 3. & in 2. dist. 8. a. 6.* Ratio est. Tum quia apparitio facta ad Agar *Gen. 16. & 21.* sicut & trium virorum ad Abraham *Gen. 18. & 19.* adstruitur tanquàm Divina, & tamen ex contextu sacro constat, fuisse Dei non nisi mediantibus Angelis, apparitionem: sicut & Dei *Exodi 19.* Moysi loquentis; & ab universo populo adorati apparitionem videtur Apostolus exposuisse, quòd facta sit Angelorum ministerio *ad Hebr. 5.* asserens, legem Moysis fuisse ordinatam per Angelos. Et *ad Heb. 1.* sermonem (nimirum Dei ferentis & promulgantis legem) fuisse factum per Angelos. Pari ergo ratione, cæteras Dei apparitiones in novo etiam Testamento mediantibus Angelis Divinam personam repræsentantibus, nisi ubi ipsemet Christus apparuisse legitur, factas esse, dicendum est. D. August. docente: de his Dei apparitionibus, quæ non fiunt per hypostaticam unionem, esse rationem eandem utriusque temporis Veteris ac Novi Testamenti.



ARTI-



ARTICULUS III.

De *Intellectu & Locutione ac Illuminatione Angelorum.*

1. SUpponendum 1. Intellectum Angeli realiter esse distinctum ab ejus substantiâ. Ita D. Thomas *præs. q. 54. a. 3.* id probans ex eo, quòd cùm Esse cujuslibet creaturæ sit distinctum ab ejus operatione, oporteat consequenter omnis creatæ substantiæ potentiam distingui ab ejus essentiâ. Ratio est. Quia substantia intrinsecè ac essentialiter constituitur per ordinem ac potentiam ad Esse. Hinc enim definiri solet, quòd sit ens per se existens, id est, postulans per se existere, soli namque Deo convenit, quòd sit formaliter Esse subsistens, sive per se actu existens: creatis autem naturis per quidditatem suam id convenit solùm radicaliter. At verò Esse substantiæ in rebus est distinctum ab ejus operari; siquidem istud sit actus consequens ad Esse substantiæ. Unde in naturâ substantiali præcisâ ab Hypostasi, & secundùm se spectatâ per prius se habet ordo ad Esse, quàm ad operari. Hic verò ad Esse ordo subsistentiam, ac existentiam ab intrinseco exigens, est tota ratio substantiæ essentialiter spectatæ: Ergo ordo importans vim operativam in substantiâ est hujus essentiam primum consequens ad instar accidentis. Atqui accidens substantiæ realiter ab istâ distinguitur. Ergo potentia operativa in substantijs creatis ita radicatur in harum substantiali naturâ, ut tamen ab istâ realiter distinguatur.

2. Supponendum 2. Ad Intellectionem ab Angelo in se formandam requiri duplex principium. Alterum per modum potentiæ, quæ est principium vitale ad hanc vel illam cognitionem indifferens: alterum per modum principij repræsentando seu objecti vicem gerendo determinativi ad hujus objecti intellectionem; quod est species sive forma repræsentans objectum, ipsum intentionaliter sistendo intra intellectum, atque huic quoad Esse repræsentativum uniendo, ita Theologi communiter contra Vasquezium *hic disp. 200. c. 3. & disp. 204.* Ubi hic author existimat, nō esse aliquam rationem, quæ convincat, Angelos habere species superadditas, ut alia extra se objecta cognoscant. Ratio nostræ suppositionis est. In hoc enim potentia cognoscitiva distinguitur ab appetitivâ, quòd illa trahat res ad se, ista verò feratur ad res quasi extra se. Appetitus enim amore tanquàm pondere trahitur in objectum amatum. Intellectus verò res intellectas intelligendo intra se quodammodò recipit, & apprehendit, juxta illud Philosophi. *Intellectus intelligendo fit omnia.* At illa rei intellectæ per apprehensionem intussusceptio fit in intellectu, quatenus intra se format similitudines, ideas, ac repræsentationes rerum. Hinc enim quò vivaciores quis de re efformat in intellectu suo formas & imagines, eò magis est talis objecti intelligens. Quare potentia cognoscitiva ex vi suâ propriâ & ratione essentiali est Formativa similitudinum, ut sic trahens objecta ad se per apprehensionem. Atqui hæc quoad Esse non physicum entitativum, sed intentionale ac repræsentativum intra intellectum tractio non potest fieri, nisi in intellectu supponatur vis aliqua, hujus Esse repræsentativi saltem virtualiter præcontinens. Hoc ipsum verò Esse repræsentativum nequit præcontineri in substantiâ non præcontinente aliarum extra se rerum intelligibilitatam. Hæc autem Intelligibilitas fundans rationem veritatis non potest præcontenta esse in substantiâ, quæ non earundem rerum Esse entitativum est præcontinens. At soli Deo proprium est, præcontinere in suo Esse creatarum substantiarum quidditates & omnimodas tam quoad statum existentiæ, quàm essentiæ formalitates. Unde etiam fit, quòd Esse Dei sit intelligere omnis creaturæ formaliter repræsentativum. Ergo quia Angelus aliarum extra se substantiarum quidditates ne quidem virtualiter præcontinet, non potest habere ex se vim rerum à se distinctarum in Esse intelligibili repræsentativam. Ergo ejusmodi vis objectorum in Esse intelligibili repræsentativa habens ut sic rationem speciei impressæ aliunde debet Angelico intellectui supervenire.



CONTROVERSIA I.

Utrùm Angelus ad se intelligendum indigeat specie superaddita?

AFfirmat Alensis, & alij à Suarezio *lib. 2. de Angelis cap. 4. n. 2. & 3.* relati. Probatur. Si enim substantia Angeli esset sui ipsius species intelligibilis ad sui intellectionem intellectûs determinativa, sequeretur, quemlibet Angelorū per sui præsentiam se conjungendo cum alterius intellectu, hunc determinare ad sui intellectionem, absque specie sui aliquâ superadditâ. 3.
Probatur ista sequela. Nulla enim potest assignari disparitatis ratio, cur Angeli substantia possit proprium suum, non verò alterius Angeli, 4.
cui per præsentiam intimè conjungitur, Intellectum determinare, nisi quòd habeat realem Physicam unionem cum proprio, non verò alterius Angeli intellectu. Atqui hæc unio est in Esse duntaxat physico, itaque se habet, quòd intellectus sit forma informans, substantia verò Angeli sit ejus subjectum. At verò ad rationem intelligibilis speciei non sufficit physica per modum subjecti objectū sustentantis unio, sed requiritur, ut objectum in Esse intelligibili sit actus Intellectum informans & actuans. Ad ejusmodi verò in Esse Intelligibili unionem ex parte actûs primi sufficit luminis intellectivi ad objectum per se intelligile proportio intrinseca: veluti patet in lumine gloriæ, respectu cujus Essentia Divina ideò habet rationem speciei, tum quòd illa sit per se intelligibilis, tum quòd lumen gloriæ cum istâ Essentiæ Divinæ intelligibilitate sit per se proportionatum, Pari ergo ratione si substantia Angeli per se nata sit habere rationem 5.

tionem speciei intelligibilis, ad hoc, ut intellectus alicujus sit ad actualem sui intellectionem in ratione objecti determinativa, impertinens est physica substantiæ Angelicæ tanquam subjecti cum tali Intellectu unio, sed sufficit luminis intellectivi ad illius substantiæ intelligibilitatem propriam proportio intrinseca. At quia Intellectivum Angeli superioris lumen est ab intrinseco proportionatum cum suâ substantiâ quâ specie intelligibili, sequitur, idem lumen esse proportionatum respectu Angeli etiam inferioris habentis substantiam ex se ipsâ proximè intelligibilem. Ergo sequeretur, Intellectum Angelicum æquè alterius maximè inferioris Angeli, quàm suam propriam substantiam posse sine specie superadditâ intelligere. At istud consequens non videtur admittendum. Ergo nec id, ex quo sequitur.

Ex opposito D. Thomas docet, ipsam Angeli substantiam loco speciei deservire ad sui cognitionem.

Conclusio.

Angelus ad sui Intellectionem non indiget specie superadditâ, sed propria ejus substantia subit munus speciei.

6. Probatur Nam intelligibilitas radicatur in materialitatis depuratione, atque adeò immaterialitate. Ergo quia substantia Angeli est purè Spiritualis ac immaterialis; sequitur, ipsam per se esse intelligibilem. At vero ab hâc ipsâ Angeli substantia per modum proprietatis connaturalis emanat potentia ejus intellectiva. Nequit verò Intellectus esse emanans à substantiâ per se proximè intelligibili, quin tale lumen objectivum ab intrinseco sit per se proportionatum cum talis substantiæ intelligibilitate qua in se fundante accidentium quoque connaturalium intelligibilitatem, cum actuali quoque accidentium intelligibilitate. Oportet igitur, Intellectum ejusmodi, utpote qui cum talis substantiæ Intelligibilitate ceu radice suâ Essentiali intrinsecam in secundo perseitatis modo connexionem habet, esse ab illâ Intelligibilitate intrinsecè determinatum ad ejus tam substantiæ, quam connaturalium accidentium cognitionem in se efformandam. At munus speciei intelligibilis est, per intelligibilitatem determinare intellectum ad ejusdem objecti cognitionem in se efformandam. Constat igitur, substantiam Angelicam per sui in immaterialitate fundatam intelligibilitatem habere omnimodam speciei intelligibilis rationem, ad sui suorumque accidentium connaturalium in proprio Angeli intellectu formandam cognitionem.

7. Dices. Ex hoc evinci, quòd animæ quoque rationalis, utpote immaterialis Intelligibilitas sit per se ipsam Intellectûs ex se emanantis ad sui cognitionem determinativa. Ex hoc autem rursus sequi, quòd anima rationalis sit necessariò sui intuitivè cognoscitiva, utpote cujus intellectus radicatus in animæ substantiâ per hujus propriam intelligibilitatem determinatur ad illius immediatam cognitionem. At istud esse contra experientiam, nullus enim hominum experitur in se expressam intuitivam substantiæ animæ suæ notitiam.

Contra. Nam quælibet natura per se ipsam in actu saltem primo determinata est ad duplicem actualitatem, scilicet ad Esse & ad operari. Atqui natura per prius determinatur ad Esse, adeò ut modus operandi sequatur ad modum Essendi. Est autem animæ rationalis duplex essendi status: separationis nimirum & unionis cum corpore. Unde sicuti anima rationalis in separationis statu per se subsistens habet modum Essendi independentem à corpore, sic pro tunc intelligit per species à phantasmatibus independentes, atque adeò intellectus ipsius per hoc, quòd sit emanans à substantiâ immateriali ac per se intelligibili est ab intrinseco determinatus ad ejusmodi substantiæ propriam intelligibilitatem in se intuitivè formandam. Econtra in statu unionis habet anima rationalis Essendi modum à corpore eatenus dependentem, ut sit subsistens non in seipsâ, sed in Composito ex dispositionibus materialibus quoad fieri & conservari dependente. Unde Intellectus radicatus in animæ substantiâ per hanc non determinatur ad sui Intellectionem, sed opus est specierum ex phantasmatibus seu materialibus imaginationibus abstractione ac efformatione, mediantibus quibus possit animæ suæ substantiam non intuitivè, sed abstractivè duntaxat cognoscere.

Ad argumentum oppositum.

Respondetur. Negando primam sequelam: ad cujus probationem assignatur sequens disparitatis ratio. Etenim ut intellectus aliquis per substantiæ alicujus propriam Intelligibilitatem determinetur, debet illius lumen intellectuale ab intrinseco esse proportionatum cum talis substantiæ Intelligibilitate. Hujus autem in lumine intellectuali proportio intrinseca radicatur in ipsâ quidditate substantiæ, ex quâ tale lumẽ sive formaliter sive virtualiter emanat. Unde quia Essentia Divina est purissimus Essendi actus, sequitur, lumen intellectuale in Deo esse ipsummet Esse subsistens suiipsius per purissimam Intelligibilitatis formalitatem actualiter expressivum. Econtra verò quia omnis creatæ intelligentiæ quidditas aliquam ad Esse potentialitatem importat, infertur, lumen Intellectuale radicatum in ipsius substantiâ ad hujus intellectionem, dicere ordinem alicujus potentialitatis, ut adeò nulla præter Divinam substantia possit esse sui intellectio. Cùm proinde lumen Intellectuale in substantia spirituali radicatum istius præcisè substantiæ Essendi modo sit proportinatum, consequens est, Angelicum Intellectuale lumen non posse cum alterius Angeli specie distincti substantiâ habere per se proportionem intrinsecam. Ergo ad actualem talis Angelicæ substantiæ intellectionem indiget specie luminis intellectualis determinante ac proportionante. 8.

CONTROVERSIA II.

Utrùm species, quas Angelus respectu aliorum sibi connaturaliter non inexistentium objectorum habet, sint infusa, vel congenitæ, vel acquisitæ?

1. ALensis ab Amico *cit. lib. 3. disp. 8. cap. 3.* relatus tenet, Angelos rerum saltem singularium species accipere ab objectis. Cui ex parte accedit cum alijs Scotistis Rada *cit. p. 2. cont. 9. a. 3. concl. 1. & 2.* asserens primò, Angelos habere species saltem rerum universalium sibi à Deo inditas à principio suæ creationis. Secundò, si tamen sermo sit de Angelo quantum ad potentiam naturalem, & naturæ ordinem, posse, si non haberet congenitas species, à rebus accipere. Fundamentum est. Quia maximè perfectionis est, habere in se virtutem specierum acquisitivam. Ergo ista virtus habens rationem Intellectûs agentis non est Angelis deneganda.

2. Bannes *præs. q. 55. a. 2.* Nazarius *ibi cont. 2.* tenent, species intelligibiles in Angelis esse proprias ab ipsorum essentijs dimanantes passiones. Probatur authoritate D. Thomæ *1. p. q. 54. a. 4. ad 1.* asserentis, in Angelo non generari scientiam, sed naturaliter adesse. At si speciali actione, quæ non est ipsa creatio Angeli, Deus in ipsius intellectu imprimit species intelligibiles, sequitur, scientiam in Angelo generari, nec adeò naturaliter ipsi adesse.

3. Ferrariensis *2. contra Gentes. cap. 98. §. ad secundi dubij evidentiam.* Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 21. a. 3. n. 30.* docent; Angelorum species intellgibiles esse infusas à Deo, ita tamen, ut connaturaliter petantur ab intellectu Angeli tanquàm accidentia inseparabilia, quatenus intellectus ejusmodi emanat ab Essentiâ Angeli quâ specierum capax; sicuti Cælum producitur ut capax motûs, & naturaliter illum exigens.

CONCLUSIO.

SPecies intelligibiles non fluunt ab Angelorum essentiâ, tanquàm virtute seu radice earundem activâ, sed ad essentiæ Angelicæ intrinsecam connaturalem exigentiam in primo creationis instanti sunt infusæ à Deo.

4. Probatur. Nulla enim essentia potest esse radicale principium activum speciei alicujus intelligibilis, nisi objecti per eam repræsentari intelligibilitatem in se contineat vel formaliter, vel saltem radicaliter. At cujusvis rei intelligibilitas radicatur in ratione entitatis quà talis. Unde nulla res est productiva speciei intelligibilis nisi objecti per eam repræsentati quidditatem quoad esse ipsius entitativum in se contineat. Atqui substantia Angelica neque immaterialium substantiarum quidditates, neque consequenter accidentia in hisce radicata continet formaliter & eminenter vel virtualiter, cùm alioquin harum rerum posset esse causa physicè effectrix. Imò si per suam substantiam cujusvis creatæ substantiæ haberet continentiam eminentialem, esset in se infinitæ virtutis, atque adeò entitatis. Nequeunt ergo ex Angeli substantiâ activè emanare rerum aliarum species intelligibiles.

Responsio ad Argumenta Opposita.

AD Scotistarum *n. 1.* oppositum Fundamentum Respondetur. Specierum intelligibilium acquisitivæ virtutis negotium ita componendum esse. Nam alia specierum Intentionalium acquisitiva potentia est passiva, cujusmodi est in sensibilibus: alia verò est activa, qualis est in intellectu agente. Hæc verò species intelligibiles acquirendi virtus activa duo supponit; alterum ex parte objecti, è cujus potentialitate quasi extrahitur seu abstrahitur proxima intelligibilitatis forma, oportet enim objectum materiale priùs per suæ in sensum speciei intentionalis impressionem aliqualiter proportionari Intellectui nostro agenti, priusquam iste possit ex illo abstrahere speciem aliquam intelligibilem. Alterum ex parte substantiæ, cui inest talis specierum effectrix virtus, oportet enim in tali substantiâ inexistere vel formaliter, vel eminenter talem intelligibilitatis gradum, qualis competit speciebus intelligibilibus à se formatis. At inprimis objectis materialibus ob sui cum substantiâ purè spirituali improportionem nulla potest esse virtus aliquam in hâc faciendi impressionem, è cujus potentialitate per intellectum Angelicum fiat speciei intelligibilis abstractio. Neque verò Intellectui Angelico inest virtus ex se præcisè ab objectis materialibus extrahendi intelligibilitatem illorum *Quidditativè* seu *Intuitivè* repræsentandam. Nam intelligibilitas objectorum proxima per substantiæ Intellectualis virtutem in tantum formabilis est, in quantum ejusmodi intelligibilitas secundùm proportionem vel formalis unitatis, vel continentiæ Eminentialis continetur intra lineam Essendi substantiæ illius propriam. 5.

At eo ipso, quòd substantia intellectualis creata eatenus limitata sit, ut substantiarum materialium & à fortiori spiritualium Quidditates neque formaliter, neque eminenter contineat, nequit harum Intelligibilitas radicata in Esse se tenere intra lineam Essendi substantiæ illius intellectualis propriam. Nequit ergo substantia Angelica ullius speciei intelligibilis ex objectis sive spiritualibus sive materialibus esse formativa seu causativa, nisi habeat præviam sibi ex alterius causæ impressione inexistentẽ intelligibilitatem, è quâ alterius substantiæ cum ipsâ saltem proportionis analogiam habentis Intelligibilitatem extrahat: sicuti Angelico etiam intellectui ex suimet intellectione convenit, abstrahere Intelligibilitatem Divinæ substantiæ, aliarumque secum quodammodò proportionatarum Essentiarum abstractivè repræsentativam.

Deinde non potest uni Angelorum convenire potentia passiva ad speciei per alterius Angelicæ substantiæ impressionem in se formatæ receptionem. Nam ista species seu lumen aliquod in mentes aliorum per suam substantiam imme- 6.

immediatè illabendi, seu lumen aliquod ac species infundendi virtus ita agnoscitur Dei propria, ut consequenter talem virtutem Angelis denegandam doceat S. Thomas *1. p. q. 105. a. 3. & in 2. ad Anibaldum dist. 3. q. un. a. 1. vel 2.* Quòd nimirum illa duntaxat substantia Intellectualis, quæ cæterarum Intelligentiarum gradus specificos in se eminenter continet, cujusmodi est unica Dei Essentia, possit in ipsis formare Intelligibilitatem ipsorum propriam & quidditativam. Consequens proinde est, Angelis non esse virtutem tum in seipsis formandi aliarum Intelligentiarum species quidditivas & intuitivas, tum in aliorum Intellectibus causandi sui speciem propriam. Hoc igitur discriminis est inter Angelicum & Humanum Intellectum, quòd iste factâ prævià ab objecto duntaxat materiali in aliquem sensum speciei intentionalis impressione possit ex istâ substantiarum non intuitivas, sed abstractivas extrahere species intelligibiles. Angelicus verò Intellectus per suam à materiâ depurationem, sicut & Humanus in statu separationis nihil pati possit ab ullius materialis objecti impressione, sed tamen ex seipso habeat connaturalitatis exigentiam, tum ut à Deo tanquàm Primo Intelligentiarum motore sibi infundantur quarumlibet existentium creaturarum species intelligibiles Quidditativæ, seu intuitivæ; tum ut ipsemet hisce mediantibus formet species expressas, è quibus ad Divinæ etiam substantiæ abstractivam cognitionem virtute suâ se elevando queat sibimet imprimere talis objecti abstractivam speciem.

7. Ad Bannis *n. 2.* oppositum Argumentum Respondetur. Motum cæli dici hujus substantiæ connaturalem non ex eo, quòd ex eâ activè emanet, sed quòd à Deo sive immediatè, sive mediante Intelligentiâ creatâ ad ejus connaturalem exigentiam imprimatur. Pari ergo ratione species, intelligibilis & consequenter scientia ex illâ emanans naturaliter adest Angelo, quatenus Angelici intellectûs actualitas, & à potentialitate Depuratio à die creationis suæ connaturaliter exigit quorumlibet creatorum objectorum Intelligibiles formas à Primo sui Motore imprimendas. Sanctus Augustinus *lib. 2. ad Genes. ad Litt. cap. 8.* ait: *Creaturas corporales prius factas esse in mentibus Angelorum secundùm creatam nimirum sapientiam, quam in seipsis.* Cui conformiter Divus Thomas *q. 55. art. 2. ad 1.* ait: *Similitudines, quæ sunt in mente Angeli, non esse à creaturis acceptas, sed à Deo, qui est creaturarum Causa.* Et *infra q. 57. a. 2.* inquit, *Impressa sunt Angelis similitudines seu rationes tam corporalium, quàm spiritualium à Verbo Dei.* Quod ipsum docet de animâ etiam separatâ *infra q. 89. a. 3.* inquiens. *Anima separata intelligit per species infusas, quas recipit ex influentiâ Divini luminis, sicut & Angeli.* Et *in a. 2. ad 2.* ait: *Anima separata intelligit Angelos per similitudines divinitùs impressas.* Unde quando *in quæst. de Animâ art. 20. ad 11.* dicit; quòd animæ separatæ infundantur species mediantibus Angelis, seipsum explicans asserit, quòd hujusmodi formæ causentur in animâ per Angelum non per modum creationis, sed sicut id, quod est in actu, reducit aliquid sui generis de potentiâ in actum. At constat, infusionem specierum quoad substantiam fieri per modum creationis. Ergo specierum in animâ separatâ per Angelos causatio fit ab ipsis non quà causis effectricibus, sed quà Causâ ordinatrice seu Directivâ.

CONTROVERSIA III.

Utrùm Angelorum species sint Universales?

Ex sententiâ illorum, qui omnium rerum aliquando existentium Angelis concreatas seu à Deo infusas in primo creationis instanti asserunt, necessum est, ipsas universales admittere, cùm enim per totam æternitatem futuræ sint hominum & Angelorum cogitationes infinitæ, quarum singulas ad consensum habentis cogitationem ejusmodi possit quilibet Angelus cognoscere, oporteret, species illarum in actu primo repræsentativas fore infinitas, si cuivis non conveniret nisi unius duntaxat objecti repræsentativa potentia. 1.

Ex quo tamen emanant sequentes difficultates. *1.* Quia species universaliores oporteret habere unitatem ex unitate objecti formalis quoad rationem *Quæ & sub Quâ.* Hoc autem vel esset gradus aliquis superior, vel vis plurium effectuum causativa. At prius dici non potest, cùm in illo universaliori gradu inferiora non nisi confuso modo ac potentialiter continerentur, atque adeò repræsentarentur. Neque posterius affirmare licet, posito enim, quòd in aliquo Angelo sit species omnium animalium repræsentativa, nequit istorum objectorum unica per speciem Angelicam esse repræsentata causa. 2.

2. Difficultas est. Nam posito, quòd infimus Angelorum sit intelligens per speciem universalem, sequitur, reliquos, quo magis sunt perfectiores, eo universaliores habere species. Ex hoc autem sequeretur, posse dari Angelum, qui per unicam speciem in actu saltem primo omnium creaturarum aliquando existentium intelligens sit, quo tamen vel de facto, vel saltem de possibili superior sit, cujus proinde species nequeat universalior esse, ut adeò verificari non possit, Angelum, quò superior est, intelligere per speciem magis universalem. 3.

3. Difficultas est; Posito enim, quòd uni Angelorum insit unica omnium objectorum aliquando existentium species repræsentativa, sequitur hanc repræsentare infinita. 4.

CONCLUSIO.

Simpliciter asserendum est, species Angelorum, quantò sunt isti superiores, tantò esse universaliores respectu substantiarum etiam specie differentium. Ex S. Thomâ *præs. q. 55. a. 3. in 2. dist. 3. q. 2. a. 2.* Item *2. 2. cont. Gent. cap. 98. & q. 8. de verit. a. 10. ubi ad 2.* ait; *quod in Angelo per unam speciem animalis omnis animalis species repræsentari possit.*

Probatur, Nam species Angelorum sunt quædam similitudines creaturarum eatenus re- 5.

præsentativæ, ut tamen sint exemplariter deductæ ab ideis divinis, D. Thomâ *in 2. dist. 3. q. 2. a. 2. ad 1.* asserente; *Formas, quæ sunt in mente Angeli, esse simillimas rationibus idealibus in mente divinâ existentibus, sicut deductas exemplariter immediatè ab ideis.* At eo ipso, quòd Ideæ divinæ radicentur in Esse purè immateriali, & omninò actuali, sequitur, ipsarum esse unam simplicem rationem omnium objectorum intelligibilium actualissimè repræsentativam. Unde quando species aliqua intelligibilis ab Ideâ divinâ exemplariter deducta est purior & immaterialior de Essendi actualitate magis participans, potest vi talis divinæ participationis eò plurium objectorum esse repræsentativa. Atqui hanc ipsam specierum intelligibilium majorem Essendi puritatem seu immaterialitatem potentialitatis limitationem, atque adeò distinctionem fundantis exclusivam, oportet ita proportionari cum substantiâ, ad cujus connaturalem exigentiam à Deo infunduntur species, ut consequenter quò major est Angelicæ substantiæ in essendo, atque adeò intelligendo perfectio, eò magis crescat intelligibilium formarum immaterialitas, ac proinde universalitas extendens se ad plura objecta repræsentanda. Unde Divinus Dionysius *c. 15. de cælest. Hierarch.* ait, *quòd unaquaque essentia, quæ mente tradita est, unicam intelligentiam, quam à Diviniore traditam accepit, vi quâdam, quâ aliis naturis contulit, dividat, atque amplificet pro captu & ductu inferioris.*

Responsio ad Opposita Argumenta.

6. AD 1. in initio oppositam difficultatem Respondetur. Unicam Angeli universalem speciem se habere ad plura specie objecta, sicuti se habet causa æquivoca universalis ad plures specie distinctos effectus. Hæc enim non specificatur in quarto modo Dicendi per se ex gradu aliquo Generico ab effectuum suorum differentiis specificis ac individualibus abstracto, sed potiùs per Divini Esse participationem actualiorem habet Eminentialem diversorum effectuum in se continentiam. Sic ergo juxta proportionem Essentiæ Angelicæ à materialitate magis depuratæ crescit luminis intellectualis perfectio exigens species ex Divinis Ideis exemplatas cum virtute plurium specie, aut genere distinctorum objectorum repræsentativâ. Quæ proinde Ideæ Divinæ in se licet omninò simplicis imitatio non tam intelligi potest suam habere specificationem ex ordine ad objectum sub gradûs alicujus universalis abstractione formaliter unum, quàm ex ordine ad mentis Divinæ Ideam speciei Angelicæ efficienter exemplativam & ut sic repræsentativam creaturarum omnium per speciem illam Angelicam repræsentatarum.

7. Ad 2. Difficultatem Respondetur. Omninò asserendum esse, quòd Angelus, quò magis est superior, intelligat per species magis universales; D. Thomâ *q. 8. de verit. a. 10.* docente, Quanto in Angelo fuerit plus de actu, & minus de potentiâ, tantò emanationem hujusmodi rationum (specierum nimirum à Deo infusarum) minùs in ipso multiplicari. Hoc verò istâ vel simili ratione salvari potest, si v.g. dicatur, quemlibet Angelorum se quidem intelligere per speciem à suâ substantiâ indistinctam, alios tamen se inferiores intelligere per unicam speciem, superiores verò per species realiter diversas. Ex hâc enim responsione planum esse, cuivis Angelorum quò in Essendi gradu altior est, inesse speciem universaliorem, quin perveniatur ad speciem (dum præsertim Angelicæ Intelligentiæ syncategorematicè infinitæ possibiles adstruuntur, quæ in intellectu aliquo Angelico sit omnium universalissima.

8. Ad 3. Difficultatem Respondetur. Non esse inconveniens, tum quòd species Angeli etiam infimi sit repræsentativa omnium cogitationum, quas per totam æternitatem unu v. g. hominum habebit, tum quòd supremi Angeli species habeat virtutem repræsentativam omnium inferiorum Angelorum cum omnibus mentium ipsarum motibus per totam æternitatem in infinitum multiplicabilibus. Ex hoc verò evinci duntaxat, quod talis species in repræsentando infinita sit non tam actu, quam potentiâ, siquidem ejusmodi cogitationum actualis per speciem virtute illius impressæ speciei expressam repræsentatio non priùs elici possit ab Angelico intellectu, antequam actu existat ejusmodi cogitatio, velitque Angelus illam eliciens per internam locutionem communicare, seu notam fieri illi Angelico intellectui.

CONTROVERSIA IV.

Qualiter Angelus suo naturali intellectuali lumine cognoscat Deum, cæterosque se superiores Angelos?

1. SUpponendum 1. Deum non posse naturali Angelici Intellectûs virtute intuitivè cognosci; veluti *supra q. 4. a. 1* demonstratum est.

2. Supponendũ 2. Deum naturali Angelici Intellectûs lumine cognosci abstractivè cognitione non tantùm confusâ, sed maximè distinctâ. Ratio est. Tum quia creaturarum se inferiorum notitiam habens comprehensivam istarum relationes transcendentales ac essentiales ex Esse Divino se illis effectivè & exemplariter cõmunicante dependentias intuendo, non potest non virtutis Divinæ habere notitiam distinctam, non quidem ut est in se, immediatam, & quidditativam, sed sub speculi Deitatem repræsentantis luce clariori abstractivè expressivam. Tum quia Angelus superiorum Angelorum habens notitiam saltem intuitivam, sui verò comprehensivam, distinctè videns gradus cum tantâ luminum intelligibilium & intellectualium varietate participatos ex Divino purissimo Esse, ejusque Ideâ & Intelligibili actualissimo per ipsummet Esse subsistens specificato lumine, non potest non hujus divini increati in se actualissimè subsistentis luminis non habere clariorem, non quidem intuitivam, sed abstractivam cognitionem.

Quibus adeò suppositis, inter Doctores agitatur Controversia: *Utrùm Angelus inferior comprehensivè cognoscat superiorem?*

Resp.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

3. PRima sententia Salmanticensium *tract. 7. de Angel. disp. 6. dub. 3.* & aliorum affirmat; Fundamentum est. Quia ad notitiam comprehensivam sufficit ac requiritur, ut adæquet totam rei intellectæ cognoscibilitatem. At quilibet Angelicus Intellectus est connaturaliter exigens speciem omnimodæ formalitatis Angelo superiori inexistentis, omnisque adeò effectûs in eo eminenter contenti repræsentativam. Unde D. Thomas *2. cont. Gent. cap. 99.* disserit in hæc verba: *Quia verò intellectus substantiæ separatæ est in actu habens omnes similitudines, ad quas est in potentiâ, habet virtutem comprehendendi omnes species & differentias Entis.*

4. Secunda Nazarij *præs. q. 56. a. 2. cont.* Suarezij *lib. de Angelis cap. 31.* sententia negat. Fundamentum est desumptum ex D. Thomâ *in q. 16. de malo. a. 8.* taliter disserente: *In unoquoque intellectu species intelligibiles superioris Intellectûs sunt universaliores; & ideo non possunt comprehendi per species intelligibiles inferioris intellectûs, & ideò inferior intellectus non potest eas perfectè cognoscere.* Ex quo ita licet argumentari. Eadem est proportio Intellectûs Angeli inferioris ad intellectũ superioris Angel, quæ est proportio inter utriusq; Angeli istius intelligibiles species, siquidem istarum universalitas fit secundum commensurationem naturalis Angelicorum Intellectuum perfectionis. At eo ipso, quòd Angeli superioris species sint universaliores, nequeunt inferioris Angeli species illis eatenus proportionari, ut earum sint compre pensivè repræsentativæ. Ergo nec luminis intellectualis in Angelo inferiore est proportio adæquata ad superioris Angeli lumen intellectuale, nec adeò per istud valet comprehensivè attingi illud. At verò hæc tota tam luminum intellectualium, quàm specierum intelligibilium in superiore ac inferiore Angelo improportio ac inæqualitas radicatur in ipso Angeli Esse, siquidem ex hoc emanet tota mensura tum intellectualis luminis, tum specierum intelligibilium cuique Angelicæ substantiæ connaturaliter inexistentium. Ergo in superiore ac inferiore Angelo est improportio ipsius substantialis Esse, & consequenter Intelligibilitatis utpote in hoc Esse radicatæ. Unde nec intellectuale lumen Angeli inferioris hujus substantiæ proportionatum potest simpliciter adæquari cum intelligibilitate superioris Angeli. Atqui ad notitiam comprehensivam requiritur adæquata luminis intellectualis cum totali & omnimodâ objecti Intelligibilitate proportio. Nequit ergo Angeli inferioris intellectus comprehensivè cognoscere substantiam superioris Angeli.

5. Tertia media Ioannis à S. Thomâ *præs. disp. 22. a. 1. n. 10.* sententia tenet; quòd Angeli inferiores in vi propriæ virtutis, & intelligentiæ nõ comprehendant, neque adæquent superiores substantias: de facto tamen comprehendant ex fortificatione & communicatione superiorum substantiarum communicantium illis majorem Intelligentiam juxta captum eorum. Fundamentum hujus desumitur ex D. Thomâ *1. p. q. 106. a. 1. ad 2.* asserente; quòd unus Angelus non illuminet alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, sed confortando lumen naturale ipsius & manifestando ei veritatem de his, quæ pertinent ad statum naturæ & gratiæ & gloriæ. At verò per istam veritatis ad naturæ quoque statum pertinentis manifestivam illuminationem tollitur in Angelo inferiore confusio & inadæquatio, secundum quam ipsius intellectuale lumen erat improportionatum Angeli superioris intelligibilitati. Ergo licèt Angelus inferior non immediatè ex vi propriæ virtutis & proprij cognoscendi modi, mediatè tamen per confortationem Intellectûs sui ab Angelo superiore factum est comprehensivus Angeli superioris.

Conclusio.

ISta per Angelum superiorem confortatio non potest Angeli inferioris intellectum eatenus elevare, ut sit comprehensivus Angeli superioris.

Probatur Nam ista Angelici inferioris intellectûs per superiorem Intelligentiam in naturalibus confortatio non fit per novi luminis intellectualis aut speciei intelligibilis influxum, sed per manifestationem conceptûs Angelici superioris proponentis rem ut illustratam clariori ac superiori lumine, veluti ex Cajet. *1. p. q. 106. a. 1.* eleganter tradit Ioannes à S. Thomâ *hic disp. 21. a. 3. n. 26.* At manifestum est, virtute illustrationis ejusmodi non in tantum elevari intellectum Angeli inferioris, quin sub ejus connaturali intelligendi modo stet illud ipsum à superiore Angelo communicatum lumen conceptûs hujus Angeli manifestativum, & hoc mediante illustrativum rei per eundem conceptum à superiore intellectæ. Unde de hoc ipso Angeli superioris conceptu, ejusque clariori vi communicationis à superiore factæ per Angelum inferiorem cognito lumine adhuc verificatur, quod S. Thomas *2. con. Gent. c. 98.* asserit, *Intelligentiam inferiorem cognoscere superiorem secundum modum substantiæ cognoscentis, non secundum modum substantiæ cognitæ, sed inferiori modo, quàm res superior fit in seipsâ.* At verò notitia comprehensiva debet in lineâ intelligibilitatis habere adæquatam cum objecto cognito proportionem & commensurationem, adeò ut intelligibilitas objecti non excedat intelligentis lumen intellectuale in speciali Essendi actualitate seu potentialitatis depuratione radicatum. Cùm igitur illa illuminatio Angeli superioris intellectum Angeli inferioris non per altioris, vel sublimioris intelligibilitatis infusionem, sed per lumen perfectioris Angelici objectivè repræsentati conceptûs inferiori tamen modo manifestativum. Consequens est, istam confortationem non posse inferioris Angeli Intellectum elevare ad comprehensivam superioris Angelicæ substantiæ notitiam. 6. 7.

Responsio ad Argumenta ab initio opposita.

AD affirmantis *n. 3.* oppositæ sententiæ fundamentũ Respondetur. Verum quidem esse, quòd cuivis Angelico Intellectui sit connaturalis exigentia ad species omnium cujuslibet rei creatæ inexistentis formalitatum ac modorum repræsentativas: attamen istam repræsentationem 8.

ita eſſe ſecundùm modum Eſſendi magis vel minùs depuratum à potentialitate, ut conſequenter in Angelo inferiori ſit magis diverſus: Divin. Dionyſ. *cap. 15. de cœleſt. Hierarch. paulò ante medium* atteſtante: *Quòd ſuperior Angelus illuſtrando inferiores pro cujuſque captu dividat, atque amplificet Intelligentiam ſuam in ſe unitam ac ſimplicem.* Unde fit, nullam Angeli inferioris etiam à ſuperiore illuſtratam intellectionem eſſe in eâ ſimplicitatis puritate & actualitate, ut per ſe ſolam totius in unicâ univerſaliori Angeli ſuperioris ſpecie inexiſtentis intelligibilitatis poſſit eſſe comprehenſiva ſeu adæquatè repræſentativa, ſive omnium objectorum ſub tali ſpecie repræſentabilium actualiter expreſſiva.

CONTROVERSIA V.

Qualiter Angelus cognoſcat futura & præterita, nec non ſecretas mentium humanarum cogitationes?

1\. SUpponendum 1. Futura neceſſaria cognoſci ab Angelis in ſuis cauſis naturalibus. Ratio eſt. Tum quia ex his futuris ſunt aliqua phyſicè inevitabilia, veluti effectus ex conſtellationum concurſu naturaliter evenientes, quorum cauſæ à nullo agente creato, ſed à ſolo Deo impedibiles ſunt. Horum proinde futuritionem phyſicâ, non methaphyſicâ certitudine norunt Angeli in cauſarum naturalium determinato curſu. Unde ſi quid contra ejuſmodi ordinarium curſum accidat, veluti Solis retrogreſſus, vel retardatio curſûs ipſius temporibus Ioſue & Ezechiæ contingentes: poſſet Angelicum de futuris ejuſmodi Iudicium falſum eſſe, ſi abſolutè ferretur, non autem ut fit in Angelis bonis ſub reſtrictione, quantum eſt ex parte iſtarum cauſarũ naturalium: ſicuti Angelus in puris naturalibus conſtitutus videns Humanitatem Chriſti, nullâ ejus naturali Hypoſtaſi visâ, vel intuens ſuo intellectu accidentia Euchariſtica, nullâ, cui inhærent, cognitâ ſubſtantia, ex dictamine prudentiæ ſuum potiùs judicium ſuſpenderet, quàm ut accidentia ſine ſubjecto, vel naturam humanam nullâ ſive alienâ increatâ Hypoſtaſi terminatam exiſtere poſſet judicare.

2\. Tum quia ex futuris neceſſarijs aliqua per cauſas ſecundas vel liberas, vel fortuitas eventualiter conjungendas ſunt impedibilia, quæ proinde cognoſcit Angelus conjecturaliter, non ita quidem, ut ex parte ipſius cognitionis ſit aliqua incertitudo, ſed Angelus ſignatè cognoſcendo conjecturas eventûs futuri probabiliter illativas, per cognitionem formaliter certam judicat rem conjecturaliter eſſe futuram. Imò fieri poteſt, ut licèt effectus aliquis reſpectu cauſarum quarundam ſit eventualis, totâ tamen cauſarum ſecundarum ſerie perſpectâ, judicet Angelus ipſius futuritionem habere certitudinem phyſicam.

3\. Supponendum 2. Tanquàm certum, quòd Angelus non poſſit certò cognoſcere futura contingentia ſeu libera. Ratio eſt. Quia certa futurorum cognitio in SS. Litteris ponitur Divinitatis ſignum, juxta illud *Iſaiæ 41. Annuntiate, quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Unde ipſemet Dominus c. 46. locutus eſt. *Non eſt ſimilis mei annuntians ab exordio noviſſima, & ab initio, quæ nondum facta ſunt.*

Supponendum 3. Secreta cordium non poſſe ab Angelo naturaliter cognoſci, niſi is, ſub 4.
cujus ſtant dominio, velit Angelo eſſe manifeſta. Ratio eſt. Nam ſecreta cordis ſunt actus hominis, qui cadunt ſub dominio voluntatis, ſive per elicientiam in ipsâ voluntate, ſive per hujus directionem in intellectu, ſive per ejus Imperiũ in appetitu & intellectu ac quâcunq; potẽtiâ motionis liberæ voluntatis noſtræ capaci. Hi enim omnes actus ſecreta cordis dicuntur, quamdiu non manifeſtantur in effectu, vel ſigno aliquo externo, id eſt, extra illas potentias poſitio. Cujuſmodi adeò ſignum eſt quæcunq; corporis ſive externa, ſive interna Angelis perſpicaciſſimè nota mutatio naturaliter conſequens ex aliquâ *elicitivè*, vel *imperativè*, vel *directivè* liberâ actione. De iſtis proinde ſecretis cordis nullo adhuc manifeſtatis ſigno externo habetur 1. *Corinth. 2. Quæ ſunt hominis, nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in homine.* Et 2. *Paralip. 6. Tu ſolus noſti corda aliorum hominum.* Unde noſſe ac ſcrutari corda, eſſe proprium Dei, tradit S. Scriptura *Pſal. 7. Scrutans corda & renes Deus.*

Quibus adeò ſuppoſitis duæ reſtant difficultates. *1. Quænam ſit ratio, cur ſpecies Angelis à primo Creationis inſtanti infuſa non determinent ipſorum intellectus ad cognitionem rerum nondum exiſtentium? 2. Cur ſecretorum cordis cognitio adeò ſit propria Dei, ut Angelicum intellectum ſuperet?*

Referuntur ſententiæ Doctorum.

CIrca primam difficultatem Ioannes à S. Thomâ *præs. diſp. 22. ad 2.* relatis ac ponderatis 5.
aliorum Doctorum ſententijs, tandem *n. 17.* affirmat, rationem, quare ſpecies Angelorum non repræſentent futura, ſeu ſingularia nondum exiſtentia (ex mente D. Thomæ *q. 16. de Malo a. 7. ad 6. & 1. p. q. 57. a. 3. ad. 3. & q. 8. de Verit. a. 12. ad 1. & alibi*) eſſe, quòd talia ſingularia nondum participent naturam, per quam aſſimilentur illis ſpeciebus. Fundamentum eſt. Si enim Angelus connaturaliter habet ſpecies infuſas à Deo repræſentantes ipſas naturas rerum, ut derivatas à Deo, & pertinentes ad hoc univerſum, in eoque poſitas & cõnexas, conſequens eſt, debere tales naturas repræſentare, prout ſunt in individuis. Probatur iſta ſequela. Quia ſpecies Angelorum, ſi derivantur ab ideis Divinis, non poſſunt repræſentare naturas rerum niſi prout ab ipſis deſcendunt: debent enim ad inſtar idearum, quarum ſunt participationes, repræſentare naturas rerum. Hæ verò eo modo ſunt repræſentatæ in ideis Divinis, quomodo ab iſtis deſcendunt. Unde eo ipſo, quòd ſpecies Angelorum deriventur ab ideis divinis, debent rerum naturas repræſentare, quo modo iſtæ ab eiſdem Divinis ideis deſcendunt. At verò creaturæ deſcendunt ab ideis Divinis, prout in hoc Univerſo exiſtunt ſucceſſivè. Cùm igitur Angelorum ſpecies deriventur ex ideis divinis, debet repræſentatio illarum eo modo terminari ad res repræſentatas, quomodo iſtæ ſunt à Deo derivatæ, ac pertinentes ad hoc Univerſum. At hoc ipſum eſt dicere, quòd ſpecies Angelorum

golorũ ſint repræſentativæ, quatenus rebus à Deo derivatis aſſimilantur. Iſta verò aſſimilatio nõ eſt niſi pro ſtatu, in quo res ab ideis Divinis ſunt deſcendentes. Ut ſic autem ſunt exiſtentes in hoc univerſo. Ergo ſpecies Angelorum per naturam ſuam, quam habent ex idearum Divinarum participatione, non ſunt repræſentativæ rerum niſi pro inſtanti ſeu tempore, in quo exiſtunt.

6. Circa ſecundam difficultatem idem Ioannes à S. Thomâ *diſp. 22. a. 4. 1.* relatis ac examinatis aliorum ſententijs, tandem *n. 13.* concludit, (ex mente Divi Thomæ *præſertim q. 16. de Malo & 1. p. q. 57. a. 4. & q. 8. de verit. a. 13.*) ſecreta cordium ideo non penetrari ab Angelo, quòd ex propriâ & intimâ actûs liberi quà emanantis à voluntate, & nondum in effectu aliquo manifeſtati ratione non habeat cognoſcibilitatem proportionatam creato intellectui. Fundamentum eſt. Nam in objectis per intellectum creatum naturaliter cognoſcibilibus poni debet aliquis terminus: nam aliàs in infinitum ad omnia etiam poſſibilia ſaltem ſyncategorematicè protrahi poſſet: cùm tamen Chriſtus terminum ejuſmodi inſinuarit *Actor. 1. Non eſt veſtrûm, noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate.* At verò terminus ille reſpectu Angelici intellectûs ponendus eſt intra limites Intelligibilis pertinentis ad hoc Univerſum. Unde dici debet, Angelum non habere vim intelligendi quodcunque intelligibile creatum, niſi tantùm illud, quod pertinet ad hoc univerſum, & redditur pars illius, & cum eo connexionem habet. At eo ipſo, quòd voluntas creata ſoli Deo præter ſe ſubjaceat, ita ut nulla alia cauſa ſecunda in eam poſſit operari, ſequitur, actum liberum, prout exit à voluntate, nec ulli adhuc effectui manifeſto ad hoc univerſum ſpectanti adjungitur, non habere connexionem cum cauſâ aliquâ totius univerſi. Ergo nulla creata vis Intellectrix poteſt naturaliter cognoſcere actum illum, niſi in aliquo effectu, ſeu ſigno ad hoc univerſum pertinente.

CONCLUSIO I.

PRima ratio per Joannem à S. Thomâ *ubi ſupra* circa primam difficultatem deducta firma eſt, ſi dicatur, defectum aſſimilationis, qui reſpectu ſpecierum Angelico intellectui infuſarum eſt in ſingularibus nondum exiſtentibus, eſſe defectum veritatis Angelico intellectui proportionatæ.

7. Probatur & explicatur. Nihil enim eſt per aſſenſum intelligibile, niſi ſub ratione veri. At veritas altera eſt formalis, quæ primò eſt in ſolo intellectu Divino tanquàm ratione idealiter formativâ omnis extra Deum veritatis etiam objectivæ & materialis. Hæc proinde altera veritas nimirum materialis & objectiva in ente radicata eſt conformabilitas cum intellectu. Unde veritas ejuſmodi ſupponit rationem entis, cujus eſt paſſio. At entis creati ſtatus alius eſt ſecundùm phyſicam realis exiſtentiæ participationem intrinſecam & formalem: alius verò entis creati ſtatus eſt ſecundùm extrinſecam duntaxat denominationem, prout habet Eſſe objectivum in intellectu divino. Hic ipſe verò objectivus entis creati ſtatus alter eſt ſecundùm rationem divinam purè repræſentativam Eſſentiæ, quæ ut ſic fundat ſtatum entis creati quà exiſtentis non quidem in propriâ intrinſecâ, ſed in alienâ ſui cauſatrice menſurâ. Unde conſequens eſt, rationem quoque veri aliam ſupponi in Ente quà intrinſecè exiſtente, atque adeò ſecundùm propriam Durationis menſuram præſente: aliam verò in Ente, quà ſecundùm extrinſecã cauſalitatis Deo immanentis menſuram exiſtente, atq; ideò præſente ſecundùm extrinſecam duntaxat æternitatis menſurâ: aliam verò in Ente quà ſecundũ extrinſecam ſimplicis Divinæ Intelligentiæ repræſentationem Idealem exiſtente in Intellectu Divino ſub Eſſe puræ Eſſentiæ ac poſſibilitatis. Cùm proinde ſpecies Angelica utpote ex ideis Divinis unicè derivata nequeat eſſe falſa, ſed debeat eſſe cauſaliter vera, conſequens eſt, omnem Angelicam à Deo infuſam ſpeciem habere aſſimilationem ſeu conformitatẽ cum aliquo prætactorum entis creati ac veri in eo radicati ſtatu. Atqui ſpecies Angelica non poteſt eſſe repræſentativa rerum exiſtentiũ, quatenus iſtæ habent rationem Entis ſecundùm cauſalem Deo immanentis æternæ actionis denominationẽ: cùm alioquin Angelico Intellectui cõnaturaliter eſſet perſpecta actio Dei æterna, & conſequenter ipſius liberum decretum. Unde quia ſecundùm iſtam duntaxat cauſalitatis Deo immanentis denominationem res ad tempus comparatæ denominentur futuræ ac præteritæ, conſequens eſt, Angelicas ſpecies non eſſe repræſentativas rerum quà futurarũ: Sicuti nec in Angelis poſſunt eſſe naturaliter ſpecies eſſentiarum purè poſſibilium repræſentativæ. Cum alioquin intellectus ipſius ad Eſſe Divini, ex cujus in ſe expreſſione intelligibili conſtituuntur eſſentiæ creatæ poſſibiles, cognitionem ſe poſſet naturaliter extendere. Oportet igitur, ſpecies Angelicas eſſe duntaxat repræſentativas creaturarum, prout in ſtatu intrinſecæ exiſtentiæ habent rationem veri in ente phyſicè actuato radicatam. At eo ipſo, quòd ejuſmodi Angelica ſpecies debeat eſſe cauſaliter vera, nequit eſſe cauſativa cognitionis, niſi ſupponatur ejus objectum in eo ſtatu, qui repræſentatur per talẽ cognitionẽ. Ergo quia Angelica ſpecies non poteſt eſſe repræſentativa entis niſi pro ſtatu intrinſecæ exiſtentiæ per propriam adeò Durationis menſuram menſuratæ, ſequitur, illam non ſe extendere ad res quà futuras, non ex defectu ſui, ſed veritatis enti creato quà per ſpeciem Angelicam repræſentatæ inexiſtentis. Ejuſmodi autem veritas dicit aſſimilationem cum ſpecie, atque cognitione per hanc producendâ conformabilem. Verum igitur eſt, quod S. Thomas *q. 57. a. 3. ad 2.* dicit: *Præſentia habere naturam, per quam aſſimilantur ſpeciebus, quæ ſunt in mente Angeli, & ſic per eas cognoſci poſſe: ſed quæ futura ſunt, nondum habere naturam, per quam illis aſſimilentur, unde per illas cognoſci non poſſe.*

Dices. Ex hoc diſcurſu inferri, quòd neque 8.
præteritorum cognitio poſſit per ſpecies infuſas in Angelo excitari.

Contra. Nam verum quidem eſt, quòd præ- 9.
teritorum immediata, ut ſunt in ſeipſis, notitia, ſit etiam Divinitatis propria, juxta illud *Iſaiæ 41. Accedant & nuntient nobis, quæcunque ventura ſunt, priora, quæ fuerunt, nuntiate, & ponemus cor noſtrum &c.* Unde ſequitur, præterita, quæ dum erant, non fuerunt

fuerunt ab Angelo defectu excitationis ſpecierum cognita, non poſſe deinceps ab ipſo naturaliter intelligi. Nihilominùs ex horum notitiâ relinquitur in noſtro intellectu ſive ſpecies, ſive alia qualitas hujus notitiæ rememorativa, mediante quâ poteſt intellectus Angelicus non minùs, quàm humanus præteritorum priùs cognitorum habere memoriam.

Concluſio II.

EX eo, quòd Voluntas rationalis ſoli DEO præter ſe ſubjaceat, & conſequenter actus ejus ſive Eliciti ſive Imperati non ſint Univerſi partes, ſequitur, ipſos Angelo, cui inexiſtunt, non conſentiente, non poſſe ab altero Angelo intelligi.

10\. Explicatur & Probatur. Omnis namque ſubſtantiarũ creatarum virtus ab intrinſeco ordinatur ad bonũ Univerſi, cujus illæ partes ſunt. Hinc enim propter iſtud Univerſi bonum ex metu vacui agunt cauſæ naturales contra innatam ſuam inclinationem. At verò cujuſque virtutis ſeu potentiæ operandi modus eſt ſecundùm modum Eſſentiæ, cui connaturaliter inexiſtit, & ex quâ emanat. Sicut ergo ſubſtantia, ſic ejus potentiæ ſunt ab intrinſeco determinatæ ac ordinatæ ad Bonum univerſi, intra cujus adeò limites coarctantur. Atqui hoc univerſi bonum, ejuſque ordo ſe continet intra coordinationem ſubſtantiarum. Hinc enim in metu vacui naturales cauſæ idcirco agunt contra innatam ſuam inclinationem, ne impediatur ſuperlunarium in ſublunaria influxus. Si quæ proinde ſit potentia, quæ nullâ reſpectu cujuſvis cauſæ creatæ habet influxuum communicationem, ſequitur, talem potentiam eſſe extra ordinem univerſi, nec adeò actus ipſius per intrinſecam ſuam naturam, ſed duntaxat per voluntariam relationem poſſe alteri ſubſtantiæ creatæ ſubjectos eſſe, ſed propriæ duntaxat earum elicitivæ potentiæ, ac Divinitati tanquàm cauſæ ſupra univerſi ordinem ſuperexiſtenti ſubjacere. At ejuſmodi potentia à cauſarum ſecundarum influxu penitus independens eſt voluntas rationalis. Hujus igitur actus non poſſunt alteri creatæ ſubſtantiæ eſſe ſubjecti, ita ut hæc per propriam à voluntariâ revelatione independentem virtutẽ poſſit circa illos voluntatis actus comunicare, habendo nimirum illorum notitiam independenter à liberâ Dei, vel voluntatis actus illos elicientis ſive imperantis communicatione.

11\. Confirmatur. Nam eo ipſo, quòd Angelus poſſet ſecretas hominum & aliorum Angelorum cogitationes ſuâ naturali virtute independenter à revelatione gratuitâ cognoſcere, ſequeretur, quoad iſtas cogitationes eſſe naturalem, non verò liberam creaturarum rationalium inter ſe communicationem. At verò naturalis communicatio pendet ex ordine univerſi, qui ut ſic importat cauſarum ſecundarum ex unius in alteram influxu coordinationem. Unde ejuſmodi naturalis communicatio non ſe extendit, niſi ſecundùm menſuram & ordinem hujus influxûs. Cùm igitur ſoli Deo ſit potentia immediatè influendi in voluntatem rationalis creaturæ, conſequenter Angelus non poteſt horum actuum habere ex ſeipſo communicationem, atque adeò notitiam, ſed ex gratuitâ duntaxat revelatione.

CONTROVERSIA VI.

Quis ſit modus Angelicæ cognitionis?

SUpponendum 1. Angelum quoad cognitionem in Verbo ſemper eſſe in actu, quoad ſuam tamen cognitionem naturalem poſſe eſſe in potentiâ, imo ut ſic non poſſe ſimul actu cognoſcere plura niſi quà ſubordinata inter ſe, ſive per unam ſpeciem repræſentata. ex S. Thomâ *1. p. q. 58. a. 1. & 2.* Ratio ejuſdem S. Doctoris eſt. Nam multa non poſſunt quà diſtincta ſimul intelligi, ſed quatenus uniuntur in uno intelligibili. At imprimis quæ cognoſcuntur in Verbo, ſunt unita ſub unâ Eſſentiæ Divinæ intelligibili ſpecie. Deinde cum ſpeciei in actu primo intelligibilis ſit, conſtituere objectum in Eſſe intelligibili, & ut ſic formare verbum tanquàm actualem & formalem objectorum intelligibilitatem ſeu repræſentationem. Conſequens eſt, plura objecta, quatenus per unam ſpeciem repræſentantur, ſub unâ intelligibilitatis ſeu formalitate uniri. Ergo ut ſic poſſunt ſimul plura intelligi. 1.

Supponendum 2. Duplicem ex D. Thomâ *1. p. q. 14. a. 7.* poſſe diſtingui diſcurſum. Alter eſt improprius ſecundùm ſucceſſionem tantùm, quando unum intelligitur poſt aliud. Cujuſmodi non eſt dubium, dari in Angelis non omnia extra Verbum ſimul, ſed ſucceſſivè intelligentibus. Alter eſt proprius ſecundùm cauſalitatem, quando una cognitio cauſatur ex aliâ, ita ut intellectus moveatur ab uno noto ad aliud manifeſtandum. Neque verò ad hoc ſufficit, unum objectum illuminari per aliud: hoc enim in ſimplici etiam intuitu cauſæ Comprehenſivo, & ut ſic effectuum in eâ virtualiter contentorum abſtractivè manifeſtativo accidit, ſed oportet, intellectum priùs illuminari circa unum objectum, & ex iſtius illuminatione ſaltem naturâ poſteriùs moveri ad novum ex illo priori objecto lumen educendum, atque hoc mediante ad manifeſtandum objectum poſterius. Unde ad diſcurſum pertinet, ut ſit diverſitas & ordo in ipſo etiam lumine ſe tenente ex parte cognoſcentis, ita ut unum lumen oriatur ex alio illius probativo, & illativo ſeu deductivo: Veluti ex lumine principiorum oritur lumen ſcientiæ. Etſi proinde certum ſit, in Angelis eſſe diverſitatẽ & cognitionum & luminum, Controverſia tamen eſt: *An inter hæc ſit aliqua illationis ſeu cauſalitatis ordo, ſive unius ex alio deductio, an vero nulla ſit diverſitas luminum, niſi diſparatè ſe ad invicem habentium?* 2.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

AFfirmat Scotus *in Prolog. primi ſent. 3. p. q. 4. & 5. laterali & in 2. diſt. 7. q. in § contra concl.* Gregorius *eâd. diſt. 7. q. 5. a. 2.* & alij. Fundamentum eſt. Nam diſcurſus eſt cognitio unius per aliud. Unde ad diſcurſum requiritur 1. ut ſit de veritate, quæ mediũ & cauſam ſui habeat. 2. ut iſta medij cognitio ſit cauſa cognitionis concluſionis. 3. ut 3.

cognitio

cognitio principij ſit diſtincta à cognitione concluſionis. 4. ut ſit prior naturâ vel tempore. At inprimis Angelus multa cognoſcit, quæ non ſunt prima principia per ſe nota, ſed quæ habent cauſam ſuæ virtutis, veluti eſt propoſitio, quòd Eclypſis ſolis vel lunæ tali tempore accidet. Deinde Angelus non cognoſcit omnia etiam naturalia uno actu. Unde fieri poteſt, ut per unum actum videat principium, orbes ſolis ac lunæ, eorumque motus, per alium verò cognoſcat concluſionem v. g. Eclypſin ex talium aſtrorum motu & concurſu futuram. Tunc verò actus prior erit cauſa ſecundi, atque adeò naturâ prior. Ergo dari poteſt in Angelo diſcurſus.

4. Suarez *lib. 2. de Angel. c. 33.* Franciſcus de Lugo *præs. diſp. 14. cap. 3. n. 9.* cum alijs à ſe allegatis diſtinguunt, aſſerendo: non dari in Angelis diſcurſum formalem circa naturalia objecta, quæ evidenter per proprias ſpecies cognoſcunt, ſed circa objecta ſupernaturalia & quæ per conjecturas judicant. Fundamentum eſt. Nam dæmonibus v. g. Chriſtus Dominus quantum oportuit per quædam temporalia effecta innotuit. ex S. Thomâ *3. p. q. 44. a. 2. ad 2.* & Divo Auguſtino *9. de civit. cap. 22.* At in hâc cognitione concurrunt omnia, quæ requiruntur ad diſcurſum, erat enim diſtinctio actuum, quo effectus Chriſti miraculoſos judicabat, & quo hæc miracula cum Prophetarum vaticinijs conferendo inferebat, eorum patratorem eſſe Chriſtum. Unde unus etiam actus erat cauſa alterius.

5. Cajetanus *præs. q. 58. a. 3.* Ferrarienſis *3. cont. Gent. cap. 1.* Ioannes a S. Thomâ *præs. diſp. 22. a. 4. n. 7.* & Thomiſtæ communiter negant ſimpliciter, in Angelis dari diſcurſum. Fundamentum ex Doctore Angelico *cit. q. 58. a. 3.* petitum eſt. Angeli enim ſe habent in genere intelligibili reſpectu intellectûs noſtri, ſicut in genere corporali ſuprema & cæleſtia corpora ſe habent reſpectu inferiorum. At corpora cæleſtia differunt à terrenis, quòd iſta ſuam ultimam perfectionem adipiſcantur per motum, illa verò ſtatim ex ſuâ naturâ ultimam habeant perfectionem. Pari ergo ratione inferiores hominum intellectus per motum & diſcurſum acquirunt ſuam in cognitione veritatis ultimam perfectionem procedendo ex uno cognito in aliud. Hoc autem provenit ex debilitate luminis intellectualis, vi cujus non in ipsâ ſtatim principij cognitione habent ſibi notas ſeu inſpectas omnes concluſiones conſequentes. At ſecus eſt in Angelis. Hi enim luminis intellectualis plenitudinem habentes in primo ſtatim aſpectu principiorum totam eorum virtutem comprehendunt. Unde in eis ſine diſcurſu intuentur, quidquid ex eis ſyllogizari poteſt. Quæ cauſa eſt, cur dicantur Intellectuales, tanquàm in primâ ſtatim apprehenſione intelligentes omnia, quæ in principijs continentur: cùm econtra animæ dicantur rationales, utpote per rationis motum ſeu diſcurſum intelligentes effectus in cauſæ virtute contentos.

Conclusio.

HÆc Divi Thomæ ratio probat, ne circa objecta quidem ſupernaturalia, & conjecturalia convenire Angelis diſcurſum.

Probatur. Nam inprimis certa ſupernaturalium cognitio Angelis eſt per gratiam. Hæc 6. autem eſt immaterialior, quàm Angelici intellectûs connaturalis intelligendi modus. Unde Angelicam ſupernaturalem intellectionem non deprimit ad modum inferiorem, ſed potiùs elevat ad ordinem ſuperiorem, dando vel ſuperiorem intelligendi modum, vel relinquendo ſaltem connaturalem cognoſcendi modum. Atqui modus cognoſcendi per diſcurſum eſt inferior modo Angelicæ intellectionis. Ergo certa ſuper- 7. naturalium in Angelis cognitio nō eſt per diſcurſū. Deinde Angelus in veritatibus etiā conjecturalibus ſeu probabilibus procedit lumine perfectô ac comprehenſivo per ſpecies ab ideis divinis derivatas, atq; adeò rei ū, uti ſunt à parte rei, repræſentativas. At per iſtum cognoſcendi modum Angelus circa objecta etiam probabilia non procedit conjecturaliter per aſſenſum probabilem & opinativum, ſed ſicut cognoſcendo cauſam cum effectu ſuo neceſſariò connexam, effectum ex iſtâ conſecutione neceſſarium judicat *ſignatè*, ſic cognoſcendo cauſam, quæ cum aliquo effectu eſt ſolum conjecturaliter connexa, non *exercitè* affirmat abſolutam effectûs ex illâ cauſâ conſecutionem, ſed hujus conſecutionis probabilitatem *ſignatè* aſſerit. Unde cauſæ cum tali effectu connexionem non neceſſariam, ſed conjecturalem *comprehenſivè* intuens, primo ſtatim actu ſine diſcurſu cognoſcit effectûs conjecturaliter futuri probabilitatem.

Dices. Ex hoc inferri, quòd in Angelo non 8. poſſit eſſe falſitas ſeu deceptio. At iſtud pugnare cum Doctrinâ D. Thomæ *q. 16. de malo. a. 6. ad 3. & præs. q. 58. a. 5.* aſſerentis: *In dæmonibus circa objecta ſupernaturalia eſſe deceptionem quandoque, & judicium falſum.*

Contra. Nam dæmonum circa ſupernatu- 9. ralia deceptio eſt per præcipitationem voluntariam. Ergo non nititur diſcurſu, ſed voluntatis affectu pravo. Antecedens probatur. Nam dæmon v. g. cùm videbat Chriſti Humanitatem ſine hypoſtaſi, vel accidentia Euchariſtica ſine ſubſtantiâ, in his connaturalem in ſubſtantiâ inhæſionis exigentiâ, in illâ verò intrinſecam cum ſubſiſtentiâ connexionem intuetur. At ultra iſtas veritates ex vi naturalis luminis per ſe non progreditur Intellectus Angelicus, ſed admirando potiùs tunc ſecundùm prudentiam & luminis ſibi innati rationem continetur ab omni ulteriori judicio. Unde ſi dæmon intrinſecam Humanitatis Chriſti cum ſubſiſtentiâ propriâ connexionem, vel accidentium Euchariſticorum in ſubjecto inhæſionis exigentiam videns dicat, in Euchariſtiâ eſſe ſubſtantiam panis, & in Chriſto hypoſtaſin creatam, id non facit niſi per præcipitationem voluntariam. Sicuti econtra videns miracula Chriſti, eaq; conferendo cum ſacris litteris Verbi Divini Incarnationem ſeu Chriſti adventū prænuntiantibus, non potuit vi naturalis luminis citra voluntatis imperium ultra progredi niſi aſſerendo in his de Verbo Divino Incarnato teſtimonijs magnam ex ſignis diverſis ineſſe veritatis vim. Unde ut aſſereret, hunc eſſe ipſummet Chriſtum ſeu Verbum Incarnatum, opus fuit Imperio ſuæ voluntatis, per quod crederet & contremiſceret non quidem fide Divinâ ac Timore ſupernaturali, ſed naturali non omnimodam habente certitudinem, utpote Divinæ revelatio-

ni immediatè non innitentem. Cùm igitur dæmon in supernaturalibus vel etiam conjecturalibus non ex suo præcisè naturali lumine intellectuali, sed ex præcipitatione voluntariâ seu Imperio voluntatis ruat in falsum de supernaturalibus, atque conjecturalibus absolutè ac exercitè prolatum Judicium, consequens est, id non fieri per discursum: sicuti nullus in nobis etiam intervenit discursus, quando ex propriâ voluntatis motione ad Fidei Theologicæ actum Intellectus noster movetur.

Responsio ad Opposita Argumenta.

10. AD Fundamentum ex parte Scoti *n. 3.* oppositum Respondetur 1. In *ly per se notum* includi aliquam æquivocationem. Nam principium per se notum inprimis dici solet, cujus termini ex seipsis habent veritatis determinationem formalem & intrinsecam. Hoc autem modo certum est, istam propositionem: In sole est Eclypsis, non esse per se notam: hujus enim propositionis veritas non est determinata ex intrinsecâ immediatâ terminorum inter se conjunctione, sed ex determinatione suæ causæ. Nihilominùs Angelum solis Eclypsin in determinatione causæ ipsius cognoscendo habere unicum Causæ intuitivè, & in hâc effectûs abstractivè manifestativum lumen. Unde nullum intervenire discursum, sed effectûs in causâ simplicem notitiam. Deinde veritas dici potest per se nota, quatenus per speciem seu lumen intuitivum in seipsâ immediatè videtur, atque ut sic Angelus noscit Eclypsin actu existentem. Constat proinde, ad propositiones non ex seipsis, sed ex determinatione duntaxat causarum determinatam veritatem habentes ab Angelo cognoscendas non opus esse discursu, sed si ipsarum objectum sit realiter existens, posse ab intellectu Angelico attingi immediatè in seipsis per lumen ac speciem intuitivam: si verò sint tantùm de possibili seu de futuro, possent ipsarum veritates absque ullo tamen discursu cognosci in causis jam existentibus ac intuitivè visis ab Angelico intellectu.

11. Respondetur 2. Negando, quòd Angelus non uno actu cognoscat principium & conclusionem in eo contentam. Vel enim hoc principium est necessarium, atque tunc in eo judicat Angelus effectûs cum illo quandoque physicè, quandoque metaphysicè necessariam connexionem, imò si iste per modum naturalis proprietatis sit cum tali principio connexus, tunc istius unà cum principio suo fit repræsentatio per unicam speciem, atque cognitionem. Vel principium aliquod est solum conjecturale, atque tunc Angelus extra causam voluntariæ præcipitationis, cujusmodi est in malis, non verò bonis Angelis, non judicat Angelus nisi conjecturalem effectûs cum causâ connexionem. Patet proinde, nullum in Angelis esse conclusionis ex principio aliquo illativum discursum, sed simplicem causæ intuitum, qui simul sit cognitio effectûs in tali principio contenti, sed abstractiva duntaxat, licèt indistincta ab illo causæ intuitu.

12. Imò licèt Angelus effectum in causâ præcontentum priùs non nisi abstractivè cognitum, postea actualiter existentem Intuitivè videat, nequit tamē ista cognitionum successio habere rationem discursûs propriè dicti. Probatur istud assumptum, Nam ex D. Thomâ *1. p. q. 14. a. 7.* duplex distinguendus est discursus, alter impropriius secundùm successionem tantùm, quandò unum post aliud intelligitur. Alter proprius secundùm causalitatem, quando una cognitio causatur ex aliâ, ita ut ex uno noto intellectus moveatur ad aliud ex vi prioris cogniti manifestandum. At verò ad istud non sufficit unum objectum illuminari per aliud, hoc enim in simplici etiam intuitu Causæ comprehensivo, & ut sic effectuū in eo virtualiter contentorum manifestativo accidit, sed oportet, intellectum priùs illuminari circa unum objectum, & ex hujus illuminatione naturâ saltem posteriùs moveri ad novum ex illo priori objecto lumen educendum, & hoc mediante manifestandum objectum etiam posterius. Quare ad discursum pertinet, ut sit diversitas & ordo in ipso etiam lumine se tenente ex parte cognoscentis, ita ut unum lumen oriatur ex alio illius probativo & illativo, seu deductivo, veluti ex lumine Principiorum oritur lumen scientiæ. At in casu prætacto est quidem diversitas & cognitionum & luminum, nullus tamen illationis seu causalitatis ordo, seu unius ex alio deductio, sed ad invicem se habent solùm disparatè. Ergò in illâ duplici cognitione ac lumine est discursus secundùm successionem duntaxat, non verò secundùm causalitatem.

13. Ad argumentum Suarezij *n. 4.* oppositum Respondetur. Dæmōes videndo effectus Christi miraculosos, pensatis etiā non per fidem Divinā, sed prudentiale quoddā naturale Judicium Prophetarum testimonijs, in his per simplicem notitiam cognitis novisse connexionem aliquam cum veritate, quòd miraculorum illorum patrator esset Christus. Ex vi cujus adeò notitiæ non discurrendo, sed veritatem istam in effectibus miraculosis, alijsque testimonijs contemplando, non absolutè pronunciasse, quòd Christus existeret, sed judicâsse signatè evidentiam credibilitatis, secundùm quam prudenter assentiri posset, quòd Christus existeret. Quem quidem assensum non per discursum, sed per Imperium voluntatis tunc excitari potuisse in dæmonis intellectu.

COROLLARIUM
De Locutione & Illuminatione Angelorum.

14. INfertur 1. Angelos verè colloqui inter se. ex S. Thomâ *1. p. q. 107. a. 1.* Ratio est. Tum quia *in Epist. Cathol. Iuda 14. v. 9.* dicitur Michael cum Diabolo disputasse. At ista disputatio non poterat subsistere sine mutuâ locutione manifestativâ rationum, quibus uterque disputans innitebatur; Tum quia Angelorum Essendi modus est politicus exigens convictum socialem. Ejusmodi verò societas dicit mutuam cogitationum communicationem, atque adeò collocutionem.

15. Infertur 2. Angelos non colloqui inter se per signa aliqua sive spirtualia sive corporalia, sed conceptus suos ordinando ad alterum, seu consentiendo, ut alteri innotescat. S. Thomas *citato a. 1.* Ratio est. Cùm enim cuilibet Angelorum sint innatæ species secretorum repræsentativæ, non nisi ad nutum illius, cui conceptus inexistunt, poterit Angelus hos facere manifestos al-

stos alteri per hoc duntaxat, quòd velit eos alteri manifestos, nullis licèt intervenientibus signis.

16. Infertur 3. Angelos hominibus loqui posse duobus modis. 1. Formando voces sensibiles, sive in aere, sive in corpore aliquo assumpto. 2. Excitando indirectè mediantibus phantasmatibus in homine species intellectûs, quemadmodum Angeli mali incitant ad vitia, commovendo phantasmata ad species inhonestas, sicut econtra boni incitant ad virtutes.

17. Infertur 4. Homines etiam duobus modis posse Angelis colloqui. 1. Per voces externas, quarũ significatio Angelis omnino perspecta est. 2. Cùm Angelus habeat innatas species humanorum actuum repræsentativas cum sufficiente eorundem cognoscitivo lumine, nihil desideratur, quàm ut homo in suarum cogitationum manifestationem consentiat, ut adeo solo consensu possit homo Angelis colloqui.

18. Infertur 5. Inter Angelos dari aliquam illuminationem. ex S. Dionys. *cœl. Hierarch. cap. 4.* Ratio est. Nam illuminatio est locutio, quâ unus Angelorũ veritatẽ sive naturalẽ, sive supernaturalẽ sub altiori lumine revelat alteri. Atqui Angelus superior suum, quem habet tum de naturalibus, tum de supernaturalibus conceptum, tanquàm altius aliquod lumen manifestat inferiori, cui veritas ejusmodi licèt præcognita fuerit, ex illo tamen sibi revelato conceptu tanquàm sublimiore lumine recipit novam altioris alicujus illustrationis impressionem. Imò Angelo inferiori quandoque occultatur tam in Verbo, quàm extra Verbum veritas aliqua etiam supernaturalis, circa quam adeo illuminari potest per Angelum superiorem. Cæterùm hæc illuminatio eo fit ordine, ut superiores immediatè illuminentur à Deo, inferiores verò mediantibus superioribus. S. Thomâ *hic q. 106. a. 3.* Etenim Deus per superiora gubernare solet inferiora. ex D. Dionys. *citato.* At per illuminationem instruuntur Angeli de Divinæ providentiæ gubernatione ac dispositione. Congruum igitur est, de hâc Divinâ gubernatione Angelos inferiores edoceri mediantibus superioribus. Unde supremus Seraphinus à solo Deo, vel Christo Domino illuminatur. Et licèt omnes Angeli supremæ Hierarchiæ soleant à Deo immediatè illuminari, si tamen Deus aliquem primæ Hierarchiæ Angelum intendat illuminare per Angelum, id non fit nisi mediante superiore. Verùm secundæ Hierarchiæ Angeli illuminari solent per aliquam ex primâ Hierarchiâ: sicut Angeli tertiæ Hierarchiæ per Angelum secundæ. Ex quo proinde patet discrimen illuminationis & locutionis Angelicæ, quòd locutio præcisè importet manifestationem alicujus veritatis, non attento, quòd debeat esse sub altioris luminis irradiatione, ut adeò inferior Angelus superiori colloqui, non tamen ipsum illustrare valeat.

ARTICULUS IV.

De Voluntate Angelorum.

1. SUpponendum 1. In Angelis esse Voluntatem distinctam ab Intellectu. ex S. Thomâ *præs. q. 59. a. 1. & 2.* Ratio est. Omnis enim substantiæ est quædam in Bonum inclinatio. Hæc verò alia est secundũ naturalem duntaxat habitudinẽ sine cognitione, quæ dicitur appetitus innatus. Alia verò est cũ cognitione boni quà particularis non depurati à materialitate, quæ dicitur appetitus sensitivus. Alia denique est cum cognitione boni sub ratione boni universalis quà depurati nimirum seu abstracti à materialitate, quæ dicitur Voluntas. At verò Angeli *1. Petri 1.* dicuntur, quòd in Spiritum Sanctum desiderent prospicere. Est autem Spiritus Sanctus Bonum purissimum. Ergo istud desiderium in Angelis est voluntatis. Ergo in ipsis est voluntas, quam oportet ab ipsorum intellectu esse hoc ipso distinctam, quòd sit hujus, per inclinationem extra se trahi in objectum amatum: illius verò sit, per repræsentationem seu intentionalem intussusceptionem trahere objecta intra se.

Supponendum 2. ex S. Thomâ *citato loco.* Alium Angelicæ voluntatis actum esse naturalem seu necessarium, alium verò Liberum. Ratio est. In omni enim naturâ datur inclinatio eidem proportionata. Atqui naturæ Angelicæ utpote intellectualis est, ità habere bonum suæ vitæ ac existentiæ, vel finis connaturaliter convenientis ab intrinseco sibi proportionatum, ut tamen in medijs sibi, suoque fini congruis intelligat aliquam disconvenientiã respectu sui. Hæc ipsa verò mediorum ad finem convenientiæ, tum disconvenientiæ repræsentatio fundat liberum voluntatis arbitrium. Oportet igitur, in Angelicâ voluntate esse dilectionem tum naturalem, tum liberam, ita quidem, ut Angelus naturaliter diligat non seipsum, duntaxat appetendo sibi Esse, vivere, ac perfectionem suam naturalem, sed alios insuper Angelos in quantum secum conveniunt: at liberè diligat & seipsum, in quantum sibi vult aliquod bonum per electionem, & cœteros Angelos, in quantum differunt ab ipso. 2.

CONTROVERSIA I.

An possibilis sit aliqua voluntas creata ab intrinseco Impeccabilis?

NUllam de facto, ne Angelicam quidem, intellectualem creaturam Impeccabilem esse, docet fides ex *Iob cap. 3. & 4. 15.* Hujus rationem D. Thomas *q. 24. de verit. a. 7. & 1. p. q. 63. a. 1.* cum S. Augustino *lib. de fide ad Petrum. cap. 3. & 23.* assignat: Tum quòd Angelus sit factus de nihilo, tum quòd omnis creaturæ intellectualis actuum moralium regula sit ab his distincta, possintque adeò tales actus deficere à rectitudinis suæ regulâ. 3.

Hinc quia istæ rationes probant de omni etiam possibili creaturâ intellectuali, difficultas est, *Utrùm sint efficaciter demonstrativa?* 4.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

CIrca quod Scotus *in 2. dist. 23. q. un. §. Dicã igitur. in fine.* asserit, non tam ex efficaciâ rationis, quàm ex SS. August. *lib. 3. contra Maximum. cap. 13. & Anselmi lib. 2. Cur Deus homo. cap. 10. in fine.* authoritatibus tenendum esse, quòd nequeat 5.

 produci

produci creatura per naturam suam impeccabilis.

6. Econtra Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 23. a. 1. n. 6. & n.* illas sancti Doctoris rationes omnino efficaces taliter demonstrat. Tum quia natura, quæ est ex nihilo, est vertibilis & mutabilis in nihilum quoad Esse. Atqui potentia & modus operandi sequitur modum Essendi. Ergo potentia libera fundata in naturâ mutabili etiam in quantum operativa est liberè mutabilis. Ergo non habet libertatem firmatam in bono, à quo proinde potest deficere, atque adeò peccare. Tum quia voluntas libera est hoc ipso peccabilis, si habeat defectibilitatem à regulâ suæ moralitatis seu honestatis moralis. At eo ipso, quòd istam regulam non habeat sibi indefectibiliter annexam, est ab illâ defectibilis. Eo ipso autem, quòd creaturæ intellectualis regula consistens in lege seu imperio Dei sit liberè à Deo, sequitur, non esse ulli creaturæ Intellectualis voluntati inseparabiliter annexam. Ergo potest deficere, atque adeò peccare.

7. 2. Difficultas est, *Utrùm istæ rationes probent, Angelum intra ordinis naturalis limites consideratum in ordine ad finem præcisè naturalem absque prævia seu comitante legis ac Finis supernaturalis deviatione posse etiam peccare?*

8. Negat Ioannes à S. Thomâ *cit. a. 1.* cum Doctoribus à se relatis. Cujus Fundamentum *n. 19.* deductum est. Eo ipso, quòd actus voluntatis sit regulatus & in suâ regulatione, imò & in suâ elicientiâ omninò dependens ab intellectu, impossibile est, concipere in voluntate motum seu actum deficientem in regulatione passivâ, nisi sit defectus ex parte regulationis cognitæ & per intellectum propositæ, quæ est regulatio activa. Unde consequens est, defectum moralem in voluntate non posse oriri, nisi ex defectu dictaminis regulantis seu applicantis ex parte intellectûs. Atqui Angelus consideratus solùm in puris naturalibus & sine ordine ad legem & finem supernaturalem, non potest operando connaturaliter ad modum suæ naturæ habere defectuosum dictamen.

9. Probatur istud assumptum. Nam defectus dictaminis ex duplici solùm capite oriri potest, aut quia regula ipsa, per quam actus dirigendus est, non plenè consideratur, nec applicatur secundùm se ad omnia regulabilia, aut quia aliquid contrarium ipsi regulæ accipitur ut convenientius sibi, regulâ rationis & naturæ lege odio habitâ, vel omissâ. At hoc secundo modo nō potest Angelus per se directè legem ipsam seu regulam sui despicere, & odio habere, vel omittere, cùm lex illa seu regula sit bonum naturæ ejus, quod amatur necessariò quoad specificationem. Unde non nisi per accidens solùm ratione alicujus effectûs v. g. propter pœnam potest Angelus velle, non esse talem legem, vel eâ odio habere. Deinde nec primo modo ex indebitâ legis naturalis consideratione, seu ex aliquâ circa cognitionem ejus omissione potest Angelus peccare contra illam, cùm omne id, quod ad legem naturalem, & ad Bonum rationis pertinet, Angelus in naturæ suæ cognitione comprehensivè cognoscat habens legem ejusmodi semper sibi præsentem, utpote primum & immediatum cognitum. Ergo quia per hanc comprehensionem videt tum principia legis naturæ, tum ea, quæ ex istis deducuntur, nequit rectæ rationis regula non semper in Angelo applicata esse ad omnia regulabilia.

Ex opposito quamcùnque Intellectualem creaturam, spectatis puris naturalibus, peccare posse, absolutè tradunt Hieronymus de Medices *præs. q. 63. a. 2.* Suarez *lib. 3. de Angelis. cap. 1.* habeturque in S. Thomæ *q. præs. a. 2. conclusionis summario.* Verùm Bannes *eod. art. 2. cont. 2. & 5.* distinguit asserendo, Angelum non posse peccare immediatè ac per se contra legem naturalem cum naturâ inditam, sed contra legem positivam ordinatricem ad finem etiam naturalem duntaxat. 10.

CONCLUSIO.

ILla duplex S. Thomæ ab initio proposita ratio in unam deducta efficaciter probat, quòd nulla creatura intellectualis possit per naturam suam impeccabilis esse.

Probatur. Nam ex eo, quòd creatura sit de nihilo, sequitur, habere in omni suâ perfectione aliquid potentialitatis. 11. Ex hâc verò potentialitatis omnium quarumcunque creatarum substantiarum perfectioni inexistentis ratione denuo infertur, cujusvis intellectualis creaturæ voluntatem non esse per se in actu, sed in potentiâ ad rectitudinem: ut adeò verum sit, actuum moralium regulam ab his esse distinctam. Atqui ex hoc rursus sequitur, tum quòd, suppositâ etiam operandi potentiâ omninò perfectâ & completâ, cujusvis intellectualis creaturæ voluntas in suo adhuc operari indigeat Dei præoperante concursu, seu causalitate dante ipsum velle & operari cum omnimodo perfectionis suæ modo. Tum quòd ista Dei præoperans causalitas nulli quantumvis perfectæ creaturæ utpote propter sui de nihilo extractionē absoluto Dei dominio quoad Esse & operari simpliciter subjectæ possit taliter debita esse, ut Deū valeat obligare ad actū, ejusque moralem rectitudinem donandam. Unde quævis creatura propter sui ex nihilo extractionem habet in se radicatam voluntatis suæ defectibilitatem, per quam a suâ moralitatis regulâ sive naturali sive positivâ deficere, atque adeò, puris naturalibus spectatis, contra finem etiam naturalem peccare possit.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD Ioannis à S. Thomâ ex parte 2. difficultatis *n. 8.* oppositum fundamentum Respondetur. 12. Distinguendo Majorem: Verum namque est, quòd defectibilitas voluntatis non tendetur in tali Dictaminis defectu, qui importet errorem seu ignorantiam pravæ dispositionis, vel etiam privationis, sed puram in potentialitate tum voluntatis, tum intellectûs, atque adeò Dictaminis radicatam negationem ut sic puræ actualitati ac omnimodò depuratæ perspicacitatis judicio oppositâ, uti in conclusione expositū est. Neque enim in dictamine supernaturali, contra quod Angeli mali primò peccaverunt, erat defectus pravæ dispositionis, sed negationis duntaxat in potentialitate radicatæ: ut adeò ex Angelorum malitiâ non nisi defectum potentialitati immersum supponente provenerit; quod

quod à rectitudine tum supernaturali, tum naturali deficerent. Ergo voluntatis per malitiam defectibilitas non debet reduci in defectum Dictaminis rationis, nisi quòd istud non sit per se actuans Angelicam voluntatem, sed tam in seipso, quàm in voluntate importet potentialitatem, per quam voluntatis est in se distinctio à suæ moralitatis regulâ, & consequenter defectibilitas à rectitudine morali.

CONTROVERSIA II.

Utrùm Voluntas Angelica possit venialiter peccare?

1. VAsquez. *1. 2. q. 89. a. 4. in Comment.* & Suarez *lib. 3. de Angelis. c. 8.* asserunt, Angelum posse committere peccatum veniale ex genere suo, vel parvitate materiæ, non tamen ex subreptione vel indeliberatione. Fundamentum est. Quia potest malè eligere in materiâ, quæ vel ex genere suo levis est, vel ob materiæ parvitatem, qualis est detractio levis.

2. Franciscus de Lugo *præs. disp. 17. cap. 4. n. 12.* tenet, Angelos spectatis suis intrinsecis principijs, posse etiam ex indeliberatione peccare venialiter. Fundamentum est. Nam intellectus Angelicus non potest omnia simul cognoscere, sed determinatum objectorum & formalitatum in ipsis explicitè perceptarum numerum. Ergo posset Angelus sic alia objecta simul considerare, ut in aliquo non perciperet distinctè omnes rationes convenientiæ, vel honestatis, quæ illum ad non peccandum incitarent, vel non attenderet ad malitiam in tali objecto contentam.

3. Divus Thomas *1. 2. q. 89. a. 4. & q. 7. de malo. a. 9.* ac Thomistæ simpliciter negant, posse Angelum venialiter peccare.

CONCLUSIO.

NEquit in Angelo tam ratione parvitatis materiæ, quàm ratione indeliberationis esse aliquod veniale peccatum.

4. Probatur ratione S. Doctoris. Nam sicut Angelus perfectè intelligendo, conclusiones non attingit seorsim à principijs, sed in his comprehensivè cognoscit omnem veritatem cum eis connexam: sic volendo non attingit media separatim à fine. Unde non potest Angelicæ voluntatis aliquis esse defectus circa moralem mediorum rectitudinem, quin ab ipso etiam fine deficiat. At in quolibet Angelicæ voluntatis fine est materiæ moralis gravitas. Hæc igitur Angelicæ voluntatis actum facit mortaliter peccaminosum. At eo ipso, quod Intellectus Angelicus semper habeat præfixas sibi naturalis luminis regulas morales, utpote in naturæ suæ cognitione comprehensivâ necessariò cognitas, nequit voluntas Angelica cum indeliberatione operari. Repugnat igitur in Angelo ullum esse veniale peccatum.

IHS.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD argumentum ex parte Vasquezij *n. 1.* oppositum Respondetur. Ejusmodi materiæ levitatem in Angelo semper esse conjunctam cum deordinatione, quæ non tantùm sit præter, sed ex vi Angelorum connaturalis volendi modi contra finem rationi Angelicæ convenientem. Ex quâ proinde finis circumstantiâ levem illam materiam in genere morali fieri gravem, atque adeò lethalem. 5

Ad argumentum ex parte Francisci de Lugo *n. 2.* oppositum Respondetur. Negando, posse in Angelo esse aliquam moralis honestatis inconsiderationem, veluti nervosè probat argumentum Ioannis à S. Thomâ *præs. dub. 1. ex parte 2. difficultatis propositum.* 6

CONTROVERSIA III.

Utrùm Voluntas Angelorum in primo creationis instanti fuerit peccabilis?

DIvus Thomas *præs. q. 63. a. 5.* docet: Angelum in primo instanti peccare non potuisse. Fundamentum ab eodem S. Doctore deductum est. Quamvis etiam res aliqua in primo instanti, quo incipit esse, simul incipere possit operari: tamen illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei est ei ab agente, à quo habet Esse, sicut moveri sursum inest igni à Generante. Unde si aliqua res habet Esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiva actionis, poterit in primo instanti, in quo incipit esse, habere defectivam operationem. Agens autem, quod Angelos in Esse producit, scilicet Deus, non potest esse Causa peccati. Unde non potest dici, quòd diabolus in primo suæ creationis instanti potuerit esse malus. 1

Adversus istam doctrinam insurgit Scotus *in 2. dist. 5. q. 2.* Gregorius *ibidem q. 1. a. 2.* Gabriel *dist. 4. q. un. a. 3.* Vasquez *1. p. dist. 136. cap. 3.* Molina *præs. q. 63. a. 5.* Rada *2. p. cont. 11. a. 3.* Fundamentum est. Quia Angeli in primo creationis instanti habuerunt sufficiens peccandi principium, scilicet cognitionem ex parte Intellectus cum indifferentiâ objectivâ, & libertatem ex parte voluntatis cum indifferentiâ Electivâ. 2

Verùm istud fundamentum Thomistæ, nominatim Cajetanus hic *a. 5.* Nazarius *ibidem cont. 2.* Ioannes à S. Thomâ *disp. 23. a. 2.* evertunt, negando, Angelicam voluntatem in primo creationis instanti fuisse liberam libertate specificationis, sed exercitij duntaxat. Cujus Fundamentum ex Ioanne à S. Thomâ *citato à n. 12.* deductum est. Quia Angelus, & quæcunque creatura intellectualis in suo primo actu non potest se movere, nec à se accipere, & formare dictamen, sed à Principio, veluti patet ex authoritate tum Aristotelis, tum Sancti Thomæ *1. 2. q. 9. a. 4.* tum ex ratione: quòd alioquin idem quà movens esset in actu, & quà mobile in potentiâ. Nisi ergo principium exteriùs movens Angelum, & dans illi dictamen sit principium defectuosum, non poterit defectuosum dictamen dare; At sine dictamine defectuoso non potest voluntas aliqua peccare. Si ergo Angelus in primo creationis instanti posset peccare, oporteret, principium exterius pro tunc movens Angelum 3

gelum, posse illi dare defectuosum dictamen. At pro primo instanti creationis nequit ullum exterius Principium præter Deum dare aliquod dictamen.

4. Probatur istud assumptum ex Ioanne à S. Thomâ *n. 20.* Nam duo circa formationem dictaminis concurrunt principia, alterum est materiale, quatenus scilicet formatio dictaminis pendet à propositione seu manifestatione objecti, ut à materiâ, circa quam formari debet; alterum est principium Efficiens seu applicans, per quod movetur, applicatur, & formatur dictamen. At licèt in casu, quo Deus creat unum Angelum cum cognitione aliorum Angelorum, & inter illos Dæmones, eorumque mala dictamina sive ex revelatione Divinâ sive ex collocutione Angeli alicujus pravi videret, posset tunc Angelus in primo creationis suæ instanti habere manifestationem alieni pravi Dictaminis tanquàm materiam circa quam. Attamen ut ex istâ materiâ in ipsomet Angelo noviter producto fieret formatio dictaminis, oporteret intervenire etiam principium Efficiens & applicans. Hoc autem nequit esse alius Angelus, sed vel intellectus tantùm proprius, vel solus Deus. Cùm igitur Angeli proprio Intellectui pro primo Creationis instanti convenire non possit, quòd sit seipsum movens, consequenter pro tali instanti solus Deus potest esse principium Efficens Dictaminis; si ergo pro tunc Angelus habere posset principium defectuosum, iste defectus redundaret in Deum. Hoc autem repugnat Divinæ puritati & sanctitati. Ergo Angeli in primo creationis instanti impeccabilitas, cùm non nascatur ex defectu libertatis quoad exercitium, efficaciter reducitur in id duntaxat quòd pro tali instanti non possit nisi à solo Deo moveri ad formandum Dictamen.

CONCLUSIO.

Ratio Divi Thomæ *supra n. 1.* insinuata videtur accipi posse in sensu non tantùm materiali, sed formali, atque ut sic probat Angeli pro primo creationis instanti impeccabilitatem non ex parte Dictaminis duntaxat, sed ipsius etiam voluntatis consideratæ cum ordine ad Deum quà creantem, ejusque actionem quà creativam.

5 Explicatur & probatur. Nam ex eo solùm quælibet voluntas creata est peccabilis, quòd non sit per seipsam suæ rectitudinis moralis regula, ex S. Thomâ *præs. q. 63. a. 1.* Hæc autem voluntatis defectibilitas taliter supponit Dictamen non quidem positivè aut privativè, sed negativè Defectuosum, ut hæc ipsa Defectibilitas per S. Augustinum & D. Thomam ultimatè reducatur in potentialitatem cuilibet creaturæ eatenùs convenientem, quatenus est de nihilo facta. At ex eo, quòd quælibet voluntas creata sit de nihilo, etiam fit, non posse ullum assignari instans, in quo in seipso possit habere jus Dei obligatorium ad actionis moralis rectitudinem sibi concedendam: sed Deo absolutissimum sit Dominium, istâ rectitudinē taliter denegandi, ut tamen ex jure Causæ primæ possit dare actionem, quæ non quidē respectu Dei, sed creatæ voluntatis fundet moralē malitiam. Si ergo Deus ad hoc suum præcisè Dominium attendendo potuit in electione suæ Prædestinationis, nullo præcedente peccato, aliquos Angelos ordinare in vasa contumeliæ, negativè ipsos reprobando, & hinc denegando finalē rectitudinem, sed loco istius ex occulto Juris adeòque Justitiæ suæ Judicio ipsis destinando actionem entitativè, ac respectu Causalitatis Divinæ Bonam, sed respectu voluntatis Angelicæ pravam, cur non dicere liceat, sanctitatem Divinam haud contaminari, si pro primo Creationis instanti Angelo denegasset actionem moraliter bonam, ne tamen ipsum otiosum sine actione morali relinqueret, destinasset actionem, (idem argumentum fieri potest de Dictamine) quæ in genere Entis quà ex Causalitate Divinâ descendens esset bona, etsi per sui à voluntate Angelicâ Defectibiliter, sed liberè operante dependentum esset moraliter mala?

Quare ut Doctoris Angelici supra *n. 1.* deductam rationem salvemus, hunc si fortè alicujus sit ponderis, acriori aliorum Judicio expendendum, exhibemus discursum. Etenim creationis instans formaliter spectatum connotat Formalem creationis effectum. Hic verò est Esse ut sic, non verò tale Esse quà immersum potentialitati, atque adeò defectibilitati. At verò ex Sacris Litteris habemus, Deum creasse universa, quæ fecit, tanquàm perfecta, suumque opus complevisse *Gen. 4.* Ejusmodi verò perfectio non tantùm dicit complementum in lineâ Essendi, sed etiam operandi perfectum. Unde dici debet, tam in Angelis, quàm in alijs creaturis pro primo creationis instanti primū cujusque creaturæ statui competentem actum fuisse à Deo productum sub tali perfectionis formalitate, quæ ut sic esset formalis terminus creationis. At primo Angelorū creationis instanti respondet Essendi status non duntaxat naturalis, sed etiam supernaturalis. Unde pro tali instanti respondere debuit etiam operatio moralis tam naturalis, quàm supernaturalis quà formaliter terminans creationem. At eo ipso, quòd ista ut sic formaliter respiciat Esse, hoc verò in genere moris sit formaliter rectitudo, peccatum verò dicat formaliter deficientiam & privationem, consequens est, non posse instans creationis, in quo Angeli secundùm omnimodam tam naturalis, quàm supernaturalis status sui conditionem intelliguntur creati, in sensu formali componi cum peccato, atque adeò verificari, quòd Angelus pro primo creationis instanti in sensu composito non potuerit peccare, etsi in sensu absoluto ac diviso, factâ comparatione non ad creationem, sed Angelicæ voluntatis intrinsecæ defectibilitatem, atq; adeò ad Divinā in Dominio Dei absoluto radicatā permissionem fortè dici possit, quòd Angelus in primo non tam creationis, secundùm integrale sui complementum ad ejus actum etiam moralem terminatæ, quàm existentiæ defectibilitatem ejus voluntati innatam concomitantis instanti potuisset peccare. Juxta quam adeò distinctionem verificatur etiam D. Thomæ *supra n. 1.* exposita Doctrina, quòd scilicet Deus foret agens Defectuosum, si Angelus in Primo Creationis instanti formaliter spectato peccasset, tametsi nulla in Deum redundare debeat Defectibilitas, si in primo creationis ad Angeli duntaxat Esse, non autem operationem terminatæ instanti per Divinum in absoluto Dei Dominio radicatum Justitiæ Judicium concomitanter fieret operatio, cui secundùm divinæ 6.

vinæ permissionis, non autem creationis rationem formalem esset respectu voluntatis creatæ annexa privatio moralis rectitudinis.

CONTROVERSIA IV.

Quæ in Dæmonibus ex parte Voluntatis ipsorum sit causa obstinationis seu obdurationis?

1. DÆmones in malo esse obduratos & obstinatos, S. Thomas *præs. q. 64. a. 2. argum. sed contra.* probat ex illo *Psal. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Cujus rationem sanctus Doctor citatus taliter deducit. Nam apprehensio Angeli differt ab apprehensione hominis in hoc, quòd Angelus immobiliter apprehendat per intellectum, sicut & nos prima principia, quorum est intellectus immobiliter apprehensivus. Econtra homo per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo de uno ad aliud habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Pari proinde proportionis ratione hominis voluntas objecto à se volito adhæret mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere. Voluntas verò Angeli adhæret fixè & immobiliter. Unde si consideretur ante adhæsionem, potest liberè adhærere, sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret. Sic igitur & boni Angeli semel adhærentes Iustitiæ sunt in illâ confirmati, mali verò peccantes sunt in peccato obstinati.

2. Ex quâ S. Doctoris ratione oritur difficultas: Quòd dæmones superbiendo semper peccent. At non est peccatum sine libertate. Videtur autem libertas sublata, si dæmonum voluntas post electionem immobiliter adhæreret. Ergo non videtur illa D. Thomæ doctrina taliter accipienda, quòd Dæmonum voluntati ex naturâ suâ sit impossibilis retractatio, sed quòd istud sit ipsis valde difficile, veluti cum alijs exponunt Suarez *lib. 8. de Angelis. cap. 11. &* Vasquez *disp. 239. cap. 3. & 4.*

3. Verùm illam Sancti Doctoris doctrinam in toto rigore sumendam, ita ut Angelus simpliciter non possit retractare, quod semel judicarit, & cui ex plenâ electione adhæsit; asserunt Cajetanus *ad præs. q. 64. a. 2.* Nazarius *ibi cont. 1.* & Thomistæ communiter.

CONCLUSIO.

OBstinatio Dæmonum formaliter consistit in subtractione auxilij Divini tum efficacis, tum sufficientis, non illius, quod in ordine ad bonum honestum etiam naturale dat posse, sed affectivi, quod ad naturalis ordinis Honestatem est incitativum: radicaliter autem reducitur in intrinsecam voluntatis Angelicæ inflexibilitatem non talem, quæ tollit potentiam ad oppositum, sed quæ ab intrinseco connaturaliter exigit non moveri à Deo ad actum adhæsioni semel habitæ oppositum.

Probatur. Nam duplex est bonorum operum genus, alterum honestatis duntaxat naturalis, alterum honestatis supernaturalis. Est autem indubitatum, dæmonibus & damnatis nullum esse ampliùs supernaturale sive sufficiens, sive efficax Dei auxilium ad operandum supernaturaliter. At verò in ordine ad moralia naturalis honestatis opera præsupponuntur tum in dæmonum intellectu naturalia ejusmodi honestatis repræsentativa principia, tum in eorundem voluntate innata vis ad talem honestatem amplectendam. Hæc autem tum honestatis repræsentatio, tum eandem prosequendi innata vis est sufficiens ad hoc, ut dæmones habeant potentiam liberam, per quam sub motivo honestatis naturalis potentes aversari quæcunque peccata, ut adeo superbiendò & odiendo semper peccent. Quare ipsorum obcæcatio & obduratio non consistit in virtutis ad peccata evitanda, & moralia honestatis naturalis opera exercenda sufficientis denegatione: sed tum in omnimodi sive sufficientis, sive efficacis ad supernaturaliter operandum auxilij subtractione; tum in auxilij ad moralia honestatis naturalis opera tam Excitativi, quàm efficacis denegatione. 4.

Probatur illud assumptum. Nam gratiæ & liberalitatis Divinæ est præter innatam honestatis naturalis repræsentativam, & appetitivam virtutem immittere aliquam inspirationem motivam ad bonum incitantia proponentem, nec non affectum ac opera honesta suaviter excitativam. At verò ejusmodi inspirationibus, nec non affectivis motionibs divinis penitus carent dæmonum ac damnatorum Intellectus & Voluntates. Econtra ex miseriâ statûs sui, in quo nullus est ordo, sed horror sempiternus, nec non ex præcedenti peccaminoso affectu ac pœnarum doloribus habent in se excitata motiva valde ponderosè incitativa ad rebellionis suæ contra Deum ac blasphemiæ peccata amplectenda. Unde licèt habeant & in intellectu & in voluntate vires physicè sufficientes ad bona moralia honestatis naturalis opera, atque adeò ad fugam & detestationem peccatorum, moralis tamen honestatis principiorum cognitio in ipsis valde arida est, D. Thomâ *præs. q. 64. a. 1.* attestante: quòd cognitio affectiva taliter ablata sit à dæmonibus. Deinde viribus ad naturalis ordinis opera moraliter honesta exercenda suppositis, opus est auxilio divino ex parte actûs etiam secundi prævenientis ac ipsum Velle liberum gratuitò donante. At hoc efficaci ad actus etiam naturaliter honestos auxilio penitus privantur damnati: aliunde verò ne ipsorum voluntas sit absque omni actu, Deus tum ex Iure Causæ primæ faciendo Iudicium, tum ex Iure sui absoluti Dominij, tum ex jure Iustitiæ vindicativæ in pœnam scelerum dat concursum efficacem ad entitatem actuum, qui respectu voluntatis hominum & Angelorum habeant annexam rectitudinis debitæ privationem, atque adeò malitiam moralem. Constat igitur, obstinationem damnatorum non impedire, quò minùs semper peccent. 5. 6.

Unde

Unde horum obstinatio & obcæcatio tum in privatione sive sufficientis, sive efficacis ad supernaturaliter operandum, tum in subtractione non sufficientis simpliciter, sed incitativi, nec non efficacis ad moralia honestatis naturalis opera auxilij formaliter consistit.

7. Cum eo tamen inter homines & dæmones discrimine, quòd in his ex affectu peccaminoso semel concepto sit illius privationis, atque adeò obstinationis radix intrinseca in ipsorum naturis fundata: in hominibus verò non alia radix sit, quàm quæ ex debito ac reatu culpæ oritur. Probatur istud assumptum. Nam Angelus in judicio suo quandoque procedit comprehensivè cum plenâ resolutione ac determinatione, quandoque verò ex conjecturis aliquid judicans non absolutè resolvit veritatem talis objecti, sed quà probabilem. Inter hos autem duos procedendi modos istud est discriminis, quòd Angelus Persarum Princeps seu custos nondum habens divinam de Israelitici populi redemptione voluntatem sibi revelatam, ob regni sibi commissi ex Israelitarum præsentiâ proveniens spirituale bonum, resisteret Gabrieli Archangelo, Danielis hanc liberationem à Deo efflagitantis preces offerenti. At hic ipse Persarum Princeps non ex plenâ deliberatione seu resolutoriâ divinæ voluntatis cognitione agens, postmodùm hâc sibi perspectâ, mutavit voluntatem. Sicut ergo Angeli non resolutoriè agentes mutare possunt voluntatem, sic quia hominum quantumvis resolutoria Intellectio ex naturali suo intelligendi modo nunquam est rei plenè comprehensiva, est consequenter ab intrinseco mobilis ac flexibilis. Econtra verò Angelus objecto comprehensivè secundùm omnia motiva perspecto, non potest intellectûs sui judicium mutare. At licèt in hoc ipso

8. Iudicio habeat perspecta motiva opposita, ratione quorum potuerit pro libertate suâ ad utrumlibet se determinare. Nihilominùs ad alterutram partem se resolvendo, infixit voluntati suæ pondus faciens jam præponderare alterius partis motiva. Hoc autem pondus licèt non tollat voluntatis Angelicæ activam indifferentiam, & tum super actus oppositos, tum super motiva utrinque proposita dominativam, attamen ex suæ omninò resolutoriæ adhæsionis perfectione exigit, ne immittat Deus auxilium actûs oppositi effectivum. Quare ubi Angelus suam voluntatem à Deo resolutoriè avertens per superbiam convertit se ad seipsum, eatenus in se statuit finem suum ultimum, ut huic immobiliter adhæreat, non eâ quidem ratione, quòd non habeat ampliùs potentiam sufficientem ad voluntatis suæ mutationem, sed quòd illo motivo jam resolutoriè præponderante, habeat in se connaturalem exigentiam de auxilio actûs oppositi seu moraliter honesti non immittendo. Unde per talem Angelicæ voluntatis immobilitatem non tollitur potentia seu vis sufficiens, sed auxilium tum efficax ex parte actûs secundi, tum ex parte actûs primi excitativum seu effectivum ad actum oppositum moraliter honestum. Constat proinde, Dæmonum, non verò hominum damnatorum obdurationem habere radicem in naturâ Voluntatis illorum; quorum adeò obstinationem radicaliter consistere in prætactâ voluntatis suæ naturali immobilitate ac inflexibilitate.

COLLORARIUM I.

De Gratiâ, Meritis & Gloriâ Angelorum.

Infertur 1. Omnes Angelos fuisse creatos cum beatitudine naturali, non autem supernaturali. ex S. Thomâ *præs. 9. q. 62. a. 1.* Ratio est. Tum quia beatitudo naturalis consistit in cognitione abstractivâ maximè perfectâ, quam de Deo habere potest creatura intellectualis. Atqui Angeli à primo creationis suæ instanti juxta suæ naturalis capacitatis proportionem habebant de Deo cognitionem perfectissimam: *Ezechiele 28.* attestante: *Quòd Cherub fuerit plenus sapientiâ à principio conditionis suæ.* Tum quia beatitudo supernaturalis consistit in visione beatificâ, ex quâ resultat necessariò Dei amor super omnia, cum quo repugnat peccatum. Ergo quia Angeli mali peccaverunt, sancti verò dum erant in merendi statu, libertatem peccandi habuerunt, sequitur, ipsos non esse creatos in statu beatitudinis supernaturalis. 9.

Infertur 2. Omnes Angelos creatos fuisse in statu gratiæ sanctificantis. ex S. Thomâ *hic a. 3.* contra antiquos asserentes, quòd Angeli priùs fuerint creati in purâ naturâ, & postea per gratiam sanctificati. Ratio nostræ illationis desumitur ex illo *Ezechielis 8.* ubi in sensu saltem figurato inducitur Lucifer hisce verbis: *Perfectus in vijs tuis fuisti à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Atqui præcipua creaturæ intellectualis utpote ab initio ad finem supernaturalem conditæ perfectio est gratia sanctificans. Ergo Lucifer, cœterique adeò Angeli à die, seu instanti creationis suæ habebant gratiæ perfectionē, donec inveniretur in ipsis iniquitas. 10.

Infertur 3. Gratiam eâ proportionis mensurâ fuisse Angelis distributam, quâ proportione se invicem excedunt in naturâ, ita ut Angeli, quò perfectiores sunt in naturâ, eò intensiorem receperint gratiam. Ex S. Thomâ *cit. q. 62. a. 6.* Ratio est. Nam licèt Angelus sive inferior, spectatâ naturâ, sit æquè ad gratiam proportionatus secundùm potentiam duntaxat obedientialem, ut adeò tota Gratiæ inæqualitas inter ipsos etiam Angelos reduci debeat in voluntatem Dei dividentis singulis, prout vult. *1. Corinth. 12.* Nihilominùs hæc Dei voluntas rationem nostram supergrediens investiganda est ex authoritate. Atqui Divin. Dionys. *lib. de cœlest. Hierarch. c. 6.* fatetur, Angelos in naturâ perfectiores esse propinquiores Deo tum in officio, tum in splendore gloriæ & gratiæ. 11.

Infertur 4. Angelos in viâ habuisse fidem, spem & charitatem. Ratio est. Quia istæ virtutes, sicut & morales infusæ, nec non Spiritûs S. Dona pro statu saltem viæ; imò fidei & spei fortassis virtute exceptâ, pro statu etiam Patriæ habent connaturalem cum gratiâ sanctificante connexionem. Unde asserendum est, 12.
Angelos viatores per fidem infusam cognovisse mysteria Trinitatis & Incarnationis quoad substantiam, licèt ipsos latuerint aliquæ circumstantiæ temporis, loci, modi, fortassis & materis, quibus esset mandandum executioni. Hinc D. Tho- 13.

D. Thomas *præs. q. 57. a. 5. ad 3.* ait: *Quidquid Prophetæ cognovêre de Mysterio gratiæ per revelationem divinam, multò perfectius Angelis revelatum esse.*

14. Infertur 5. Angelos non nisi merendo obtinuisse beatitudinem. S. Thomas *q. 62. a. 4.* Ratio est. Nam *Apocalyp. 12.* dicitur, quòd mensura Angeli in cœlesti Ierusalem sit mensura hominis. At homo adultus nequit pertingere ad beatitudinem, nisi per merita. Ergo nec Ange-
15. lus. Cæterùm quamdiu hic merendi status duraverit in Angelis, nihil certi decerni potest, nonnullis præsertim Recentioribus, speciatim Arriagâ *tract. de Angelis. disp. 20. n. 58.* existimantibus; non unico instanti temporis, sed per spatij alicujus divisibilis moram durasse, v.g. per horæ quadrantem, eò quòd in illo spatio factũ fuerit prælium magnum in cælo, Michaele & Angelis ejus prælianribus cum dracone, in quo prælio rationibus pugnatum fuit taliter, ut Michael conaretur Angelis persuadere ad resistendum superbiæ Luciferi, Deoque sese subjiciendum: Lucifero econtra nitente, eos contra Deum in suas partes trahere, quæ proinde concertatio non in uno, alterove ictu oculi videtur absoluta, sed protracta ad aliquale tem-
16. poris spatium. Verùm hæc ratio non est efficax, siquidem pugna hæc purè ex parte intellectûs ac voluntatis se tenens unico instanti absolvi potuisset: ut adeò ad præsens viæ Angelicæ punctum videantur statuenda tria instanti, quorũ Primum diceret Angelicæ voluntatis actum supernaturalem ex præsuppositâ fidei supernaturalis notitiâ elicitum, quo omnes Angeli se disponebant ad gratiam sanctificantem in primo creationis instanti infusam. Vi cujus adeò dispositionis Angelorum voluntates ita erant in Deum supernaturaliter conversæ, ut iste tamen conversionis actus non procederet ex plenitudine judicij pro secundo instanti quorumlibet statûs Angelici conditionem concernentium motivorum repræsentativi, nec adeò infligeret pondus immobilitatis, ex quo voluntas Angelica redderetur connaturaliter inflexibilis.

17. Secundum proinde instans erat actus Angelicæ voluntatis, dum Intellectui Angelorum tum ex mutuâ acrem illâ inter ipsos pugnâ ac disputationis concertationẽ concitante vel collocutione, vel illuminatione, tum ex Divinâ illustratione & inspiratione supernaturali omnia tam naturæ, quàm gratiæ statum concernentia motiva repræsentabantur ipsorum voluntati, atque sub istâ repræsentatione fiebat libera omninò resolutoria determinatio vel ad debitam erga Deum subjectionem ac humiliationẽ, Deiq; super omnia à Charitate Theologicâ elicitam appretiationem, vel ad superbam suimet æstimationem, debitæque erga Deum subjectionis excussionem, Divinæque adeò Majestatis aversionem & odium. Ex vi cujus adeò liberæ omnino resolutoriæ determinationis jam stabat connaturalis superiùs *præs. q. 17. a. 4. conc. 3.* explicata immobilitas bonorum Angelorum Finalem perseverentiam, malorum verò obdurationem inflexibilem connaturaliter inferens.

18. Unde tertium statim subsequens instans erat æternitatis formaliter involvens in Sanctis Angelis visionem Divinæ Essentiæ intuitivam, Dei clarè visi Amorem Beatificum; in Dæmonibus autem Damni ac sensûs pœnam in perpetuas æternitates duraturam.

Infertur 6. Æquè in Angelis, atque hominibus distingui beatitudinem tum essentialem, tum accidentalem. Ratio est. Nam essentialis est visio Essentiæ Divinæ intuitiva, ex quâ per modum proprietatis connaturaliter emanat amor Dei, & consequenter impotentia peccandi, nec non gaudium invariabiliter connexum cum Deitatis intuitione. Accidentalis verò beatitudo in se mutabilis ac variabilis est, v.g. gaudium aliquod, quod Angeli de objecto bono extra Verbum cognito concipiunt, v.g de pœnitentiâ peccatorum, alijsque ad cultum Dei noviter emergentibus rebus, juxta illud *Luc. 15. Majus gaudium erit Angelus Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem Iustis.* Quæ proinde beatitudo se habet ad statum beatificum per modum accidentis separabilis. 19.

COROLLARIUM II.

De Peccatis & Pœnis Angelorum.

Infertur 1. Ex omnibus ordinibus aliquos Angelorum cecidisse. ex S. Thomâ *q. 62. a. 9. ad 3.* Ratio est. Tum quia ad quemlibet Angelicum ordinem assumuntur homines in supplementum nimirum Angelicæ ruinæ. Tum quia ex ipso etiam supremo seraphico ordine corruit Lucifer, qui juxta SS. Patres censetur præcipuus inter Angelos extitisse. 20.

Nihilominùs asserendum, majorem ex Angelis partem stetisse in gratiâ. *cit. a. 9.* Nam *Apocal. 12.* dicitur de Dracone, quòd caudâ suâ traxerit tertiam partem stellarum. At per hunc Draconem verisimiliter intelligitur Lucifer, per stellas verò Angeli Luciferi suasioni & seductioni consentientes. 21.

Infertur 2. Primum Angelorum peccatum fuisse superbiam. ex S. Thomâ *hic q. 63. a. 2. & 3.* Nam initium omnis peccati dicitur superbia. *Eccl. 10.* At primum diaboli peccatum est omnis peccati origo. Verùm quòd hujus superbiæ fuerit objectum, non convenit inter Doctores. Nam Ioannes Major *in 2. dist. 6. q. 1.* existimat, Angelũ superbiendo affectâsse æqualitatem Dei secundùm naturam. At contra est, quòd Diabolus non potuisset æqualitatem Dei secundùm naturam appetere; quia appeteret saltem implicitè sui non Esse: repugnat enim creaturam habere in naturâ æqualitatem cum Deo? unde diabolus iam non sui exaltationem, sed potiùs destructionem appetere debuisset, si exclamando, *similis ero Altissimo*, affectâsset substantialem naturæ cum Deo æqualitatem. 22.

Molina *præs. q. 63. a. 3. disp 1. memb. 5. concl 7.* Suarez *lib. 7. de Angel. cap. 13.* & alij saltem tanquàm probabile tradunt, Luciferum superbijsse, inordinatè appetendo unionem hypostaticam cum personâ Divinâ, cujus mysterium per fidem noverat cum præcepto divinitùs proposito ad ChristiDomini adorationem. Verùm contra est, quòd Verbi divini incarnatio seu Unio hypostatica cum humanitate non priùs fuerit à Deo decreta, quàm prævisum erat Adami peccatũ. At per prius culpæ in Adamo causa extitit lapsus 23.

Luciferi, invidendo & odiendo inducentis Evam in peccatum, unde Luciferi peccatum per priùs quàm originalis culpa humani generis, adeòque antecedenter pro aliquo rationis signo fuit à Deo prævisum, quàm decerneretur Verbi Divini hypostatica unio, secundùm quam appeteret Lucifer sui exaltationem ad Dei similitudinem Altissimi. Ergo primum Angeli peccatum utpote pro aliquo rationis signo in prævisione Dei antecedens Incarnationem Verbi Divini non poterat pro objecto habere istam Verbi Divini hypostaticam unionem, ita ut ejus Dignitate & cultu exinde vi præcepti Divini debito Humanitati Christi repudiato per Angelum, hic se erigeret contra Christum, talem unionis Hypostaticæ Dignitatem sibi per superbiam arrogando.

24. Cajetanus, alijque plures, maximè Thomistæ cum suo Angelico Doctore *hic q. 63. a. 3.* asserunt, Luciferum peccasse appetendo beatitudinem ex proprijs suis viribus, ita ut in ordine ad hujus consecutionem nollet esse subjectus Divinæ gratiæ auxilio. Cujus sententiæ fundamentum ex hoc deduci potest, quòd Angelus juxta S.S. Litteras peccaverit affectando Divinitatem. Hæc autem communicatur tum per univocam & perfectam communicationem, quemadmodùm Pater æternus illam communicat Filio: tum per unionem hypostaticam, veluti communicata fuit Humanitati Christi; tum denique per similitudinem analogam, sicuti per Deitatis visionem Beati redduntur Deiformes. Atqui Angelus non peccavit appetendo substantialem communicationem univocam: Hanc enim utpote impossibilem absolutè affectare non potuisset. Neque primum Angeli peccatum erat affectus Hypostaticæ cum aliquâ personâ Divinâ unionis, uti superiùs est probatum. Oportet igitur, primum Diaboli peccatum fuisse affectum inordinatum erga beatitudinem, quatenus instar Dei illam vellet habere proprijs viribus, nec in suo fine subjectum esse gratiæ & auxili Dei.

25. Quòd si dicas, Angelum impossibile judicâsse, quòd visionem beatificam consequeretur sine gratiâ. Ergo non potuisse hoc appetere absolutè ac efficaciter.

26. Contra opponit Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. 23. a. 3. à n. 32.* Inordinatam Angeli superbiam intelligi posse, dupliciter se habuisse circa beatitudinem supernaturalem. Primò volendo eam positivè habere ex proprijs meritis sine Dei auxilio; secundò volendo eam efficaciter recusare cum illis conditionibus, quibus à Deo proposita fuit. Ejusmodi verò conditiones singularitati & superbiæ Spiritûs Angelici suam excellentiam apprimè appetentis maximè oppositas fuisse, tum quod beatitudo illa esset communis hominibus & Angelis; tum quòd habenda esset ex gratiâ & beneficio speciali Dei, ejusque auxilio, non autem ex debito aliquo connaturali, seu propriarum virium meritis. Quare Angelum non peccâsse peccato superbiæ prosecutionem beatitudinis supernaturalis independenter a gratiâ Dei intendendo positivè; cùm impossibile judicarit, quòd viribus naturæ consequi possit beatitudinem supernaturalem: nec adeò efficaciter potuisset tale objectum appetere. Primum autem Angeli peccatum importaret non inefficacem duntaxat complacentiam, sed procederet ex aliquo fine efficaciter intento. Econtrario autem illam beatitudinis quà sub prætactis conditionibus sibi onerosæ recusationem esse objectum valde congruum Angelicæ superbiæ: siquidem Angeli videntes dignitatem suam, appetierint singularitatem tum refugiendo communicationem cum inferioribus, tum repudiando sui in beatitudinis adeptione dependentiam à Dei gratiâ. Consequens proinde esse, quòd in tali affectu congruè ponatur superbia Angelica.

Nos huic sententiæ eatenus subscribimus, ut asseramus, superbiæ Angelicæ peccatum sub uno indivisibili actu habuisse rationem efficacis tum prosecutionis erga supernaturalem beatitudinem, tum aversionis erga Angelicæ naturæ Defectibilitatem, quatenus respectu Beatitudinis efficaciter intentæ haberet quandâ in proprijs viribus indigentiâ, non nisi gratiæ auxilio misericorditer sublevandam. Explicatur & probatur. Nam Angelus similitudinem cum Deo non quidem consubstantialem, sed participatam in lumine Gloriæ ac visione Beatificâ sitam voluntati suæ repræsentatam habens, simul videbat naturæ suæ defectibilitatem, ratione cujus non nisi gratiæ viribus possibilis esset supernaturalis beatitudinis, atque adeò consummatæ, licèt participatæ cum Divinitate similitudinis adeptio. Juxta quam adeò intellectualem repræsentationem Angelus efficaci appretiatione eatenus appetijt illam Dei similitudinem, ut eodem tamen voluntatis actu suam Defectibilitatem ceu malum Naturæ aversans, sui à viribus gratiæ dependentiam & subjectionem actu Fugæ in ratione aversionis efficaci per superbiam repudiaret. veluti hujus probatio patebit ex dicendis *to. 2. q. 6. a. 1. conc. 3.* 27.

Infertur 3. Dæmonibus esse pœnam tam Damni, quàm Sensûs. Nam 1. pœna Damni importat essentialiter privationem visionis beatificæ, accidentaliter verò, & consequenter gratiæ habitualis, omnisq; supernaturalis luminis & virtutis, atque auxilij carentiam. Cujusmodi privationes annexam habent tristitiam de beatitudine amissâ. At verò Angeli mali destituti sunt omni supernaturali formâ; tametsi potentiam & vires suas naturales tam intellectûs, quàm voluntati retinuerint integras, nonnihil licèt impeditas ex acerbitate dolorum, & continuâ voluntatis per odium occupatione, alijsve ejusmodi pravis affectibus intellectûs etiam Angelici plurimùm distractivas, veluti ex D. Dionys. *c. 4. de div. Nom.* tradit S. Thomas *hic q. 95. a. 1.* eâ potissimum ratione, quòd naturales Angelorum potentiæ, ut vel sustinerent pœnas, permovere debuerint. Deinde pœna sensûs consistit in cruciatu damnatis inflicto per ignem; veluti *Apocal. 2.* dicitur Diabolus *missus in stagnum ignis & sulphuris, & Matth. 25. Discedite in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis ejus.* 28.

Infertur 4. Hunc ignem infernalem non tantùm moraliter, sed physicè torquere spiritus damnatos secundùm potentiæ (*supra q. 7. a. 1. conc. 3.* à nobis explicatæ) obedientialis elevationem sitam in aliquâ instrumentariâ igni impressâ qualitate, ex cujus activitate, atque 29.

hujus

hujus actione connaturaliter fluit passio imprimens in spiritum qualitatem doloriferam. Ratio hujus desumitur ex proprietate verborum S. Script. quibus insinuatur spiritum ab igne infernali causatus dolor & cruciatus, cujusmodi verborum proprietas significat physicam doloris effectricem actionem.

COROLLARIUM III.

De Angelorum Custodiâ.

30. Infertur 1. Angelicæ custodiæ effectus esse sequentes. Primus est, avertere Clientis pericula: quod Angelus Custos facit, vel amovendo objecta & agentia extrinseca, ex quibus periculum sive animæ sive corporis potest imminere. Vel immittendo cogitationem, quâ moveatur homo ad mali imminentis occasionem devitandam. Secundus est, per internas illustrationes excitare ad operandum bonum, & malum præcavendū. Quod fieri potest tum per immutationem phantasmatum, tum per specierum excitationem, mediantibus quibus repræsentatur aliquod objectum vel ut bonum amplectendum, vel ut malum fugiendum. Tertius est; Dæmones coercere, ne graviùs tentent, aliudvè inferant malum. Nam hoc universaliter loquendo spectat quidem ad Potestates, attamen ex mente D. Thomæ *cit. a. 3. ad 3.* inferiores quodammodò exercent superiorum officia, in quantum de istorum dono participant, & quasi executores sunt virtutis eorum. Quartus est, offerre Deo clientum orationes. *ex 12. Tobiæ & 8. Apocal.* Quod facit Angelus Custos clientis orationibus suas adjungendo preces ad Divinæ pietatis clementiam efficaciùs permovendam. Quintus est, medicinales clienti inferre pœnas, sive ut resipiscat à malis, sive ut proficiat in bonis. Sextus circa irrationales creaturas est, procurare specierum conservationem tum removendo causas contrarias, quæ nocere possunt, tum activa passivis applicando ad bonum alicujus speciei. Septimus denique circa easdem irrationales res est, impedire, ne majora hominibus damna inferant. Ut adeò non dubitandum sit, Angelo ignis curam esse, incendia quandoq; cohibere, & luporū Angelo, ne horum multitudo prævaleat contra hominum bonum.

31. Infertur 2. Angelorum custodiam circa homines incipere ab instanti Nativitatis. ex S. Thomâ *q. 113. a. 5. ad 3.* contra D. Bonaventuram existimantem, quod custodia Angelorum incipiat ab animæ infusione. Ratio est. Nam dum puer est in utero materno, censetur pars matris, sicut & fructus ab arbore pendens unum quid est cum arbore. Ergo matris custos gerit curam infantis intra uterum existentis. Cœterum licèt angelicæ custodiæ tempus finiatur cum hâc mortali vitâ: Molina tamen ex morte Lazari mendici *16. Lucæ* colligit, huic custodiæ annexum esse, ut si homo decedens in gratiâ aliquid habeat ad expiandum, ab Angelo Custode deducatur in locum expiationis, si verò ab omni maculâ & pœnâ immunis sit, ab eodem ducatur in cælum.

COROLLARIUM IV.

De Infestatione Dæmonum.

Infertur 1. Homines à dæmonibus infestari, esse indubitatum ex authoritate divinâ: cujusmodi tentatio & infestatio fit à dæmonibus, tum excitando species intellectûs, per quas ingeruntur pravæ ac turpes cogitationes, tum phantasmata inhonesta movendo, tum sensibilia objecta ad malum incitantia sensibus externis afferendo, tum denique sub diversis figuris apparendo exteriùs. 33.

34. Infertur 2. Dæmonem victum secundùm D. Thomam *præs. q. 114. a. 5.* quasi confusum recedere desistendo ad tempus à tentatione, juxta illud *Jacobi 4. Resistite diabolo, & fugiet, &c.* Tunc enim rubore quasi suffusus, ne homini suâ tentatione sit occasio ad majorem Dei Gloriam, desistit, donec aliam, quâ incautum invadat, occasionem apprehendat.

35. Infertur 3. Omnia peccata à dæmonibus provenire saltem indirectè & remotè. ex S. Thomâ *cit. a. 3.* Ratio est. Tum quia ex primi parentis peccato per suggestionem diaboli ortū habente orta est mundi deordinatio & concupiscentia seu rebellio carnis. Unde remotè ac indirectè peccata ex incitamento mundi seu carnis patrata reducuntur in dæmonē. Tum quia, cùm dæmon nocendi cupidissimus omnem, quâ hominem adoriatur, oportunam observet occasionem, verisimile est, hominem nunquam allici à propriâ concupiscentiâ, vel instigari ab amicis ad peccandam, quin dæmon suas vires conjungat, velut innuit S. August. *serm. 44. ad Frat. in Eremo.*

36. Infertur 4. Inter ipsos etiam dæmones esse quandam ministeriorum distributionem, ita ut sicut Angeli sancti per certas Hierarchias & ordines distribuuntur, sic dæmones aliquam constituant rempublicam cum quâdam personarum subordinatione. ex S. Thomâ *hic q. 109. a. 2.* Etenim *Math. 12.* Sathanas dicitur habere regnum, licèt divisum. At in quolibet regno est quædam personarū subordinatio. In quo proinde Lucifer supremus est princeps; Divinæ enim Justitiæ conforme est, ut dæmones illi subdantur in pœnâ, cujus suggestioni consenserunt in culpâ. Infra hunc verisimile est, constitutos esse alios principes seu Duces, quibus subdantur inferiores Angeli. *cit. a. 2.* Ratio est. Nam Lucifer per superbiam æmulatur Divinitatem. Sicuti ergo Deus ad creaturarum gubernationem & custodiam sanctos distribuit Angelos in tres Hierarchias & novem Ordines, sic Lucifer servando certos ordines in ministerijs dæmonum distribuendis, ad personas & negotia publica superiores ac perfectiores, ad personas verò & negotia privata inferiores ac ignobiliores dæmones mittit.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Prior numerus Paginam, posterior Marginalem numerum designat.

A

D. Di-

I

 vatone

Argu-

Volun-

Index Rerum & Verborum.

F I N I S.

Omnia ad maiorem DEI, Deiparæque Virginis ac S.P.N. BENEDICTI gloriam.

Typis Monasterij EINSIDLENSIS.

Digitized by Google